C. 584
*.c.3.

807

VETERUM SCRIPTORUM ET MONUMENTORUM HISTORICORUM, DOGMATICORUM, MORALIUM, AMPLISSIMA COLLECTIO.

TOMUS VI.

COMPLECTENS PLURES SCRIPTORES HISTORICOS DE VARIIS ORDINIBUS RELIGIOSIS, ANTIQUA MARTYROLOGIA NONNULLA, CUM QUIBUSDAM SANCTORUM ACTIS.

Prodiit nunc primùm studio & opera Domni EDMUNDI MARTENE, *& Domni* URSINI DURAND, *Presbyterorum & Monachorum Benedictinorum è Congregatione S. Mauri.*



Casier B 126

PARISIIS,
Apud MONTALANT, ad Ripam PP. Augustinianorum, prope Pontem S. Michaëlis.

MDCCXXIX.

CUM PRIVILEGIO REGIS ET SUPERIORUM PERMISSU.

PRÆFATIO IN TOMUM SEXTUM.

AD illuſtrandam hiſtoriam eccleſiaſticam nihil conducit magis quam diligens & accurata rerum monaſticarum indagatio, & qui huic maxime ſtudio incumbunt, eos operam ſuam collocare utilius non poſſe exiſtimo. Nam ut taceam quæque virtutum omnium ſpecimina e monaſteriis, veluti ex divino quodam theſauro, prodiiſſe, atque etiamnum quotidie prodire; ibi caſtra Dei eſſe, ſtrenuoſque Chriſti milites, quibus dignus non erat mundus, ibi in acie ſtare adverſus poteſtates tenebrarum harum, quid in eccleſia, ex quo Chriſtiano orbi illuxit ordo monaſticus, præclare geſtum aut conſtitutum memoratur, cujus participes non fuerint monachi, quodque eorum maxime ſtudiis & laboribus jure aſcribi non poſſit? Monachorum maxime opera everſa paſſim eſt vana idolorum ſuperſtitio, confutatæ hæreſes, extincta ſchiſmata, diſciplina inſtaurata, corrupti hominum mores ad meliorem frugem adducti, omnia denique propemodum renovata, & ſuus eccleſiæ ſplendor plane reſtitutus. Pleraſque ſedes monachi ſæpe cum laude occuparunt, neque ullam pene invenias, quæ non plures prædicet antiſtites cum ſanctitate, tum doctrina celeberrimos. Quid de Romana dicam? Jam ſi quid egregie pieque ſcriptum circumfertur, nonne id fere e monaſteriis exiſſe conſtat. Pleraque concilia & cetera decreta eccleſiaſtica a monachis potiorem partem aut conſtituta, aut digeſta, vel certe eorum ſtudio induſtriaque, ut alia præclara quæque monimenta, conſervata, ad noſtram memoriam pervenere. Monachos etiam & abbates ad reſpublicas & regna quandoque procuranda e ſolitudinibus abductos fuiſſe teſtis eſt Sugerius & Matthæus abbates S. Dionyſii, viri ſane clariſſimi; teſtis in Germania Wibaldus Stabulenſis & Corbeienſis abbas, & alii plurimi, quorum ſapiens adminiſtratio principibus & populis æque accepta fuit, & maxime utilis.

Quibus attente conſideratis, cum primus hujus collectionis ſcopus ſit hiſtoria eccleſiaſtica, ut jam ſæpe declaratum eſt, alicujus operæ pretium exiſtimavimus, aliquas in hunc tomum hiſtorias monaſticas, hocque ordine congerere. Primo loco hiſtoriæ proferuntur religioſorum ordinum cum generales tum ſingulares. Succedunt aliquot monaſteriorum annales antiqui, quos demum nonnulla ſanctorum monachorum acta certo ordine excipient.

Et ne quid hic operæ noſtræ deſideretur, ad illuſtrandos quos promimus

ſcriptores rerum monaſticarum, indagare eſt animus religioſorum ordinum ſeu ſocietatum undecimo & duodecimo ſæculo exortarum præclaras origines, ſimulque vel hac exigua diſquiſitione oſtendere, potiorem hanc hiſtoriæ eccleſiaſticæ partem necdum ſatis accurate tractatam fuiſſe.

§. I.

De religioſis ordinibus ſeu congregationibus ſæculo XI. *&* XII. *exortis.*

I. De origine Camaldulenſium.

2. De variis undecimi & duodecimi ſæculi ordinibus religioſis cum tractare inſtituimus, primus ſe nobis obtulit ſanctus ordo Camaldulenſis, cujus auctor fuit beatus Romualdus, multorum cum cœnobitarum tum eremitarum pater. Is nomen primum dederat inter monachos nigros Claſſenſis monaſterii prope Ravennam; deinde poſt varias cum in Italia tum in Gallia mutationes locorum, novum ſub regula S. Benedicti duplexque vitæ genus eremitis ac cœnobitis inſtituit. Quo autem præciſe anno non facile eſt definire. Nam ſi ejus ordinis exordium ab eo repetas tempore, quo Claſſenſis monaſterii regimen abdicavit, id circa Chriſti annum milleſimum factum videtur: ſi vero ab eo tempore quo Campi Malduli ſolitudinem incolere cœpit, id anno milleſimo duodecimo contigiſſe tradunt vulgo auctores Camaldulenſes, qui locum a Maldulo quodam cive Aretino S. Romualdo conceſſum volunt, unde & CAMPUS MALDULI & præciſâ ſyllabâ, CAMALDULI nomen loco inditum eſt. At ſi chartas & inſtrumenta Camaldulenſis eremi conſuluiſſent, aliam plane iniiſſent ſententiam. Locum enim illum qui in diplomate Henrici I. imperatoris dicitur CAMPUS AMABILIS, ad Aretinam eccleſiam pertinuiſſe vidiſſent, eumque tunc non a Maldulo occupatum, ſed a *Bernardino* Sidoniæ filio aut patre ejus, qui illum ab eccleſia S. Donati, id eſt Aretina tenebant. Traditum vero fuiſſe Romualdo a Theobaldo Aretino antiſtite conſtat ex ejus inſtrumento anno 1027. Petro priori ſacræ Eremi Camaldulenſis dato, & ex aliis pontificum Aretinorum diplomatibus, præſertim Azonis, Conſtantini, Galterii, Gregorii, qui omnes Romualdum una voce aſſerunt locum a Theobaldo epiſcopo accepiſſe. Cum autem Theobaldus creatus fuerit epiſcopus anno MXXIII. hinc Mabillonius, qui ſacræ Eremi chartas & inſtrumenta apud Fontem-bonum aſſervata luſtraverat, Camaldulenſis ordinis initium ante hunc annum collocandum eſſe non cenſet. Hanc tamen eremum cum diſcipulis ſuis Romualdus aliquot ante annis incolere potuit, quam ſibi traderetur.

3. Porro cum quinque tantum cellas ibi erexiſſet, ſic ſenſim numero accrevere, ut teſte Guillelmo epiſcopo Aretino, ad octo & viginti ſæculo decimo tertio aſſurgerent, ex quibus quatuor & viginti ſupererant anno M. CCCC. XXXII. tempore Hieronymi de Praga monachi Camaldulenſis. Modo vero ſacra Eremus cellas habet XL. qui numerus ex multo tempore finitus, nulla acceſſione augetur. Quamvis autem vita & inſtituto differant inter ſe eremitæ & cœnobitæ, eumdem utrique præpoſitum generalem, eumque perpetuum ab ipſo ordinis exordio habuere, ex cœnobitis quidem ipſis aſſumtum, ſed qui apud eremitas agere teneretur. At his quærentibus multa ſubinde incommoda ex præpoſito perpetuo naſci, jugum ejus cum ſæpe excutere tentarunt, tum potiſſimum ſub Ambroſio, quem adeo ab his exagitatum reperimus, ut olim crederent *certi aliquid* de eo amovendo ſe a ſummo pontifice impetraſſe, eumque revera *pro abrogato* habuerint. Quo quidem comperto Ambroſius, *Non me terrent hæc*, inquiebat, *atteſtante mihi conſcientiâ nihil a me geſtum perperam, cujus gratiâ ſim abrogandus.* Et certe multis jam pro ſede apoſtolica obitis laboribus, majori apud pontificem auctoritate valebat, quam ut his terreri ullo modo poſſet. Longe acrio-

Amb. epiſt. l. 13. ep. 14.

rem in Petrum Delphinum procellam excitarunt Eremitæ, fulti auctoritate celeberrimorum inter eos virorum Juſtiniani & Quirini, qui exacto vix ſex menſibus eremiticæ vitæ tirocinio, ſtrictiori huic diſciplinæ ſeſe ardenti ſtud. addixerant. Hi negotium in Romana curia tam diligenter proſecuti ſunt, ut duo ſtatim adverſus eum diplomata, alterum a Julio II. alterum a Leone X. reportarint, nequicquam obſiſtente Delphino, atque eorum conatus elidere ſatagente; eoque res proceſſit, ut ipſi demum pontifex archiepiſcopi titulum & dignitatem obtulerit, cum penſione annua ccc. aureorum ab eremitis ipſis numeranda, facta etiam ipſi poteſtate Florentiam ad quod maxime liberet ex tribus ordinis monaſteriis demigrandi, certamque ibi figendi ſedem; aut ſi ita mallet, archiepiſcopi ſuffraganei, ut vulgo vocant, munus eadem in urbe & diœceſi exercendi. Oblatos ſibi titulos acceptandos non cenſuit vir modeſtiſſimus, ingraveſcentem prætexens ætatem, quæ manumiſſionem a laboribus poſtulare videbatur. Romam profectus pontificis aditum ſibi præcluſum reperit, fruſtraque tentavit ſæpius adire palatium, denegato ſibi ex induſtria a cubiculariis ingreſſu. Tandem poſt multas altercationes hinc inde habitas, ordinis ſui præfecturam dimittere coactus, in S. Benedicti hoſpitium prope Florentiam ſeceſſit, retenta ſibi annua penſione trecentorum aureorum. Quæ quidem omnia minus hactenus nota pluribus exequitur ipſe Petrus Delphinus epiſt. 139. tom. 3. hujus collectionis, quæ non fruſtra conſuletur. Ceterum tres vigent in Italia Camaldulenſium eremitarum congregationes, ſacræ Eremi, Veneta, & Montis-Coronæ, præter Gallicanam, in quibus angeli non homines converſari videntur.

Pet. Delphini epiſt. 139.

4. Eodem fere tempore quo Camaldulenſes, novi in Italia Fontis-Avellanæ eremitæ exorti ſunt, hoc fere uno ab illis differentes, quod bini & bini in cellis degerent, atque etiam præter ceteras corporis macerationes utriſque communes, flagellorum, ſeu, ut vocant, diſciplinarum uſum invexerint. Sita eſt ſolitudo Fontis-Avellanæ in Umbria, ad radices Montis-Catriæ, in diœceſi Faventina, cujus fundator dicitur Ludolphus epiſcopus Eugubinus, Germanus natione. De fundationis anno non ſibi conſtat Mabillonius. Nam in prævis obſervationibus ad vitam S. Petri Damiani, qui præcipuum ejus inſtituti ornamentum fuit & ſtrenuiſſimus propagator, Fontis-Avellanæ initia ad annum M. refert; in annalibus vero fundatam ait anno MXIX. ſub titulo S. Crucis, quam ſententiam ideo præferimus, quod junior eſſet anno milleſimo Ludolphus, quam ut huic operi poſſet animum adjungere, cum anno ſolum MLXIII. e vita exceſſerit.

II. De congregatione Fontis-Avellanæ.

5. Hujus vero congregationis inſtituta paucis his verbis exſequitur Johannes, Petri Damiani diſcipulus, in ejus vita. *Porro loci hujus inſtitutio hujuſmodi fore dignoſcitur, quod bini diviſis cellulis commorantes, diu noctuque in ſpirituali luctamine, velut in acie conſiſtentes, brachia non remittebant. Inexpugnabilibus namque pſalmodiæ, orationis, lectionis, abſtinentiæ, obedientiæque armis accincti, adverſus aëreas poteſtates infœderabiliter dimicabant. Abſtinentiæ vero modus hic erat, ut quatuor in hebdomada diebus pane & aqua contenti, tertia & quinta feria pauxillum leguminis ſumerent, quod videlicet ſinguli in ſuis cellulis decoquebant. Jejuniorum vero diebus nequaquam pro ſuo libitu cuiquam de ſuo pane ſumere licebat, ſed id quod præfixa menſura præbebat. De vini uſu quid memorem? Cum niſi pro ſacrificio, ſeu forſitan pro ægro, vinum ibidem tunc prorſus deeſſe feratur. Nec dipedalia paſſim per eremum cunctis temporibus exercebant. In cellis vero nec caligas induebant. Ceteris autem ſpiritualibus exercitiis, diſciplinæ videlicet, metaneis, palmatis, prolixis ulnarum extenſionibus, ſedulo prout cuique fervor virtuſque inerat, incumbebant. Porro vigiliarum hunc morem ſervabant, ut ſigno temporis perſonante, poſt ſynaxim pſalterium ante lucem complerent.*

6. Ad jejunia quod attinet, paulum differt a Johanne S. Petrus Damiani in vita S. Dominici Loricati, hancque in ejus eremo ſervatam ait legem abſtinentiæ, *Ut numquam vinum biberent, numquam adipe alimenta condirent, unum in Dominica, ſed & quinta feria pulmentum ſumerent, quinque per hebdomadam diebus pane & aqua jejunium celebrarent.* Ubi vides quinque per hebdomadam jejunia in pane & aqua, cum quatuor tantum commemoret Johannes in vita S. Petri Damiani. De ſilentio vero, quod potiſſimum eſt vitæ religioſæ firmamentum, hæc paulo poſt ſubdit Petrus: *Tenebant autem per totam hebdomadam diſtricta cenſura ſilentium, quod utique Dominica die poſt veſperam, cibumque ſolventes, habebant loquendi invicem uſque ad completionis officium libertatem.*

Act. SS. Bened. ſæc. 6. tom. 2. p. 443.

Opuſc 15. c. 6.

7. Tantam vitæ auſteritatem ipſe Petrus Damiani, creatus Fontis-Avellanæ præpoſitus, nonnihil emollivit; conſideratoque aliquorum fratrum imbecillitate, modici vini uſum extra tres ante Paſchæ, S. Johannem, & Natalem Domini quadrageſimas, quo tempore & vino & piſce tam monachi quam laici, ſeu converſi abſtinebant, indulſit. Flagellorum vero, ſeu diſciplinarum legem ſcribens ad eremitas his temperavit modis: *Adhibito diſcretionis moderamine, conſtituimus ut ad diſciplinam ſibimet ingerendam nullus in eremo compellatur. Quem vero ſanctus ad hanc fervor impellit, per quadraginta pſalmos in unoquoque die diſciplinam ſibi facere liceat, ita dumtaxat, ut quadragenarium hunc numerum non excedat. In duabus autem quadrageſimis, quæ videlicet Natalem Domini & ſacroſanctum Paſcha præcedunt, uſque ad ſexaginta pſalmos cum diſciplina procedere liceat.*

Lib. 6. epiſt. 84.

8. Cumque pauci admodum ſtudio ferveant vitæ auſterioris, ac plerumque uſu veniat, ut firmiora religioſarum ſocietatum inſtituta, fratrum frequentia & multitudine remittantur ac dilabentur, idem Petrus Damiani eremitarum numerum ibi videtur determinaſſe opuſculo 14. *In hoc nempe loco*, inquit, *qui Fons-Avellana dicitur, plerumque viginti plus minuſve monachi per cellulas degimus, ut omnes ſimul in converſis & famulis tricenarium quinum numerum vix excedamus.* At in Luceoli eremo, quam tot tamque horrendis corporis macerationibus illuſtravit S. Dominicus Loricatus, cum erectæ tradantur cellæ octo & decem, certum eſt ibidem eremitas ſex & triginta diſtrictiſſime vixiſſe, binis videlicet, ut dictum eſt, unàquàque cellà attributâ.

Vita Petri Damiani n. 19.

9. Præter Fontis-Avellanæ & Luceoli eremos, quinque alias Petrus Damiani inſtituit. Unam in Camerina diœceſi, aliam ad montem Pregium in territorio Peruſino, in qua & cellam, quam B. Romualdum ferebant incoluiſſe, invenit. Tertiam in comitatu Ferentino, in loco dicto Gamonium; quartam huic vicinam, dictam Aceratam. Quintam denique in territorio Ariminenſi, loco qui Murcianum appellatur. Quamdiu viguerit apud illos eremitas diſciplinæ obſervatio, haud ſatis liquet: at quæ eſt rerum humanarum viciſſitudo, adeo defecerat ſæculo XIV. reſtincto penitus fervore illo priſtino de quo ſuperius dictum eſt, ac deploratis pene omnibus, ut ſancta hæc ſocietas, cujus tam illuſtris origo fuerat, plane ſit reſciſſa, anno Chriſti MDLXX. aggregatis ejus monaſteriis celeberrimæ Camaldulenſium congregationi S. Michaëlis de Murano.

III. De ordine Vallis-Umbroſæ.

10. Non procul a ſacra Eremo Camaldulenſi ſitum eſt monaſterium Vallis-Umbroſæ, quod alterius eſt religioſi ordinis ſub regula S. Benedicti militantis caput. Ejus auctor Johannes Gualbertus, relicto S. Miniatis monaſterio, in quo ſe Deo devoverat, in ſolitudinem diœceſis Feſulanæ perfectionis vitæ ſtudio ſeceſſit, in locum Aquam-bellam dictum, quicquid in contrarium afferat vitæ ejus ſcriptor Atto, qui ſeceſſus ejus cauſam in Uberti abbatis S. Miniatis, & epiſcopi Florentini, ſimoniam refundit. Nam præ-

terquam

terquam quod Lambertum & Athonem eo tempore antiſtites Florentinos, cum ab omni ſimoniacæ labis ſuſpicione immunes, tum ſanctiſſimos fuiſſe contendit, & demonſtrat Mabillonius, conſtat Lambertum a Petro Damiano in epiſtola ad Alexandrum papam II. egregie laudatum, monaſticam vitam, abdicato epiſcopatu, amplexum eſſe; alterum vero, Athonem, in Italia ſacra dici, *Præſulem æterna memoria dignum.*

11. Priùs vero quam Vallem-Umbroſam attingeret Johannes Gualbertus, Camaldulum, diverſis peragratis locis, cum ſocio advenit, ibique multis exactis diebus, cum religioſorum abſtinentiam & converſationem prorſus angelicam ſtupens admiraretur, a Petro Dagnino ſacræ Eremi priore, qui ipſe utriuſque ardorem ſuſpiciebat, benigne invitatus fertur, ut poſito tandem modo illis itineribus, ſecum eo quo capiebatur bono perfrui vellet, ac *renuiſſe penitus, quia fervor ejus in cœnobiali vita tantum erat.* Indeque ad Vallem-Umbroſam progreſſus, ſedem, reperto ibi loco apto, in nomine Chriſti firmare decreviſſe; tum vero congregatis aliquot diſcipulis, & favente Itta S. Hilarii abbatiſſa, cujus juris erat ille locus, celeberrimum tota Italia monaſterium conſtruxiſſe, cujus baſilicam Rodulphus Paterbornenſis epiſcopus, juſſu Conradi imperatoris, conſecrarit, vacante ſede Feſulana.

12. Si fides ſit Elioto, Johannes ibi primum eremiticas cellas erexit: verum huic repugnant opinioni ſcriptores ordinis, qui omnes una voce aſſerunt eum ſolo *vitæ cœnobiticæ deſiderio* Camaldulenſi eremo demigraſſe. Alioquin ſi eremiticam vivendi rationem ambiiſſet, quidni illic remaneret, ubi & vaſta ſolitudo, & vitæ genus duriſſimum; ubi eximia & perpetua exempla religionis & ſanctitatis, ubi denique omnia propoſito ejus convenire, ipſum invitare & allicere videbantur. Si quis vero hic objiciet, veſtigia quædam cellarum eremiticarum in antiqua Vallis-Umbroſæ delineatione ſupereſſe, is attendat velim, ſingulare eremi certamen fratribus diuturna monaſterii probatione exercitatis facilè permitti potuiſſe ex regula, ut revera olim permiſſum eſt Petro ejuſdem ordinis eremitæ, *qui vitæ ſecretioris ſtudio ductus, cum bona ſuperiorum ſuorum venia in Vernienſi territorio ſilvas ſecedens, tuguriolum ſibi ædificavit.* Apud Boll. 12. Julii.

13. Jam vero Johannis Galberti ſeceſſum in Vallem-Umbroſam conſignat Mabillonius ad annum Chriſti MXXXIX. quo nimirum anno ipſi Itta abbatiſſa ſociiſque ejus Bellam-aquam, facta ſolemni donatione, conceſſit. Extat apud Ughellum donationis diploma, in quo ſic illa loquitur: *Quoſdam viros de S. Miniatis monaſterio, quos vobis bene notos credimus, in eremo quæ Vallis-Umbroſa vocatur, ſicut vos ſcitis, ſuſcepimus, in loco qui dicitur Aqua-bella.... qui meliorandæ vitæ gratia cœnobium, quod multa populoſitate frequentabatur, relinquentes, in loco ſolitario vitam ſanctam actitare maluerunt.* Et paulo poſt narrat quomodo Conradus imperator, audita ſancta eorum converſatione, Rodulfum Paterbornenſem epiſcopum miſerit ad conſecrandum novi monaſterii oratorium. Ex quibus colligimus Johannem ſocioſque ejus hanc in ſolitudinem paulo ante adveniſſe, ſiquidem oratorium & cetera monaſterii ædificia jam conſtruxerant.

14. Quale autem eſſet illud oratorium paucis Atto explicat in vita S. Johannis. *Manſerunt ibi multo tempore ligneum habentes tantummodo parvulum oratorium.* Si tam tenuis eſſet domus Dei, tamque exigua, qualia erant fratrum tuguria? Certe multo humiliora, ut par erat, & longe anguſtiora, quippe religioſæ paupertatis obſervantiſſimus Johannes, vel mediocres pauperum ſuorum diſcipulorum caſas ferre vix poterat. Et teſtes ſunt illæ ædes paulo ampliores, ut ſibi videbatur, quæ Deo annuente precibus ejus & votis everſæ ſunt funditus. Nec lautior erat menſa ſervorum Dei.

Eadem ubique tenuitas cibi & potus; veſtes non modo viles & incultas, ſed & aſperas *adeo diligebant, ut cilicina tunc veſte uterentur. Quam* tamen *nemo ferre cogeretur invitus, nec ad ferendum volens prohiberetur.* Ad colorem quod attinet, *idem pater de ovium ſuarum varia lana juſſit pannum promiſcuum fieri, cujus deſignatione ſpecialius noſceretur quicumque de ſchola tanti patris exiſteret.* Hinc forte Anſelmus epiſcopus Havelbergenſis, ait monachos Umbroſæ-Vallis *a ceteris qui vocantur monachi, novo ordine & novo habitu eſſe differentes.* Porro habitus ille ab initio ferruginei fuit coloris, nec ante annos centum & quinquaginta in nigrum eſt converſus. His accedebat ſtrictior regulæ obſervatio. Nemini ne extra clauſtri quidem fines efferre pedem licebat, *non patiebatur* Johannes nocte dormitorium eſſe ſine lumine, dicens, *Levius eſſe ferendum oratorium ſine lumine eſſe quam dormitorium, ſi egeſtas utrumque non ſineret.*

Spicil. tom. 13.

15. Fratres exterioribus operibus addictos, quos vulgo appellamus converſos, libenter admittebat; qui quidem *fere nihil a monachis diſtabant, extra veſtium qualitatem & ſilentium, quod exterius occupati nequibant plenius obſervare.* Nec enim quemquam ceteris potiorem habebat, niſi forte eum qui ceteris humilitate præſtaret. Unde dignitatum titulos, divitias, aliaſque hujuſmodi pompas, huic potiſſimum virtuti contrarias abhorrebat; ac ſi quis dives, aut nobilis, aut quovis nomine inſignis e procelloſa ſæculi votagine elapſus, ad placidiſſimam Vallis-Umbroſæ ſtationem accederet, cum mundanis pompis ante exui peroptabat, nudos & pauperes libentius admittens. Aut ſi quid forte ad ſublevandam loci egeſtatem conferri ſineret, cavebat ante omnia ne heredum detrimento foret. Quamobrem audito olim novicium aliquem patrimonium ſuum ſpoliatis heredibus monaſterio alicui delegaſſe, continuo totus infremuit, ac zelo accenſus locum ſubiit, arreptoque donationis inſtrumento, & fruſtatim ſciſſo ac dilaniato, cœnobio eſt dira imprecatus.

16. Ceterum inſtituta apud Umbroſam-Vallem vivendi norma non in Italia ſolum propagata eſt, ſed & in Galliam a venerabili Andrea, Vallis-Umbroſæ priore & primo abbate Caſalis Benedicti in pago Biturico, (quod monaſterium multarum cellarum caput, celeberrimæ congregationi nomen dedit,) invecta lætiſſimos fructus edidit. De quo Andrea hæc pauca Odericus Vitalis lib. 8. Hiſtoriæ ſuæ. *Eodem tempore venerabilis Andreas de Valle-Bruciorum monachus efflоruit, & in Bituricenſi pago monaſterium, quod Caſale Benedicti nuncupatur, conſtruxit, & diſcipulos in magna paupertate & continentia Deo famulari docuit. Hic erat genere Italus, litterarum eruditione plene inſtructus, & lucrandis animabus per ejus gratiam idoneus.* Extant de ejus obitu litteræ encyclicæ Spicilegii tomo 2.

IV. De origine canonicorum regularium.

17. Ab Italia tranſeo in Galliam, in qua perplures XI. & XII. ſæculo exortæ religioſorum ſocietates, incredibilem univerſæ eccleſiæ ſplendorem intulere. Primus omnium occurrit celeberrimus ordo canonicorum regularium, de cujus origine auctores inter ſe non conſentiunt, quibuſdam ad apoſtolos ipſum referentibus, aliis ad S. Sylveſtrum & ad Urbanum papam, pluribus ad ſanctum Auguſtinum, nonnullis ad Chrodegangum epiſcopum Metenſem, quem revera canonicis regulam contexuiſſe conſtat; aliis denique ad celeberrimum concilium Aquiſgranenſe anno DCCCXVI. habitum ſub Ludovico Pio, cujus concilii juſſu & auctoritate Amalarius diaconus, alteram regulam ex ſanctorum patrum dictis compilavit, in omnibus deinceps primariis, ſeu cathedralibus & collegiatis eccleſiis obſervandam. At qui ſanum ſapiat, nullam ex his opinionem admittet: non primam, quæ nullo ſolido fundamento nititur, cum plane ſit inauditum aliquam religioſorum ſocietatem tempore apoſtolorum inſtitutam fuiſſe. Non ſecundam, quæ nullam

ex falſis decretalibus veritatis umbram haurire poteſt; non tertiam, quia clerici ſub ſancto Auguſtino in communi viventes, nullis votis aſtringebantur, ſicut nec hi qui Chrodegangi aut Aquiſgranenſium patrum regulam ſuſceperant. Tardius igitur canonici regulares, nec ante undecimum ſæculum in eccleſia orti videntur, cum aliunde ſcribat Abaelardus, auctor XII. ſæculi, eos recentis eſſe inſtituti.

18. His igitur ultro annuimus, qui canonicorum regularium initium ad annum referunt milleſimum trigeſimum octavum, quo quatuor canonici eccleſiæ Avenionenſis, Arnaldus, Odilo, Pontius & Durandus, vitæ religioſæ ſtudio accenſi, in ſolitudinem ſe recepere, favente Benedicto epiſcopo, qui ipſis ſanctorum Juſti & Ruſi eccleſiam conceſſit. Et quia canonicis prius adſcripti fuerant, quam monaſticis ſe inſtitutis addicerent, ab omnibus deinceps appellati ſunt CANONICI REGULARES. Quorum exemplo innumeri cum canonici & clerici, tum etiam laïci, eorum vivendi rationem amplexi, paſſimque effuſi, quamplurima monaſteria, eaque fere in vaſtis ſolitudinibus erexere, a monachis ſolo nomine differentes. Ex quibus demum conflata eſt S. Ruſi congregatio percelebris, quæ brevi palmites ſuos, inſtar proceræ & ſaluberrimæ arboris, in agro Dominico protendens ad primas ſedes ſeu eccleſias cathedrales, depravatos canonicorum mores ad meliorem frugem convertit & reformavit.

19. De regula quam ſibi primùm obſervandam duxerunt, nihil hactenus legi; at ſimilius eſt vero eos ſtatim regulam patrum Aquiſgranenſium ſibi impoſuiſſe. Nec ſane aliam in eccleſia Avenionenſi, quæ huic novo inſtituto ſe ſtatim addixit, fuiſſe obſervatam, colligi facile poteſt ex bulla Urbani II. data anno 1096. in qua canonici *per divinam gratiam aſpirati, mores ſuos ſub regularis vitæ diſciplina coërcere, & communiter ſecundum ſanctorum patrum inſtitutionem omnipotenti Deo deſervire* dicuntur. Simili modo de Caturcenſis eccleſiæ canonicis loquitur idem pontifex, cujus bullas in nova Gallia Chriſtiana videre licet. Atque hanc noſtram opinionem confirmat antiqua formula profeſſionis canonicorum quæ extat in antiquo pontificali eccleſiæ Conchenſis in Hiſpania, hactenus aſſervato in bibliotheca Majoris-monaſterii prope Turones, eſtque hujus tenoris: *Ego frater ill. regulam a ſanctis patribus inſtitutam, Deo juvante, ſervare promitto, & propter vitæ æternæ præmium humiliter militaturum me ſubjicio in loco qui conſecratus eſt in honore S. Mariæ genitricis Dei, vel in alterius ſancti N. & aliorum ſanctorum, in præſentia N. civitatis ill. epiſcopi. Promitto etiam huic ſedi rectoribuſque ejus ſemper obedientiam, & ſtabilitatem, & converſionem morum meorum coram Deo & angelis ejus, ſecundum præcepta canonum.* Poſtea vero regulam S. Auguſtini, ſeu eximiam illam ad ſanctimoniales epiſtolam, olim 109. nunc 211. ſibi pro vitæ norma adoptarunt, adjectis etiam variis conſtitutionibus, plerumque adſcitis ex S. Benedicti regula, in quibus præſcripta omnibus abſtinentia a carnibus, exceptis ægrotis; jejunium a feſto exaltationis S. Crucis ad Paſcha; ſingulis diebus certiſque horis opus aliquod indictum, cum ad victum comparandum, tum ad frangendos animi motus; & refrænandam carnis petulantiam; nocturnæ vigiliæ inſtitutæ, & pleræque aliæ monaſticæ aſperitates. Sed humilitatis, quæ propria eſt monachorum virtus, ſtudioſiſſimi, ne pedum quidem pontificium aliaque dignitatis ſuæ ornamenta abbates in eccleſia geſtabant; plerique etiam abbatis titulum reſpuebant, ſolo prioris aut præpoſiti nomine contenti. Quod quidem in Vallis-Scholarium congregatione & pluribus antiquioribus monaſteriis olim modeſte uſurpatum Windesheimenſes, inſtituti ſui in multis tenaciores, hodie adhuc retinent; ſoloſque præpoſitos ſe habere dicunt.

Tom. I. in append. pag. 31. & 141.

V. De origine Grandimontenſium.

20. Sequitur ordo Grandimontenſis, de cujus exordio auctores qui hactenus tractarunt, ex eodem fonte omnes videntur hauſiſſe, nempe e vita S. Stephani ejuſdem ordinis inſtitutoris, ſcripta a Gerardo VII. priore Grandimontenſi, qui anno octogeſimo octavo ſupra milleſimum & centeſimum, hoc eſt quarto & ſexageſimo a pii patris exitu, ſucceſſit Guillelmo de Trinhaco VI. priori. Hic igitur primo ponit beatiſſimum Stephanum, nobilis viri Stephani vicecomitis Thiernenſis filium, anno ætatis duodecimo Barium, ad limina S. Nicolai cum patre religionis ergo profectum, ac Beneventi aliquo morbo correptum, Miloni ejuſdem urbis antiſtiti, ejuſque populari, & fortaſſe etiam propinquo, ad confirmandam valetudinem relictum eſſe, ab eoque detentum annis duodecim. Tum vero mortuo Milone Romam contendiſſe, expleto anno ætatis XXIV. ibique totum quadriennium apud aliquem e ſacro eccleſiæ ſenatu agentem, facultatem a Gregorio VII. obtinuiſſe novi inſtituendi ordinis ad normam ſanctorum Calabriæ eremitarum, quos a Milone commendari audierat: ac demum in Gallias reverſum anno ætatis trigeſimo, apud Muretum quarto ab urbe Lemovica lapide, ordinis ſui fundamenta in vaſta ſolitudine jeciſſe.

21. Verum tot tricis totque ambagibus involvitur qualiſcumque hæc narratio, ut nodum Gordium vere dixeris, aut labyrinthum, quo nemo ſe expedire niſi ægrè admodum poſſit. Nam quod ait Gerardus, Stephanum anno ætatis duodecimo Barium ad viſitanda S. Nicolai limina adiiſſe, adeo procul abeſt a vero, ut nec tum, nec poſtea quidem aliquantò delatæ ſint Barium S. Nicolai reliquiæ, ſed, quod planè norunt omnes, pluribus poſt annis. Nec verius eſt quod de Milone archiepiſcopo ſubjicitur, quem nec integro biennio, nedum annis duodecim Beneventanæ eccleſiæ præfuiſſe certum eſt, ut colligitur ex brevi chronico Beneventano apud nos mſ. in quo ejus epiſcopatus initium his verbis conſignatur: anno MLXXIV. *electus eſt domnus Madalvinus & conſecratus in abbatem S. Sophiæ a domino papa Gregorio, & Milo fuit archiepiſcopus.* Deinde anno ſequenti nuntiatur ejus e vita exitus, ac demum additur anno MLXXVI. *Rofredus fuit archiepiſcopus.* Quæ aliqua ex parte confirmat Ughellus tom. 9. Italiæ ſacræ, ubi in ſerie archiepiſcoporum Beneventanorum, Milonis diploma in gratiam S. Sophiæ adducit, datum anno MLXXV. *Primo anno*, inquit Milo, *noſtri epiſcopatus.* Ac ne qua ſuboriretur ſuſpicio diplomatis notam chronicam vitioſam eſſe, ibi probat Ughellus Ancellum Milonis deceſſorem, ſediſſe anno 1074. atque adeo nec annis duodecim ſedere potuiſſe Milonem. Quod addit Gerardus Stephanum Romæ apud quemdam e ſacris ſenatoribus quatuor a Milonis morte annos habitaſſe, id vero conciliari vix poteſt cum pleriſque domeſticis ſcriptoribus tradentibus paſſim ipſum anno ſexto & ſeptuageſimo ſupra milleſimum ordinis ſui fundamenta poſuiſſe. Nam Milo anno ſolum præcedenti obivit mortem, ut modo probavimus. Si igitur Romæ quatuor poſt Milonis mortem annos cum cardinali egerit Stephanus, & reverſus in patriam anno ætatis trigeſimo, ſe in ſolitudinem receperit, reſtat ut ordinis ſui fundamenta non anno milleſimo ſeptuageſimo ſexto poſuerit, ſed anno MLXXXI. Præterea Calabri illi eremitæ ad quorum normam Stephanus ordinem inſtituere meditabatur, ultimæ antiquitati ignoti videntur, & quæ de ipſis referunt ſolis conveniunt Cartuſianis, qui quidem Calabriam, ſed longo poſt tempore incoluere, ſub Urbano nimirum ſecundo, qui S. Brunoni ad ſe advocato, & ſtatim ſeceſſum ab urbanis fluctibus ardentiſſime petenti, locum deſertum in Calabria indulſit.

22. Supereſt hic diſcutiendum an Stephanus ordinis inſtituendi facultatem a Gregorio VII. impetrarit, ut tradit Gerardus, & ſuadere videntur quædam ejus pontificis litteræ anno primo ejus pontificatus datæ atque editæ

a Mabillonio in præfat. ad tom. 2. Sæc. VI. Ben. ex ſchedis Franciſci Eſcouvetæ monachi Cæleſtini, qui eas e prioratu de Francorio acceperat, hiſtoriæ ſuæ Grandimontis inſerendas. Quibus nimirum litteris Stephano reipſa annuitur, uti ordinem ad normam *fratrum noſtrorum Benedictinenſium de Calabria* fundet & conſtituat. Verum bullas illas idem qui ediderat Mabillonius, ubi paulo attentius eſt perſcrutatus, ut nothas rejecit, ſimulque aperte in Annalibus ſuis, palamque ea retractavit, quæ olim earum occaſione aſtruxerat.

23. Et vero tot præ ſe ferunt falſi indicia, tot nævos totque errores exhibent, ut prodire numquam debuiſſent. Primo obſervat Mabillonius eas *non omnino ſapere ſtilum cancellariæ*, quo quidem uno ſuſpectæ valde ſunt, nec facile admittendæ. Sed non minus earum obeſt ſinceritati ſolemnis hæc atque aliàs tam frequenter uſurpata inſcriptio, *Gregorius ſervus ſervorum Dei*, quæ plane eſt inſolens in omnibus Gregorii VII. diplomatis, ante ejus ordinationem, anno ſequenti die Purificationis celebratam, datis, cujuſque loco hæc ſemper apponi ſolebat, *Gregorius in Romanorum pontificem electus*. Aut ſi forte illa uſquam occurrat, non certe ante calendas Julii, neque prius occurrit quam Henricus imperator electioni ejus aſſenſum præbuit. His adde aliud inſcriptionis vitium: *Salutem & apoſtolicam benedictionem*, & *Ad perpetuam rei memoriam*, quæ duo ſimul conjuncta haud facile reperias; ſed neque aliàs in genuinis bullis uſurpatum vidimus, *Ad perpetuam rei memoriam*, ſed ſimpliciter, *In perpetuum*. Non moror hæc verborum portenta: *Proprium ſentire*, *frequentatio Benedictinenſium*, aliaque id genus Gregorii ævo nuſquam adhibita, ut plane conſtat. Majoris momenti eſt quod ſequitur, neque, opinor, aliud falſarii inſulſi imperitiam manifeſtius prodit. Ait Stephanum Beneventi apud Milonem archiepiſcopum, *cum frequentatione filiorum & fratrum noſtrorum Benedictinenſium de Calabria virtutis tirocinium ſine habitu poſuiſſe*. Quid igitur? num calendis Maii anno primo Gregorii pontificatus, quo diploma datum ejus auctor voluit, Beneventanæ eccleſiæ Milo præerat, quem ſupra oſtendimus hac dignitate anno ſolum MLXXIV. potitum. Nec veriſimile videtur fratres illos *Benedictinenſes* Milonis domum frequentaſſe, quippe eremitæ & ſolitudinis amantes civitatum frequentiam longe averſari debebant. Neque eſt probabilius Stephanum *vitæ religioſæ tirocinium Beneventi ſine habitu poſuiſſe*, quem, etſi moribus admodum compoſitis omnium ad ſe oculos cum Romæ tum apud Milonem facile convertebat, ab ea tamen eremitica vivendi ratione, quam poſtea Mureti inſtituit, procul abfuiſſe fatendum eſt. Verum ad evincendam amplius Gregorii diplomatis τὴν νοθείαν, hoc eſt falſitatem, ibi dicitur Stephanus Romæ annis quatuor egiſſe ſub Alexandro II. cujus archidiaconus erat Gregorius, cum tamen in Urbem non appulerit niſi mortuo Milone, ſub finem anni MLXXV. tribus nimirum vel circiter poſt Alexandri mortem annis. Item diploma datum eſt Romæ præſente Agnete imperatrice, quæ tum Caſini, non Romæ agebat. Poſtremo inſignem falſi notam præfert ſigillum pontificis, quod certe non viderat Mabillonius, aliàs falſitatem ſtatim advertiſſet. Ejus vero notitiam Joharni *Leveque*, Annalium Grandimontenſium concinnatori, debemus, ubi hæc leguntur pag. 30. *Sigillum papæ continet leonem a læva pede dextro oſtendente ſtellam cum hac ſcriptura*: SIGNAT AD ASTRA VIAM. Quod ſane ſigilli genus hactenus ignotum in bullis Romanorum pontificum, quantum iis repugnet quæ hoc de argumento ſcripſit olim Mabillonius lib. 2. de re diplomatica cap. 4. hic exiſtimo non eſſe inveſtigandum. Unum hoc addam, nullum prorſus diploma nec Gregorii VII. nec ſucceſſorum ejus uſque ad Adrianum V I. qui primus Grandimontenſe inſtitutum laudavit & approbavit, nullas bullas, nullave

privilegia pontificia in Grandimontenſi archivio eſſe nec ſaltem recenſeri.

24. Cum hæc ita ſe habeant, indagare juvat cujus religionis inſtitutum Stephanus ſibi impoſuerit, ſanctine Benedicti an S. Auguſtini; hunc enim beatiſſimum virum utriuſque ordinis alumni ſibi vindicare nituntur. Ac Benedictino quidem ordini adſcribendum putant graviſſimi ſcriptores Johannes Trithemius, Antonius Yepeſius, & Benedictus Hæftenus, quibus denique acceſſit noſter Johannes Mabillonius tom. II. Sæc. VI. Ben. qui tamen aliam poſtea ſententiam iniit in Annalibus; ut eſt jam obſervatum. Ex adverſo canonici regulares ſancti ſui Galcheri diſcipulum fuiſſe, atque adeo ſuis annumerandum prædicant. Contra utroſque Johannes Salisberienſis auctor XII. ſæc. & ſancto Stephano pene coævus, *Alii*, inquit, *Baſilium, alii Benedictum*, hi Auguſtinum: *At iſti*, Grandimontenſes, *ſingularem magiſtrum habent Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Et vero haud aliam diſcipulis ſuis regulam S. Stephanus videtur præſcripſiſſe, præter unius evangelicæ perfectionis obſervationem; quos his eximiis & plane aureis verbis alloquitur in regulæ ſuæ prologo: *Quærentibus cujus profeſſionis vel cujus regulæ, cujuſve ordinis vos eſſe dicitis; Chriſtianæ religionis, primæ & principalis regulæ, evangelii ſcilicet, quod omnium regularum fons eſt atque principium, qualeſcumque vos obſervatores confiteri non erubeſcatis.* Et in libro Sententiarum: *Sciatis autem firmiter aliam non eſſe regulam niſi Domini præcepta: à quocumque tenentur, religioſus eſt.* Quod autem monachi ordinis Grandimontis in Benedictinorum numerum referri nequeant, nec fortaſſe vellent, teſtantur atque evidentiſſime probant conſcripti ad eorum uſus libri antiqui divinorum officiorum, in quibus nulla S. Benedicto conſignata dies ſolemnis, ſed ſimplex ejus tranſlationis commemoratio, eaque in ordinario illo quod juſſu & auctoritate Guillelmi Pellicerii abbatis ſæculo XIV. compactum eſt, noviſſime adjecta. Nam quis credat filios certe minime malos nec degeneres, optimi patris adeo oblitos eſſe, ut ne ſemel quidem in anno ejus diem feſtum cum fidelibus celebrarent, quem ſane cum ceteris Benedictini ordinis alumnis præcipuo ritu venerari debuiſſent. Præterea extat S. Stephani regula: eam vero quiſquis forte evolvet, advertat velim an vel ſemel Benedictinæ mentio fiat, an aliquando regulam Benedictinam ut legem omnibus propoſitam & communem indicet. Imo, quod peremtorium eſt àdverſus Trithemium & ceteros ipſi conſentientes argumentum, nec nominatur in ſolemnis votorum nuncupationis formula. Non magis ad canonicos regulares ſpectant Grandimontenſes, cum multa eorum inſtitutis plane oppoſita in regula ſua præcipiat S. Stephanus, inter quæ in mentem venit caput V. *de eccleſiis non habendis.*

25. Cum itaque S. Stephanus nec S. Benedicti inſtitutis ſe addixerit, nec S. Auguſtini, reliquum eſt ut inquiramus, qui tandem fuerint Calabri illi eremitæ, ad quorum normam ordinem ſuum inſtituiſſe fertur. Nam quæ Gerardo auctore didicimus, ea nobis videntur parum certa, quod tamen ita accipi nolim, ut ſcriptor religioſiſſimus ſuſpectæ fidei homo habeatur. Sed ut fateamur quod res eſt, eo in ordine eoque tempore Gerardus ſcribebat, quo in virtutibus potius comparandis operam ſuam collocabant monachi, quam in edendis aut conſcribendis hiſtoriis. Quæ igitur is bona fide retulit, hæc plerumque ex vulgari & minus certa traditione auctor jam a Stephani remotus ætate hauſit & compilavit. Hic itaque in tanta rerum caligine ſola ejus fide nixi, conjecturas adhibebimus, quas ultro ſubjicimus eruditorum virorum judicio.

26. Primùm Gerardo facile annuimus, Stephanum anno ætatis duodecimo Miloni conterraneo ſuo a parentibus traditum fuiſſe ad diſciplinam. Id unum obſervamus, quod quidem omnem ſolvit difficultatem, Milo-

nem tum temporis ſedem Beneventanam nondum adeptum fuiſſe, neque in Italia, ſed Pariſiis, Pariſienſis eccleſiæ decanum egiſſe, ut probat Mabillonius ex charta fundationis cellæ S. Florentii Dolenſis, data *per auctoritatem papæ Gregorii, ut per teſtimonium* MILONIS ARCHIEPISCOPI, QUI PRIUS DECANUS PARISIACENSIS ECCLESIÆ, *ab apoſtolico ordinatus eſt archiepiſcopus Beneventanæ.* Annal. Ben. tom. 5. p. 66. Hocque poſito, valde eſt probabile Stephanum Pariſius non Beneventi, uti exiſtimavit Gerardus, apud Milonem Pariſienſem decanum liberalibus artibus ſacriſque litteris operam feliciter navaſſe; quem deinde Beneventum eo præciſe tempore ſequi potuit, quo a Gregorio eſt creatus archiepiſcopus. Tum nihil vetat quin mortuo Milone Romam progreſſus, ibi apud quemdam e ſacris eccleſiæ ſenatoribus commoratus ſit aliquandiu, cum demum blandientis mundi lethiferâ aurâ exterritus, in patrium ſolum reverti propoſuit. Quæ ſequuntur æque cohærent. Non multo poſt relictis parentibus, ſpretiſque honoribus, & poſſeſſionibus ampliſſimis prorſus abjectis, ad Mureti eremum ſeceſſit; ibique *omni humano carens ſolatio ſolus* anno primo habitavit ſecum, de fundando ordine nihil cogitans. Anno ſecundo adjunctus ei eſt unus ſocius, quem poſtea alter ſecutus eſt. His duobus tantum comitibus diu perſeveravit, vitæ ejus aſperitatem pleriſque admirantibus, nullis imitantibus. Sed cum demum placuit ei qui Stephanum ad multorum ſalutem præelegerat, tot ad eum diſcipuli convolarunt, ut jam de congregatione erigenda cogitarit. Audita vero eremitarum Cartuſienſium fama, qui vitam angelicam, duce Brunone, agebant in vaſta ſolitudine diœceſis Gratianopolitanæ, eò ſtatim contendit, & tam nova tamque inaudita vivendi ratione recreatus, præcipua ejus capita a ſe & ſuis in poſterum diſcipulis obſervanda conſtituit. Ut procul ab hominum conſortio in deſertis locis agerent; Ne ullos reditus, nullave prædia extra certos limites haberent; Quæ injuſte auferrentur ne judicio repeterent, neque omnino litigarent. A carnibus abſtinerent omnes, cum ſani tum infirmi; & cetera hujuſmodi inſtituta, quæ legere licet in regula S. Stephani. Cum autem S. Bruno in Italiam ab Urbano II. accerſitus, in Calabriæ ſolitudinibus pedem fixerit, ejus diſcipulos Gerardus EREMITAS CALABRIÆ appellavit, nec forte ſine fundamento eſt arbitratus ad eorum normam Stephanum ordinem ſuum inſtituiſſe, utpote quos conſulere potuit non in Calabria, ſed in majoris Cartuſiæ eremo, quæ diœceſis eſt Gratianopolitanæ.

27. His præmiſſis jam inquirendum quo præciſe anno ordinem ſuum inſtituerit S. Stephanus. Si brevi chronico Andegavenſi credimus, *Anno* MLXXIV. *ordo Grandimontenſium in Lemovicenſibus invenitur.* Tom. 3. Anecdot. Idem videtur confirmare chronicon Turonenſe his verbis: *Anno Philippi regis* XIV. *in Lemovicenſi territorio quidam vir egregiæ ſanctitatis Stephanus apud Muretum locum, qui nunc Grandimons dicitur, primitus quaſi in eremo converſavit, agenſque ibi cœlibem vitam ferme quinquaginta annis, pluribus ſibi aſſociatis ſub ſanctæ paupertatis propoſito, idus Februarii ſpiritum exhalavit. Ex cujus doctrinæ fonte puriſſimo ſacer ordo Grandimontis incipiens, in plures beatæ paupertatis rivulos emanavit.* Et hæc quidem ſententia ex ea oriri potuit Gregorii VII. bulla, quam modo ſpuriam eſſe oſtendimus. Vincentius Bellovacenſis in Speculo, cardinalis Baronius in Annalibus eccleſiaſticis, auctor hiſtoriæ ordinis Grandimontenſis hic a nobis editus, Johannes *Leveque* Annalium ejuſdem ordinis ſcriptor, hi omnes initia ejus anno MLXXVI. conſignant. Verum cum Stephanus, mortuo Milone archiepiſcopo, Romam profectus dicatur, atque exactis ibi annis quatuor in patriam reverſus, ponas licet annos illos quatuor non fuiſſe integros, non potuit ante annum MLXXIX. in Mureti eremum ſe recipere. Unde Guil-

lelmus de Dandina vitæ Hugonis de Lacerta, præcipui diſcipuli S. Stephani, ſcriptor accuratus, ait cum ſexto & quadrageſimo a ſua converſione anno deceſſiſſe: Verum nec tum quidem de novo in eccleſia ordine inſtituendo cogitaſſe videtur Stephanus, cum primum ſeceſſit in ſolitudinem, in qua primo anno ſolus habitavit, & poſtea cum duobus ſociis eſt diu converſatus. Et certe anno MCXI. quo Hugonem de Lacerta admiſit, paucos diſcipulos coëgerat, ex quibus vix aliqua mediocris congregatio aſſurgere potuit ante annum milleſimum centeſimum, ad quem vel circiter ordinis Grandimontenſis initium revocari poſſe credimus: in quo poſtea multiplicatis fratribus, plures deinceps cellæ paſſim erectæ ſunt. De hoc ordine pauca hæc ſcribit Joannes Iperius in chronico S. Bertini. *Hi fratres per omnia fere Ciſtercienſis ordinis inſtituta ſectantur; hoc tamen addito, quod numquam carnes pro quacumque cauſa comedunt. Habitum gerunt brunum ſive griſeum, tunicam ſcilicet & ſcapulare, deſuperque non cucullam aut froccum, ſed cappam ante ſciſſam, & ſunt quaſi recluſi.* Floruit ſanctitate ſub primis prioribus, donec fratribus converſis facientibus ſciſſuram, pietate ſenſim remiſſa, elanguit & regulæ obſervatio. At utrumque reſtituit ante annos ſexaginta R. P. Carolus *Fremont* Turonicus, omnibus ad primum ordinis inſtitutum ſaluberrima reformatione adductis.

Tom. 3. Anecdot.

VI. De origine Cartuſienſium.

28. Venio ad Cartuſienſes, quorum odor ſanctitatis ſuaviſſimus fidelium mentes ab annis amplius ſexcentis reficit & recreat. Inſtitutorem agnoſcunt S. Brunonem Coloniæ Agrippinæ haud obſcuris parentibus natum, qui Remis liberalibus litterarum ſtudiis operam navans ſic profecit, ut brevi *magnorum ſtudiorum rector*, & canonicus eccleſiæ cathedralis effici meruerit, mox cancellarii dignitate illuſtratus, quo nomine fundationis inſtrumento S. Martini de Gemellis apud Ambianos, anno MLXXIII. ſubſcripſit: *Bruno cancellarius*; itemque poſt tres annos quibuſdam Manaſſis archiepiſcopi litteris pro monaſterio S. Baſoli. At cum ſceleſtam Manaſſis vitam ſæpe argueret, ac palam deteſtaretur, eo demum munere biennio poſt exutus reperitur, ſuffecto ejus in locum Godefrido cancellario. Nec vero inde remiſſior fuit Brunonis zelus. Nam & in concilio Auguſtodunenſi anni MLXXIX. cum Manaſſe & Pontio, & in Lugdunenſi, archiepiſcopi ſui accuſator fuit, graviſſimaque ei flagitia impoſuit. Quas tamen Brunonis accuſationes iſte deſpiciens & pro nihilo ducens, *Ego dico vobis*, aiebat in Apologia ſua, *quia ego & Manaſſes pro omnibus ſociis ſuis concordiam fecimus, exceptis duobus, quorum unus, ſcilicet Bruno, nec noſter clericus eſt, nec noſter natus aut renatus eſt; ſed S. Cuniberti Colonienſis in regno Teutonicorum poſiti, canonicus eſt; cujus ſocietatem non magnopere affectamus, utpote de cujus vita & libertate penitus ignoramus: qui quando apud nos fuit, multis beneficiis a nobis collatis, male & nequiter tractati ſumus, ideoque reſpondere ei nec volo, nec debeo.* Prævaluit nihilominus Brunonis zelus, depoſito tandem Manaſſe. Sed cum ejus depravatos mores ferre amplius non poſſet, ſeceſſit in ſolitudinem.

Guib. lib. 1. de vita ſua cap. 11.

Muſæi Ital. tom. 1.

29. Hanc unam ejus ſeceſſus cauſam affert Guibertus Novigenti abbas, auctor gravis & coævus, ac Remis vicinus, qui hæc de Manaſſe & Brunone habet, lib. 1. de vita ſua cap. 11. *Hujus ergo mores prorſus improbos & ſtupidiſſimos habitus cum omnis honeſtius horreret, Bruno in eccleſiis tunc Galliæ opinatiſſimus, cum aliis quibuſdam in Remenſium clericorum nobilibus, infamis illius odio exceſſit ab urbe.* Scio ab aliis ſcriptum, Brunoni cauſam ſecedendi fuiſſe exitum horribilem cujuſdam canonici, qui exhalato jam ſpiritu exclamavit, ſe divino judicio damnatum; hocque portento ipſum vehementer perculſum ac pene exanimatum, in eremum ſtatim conceſſiſſe. Quam opinionem tenent Cartuſiani ut certam, & apud ſe conſtan-

ter

ter traditam ab annis circiter quingentis. At Guiberti abbatis auctoritati accedit Petrus Venerabilis abbas Cluniacenſis, qui de Cartuſienſium inſtitutis ex profeſſo agens lib. 2. mirac. cap. 28. nihil prorſus ac ne unum quidem verbum de tam terribili hiſtoria retulit, cujus porro ſilentium quantum hac in re ſit ponderis facile eſt advertere.

30. Ubi primum eſt egreſſus e Rhemorum urbe Bruno, quemdam conſulendum cenſuit *magnæ religionis eremitam*, quem olim Mabillonius Stephanum Muretenſem eſt arbitratus; at re maturius diſcuſſa, agnovit in Annalibus, eremitam illum alium non eſſe a S. Roberto abbate Moliſmenſi, qui diu inter eremitas atque eremitarum pater converſatus fuerat, cujuſque fama religionis Rhemos uſque facile penetrare poterat, quod ſic probat: Annal. tom. 5.

"Extat in Moliſmenſis monaſterii tabulario Rainaldi de Barro & Johannis de Laniaco charta, qua *terram apud Siccam-fontanam labore hominum* partim *jam complanatam*, laudante Alberico comite Brenenſi atque Barrenſi, *cujus hoc caſamentum* erat, eccleſiæ Moliſmenſi conferunt. *Cum vero eccleſia loci illius quam ædificaverant Petrus & Lambertus, diſcipuli magiſtri Brunonis, qui cum eo in territorio illo erant, & eremitice vixerant, a domno Roberto Lingonenſi epiſcopo in honore B. ſemper Virginis Mariæ dedicaretur, atriumque benediceretur, prædictus comes & idem Raginaldus & Acelinus cum multis aliis præſentes erant.* Ex quo intelligitur Brunonem apud Siccam-Fontanam, qui locus eſt diœceſis Lingonenſis, in archidiaconatu Barri ſuper Albam, aliquandiu *eremitice* vixiſſe cum prædictis Petro & Lamberto ipſius diſcipulis, & de proximo conſulere potuiſſe Robertum Moliſmenſem abbatem magni tunc nominis, qui eremiticam paſſim vitam agebat."

31. Verum Bruno ſtudioſius humanam gloriam fugiens ac declinans, quam vulgo ſolet appeti, ibi adhuc a Rhemorum civitate, quæ doctrina ejus perſonabat, ſe propius abeſſe arbitratus, conſulente Roberto, Gratianopolim ad S. Hugonem epiſcopum, cum ſex ſociis contendit; qui eos in aſperrimos diœceſis ſuæ montes Cartuſiæ deduxit, locum cedente Seguino abbate Caſæ-Dei. Quo præciſe anno Cartuſiæ eremum incolere cœperint inter auctores non convenit. Ex Monaſtico Anglicano *Cartuſianorum exordium incidit in annum ſalutis* MLXXX. Ex chronico Turonenſi incœpit ordo Cartuſiæ *anno Domini* MLXXXVI. eademque eſt Gaufridi Voſienſis ſententia cap. 2. quam etiam propugnat eruditus vir Jacobus Sirmondus epiſt. ad Severum a Neapoli Cartuſianum, ubi hanc dedita opera quæſtionem diſcutit. At Mabillonius invictis tuetur argumentis ordinis Cartuſienſis traditionem, quæ S. Brunonis in Cartuſiam adventum ad annum MLXXXIV. collocat, idque probat ex "charta S. Hugonis epiſcopi Gratianopolitani, qua vetat ne feminæ tranſeant per terram fratrum Cartuſiæ, qui Deo placere cupientes, mundum & turbas fugiebant, & ne quiſquam intra terminos ipſorum poſſeſſionis piſcationem aut venationem exerceat, & ſua animalia paſcenda deducat. *Datum menſe Julii anno* MLXXXIV. Aliaque profert argumenta, quæ idem evidenter demonſtrant. Suffragatur & ipſe Sigebertus, qui in chronico initium Cartuſienſis ordinis ad eumdem annum reponit. Tom. 2. p. 949.

32. Eam vero vivendi rationem S. Bruno ex eo tempore diſcipulis ſuis propoſuit, quæ cæleſtem magis naturam attingeret, quam fluxam noſtram & inſtabilem. Primo S. Benedicti regulam quatenus anachoretarum ferebat inſtitutum, ab eo præſcriptam fuiſſe contendit Mabillonius, hiſque demonſtrat argumentis. Guigo ſtatuta ſua condidit ad mentem regulæ Benedictinæ, ut patet ex veteri codice Cartuſiæ Portarum, in quo Guigonis ſtatuta hunc præferunt titulum: *Statuta Guigonis Cartuſiæ prioris & aliorum*

patrum juxta regulam S. Benedicti. Et Guigo ipſe in ſtatutorum præfatione ait, nihil aliud eos hactenus obſervaſſe, niſi *quod vel in epiſtolis S. Hieronymi vel in regula S. Benedicti continetur.* Neque aliam a Benedictina formulam ſolemnis votorum nuncupationis admiſit. Ad hæc Eugenius papa III. in privilegio pro Cartuſia Montis-Dei, ſtatuit *ut ordo monaſticus ſecundum B. Benedicti regulam, normam quoque & inſtitutiones fratrum Cartuſienſium, perpetuis ibi temporibus obſerventur.* Viſiturque hactenus in Monte-Dei antiquus regulæ S. Benedicti codex, quem primis illius eremi incolis tradidit Odo abbas S. Remigii eorum fundator. Denique S. Bruno antequam in beatos referretur, S. Benedictum Cartuſienſes patrem ſuum in confeſſione appellabant, retentoque hactenus ad regulæ ejus normam ordine divini officii, ejus diem feſtum ſemper ex omni memoria ſolemni ritu celebrarunt.

33. Secundò præter S. Benedicti regulam, ſuas etiam leges, eaſque ſalubertimas Cartuſienſes a piiſſimo patre accepere, quas cum ſatis accurate referant Guibertus Novigenti & Petrus Cluniacenſis abbates clariſſimi, ipſamet eorum verba hic referre non gravabor. *Habent ſinguli cellulas per gyrum clauſtri proprias*, inquit Guibertus, *in quibus operantur, dormiunt, & veſcuntur.*

Dominica a diſpenſatore eſcas, panem ſcilicet & legumen accipiunt, quod unicum pulmenti genus a quoque eorum apud ſe coquitur. Aquam autem tam hauſtui quam reſiduo uſui ex ductu fontis, qui omnium obambit cellulas, & ſingulorum per certa foramina ædiculis inſluit, habent.

Piſce & caſeo Dominicis & valde feſtis diebus utuntur; piſce dixerim, non quem ſibi ipſi emerint, ſed quem bonorum aliquorum virorum largitione ſuſceperint.

Aurum, argentum ad ornamenta eccleſiæ a nemine accipiunt. Nihil enim ibi, præter calicem, argenteum.

Ad eamdem eccleſiam non horis ſolitis, uti nos, ſed certis conveniunt. Miſſas, niſi fallor, Dominica & ſolemnibus diebus audiunt.

Nuſquam pene loquuntur, nam ſi quid peti neceſſe eſt, ſigno exigitur.

Vinum ſi quando bibunt, adeo corruptum, ut nihil virium, nihil pene ſaporis utentibus afferat, vixque communi ſit unda præſtantius.

Ciliciis veſtiuntur ad nudum, ceterarumque veſtium multa tenuitas.

Sub priore agunt; vices autem abbatis ac proviſoris Gratianopolitanus epiſcopus, vir plurimum religioſus exequitur.

Cum in omnimoda paupertate ſe deprimant, ditiſſimam tamen bibliothecam coaggerant, quo enim minus panis hujus copia materialis exuberant, tanto magis illo qui non perit, ſed in æternum permanet, cibo operoſe inſudant.

Vocatur autem locus ille Cartuſia, in quo terra rei frumentariæ cauſa parum ab eis excolitur: verum velleribus ſuarum, quas plurimas nutriunt, ovium qualeſcumque ſuis uſibus fruges comparare ſoliti ſunt.

Sunt autem infra montem illum habitacula laïcos vicenarium numerum excedentes fideliſſime retinentia, qui ſub eorum agunt diligentia.

Hi igitur tanto cœptæ contemplationis fervore feruntur, ut nulla temporis longitudine a ſua inſtitutione deſiſtant, nec aliqua ardua illius converſationis diuturnitate tepeſcant.

Hæc Guibertus, quibus nonnulla hic addimus ex Petro Venerabili.

Veſtes viliſſimas & ſuper omne religionis propoſitum abjectiſſimas, ipſoque viſu horrendas aſſumſerunt. Quantitate enim breves & anguſtæ, qualitate, ut vix reſpici poſſint, horridæ & ſordidæ, nullum gloriandi vitium ſe poſſe admittere prædicant.

Cupiditatem insuper, qua radix omnium vitiorum dicitur, ita radicitus avulserunt, ut certos terminos juxta locorum suorum fertilitatem aut sterilitatem in circuitu cellarum suarum majores minoresque præfigunt, extra quos, etiam si totus eis offerretur mundus, nec saltem quantum pes humanus occupat, terræ spatium acciperent. Ea etiam de causa animalibus vel pecoribus suis certum, quem transgredi fas non esset, terminum instituunt, bobus scilicet, asinis, ovibus, capreis, hircis. Et ut non esset eis quandoque necessarium vel plus terræ quam dictum est, possessioni suæ addere, aut numerum jumentorum suorum vel pecorum augere, XII. *tantum monachos cum decimo tertio priore & decem octo conversos, paucis cum mercenariis, nullo prorsus superaddito, in sui ordinis monasteriis esse perpetuo decreverunt.*

Præter ista ad edomandum jumentum corporis sui .... continuatis pene acribus jejuniis corpora affligunt, extenuant & exsiccant. Inde est quod pane furfureo semper utuntur, vino adeo adaquato, ut merito magis villum quam vinum dicatur. Ab omni carnium esu tam sani quam ægri in perpetuum abstinent. Pisces numquam emunt, sed forte ex caritate datos accipiunt. Die Dominico & quinta feria tantum caseum vel ova ad vescendum admittunt. Tertia feria & sabbato aut legumine, aut olere cocto utuntur. Omni secunda, quarta & sexta feria pane solo & aqua contenti sunt. Semel in die semper comedunt, exceptis octo diebus Natalis Domini, octo diebus Paschæ, octo diebus Pentecostes, Epiphania Domini, repræsentatione ejus, id est Purificatione S. Mariæ, Annuntiatione Domini, quando paschali tempore provenit, Ascensione Domini, Assumtione & Nativitate jam dictæ sacræ Virginis Matris ejus, & exceptis festis Apostolorum, S. Johannis-Baptistæ, S. Michaëlis, S. Martini, & illo quod in calendis Novembris celebratur festo Omnium-Sanctorum.

Super hæc omnia antiquo more Ægyptiorum monachorum, singulares cellas perpetuo inhabitant, ubi silentio, lectioni, orationi atque operi manuum, maxime in scribendis libris irrequieti insistunt. In eisdem cellis debitum regularium horarum, hoc est primam, tertiam, sextam, nonam, completorium, signo ecclesiæ commoniti Deo persolvunt, ad vesperas & matutinas in ecclesia cuncti conveniunt.

34. Hactenus Guibertus & Petrus Venerabilis, ubi quod ait Guibertus Cartusienses singulos singulas habere cellas proprias per gyrum claustri, non videtur a Brunone institutum. Nam ejus tempore non singuli, sed bini singulas cellas inhabitabant, ut constat ex vita S. Brunonis apud Surium, in cujus cap. 12. hæc lego. *Atque in iis cellulis singulis bini fratres degebant;* Sur. 6. & infra cap. 15. *Bini quippe tunc per singulas cellas inhabitabant.* Idem asse- Octob. rit historiæ Cartusiensis auctor anonymus hic editus. Sed neque tunc *cellas per claustri gyrum* habuisse innuit & suadet S. Brunonis biographus his verbis: *Extructa tum ab illis in editiori montis parte, quæ nunc dicitur ad B. Mariam de Casalibus, ecclesia parva, domicilia seu cellulæ apud fontem, qui usque in præsens fons S. Brunonis appellatur, haud procul ab ecclesia distantes ab invicem, sed inter se tamen aliæ ab aliis separatæ, ne alter alterius quietem & solitudinem interturbaret.*

35. Quod autem dubius & hæsitans ait Guibertus: *Missas, nisi fallor, Dominica & diebus solemnibus audiunt*, disertis verbis adstruit Petrus Blesensis ad Richardum episcopum Londoniensem hæc scribens: *Raro sacrificat Cartusiensis ordo.* Et ad Alexandrum novitium, qui hac specie ordinem deserere prætendebat: *Hoc in ordine Cartusiensi causaris, arguis quod singulis diebus missas non faciunt, atque hujus religionis, aut potius superstitionis obtentu tuum machinaris egressum.* Quibus suffragatur Guigo in statutis cap. 14. *Raro*, inquit, *hic missa canitur, quoniam præcipue studium*

& propoſitum noſtrum eſt, ſilentio & ſolitudini vacare. Quin & hæc apud Cartuſianos conſuetudo etiam quarto & decimo ſæculo vigebat, ut docet Petrus Boherius in apparatu ad conſtitutionem Benedicti XII. ad caput 27. *Unde non quotidie ſacrificat Cartuſienſis ordo. Sicut enim ſolet generari ex aſſiduitate contemtus, ſic attenditur ex ipſa raritate devotio.*

36. Sex tantum annis S. Bruno Cartuſiam incoluit, quibus elapſis, ab Urbano II. ſuo olim diſcipulo, Romam vocatus, in Calabriam, recuſato Rhegienſi epiſcopatu, ſeceſſit, ubi quod reliquum vitæ fuit ſanctiſſime exegit ad annum uſque MCI. quo demum ad ſuperos evolavit. Succeſſorem in eremo ſortitus eſt Lanuinum, qui adeo religioſe ſe gerebat, ut dignus habitus ſit a Paſchali papa II. cui vicinorum monaſteriorum, quæ juris eſſent apoſtolicæ ſedis, cura cum eremi præfectura & adminiſtratione committeretur; cujus commiſſionis litteras edidit Mabillonius. Is vero plurimos eremiticæ vitæ laboribus eſſe impares advertens, ut cœnobium ipſis apud Metaurum a Paſchali II. erigeretur impetravit, in quo ad S. Benedicti inſtitutum, exemplo Camaldulenſium, quorum pars eremitæ, pars cœnobitæ, poſſent informari. En ipſa pontificii diplomatis verba affero. *Ex præſenti auctoritate in eccleſia illa juris eremi, quæ apud Squilliacum ſita eſt, monaſterium conſtitue, ut fratres auſteritatem eremi ferre non valentes, juxta S. Benedicti regulam illic poſſint omnipotenti Deo deſervire: quam nimirum habitationem per præpoſitum & decanum gubernari diſponique præcipimus; ſic tamen, ut eremi præpoſitus ſemper præferatur & major habeatur. Et ſicut idem monaſterium eremi diſpoſitioni ſubjacet, ita ejuſdem loci præpoſitus & decanus ſubjiciantur magiſtro eremi.*

Annal. Bened. tom. 5. pag. 456.

Ibidem.

37. Tum vero cum ſanctitate florerent Cartuſienſes, paucis ſe locis continebant, nec ſtatim ubique propagati, ut plerique ordines religioſi, ſocietatem inter ſe inire, nec capitula, ut vocant, generalia celebrare cœperunt. Quando majorem Cartuſiam S. Bruno erexit, ſeſe & ſuos curæ ejus loci epiſcopi, *viri*, inquit Guibertus, *plurimum religioſi, qui tum apud eos vices abbatis & proviſoris exequebatur*, commiſit. Eadem quoque diſciplina in quinque aliis Portarum, Excubiarum, Durbonis, Majorevi & Alveriæ Cartuſiis obtinebat & perſeveravit ad annum uſque MCXL. quo majorem Cartuſiam feliciter regente S. Anthelmo, prædictarum domorum priores ſeſe ejus & capituli generalis auctoritati ſubjecere, faventibus omnibus ad quos ſpectabant epiſcopis, eoſque a debita obedientia lubentiſſime eximentibus ac transferentibus ad majoris Cartuſiæ priorem. Quod quidem nemini hactenus notum qui indagare voluerit, is acta primi capituli generalis ordinis Cartuſienſis tomo IV. noſtrorum Anecdotorum adeat, ibique inſtrumenta ipſa authentica quibus hæc ſancita ſunt, luſtrare ne gravetur. Sed hæc hactenus de ſanctiſſimo ordine Cartuſienſi.

VII. De origine Congregationis Aroaſienſis.

38. Jam aliqua facta eſt mentio ordinis canonicorum regularium S. Auguſtini. Novum ejus ordinis examen anno circiter milleſimo & nonageſimo erupit e percelebri apud Arteſios monaſterio Aroaſiæ, a quo & nomen accepit, cujuſque tenuis origo, ut modica ſunt magnarum etiam rerum principia, tribus omnino eremitis attribui vulgo ſolet, Hildemaro & Cononi presbyteris, ac Rogerio laico. Horum Hildemarus Tornacenſis genere, & Cono Teutonicus, uterque ſanctitate inſignis, apud Guillelmum regem Anglorum & Mathildam reginam tum ſacrorum miniſterio perfungi dicebantur, cum cœleſtis patriæ deſiderio incenſi, fratri Rogerio, eremiticam vitam in Aroaſiæ ſolitudine agenti, trajecto mari, adhæſere. Eſt autem Aroaſia locus in diœceſi Atrebatenſi, altero a Bapalma oppido lapide ſitus, dictus etiam Aridagamantia; quem locum ſpeluncam latronum prius fuiſſe aſſerunt, atque ab eorum principe dictum etiam Truncum Berengarii. Ibi igi-

tur

tur pauperes illi eremitæ ædiculam in loco horroris & vaſtæ ſolitudinis ædificant in honorem S. Nicolai, cujus cultum per univerſas orbis Chriſtiani partes invexerat reliquiarum ejus Barium tranſlatio recens; clauſoque ejus ædiculæ tecto, & parietibus contextis myricis & foliis ſeu ramuſculis, ſacrificium laudis Deo immolabant in odorem ſuavitatis, & reddebant Altiſſimo vota ſua, cum Hildemarus a falſo fratre eſt interemtus, Rogerio laico graviter vulnerato. Tum vero Cono, qui paucos quidem ſocios, ſed religioſiſſimos eoſdem coëgerat, monaſterium ſuſcepit regendum, everſaque lignea ædicula, lapideam ejus loco conſtruxit, quam Godefridus Ambianenſis & Johannes Tervanenſis epiſcopi, rogante Lamberto Atrebatenſi præſule, ſolemni ritu conſecrarunt anno MCVI. nono cal. Octobris. Non multo poſt Cono a Paſchali II. creatus eſt S. R. E. cardinalis & apoſtolicæ ſedis legatus; cujus dignitati ſplendor magnum novo monaſterio incrementum dedit, ut congregatis undique fratribus, ac paſſim effuſis in varias ſolitudines, nova ſtatim eaque florentiſſima canonicorum regularium congregatio aſſurrexerit, quæ octo ſaltem & viginti cœnobiis conſtabat, a Belgicis auctoribus recenſitis; ſed illi Formezellam & Calviniacum omiſerunt, quibus etiam adjungenda videtur inſignis eccleſia Dublinienſis in Hibernia, quæ Aroaſienſium uſus & conſuetudines ſtudio & labore S. Laurentii ejus urbis epiſcopi ſuſcepit, ut legitur in ejus vita apud Surium 14. Novembris. At longe plura Aroaſiæ aſcetæ monaſteria erexere, quæ tamen neſcio quam ob cauſam ſtatim ad Ciſtercienſes tranſlata, reperimus in variis hujus ordinis tabulariis quæ perſcrutari licuit. Aroaſienſes magnifice prædicat Jacobus a Vitriaco Hiſtoriæ Occidentalis cap. 23. *Sunt & alii regulares canonici*, inquit, *qui de Aroaſia nuncupantur, eo quod prima hujus inſtitutionis abbatia, quæ caput eſt aliarum, ſic vocetur, in diœceſi Atrebatenſi ſita. Hi ſiquidem fundamentum regulæ B. Auguſtini retinentes, ut carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis arctius crucifigerent, carnes a refectorio ſuo ſubtraxerunt. Camiſiis inſuper non utuntur, ſed cum tunicis laneis nocte in dormitorio ſuo quieſcunt. Quaſdam etiam alias inſtitutiones neceſſarias & honeſtas ſupra prædictum fundamentum prudenter ædificantes, contra imminentia pericula ſibi præcaventes, addiderunt. Et quoniam nihil magis virtutem religionis conſervat, ubi plures ſunt congregationes & conventus, quam reſpectus ad unum ſuperiorem, qui diverſa ſub ſe membra regit & continet, quaſi ſummum & ſupremum caput, ſemel in anno ſub primo & principali abbate capitulum generale celebraturi conveniunt, ut omnes unanimiter abbates, ſecundum quod religioni viderint expedire, corrigant corrigenda, reſecent ſuperflua, inſtituant & addant quæ fuerint ſuperaddenda, vel ſecundum temporum aut rerum mutationem, quæ fuerint commutanda commutent, & novis ſupervenientibus ita vetera rejiciantur, quod vetuſtiſſima veterum, prima ſcilicet antiquorum patrum inſtituta firmiter & invariabiliter obſerventur. Principalis ſiquidem abbas filias ſuas, inferiores ſcilicet abbatias, per ſe vel per viros idoneos ſtudioſe viſitando, quantum religioni ſubminiſtret fulcimentum, ne per negligentiam defluat, vel per diſſolutionem ſtatus religionis enervatus corruat, ex his liquet conventibus & congregationibus, quæ ex uno tantum abbate pendentes, & uni ſoli ſuperiori intendentes, cum corruente plerumque corruunt, cum non habeant unde aliàs fulciantur.*

39. Quo fere tempore exorti ſunt apud Arteſios Aroaſiæ canonici, illucere cœpit apud Burgundos toto orbe celeberrimus ordo Ciſtercienſis, auctore Roberto abbate, qui jam ante aliquot annos monaſterium in loco deſerto, cui nomen Moliſmus, ſub S. Benedicti regula condiderat, ſed cum quodam temperamento, uti in locis etiam bene moratis ferebat illa ætas; VIII. De origine ordinis Ciſtercienſis.

congregatoque ibi numeroſo monachorum grege, quorum alii aliis, ut vulgo fit, diſciplinæ ſtudio ferventiores, ſanctam regulam ad amuſſim obſervare peroptabant, ſedulò attendebat, qua ratione cœnobiticæ vitæ ſummam unà aſſequi poſſent.

40. Piis ejus conſiliis favebant præ ceteris viri ſanctitate præcipui Albericus prior, Stephanus Hardingus; quibus tamen major pars fratrum non modo non annuebant, ſed adverſus eos impotenter commoti, venerabilem patrem Albericum tantum non diſcerpſerunt. Nam uti legimus in Parvo ordinis Exordio, *pro hoc negotio multa opprobria, carcerem & verbera perpeſſus eſt.* Neque his difficultatibus deterritus fuit Robertus, ſed contra ſemper obnitens, mentem ſuam fratribus in capitulo congregatis aperire non dubitavit. Aſſenſere ultro Albericus, Stephanus & ceteri, quos eodem pietatis æſtu efferbuiſſe diximus. E contrario alii monaſterii ſui conſuetudines, multorum ſanctorum ſtatutis approbatas, quaſque *Cluniacenſes, Turonenſes, aliique regulares viri* tenuerant, numquam ſe dimiſſuros declarant, ut fuſiùs exponit Ordericus Vitalis. Hinc illi majori ferri deſiderio vitæ auſterioris, inſtar ignis, qui quo anguſtius continetur, eò nititur violentius ut foras erumpat; & fratrum ſuorum conatus eludere ſatagentes, epiſcopali auctoritati, quam illi ſollicitare poterant, Hugonem Lugdunenſem archiepiſcopum & apoſtolicæ ſedis legatum opponere conſtituunt. Quo conſilio Robertus Moliſmo cum ſex ſociis Alberico, Odone, Johanne, Stephano, Letaldo & Petro profectus, Lugdunum contendit, expoſitoque ſuo & ſuorum propoſito, petit a legato, oratque, ut locum obſervandæ ad amuſſim ſanctæ regulæ aptum ſibi quærere liceat. Aſſenſit legatus piis ſanctorum votis, datis litteris, quibus munitus Robertus Moliſmum revertitur. Nec mora conſilium ſuum fratribus ibi remanſuris approbare conatus, oſtenſo legati apoſtolici diplomate, abdicatoque abbatis munere, poteſtatem fecit alterius eligendi abbatis.

Orderic. Vital. lib. 7. hiſt. pag. 711.

41. Itaque unus & viginti Moliſmo egreſſi, ad prælectum locum pergunt, Ciſtercium antiquitus vocatum, locum fere inacceſſum & in vaſtiſſimo receſſu, longe ab hominum conſortio remotum, ad Raynaldum vicecomitem Belnenſem pertinentem, "qui novorum hoſpitum pietate commotus, domno Roberto ejuſque fratribus, qui cum eo regulam S. Benedicti arctius & perfectius obſervare cupiebant, annuente uxore ſua Hodierna, filiiſque, contulit de prædio ſuo, quod antiquitus Ciſtercium vocabatur, quantumcumque ipſis & eorum ſucceſſoribus famulis Dei conducebat, ad monaſterium ejuſque officinas conſtruendas, ad arandum & ad omnem uſum neceſſarium." Hoc in loco conſiſtentes ſervi Dei, extemporaneas ex virgultis caſas conſtruxere cum oratorio beatiſſimæ Virgini ſacro, cujus exemplo ceteræ deinceps ejuſdem ordinis ædes ſacræ ſeu oratoria in ipſius Deiparæ honorem Deo ſunt conſecrata.

42. Hæc acta ſunt anno MXCVIII. die XII. cal. Aprilis, ſolemni Natalis ſancti Benedicti memoria, quæ tunc in Dominicam Palmarum incidebat. Eodem tempore S. Robertus virgam paſtoralem juſſu legati apoſtolici cum monaſterii adminiſtratione ſuſcepit ab epiſcopo Cabilonenſi, cui continuo fratres obedientiam juravere, Alberico creato priore, Stephano ſubpriore. Tunc Burgundiæ dux Odo ſervorum Dei religione recreatus, ac legati excitatus litteris, reliquam Ciſtercienſis territorii partem, quam ſibi retinuerat Rainaldus vicecomes Belnenſis, facta aliqua compenſatione, ipſis conceſſit, conſummatoque ſuis ſumtibus ligneo quod cœperant monaſterio, rebus illos neceſſariis, agris, paſcuis, pecoribus & ceteris omnibus donavit, ideoque merito a poſteris habitus Ciſtercii fundator.

43. Roberti abſentiam Moliſmenſes ægrè ferentes, impetratis ab Urbano II.

litteris, eum ad ſe reverti coëgere. Extant hactenus litteræ illæ ad Hugonem archiepiſcopum Lugdunenſem, qui congregato apud Portum-Anſillæ epiſcoporum & abbatum conventu, Moliſmenſium querelas cum mandato pontificio expoſuit. Eo in conventu aderant Norgaudus Æduenſis, Galterius Cabilonenſis, Berardus ſeu Bertrandus Matiſconenſis, Pontius Beliſmenſis epiſcopi. Abbates vero Petrus Trenorchienſis, Jarento Divionenſis S. Benigni, Gaucerannus Atanacenſis cum Petro papæ camerario & multis aliis, qui omnes Robertum ad Moliſmenſes remittendum eſſe decreverunt, ſtatuentes ut reddita epiſcopo Cabilonenſi virga paſtorali, abſolutiſque a promiſſa ſibi obedientia fratribus Novi-monaſterii, prioris curam & adminiſtrationem, annuente & petente Godefrido abbate ejus ſucceſſore, reſumeret ab epiſcopo Lingonenſi.

44. Paruit epiſcoporum decreto religioſiſſimus abbas, reverſuſque Moliſmum cum duobus fratribus, qui eremiticæ vitæ aſperitates ferre vix poterant, ſummâ omnium gratulatione exceptus eſt, & Gaufrido loco cedente, Moliſmenſium curam denuo reſumſit, & uſque ad mortem retinuit. Capellam ſuam & multa alia, quæ Moliſmo diſcedens Ciſtercium attulerat, reliquiſſe fertur, præter breviarium, quod tamen tranſcribi permiſerunt Moliſmenſes. Viſitur hactenus in Ciſtercienſi cimelio pſalterium eò a S. Roberto allatum, cui inſcripta eſt hæc epigraphe: *Beatus pater Robertus, Spiritu-ſancto inſpirante, exiens de monaſterio Moliſmi, quod ipſemet fundaverat, & tamquam apis argumentoſa Domino cum ſancta confratrum ſuorum comitivâ veniens ad locum cœlitus ſibi oſtenſum, in quo erat ſacrum Ciſtercienſe monaſterium, caput tam excellentiſſimi & devotiſſimi ordinis fundaturus, inter alia attulit præſens pſalterium, quod per compoſitionem poſtmodum auctoritate apoſtolica inter Ciſtercienſes & Moliſmenſes factam, remanſit apud Ciſtercium, ſuper quo totius religionis pſalteria tranſſumi, & in littera, & accentu, ac punctuatione debent: ſed ordo non acceptavit præcedens calendarium, nec ſequentem letaniam.* Plures ſancti Belgii hoc calendario continentur, uti & letaniâ, unde pſalterium conjicimus ad monaſterii alicujus Belgici uſum conſcriptum eſſe. In fine cujuſque pſalmi una collecta habetur, ad calcem vero pſalterii cantica divinis in officiis ab eccleſia uſurpata, plures eximiæ preces cum oratione Dominica & Symbolo Apoſtolorum, ſed ſine Salutatione angelica.

45. Orbatus optimo paſtore puſillus grex Ciſtercienſis, Albericum, qui & Moliſmi & novo in monaſterio prioris officio ſtrenue perfunctus fuerat, abbatem ſibi elegit, virum divinis humaniſque litteris apprime inſtructum & regulæ ſtudioſiſſimum, qui Stephanum priorem inſtituit, futurum poſt novem annos ejus ſucceſſorem. Dehinc ſuæ ſponſionis non immemores, S. Benedicti regulam ad amuſſim eo in loco obſervare ſtatuerunt, unanimiter *rejicientes a ſe quidquid ei refragabatur, frocos videlicet & pellicias ſtamineas & caputia, ſtramina lectorum, & diverſa ciborum in refectorio fercula, ſagimen etiam & cetera quæ puritati regulæ adverſabantur.* Exord. Ciſterc. cap. 15.

Et quia nec in regula, nec in vita S. Benedicti legerant, eumdem ſanctum poſſediſſe eccleſias vel altaria ſeu oblationes & ſepulturas, vel decimas aliorum hominum, ſeu furnos & molendina, aut villas & ruſticos; nec etiam feminas monaſterium intraſſe, nec mortuos ibidem; excepta ſorore ſua ſepeliſſe, ideo hæc omnia abdicarunt.

Quia etiam S. Benedictum non in civitatibus, non in caſtellis aut villis; ſed in locis a frequentia hominum remotis cœnobia conſtruxiſſe legebant, idem ſe æmulari promittebant.

Tunc temporis etiam *interdixerunt, ne dux illius terræ ſeu aliquis alius princeps curiam ſuam aliquo tempore in eccleſia illa tenerent, ſicut antea in ſolemnitatibus agere ſolebant.*

Deinde ne quid in domo Dei, in qua die ac nocte Deo ſervire devote cupiebant, remaneret quod ſuperbiam aut ſuperfluitatem redoleret, aut paupertatem virtutum cuſtodem, quam elegerant, aliquando corrumperet, confirmaverunt etiam ne retinerent cruces aureas, aut argenteas, ſed tantummodo ligneas coloribus depictas; neque candelabra, niſi unum ferreum; nec thuribula, niſi cuprea vel ferrea; neque caſulas niſi de ſuſtanea vel lino, ſine pallio, auroque & argento; neque albas vel amictus niſi de lino ſimiliter, ſine pallio, auro, vel argento.

Pallia vero atque dalmaticas, cappas tunicaſque ex toto dimiſerunt. Sed & calices argenteos non aureos, ſi fieri poterit deauratos, ſtolas quoque ac manipulos de pallio tantum, ſine auro & argento retinuerunt. Pallia autem altarium ut de lino fierent, & ſine pictura plane præcipiebant, & ut ampullæ vinariæ ſine auro & argento fierent.

46. Quibus ſalubertimis inſtitutis imbuti novi athletæ, dici vix poteſt quam ſuavem ubique odorem ſpargerent. Cum vero nihil non horridum offerret cum loci inacceſſi ſitus & natura, tum vitæ aſperitas, quæ vires humanas excedere videbatur, tantam ore lætitiam præferebant, ut cœleſti jam beatitudine perfuſos dixiſſes. Nec tamen his ſuavitatibus allecti homines, tam ſanctis legibus obligari, aut ſervorum Dei inhærere veſtigiis audebant, ſed diſtrictiori diſciplina deterriti, ſtupentes recedebant; jamque puſillus grex Ciſtercienſis cum Stephano abbate omnem fere ſpem poſteritatis deſponderat, ſuaque eis paucitas cœperat eſſe tædio, cum incunte anno MCXIII. Bernardus cum ſociis triginta, quos Chriſto lucratus fuerat, ſervis Dei ut aggregaretur petiit. Revixit Stephanus, & quaſi ex gravi ſomno excitatus, Deo gratias egit, qui novellam vineam hujuſmodi operariis dignaretur, quorum miniſterio palmites ſuos extenderet a mari uſque ad mare. Tuncque erecta paſſim Ciſtercienſis inſtituti monaſteria. Eodem anno in diœceſi Cabilonenſi fundata eſt menſe Maio abbatia B. Mariæ de Firmitate, prima filia Ciſtercii. Anno ſequenti in diœceſi Autiſſiodorenſi Pontiniacenſis monaſterii fundamenta jecit Hugo, quondam comes Matiſconenſis, tum vero humilis monachus, Bernardi opera a ſæculi ſervitute abreptus, quem Stephanus deſignavit abbatem. Tertium erexit anno 1115. S. Bernardus in Valle-abſinthii, quæ ex eo tempore merito eſt appellata Clara-vallis, ex qua tot prodiere lumina ſplendidiſſima, quorum radiis non ordo ſolum monaſticus, ſed tota quam late patet eccleſia eſt illuſtrata. Eodem quoque anno Morimundi abbatia in diœceſi Lingonenſi ortum habuit, & quatuor abbates horum ex monaſteriorum PATRES ORDINIS vulgo appellati, quorum eſt viſitare Ciſtercium totius ordinis caput. Nec ſteti hic S. Stephani ardor, cum duodecim ſaltem monaſteria infra octo annos erexiſſe reperiatur.

47. Hactenus Ciſtercienſes ſub Cabilonenſis & aliorum pariter epiſcoporum, in quorum provincia erant conſtituti, juriſdictione agebant, cum omnes monaſteriorum ſuorum abbates Stephanus convocavit Ciſtercium anno MCXVI. ut eorum conſilio & aſſenſu, annuentibus epiſcopis ſuis, uniformis ubique vivendi ratio & mutua conſenſio inſtitueretur. Tunc conſcripta eſt eximia illa CHARTA CARITATIS, a ſummo pontifice Calixto confirmata, quæ brevis quidem verbis, ſed magno judicio & prudentia confecta, celeberrimo ordini regiminis formam tradidit, atque hæc eſt Ciſtercii capitulorum generalium origo. Adeo vero ex eo tempore propagatus eſt ubique terrarum ordo Ciſtercienſis, ut erectis infra annos circiter quinquaginta monaſteriis ſeu abbatiis amplius quingentis, cautum ſit anno 1152. ne ulla deinceps abbatia admitteretur. Quod quidem ſtatutum non valuit.

48. Duobus poſt jacta Ciſtercienſis ordinis fundamenta annis, novus in

diœceſi

diœceſi Pictavenſi ordo Fontis-Ebraldi conſurgit; cujus auctor Robertus de Arbriſello, *ex pago Rhedonenſi oriundus, villæ quæ vulgo Arbricellum nuncupatur indigena & colonus*, patrem habuit Damatiochum, matrem Orguendim. Ab ipſa pueritia maturis moribus inoleſcere cœpit, ac litterarum ſtudiis applicatus, varias peragravit provincias, Franciam adiit & Lutetiam ad aſſequendos ſcientiarum theſauros idoneam penetravit. Ibi dum ſacris ſtudiis operam navaret, deſtituta paſtore urbs Rhedones, Silveſtrum, quem & morum integritas & ſua commendabat nobilitas, epiſcopum elegit. Is licet non multum litteratus, litteratos tamen, *quod hominum genus Britannia tum habebat rariſſimum*, valde complectebatur, ac Robertum accerſens, his verbis ipſum eſt affatus: *Vides, frater cariſſime, quomodo ſancta Rhedonenſis ecclesia mater tua, ſine regimine vacillat, hoc præſertim tempore, cum me pene laïcum ei contigerit præeſſe. Eſto igitur, quæſo, in reſponſis eccleſiaſticis noſter interpres. Audiam te, & loqueris in me. Poteris procul dubio Dei populo præeſſe, ſi zelum Dei habens, volueris nobiſcum militare.* Annuit Robertus, & quadriennio apud epiſcopum archipresbyteri officio fungens, operam indefeſſam cum eccleſiis ab infami laïcorum ſervitute liberandis, tum inceſtis ſacerdotum laïcorumque illicitis copulationibus, ſimoniæ denique aliiſque extinguendis vitiis, ac paci inter diſcordes conciliandæ impendit.

IX. De origine Fontis-Ebraldi.

Baldricus Dolenſis in ejus vita.

Ibidem.

49. Silveſtro e vivis erepto, Robertus Andegavum venit, ibique ſcholaribus ſtudiis incumbens, ſubtus ad cutem indutus loricam ferream, quam biennio portavit, mollioribus & pretioſioribus veſtibus exterius adhibitis, carnis macerationem oculis ac favori hominum occultabat. Vili etiam ac modico cibo veſcebatur, ſæpe etiam vigiliis vacans. Verum cum ipſi arduum videretur in turba ſaluti ſuæ conſulere, in vaſtiſſimam tunc temporis ſilvam Credonenſem cum altero presbytero ſe contulit, ubi rigidiſſimum vitæ genus exorſus eſt. Nam præter cilicium ex porcorum pilis confectum, quo induebatur, lectum præter humum non noverat, cibis plane agreſtibus utebatur, vino & ſagimine abſtinens. Hinc multi ad eum confluere cœperunt, quibus ille ſalutaria monita dabat, ac demum ſibi adhærentes ad regulæ S. Auguſtini præſcriptum informavit, extructa in ſaltu Credonenſi, eoque in loco quem ipſi Reginardus Roberti Burgundi filius attribuerat, baſilica B. Mariæ de Rota; novique monaſterii abbas uſque præfuit & profuit, dum, fama ejus crebreſcente, Andegavum ab Urbano papa II. qui in Galliis agebat, accerſitus, & privatis ejus colloquiis ſæpe admiſſus, conciones ad populum tam vehementes coram pontifice, jubenteque ipſo habuit, tam pias & concitandis animis tam aptas & congruentes, ut ab ipſius ore pendens ipſe pontifex, *ſecundum a ſe eum ſtatuerit ſeminiverbium. Imperat atque injungit ei prædicationis officium, & aliquantulum renitenti ei talis obedientiæ commendat miniſterium.*

50. Hoc modo a ſuis, *nec ſine communibus lacrymis* avulſus, regiones & provincias perambulare cœpit, per plateas & compita verbum Dei paſſim diſſeminans; quæque prædicaret vitæ magis integritate & religioſis actibus inſtillans atque infundens quam verborum inani ſono; & cum magni ad eum populorum concurſus undique fierent, ipſique ut patri plerique adhærerent, nec enim quemquam, cui forte Deus aſpiraſſet, repellere audebat, tanta frequentia promiſcui ſexus brevi eſt ſtipatus, ut quandoque ad duo triave millia numerati ferantur. Quibus omnibus monaſteria ſeparata vir Dei erigebat; quorum princeps & caput Fons-Ebraldi, nomen ordini dedit. Si auctori vitæ Geraldi de Salis credimus; *Robertus inſtituit Tuitionem eſſe matrem & caput ordinis, Fontem-Ebraldi verò filiam Tuitionis; quod obſervatum eſt*, inquit, *per aliquantum temporis, donec propter aqua pe-*

nuriam Tuitionenſes compulſæ ſunt mutare domicilium, & intrare Fontis-Ebraldi monaſterium. Ex tunc irritatum eſt quod ſtatuerat pater, & mater filia, filia verò mater facta eſt.

51. Eſt autem Fons-Ebraldi locus in confinio Turonum & Andegavorum diœceſis Pictavenſis, haud procul a Condatenſi oppido, S. Martini obitu percelebri; quem locum opinor a Roberto ideo prælectum, quod eſſet incultus, quod ſquallidus, ſpinetis obſitus, & ab hominum conſuetudine remotior. *Fecerunt autem ibi pro tempore quædam tuguriola, quæ eos dumtaxat tuerentur ab intempeſtiva aëris ingruentia. Oratorium etiam ibi quodlibet conſtruxerunt, in quo Deus invocaretur.* Mulieres, ut diximus, a viris ſegregatas, & intra murum ampliſſimum concluſas, orationi deputavit; viros vero mancipavit laboribus. *Laïci & clerici mixtim ambulabant, excepto quod clerici pſallebant, miſſaſque celebrabant, laïci laborem ſpontanei ſubibant. Prælatum ſuum* MAGISTRUM *tantummodo vocabant; nam neque dominus, neque abbas appellari volebat.* Multo tempore jumento non eſt uſus; ſed nudis ſemper pedibus, ac rudiore tunica, & ſacco aſperiore indutus incedebat. Non vinum, non cibos, aut ulla arte conditos, aut exquiſitos guſtavit, vel etiam ſibi apponi paſſus eſt. Hacque vivendi ratione cum de Deo deque fluxa rerum imagine ſermones haberet, omnes ad Dei amorem & ſæculi contemtum, vel paucis atque etiam inconditis verbis ſic concitabat, ut nemo tam ſceleſtus tamque obduratus accederet, quin ſtatim flecteretur. *Confluebant ad eum*, inquit vitæ ejus ſcriptor, *homines cujuſlibet conditionis. Conveniebant mulieres, pauperes & nobiles, viduæ & virgines, ſenes & adoleſcentes, meretrices & maſculorum aſpernatrices.* Itaque crefcente in dies numero, cum jam *præparata tuguriola* capere omnes non poſſent, data eſt opera parietibus oratorii cum dilatandis, tum erigendis, clauſtraque clauſtris adjuncta; *nec tamen tria aut quatuor tantis mulierum collegiis ſuffecerunt.* In majori clauſtro pluſquam trecentas congregavit. Aliis verò monaſteriis vel centenas aſſignavit vel ſexagenas, pluribus aut paucioribus alibi pro capacitate locorum admiſſis. Idemque de hominibus ſtatuit, quibus ſic manipulatim diſtributis, omnes demum cum viros tum mulieres PAUPERES CHRISTI, neque alio nomine vocari voluit. Operis verò cum ipſe nec inſtare vellet nec poſſet, Herſindem de Campania, magnæ religionis feminam magnique conſilii, quæ mortuo viro ſuo Guillelmo de Monte-Sorelli tacta divinitus, ipſum ante alias conſectata fuerat, operibus præfecit, adjuncta ipſi Petronilla procurationis manſionariæ non ignara.

52. His ita diſpoſitis, omnes ſine diſcrimine, divites & pauperes, ſenes & juvenes, qui ad Dei cultum, vel certe ad meliorem vitam traducendam accederent, facile admittebat, neminem ducens a domo Dei eſſe abigendum. Nec debiles reſpuebat aut quolibet morbo affectos, non leproſos ipſos, quibus ſuas habitationes ſuaque clauſtra S. Lazaro dicata comparaverat. Suas etiam meretricibus ædes inſtrui præcepit ab aliis ſeparatas ſub patrocinio S. Magdalenæ. Hodieque apud Fontem-Ebraldi præter monaſterium majus, in quo reſidere ſolent centum & quinquaginta virgines, cernuntur alia duo S. Lazari & S. Magdalenæ monaſteria, in quibus ſingulis decem virgines anno elapſo revocandæ agunt; quæ tamen omnes ad ſolemnem miſſam in majori baſilica celebrandam quotidie convenire tenentur.

53. Cum autem extremum vitæ diem imminere ſentiret, convocatis diſcipulis ſuis Fontis-Ebraldi, *Ecce filii mei cariſſimi*, inquit, *viam univerſæ carnis aggredior, quapropter deliberate vobiſcum, dum adhuc vivo, utrum permanere velitis in veſtro propoſito, ut ſcilicet pro animarum veſtrarum ſalute obediatis ancillarum Dei præcepto. Scitis enim quacumque, Deo cooperante, alicubi ædificavi, earum potentatui atque dominatui ſubdidi. Si verò*

cum illis remanere, ſiout cœpiſtis, non vultis, do vobis licentiam, cum meo tamen conſilio, alterius religionis. Quo audito, omnes pene unanimi voce dixerunt: *Abſit hoc a nobis, cariſſime pater, ut eas umquam derelinquamus... Deinde ſtabilitatem atque perſeverantiam eccleſiæ Fontis-Ebraldi coram Deo & ſanctis ejus unanimiter promiſerunt.*

54. Poſtea de inſtituenda abbatiſſa conſilium a fratribus inquiſivit, utrum *ex virginibus clauſtrenſibus*, quæ nullius vel modicæ eſſent experientiæ; an potius ex converſis laicis eligenda foret. Cumque omnes ipſi ultro annuiſſent præferendam eſſe laïcam, electa eſt Petronilla de Camiliaco, uxor quondam domini de Camiliaco, quæ relictis rebus paternis ipſi ab initio adhærebat, confirmataque electione cum a Gerardo epiſcopo Engoliſmenſi & ſedis apoſtolicæ legato, tum ab ipſo ſummo pontifice Paſchali II. conſtituit *ut nulla umquam ex clauſtrenſibus* abbatiſſa Fontebraldenſi monaſterio præficeretur. Summum utriſque cum viris tum mulieribus ſilentium indixit, vanam reputans religionem illam quæ linguam compeſcere non valeret. Præceptâ omnibus abſtinentia a carnibus. Viliores veſtes ut pauperibus, omnibus pariter diſtribui voluit, quippe *illa veſtimenta* aiebat *omnibus religioſis poſſe ſufficere, quæ frigus poſſint expellere, non quæ corpus quandoque morituram poſſint ornare.* Hinc tum apud Fontebraldenſes & multo poſt tempore ſolemne erat hoc S. Benedicti effatum, *De colore aut groſſitudine non cauſentur monachi.*

X. De ordine Tironienſi.

55. Inter præcipuos Roberti de Arbriſello diſcipulos quatuor præſertim recenſentur, quatuor ordinum religioſorum inſtitutores, Bernardus de Pontivo, Vitalis de Moritonio, Radulfus de Fuſteia, & Geraldus de Salis, de quibus nunc dicendum. Bernardus in Pontivo Abbatis-villæ territorio, honeſtis & religioſis parentibus ortus, cum vigeſimum ætatis annum attigiſſet, divino afflatus Spiritu, patriam deſeruit, ac ſanctioris vitæ deſiderio Aquitaniam ingreſſus, Pictavim uſque penetravit. Florebat tum prope urbis muros S. Cypriani monaſterium, cui præerat Rainaldus S. Roberti Caſæ-Dei olim diſcipulus, vir litteris apprime eruditus, non modo in Aquitania, ſed & in curia Romana celebris. Sub eo complures monachi cum genere tum vitæ integritate conſpicui, ibidem religioſe vivebant. Quorum contubernio Bernardus ſe adjungere non dubitavit, eorumque exemplis per annos decem informatus, vitæ regularis obſervatione & ceteris monaſticis virtutibus, quibus omnes facile ſuperabat, dignus tandem eſt habitus: qui Gervaſii S. Savini abbatis adjutor renuntiaretur: quo quidem munere tam ſapienter cum in ſpiritualibus tum in temporalibus perfunctus eſt, ut jam de ipſo inſtituendo abbate monachi inter ſe deliberarent.

56. Hoc ſtatim intellecto, Bernardus clam e monaſterio in eremum ſe recepit, ibique a Roberto de Arbriſello, Vitali de Moritonio, & Roberto de Fuſteia, plaudentibus novo ſocio, & cellas ſuas ei certatim offerentibus, lubenter exceptus, tribus annis religioſiſſime egit, donec a monachis S. Savini, qui miſſis paſſim exploratoribus, eum ubique per ſilvarum latibula montiumque receſſus diligentiſſime perquirebant, detectus eſt. His enim litteras a Pictavenſi epiſcopo & abbate S. Cypriani utriuſque ſigillo munitas inſtantiſſime petentibus, quibus videlicet Bernardus ab hac ſolitudine abſtractus abbas ſibi præfici poſſet, ad marinas inſulas fugere coactus eſt, quæſitiſque in procelloſo mari latebris, quas in vaſtiſſimis ſilvis reperire non potuerat, in Cauſeo inſula ab omni hominum conſortio remotus, ſine ſocio, ſine foco, tres annos in maxima omnium penuria delituit. Inde tamen a Petro de Stella revocatus, mortuo Reginaldo abbate S. Cypriani, munus quod dudum refugiebat, divina ordinante providentia, ſubiit, eoque nomine concilio Pictavenſi, in quo Philippus rex ob adulterinam cum Bertrada co-

pulam anathemate percuſſus eſt, cum Roberto de Arbriſello interfuit.

57. Tum Cluniacenſes Paſcalis II. auctoritate freti, S. Cypriani monaſterium, ut multa alia, ſibi vindicare ſatagebant. Quibus Bernardus viriliter obſtitit, cum abdicare ſe mallet, quam monaſterium ſibi commiſſum indebitæ ſervitutis jugum ſubire; eoque res eſt adducta, ut jubente pontifice, & monaſterio excedere, & depoſita dignitate in ſolitudinem, unde pia fraude abſtractus fuerat, redire compulſus ſit. Neque inde potior fuit Cluniacenſium cauſa, immo magis magiſque ipſis obnitentibus monachis S. Cypriani, qui quatuor ferme annis pro ſua libertate cum Cluniacenſibus decertarant, iterum invitatur Bernardus uti eccleſiæ in ſummum diſcrimen ſubveniret, urgentiſſimiſque Petri epiſcopi litteris iterum revocatus, continuò Romam, aſſumtis ſecum ex eremo aliquot ſociis, aſino vectus & paupere amictu indutus, proficiſcitur, & ad Paſchalis audientiam admiſſus, priſtinæ dignitati reſtituitur: a qua tamen non multo poſt, immani Cluniacenſium auctoritate excidit. Unde iterum regreſſus in Urbem, cauſam ſuam coram pontifice rurſum diſcuſſurus, ubi ipſum advertit in Cluniacenſes plus æquo propenſum, ad divinum judicium coram omnibus provocare non eſt veritus; qua libertate commotus Paſcalis, eum revocavit ac benigne audiit. Inter alia acerbiſſime conquerebatur, abbatem Cluniacenſem infinitis jam & pinguiſſimis monaſteriis præpotentem, ad unicam & pauperem *ſuam hinnire uxorem*, tamque acriter jus ſuum coram pontifice defendit, ut ejus animi conſtantia perculſus pontifex, ipſum apud ſe detinere, & ſacro etiam ſenatui aſcribere propoſuerit. Quod utrumque deprecatus modeſte Bernardus, monaſterio ſuo iterum reſtitutus eſt, honorificentiſſimeque dimiſſus cum poteſtate diſpenſandi verbi Dei, baptizandi, & aures præbendi confitentibus.

58. Jam aſſerta S. Cypriani libertate, cum ipſi ſui fratres lætis animis ac ſummo affectu gratularentur dignitatem ſemel & iterum recuperatam, ipſos tertiò reliquit, ac paucis cum diſcipulis varias ſolitudines vitæ eremiticæ ſtudio peragrabat, cum Rotrocus comes Perticenſis locum ipſi a Novigento caſtro una circiter leuca diſſitum, Arciſias nomine, obtulit. At contradicente Beatrice matre comitis, vicinitatemque Cluniacenſium, qui cellam Novigenti habebant, contentionibus perpetuis occaſionem futuram objiciente, Tironium viro Dei eſt collatum, ubi deinceps Bernardus conſtitit, & monaſterium ſeu potius extemporaneas caſas extruere cœpit, acceptaque ab Ivone Carnotenſi epiſcopo benedictione, *primam miſſam celebravit in die ſancto Paſchæ in monaſterio ligneo jam ædificato.*

59. Verum cum nec ibi tutus eſſet a Cluniacenſium Novigenti monaſterii rixis, novum unius aratri fundum ab Ivone epiſcopo & canonicis Carnotenſibus ad conſtruendas monaſterii officinas obtinuit ſecus fluvium Tironum. Qui locus Bernardo eò magis arriſit, quod incultus & ſterilis, pœnitentiæ exercitiis aptior videretur, ibique duriſſimum vitæ genus cum ſuis iniit. Silentio in primis ſtudebant, operam ſuam plerumque aut ædificiis erigendis, aut ſarriendis agris, aut aliis laboribus impendebant. Labori ſuccedebat oratio & frequens pſalmorum cantus. Victus qui in arido loco occurreret tenuiſſimus. Habitu inculti, & veſtitu horridi, extremam omnium indigentiam omnibus theſauris longè præferebant. Quo miraculo moti vicini, undique frequentes accedunt, moxque ſparſo etiam in remotiores provincias rumore, maximus fit hominum concurſus; omnes ſervos Dei vel videre avebant, cum nemini loquerentur; & quæ eſt virtutis admirabilis illecebra, tanto fervore ſtatim capti, abjectis omnibus, eorum veſtigiis inhærere, ipſos fratres habere, cum ipſis vivere ſummo ardore cupiebant, ut parvo admodum intervallo Bernardus quingentos fratres ibi congregaſſe memoretur. Hic audiendus eſt Ordericus Vitalis. *Illuc*, inquit, *multitudo fidelium utriuſ-*

que

que ordinis abunde confluunt, & prædictus pater omnes ad conversionem properantes caritativo amplexu suscepit, & singulis artes quas noverant legitimas in monasterio exercere præcepit. Unde libenter ad eum convenerunt tam fabri lignarii quam ferrarii, scriptores, aurifabri, pictores & cæmentarii, vinitores & agricolæ, multorumque officiorum artifices peritissimi. Sollicitè quod eis jussio senioris injungebat operabantur, & communem conferebant ad utilitatem quæ lucrabantur. Sic ergo ubi paulo ante in horribili saltu latrunculi solebant latitare, & incautos viatores repentino incursu trucidare, adjuvante Deo, in brevi consurrexit monasterium nobile. Hinc fama Bernardi Tironensiumque monachorum longe lateque diffusa, eorum institutum non in Gallia solùm, sed in exteris etiam regionibus ita propagatum est, ut præter cellas innumeras abbatiæ undecim principi monasterio Tironensi subjectæ numerentur; ex quibus octo in Gallia, scilicet Arcisia, nunc monialium, in diœcesi Carnotensi; Pelissia, & Vadum Alneti in Cenomanensi; Asinariæ in Andegavensi, Boscus Alberici in Turonensi, Ferrariæ in Pictavensi, Jugum-Dei in Lugdunensi, Trunchetum in Dolensi. Duæ in Anglia, abbatia B. Mariæ de Cameis in diœcesi Menevensi, Rokeburgum, & in Scotia Tironium. Orderic. Vital. Hist. l. 8.

60. Vitalis alius Roberti de Arbrisello discipulus, patre Reigfrido, & Rohardi matre Figerii apud Bajocasses, in pago Moritonii natus, unde appellatur de Moritonio, non de Mauritania, ut quibusdam placet, cum litteris esset apprime imbutus, collegiatæ S. Ebrulfi Moritonensis canonicus & Roberti comitis capellanus est institutus. Sed deposita rerum temporalium mole, suave Christi jugum subiit, Deoque impellente in Credonensem solitudinem sub magisterio Roberti de Arbrisello se contulit. Ibi cum annis fere septemdecim eremiticam vitam exegisset, ac plurimos suis concionibus ad bonam frugem adduxisset, monasterium ad multorum salutem ædificare constituit, fundum in Savigneiensi saltu diœcesis Abrincensis suppeditante Radulpho de Fulgeriis. Cujus monasterii initium Mabillonius ad annum retulit quintum & centesimum supra millesimum, licet editum a Baluzio Chronicon Savigniacense fundationem ejus anno solùm MCXII. consignet; cui concinit Radulfi Filgerienſis charta ipsa fundationis tom. I. nostrorum Anecdotorum edita: id quod recte intelligit Mabillonius de perfecta monasterii constructione; nam teste Orderico Vitali, Savignienſe cœnobium *per* VII. *annos* ædificavit. Quo etiam tempore Guillelmus comes Moritonii, filius Roberti fratris Guillelmi regis Anglorum, abbatiam sanctimonialium constructit in honorem S. Trinitatis in Novoburgo Moritonienſi, *adjuvante fratre Vitali, tunc temporis abbate Savigniacensi existente:* uti legitur in ipsius Guillelmi litteris, eidemque abbati multa prædia ad opus Dei & sanctimonialium usus assignavit. XI. De ordine Savigniacensi. Tom. I. Annal. Spicil. tom. 13.

61. Coadunatis in Savigneiensi cœnobio fratribus, Vitalis *ritus Cluniacenses, vel aliorum qui monachilibus observantiis jam dudum mancipati fuerant*, non proposuit, *sed modernas institutiones Neophytorum*, inquit Ordericus Vitalis, hoc est, uti interpretor, Cistercienſium, quos Neophytorum nomine solet Ordericus appellare. Cum autem Vitalis, qua erat facundia, omnium animos ad quod maxime vellet facile inclinaret, sæpe e suggestu loquebatur, nemini, nec potestatibus parcens, & dici non potest quanta eum observantia omnes & reges ipsi & principes colerent & revererentur, quam ardenter ad eum audiendum, vel prima luce accederent, quam mutati abirent. Cumque in his sanctis operibus annos decem & septem indefesse & maximo omnium emolumento perseverasset, *in oratorio post aliquantam ægritudinem, in qua fideliter confessus fuerat, & sacræ Communionis Viaticum devote perceperat, ad matutinas de sancta Virgine* MARIA *lectori poscenti* Orderic. Vital.

benedictionem dedit, & a cunctis, qui aderant, dicto amen, mox ſpiritum exhalavit.

Ad calcem Guiberti abbatis.

62. Vitalem ejuſque ſucceſſores his verbis commendat Robertus de Monte in tractatu de abbatibus & abbatiis cap. 4. *Vitalis eremita optimus ſeminiverbius in confinio Normanniæ & Minoris Britanniæ, in vico Savineio, monaſterium ædificans, modernas inſtitutiones, in aliquibus Ciſtercienſibus ſimiles, monachis ſuis impoſuit. Huic ſucceſſit Bajocenſis Gaufridus Cheraſienſis monachus, vir admodum litteratus, & in religione fervens. Hic multa monaſteria ædificavit, & conſuetudines prioribus arctiores Savinienſibus impoſuit. Cui, poſt Evanum Angligenam, qui parvo tempore eidem monaſterio præfuit, ſucceſſit venerabilis Serlo de Valle-Badonis juxta Bajocas, qui fuerat prædicti Gaufridi in ſæculo diſcipulus, & monachatum prius ſuſceperat cum eo in monaſterio Cheraſienſi; ſed relicto illo monaſterio, pro majori religione expetierat Savineium. Hic quia pro velle ſuo ei non obtemperabant monaſteria ſibi ſubdita, auctoritate Eugenii Romani pontificis ſubdidit ſe & omnia monaſteria ſua Ciſtercienſi ordini, & exinde poſt paucos annos, ut Deo liberius poſſet vacare, relicta cura monaſteriorum, in monaſterio Clara-vallis Deo & ſibi vacans delituit. Cui ſucceſſit in regimine Savineii Richardus de Curſeio prior ejuſdem loci.* Jam ſi quis fortaſſe quæret, quænam eſſent monaſteria illa ex quibus conflatus erat ordo Savigniacenſis, is conſulat Anaſtaſii IV. bullam primo hujus collectionis tomo editam. Unum ſolum monebo Saviniacum & monaſteria ipſi ſubdita Ciſtercienſi ordini, ſub linea Claræ-vallis, promovente S. Bernardo, adjuncta fuiſſe, hoc abbati Savigniacenſi ob tam inſignem acceſſionem dato, ut primus poſt primos patres & abbatem Prulliacenſem, qui loco ſibi debito cedere noluit, in ordinis comitiis conſideret.

XII. De Congregatione S. Sulpicii.

63. Tertius Roberti de Arbriſello diſcipulus Radulphus de Fuſteia, in quibuſdam chartis dictus Radulphus de Flageio, poſt legitimam cœnobiticæ vitæ in monaſterio S. Jovini de Marnis exercitationem, ad anachoreticam tranſiit, ut permittit S. Benedicti regula, ſub diſciplina Roberti de Arbriſello, in ſaltu Credonienſi per multos annos degens, tandem magiſtri ſui exemplo ſanctimonialium monaſterium ſub S. Sulpicii patrocinio in diœceſi Rhedonenſi conſtruxit, quibus religioſos monachos ſub priore viventes, ut apud Fontem-Ebraldi, ſubjecit. Ejus monaſterii fundationem ab Alano Fergentio Britanniæ comite factam ad annum MCXII. refert Mabillonius. Cujus prima abbatiſſa Maria Stephani Campaniæ comitis & poſtea Angliæ regis, & Bertæ ducisſæ Britanniæ filia, a Marbodo Rhedonenſi epiſcopo benedictionis munus anno MCXVII. accepit. Quo anno Fulco Andegavenſis & Cenomanenſis comes cellam Fontis S. Martini fundavit & tradidit novo cœnobio, *in manibus Radulfi monachi magiſtri ſanctimonialium, & eum de hoc dono inveſtivit cum aureo annulo in aula ſua Cenomanis.* Quo etiam anno Wilhelmus epiſcopus Pictavenſis *Radulfo de Flageio, ſanctiſſimo viro & religioſiſſimo, eccleſiam S. Mariæ, quæ ſita eſt in parochia Fulgeroſa, ad opus monialium S. Sulpicii, videntibus & audientibus Roberto epiſcopo de Cornugallia & aliis*, conceſſit. Ad hæc Conanus comes cum matre, uxore & ſorore ſua monaſterium *S. Mariæ Magdalenæ, quod Britannicè* Locmaria *vocatur, Radulfo priori atque Mariæ abbatiſſæ, necnon & ſororibus ibidem Deo ſervientibus*, contulit. Quod Robertus Coriſopitenſis epiſcopus anno MCXXIV. confirmavit. Alias eidem parthenoni cellas ſubditas recenſent. Ceterùm defunctum anno MCXXIX. Radulfum pro ſancto venerantur S. Sulpitii ſanctimoniales, etſi nullo eccleſiaſtico officio colitur.

XIII. De Congregatione Ge-

64. Quartus Roberti de Arbriſello diſcipulus Geraldus de Salis, in hoc magiſtro ſuo conſimilis, quod canonicus primùm regularis, deinde eremita,

tum verbi Dei præco eximius, ac tandem fundator monaſtici ordinis, ubique eccleſiam mirabilibus virtutum exemplis illuſtrarit. Salis in pago Petrocoricenſi Fulcone & Aldearda nobilibus parentibus ortus, adoleſcens poſt navatam ſtudiis operam, canonici regularis habitum in monaſterio S. Aviti, quod a Salis proxime aberat, conſilio Roberti de Arbriſello induit, ibique ſacris eſt ordinibus initiatus, excepto ſacerdotio, cujus ſe indignum judicabat. Ejus exemplo pater ejus & mater, fratreſque duo natu minores Grimoaldus & Fulco monaſticæ vitæ ſe addixere. Quorum Grimoaldus prioris ſeu præpoſiti munere primùm apud Tuitionem, deinde ad Caſtellariam non ſine laude expleto, abbas Allodiorum creatus eſt, ac demum epiſcopus Pictavenſis, Fulco vero eremiticam vitam apud Boſcanium diſtrictiſſime exegit. raldi de Salis.

65. Ubi ad virilem ætatem pervenit Geraldus, *de paupere canonico factus eſt pauperior eremita*, cilicio carnem macerans, arcto pane & aqua brevi cum modico legumine epulari ſolebat. Poſtea divino Spiritu afflante, verbum Dei tam feliciter diſſeminare cœpit, ut Petrus Pictavenſis, moribus & ſcientia clariſſimus, & plures alii epiſcopi ei vices ſuas ſuis in diœceſibus committere non dubitarent. Exinde variæ monaſteriorum fundationes ſtatim conſecutæ. Septem recenſet vitæ ejus ſcriptor; Caduinum, Grandem-ſilvam, Dalonum, Bornetum, Allodia, Abſiam Gatinæ, & Caſtellarias; & duo feminarum, Tucionem & Bibionem, quorum prius Roberto de Arbriſello tradidit, qui ei viciſſim fertur ceſſiſſe Caduinum. Præterea Ligurienſem parthenonem fundaſſe reperitur anno MCXV.

66. His chronicon Malleacenſe addit Gondum in pago Aginnenſi, cujus primus abbas fuit Bernardus; in territorio Sanctonenſi Fontem-dulcem & *Tenale*, quibus præfecti duo Wilhelmi; in nemore Gatinenſi S. Benedictum de Pinu, cujus primus abbas dictus fuit etiam Guillelmus, & Bonam-vallem. Caſtrenſe etiam monaſterium, cui alter Guillelmus primo loco præfuit. Denique in pago Lemovicenſi Domum-Dei Caſtellenſem dictam, cujus adminiſtrationem prioris nomine ſuſcepit Goffredus. Item Domum-Dei, vocatam Corbaſim, S. Mariæ & S. Nicolao ſacram, quam Bernardus rexit prioris nomine. Quibus monaſteriis, vivente Geraldo fundatis, acceſſere poſt ejus mortem Fons-Guillelmi in diœceſi Vaſatenſi, Faëſia in Burdigalenſi, S. Marcelli in Caturcenſi, Ardorellum olim in Albienſi, nunc in Caſtrenſi, Clariana in Elnenſi, Bulium, Palatium B. Mariæ, Bonus-locus, Pratum-benedictum in Lemovicenſi, Albiniacum in Bituricenſi, Locus-Dei in Ruthenenſi, in Malleacenſi S. Leopardi, Fons-frigidus in Narbonenſi, Pons-altus in Adurenſi.

67. Atque his locis Geraldus paucos primùm diſcipulos coëgerat, qui eremiticam vitam profiteri ſolebant. Unde in Silvæ-majoris & Manſi-Garnerii inſtrumentis eremitæ vocantur primi incolæ Grandis-ſilvæ. Item *Clerici Abſienſes*, quorum anteſignanus fuit Petrus *Brunc* eremita, *& Caſtellarienſes erant eremitæ*, inquit ſcriptor vitæ S. Geraldi. At ubi accreſcente numero ſolitariorum, in ſocietatem aliquam convenire potuere, poſtpoſita vita ſolitaria, regulam ipſis S. Benedicti, cum Ciſtercienſium inſtitutis impoſuit, nec tamen ideo ordini Ciſtercienſi ullo modo addixit, ut plane conſtat ex charta fundationis Grandis-ſilvæ, in qua Amelius epiſcopus Toloſanus anno MCXVII. hoc eſt annos ut minimum viginti antequam Ciſtercienſi ordini uniretur, *religioſiſſimo magiſtro Geraldo de Salis ejuſque diſcipulis* concedit, & auctoritate epiſcopali confirmat, quicquid a fidelibus acquiſierant aut poterant acquirere, ea tamen lege, *ut ad honorem Dei regulam B. Benedicti teneant more Ciſtercienſium, qui laudabiliter eam cuſtodiunt.* Eodem modo *anno* MCXX *fundatum eſt cœnobium S. Mariæ Abſiæ in primam abbatiam pagi Picta-* Nova Gall. Chriſtiana tom. 2.

venſis, ſecundum regulam S. Benedicti, & inſtitutum patrum probatiſſimorum Ciſtercienſium monachorum a magiſtro venerabili Giraudo; quod tamen perſtat hactenus ſub S. Benedicti regula. Idem colligere licet ex Lucii papæ II. bulla pro monaſterio Fontis-dulcis, Ciſtercienſi ordini numquam unito, in qua hæc in primis obſervanda pontificis verba. *Conſuetudines ad religionis atque humilitatis obſervantiam ab eo qui præeſt & fratribus, ſimiliter ſecundum S. Benedicti regulam & Ciſtercienſium fratrum ordinem in monaſterio veſtro & aliis ſubjectis eccleſiis inſtitutas, nullus archiepiſcopus ſua auctoritate infringere aut immutare præſumat.* Idem confirmant Loci-Dei apud Ruthenos monumenta, in quibus hæc inter alia leguntur. *Philippi regis tempore Geraldus quidam venit in partibus Aquitaniæ, ubi deſerta requirens, ſeptem fundavit monaſteria, in quibus victum & veſtitum ad formam Ciſtercienſium inſtituit, & ſuſceptam a communi monachorum patre Benedicto regulam.* Quod ut adhuc magis eluceſcat, extant apud Vallem-magnam ordinis Ciſtercienſis monaſterium diœceſis Agathenſis litteræ, quibus ejus loci fundationem Caduini & Ardorelli abbates anno MCXXXVIII. recipiunt, & decem poſt annis a ſede apoſtolica petunt monachi ut ordini Ciſtercienſi adjungantur: quod benigne annuit Eugenius papa III. ſcriptis litteris ad abbatem Bonarum-vallium diœceſis Viennenſis. Ex quibus patet Vallem-magnam a prima ſua fundatione unitam non fuiſſe ordini Ciſtercienſi. Eadem ratione Joachimus abbas Florinenſis, Ciſtercienſium inſtituta ſuis præſcripſit diſcipulis, tametſi non eſſent Ciſtercienſi ordini addicti, ut docet Radulfus Coggeshalenſis abbas, & ipſe Ciſtercienſis, in Chronico Anglicano. *Eatempeſtate*, inquit, *extitit quidam abbas non longe ab urbe Roma, ordinis Ciſtercienſis, ſed Ciſtercienſibus minime ſubjectus.*

Tom. 5. p. 858.

68. Jam vero de tempore quo Ciſtercienſi eſt ordini attributa Geraldi de Salis congregatio, ſi quis fortaſſis quærat, reſpondemus id facile definiri non poſſe. Si quibuſdam recentioribus & ceteris ordinis Ciſtercienſis ſcriptoribus credimus, id factum conſtat vel paulo ante Geraldi mortem, vel certe non multo poſt. Caduino anno MCXIV. fundato, Henricum Pontiniacenſem monachum ab Hugone abbate miſſum, duobus poſt annis præfectum fuiſſe, tradunt novi Galliæ Chriſtianæ auctores. Similiter docent Ciſtercienſis ordinis ſcriptores, Grandem-ſilvam, vivente adhuc Geraldo a S. Bernardo receptam, & ſucceſſoribus ejus Claræ-vallis abbatibus ſubjectam fuiſſe; quod utrumque nullo ſolido fundamento nititur. Nam Mabillonius in nota ad epiſtolam 247. S. Bernardi unionem hanc anno MCXLV. conſignat, Angelus Manrique vero MCXLVII. quorum opinio fundamentum habet in prædicta epiſtola ſcripta anno 1147. ad Toloſanos, quos S. Bernardus alloquens, *Sit vobis*, inquit, *commendatus lator epiſtolæ venerabilis abbas Grandis-ſilvæ & domus ejus, quæ & noſtra eſt, & nuper noſtro ordini ab ipſo tradita, & eccleſiæ Claræ-vallenſi ſpecialiter aſſociata.* Nos vero Grandem-ſilvam Ciſtercienſi ordini adſcriptam eſſe exiſtimamus circa annum MCXLIII. ſub finem pontificatus Innocentii papæ II. id quod collegimus ex ejuſdem pontificis reſcripto ad epiſcopum Toloſanum, datum occaſione abbatis Caduini monaſterii, qui abbas ordinis a Geraldo inſtituti pater, querelam ad ſedem apoſtolicam de recuſata ſibi obedientia ab abbate Grandis-ſilvæ depoſuerat. Toloſano igitur epiſcopo his verbis reſpondet Innocentius. *Adverſus abbatem & fratres Grandis-ſilvæ gravem querelam accepimus, quod Caduinenſi eccleſiæ ſubjectionem & debitam ſubtrahunt obedientiam. Quod ſi verum eſt, per apoſtolica tibi ſcripta mandamus atque præcipimus, quatenus ipſos ad obedientiam præfatæ eccleſiæ redire diſtricte commoneas. Si verò te audire noluerint, de ipſis tamquam de inobedientibus plenam juſtitiam facias.*

Tom. 2. pag. 1538.

Manrique Annal. Ciſt. ad an. 1147. c. 19. art. 2.

69. Supereſt hoc pontificium diploma in eccleſiæ Toloſanæ chartario, ex

quo

quo patet non modo Grandem-ſilvam, necdum ordini Ciſtercienſi unitam fuiſſe, ſed nec Caduinum ipſum, cujus abbas circa idem tempus una cum abbate Ardorelli, fundationem Vallis-magnæ excepit, quæ tamen decem tantum poſt annis Ciſtercienſi familiæ nomen dedit, ſubdiditque ſe abbati Bonarum-vallium in diœceſi Viennenſi. Exeunte autem duodecimo ſæculo, cum Aimericus abbas Caduinenſis, regularis obſervantiæ zelo accenſus, ægrè admodum ferret, monachos ſuos a primæva ordinis ſui inſtitutione plane excidiſſe, neque alia ratione diſciplinam reſtitui poſſe videret, quam Ciſtercienſium ope & conſiliis, ipſos ſupplex exoravit, ſcriptis ad capitulum generale litteris, ut monaſteriorum ſuorum curam deinceps ſuſcipere ne dedignarentur, auctoritateque Innocentii papæ III. interpoſita, hæc commiſſa eſt provincia Pictavenſi & Petracoricenſi epiſcopis, & archidiacono Petracoricenſi; ut ſcilicet Caduinum accederent, atque adhibitis præſentibus malis remediis, Caduinenſes ordini Ciſtercienſi & Pontiniacenſi abbati, jurata ipſi obedientia, ſubjicerent. Quæ quidem in capitulo Caduinenſi ſtrenue peracta ſunt anno MCCI. hac poſita conditione, ut Caduini filiæ, ut vocant, ſeu monaſteria, ſub patris abbatis juriſdictione perſeverarent, qui abbas a nullo alio viſitaretur abbate præter Pontiniacenſem, qui ipſe accederet, nec cuilibet alteri vices ſuas committeret.

70. Hæc omnia confundit auctor vitæ Geraldi de Salis, cum ſcribit ipſiſſimum Geraldum voluiſſe Caduinum S. Bernardo tradere & Claræ-valli, ut pravos monachorum mores emendaret: ſed iis repugnantibus, Geraldum dixiſſe Bernardo: *Recedamus hinc ab his civibus in nomine Domini, & dabo vobis domum meliorem ... dicebat autem Grandem-ſilvam. Et revera, ſicut dixit, ſic factum eſt. Nam Grandis-ſilvæ incolæ receperunt Bernardum ſicut angelum Dei, & in obedientia perpetua ſe ſubdiderunt ei.* Tempora etiam confundit ille auctor, dum ſupponit Caduinenſes, vivente Geraldo, hoc eſt quinque aut ſex ad ſummum a fundatione annis a regulæ tramite exorbitaſſe, atque ad enormes exceſſus, qui nonniſi poſt annos circiter octoginta a Geraldi obitu contigere, ſe præcipitaſſe.

71. Sed neque alia Geraldi de Salis monaſteria Ciſtercienſibus ſe ſtatim ſponteque ſubjecere. Rogerius abbas Dalonenſis occaſione Bulienſis ad Claram-vallem acceſſionis ſcribens S. Bernardo, queſtus dicitur ipſum eſſe ſimilem homini, qui oves habens nonaginta novem, pauperis oviculam unam ſurriperet. Abbatia de Ponto-alto Ciſtercienſi ordini eſt adjuncta anno ſolùm quinquageſimo primo ſupra milleſimum. Palatium S. Mariæ anno MCLXII. S. Leonardi de Calmis anno MCLXVIII.

72. Nonnulla jam de S. Victoris Pariſienſis monaſterio in prævia obſervatione in vetera ejus monumenta hoc tomo edita diximus, quæ fortaſſe ſufficerent; at ne propoſitum argumentum hic videamur intactum præterire, pauca de celeberrimo monaſterio etiam hic juvat obſervare. Fundatorem agnoſcit Ludovicum VI. Francorum regem, promotorem Guillelmum de Campellis, univerſitatis Pariſienſis doctorem inſignem, de quo hæc habet Robertus de Monte libro de abbatibus & abbatiis cap. 5. *Eodem tempore magiſter Guillelmus de Campellis, qui fuerat archidiaconus Pariſienſis, vir admodum litteratus & religioſus, aſſumens habitum canonici regularis cum aliquibus diſcipulis ſuis extra urbem Pariſius, in loco ubi erat quædam capella S. Victoris martyris, cœpit ædificare monaſterium clericorum.* Eumdem etiam commendat alter auctor, quem ſola nominis prima littera indicat: *Pariſius modo ſum*, inquit ad quemdam præpoſitum ſcribens, *in ſchola magiſtri Guillelmi, ſummi viri omnium ſui temporis quos ego noverim, in omni genere doctrinæ: cujus vocem cum audimus, non hominem, ſed quaſi angelum de cœlo loqui putamus. Nam & dulcedo verborum ejus*

XIV. De Congregatione S. Victoris.

Eccardi Corp. Hiſt. tom. 2. pag. 368.

& profunditas ſententiarum, quaſi humanum modum tranſcendit. Qui cum eſſet archidiaconus, fereque apud regem primus, omnibus quæ poſſidebat dimiſſis, in præterito Paſcha ad quamdam pauperrimam eccleſiolam, ſoli Deo ſerviturus ſe contulit, ibique omnibus ad eum undique venientibus, gratis & cauſa Dei ſolummodo; more magiſtri Manegaudi beatæ memoriæ, devotum ac benignum ſe præbuit; jamque tantum ſtudium regit, tam in divinis quam in humanis ſcientiis, quantum nec vidi, nec meo tempore uſquam terrarum eſſe audivi. Ex quibus colligere licet Guillelmum non modo pietatis & regularis obſervantiæ, ſed ſcientiarum etiam ſcholam apud S. Victorem inſtituiſſe: quam ipſe maximo urbis & totius regni emolumento rexit ad annum uſque MCXIV. quo adeptus epiſcopatum Catalaunenſem, ſucceſſorem ſortitus eſt Thomam priorem, virum ſanctiſſimum, a Thebaldi Noterii archidiaconi nepotibus, quos ſæpe ſimoniæ arguerat, pro juſtitiæ defenſione interemtum. Ei in ſcholis regendis ſucceſſit Hugo Victorinus, Hugonis Nanterus, Nantero Richardus, ſub quibus ita virtutibus & doctrinis floruit familia Victorina, ut plures ſtatim fundatæ ſint ad ejus normam abbatiæ & præpoſituræ, ex quibus ſurrexit nobile corpus Victorinæ Congregationis, de qua Jacobus de Vitriaco: *Hi ſiquidem prudentes & honeſti viri extra Pariſienſis urbis tumultum ſeorſum congregati, ſupra firmum & ſtabile fundamentum regulæ S. Auguſtini inſtitutoris, honeſtas & ſalutares obſervantias ſtatuerunt. Nigris ſiquidem cappis & tunicis albis laneis induti, pellibus agninis & lineis utuntur camiſiis. Carnes in refectorio non manducant. Certis temporibus & horis conſtitutis infra terminos ſuos manibus ſuis corporaliter laborant. Circa primam vel ſecundam noctis horam ad matutinas ſurgentes, in hymnis & pſalmis & canticis ſpiritualibus Domino ſuaviter & devote jubilando, reſiduum noctis plerumque expendunt. Æſtatis autem tempore a veſpera uſque ad auroram nocturnum frequenter pertrahunt officium. Semel autem in anno omnes hujus ordinis abbates Pariſius apud ſancti Victoris eccleſiam generale capitulum celebraturi congregantur. Poſt divinæ prædicationis epulas delicatas & ſuaves, de his quæ ad religionem & ordinis inſtituta pertinent unanimiter pertractantes.*

Hiſt. Occid. cap. 24.

XV. De ordine Præmonſtratenſi.

73. Sequitur canonicorum Præmonſtratenſium celeberrima ſocietas. Ejus auctor S. Norbertus archiepiſcopus Magdeburgenſis, Sanctis quod Cliviæ eſt oppidum in diœceſi Colonienſi, nobili genere natus, patre Heriberto & Hadvige matre, primò in Frederici Colonienſis archiepiſcopi curia, deinde in aula Henrici imperatoris, munus capeliani obivit; cumque eodem Cæſare imperialem coronam accepturo, Romam profectus, præſens ibi aderat, cum Paſchalem papam & cardinales ei adhærentes vi interceptos Henricus in carcerem detrudi juſſit: quod nefandum ſcelus adeo eſt deteſtatus, ut imperatoris aulâ ſtatim excedere decreverit, & proſtratus pontificis pedibus, in patriam impetrata delictorum venia & abſolutione remearit, ubi oblatum epiſcopatum Cameracenſem a ſe modeſte repulit. Cum vero aliquando ſolus cum puero ad locum nomine *Freden* contenderet, orta ſubito graviſſima tempeſtate, fulmine ictus equo dejicitur, ac tum tactus dolore cordis intrinſecus, velut alter Saulus, hanc in vocem erupit: *Domine quid me vis facere?* ſibique reſponderi viſum: *Deſine a malo & fac bonum.* Quo audito, in alium virum mutatus, cilicio indutus, ad Sigebergenſe ordinis S. Benedicti monaſterium diœceſis Colonienſis accedit, ubi adhibito in conſilium Conone abbate, admirandæ ſanctitatis viro, cum de abnegando ſæculo firmiter deliberaſſet, ad Fridericum Colonienſem archiepiſcopum convolat, ac diaconum ſimul & ſacerdotem eadem die inſtitui ſe cupit & facile impetrat.

Heriman. de reſtauratione S. Martini Tornac. Spicil. tom. 12.

74. Initiatus ſacerdotio cum depravatos clericorum mores palam in concionibus redargueret, a ſuis concanonicis ejectus eſt, relictaque patria Ge-

lasium, qui Paschali successerat, adiit, veniam ab eo deprecaturus, quod duos eadem die ordines sacros iniisset, atque impetrata facultate disseminandi verbi Dei, munus apostolicum obire cum rigidissimo vitæ genere cœpit, cibis quadragesimalibus ad vesperam, Dominicis diebus exceptis, vescens, piscibusque & vino plerumque abstinens. Cum frequentes aliquando sermones ad populum Valencenis haberet, ei Burchardus episcopus Cameracensis, quo olim in aula imperatoris familiariter utebatur, occurrit, qui viso Norberto nudis pedibus & vili veste amicto, a lacrymis temperare non potuit, eoque spectaculo motus Hugo Burchardi capellanus, ipsi statim se adjunxit, moxque secutus eum est alter socius.

75. Mortuo Cluniaci Gelasio, subrogatus ei Calixtus II. concilium generale Rhemis indixit. Quem nudis pedibus adiens Norbertus, post tres dies, infecto negotio, ac ne impetrato quidem ad pontificem accessu, abire cogitur. Interim Bartholomæus Laudunensis antistes, Rhemos ad concilium veniens, cum jam S. Theoderici monasterium esset transgressus, *Norbertum cum duobus sociis clericis non longe ab itinere sedentem conspexit.* Ad quos appropinquans episcopus interrogavit qui essent. Respondit: *Se relictis parentibus sæculique vanitate, religiosam vitam sequi proposuisse; hujusque religionis normâ sedis apostolicæ consilio & auctoritate incipiendâ, jam per tres dies Rhemis demoratum fuisse. Sed quia præ multitudine jugiter confluentium divitum, nullus sibi ad papam ingressus patebat, tristem ac desperantem urbe digressum, quò diverteret nescire.* Commiseratusque Bartholomæus Norbertum secum Rhemos redire cogit & ad papam producit. Exceptus benigne a pontifice Laudunum, quo erat concilio finito venturus, dimittitur, cum firma spe, favente præsertim episcopo, ea assequendi quæ petierat. Herman. lib. 3. de mirac. B. Mariæ Laud. c. 2.

76. S. Martini ecclesiam extra muros Lauduni Bartholomæus religiosam pauperemque vitam sectari cupienti obtulit. At Norbertus qui majores Coloniæ divitias reliquerat, modicis facultatibus Lauduni detineri non potuit, professus sibi extra urbes in desertis & incultis locis habitare propositum. Itaque Bartholomæus post papæ discessum, per varias eum diœcesis solitudines conduxit, oblatoque Fusniaco & Tenaliis, utroque loco religiosæ vitæ apto, sed quem aliis vir Dei Norbertus, non sibi destinatum dicebat, ad locum Præmonstratum dictum pervenit, ubi Deo duce & auspice Deipara, quam sibi patronam elegerat, in loco prope inaccesso, ut tutissima in statione se continuit. Erat ibi ædicula S. Johanni-Baptistæ sacra, juris cœnobii S. Vincentii Laudunensis, quam episcopus Norberto, compensato abbatis, attribuit. Si Historiæ Viconiensis monasterii auctori credimus, *quo tempore venerandus pater Norbertus Præmonstratum venit habitaturus, sacrarumque institutionum, quibus jam totum fere per orbem catholica decoratur ecclesia, rudimenta daturus, ... Vido paucis diebus illic demoratus ... secessit, loco Majori cedens, & in Viconiensem silvam se recepit.* Infra pag. 283. num. 3.

77. Paucos post dies Norbertus Laudunum venit, scholamque magistri Radulfi, qui germano suo Anselmo successerat, ingressus, habito ad scholares hortatorio sermone, septem ex eis ditissimos, qui nuper e Lotharingia advenerant, convertit, & cum ingenti pecunia adduxit Præmonstratum. At pecuniam illam, eremiticæ paupertati fortasse minus congruentem, alter e viri Dei sociis, cui commissa fuerat, sibi attribuisse fertur, & suadente diabolo clam non reversurus aufugisse. Hieme transacta, Norbertus apostolico munere pro more defungens per vicos & oppida, Cameraci sermone habito, Evermodum magnæ spei juvenem, Raceburgensem postea episcopum in Saxonia, Deo est lucratus, sibique adscivit, nec multo post Nivigellæ alterum juvenem nomine Antonium, quibus & alii adjuncti; ac tandem Præ-

monſtratum cum tredecim ſociis eſt reverſus, congregatiſque jam fere quadraginta clericis & plurimis laicis cum ſanctorum eis patrum inſtituta eligenda propoſuiſſet, cunctis ad ejus nutum ſe convertentibus, S. Auguſtini regulam afferri jubet, cui omnes, nullo prorſus refragante, die Natalis Domini ſubſcripſere.

Vita S. Norberti apud Boll. 6. Junii.

78. Nec vero tum ſancti illi longe ab angelis vitæ puritate abeſſe videbantur. *His de corporalibus cura & ſollicitudo vix aliqua erat, univerſumque ſtudium ad ſpiritualia contulerant.* Is erat religioſæ paupertatis amor, *ut potius eligerent veterem & clavatam tunicam, quam novum & integrum veſtimentum. Nullum erat opus tam vile quod reſpuerent; obedientia adeo promta, ut ſi clibanus ardens eis proponeretur, & quælibet mors ſe offerret, magis timerent imperantem quam mortem. Fuge ſilentium in omni loco, in omni tempore, in omni ſtatu, ita ut illi qui illum* (Norbertum) *comitabantur, licèt confertiſſimis populorum turmis admixti eſſent, vix unum verbum ab eorum ore poſſet extorqueri. Quod ſi quemlibet eorum de qualicumque commiſſo culparet, ibidem ad pedes corruens ſatisfacturus, neque viſum hominum circumſtantium erubeſcebat... Voluit ut omni tempore jejunarent, una refectione contenti in die. Voluit etiam ut aſellis circumvectarentur uſque ad quatuor aut quinque leucas. Sed obſiſtente carnis infirmitate obſervari non potuit. Feminalibus ſemper uti fratribus ſuis præcepit; laneis ad carnem, laneis ad laborem uti, & abſque ulla tinctura præcepit, licèt aſperrimo cilicio aſſidue veſtiretur. In ſanctuario verò, & ubi divina ſacramenta tractantur, vel celebranda propter munditiam & multimodam honeſtatem, lineis uti voluit, & omni tempore utenda diſpoſuit.*

79. Acta fuerunt hæc omnia anno MCXX. quo fere tempore Gualterio S. Norberti diſcipulo creato S. Martini Laudunenſis abbate, fratres quingenti ibi infra annos duodecim coacti. Sequenti anno MCXXI. fundatur prope Namurcum Florefienſe monaſterium, ſicque breviſſimo tempore eſt propagatus ſanctiſſimus ordo Præmonſtratenſis, ut poſt triginta ab ejus fundatione annos centum ad capitulum generale abbates convenirent, qui ſeveriorem vivendi rationem a Norberto inſtitutam ſuis in locis conſectabantur cum infinitis fratribus. Inſtar omnium quæ coacervari poſſent, hic referre juvat ea quæ de Viconienſibus hiſtoriæ ejus monaſterii ſcriptor coævus hoc tomo edi-

Num. 11. pag. 287.

tus narrat. *Quis autem valeat dignè diſſerere qualis quantuſque fuerit eo tempore tam in diſcipulis quam in magiſtro amor veritatis, cuſtodia humilitatis, contemtus humanæ vanitatis, cum certis indiciis ſinceræ caritatis omnes ſe monſtrarent mortuos eſſe mundo, & mentibus habitare in cœleſtibus cum Chriſto. Cur autem eos mundo mortuos non rectè dixerim, quibus tanta erat parcitas in victu, ut quæque guſtui dulcia, tactu mollia penitus abhorrerent, & talia quærentes oſtentui haberent? Tanta quippe erat auſteritas in victu, quod æſtivis temporibus cum legumina non haberent, tribulos & agreſtes herbas per arva legentes, & propriis humeris domum advectantes, una cum foliis arborum coctas, in cibos ſumerent. Nec tamen mors in olla ſentiebatur, quia farinula perfectæ caritatis condiebatur. Erat verò tanta vilitas in veſtibus, ut tunicis toties reclavatis plerique veſtirentur, quod in dubium venerit, ex qua potius parte initium ſumſerit. Quid dicam de aſſiduitate laboris vel inſtantia orationis, cum vix umquam aut manus quieſceret a labore & lingua vacaret ab oratione?... Porro conſuetudo talis erat, ut egredientes ad laborem, ſive ad ſarriendum, vel ad ſarta cremandum, finito labore non vacui redirent, ſed quiſque pro viribus onera ſibi bajulantes, ſeriatim & cum ſilentio repedarent.*

80. Nec fratres ſolùm, ſed & ſorores a Norberto congregatæ, quarum cœnobia haud procul a viris erigi ſolebant, & *plus quam decem millia feminarum*

minarum, ait Hermannus monachus, *in eis hodie credimus contineri. Mox autem ut conversæ fuerint*, pergit ille auctor, *perpetua deinceps lex manet semper intra domus ambitum clausas contineri, nusquam ulterius progredi, nulli viro non modo extraneo, sed nec germano aut propinquo loqui, nisi ad fenestram in ecclesia, duobus viris conversis cum viro exterius, & duabus feminis cum illa interius residentibus, & quicquid dicitur audituris. In ipso conversionis initio mox ut suscipiuntur . . . capilli earum usque ad aures tondentur . . . . nulli deinceps pretiosam vestem, nisi ex lana, vel ovinis pellibus licet habere, nulli velum sericum, more quarumdam sanctimonialium, sed levissimum panniculum nigrum super caput portare.* Addit Jacobus de Vitriaco: *In choro & in ecclesia non cantabant, sed tantùm in silentio orationi vacabant, psalteria sua legentes & horas canonicas vel B. Virginis Mariæ secreto cum omni humilitate & devotione dicentes;* quibus sane legibus nihil consultius provideri poterat. Et tamen virgines illæ tam sapienter institutæ, quæ sæpe fratres numero superabant, cum nulla fere ordinis abbatia erigeretur, quin ipsis simul daretur locus extruendo monasterio aptus & conveniens; hæ virgines vix secundam attigere ætatem, hodieque paucioribus extra Galliam positis cœnobiis continentur. Lib. 3. de mirac. B. Mariæ Laud.

81. Ceterùm Præmonstratensium disciplinam, qualis suo tempore vigebat, his describit verbis Jacobus de Vitriaco Hist. Occid. cap. 22. *Carnes siquidem Præmonstratensis ordinis canonici & fratres laici numquam nisi in infirmitate manducant. A festo S. Crucis usque ad Pascha jejunant. Duobus pulmentis more Cisterciensium in refectorio vescuntur. Camisiis non induuntur. Pellibus ovinis utuntur. Vestiti tunicis albis & caligis calceati dormiunt. Cappis laneis albis absque tinctura vestiuntur. Diebus festis more aliorum canonicorum novem lectiones, aliis autem diebus tres tantùm in matutinis legunt. Post officium nocturnum ad dormitorium revertuntur ut dormiant & requiescant. Temporibus determinatis & horis certis ad labores manuum egrediuntur. Parœbiales ecclesias & animarum sæcularium curas in propriis personis suscipiunt. Omnia hujus institutionis & religionis monasteria sub uno capite Præmonstratensis monasterii continentur, ad quod annis singulis ad capitulum generale omnes hujus ordinis abbates congregantur. Habent autem curias & prioratus, in quibus tam clerici quam laici, secundùm quod eis a superioribus suis injungitur, commorantur.*

82. Non multùm ab hac vivendi ratione differebant canonici S. Gilberti de Simpringham, qui ipsi eadem ferme ætate ordinem in Anglia celeberrimum instituere, in quo viri S. Augustini, feminæ S. Benedicti regulam servabant. De eo vide si lubet Eliotum tom. 2. Hist. ord. monast. cap. 29. XVI. Ordo S. Gilberti de Simpringham.

83. Calesiensis exigua Congregatio, cujus memoria pene est oblitterata, suo etiam tempore floruit apud Delphinates. Ejus caput Calesium, monasterium olim ordinis S. Benedicti in Gratianopolitana diœcesi, ab illustri viro Guidone Delphino & Mathilde regina ejus conjuge, anno circiter millesimo & trigesimo conditum, ornatumque reditibus & prædiis, tam sanctis legibus a prima sui origine refulsit, ut jugum ejus monasteria alia paulatim subire, ipsique ut capiti subjici optarent: in quibus præcellebant ceteris Boscodunum & Alba-vallis Ebredunensis diœcesis, ac Lura in Sistaricensi, quæ anno demum quadragesimo octavo supra millesimum & centesimum aliquam inter se societatem inire statuunt, edita exemplo Cistercienſium Charta Caritatis, in qua inter alia est definitum; Ut abbas Calesiensis, novæ congregationis pater, monasteria sua visitet, emendet & corrigat. Singulis annis omnes congregationis abbates ad capitulum generale convocet, electos confirmet; utque ejus vicissim electioni Boscoduni & Albæ-vallis abbates præesse, Calesiamque visitare queant, aliaque solemni hoc decreto egregie XVII. Congregatio Calesiensis in Delphinatu.

ſancita, quæ legi poſſunt tom. 4. noſtrorum Anecdotorum, pag. 1211. At quæ eſt rerum etiam optime conſtitutarum miſerabilis conditio! Puſilla hæc Congregatio ſuos non modo fines ulterius protuliſſe non videtur, ſed caput ejus Caleſium, monachis ſenſim deficientibus, ad tantas eſt anguſtias exeunte ſæculo decimo tertio redactum, ut majori demum Cartuſiæ ipſum Guillelmus epiſcopus Gratianopolitanus, impendente jam ruina, adjungi & attribui præceperit anno Domini MCCC.

XVIII. Ordo Vallis-Caulium.

84. Sub finem ſæculi XII. novus in diœceſi Lingonenſi ordo ſub S. Benedicti regula ſurrexit, Vallis-caulium dictus: cujus auctorem vulgo faciunt fratrem Wiardum Cartuſienſis ordinis in Luvignienſi monaſterio converſum, qui cum non ſatis rigidas Cartuſienſium leges exiſtimaret, in proximam vallem ſilvis undique circumdatam ſeceſſit, ibique congregatis diſcipulis, novum fundavit ordinem. Verum popularem hanc traditionem ad vulgi fabulas ablegandam eſſe demonſtravimus in primo noſtro Itinere Litterario pag. 112. 1. Quia Vallis-caulium monaſterium paucis poſt Luvigniacenſis Cartuſiæ fundationem annis conſtruxit Odo dux Burgundiæ, anno ſcilicet MCXCIII. quo tempore Cartuſienſes, ubique primævum ordinis ſui fervorem retinentes, reformatione non indigebant. Immo quamvis Vallis-caulium fratres rigidiorem ducerent vitam, Cartuſienſium tamen auſteritatem attigiſſe, nedum ſuperaſſe credimus. Deinde Ciſtercienſium non Cartuſienſium uſus & conſuetudines adoptatas a Caulitis fuiſſe diſerte aſſerit Jacobus a Vitriaco auctor ejus ætatis. 3°. Primus Vallis-caulium prior Guido, non Viardus vocabatur, ut fert ejus & Humberti ſucceſſoris tumulo appoſitum epitaphium:

Hic duo ſunt fratres caput ordinis & protopatres
Guido & Humbertus, ſit Chriſtus utriſque miſertus.

Poſtremò in ſacra æde hoc legitur inſcriptum. *Anno Domini* MCCXCIII. IV. *nonas Novembris intravit frater Wiardus in chorum Vallis-Caulium*, hoc eſt anno poſt monaſterium conditum centeſimo vigeſimo, atque adeo nec ejus loci auctor aut conditor haberi ulla ratione poteſt frater Wiardus.

85. Aliam & longe diverſam Vallis-caulium originem hiſtoriæ Cartuſienſis ordinis ſcriptor hoc tomo editus his verbis refert. *Cum quemdam Cartuſienſem provectum patrem dæmon præcipitaſſet in fugam, invenerunt eum quidam nobiles de Francia dicti de* Mont-corne *in ſilva quaſi deſolatum: qui interrogatus reſpondit ſe de clauſtro fugiſſe propter nimium rigorem vitæ, adjecitque quod ſi tempore abſtinentiæ panis & aquæ caules habuiſſet, bene contentus manſiſſet. Miſerti illius pauperis, duxerunt eum ad ſua, aſſignantes ei locum pro fructibus & herbis valde fertilem, cui & ex hoc* CAULIUM *vocabulum eſt, unde & ipſi fratres* CAULITÆ *ſunt vocati. Ibidem ergo facto clauſtro quodam, & a ſede apoſtolica, promotore Domino, approbato, adunati ſunt ſocii multum devoti, qui viventes quaſi ſint Cartuſienſes, per multos annos multum ibi bene habuerunt ſe.*

86. Ex his, quæ ſane non longe a vero abeſſe exiſtimo, patet primùm Caulitas ex ordine Cartuſienſi prodiiſſe, primumque eorum patrem ex Luvigniaci Cartuſia aſſumtum, id quod aliunde diſcimus ex primis eorum conſtitutionibus a nobis aliàs editis, ubi cap. 10. hæc leguntur: *Primus pater & conſtitutor ordinis noſtri de eccleſia Luniaci ad locum Vallis-caulium, unde exorti ſumus, primitus venit.* Unde mirum non eſt, quod pleraque Cartuſienſium inſtituta, ipſumque habitum, & miſſale haberent, maximeque a carnibus abſtinerent tam ſani quam infirmi. Immo a Luniacenſi etiam monaſterio ſic pendebant, ut nec novitium admittere ſine fratrum conſenſu poſſent, ut aperte docent laudatæ jam conſtitutiones cap. 32. *Novitius in Valle caulium non debet ire, niſi congregentur monachi Luniaci & monachi Vallis-*

Tom. 4. Anecd. pag. 1654.

caulium, nec domum ipſam intrare poteſt. Votorum tamen nuncupationem, ſeu, ut vulgo dicitur, profeſſionem religioſam ſecundùm S. Benedicti regulam edebant, ut conſtat cum ex conſtitutionibus cap. 42. tum ex ſtatutis capituli gen. anni 1266. c. 3. In pleriſque etiam Ciſtercienſium uſus ſibi impoſuiſſe teſtatur Jacobus de Vitriaco, ut jam dictum eſt. Ex quibus omnibus conjicio Vallem-caulium ex his fuiſſe monaſteriis, quæ olim Cartuſienſes in gratiam eorum qui eremi auſteritatem ferre non poterant, erigi, ac ſuis adjungi Cartuſiis ſinebant, quibus S. Benedicti regulam ea lege permittebant, ut a proxima Cartuſia & ejus priore penderent, ut ſupra vidimus. Tom. 4. Theſauri Anecdot.

§. II.

De fratrum Converſorum in monaſteriis origine.

87. Expoſitis, ut licuit, religioſorum ordinum XI. & XII. ſæculi originibus, nunc inquirendum videtur quo præciſe tempore fratres laïci, quos vulgo Converſos vocant, cœperint in monaſteriis recipi, & religioſis alligari inſtitutis. Hanc verò provinciam, paucis hactenus notam, eo lubentius ingredimur, quod nonnulli eos putent a Ciſtercienſibus ortos & propagatos, remotiorique ignotos antiquitati, quæ ſane opinio quantum a vero abſit, non eſt, ut credimus, extra propoſitum noſtrum vel paucis demonſtrare, cum pleraque monaſteria eorum maxime fratrum cura & labore erecta fuerint aut reparata, agri exculti, prædia & reditus aliaque id genus, ſine quibus nec monachi ſtare ullo modo poſſent, acquiſita, aucta & conſervata. Fatemur quidem primos patres Ciſtercienſes ab initio definiiſſe, *Converſos laïcos barbatos ſe ſuſcepturos.... quia ſine adminiculo iſtorum non intelligebant ſe plenariè die ac nocte præcepta regula poſſe obſervare.* At quid inde ſequitur? id nimirum, Ciſtercienſes monachos, dum ſanctam regulam ad amuſſim obſervare inſtituunt, S. Benedicti mentem magis proſpicere quam verba. Errant qui converſorum originem ad Ciſtercienſes referunt. Exord. Parvum Ciſt. cap. 15.

88. Et certe ex his omnibus quos modo recenſuimus religioſis ordinibus, nullum prorſus reperias qui non ſuos habuerit fratres laïcos ſeu converſos. Obſervatum eſt ſuperius in vita S. Roberti de Arbriſello, Fontis-Ebraldi ordinis duodecimo ineunte ſæculo exorti inſtitutoris, *fratres laïcos & clericos mixtim ambulaſſe, excepto quod clerici pſallebant & miſſas celebrabant, laici laborem ſpontanei ſubibant.* Bernardus ordinis Tironienſis inſtitutor, *fratres illitteratos* morti proximus *commonuit, ut quaſi pelles & cilicia tabernacula Domini, purpuram & byſſum, hyacinthum a pluvioſis procellis protegerent, divinumque quod adminiſtrare nequibant officium, in exterioribus ſubſerviendo ſuum facerent.* Cartuſienſes, qui paulo ante Ciſtercienſes orbi Chriſtiano illuxere, ab ipſo exordio fratres admiſere converſos, quorum etiam numerus numerum clericorum longe excedebat. *Duodecim tantum monachos,* inquit Petrus Venerabilis, *cum decimo tertio priore, & decem octo converſis, pauciſque mercenariis, nullo prorſus addito, in ſui ordinis monaſteriis eſſe perpetuò decreverunt.* Apud Grandimontenſes clericis rerum cœleſtium contemplationi diviniſque officiis plerumque addictis, omnis rei exterioris cura & adminiſtratio ſolis incumbebat fratribus converſis, quos Stephanus æque ac clericos in prioris electione ſuffragium ferre voluit. Nec converſos fratres in percelebri Cluniacenſi monaſterio defuiſſe teſtis eſt Petrus Venerabilis, Cæleſtino papæ, qui eum de ſua in pontificem promotione fecerat certiorem, ſcribens, *Die ipſa,* inquit, *publicè in capitulo lectam* (epiſtolam papæ) *tam litteratis quam illitteratis, quos converſos vocamus, expoſui.* Quibus adde ſæpe in antiquis Cluniacenſium conſuetudinibus, tam a Bernardo priore quam ab Udalrico editis & collectis, horumce fratrum fieri mentionem, atque adeo eos Ciſtercienſibus, Cartuſienſibus, Grandi- Converſi admiſſi ante Ciſtercienſes. Vita Roberti de Arbriſello apud Boll. 25. Febr. In ejus vita. Lib. 2. Miracc. cap. 28. Lib. 4. epiſt. 18.

montenſibus & ceteris ejuſdem ævi ordinibus eſſe in Gallia multo antiquiores. Id vero amplius conſtat ex vita S. Geraldi abbatis Silvæ-majoris, qui ineunte ſæculo XI. Corbeienſi in monaſterio oblatus, *ab omnibus qui ibi erant tam monachis quam laïcis diligebatur.* Anno MVIII. cum laxatam ſuis in monaſteriis diſciplinam Armoricæ comes Gaufridus inſtaurare decreviſſet, Vitalem monachum e Floriacenſi monaſterio accerſitum, Ruyenſibus præfecit monachis, qui ſtatim laicos fratres cum clericis recepit, in quibus *monachus quidam nomine Gingurianus laicus, ſed Spiritu-ſancto omnibuſque virtutibus plenus cuſtos alvearii fuit, &c.* Sed & eodem in cœnobio *refulſit Gulſtanus. Hic laicus erat, ſed pſalmos & orationes quas memoriter didicerat, nocte dieque ante Deum decantare non ceſſabat.* Cum vero haud diverſam a Floriacenſi diſciplinam Vitalis abbas Ruyenſi in cœnobio inſtituerit, ſequitur ut ſuos etiam fratres converſos decimo ſæculo habuerint Floriacenſes in S. Benedicti monaſterio. Ex quibus jam luce clarius patet converſos ſeu laïcos quos etiam *barbatos* & *illitteratos* fratres appellant, in omni paſſim Gallia XI. & XII. ſæculo diſperſos ubique fuiſſe.

Vita S. Geraldi Sæc. VI. Bened.

In Italia. 89. Idem de Italia aſſerimus, & jam dictum eſt Johannem Galbertum, qui medio ſæculo XI. Vallis-umbroſæ monaſterium & congregationem inſtituit, ejuſmodi excepiſſe viros, *qui nihil fere a monachis diſtabant extra veſtium qualitatem & ſilentium, quod in exterioribus occupati nequibant plenius obſervare, taleſque tam probatos converſos pater ad mercatum & ad omnia exteriora mittebat.* De congregatione etiam Fontis-Avellanæ Petri Damiani teſtimonium protulimus: *Plerumque*, ait, *viginti plus minus monachi per cellulas ſive in aſſignata cuique obedientia degimus, ut omnes ſimul cum converſis & famulis tricenarium, quinarium numerum aut vix aut breviter excedamus.* S. Romualdus Camaldulenſium eremitarum pater, ordinem ſuum inſtituens, ſicut eremitas ſimul & cœnobitas, ita & clericos unà cum laïcis admitti voluit. Unde Fontem-bonum eodem quo Sacramcremum tempore ad radices montis erexit, *ubi monachum unum presbyterum cum tribus laicis fratribus quos converſos vocamus conſtituit*, ut ſcribit Auguſtinus Florentinus Hiſt. Camaldulenſis lib. I. c. 29. Ipſe etiam Romualdus cum ob patratam a patre ſuo, ſe præſente, cædem cujuſdam conſanguinei ſui, in Claſſenſe prope Ravennam monaſterium feceſſiſſet, *cœpit cum quodam converſo quotidianum habere colloquium, a quo etiam juxta mediocritatis ſenſus, bonæ exhortationis audiebat ſæpe conſilium: quem cum converſus frequenter admoneret ſæcularem vitam animo poſtponere, & ad ſancta converſationis ordinem feſtinare*, demum acquievit. In Romanis S. Pauli conſuetudinibus tempore S. Odilonis abbatis conſcriptis, & a Farfenſibus etiam adoptatis, ſæpe fit mentio fratrum converſorum, & quod in primis eſt obſervandum cap. 21. ſtatuitur, ut in feſto S. Petri ad Vincula *ad majorem miſſam induantur omnes cappis, etiam converſi qui ſciunt cantare.* Ubi vides converſos vulgo a cantu abſtinuiſſe, & qui ſcitè canerent, eis ſingulari indultum privilegio, ut præter morem geſtarent cappas cum aliàs a monachorum choro cum ceteris arcerentur.

Sæc. 6. Ben. tom. 2. pag. 274.

Opuſc. 15.

Ejus vita num. 5. Sæc. 6. Bened. pag. 257.

In Germania. 90. Jam vero ſi gradum faciamus in Germaniam, Willelmus abbas Hirſaugiæ, multorum monaſteriorum pater & reformator, *primus*, teſte Heimone vitæ ejus ſcriptore, *inſtituit, ut monachi miniſterio fideli laicorum converſorum in exterioribus adminiſtrandis uterentur; & verſa vice laici a monachis quod ad curam animarum pertinet, conſequerentur, eorumque clauſtralem diſciplinam pro poſſe ſuo extra clauſtrum in corrigendis moribus imitarentur.* Ubi quod ait Heimo fratres converſos a Willelmo primùm inſtitutos, ne ita velim intelligas, ut eos neges ante ipſum admiſſos uſquam fuiſſe aut viſos, cum pleraque Galliæ & Italiæ, ut patet ex dictis,

Ejus vita Sæc. 6. Ben. tom. 2.

immo

immo & Angliæ, ut mox ſumus dicturi, monaſteria eſſent hujuſmodi fratrum plena & conferta. At vel dicendum eſt cum Trithemio, quod *hunc converſorum ordinem primus in Germania* inſtituerit, vel quod tam numeroſum converſorum exceperit gregem, ut clericos longe excederent; nulla quippe ars nullumve miniſterium excogitari poterat, quod non exercerent Hirſaugiæ fratres converſi: *unde converſorum laboribus adjutus tot fundavit monaſteria & monachorum neceſſitates laudabiliter adimplevit*, inquit Trithemius; quod ſane in Germania fatendum eſt ante eum præſtitiſſe neminem; quamquam nec converſi ante Guillelmum ignoti apud Germanos videntur, ut patet ex libro miraculorum S. Drutperti, ubi mentio fit fratris converſi, *cui erat, ut moris eſt, barba procerior*. Item ex Trevirenſi S. Matthiæ cœnobio, ut ſumus infra dicturi. Chron. Hirſaug. Bolland. 26. April.

91. De monaſteriis Anglicanis nihil dubii relinquit S. Lanfrancus epiſtola ad Johannem Normanniæ archiepiſcopum: *In cœnobiis*, inquit, *monachorum fratres laici induuntur albis; ex antiqua patrum inſtitutione ſolent ferre manipulum.* Si enim *ex antiqua inſtitutione*, nec tum igitur recentis erant originis. Quod vero albis induerentur, nec hodie eſt plane inſolens; viſunturque hactenus Andaginenſes fratres converſi publicis in ſupplicationibus præcipuorum anni feſtorum, albis ſive ſuperpelliciis pariter induti. Anno 1076. Ingulfus Fontanellenſis in Normannia monachus, cum trajectus in Angliam Croylandiæ abbatia fuiſſet a rege ornatus, ait ſe inveniſſe *in iſto monaſterio monachos* LXII. *quorum quatuor laici fratres erant*, anno vero 1091. deſcribens hujus monaſterii incendium, *Refectorium*, inquit, *noſtrum & omnia in eo contenta.... cum coquina & annexis, & fratrum converſorum aula & camera, cum omnibus contentis in ea, concremantur.* Erant ergo Croylandiæ in monaſterio converſi a monachis ſeu clericis aulâ & camerâ ſive dormitorio ſeparati. In Anglia. Epiſt. 13.

92. Ex dictis hactenus evidenter conſtare exiſtimo, fratrum converſorum originem longe altius eſſe repetendam quam vulgo conſtitui ſolet, nec recte XI. aut XII. ſæculo homines dici novos aut ignotos, cum jam XI. ſæculo frequentes in Gallia, in Italia, in Germania, in Anglia, in omnibus denique reperirentur locis, ubi aliqua eſſet monachorum congregatio; niſi quis fortaſſe dicat hos homines, novos & ignotos, aut ubique inviſos, tum primùm ubique ſimul apparuiſſe; omneſque tot monaſteriorum, diverſique inſtituti abbates, legiſlatores, fundatores tot regionibus, tot regnis & provinciis, atque etiam lingua & moribus disjunctos ac ſeparatos, eodem ſimul tempore, eadem mente, eodem animo, ſed ne communicato inter ſe conſilio, unà conſpiraſſe, ut converſos ſecum haberent, reciperent, eiſdemque alligarent inſtitutis; id ſane perſuadere nemo poterit, ſi vel in memoriam revocetur tum converſos *ex antiqua patrum inſtitutione* in monaſteriis poſitos & ſtabilitos fuiſſe, ut clare inſinuat Lanfrancus laudata ſuperius epiſtola ad Johannem archiepiſcopum Rothomagenſem.

93. Id vero pluribus adhuc monumentis confirmari facile poſſet. Sæculo X. Turketulus abbas Croylandenſis in extremis conſtitutus, omnem monaſterii congregationem advocavit, *monachos ſcilicet quadraginta ſeptem & laicos fratres quatuor*, ut ſcribit Ingulfus ejus loci abbas & ſcriptor accuratus. In Trevirenſi S. Eucharii, ſeu, ut nunc vocant, S. Matthiæ cœnobio fratres converſos ſæculo X. non defuiſſe apertè indicatur in libro miraculorum S. Celſi epiſcopi num. 4. ubi Egbertus Trevirenſis epiſcopus fertur quemdam contractum meritis S. Celſi *ſanatum, monachico habitu contexiſſe. Erat enim*, inquit auctor hujus libri, *de familia epiſcopi, & quamdiu adviveret, ne ab eccleſia ſervitio pedem retrahere præſumeret, præfixo mandat præcepto. Idem autem renovatus pauper pluribus annis, ut juſſus fuit, in monaſterio deſer-* Converſi ſæculo X. Ingulf. hiſt. ad annum 975.

vivit, & poſt curationem tanta potentia viguit, & viribus abundavit, ut inter omnes monaſterii ſervitores parem invenire ſibi non poſſet. Unde factum eſt, ut ad majorem utilitatem fratrum conſenſu accedere debuiſſet, id eſt ad fullonis officium. Ubi vides eum quem monaſtico prius habitu indutum dixerat, exterioribus occupatum exercitiis, inter monaſterii famulos connumerari, & fullonis mancipari officio, quæ ſane ſolis conveniunt fratribus converſis.

Et nono. 94. Jam ſæculum nonum ſi vel leviter excurrere libet, ſorores etiam laïcas ſeu converſas in S. Mariæ Argentolienſi parthenone egiſſe reperio & colligo ex lib. 2. Miraculorum S. Dionyſii cap. 25. ubi ejus auctor operis, qui ſub Carolo-Calvo ſcribebat, de duabus agit ſanctimonialibus, *quarum altera Deo ſacrata, altera laica fuit.* Nec ſemel fit converſorum mentio in Bertulfi Merciorum regis litteris pro Croylandia datis anno 851. quibus pie religioſeque annuit rex & indulget in peccatorum Witlafi regis, fratris ac prædeceſſoris ſui remiſſionem, ut per totum ſuum Merciæ regnum *abbas, monachus, converſuſve ſacri monaſterii* Croylandenſis, *pro quocumque negotio proceſſerint*, de fugitivis qui ad S. Guthlaci limina, velut ad tutum azylum confugiebant, *famulos ſibi licenter faciant & producant, inque præſentia dicti abbatis monachi vel converſi ubique per regnum... ſicut in eccleſia ſua* CROYLAND *ſalvi permaneant & ſecuri.* Atque hic advertas velim monachis opponi converſos & ab eis diſtingui, quod aliàs ſæpe occurrit. Sed & infra vetat, ne quidquam exigatur *a Croylandia monachis litteratis aut* LAÏCIS. Præterea in Ingulfi Hiſtoria Croylandenſi memoratur anno 870. *Frater Talius*, monachus converſus *ejuſdem monaſterii, miles ante converſionem per totam Merciam in bellicis rebus nominatiſſimus.*

Immo & VII. 95. Sæculo VII. S. Wulmarus genere illuſtris, cum plane rudis & illitteratus Altimontis Hannoniæ monaſterii abbatem ſtudio vitæ monaſticæ adiiſſet, ab eodem abbate libentiſſime admiſſus, opera ſtatim ſubiit miniſterii viliſſimi, *injunxit*que ei abbas *cauſa obedientiæ boum, fratrum curam gerere, ac ligna ad eorum officinas miniſtrare. Ille verò promto animo injunctam ſibi obedientiam* uſque *exercebat*, dum litteris imbutus, & clericali ac ſacerdotii honore inſignitus, monaſterium in proprio Silviaci fundo ædificavit, & ſanctiſſime rexit; haud dubie autem fratribus converſis ſeu illitteratis tum adſcriptus ſub abbatis obedientia fuerat, quando tam vilia explevit ſervitia, quæ aliàs viro nobili & ingenuo numquam impoſuiſſet Altimontis abbas. Aliquot ante annis S. Fructuoſus epiſcopus Bracharenſis monachorum regulam conſcripſit, in qua fratres converſos manifeſte deſignat cap. 13. *Monachi*, inquit, *in monaſterio ſancte ac pudice atque honeſte viventes perſiſtant: laici foris abbatis & præpoſiti mandata peragant.* Monachos igitur rebus vacare divinis volebat: *in monaſterio perſiſtant.* Fratribus vero converſis exteriora cedere miniſteria: *Laici foris abbatis & præpoſitorum mandata peragant.* Nec aliter eſt intelligenda S. Iſidori regula: *Ars piſtoria*, inquit, *ad laicos pertinebit; ipſi enim triticum purgant, ipſi ex more molant, maſſam tantumdem monachi conficiunt.*

Sæculo etiam VI. 96. Venio ad ſæculum VI. quo florente in Italia ſanctiſſimo patre Benedicto S. Kentigernus in Hibernia Glaſconienſe erexit monaſterium, *in quo congregati ſunt... novies centum ſexaginta fratres ſub regulari diſciplina in magna abſtinentia Deo ſervientes. Trecentos enim illitteratos*, ait vitæ ejus ſcriptor, *agriculturæ & pecorum cuſtodiæ extra monaſterium deputavit, alios trecentos operibus intra monaſterium exercendis & cibariis præparandis aſſignavit, & trecentos ſexaginta litteratos divinis officiis intitulavit.* In re-

Reg S. Ben. cap. 66. gula etiam S. Benedicti haud obſcura fratrum converſorum indicia mihi deprehendiſſe videor. Nam primò ſic monaſterium conſtrui voluit, *ut artes*

diverſæ intra ipſum *monaſterium exerceantur*. Monaſterii etiam artifices *cum humilitate & reverentia ipſas artes exercere* præcepit, ita ut *ſi quis ex eis extollatur pro ſcientia artis ſuæ, eò quod videatur conferre aliquid monaſterio, hic talis evellatur ab ipſa arte, ac denuo per eam non tranſeat, niſi forte humiliato ei iterum abbas jubeat*. Quibus ex verbis facile eſt colligere artifices illos non ſæculares viros, ſed verè religioſos fuiſſe; religioſos inquam laïcos ſeu converſos & illitteratos, qui chori officiis vacare minime poterant. Et certe nullo prorſus regulæ teſtimonio probare quiſquam poterit famulos olim conductitios ad monachorum obſequia adhibitos a ſancto Benedicto fuiſſe; immo contrarium ſæpe docet & præcipit. Capite 35. *fratres* hortatur *ſic ſibi invicem ſerviant ut nullus excuſetur a coquinæ officio*. Capite 53. fratres per annum duos præparandis hoſpitum cibis deputat, & tertium ſtatuit fratrem qui lectos ſternat, & cellam mundet ſcopis. Infirmis etiam a fratribus operam dari conſtituit. *Qui quidem infirmi*, inquit, *conſiderent in honorem Dei ſibi ſerviri, & non ſuperfluitate ſua contriſtent fratres ſuos ſervientes ſibi*. Jam verò ſi quod aggrederetur ædificium, fratres etiam, non alios opifices ſolebat adhibere. Atque adeo fratres cõverſos a ſancto Benedicto admiſſos fuiſſe nemo, opinor, temere aſſeret, cum vix fieri poſſet quin ſæpe plures in tam numeroſo artificum grege reperirentur adeo rudes & illitterati, ut nec legere, atque adeo nec divinis defungi officiis ulla ratione poſſent. Et conjecturam hanc noſtram confirmat ipſe ſanctus pater præcipiens, ut *ſi novitius* monaſterio addicendus *non ſcit litteras, alter ab eo rogatus ſcribat, & ille novitius ſignum faciat, & petitionem manu ſua ſuper altare ponat*. Itaque fratres in monaſteriis S. Benedicti tempore erant, qui nec latine ſcirent, nec legerent : eos uero laicos appellabant, illitteratos, barbatos, converſos, qualis fuiſſe videtur pauperculus ille mendicus, quem ab infirmitate ſanatum ſanctus Ebrulfus abbas *faciens monachum, hortulanum eſſe præcepit*, ut ſcribit Ordericus Vitalis.

Cap. 57.

Cap. 36. de infirmis.

Reg. S. Ben. cap. 58.

Lib. 6. Hiſt. pag. 617.

97. Quin etiam ante S. Benedicti tempora fratres converſos Lirinenſi in monaſterio fuiſſe conſtat ex concilio Arelatenſi ſub Ravennio archiepiſcopo. Nam cum Theodorus epiſcopus Forojulienſis contra privilegia a Leontio deceſſore ſuo conceſſa, Lirinenſe monaſterium ſibi ſubjicere tentaret, Fauſtus abbas, is qui poſtea Rhegienſis fuit epiſcopus, conſtanter ei reſtitit. Re autem ad Ravennium dẽlata, & in congregata ab eo ſynodo maturè diſcuſſa, ſtatutum eſt, *ut clerici atque altaris miniſtri nonniſi ab ipſo* Theodoro epiſcopo Forojulienſi, *vel cui injunxerit ordinentur? Chriſma nonniſi ab eo ſperetur; Neophyti ſi fuerint, ab eodem confirmentur; Peregrini clerici abſque ipſius præcepto in communionem vel ad miniſterium non admittantur. Monaſterii verò* OMNIS LAÏCA MULTITUDO *ad curam abbatis pertineat, neque ex ea epiſcopus ſibi quidquam vendicet, aut aliquem ex illa clericum, niſi ab abbate petente præſumat*. Jam manifeſtum eſt his verbis *omnis laica multitudo*, viros religioſos intelligi, ut poſt Menardum obſervavit Mabillonius. Hactenus, ni mea me fallit opinio, evidenter probatum eſt fratres converſos monaſteriis omni tempore addictos fuiſſe, quique ipſos aut a Ciſtercienſibus originem dicunt ducere, aut certe undecimo ſaltem ſæculo natos aut vix notos affirmant, nullo prorſus fundamento niti.

Et ante S. Benedicti ætatem.

98. Quod vero quidam curioſius inquirunt, ſolemnibuſne an privatis ſolum aut ſimplicibus, ut vulgo loquuntur, votis ſe fratres iſti converſi aſtringerent, illud ipſum nec inquirendum eſſe arbitror. Quem enim vel leviſſime in antiqua eccleſiæ diſciplina verſatum latet, recentem hanc votorum diſtinctionem, omnibus non modo ignotam antiquis, ſed & contrariam prorſus videri, votaque omnia privatim aut ſolemniter prolata æquè ſemper obligaſſe? Et certe eamdem a clericis & converſis uſurpatam olim

Qualis eſſet converſorum profeſſionis formula.

fuiſſe votorum nuncupationis, ſeu, ut loquuntur, profeſſionis formulam, ex ipſamet eruitur S. Benedicti regula: *Quam petitionem*, inquit, *manu ſua ſcribat*, monachus nimirum vel clericus choro addictus, aut *ſi non ſcit litteras*, quod ſolis convenit fratribus laicis ſeu converſis, *alter ab eo rogatus ſcribat*. Idipſum confirmant antiqui rituales libri, quibus eadem converſis & monachis formula præſcribi ſolet, hujuſque ferme tenoris, uti ex pleriſque colligere licet codicibus mſ. *Ego frater ill. ſacerdos vel diaconus vel converſus promitto ſtabilitatem, &c.* Primi omnium Ciſtercienſes, fratribus, opinor, rudibus & tardioris memoriæ conſulentes, qui nec legere nec prolixiorem formulam pronuntiare poterant, hanc invexere novam. *Ego promitto obedientiam de bono uſque ad mortem;* qua tamen ipſos non minus quam monachorum prolixiori formula illigari pro certo habebant; ſolo enim obedientiæ voto omnia alia contineri manifeſtum eſt. Et tantum abeſt ut aliter cogitarent, ut quilibet frater laïcus ad mundi hujus procelloſum mare depoſito ſanctæ religionis habitu & abjuratis votis ſe tranſtuliſſet, eum continuo apoſtatam haberent, captumque & carcere detentum, graviſſimis afficerent pœnis, ut videre licet in plurimis capitulorum generalium decretis tom. 4. Anecdotorum noſtrorum pag. 1252. 1254. 1255. 1264. 1272. 1284. &c. Et quiſquis religioni voto obſtrictus uxorem ſibi temere adjunxiſſet, irritum reputabatur ejus matrimonium, tamquam ligati jam hominis cum ſoluta conjunctio, *quam contra eccleſiaſticam auctoritatem conſtat eſſe contractam*, inquiunt concilii Rhemenſis patres ſub Eugenio III. cum tamen hodie vota quæ appellantur ſimplicia, contrahendum impediant matrimonium, contractum non dirimant.

An converſi a monachis ſtatu & conditione differant.

99. Jam his poſitis, facile ſolvetur quæſtio alia, fratreſne laïci a monachis ſeu clericis ſtatu & conditione differant. Si enim iiſdem utrique votis obligantur, ſi eadem ſub regula & ſub eodem patre militant, reſtat ut æque ſint monachi, & verè religioſi. Quod vero nec ſacris initiari ordinibus, nec clericis aſcribi ulla ratione poſſint; quod a choro, quod a capitularibus deliberationibus arceantur, quod poſt monachos ſedeant atque aliis addicantur abjectis rebus & miniſteriis, quæ hac profeſſionis clauſula *in ſtatu converſorum* continentur, hæc inquam, qualiacumque a clericis diſcrimina, conſtitutum laïcis in ſacra religione locum & ordinem, quæque annexa ipſi ſunt onera potius tangunt, quam ipſam ſtatus monaſtici naturam ſeu eſſentiam. Nec vero ægrè ferant boni illi fratres has ſibi imponi leges, quæ quam ſaluberrime ſint inſtitutæ, perpetuo erit documento ſanctus ordo Grandimontis, quem laïcorum impotens protervitas fœdiſſime miſcuit & prope evertit; quorum, ſi ſapiant, infortunio edocti, eo lubentius ſe ſuis continebunt finibus, quo ſecurius matri virtutum humilitati ſervitur. Ceterum apud Ciſtercienſes licèt habitu differrent, ad abbatis electionem ſimul cum clericis advocari ſolebant, ut colligitur ex S. Bernardi epiſtola 306. n. 2. Apud Grandimontenſes æquali cum clericis numero priorem eligebant, ut eſt ſuperius obſervatum.

An olim propriæ converſis leges impoſitæ.

100. Erunt fortaſſe qui non exiſtimabunt leges hujuſmodi tempore S. Benedicti latas fuiſſe, fratribuſque impoſitas laïcis. At nemo uſquam eos clericali ornatos corona reperiet, ſed tonſis ſolum crinibus. Immo varias clericalium coronarum ſpecies in monaſteriis adhibitas fuiſſe obſervat Mabillonius, majores quidem presbyteris, diaconibus alias, & paulo minores, minimas vero ſubdiaconis & ceteris inferioribus clericis, at nulla uſquam converſorum facta mentione. Veſtes etiam habebant e rudiori panno confectas ac proinde a clericorum tunicis prorſus differentes, quæque diverſis illis quæ quotidie exercebant artibus & miniſteriis convenirent. Unde Atto in vita S. Johannis Galberti de converſis agens Vallis-umbroſæ, eos repræſentat ut

viros

viros religioſos & pios, *qui fere nihil a monachis diſtabant extra veſtium qualitatem & ſilentium.* Suis etiam locis ſeu dormitoriis jacuiſſe, ſuiſque refectoriis cepiſſe cibos non modo probant antiqui Ciſtercienſium uſus & ſtatuta Cartuſienſium, ſed & laudata jam Ingulfi Croylandenſis hiſtoria, eo loco nimirum quo monaſterii incendium anno MXCI. deſcribit. *Refectorium*, inquit, *noſtrum & omnia in eo contenta, cum coquinis annexis, & fratrum converſorum refectorium, aula & camera cum contentis in ea concremantur.* In aula ergo & camera ſeu dormitorio laïci ſeparato quieſcebant; quod conſulto nec temere ab antiquis inſtitutum patribus nemo qui ſanum ſapiat arguet. Nam cum exterioribus occupati operibus, incertis ut plurimùm horis tardiuſque ſe reciperent, & plerumque ſurgerent ſummo mane, magno monachorum incommodo eodem decubuiſſent loco ſeu dormitorio. Quod vero de dormitorio & refectorio obſervamus, idem & de choro dicendum, cum eccleſiæ navim inter officia divina occuparent, atque etiamnum occupent apud Cartuſienſes & Ciſtercienſes fratres converſi.

101. Cum vero in omnibus fere antiquis ſcriptoribus & quamplurimis ſtatutis ſeu decretis a monachis diſtingui ſoleant converſi, dubitabit fortaſſe aliquis an monachi ſint appellandi, & dubitandi locum tribuit Innocentius papa II. qui diſertis id verbis negat in quibuſdam privilegiorum litteris S. Bernardo datis: *Converſos*, inquit, *veſtros, qui monachi non ſunt, poſt factam in cœnobiis veſtris profeſſionem, nullus archiepiſcoporum, epiſcoporum vel abbatum ſine veſtra grata licentia ſuſcipere aut ſuſceptos retinere præſumat.* Verum hæc quæſtio eſt ſolum de nomine; nam ſi viros monachis annumeres religioſos & monaſtico ordini votis addictos, conſtat eos vere eſſe monachos, ut modo dicebamus; ſin vero monachos velis ab omni rerum ſæcularium commercio ſeparatos cœleſtium vacare contemplationi, non erunt nec appellabuntur monachi; quod quidem hoc regulæ S. Fructuoſi loco nititur. *Monachi in monaſterio ſancte & pudice atque honeſte viventes perſiſtant. Laici foris abbatis & præpoſiti mandata peragant.* Unde & in vita S. Johannis Galberti præter veſtium qualitatem & ſilentium, quod exterioribus addicti ſervare nequeunt, nihil fere a monachis videntur differre. An monachi poſſint appellari.

102. An vero converſos in cœnobiis admitti, an famulos aliunde aſcitos collocare expediat, quod quidem vellent nonnulli, non eſt hujus loci vel paucis indagare. Id unum fidenter aſſevero, qui a ſæcularibus ſibi ſerviri malunt, eos procul a S. Benedicti mente recedere, qui ſæcularium obſequia nuſquam admiſiſſe legitur. Ciſtercienſes monaſteriorum ſuorum opes & divitias ſolis debent converſis, quorum erat agros ſteriles diligentius colere, extricare ſilvas, armentorum & pecorum greges ſtudioſe procurare. Denique ampliſſimas monaſteriorum moles aliaque ædificia & baſilicas erigebant, & feliciter, nulla exterorum ope nulloque adminiculo, conſummabant. Unde ſæpe clericos numero ſuperaſſe conſtat, vidique olim in baſilica Claræ-vallis fratrum converſorum chorum triplici ſubſelliorum ordine ex utraque parte diſtinctum omnem baſilicæ navim facile occupantem, cum longe pauciora eſſent ſubſellia in breviori clericorum choro. In Rievallenſi Angliæ monaſterio Aelredus abbas centum & quadraginta monachos admiſit, converſos vero quingentos. An expediat converſos admitti in monaſteriis.

103. Præter fratres converſos in monaſteriis admiſſæ etiam fuerunt ad monachorum ſervitium ſorores converſæ, in vita B. Bernardi Pœnitentis dictæ *Sorores velatæ*, de quibus extat apud Petrum Venerabilem ſequens ſtatutum: *Statutum eſt ne ſanctimonialibus, aut converſis mulieribus juxta domos monachorum infra duas leugas ad minus habitatio aliqua concedatur.* Earum profeſſionis formulam ex Tarbeienſi S. Savini monaſterio hanc accepimus: *Ego mulier peccatrix, nomine Gallardis, cupiens nequam fugere ſæculum,* De fororibus converſis. Boll. 19. April. Stat. 47.

& adipiſci regnum cœlorum, offero me & filiam meam Mariam omnipotenti Deo & S. Savino in manu RAYMUNDI *abbatis, in conſpectu omnium ejuſdem monaſterii fratrum, & promittimus ego & prædicta filia mea obedientiam & ſtabilitatem in ipſo monaſterio, ſicut oportet familiares & converſas. Damus quoque, &c. Facta eſt charta iſta menſe Auguſto, regnante in Bigorra Petro de Marca & comitiſſa uxore ejus Beatrice, anno* MCLVII.

§. III.

Obſervationes de diſciplina eccleſiaſtica.

Obſerv. I. De moribundis in cinere & cilicio exſpirantibus.

104. Etſi præfationis metas jam exceſſiſſe videamur, paucas tamen eaſque breves ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectantes obſervationes hic præterire non poſſumus. Una erit de infirmis olim in cinere & cilicio depoſitis, ut cum ſinceræ hoc pœnitentiæ ſigno animam Deo redderent, ſecundùm ſolemne hoc S. Martini epiſcopi Turonenſis effatum: *Non decet Chriſtianum niſi in cinere & cilicio mori.* Quo de ritu plura olim a nobis dicta ſunt in lib. 5. de antiquis monachorum ritibus cap. 9. & in lib. 3. de eccleſiæ ritibus cap. 11. Ne quis tamen hanc exiſtimet diſciplinam apud monachos ſolos aut primis dumtaxat eccleſiæ ſæculis apud Chriſtianos locum habuiſſe; plura nobis Gerardus prior Grandimontenſis exhibet exempla, quibus ea ſub XII. etiam ſæculi finem apud omnes Chriſtianos prævaluiſſe comprobatur. Nam in vitæ S. Stephani cap. 23. narrat Andream quemdam, in Glutorum villa, febre acuta correptum, convocaſſe presbyteros & clericos, præmiſſaque confeſſione, Corpore & Sanguine Domini ſeſe muniiſſe, tum præparatis omnibus ad funus neceſſariis, *graviter cœpiſſe nimio dolore affligi & ad mortem uſque perduci, quod cum viderent qui aſtabant, depoſuerunt eum de lecto in terra ſuper ſtramenta, ut moris eſt Chriſtianis mori, &c.* Hæc contigerunt ipſo anno revelationis S. Stephani, quæ defuncto jam anno 1189. Henrico Anglorum rege facta eſt. Simile aliquid eveniſſe legimus cap. 28. anno 1192. in pago Ruthenico, ubi mulier quædam Florentia nomine, nobilitate & probitate florens, gravi infirmitate languens, *cum cerneret ſe mori & fere de ſanitate ſua tam ipſa quam vir ejus & ceteri deſperarent, poſita eſt in cilicio, ut mos eſt Chriſtianis mori, &c.* Circa idem tempus in territorio Caturcenſi, vico Saliniaco, cum Bernardus quidam Arnaldi filius ad extrema fuiſſet redactus, & Bernardus Conſtantini ejus patrinus accerſitus ad eum veniſſet, *invenit adoleſcentem jam penitus deſtitutum, nec videntem, nec audientem, ſed quaſi mortuum in cinere & cilicio, ut moris eſt Chriſtianis vitam finire, projectum, &c.* quæ fuſiùs narrat Gerardus cap. 33. Et cap. 35. Iterium de Monte-Valerii in S. Juniani vico, gravi infirmitate laborantem & jam poſitum *in cinere & cilicio,* UT MORIS EST CHRISTIANIS MORI, commemorat a S. Stephano ſanitati fuiſſe reſtitutum, quod etiam aliis, de quibus hactenus, præſtitit beneficium.

Sulp. Sev. in vita S. Mart.

105. Neque ab hac lege immunes fuere ipſi epiſcopi, ut multis demonſtrari poſſet exemplis. Unum ſuppeditant acta epiſcoporum Cenomanenſium cap. 38. de Guillelmo præſule piiſſimo, *qui cum jam prope videretur, ut in fata concedere deberet, ipſe ad terram ſuper cinerem poſitus, peracta commendatione animæ, quam Petrus abbas Belli-loci & multi alii cum lacrymis celebrabant,* migravit ad Dominum anno 1188. Alter etiam Guillelmus Bituricenſis archiantiſtes, vir, ſi quis umquam, ſanctiſſimus anno 1209. *in cinere & cilicio* depoſitus ad cœlos evolavit, ut tradit auctor Patriarchii Bituricenſis cap. 68.

Mabill. tom. 3. Anal.

Labb. Bibl. nova.

106. Quid quod & ipſi potentiſſimi reges & principes hoc ultimum pœnitentiæ teſtimonium palam dare non recuſabant. Illuxit hac in re inſignis Lu-

dovici VI. Francorum regis pietas, qui extremo decumbens morbo, ut ſcribit Sugerius, *præcipiens tapetum terræ, & cineres tapeto in modum crucis deponi, ibidem manibus ſuorum depoſitus eſt.* Idem de S. Ludovico Francorum rege illuſtri narrat anonymus vitæ ejus ſcriptor apud Cheſnium: *Chriſti pugil ſtrenuus ſuper ſtratum cinerem recubans, extenſus in modum crucis... de temporali regno tranſivit ad æternum.* His addo Mathildem reginam, Henrici Aucupis imperatoris conjugem, de qua hæc lego: *Appropinquante autem hora nona, juſſit cilicium humi poni & corpus moribundum ſupra collocari, propriis manibus imponens cinerem capiti.* Hiſt. Franc. tom. 5. p. 406. Vita Mathild. reg.

107. Ceterum apud monachos, ad hoc opus non qualiſcumque cinis adhibebatur, ſed ex ſarmentorum cremiis factus, & feria IV. in capite jejunii benedictus; ſed neque in quovis deponebantur loco ad terram, ſed in certo & ad hoc deſignato. Hic locus Majori in monaſterio erat capella ipſa infirmorum S. P. Benedicto ſacra, in qua non ita pridem cernebatur adhuc ad crucis pedem lapis monachum expirantem exhibens, in cujus circuitu hi duo verſus legebantur:

Cum dabor exire de mundo, juſſus obire,
Hic peto finire, precor hinc mihi detur abire.

Qui quidem lapis in majus templum tranſlatus, in ſacello B. Benedicti ſtratus hodie viſitur.

108. Cum ſigna data ſint a Deo infidelibus, non fidelibus, ut qui ſanctorum prædicatorum verbis ad Chriſtum converti nolunt, prodigiis ac miraculis credere cogantur; primis eccleſiæ ſæculis, cum ubique regnaret idololatria, per apoſtolos eorumque diſcipulos ac ſucceſſores frequentes apparebant virtutes, in quibus Dei digitum agnoſcere vel inviti pagani debebant. Poſtquam vero totum per orbem diſſeminata eſt Chriſti fides, rarius cœperunt fieri miracula, donec tandem languens in dies fidelium devotio, ſignis excitanda neceſſariò fuerit. At monachi, qui Spiritu Dei animati, ſæculo cum omnibus ejus oblectamentis ſpreto, in ſolitudinem ſeceſſerant, ut uni adhærere Deo eoque perfrui poſſent, ea non ſolum non petere, ſed nec deſiderare a Deo ſolebant; immo enixis eum precibus exorabant ut ea ceſſare juberet, ne dilectæ ſolitudinis quies & contemplatio rerum cœleſtium tumultu populari turbaretur. Plura hoc tomo eaque inſignia occurrunt exempla hujuſmodi abnegationis. Egregium nobis ſuppeditat vita S. Stephani Grandimontenſis ordinis inſtitutoris, qui cum ſtatim poſt mortem variis coruſcaret miraculis, Petrus Lemovicanus ejus ſucceſſor, *his inſpectis, timuit ſibi & aliis quietem minui, & interna ſuavitatis dulcedinem tardius experiri, ſi populorum turba, miraculorum cauſa, locum ad quem venerant, frequentarent. Et veniens ad ſepulcrum hominis Dei ante altare, tamquam ſpiritualis paupertatis verus amator, ei ac ſi vere viveret ita locutus eſt: Serve Dei, tu oſtendiſti nobis paupertatis viam, & toto conamine tuo docuiſti nos incedere per eam. Nunc vero de arcta & ardua via quæ ducit ad vitam, ad latam & ſpatioſam quæ ducit ad mortem, tuis miraculis vis revocare. Prædicaſti ſolitudinem, nunc in ſolitudine fora nundinaſque vis congregare. Non ducimur curioſitate, ut tua miracula videre velimus, ſatis tua credimus ſanctitati. Cave igitur de cetero ea miracula facias, quæ tuam extollant ſanctitatem, & noſtram deſtruant humilitatem. Non ſic laudi tuæ provideas, ut noſtræ ſis immemor ſalutis. Hoc tibi præcipimus, hoc a tua poſcimus caritate. Quod ſi aliter feceris, dicimus tibi, & per obedientiam quam tibi promiſimus conſtanter aſſerimus, quia oſſa tua inde extrahemus & ſpargemus in flumen.* Et cap. 71. ejuſdem vitæ, cum miles quidam clarus genere, igne, ut vocant, infernali cruciaretur, nec ullis medicorum remediis curari poſſet, Grandimontem accedens a Stephano de Liciaco quarto Obſerv. II. De miraculis. Vita S. Steph. cap. 55.

loci priore oſſa ſibi ſancti confeſſoris ſolum oſtendi petiit, cui ille, *qui ſæpius cum beato viro quaſi cum vivo homine loquens, ſuper miraculis quæ faciebat durius increpaverat, minitans oſſa ejus inde extrahi & in flumen projici, niſi a miraculis ceſſaret, dixit ad militem: Frater, B. viri Stephani oſſa vix umquam ab aliquo poſſunt videri, ſed vade ad alios ſanctos, ad quorum memorias miracula creberrime fiunt, & nos libenter orabimus pro te, ut Dominus tribuat quod neceſſarium eſſe videbitur.* Non alia fuit mens monachorum Benedictinorum Caſæ-Dei. Nam cum ex quotidianis ad tumulum S. Roberti miraculis divina turbarentur officia, *majores natu & ferventiores ſpiritu ad beati viri ſepulcrum accedentes, hujuſmodi ſermonibus eum conveniſſe feruntur: Nos, inquiunt, domine pater, eremi ſquallores veſtro ducatu optavimus, & ut delictorum veniam, & redemtoris gratiam conſequeremur, gaudentes intravimus. Præſentium miraculorum abundantia tanta nobis ſuccreſcit divinorum officiorum inopia, ut nec peccata noſtra plangere, nec divinas laudes valeamus decenter exſolvere; veſtra ideo nobis impetrent merita, ut his diebus importunitatibus ſopitis, cum tranquillitate ſic Domino Chriſto ſerviamus, ut in futuro veniam delictorum invenire valeamus.* Addit Bertrandus in tripertito libro miraculorum S. Roberti, unde hæc deſcripſimus: *Interim cautum eſt, ne quis infirmorum ad ſepulcrum accederet, quodque nec ei a modo valvæ aperirentur, nec obſequia præberentur.* Simili fere modo S. Hidulfus Mediani monaſterii in Voſago monte fundator, S. Spinulum miraculis coruſcantem adorſus eſt, quippe qui, referente chronographo Senonienſi, *Cum ad ſepulcrum dilecti ſui Spinuli perveniſſet, orationi incubuit, & quaſi vivo loqueretur, ſic ait: Gratias agimus Deo Salvatori, ô frater Spinule, quod miraculis fidem facientibus, te divinæ majeſtati adſtare certiſſime credimus, etiam naufragia præſentis ſæculi evaſiſſe te ac cœleſti gloria potiri gaudemus. Sed ſi frequentiâ populorum, quam Deus pro te confluere fecit, aliquamdiu preſſi fuerimus, non modicum a via regia, quæ ducit ad vitam, nos declinare videbis. Unde te illâ obedientiâ, quam dum viveres nobis indiabiliter exhibere ſolebas, admonemus & exhortamur in Domino, ut affluentem & omnium bonorum largitorem Deum pro nobis interpelles, ut repreſſa inquietudine gentium, & præſentis vitæ fluctuationibus amotis, curſum cœleſtis vitæ expedito greſſu nobis liceat peragrare.* Subdit chronographus: *Videres mortuum, quaſi viveret, magiſtro jubenti obedire, ceſſantibus ſignis miraculorum.* Non ſolum Grandimontenſium & Benedictinorum ea fuit agendi ratio circa ſanctorum ſuorum miracula, eadem plane fuit & aliorum etiam ordinum, Ciſtercienſium, Cartuſienſium & Præmonſtratenſium. Et ad Ciſtercienſes quidem quod attinet, miranda ſunt prorſus ea quæ de S. Bernardo refert Gaufridus ejus notarius & vitæ ſcriptor lib. 7. cap. 28. *Enimvero*, inquit, *Dominus Ciſtercienſis, qui cum pluribus aliis abbatibus ſui ordinis ad exequias viri Dei venerat, conſiderans tantam importunitatem tumultuantis populi, & ex præſentibus futura conjiciens, vehementer timere cœpit, ne ſi crebreſcentibus ſignis, tam intolerabilis turba populorum concurreret, eorum improbitate diſciplina periret ordinis, & ſanctæ religionis fervor in eodem loco tepeſceret. Quapropter habitâ ſuper hoc deliberatione, reverenter accedens, per virtutem obedientiæ, ne ſigna ulterius faceret inhibuit.* Paruit imperanti vir Dei, atque *ex illa die & deinceps numquam publica miracula facere viſus eſt, &c.* Cum majori Cartuſiæ præeſſet Jancelinus prior decimus, eodem in loco illuxit monachus quidam ſanctus, qui tot clara certaque poſt mortem edidit miracula, ut ex omni Sabaudia & Delphinatu eò confluerent tamquam ad medicum infirmi ſanitatem recepturi. Tantum populorum concurſum ægrè ferens pius prior, has ad ſanctum ſuum depoſuit

Bertr. in tripertito lib. Mir. S. Roberti apud Boll. 24. April.

Spicil. tom. 3.

Pag. 177. hujus tomi.

fuit querelas: *Siccine, fili mi cariſſime, hæc eſt retributio quam retribuiſti nobis? Tu ad Deum tuum perpetuò in gloria quieturus aſcendiſti, nobis tantæ inquietudinis bellum indicis? Non ſic, fili, erit, non ſic, ſed eodem pignore quo adverſarium confudiſti, ego te aggrediar, neceſſe eſt. Obedientia enim quæ in campo hoc certaminis viriliter dimicaſti, quæ tibi pacem perpetuam procuravit, ſimiliter etiam & fratribus & ſociis tuis in hoc loco pacem & tranquillitatem procurabit. Tuncque dictus prior ad tumulum accedens ſic ait: In virtute ſanctæ obedientiæ, fili mi, tibi præcipio, quatenus ſicut in vita tua mihi ſemper obediens fuiſti, ſic & nunc exiſtas, nec ullum miraculum de cetero facere præſumas.* Quid ex hoc mandato ſecutum ſit, audi. *O miraculum inauditum! nam poſt prædictum præceptum tanta eſt ejus obedientia ſubſecuta, quod ad dictum ſepulcrum ulterius facere miraculum non præſumſit.*

Supereſt ut unum etiam de mente Præmonſtratenſium hic exemplum ſubjiciam, quod nobis ſuppeditat Chronicon Viconienſe, de Radulfo ejus loci abbate ſanctiſſimo, cujus ad tumulum convolabant undique *populi terræ* Pag. 297. *pro variis languoribus gratiam ſanitatis reportantes, quod videntes noſtri,* inquit Nicolaus chronographus Viconienſis, *ne congreſſus per clauſtrum pateret omnibus, exhumantes corpus, oſſa ad eccleſiam veterem, non ad iſtam novam tumularunt, ubi etiam, dante Deo, circumvicini remedia multa poſcebant, & inſuper reportabant.* Quod vero ſubdit chronographus, maxima conſideratione dignum eſt. *Noviſſime in eccleſia nova, ſub pedibus Crucifixi, ad chori introitum extitit, conſepultuſque ibi deſiit miracula facere. Qua de cauſa novit omnipotens Deus.*

Plures his alias obſervationes ſubjicere facilè eſſet, quas inter locum habere poſſet id quod narrat Nicolaus Viconienſis, Ciſtercienſes ſcilicet circa annum MCCXXX. Præmonſtratenſem ordinem viſitantes, *picturam ab aula quia nimis ſumtuoſa erat*, auferri juſſiſſe atque aliam ſimpliciorem ſuperinduci. Sed jam præfationi finis eſt imponendus.

INDEX CONTENTORUM
IN HOC SEXTO TOMO.

SENTENTIA Brunelli de ordinibus religiosis, Pag. 1

Anonymi monachi Cartuſienſis Vallis-Dei dialogus de diverſarum religionum origine, & earum temporibus ac legiſlatoribus; de quibuſdam quoque hæreſibus; ſed & de ſchiſmatibus quæ in Romana ſede contigerunt, 11

Geſta ſeptem abbatum Beccenſium metricè a Petro Divenſi conſcripta, 93

Hiſtoria brevis priorum Grandimontenſium, 113

Hiſtoria prolixior priorum Grandimontenſium, 123

Brevis hiſtoria ordinis Cartuſienſis auctore anonymo, 150

Inſignis monaſterii S. Victoris Pariſienſis vetera monumenta nonnulla, 217

Diploma Ludovici VI. regis pro S. Victore, ibid.

Bulla Paſchalis papæ II. pro S. Victore, 219

Litteræ Stephani epiſcopi Pariſienſis ad ſuos archipresbyteros, 220

Epitaphium Adæ S. Victoris canonici, 221

Diploma Henrici fratris Ludovici regis pro monaſterio S. Victoris, 222

Diploma Bartholomæi decani eccleſiæ Pariſienſis pro monaſterio S. Victoris, 223

Diploma Odonis prioris S. Martini a Campis pro eccleſia S. Victoris, 225

Convenio inter monachos S. Martini & canonicos S. Victoris ſuper annualibus prebendæ quam in eccleſia Stampenſi obtinent monachi S. Martini, ibid.

Charta Aimonis de Aiis pro S. Victore, 226

Epiſtola Ludovici VII. regis ad Henricum fratrem ſuum, &c. 227

Epiſtola Gilduini abbatis S. Victoris ad epiſcopum Belvacenſem, ibid.

Diploma Philippi fratris Ludovici regis pro monaſterio S. Victoris, 228

Litteræ Gilduini abbatis S. Victoris de eccleſia S. Petri de Monte-Letherico, &c. 229

Epiſtola Achardi abbatis S. Victoris ad Henricum II. Anglorum regem, 230

Epiſtola Achardi abbatis S. Victoris ad A. epiſcopum Lexovienſem, 231

Epiſtola Ludovici regis ad canonicos S. Victoris, 232

Bulla Alexandri III. papæ ad abbatem de Caſtro-Nantonis, ibid.

Epiſtola Hugonis cardinalis ad Guidonem epiſcopum Catalaunenſem, 233

Epiſtola Alexandri papæ III. ad S. Germani & S. Victoris abbates, priorem & ſubpriorem S. Victoris, atque Odonem quondam abbatem S. Genovefæ, 233

Epiſtola P. S. Chryſogoni papæ capellani ad Erviſum abbatem S. Victoris, 234

Epiſtola Willelmi prioris Urſi-campi ad Richardum priorem S. Victoris, ibid.

Epiſtola A. ad O. 235

De Erviſo abbate S. Victoris patrino Philippi regis, ibid.

Epiſtola Ludovici regis ad Erviſum abbatem S. Victoris, 236

Epiſtola G. presbyteri Anilcurtenſis ad Richardum priorem S. Victoris, ibid.

Epiſtola G. ad Richardum priorem S. Victoris, 237

Diploma Petri epiſcopi Anicienſis eccleſiam de Doa Stephano abbati S. Evurtii & ejus ſucceſoribus reformandam concedentis, ibid.

Bulla Alexandri papæ III. ad canonicos regulares S. Sasyri, 238

Epiſtola Ludovici VII. regis ad canonicos S. Genovefæ, 239

Diploma Ludovici VII. regis pro S. Victore, ibid.

Epiſtola G. Herefordienſis epiſcopi ad Erviſum abbatem S. Victoris, 240

Epiſtola Erviſi abbatis S. Victoris ad O. cardinalem apoſtolicæ ſedis legatum, ibid.

Epiſtola Alexandri papæ III. ad abbatem ſancti Victoris, 241

Epiſtola Laurentii abbatis Weſtinenſis ad Erviſum abbatem S. Victoris, 242

Epiſtola E. ad Erviſum S. Victoris abbatem, 243

Epiſtola R. abbatis S. Evurtii ad Erviſum abbatem S. Victoris, ibid.

Epiſtola Richardi abbatis Briſtolienſis ad Erviſum abbatem S. Victoris, ibid.

Epiſtola L. ad R. ſubprior[illegible] S. Victoris, 244

Epiſtola G. ad Erviſum abbatem fratrem ſuum, ibid.

Epiſtola Odonis cardinalis ad Erviſum abbatem S. Victoris, 245

Epiſtola Jonæ canonici ad Erviſum abbatem S. Victoris, ibid.

Diploma Mauritii epiſcopi Pariſienſis, 246

Epiſtola anonymi ad amicum, 247

Bulla Alexandri papæ III. ad archidiaconum Pariſienſem, 248

Epiſtola Alexandri papæ III. ad Ludovicum regem, 249

Reſcriptum Alexandri papæ III. ad Senonenſem

archiepiſcopum, Meldenſem epiſcopum & abbatem Vallis-ſecretæ, 250
Epiſtola Alexandri papæ III. ad abbatem & canonicos S. Victoris, 251
Epiſtola Alexandri & Theoderici cardinalium ad Willelmum Senonenſem & Stephanum Bituricenſem archiepiſcopos, 252
Epiſtola Alexandri & Theoderici cardinalium ad Guarinum abbatem, 253
Epiſtola Mauritii epiſcopi Pariſienſis ad Willelmum archiepiſcopum Senonenſem, ibid.
Epiſtola Alexandri papæ III. ad canonicos ſancti Victoris, 254
Epiſtola Alexandri papæ III. ad Guarinum abbatem S. Victoris, 255
Epiſtola Guarini abbatis S. Victoris ad Johannem cardinalem Neapolitanum, ibid.
Epiſtola Guarini abbatis S. Victoris ad Alexandrum papam, 256
Epiſtola Gilduini abbatis Fontis Johannis ad Guarinum abbatem S. Victoris, 258
Epiſtola Johannis comitis Augi ad Guarinum abbatem S. Victoris, ibid.
Epiſtola P. cardinalis ad Guarinum abbatem S. Victoris, 259
Epiſtola Hugonis Petri-Leonis cardinalis ad Guarinum abbatem S. Victoris, 260
Epiſtola Bernardi cardinalis ad Guarinum abbatem S. Victoris, 261
Epiſtola Johannis Neapolitani cardinalis ad Guarinum abbatem & fratres S. Victoris, ibid.
Epiſtola Petri papæ camerarii ad Guarinum abbatem S. Victoris, 262
Epiſtola Alexandri & Th. cardinalium priori & fratribus ſancti Victoris, 263
Epiſtola Alexandri papæ III. ad Robertum priorem & capitulum S. Victoris, 264
Epiſtola Guarini abbatis S. Victoris ad Cæleſtinum papam III. 265
Epiſtola Guarini abbatis S. Victoris ad Philippum regem Francorum, 266
Epiſtola Gratiani Parleonis ad Robertum abbatem & canonicos S. Victoris, 267
Privilegium Petri epiſcopi Pariſienſis pro eccleſia S. Victoris, ibid.
Compoſitio inter capitulum Meldunt & canonicos S. Victoris, 269
Epiſtola Radulfi domini papæ pœnitentiarii ad Menandum S. Victoris canonicum regularem & pœnitentiarium, ibid.
Epiſtola Petri canonici S. Martini Trecenſis ad Jo. Pict. canonicum S. Victoris, 271
Epiſtola Gregorii papæ IX. ad abbatem & conventum S. Victoris, 272
Miraculum in eccleſia S. Victoris virtute ſancti martyris patratum, ibid.
Litteræ Fulconis Pariſienſis epiſcopi, 273
Notitia de contentione cum epiſcopo Pariſienſi in electione Petri Ducis abbatis S. Victoris, 274
Notitia de contentione cum archidiacono de Joſayo & canonicis S. Victoris de inſtallatione abbatis, 275
Notitia de altercatione cum cantore Pariſienſi ratione juramenti novi abbatis, 276
Notitia de altercatione cum archidiacono de Joſaio ratione ordinationis religioſorum, 276
De modo recipiendi archiepiſcopi Senonenſis aut epiſcopi Pariſienſis cum viſitant monaſterium, 277
Litteræ Petri epiſcopi Pariſienſis de miſſa ſolemni in honorem B. Mariæ diebus ſabbati celebranda, & de antiphona in fine completorii decantanda, ibid.
Litteræ Johannis cardinalis de indulgentiis conceſſis his qui eccleſiam S. Victoris & prioratuum ejus viſitaverint, & ad reparanda ædificia contulerint ſubſidium, 279
Hiſtoria Viconienſis monaſterii ordinis Præmonſtratenſis, 281
Continuatio chronici a Nicolao de Montigni *ejus loci canonici,* 296
Fundatio monaſterii Altæ-ripæ ordinis Ciſtercienſis, filiæ Cari-loci de linea Claræ-vallis, 311
Hiſtoria monaſterii a Kenlos ordinis Ciſtercienſis in Scotia a Johanne Ferrerio Pedemontano ejuſdem monaſterii monacho, ſcripta anno MDXXXVII. 319
Hiſtoria fundationis venerabilis eccleſiæ beati Nicolai Oignacenſis, ac ancillæ Chriſti Mariæ Oignacenſis, 327
Brevis hiſtoria ordinis fratrum Prædicatorum, auctore anonymo, 331
Breviſſima chronica magiſtrorum generalium ordinis Prædicatorum, 344
Bernardi Guidonis libellus ſeu tractatus magiſtrorum ordinis Prædicatorum, necnon & priorum provincialium provinciæ Provinciæ ſeu Toloſanæ, 398
Hiſtoria fundationum conventuum ordinis Prædicatorum Toloſanæ & Provinciæ provinciarum, auctore Bernardo Guidonis ejuſdem ordinis, 537
Numerus monaſteriorum monialium ordinis Prædicatorum, 539
Brevis hiſtoria conventus Pariſienſis fratrum Prædicatorum, 549
Pauli Florentini dialogus de origine ordinis Servitarum, 558
Dominici Johannis ordinis Prædicatorum de baſilicis Florentinis divæ genitrici conſecratis, 590
Hiſtoria fundationis monaſterii Cæleſtinorum Sueſſionenſium, 593
Martyrologia ſeu calendaria aliqua antiquiſſima, 633
Libellus annalis domni Bedæ presbyteri, 637
Calendarium Floriacenſe, 649
Calendarium Anglicanum, 652
Antiquum martyrologium Gallicanum, 658
Antiquum Calendarium monaſterii Stabulenſis, 668
Calendarium Verdinenſe, 679
Martyrologium inſignis eccleſiæ Antiſſiodorenſis, 685

Acta S. Reparatæ virginis & martyris, 739
Paſſio S. Mercurii, 743
Hiſtoria corporis S. Mercurii Cæſarea delati Quintodecimum, & exinde Beneventum, 751
Vita S. Bibiani epiſcopi Sanctonenſis, auctore anonymo, 757
Vita S. Donati epiſcopi, 775
Vita S. Apollinaris Valentiæ ad Rhodanum epiſcopi, auctore anonymo, 777
Petri diaconi Caſinenſis monachi prologus in vitam S. Placidi, 785
Epiſtola Stephani Anicienſis in paſſionem S. Placidi, 788
Petri diaconi Caſinenſis prologus in lib. de Locis ſanctis, 789
Ortus & vita juſtorum cœnobii Caſinenſis, 791
Vita S. Godonis abbatis Oyenſis in diœceſi Trecenſi, 793
Acta tranſlationis S. Savini martyris, 805
Verſus de Carolo-Magno & aliis, 811
Liber miraculorum B. Eadmundi Orientalium Anglorum regis, auctore anonymo, 821
Tranſlatio S. Juſti pueri novennis martyris Malmundarium, 833
Vita S. Niconis Metanoitæ monachi ex pervetuſto codice Græco tranſlata in Latinum a Jacobo Sirmundo S. J. 837
Vita S. Nili confeſſoris a B. Bartholomæo Cryptæ-Ferratæ abbate Græce conſcripta, & a Sirleto S. R. E. cardinali in Latinum converſa, 887
Vita & converſatio S. Patris noſtri Bartholomæi junioris Cryptæ-Ferratæ, 957
Ejuſdem brevior vita, 969
Inventio, tranſlatio & miracula S. Trophimenis virginis & martyris, 971
Acta tranſlationis S. Mennatis eremitæ & confeſſoris auctore Leone Marſicano monacho Caſinenſi & S. R. E. cardinali, 977
Miracula S. Anſelmi Cantuarienſis archiepiſcopi, 983
De verbis S. Anſelmi, 987
Vita B. Giraldi de Salis, auctore anonymo, 989
Acta tranſlationis ſancti unius militis Legionis Thebæorum, auctore Rodulfo abbate S. Pantaleonis Colonienſis, 1013
Vita S. Bertrandi Convenarum epiſcopi, auctore Vitali apoſtolicæ ſedis notario, 1021
Vita S. Stephani ordinis Grandimontenſis inſtitutoris, auctore Gerardo ſeptimo priore Grandimontenſi, 1043
Conceſſio brachii S. Stephani Grandimontenſis facta canonicis collegiatæ eccleſiæ de Thierno a Petro abbate Grandimontenſi, 1131
Rithmus de nece Caroli-Boni Flandriæ comitis, 1133
Libellus de miraculis Eugenii papæ III. 1139
Vita Hugonis de Lacerta, diſcipuli S. Stephani ordinis Grandimontenſis inſtitutoris, ſcripta a Guillelmo Dandina cognomento de S. Savino, auctore ſuppari. 1143
Vita Petri Venerabilis abbatis Cluniacenſis, auctore Rodulfo monacho ejus diſcipulo, 1187.
Vita Margaritæ Burgundæ Guidonis Delphini & comitis Alboni conjugis, ſcripta a Guillelmo canonico Gratianopolitano, 1201
Brevis vita Walonis monachi Altimontenſis, 1213
Acta tranſlationis S. Reoli archiepiſcopi Remenſis, ſcripta a Willelmo abbate Orbacenſi, 1215
Epiſtola epiſcopi Thunenſis ad Theobaldum regem Navarræ de felici obitu S. Ludovici regis Francorum, 1217
De felici obitu Johannæ comitiſſæ Alenconii & Bleſenſis, 1229
Proceſſus conteſtationum ſuper doctrina & ſanctitate B. Catharinæ Senenſis, &c. 1237
Vita Gabrielis Palæoti S. R. E. cardinalis & Bononienſis archiepiſcopi primi, auctore Auguſtino Bruno, 1385
De beato Angelo de Maſſatio martyre monacho Camaldulenſi, 1439

SENTENTIA BRUNELLI
DE ORDINIBUS RELIGIOSIS

Ex duobus mſ. codicibus, uno Stabulenſi, altero Reginæ Sueciæ.

OBSERVATIO PRÆVIA.

IN veteri codice mſ. Stabulenſis monaſterii opus antiqui poëtæ invenimus, nomine Brunelli, qui ad oblectationem potius, quam ad inſtructionem varia conſcripſit carmina. Hæc cum levi oculo perluſtraſſemus, ſeria quædam jocoſis, atque a gravitate haud aliena animadvertimus, de ordinibus religioſis inſerta fuiſſe, in quibus & multa ſcitu digniſſima, de eorum diſciplina referuntur. Quapropter, omiſſis ceteris, ea quæ religioſos ordines tangunt excerpere operæ pretium duximus. Simile exemplar cum Romæ in bibliotheca reginæ Sueciæ Mabillonio occurriſſet, idem atque nos de toto opere judicium tulit, contentus ex illo tantum ea quæ religioſos ſpectant deſcribere. Auctorem ſub finem ſæculi duodecimi aut ineunte decimo tertio vixiſſe duo perſuadent, primum, quod ea quæ de Carthuſianis, de Grandimontenſibus, de Ciſtercienſibus, & de Præmonſtratenſibus canit, primævum illorum ordinum repræſentat fervorem, qui ſæculo præſertim duodecimo illibatus perſeveravit. Secundum, quod de ordine ſancti Gilberti de Simpingham paulo poſt medium ſæculum duodecimum in Anglia exorto diſſerens, de eo tamquam recenter inſtituto loquitur. Germanum etiam extitiſſe inde colligimus, quod Germanicam vocem Her *ad* Dominum *ſignificandum uſurpet.*

HINC ego diſpoſui me tradere religioni,
Ut valeat ſalvus ſpiritus eſſe meus;
Utque ſenex redimam juvenilia tempora, vitam
Fas eſt ut ſatagam corripuiſſe meam.
Et ſupereſt modicum vitæ; ne tota deorſum
Defluat, hoc opto claudere fine bono.
Eſt melius ſero quam numquam pœnituiſſe:
Quem pudet errorem, pœnituiſſe decet.
Et ſi mane fuit, vel tota dies nebuloſa,
Obſcurum redimat veſpera clara diem.
Quod male diſperſit incircumſpecta juventus,

A Ens in flore ſuo prodiga facta ſui,
Damna juventutis redimens animoſa ſenectus,
Colligat in fructu, floribus uſa ſuis.
Spes fuit in flore, ſed flos defloruit a ſpe.
Spes abiit florum, ſpes una noviſſima fructus,
Dum ſupereſt, aliquid utilitatis agat.
De re tam certa nil morte latentius ipſa,
Omnes ipſa latet, omnibus ipſa patet.
Rebus in humanis mors eſt res publica nobis,
In qua quiſque vicem proprietatis habet.
Si qua tamen propria, publica nulla magis.
Ergo quid hic facio, niſi quod deſervio mundo.

Mors mihi cras dicet : En ego, ſurge, A veni.
Nil igitur ſupereſt, niſi tantum relligioni
Me conferre : procul ſit, precor, ergo mora.
De diverſis relligionis ſpeciebus. Sed quia diverſæ ſpecies ſunt relligionis,
Neſcio præcipue quæ ſit habenda mihi.
Et primo de cruce ſignatis qui olim vocabantur Templarii nunc deſtructi. Si cruce ſignatis rubea me confero Templo,
Trans mare me mittent ſolvere vota Deo.
Servus ero, ſervum facient procul eſſe ſeorſum,
Servient & forſan in regione Tyri.
Non tamen ibo pedes, ſed equo qui paſtus avena,
Craſſus & ad calces ſit tener atque levis; B
Quique pedem ſervans, & fractis greſſibus errans,
Molliter incedet : regula noſtra jubet,
Scandere trottantem prohibet quoque regula, nolo
Quod per me careat ordo rigore ſuo.
Ingrediar miles ne candida pallia deſint;
Sed tunc ab bellum non rediturus ero.
De cute corrigiam noſtra ſoldanus habebit,
Et comedet carnes beſtia ſæva meas.
Incircumciſi gladius mea viſcera fundet,
Detracto corio, cetera dabit humo.
De Hoſpitalariis. Rurſum ſi fuero crucis Hoſpitalarius ille, C
Ad Libanum mittar ligna referre domum.
Cum lacrymis pergam ſcutica cædente trinordi,
Et venter vacuus & quaſi vellus erit.
Multa licet ſubeant mihi, nil de jure licebit,
Præter mentiri magnificando domum.
Et ſi ingreſſus fuero ſemel atque ſecundo,
Vade foras dicent, diripientque crucem.

De Monachis nigris. Eſſe niger monachus ſi forte velim Cluniaci,
Ova fabaſque nigras cum ſale ſæpe dabunt.
Surgere me facient media de nocte, volentem
Amplius in calido membra fovere thoro. D
[a] Quodque magis (a) nollem vellent me pſallere ſurſum,
Et geminare meos in diapente tonos.
Vox eſt rauca nimis, quamvis ſit & ipſa ſonora,
[b] Pectus & (b) obtruſum tuſſis anhela gravet.
Pſallere ſi nolim, facient me ferre lucernam,
Debita reddentes præmia mane mihi.
Multotiens carnes, & pinguia ſæpe vorare
In feria ſexta ſæpe licebit eis.
Pellicias portant & plura recondita ſervant,
Quæ non ſunt ſociis omnia nota ſuis. E
Sed neque ſunt dominis abbatibus omnia nota,
Quamvis nil cupiant, percipiantque ſatis
Quod ſi contingat ſtabilita ſilentia ſolvi,
Corripient verbis verberibuſque ſimul.
Et ſi percutiam, vino ſtimulante vel ira,
Me gravibus culpis carceribuſque dabunt.
[c] Qui niſi clauſtrali, multumque diu (c) laborare
Experto tribuunt exteriora loca.
Non amor abbatis ibi, nec cognatio quævis
Contra clauſtrales obtinuiſſe poteſt.
Ordinis aut morum numquam diſpendia quiſquam
Fratribus ex nigris ſuſtinuiſſe valet.
Non comodant vel emunt ſua prædia vel prioratus,
Omnia ſed gratis diſtribuuntur ibi.
Si quam de membris nebulam contingit oriri, Ironica carpit ſimonias iſtorum.
Hanc caput abſorbet nobilitate ſua.
Si fuero monachus albus generalia dura. De albis monachis.
Hi pulmenta duo, ſed bene cocta dabunt. Loquitur hic de Ciſtercienſibus.
Hoc odiunt quod ego ſine fine fideliter odi,
Scilicet ut prope ſe ruſticus arva colat.
Agrorum cupidi numquam metas ſibi poni,
Vicinis vellent peſtis iniqua ſuis.
Lac & lana, greges ovium pecorumque miniſtrant
Quod ſatis eſt, quamvis nil ſatis eſſe putent.
Paucis contenti non ceſſant quærere magna,
Et cum poſſideant omnia, ſemper egent.
Otia ſectari non me patientur ibidem,
Sed bene me paſcent in novitate mea.
Omnibus injungunt operas, ne deſidioſus,
Aut quandoque vacans inveniatur ibi.
Sabbata (d) rara colunt, male reſpondente coquina, [d]
Eſt ibi virga frequens atque diæta gravis.
Non comedunt carnes, niſi cum permiſerit abbas,
Præpoſituſve loci de pietate ſua.
Et quia quadrupedum prohibet ſua regula carnes,
Nec ſinit his veſci præ gravitate ſui,
Quæ volat aut currit cupiunt carnem bipedalem,
Non quia ſit melior, ſed quia rara magis.
Cum tamen illud agunt, teſtis vicinia fumi
Non erit, aut facti conſcia facta ſui.
Carnibus abſumtis, veſtigia nulla videbis,
Ne clament : (e) *Her, her*, oſſa ſepulta jacent. [e]
Tres etiam tunicas de jure, duaſque cucullas
Omnes accipiunt, & ſcapulare breve.
Tædia de nocte femoralia nulla jacenti De uſu femoralium.
In lecto facient, ſit procul iſte timor.
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
Frater ab effectu, non ſolo nomine dici
Frater habet, ſine re nomen inane tenet.
Sunt etiam multi quos falſo nomine fratres
Dicimus, & ſanius hoſtibus eſſe pares :
ratribus in falſis quia multa pericula Paulus
Paſſus erat ſcriptis inſerit iſta ſuis.
Plurima falſorum ſunt vere pericula fratrum,
Et venit a falſis fratribus omne malum.
Quiſque ſibi caveat a fratre ſuo, nec in illo

(a) Al. *Cumque magis nollent, pellent.*
(b) Al. *obſcurum.* (c) Al. *diuque ſtudere.* (d) Al. *varo.*
(e) Id eſt, domine, domine. Hinc patet iſtius carminis auctorem eſſe natione Germanum, *her* quippe vox eſt Germanica.

Ponere præſumat ſpemque fidemque ſibi.
Rara fides fratrum, quia cum ſit quiſque fidelis,
Se probat infidum, dum caret ipſe fide.
Frater carnalis, necnon & ſpiritualis
Fallitur, & fratrem fallit uterque ſuum.
Si tibi contingat fratrem reperire fidelem,
Sit tibi pars animæ dimidiumque tuæ.
Nam tot ſunt ficti, tot falſi, totque ferales,
[a] Quod jam mundus eos (a) dimidiare nequit.
Qui ſunt in clauſtro quaſi ſathan in paradiſo,
In quo conſtat eum juris habere nihil.
Talia me terrent, dum relligionis ad arcem
Tendo, nec attendo quove vel unde ruo.
Forſan & vanus timor eſt, vanoque moveri
Multotiens hominum corda timore ſolent.

De ordine Grandimontis.

Grandimontani vitam cum veſte profeſſus
Si fuero, vereor aſperiora pati.
Hi cum nil habeant, nec ſe patiantur habere,
Ex nihilo ſemper ſufficienter habent.
Abdita clauſtra colunt, & nota ſilentia ſervant,
Neſcit ſigna manus, libera lingua manet.
Non fundos, nec agros, nec paſcua lata requirunt,
Nec facit ad ſaccos annua lana decem
Vellera, nec triplici poſitu diſtinguere norunt,
Idem ſaccus habet pectora, colla, latus.
Non maceraut nodos aſſumto vellere pellis,
Nec faciunt pingues in nemus ire ſues.
Non mare conſcendunt ratibus, quo retia laxent
Piſcibus, aut hamis inſidiantur eis.
Qualia vel quando comedunt, ſi lauta diæta
Vel tenuis ſit eis, non mihi ſcire licet.
Si pluit e cœlo ſemper quod habent quaſi manna,
[b] Quid plus præſtaret area lata (b) brevi?
Si vivunt ut homo, nunc ſunt ſicut angelus ipſi,
A ſtudiis hominum cur prohibentur ita?
Et ſi ſint homines mortales conditione,
Cur non humana vivere lege licet?
Quod fit in occulto raro ſine ſuſpicione
Eſſe poteſt homini, nec licet abſque nota.
Si ſatagunt corpus carnemque domare rebellem,
Commodius facerent, & meliore modo.
Non reprehendo tamen ſuper his, nec judico quemquam,

A Servus enim domino ſtatque caditque ſuo.
Litibus & cauſis variis fora publica vexant,
Et teritur longo tempore cauſa brevis.
Sumtibus inſiſtunt, nil proprietatis habentes,
Fitque triſtralis cauſa ſepulta diu.
In duo diviſi multumque diuque laborant,
Atque ſupervacuis ſumtibus uſque vacant.
Nam vice converſa, laïco dictante, ſacerdos
Exhibet officii vota ſacrata ſui.
Motus ob hanc cauſam mox eſt, Romamque profectus,
Sed nec ibi meruit ſumere cauſa modum.
Plurima fuderunt, ſed mons eſt pinguis & B uber,
Qui de lacte ſuo cuncta miniſtrat eis.
Si quem nullus arat, ſerit, aut metit, ordine miro
Pullulat ad votum quidquid habere volunt:
Ergo quid eſt, quod homo qui vivit ut angelus intus,
Pulſatur totiens exteriore foro?

Quid ſi Cartuſiam me convertendo revertar, De Cartuſienſibus.
C Pellibus & tunicis pluribus utar ibi.
Cella mihi dabitur quam ſolam ſolus habebo,
Nemo mihi ſocius, nemo miniſter erit.
Solus enim pſallam, ſoluſque cibaria ſumam,
Et ſine luce meum ſolus adibo thorum.
Semper ſolus ero, cella retinente trimembri,
In qua continue pes meus alter erit.
Semper erunt præſto pulmento conficiendo
In cella propria ligna, legumen, aqua.
Viſere me veniet prior ordinis, atque frequenter
Panis erit calidi portio magna mihi.
D His ovium, pecorum, nemorum, terræque
(c) feracis [c]
Vivere qua poſſunt portio certa datur.
Interior veſtis quam lana caprina miniſtrat,
Carnem caſtigat aſperitate ſua.
Qualibet hebdomada ter pane cibantur & unda,
Non comedunt * carnes, ſit niſi feſta dies. * l. piſces.
Et ſemel in menſe, vel bis de jure venire
Ad miſſam poterunt, (d) ſi vacat atque volunt.
E Contenti propriis, nec divitibus nec egenis
Eſſe volunt oneri, cras, hodie, nec heri
Non licet augeri numerum pecorum vel agrorum,
Taxatur certo canone quidquid habent.
Carnis in æternum cuncti prohibentur ab eſu,
Præter eum ſi quem tabida lepra tenet.

(a) Al. *dinumerare.*
(b) Al. *brevis.*
(c) Al. *ferarum.*
(d) His concinunt ſtatuta Guigonis cap 14. ubi hæc legimus: *Raro hic miſſa canitur, quoniam præcipue ſtudium & propoſitum noſtrum eſt ſilentio & ſolitudini vacare, &c.* Unde & Petrus Bleſenſis ad Richardum epiſcopum Londonienſem ſcribens epiſt. 123. *Raro*, inquit, *ſacrificat Cartuſienſis ordo* Et epiſt. 86. Alexandrum monachum Cartuſienſem, ea de cauſa, ordinem deſerere volentem ſic arguit: *Hæc in ordine Cartuſienſi cauſaris & arguis, quod ſingulis diebus miſſas non faciunt, atque hujus religionis ſeu potius ſuperſtitionis obtentu, tuum machinaris egreſſum, &c.* Vigebatque adhuc medio ſæculo decimo quarto apud Cartuſienſes, hæc conſuetudo, ut patet ex Petro Boherio in Apparatu ad conſtitutionem Benedicti XII. ubi ad caput 27. *Non quotidie*, inquit, *immo raro ſacrificat Cartaſienſis ordo, ſicut enim ſolet generari ex aſſiduitate contemtus, ſic attenditur ex ipſa raritate devotio.* Nunc vero quotidie celebrant nec minori devotione quam cum rarius celebrabant.

Ad fora non veniunt quo litem ſcite reſolvant,
Nec populi vanum depopulantur ave.
Hoſpitis adventu gaudent mutantque diætam,
Dant quod habent hilari pectore, voce, manu.

De nigris canonicis.

Eſt & item vita nigrorum canonicorum
Judicio populi digna, decenſque Deo,
Mollibus induti, non ſemper pinguibus uſi,
Inque refectorio carnibus atque mero.
Quid caro peccavit plus quam faba, piſa, legumen,
Ne poſſet comedi conditione pari?
[a] Quam (a) nos cauſamur non eſt in carne reatus,
Sed comedente male, nec cohibente gula,
Cauſa datur vino, debetur culpa bibenti,
Dum caput aut membra cetera mane dolent.
Ne pariat pſalmus vel lectio tædia longa,
In pſallendo tenent, inque legendo modum.
Nec nituntur ad hoc ut vocibus immoderatis
Ardua prævaleant rumpere tecta domus.
Candida, ſed pura ſubtili ſtamine texta
Mundis munda placet linea veſtis eis.
Veſtis honeſta quidem, quæ nec cum carne rebelli
Aut cute bella gerat aſperitate ſui.
Exteriora tamen clauduntur ſchemate nigro,
Ut color interius aptior eſſe queat,
[b] Lumina ne lædat albo nigredo (b) repugnat,
Inque timore nigro, gaudia candor habet.
Sic arcus cœli gemino ſplendore refulget,
Sic pilus eſt pardo candidus atque niger.
Pallia cornici dat penna ſubalbida nigræ,
Candida ſic picas & nigra penna tegit.
Si veſtis bicolor carnem ſine corde colorat,
Mens erit abſque nota, veſte tenente notam.
Quid refert quales veniunt in veſte colores,
[c] Si mens unicolor interiora (c) tegat?

De Præmonſtratenſibus.

Præmonſtratenſes rurſus qui veſtibus albis
Induti veniunt, ſimplicitate placent.
His color unus adeſt, niveo candore refulgens,
Hos ſemper ſimplex veſtis ovina tegit.
Omnibus abjectis, duris pro mollibus uti
Veſtibus ad præſens hoc ſtatuere modo.
Vellere partito quod colli nuda protexit,
In proprios uſus conſtituere ſuos.
Ne caro luxuriet vervecis vellere criſpo,
Corpora caſtigant aſperitate gravi.
Damna tamen lini lana redimente ſuavi,
Ordine cogente ſuſtinuiſſe decet.
Ordinis auſterus rigor eſt, quia carnibus uti
His in conventu tempus in omne vetat.

A Diſpenſando tamen ſacer Ordo ſalubrius uſus
Conſiliis ſuper his alleviavit (d) onus, [d]
Pinguia concedens quæ ſunt affinia carnis,
Sic tamen ut numquam ſit manifeſta caro.
Bellum cum carne, pacem cum pinguibus eſſe
Pacis amatores hoc ſtatuere modo.
Carnis honeſtatem ſic conſervare volentes,
Ne contra carnem lex inhoneſta foret.
Si foret excluſa penitus caro, carnis honeſtas
Sæpe daret cauſam materiamque mali.
Unde nec admiſſa penitus nec tota repulſa,
Exulat in patria (e) monſtrua facta ſua. [e]

B Sunt & canonici fæculares atque vocati De canonicis ſecularibus.
Nomen ab officio promeruere ſuo.
His quodcumque libet, lex nova, liceteque, ſub iſto
Canone conſtituit vivere tota cohors.
Hi nihil excipiunt, nec dicunt deſpiciendum
Quidquid in obſequio corporis eſſe poteſt.
Illud præcipue tamen inſtituere tenendum
Omnibus in tota poſteritate ſua.
Lex vetus ut ſuaſit, ne quilibet abſque ſua ſit,
Et quod quiſque ſuas poſſit habere duas.
Hi ſunt qui mundum cum flore cadente tenentes,
Ne cito marceſcat ſæpe rigare ſtudent.
C Hi ſunt qui faciunt quidquid petulantia carnis
Imperat, ut vitiis ſit via prona ſuis.
Totus in errorem mundus, pereuntibus illis,
Ducitur, hi pereunt præcipiteſque ruunt.
Hi mundum non mundus eos habet, (f) atque [f]
deorſum
Hi quia compellunt, funditus ille cadit.
Hi fundamentum fidei ſubvertere promti,
Moribus expugnant quæ facienda docent.
Hi ſunt pontificum per quos vigor, ordo, poteſtas
Nutat, & eccleſiæ ſit ſtatus abſque ſtatu.
D Languet & exſpirat per eos reverentia cleri,
Deficit in nihilum relligionis honos.
Horum conſilio reges meditantur iniqua,
Et quæ debuerant ſtringere laxa tenent.
Pontificum latera ſunt hi regumque ſiniſtra,
Pes errans, mendax lingua, recurva manus.
Cor duplex, ſimulatus amor, ſine vivere nomen,
Ira latens, vera motio, falſa quies.
E Burſa carens fundo, prædæ ſine nomine prædo,
Lanx mendax veri, vera ſtatera doli.
Lex ſine lege Dei, canon ſine canone Chriſti,
Prævia cauſa mali, pagina plena doli.
Hi ſunt juſtitiam qui proſtituere pudicam,
Falſa loqui linguas qui docuere ſuas.
Qui dum labentem mundum retinere laborant

(a) Al. *qua.* (b) Al. *repurgat & repungit.*
(c) Al. *tergat.* (d) Al. *alleviabit.*
(e) Al. *menſtrua.* (f) Al. *bina.*

Cumque labente labent, cumque ruente ruent.
Quorum vita labor, via lubrica stat quasi stercus,
Finis in incerto, præmia certa dolor.
Quod bene dum secum quidam meditantur eorum,
Talibus a studiis se cohibere student.
Qui pariter mundi fœno cum flore relicto,
Omnia quæ mundi sunt nihil esse putant.
In medio fornacis agunt, flammæque voracis
Ignitum studium constituere suum.
Non tamen uruntur, quia quos refrigerat intus
Spiritus, exterior flamma cremare nequit.
Decoquit hos mundus, & sicut in igne camini
Aurum flamma probat, sic Deus urit eos.
In mediis flammis & in ignibus esse nec uri
Non est naturæ, sed Deitatis opus.
Cum propria carne certamina longa tenere,
Res est difficilis, & metuenda nimis.
Nam caro mortali levis est ut cerea flecti,
Quo natura vetus & vitiosa trahit.

De monialibus.

Est & adhuc ordo velatarum mulierum,
Quas & eas nonnas dicimus esse sacras.
Qui de virginibus viduisque coactus in unum,
Ordo satis notus pluribus esse solet.
Horas canonicas solito de more frequentant,
Solventes pensum nocte dieque suum.
Vocibus altisonis adeo modulamine dulci
Cantant, sirenes quod cecinisse putes.

A Corpore serpentes, sirenes voce, (a) dracones [a]
Pectore, Susanna smigmate, corde pares.
Sed tamen illud habent quod cuncta errata refellit,
Ante Deum lacrymas, quæ sine lege fluunt.
His Dominum placant semper veniamque merentur,
His sua cuncta lavant crimina, quidquid agunt.
Omnibus aure tenus licet his nutrire (b) capillos, [b]
B Sed non ulterius, ratio namque vetat.
Utuntur niveis agni de corpore sumtis
Pellibus intonsis, pallia nigra gerunt.
Hæ caput abscondunt omnes sub tegmine nigro,
Sub tunicis nigris candida membra latent.
Cingula nec ferunt, sed nec femoralibus uti
Consuetudo fuit, nescio si modo sit.

Alius novus ordo in partibus Anglicanis Simphinigra.

Est & adhuc alius nuper novus ordo repertus,
Quem bene, nam bonus est, commemorare decet.
C Hic apud Anglorum fines exortus, ab ipso
Nomen habet natus quo fuit ipse loco.
Symphinigram (c) dictus, de simplicitate vocatus, [c]
Sive per antiphrasim ordo vocatur ita.
Canonici missas tantum, reliquumque sorores
Explent officii debita jura sui.
Corpora, non voces, murus disjungit, in unum
Psallunt directo psalmate & absque mero.

(a) Al. *trienes*.

(b) Olim sanctimonialibus perinde ac monachis abscindebantur capilli, ut constat ex S. Hieronymi epistola ad Sabinianum, cujus hæc verba: *Moris est in Ægypti & Syria monasteriis, ut tam virgo quam vidua, quæ se Deo voverint, & sæculo renunciantes, omnes delicias sæculi conculcarint, crinem monasteriorum matribus offerant desecandum, non intecto postea contra Apostoli voluntatem incessura capite, sed ligato pariter & velato.* Non solum capillos non nutriebant moniales, sed eos etiam in modum coronæ abscindebant: quod patet ex vita S. Gertrudis abbatissæ Nivialensis, cujus mater ilta in Nivialensi monasterio religiosam vitam professa, *ferrum tonsoris arripuit, & capillos sanctæ puellæ adinstar coronæ abscidit*, deinde episcopis velandam obtulit. Ita etiam Montanæ virginis mater sanctæ capillos *adinstar coronæ abscidit*, ut lego in ejus vita apud Labbeum tom. 2. Bibliothecæ novæ, pag. 594. Monialibus Præmonstratensis ordinis *capilli ad aures tondebantur*, teste Hermanno in libro 3. de miraculis B. Mariæ Laudunensis.

(c) Vulgo dicitur Sempingham, Semplingham vel Sempringham, cujus ordinis institutor fuit S. Gilbertus, qui viros & feminas congregavit, assignata viris S. Augustini regula; feminis Benedictina.

ANONYMI
MONACHI CARTUSIENSIS VALLIS-DEI
DIALOGUS
DE DIVERSARUM RELIGIONUM ORIGINE

& earum temporibus ac legiſlatoribus; de quibuſdam quoque hæreſibus, ſed & de ſchiſmatibus quæ in Romana ſede contigerunt.

Ex mſ. codice Vallis-Dei.

OBSERVATIO PRÆVIA.

De nomine auctoris ſequentis dialogi hactenus nihil deprehendere potui: quis tamen ille fuerit ex dialogo ipſo utcumque colligere licet. Patriam ſuam ipſe nobis indicat cap. 18. *his verbis*: Multum iſte beatiſſimus archangelus (*Michael*) noſtram Normannicam patriam honoravit. *Non patriam modo, ſed etiam diœceſim declarat cap.* 32. *ubi de Nicolao Lyrano loquens, hæc habet.* Hic certe venuſtat plurimumque decorat noſtram non ſolum nationem, ſed etiam diœceſim. Extitit enim natione Normannus, Ebroïcenſis diœceſis, natus oppido cui Lyra vocabulum eſt. *Adoleſcens erat cum funeſtum exortum eſt ſchiſma Eugenium IV. inter & Felicem V. habuitque tunc temporis patruum in curia Eugenii ex cap.* 39. *Ordinem Vallis-Scholarium, qui ſub regula S. Auguſtini militat, a puero ingreſſus eſt ex cap.* 3. *eique ordini toto vitæ ſuæ decurſu maximopere affectus fuit ex cap.* 29. *In eo per annos plurimos ſub ſuavi obedientiæ jugo permanſit ex cap.* 3. *quod clarius explicat ſcheda Cartuſiæ Vallis-Dei, in qua hæc verba*: Quindecim annis ſub regula S. Auguſtini militavit in ordine Vallis-Scholarum. *Sacros ordines a Guillelmo* de Floques, *qui Ebroïcenſem epiſcopatum anno* 1447. *adeptus eſt, ſuſcepit ex capite* 26. *lectione vitæ S. Antonii compunctus, & arctioris vitæ deſiderio vehementer accenſus, ad Cartuſienſes tranſmigravit ex cap.* 3. *idque in Eremo Vallis-Dei diœceſis Sagienſis, ut indicat initio libri primi dialogorum.*

Factus monachus, poſt regularis & contemplativæ vitæ exercitia, quidquid ſupererat temporis ſacris lectionibus ac ſcribendis libris totum impendebat. Inter varia autem ipſius ingenii monumenta, perluſtrando Cartuſiæ Vallis-Dei bibliothecam, incidit in manus meas codex quatuor dialogorum libros continens, de præſentibus, præteritis & futuris eccleſiæ preſſuris, deque origine variorum religioſorum ordinum, propria ipſius manu, uti exiſtimo, exaratus; quem occaſione diſſidii, quod anno 1485. *inter duos contendentes de Sagienſi epiſcopatu contigit, conſcribendum ſuſcepit: id quod ipſe declarat initio libri primi hoc modo*: Quapropter cuidam religioſo nomine non merito, cunctorum Cartuſienſium minimo datæ eſt opera hoc

opuſculum cudere, ad hoc ſtimulatus maxime ob deſolationem & miſerandam dejectionem Sagienſis eccleſiæ, propter duorum præſulum grave ac ſcandaloſum diſſidium jamdudum obortum, & uſque nunc, heu! in grande animarum præjudicium continuatum.

Ex his quatuor Dialogorum libris, tertium dumtaxat, qui majoris nobis viſus eſt utilitatis, deſcripſimus. Ne tamen Sagienſis eccleſiæ preſſura, quæ huic operi anſam præbuit, omnino nos lateat, hic eam propriis auctoris noſtri verbis repræſentare juvat, maxime cùm aliunde vix quicquam de illa apud auctores reſciri queat. Audiſtis, *inquit*, dudum grave diſſidium inter duos; alterum verum, alterum fictum paſtorem. Quis autem horum verus, quis ſit fictus, in brevi, ut confido, Dominus pandere dignabitur, ad veri paſtoris gloriam, fictique confuſionem.

Audiſtis, inquam, litigium ſcandaloſum certe pro primatu adipiſcendo Sagienſis ſedis venerabilis. Diu litigatum eſt, ſed nondum finis. Diu, inquam, litigatum eſt, ſed, heu! de verbis ventum ad verbera: nec tantum ad hæc, ſed & ad neces. In his nec tremendæ majeſtati obedientia, nec ſanctis eccleſiæ illius patronis reverentia, nec mihi ærumnoſæ Matri, tamen Chriſti ſponſæ, honor delatus eſt. Acceſſum eſt ad ſacrum Chriſti templum impudenter, pugnatum eſt atrociter adverſus ſanctum locum, contra Dei ſanctam ac dicatam baſilicam, clypeo & haſta, arcu & ſagitta, omnique armorum apparatu, tamquam contra Chriſtianæ fidei hoſtes pugnaretur, immo vero, ut opinor, multo atrocius atque ferocius. Acceſſerunt quippe ad murum armatorum cohortes, impegerunt vehementer ad oſtia, circumvallata undique ſacra ædes, circumquaque obſeſſa. Clamatum eſt fortiter, ululatuque ingenti vociferatum, & pervenit clamor uſque ad cœlos; immo & ipſos penetrans aſcendit uſque ad thronum Dei, pervenit uſque ad aures tremendæ majeſtatis. Sed qui injuſte hanc ſuam ac ſanctorum ſuorum noſtramque injuriam nutu facilius vindicare poterat, vindictam ſuſpendit, offenſamque diſſimulavit uſque ad tempus, vere pius, vere miſericors. Tacuit, ſiluit, patiens fuit, factus tamquam homo non audiens & non habens in ore ſuo redargutiones. Verumtamen non ſemper ſilebit, ſed dum tempus acceperit juſtitias judicabit, & loquetur velut parturiens. Quid plura? Undique irruentibus hoſtibus, capta eſt baſilica ſancta, templum Dei, & habitatio ſanctorum ejus. Heu! heu! quid dictura ſum? Irruerunt cum ingenti ſtrepitu diſcurrentes cum horrendo fremitu, cum rugitu terrifico ſicut leo paratus ad prædam. Nulli rei prorſus delatum eſt, nulli parcitum, non ſacris vaſis, non indumentis eccleſiaſticis, non ſacratis reliquiis, denique non pretioſi corporis Chriſti reverendo ſacrario. Proh nefas! ipſum etiam Chriſtianæ regenerationis ſacratum chriſma, anfracta, ut fertur, ampulla argentea, per ſubſtratum pavimentum ſparſum eſt, & ab impiis ſacrilege calcatum. Sed nec iſta ſufficiunt. Humanum inſuper ſanguinem fuderunt in atriis Sion, in templo ſancto Dei homicidium crudeliter perpetrantes. Quid atrocius? quid crudelius? quid horrendius? quid inhumanius? quid ſceleſtius fieri poterat? Quis umquam audivit talia? quis vidit ſimilia? nec ſic tamen crudelitatis finis. In omnibus his non eſt averſus furor hoſtis, ſed adhuc manus ejus extenta. Auſi ſunt inſuper in contemtum Dei vivi, in injuriam noſtri, & contumeliam ſacri loci, ante fores ipſius ſacræ baſilicæ in honorem Dei ac pretioſorum martyrum dedicatæ Chriſtianos ſuſpendere, laqueo quoque velut in publicis patibulis ſuffocare, perque dies plures ſic ſuſpenſos relinquere. Quid amplius agere poſſent ſæviſſimi Turci ſeu pagani vel barbari? Quid? Taceo tremorem, pavorem, horrorem,

formidinem, quæ illos venerabiles religioſos *(a)* Dei ſervos invaſerunt, illum qui illius venerabilis collegii ac merito honorandi conventus ſuppoſitos obtinuit tremor, quique intra ſepta ſuæ propriæ manſionis, quamvis inſontes, obſeſſi ſunt velut impii proditores ſeu regni graſſatores. Taceoque eorum bona deprædata, ſubſtantia cuncta profligata, repoſita ad uſus neceſſarios ſervorum Chriſti diſſipata, ita ut nihil prorſus remanſerit eorum quæ reperit & capere valuit ſacrilegi manus rapax prædonis. Sileo calamitates civium, furentem irruentium armatorum impetum formidantium, qui mole formidinis etiam ſine ferro exanimari poterant, maxime ſexus ætaſque natura timidior. Prætereo viros ac mulieres, pueros ac virgines, ſenes cum junioribus, quorum præ immanitate pavoris mens pene receſſit, ſenſus turbatus, ſanguis gelidus, ſtetere comæ, artubus vigore diſſolutis corpus omne diriguit. Quis hos reparare valebit enormes exceſſus?

Porro operi ſuo auctor ille hunc præfixit titulum. Dialogus inter eccleſiam & actorem Filii perſonam miſeriis matris piæ condolentis gerentem. *Prater hos quatuor dialogorum libros creditur etiam alterum edidiſſe dialogum animam inter & rationem, qui mſ. habetur una cum tribus* de Imitatione Chriſti *libris in codice alio Vallis-Dei, ubi longam inſtituit diſputationem de quæſtione quæ ad ipſum maxime pertinebat: an ſcilicet monacho religioſum ordinem profeſſo, liceat primo ordine relicto ad alium tranſire: ubi & profeſſionis formam quæ a canonicis regularibus ordinis ſancti Auguſtini, nimirum Vallis-Scholarium conſueverat fieri, repræſentat.*

(a) Quippe canonicos regulares ordinis S. Auguſtini, qui cathedralem Sagienſem eccleſiam tunc occupabant.

PROOEMIUM.

FILIUS. Somno refectis artubus, ac recreatis ſenſibus, imminente jam crepuſculo, ac ſtellis ſuum jubar retrahentibus, Phœbo jam vergente ad ortum, veneranda Mater pallium, quod mihi ipſa ſero ſua benignitate ſubſtraverat, lente traxit excitandi gratia: moxque ego, oculis reſeratis, eam mihi aſſidentem intueor. Reſplendebat autem ejus facies ut ſol, ita ut vix in eam obtutus poſſem defigere. Tum illa me affari exorſa eſt.

MATER. Eia, Fili care, ſufficit, ſatiſque pauſaſti. Surge igitur celer & ſede, ad mentemque quod ſero ſpoponderas reducito, & vel nunc ſomno protelato recreatus, intentum proſequere: tecum namque jugiter ſeu aſſidue ſtare non poſſum. Sunt nempe & alii uterini ſicut & tu conſolandi. Igitur alibi profectura cum me abſentem experimento probaveris, quod tamdiu otio torpueris tunc dolebis.

FILIUS. Dolebo certe, ô veneranda Mater, non dubito. Sed quoniam extenſo ſopore, a te mihi pluſquam ſatis ſatisfactum eſt, ne quæ reſtant temporis momenta depereant, peto quid ad meam ædificationem depromas. Nam licet ſero tranſacto me locuturum ſpoponderim; quia tamen multum & forte nimis locutus ſum, quæve meam forſan facultatem excedunt, opto, ſi libet, ut loquaris. Nam & repente venit in mentem, & quæ meam frænet verboſitatem, illa Jacobi memoranda ſententia, qua nos adhortatur dicens: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* Precor itaque humiliter, Mater, loquere. Te ſiquidem decet, quæ & ſenſu profundior, & & ſtylo venuſtior, affatu quoque fœcundior atque facundior fore dignoſceris. Nos quidem denſis ignorantiæ tenebris involvimur: tu autem, quæ ſponſi tui ſpiritum habere probaris, qui te in omnem inducet veritatem, profectus noſtri gratia dicito quodlibet, & me, eodem ſpiritu auxiliante, intentum habebis auditorem.

MATER. Mihi, fateor, placet quod facis; te ſiquidem & quemcumque in virtute proficere cupientem decet humilia de ſe ſentire. Nam *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Sed & ipſe Salvator in evangelio, *qui ſe humiliat*, inquit, *exaltabitur; & qui ſe exaltat humiliabitur.* Tuæ igitur humilitati applaudo, & quod abjecte de te ſapis libenter amplector. Et quoniam de noſtris generalibus perſecutionibus pene omnibus, uſque ad piorum & catholicorum imperatorum tempora, per quos pax, Chriſto miſerante, reddita eſt, in præcedenti tractatulo prælibavimus, libet nunc ut de origine diverſorum ordinum multimodarumque religionum ſub noſtro regimine militantium atque florentium, de temporibus quoque quibus ſumſerunt exordia, de eorum quoque legiſlatoribus cum compendio memoremur, & quod reſtat de noſtris perſecutionibus,

tionibus, cum temporum occaſione opportunitas emerſerit, Chriſto juvante, narrabimus.

FILIUS. Gaudenter, mater, hilari ac læto animo quod ſpondere dignaris accepto. Et miro modo ad id meus libens animus inclinatur, quod a te, etiamſi renuetis, precibus improbis extorquere conarer. Age ergo jam, redde quod promiſiſti: nam me, ut dixi, promtum & attentum, Chriſto propitio, auditorem habebis.

CAPUT I.

De beato Antonio ac primis Anachoreticis patribus.

MATER. Igitur his qui ante Chriſti paſſionem in anachoretica ſeu thoretica converſatione perfecti extiterunt, ſive Elia, ſeu Johanne-Baptiſta, vel aliis quibuſlibet omiſſis, quorum tamen ingentem turbam fuiſſe non dubites a mundi exordio, ad eos qui poſt apoſtolorum tempora fuere convertamur, & ab illis ſumamus narrationis exordium. Et primum omnium illum præclariſſimum, & ut ita dixerim, angelicæ perfectionis virum, cujus fama micat per orbem, ſumamus ANTONIUM, qui totius anachoreticæ ſeu monaſticæ vitæ caput eſſe creditur, cunctorumque heremicolarum magiſter, doctor, & ſignifer, fundamentum, atque principium. Nam licet PAULUS heremita primus extiterit tempore, nullos tamen diſcipulos ſeu ſectatores habuit; ſed cunctis hominibus, quoadusque illum Dominus ſervo ſuo ANTONIO revelare dignatus eſt, incognitus manſit. Hic igitur ANTONIUS eo tempore heremi deſerta adhuc adoleſcens incunctanter aggreſſus eſt, quo ſacer præſul SILVESTER ſtatus noſtri moderamina, CONSTANTINUS vero merito magnus monarchiæ totius ſceptra regebat, licet circa finem ejus imperii. Nam SILVESTER quidem viginti & uno annis præfuiſſe legitur, CONSTANTINUS vero triginta & uno circa annos Chriſti nati trecentos viginti quatuor.

Ab iſto itaque ſacerrimo ac digniſſimo patre ANTONIO exempla vitæ ſumſerunt quicumque in anachoretica ſeu contemplativa vita ac ſolitaria converſatione inſtituti ſunt. Hic cælebs ANTONIUS quamplures diſcipulos vivens in ſolitudine habuit, PAPHNUTIUM videlicet, ac HILARIONEM, PAULUM ſimplicem atque MACARIUM & alios plures centenarium numerum excedentes. Verum poſt ipſius felicem tranſitum cohors innumera ejus terens veſtigia heremum vaſtam incolere cœpit, Deo & his quæ Dei ſunt vacando quotidie, ſacris orationibus, meditationibus aſſiduis, contemplationibus theoricis & aliis piis exercitiis indeſinenter inſiſtendo; de quorum Chryſoſtomus laude atque præconio homelia quadam ſuper Matthæum ita inquit inter multa: » Eſt enim cernere tota illa Ægypti « Homil. VIII.
regione diffuſum exercitum Chriſti, & ad- «
mirabilem illum regium gregem, virtutum- «
que cœleſtium converſationem in terris mi- «
cantem. Atque hæc non in viris ſolum, ve- «
rum etiam in feminis ſplendere conſpicias. «
Nam illæ quoque non minori quam viri vir- «
tute decorantur; non clypeo arrepto in e- «
quum inſilire callentes, ut honeſtiſſimi illi «
& ſapientiſſimi gentilium jubent magiſtri: «
ſed multo certe vehementius bellum geren- «
tes. Commanis enim illis viris adverſus «
diabolum pugna eſt, contraque hujus mun- «
di poteſtates, nec uſpiam teneritudo ſexus «
his congreſſibus impares facit. Non enim «
natura corporis, ſed voluntate animi exer- «
centur iſta certamina. Propterea ſæpius in «
hujuſmodi certamine fortius viris feminæ de- «
certarunt ac triumphis inſignibus claruerunt. «
Non ita variis aſtrorum choris cælum refulget, «
ut Ægyptus innumeris monachorum «
ac virginum diſtinguitur atque illuſtratur ha- «
bitaculis. Et idem poſt pauca: Cunctis quip- «
pe præſentibus rebus exuti, mundoque cru- «
cifixi, nihilominus ad perfectionis ulteriora «
contendunt. Proprii ſiquidem corporis opera «
ad indigentium utuntur alimoniam. Neque «
enim quia vigilant aut jejunant, idcirco ſibi «
otium indulgent diurnum; ſed noctes quidem «
ſacris hymnis ac vigiliis, dies vero ora- «
tionibus ac manuum operibus exercent, «
apoſtolicæ curſum virtutis imitantes. Et qui- «
buſdam interpoſitis demum idem venerabilis doctor ita infert: Quiſquis regionis illius «
gnarus eſt, iſta quæ dicimus recognoſcit. Si «
vero habitacula illa nondum novit, conſideret virum per cunctorum uſque hodie ora «
volitantem, quem apoſtolorum ſimillimum «
Ægyptus protulit: beatum dico & magnum «
illum, de quo ſæpe audiſtis, ANTONIUM, & «
attendat quia hic quoque illius fuit regionis «
indigena, cujus etiam Pharao, ſed nihil ſit «
inde vitiatus. Hæc cuncta Chryſoſtomus & «
plura, quæ quamvis valde bona & utilia, cauſa tamen brevitatis omitto. Omnia ad manum habes, legere poteris quando libuerit. Sed & ipſius totius perfectionis ANTONII vitam a B. Athanaſio Alexandrino digniſſimo præſule ejuſdem contemporaneo ac familiari egregie editam, vitas patrum inſuper a Hieronymo & Heraclide aliiſque auctoribus editas contemplari poteris, Et ſi in his cum affectu excitatus fueris, non parvum, ut confido, inde accipies virtutis incrementum. Harum ſiquidem lectio litterarum profeſſioni tuæ congruit non minime, ſed quam maxime tuo adſtipulatur propoſito.

FILIUS. Certe optimum, Mater, loquendi de patribus aſſumſiſti initium, celebrem ANTONIUM tamquam fundamentum & lapidem primarium jaciendo, ſuper Chriſtum tamen, qui ſecundum apoſtolum extat me-

rito totius ſpiritualis ſtructuræ ſeu eccleſiaſtici ædificii fundamentum. *Fundamentum*, inquit, *aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt* CHRISTUS JESUS. Optimum, inquam, ab ANTONIO prælibaſti exordium, cujus mores & converſatio multorum fuit & eſt cauſa profectus & emulatio ſancta virtutum. Et utinam ad Chriſti gloriam non ad pompoſam jactantiam referam. Hujus vitæ ſeu ſanctorum ceterorum patrum lectio dudum ad meipſum introrſus redire compulit, compulſumque & a terrente divina juſtitia ſtimulatum, ordinem Cartuſienſem ingredi perſuaſit, utinam ad Chriſti præconium, propriam ſalutem, ac fratrum exemplum & ædificationem.

MATER. Amen, *Sic fiat.*

CAPUT II.

De Macario & aliis patribus.

HUnc tam egregium pugilem & emeritæ militiæ ducem ANTONIUM ſecuta eſt cohors innumera ſanctorum patrum, quorum dux & abbas pater & rector MACHARIUS extitit, ipſius ANTONII perfectus æmulator atque diſcipulus. Hujus MACHARII ſub regimine atque ducatu floruerunt monachorum, ut legitur, fere quinquaginta millia. Quo poſt diutinam ac ſanctam converſationem incredibilemque continentiam e terris aſſumto, ſucceſſit in regimine monachorum (*a*) PASTUMIUS venerandus, qui quamvis prius Paganus, & idiota, ac prorſus litteratum ignarus, miro tamen modo per continuum ſanctarum virtutum exercitium, per quotidiana exercitia, juges vigilias, orationes & lacrymas aſſiduas, fuit ad plenum adeo eruditus, ab eo procul dubio qui docet hominem ſcientiam, ut non ſolum prodeſſe ſufficeret ſibi ipſi, ſed inſuper idoneus eſſet & alios erudire, atque in viam ſalutis eorum greſſus dirigere.

Fuit poſt hunc & alius veneratione ac memoria, laude & præconio dignus nomine PACHOMIUS, vir valde ſanctus & in abſtinentia ſingularis: qui cum quodam tempore vigilaret in oratione, apparuit illi angelus Domini, dicens: voluntas Dei eſt, ô PACHOMI, ut ei pura mente deſerviens, multitudinem congreges monachorum, & juxta formam quæ tibi oſtenſa eſt, cunctos inſtituas, ac Deo exhibere contendas. Acceperat nempe dudum tabulam, in qua hæc quæ ſequuntur erant annotata.

Vita S. Pach. cap. 11.

Cap. 22.

Singulis juxta vires ſuas edere concedas & bibere; & pro modo veſcentium laborare compellas. Et neque comedere moleſtes, nec jejunare prohibeas. Validioribus quidem & plus edentibus validiora, leviora vero infirmioribus & abſtinentibus imponas.

Facies autem cellulas diverſas, & ternos per unamquamque cellam manere conſtituas. Omnium vero cibus in uno loco paretur atque conſumatur.

Induantur autem noctibus (*b*) lebitones lineos, præcincti lumbos, habeantque ſinguli melotem, id eſt caprinam pellem, confectam albam, ſine qua non comedant neque dormiant.

Accedentes autem ad communionem Sacramentorum Chriſti, & cingulos ſolvant, & melotas deponant, cucullis utentes tantummodo.

Hoc etiam præceptum eſt, ut cum comederent, capita ſua cucullis operirent, (*c*) ne frater fratrem videret manducantem; & ut nullus comedens loqueretur cum alio, nec præter menſam ſuos alibi circumferret aſpectus.

Necnon & hoc ab angelo conſtitutum eſt, ut diurnæ orationes duodecim fierent & veſpertinæ duodecim & nocturnæ æque duodecim.

Cumque PACHOMIUS diceret paucas orationes eſſe, angelus reſpondit: Has conſtitui quas poſſunt infirmiores abſque labore perficere: ceterum qui perfecti ſunt hac lege non indigent: apud ſe namque in propriis conſtituti cellulis, orare non deſinunt, qui puritate mentis & divina contemplatione paſcuntur.

Cumque hæc & alia quædam dixiſſet, quæ cauſa brevitatis omiſimus, nuntius cœleſtis abceſſit. Et PACHOMIUS ſolito more Deo gratias referens, de viſione & allocutione angelica certus eſt redditus, quam trina revelatione cognoverat: cœpitque cunctos ſuſcipere, qui ſe Dei miſeratione offerebant; quos etiam poſt longam converſationis experientiam, monachorum cœtibus aggregabat, inſtruens eos illecebras carnis fugere, ſanctiſque ſemper inſtitutionibus inhærere: primitus autem admonens, ut generaliter monachus univerſo mundo renuntiet, deinde juxta evangelicum præceptum parentibus ſuis, & ad poſtremum ſibimetipſi, ut ita poſſit tollere crucem ſuam & Chriſti veſtigia veneranda ſectari.

FILIUS. Multum authentica certe videtur hæc regula, quæ de cœlo miſſa, ab angelo dictata, & huic ſancto patri tradita. Quamobrem miror ſatis quod non a pluribus fuit aſſumta atque profeſſa.

MATER. Noli mirari, cum quotidie videas caritatem frigeſcere, devotionem langueſcere, fervorem tepeſcere, & animos mortalium ad laxiora reſolvi. Sed his explicitis, breviterque tactis, ad ulteriora provehamur.

(*a*) *al.* Poſthumius. Vitam ejus edidit Roſweidus, in qua obſervat plura eſſe affinia cum Pachomio, vereturque, ne ipſe ſit Pachomius, qui & quibuſdam dicitur Pachumius.

(*b*) Lebiton veſtis erat linea inſtar colobii.

(*c*) Vide Caſſianum lib. IV. inſtitutionum.

CAPUT III.

De beato Auguſtino & ejus regula.

MATER. Iſtos quos præmiſimus & alios quamplures cauſa brevitatis omiſſos venerabiles patres ſequitur venerandus heros ac Deo dignus ſacerdos & pontifex ac doctor egregius AUGUSTINUS, canonicorum regularium pater ac eremitarum inſtitutor, anno Chriſti circiter CCCLXXXIV. ſub SIRICIO papa imperatoreque piiſſimo THEODOSIO. Hic per omnia ſequens apoſtolorum veſtigia, ſcripſit regulam diſcretione pleniſſimam, brevem quidem verbo, ſed non parvam merito, in ſe pleniſſime continens quicquid pertinet ad rationem ſalutis, ſeu ſtatum perfectionis, ſicque regula ipſa ſuas traditiones legaleſque obſervantias moderari dignoſcitur, ut & perfectis bene obſervata ſufficiat, & imperfectis quique puſillo animo ſunt nihil aut parum difficultatis inducat, ſed ſtatim præſto ſit implendi facultas, ſi adſit bona voluntas.

Et notandum quod ipſe venerandus AUGUSTINUS tres ſub ſuo ducatu ſuoque regimine dum adviveret inſtituit profeſſionum diſtinctiones, unam quidem regulam habentium, ſed conſtitutiones diverſas, quæ diverſificant diverſarum ſpecies profeſſionum. Legitur ſiquidem in ipſius vita, quod cum a beato Ambroſio apud Mediolanum baptiſmi gratiam percepiſſet, cum filio naturali ADEODATO, mox cum matre & quibuſdam neceſſariis amicis inde receſſit, ad Africam natale ſolum redire cupiens. Cum autem deveniſſet apud Oſtiam Tiberinam, pia mater ejus beata & ſancta MONICA defuncta eſt, & ibidem ſepulta. De cujus felici tranſitu ipſe AUGUSTINUS in Confeſſionum libro ſatis diffuſe tractat. Poſt hæc igitur ipſe reverſus ad agros proprios, ubi cum amicis jejuniis & orationibus vacans, ſcribebat libros & docebat indoctos. Comperta autem ejus miranda fama, B. VALERIUS Hipponenſis epiſcopus eum ad ſe accerſiri fecit, & licet invitum preſbyterum ordinavit. Factus ergo preſbyter monaſterium clericorum mox inſtituit, & cœpit ipſe cum multis vivere, ſecundum regulam ſub ſanctis apoſtolis conſtitutam. Nequeenim, ſicut in apoſtolicis Actibus legitur, quiſquam aliquid ſuum eſſe dicebat; ſed erant illis omnia communia. Sic quippe in ipſius regulæ initio ait: *Primum propter quod congregati eſtis, ut unanimes habitetis in domo, ut ſit vobis anima una & cor unum in Deo, & non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia. Sic enim legitur in Actibus apoſtolorum: quia erant illis omnia communia, & diſtribuebatur unicuique prout cuique opus erat.*

FILIUS. Optimum valde regulæ initium, apoſtolicæ perfectionis forma. O certe apoſtolica perfectio, vere ſancta regula, & laude digna! Pridem laudabamus B. PACHOMII regulam tamquam de cœlo miſſam, velut ab angelo ſancto dictatam & traditam. Sed hæc, ut videtur, non minori attollenda præconio, tamquam quæ apoſtolicæ perfectionis æmulatur induſtriam. Nempe ipſi ſancti apoſtoli indubie perfectiſſime vixerunt, tamquam ipſius Chriſti magiſterio immediate edocti, ipſiuſque verbis & exemplis inſtructi. Ut enim inquit S. Lucas in Actibus, cœpit JESUS facere & docere. Nullo modo itaque ſancti apoſtoli aliter vivere potuerunt, quam ipſe Salvator & vixit & docuit.

MATER. Iſte ſacerrimus pater AUGUSTINUS non multo poſt tempore Hipponenſis factus epiſcopus, exemplo laudabili & diſcreta ac blanda exhortatione ſuaſit ſuis canonicis, ut ſine proprio degerent, videlicet ſecundum regulam in ſuo priori monaſterio conſtitutam. Vivebat igitur in ſua cathedrali eccleſia cum Chriſti pauperibus & ipſe pauper. Nullo quippe modo perfectus vir aliter potuit docere quam vixit, ſeu aliter vivere quam docuit. Poſtmodum ipſe cernens quoſdam tam de ſuo monaſterio, quam etiam de ſua eccleſia, ad theoricam anhelantes vitam, hominum viſus faſtidientes, & eremum affectantes, aliud in ſolitudine monaſterium, & a civitate longius ſequeſtratum conſtruxit, & ibidem quos ad theoriam aſpirare comperit, manere conſtituit, quos etiam fratres eremitas vocavit, illos ſæpius viſitans, & cum illis quantum ſibi licebat converſando, doctrina ac ſacris & cœlo dignis moribus inſtituens. Extant ſermones ipſius ad eoſdem eremitas vivæ vocis oraculo editi, quos te vidiſſe ac legiſſe non dubito. Ab his itaque tribus monaſteriis, ſeu tribus generibus profeſſorum ſub una regula quidem militantium, ſed non eadem forma degentium, ortæ ſunt diverſæ differentiæ religionum, de quibus, Deo propitio, in ſuis dicemus locis.

Cernis igitur quam pius & dignus pater ac venerandus legiſlator extitit iſte filius noſter dilectus AUGUSTINUS, qui tamquam lignum plantatum ſecus decurſus aquarum, fructum copioſum dedit, dat quotidie, & dabit uſque in finem in tempore ſuo. Quamvis enim, ſicut & in ceteris profeſſionibus, degenerando atque a recto tramite exorbitando aberrare noſcantur, plurimos tamen in eiſdem religionibus proficere non dubium eſt, nec perire poſſunt quos Deus præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe juxta apoſtolum primogenitus in multis fratribus. Siquidem novit Dominus qui ſunt ejus, & ut ait AUGUSTINUS iſte, novit in area ſua triticum, novit & paleam, novit ſegetem, novit & zizania. Novit qui permaneant ad coro-

nam, & qui permaneant ad flammam.

FILIUS. Quam pulcher ordo certe, ſed ſi primo ſuo decore manſiſſet. Expertus loquor, nempe ſub illo annis plurimis a puero detritus ſum, quamvis in eo non bene & perſeveranter profecerim. Nam ſi, ut quidam, quos dudum novi in eodem ordine, profeciſſem, mutare locum & religionem atque habitum neceſſitatem non haberem. Sed juvenilia deſideria nimis ſectantem neceſſarium fuit loris durioribus vinciri atque jugo graviori artari.

MATER. Sic profecto multi cernuntur uſque hodie, qui nolunt ſub leni jugo Chriſti & onere levi domari, ſed dura cervice & indomabili corde ſunt, quibus profecto ſola vexatio dat intellectum auditui. Temetipſum conſidera, & quam difficilis ad hunc ordinem, in quo Deo propitio degis converſio extiterit advertens, verum me dicere procul dubio comprobabis.

FILIUS. Quod aſſeris mater veriſſimum eſt, nec eget probatione. Jam igitur quoniam de his ordinibus mihi pro nunc ſatisfactum eſt, ad alia, ſi placet, dilecta mater, properemus.

CAPUT IV.

De B. Benedicto & ejus regula.

MATER. Hunc de quo præfati ſumus AUGUSTINUM tempore ſequitur vir vitæ venerabilis gratia BENEDICTUS & nomine, ab ipſo juvenili ævo cor gerens ſenile, ætatem quippe moribus tranſiens, nulli animum dedit voluptati. Hic ſpreto ſæculo & cunctis quæ ſæculi ſunt, ſeſe devote Chriſto devovit
[a] anno Incarnationis ejuſdem DXIV. (a) Juſtiniano I. imperante Feliceque IV. ſummo pontifice. Qui beatiſſimus BENEDICTUS quaſi ſtella matutina luxit & ſplenduit, & velut ſol refulgens in diebus ætatis, ſic ille refulſit in templo Dei, quod ſumus nos. *Templum enim Dei ſanctum eſt*, inquit apoſtolus, *quod eſtis vos*. Hic venerandus pater ſcripſit monachorum regulam multum authenticam, a nobis & a rectoribus ſummis plurimis confirmatam, a cunctis approbatam, a ſanctiſſimo præſule ſummo GREGORIO egregie laudatam, quam profeſſi ſunt innumeri & floruerunt quamplurimi etiam miraculis coruſcantes, quorum nomina in ſanctorum catalogo annotata, ſpiritus autem jam beati felices regnant cum Chriſto in gloria. Hic ipſorum pater BENEDICTUS, ut verum fatear, ſtatus monaſtici extitit ſolidiſſimum fulcimentum, totius religionis norma, ac perfectionis exemplar, qui & in ſanctæ converſationis propoſito inclytos valde habuit diſcipulos & plures numero, inter quos unus, & is præcipuus beatiſſimus MAURUS paternarum virtutum imitator, ac ſanctæ converſationis indefeſſus æmulator, ab ipſo ſuo magiſtro ob fundandum cœnobium directus in Galliam, veluti vitis abundans copioſiſſimas ac floridiſſimas emiſit propagines, botros innumeros proferentes. Hic MAURUS ſacerrimus, inſtar vivi ac lucidiſſimi fontis copioſe manantis, religionis rivulos uſquequaque diffudit, adeo ut innumeri ejus dulcedine delectati, cunctas orbis delicias & oblectamenta, carniſque voluptates contemnerent, & ad illa dulcia fontis fluenta refocillanda properarent. Alii in pueritia, alii in adoleſcentia, alii in juventute, alii in virili ætate, atque alii in ſenectute illum ſacrum ordinem profitentes, cœlo & cœli gaudiis digni inventi ſunt. Horum omnium venerabilis BENEDICTUS legifer extitit, ad cujus honorificentiam hoc inſuper acceſſit, quod non alius quilibet eccleſiaſticorum tractatorum ejus vitam digeſſit, quam inſignis ille ac diſertiſſimus doctor GREGORIUS, qui digniſſimum Spiritus-ſancti organum merito nuncupatur, quoniam omne quod dixit, dictavit, aut ſcripſit, ſpirituale atque theoricum moraleque fore nullus qui dubitet. Divinitus ſiquidem, ut creditur, diſpoſitum eſt, ut cum iſdem venerabilis BENEDICTUS in ceteris ſit a Deo decoratus & honoratus, etiam hinc tam ipſe quam ejus regula roboretur, quod eamdem vitam ſummus apoſtolicæ ſedis antiſtes conſcripſit ac ordinavit, & quod adhuc amplioris honoris fore conſtat, ſub ejuſdem patris BENEDICTI regula, mundi deſpectis pompis atque divitiis, in adoleſcentia devotiſſime militavit GREGORIUS ipſe, donec a PELAGIO papa in diaconum cardinalem aſſumtus, tandem ad ſummum præſulatum poſt ipſum glorioſe ac miraculoſe meruit ſublimari, quod de nullo alio ſummo pontifice reperies, præterquam de FABIANO ſancto, qui ſub Deciana perſecutione coronatus eſt.

S. Gregorius regulam ſancti Benedicti profeſſus.

De hoc autem ſacerrimo patre BENEDICTO & ejus ordine quidam quaſi jubilando in ejus laudes prorumpens ita infit:

Sacer ordo BENEDICTI
Utitur amictu miti
Pro ſuo velamine,
Albo, nigro, camelino,
Lana texta ſine lino,
Pro ut eſt religio.
Hic monarcha monachorum,
Patriarcha ſtat cunctorum,
Qui ad ſe confugiunt.
Cœnobitis præbet normam,
Et anachoretis formam
Vias rectas ingredi.
Cujus regularis uſus
Nunc ubique eſt diffuſus
Inter orbis climata.
Nam ſpecus cultus divini
Locuſque montis Caſſini
Redolent virtutibus.

Regula S. Benedicti.

De ſancto Mauro.

(a) Sanctus Benedictus eremum petiiſſe creditur anno Chriſti 494. ætatis ſuæ decimo quarto.

Hinc Fuldenſes cum fervore,
Clauſtra multa cum decore,
Regunt in Alemannia.
Hinc a MAURO diſcipulo
Tamquam mananti rivulo
Perfunditur Gallia.
Innumeros hic habuit
Filios, quibus præbuit
Exempla juſtitiæ.
Hos vitiis conculcatis
Per ſemitas æquitatis
Fert in regnum gloriæ.
Felix regio Francorum,
Parens fœcunda tantorum
BENEDICTI militum.
Horum fuit dux & pater,
Horum quoque ego mater
Tam piorum Quiritum.
Aſſunt jam Cluniacenſes,
Simul & Camaldulenſes,
Cum Ciſtercienſibus.
Columberni, Silveſtrini,
Superſunt & Cœleſtini
Diverſo ſub habitu.
Montis-Oliveti patres,
Humiliatique fratres,
Sub eadem regula.
Vigent quoque Juſtinenſes,
Cum candore Burſfeldenſes
His diebus ultimis.
Adduntur & his Beccenſes,
Quorum mentes velut enſes
Vibrantur in intimis.
Ob terrendos inimicos
Verſipelles & iniquos
Quærentes hos perdere.
Fiſcannenſes adjunguntur,
A queis hoſtes percelluntur
Et corruunt propere.
Perplura in Normannia
Cum his ſunt monaſteria
Egregia nomine.
Quibus teruntur vitia,
Exercentur cœleſtia
In ſanctorum agmine.

Hujus ſummi quoque ordinis plures, immo pene nobis innumerabiles fuere laude digni, quorum memoria bona & mors in conſpectu Domini pretioſa, de quibus hi extant verſus.

Mitis & invicte Chriſti verna BENEDICTE,
In cœlo ſiſti tot fratres promeruiſti,
Quingentos quinque quinquaginta millia quinque
A te tranatos poſt omnes canonizatos.
Non eſt noſtræ facultatis
Compenſare dicta factis
Ac ſtilo digerere.
Sed quis alter confeſſorum
Secum duxit talem chorum
Ad cœli palatia.

FILIUS. Vere magnus pater iſte venerabilis BENEDICTUS, magnus, inquam, & laudabilis valde: immo vero magnus Dominus, & magna virtus ejus, & magnitudinis ejus non eſt finis, qui in ſe quidem incomprehenſibilis, mirabilis eſt in ſanctis ſuis, ſicut ſcriptum eſt: *Glorioſus Deus in ſanctis ſuis, mirabilis in majeſtate faciens prodigia.*

CAPUT V.

De venerabili Columbano.

POſt hunc honorandum patrem BENEDICTUM non multis decurſis annorum curriculis conſtat ſanctum floruiſſe Columbanum,
B virum utique bonum & juſtum, ſimplicem & rectum, atque in omni virtute perfectum. Hic pater venerabilis prius quidem claruit in Hibernia nativo ſolo; ſed cum ibidem non fructificaret ad nutum propter gentis barbariem, venit in Franciam, regionem dulcem & amabilem, colonos habentem ſua natura benignos, ac feritate carentes naturabiliter, ob videlicet ingenitam lenitatem. Regio ſiquidem dulcis dulces gignit alumnos. In qua quidem patria idem venerandus heros propter hujuſmodi tractabilem gentem, copioſam ac fertilem meſſem acquiſivit, ac monaſticæ profeſſionis leni jugo hu-
C miliata colla voluntarie mancipavit. Hujus autem viri ſancti doctrina vel fama, qualiſve vita fuerit, qui noſſe ad liquidum voluerit, ex libro qui ejus geſta ornate differit, cognoſcere facillime poterit. Accidit autem ut dum fines Galliæ ob Chriſti prædicandum evangelium animaſque lucrandas circuiret, ad villam quamdam in littore amnis Maternæ ſitam, Vulciacum nomine deveniret, ibique illuſtrem virum AUTHARIUM cum nobili conjuge ſua AIGA inveniret. Qui cum virum Dei ob ejus redolentem famam hoſpitio cum gaudio ſuſcepiſſent, ac venerabili-
D bus ei obſequiis placere ſatagerent, religioſa mater trium natorum prole fœcunda, quorum nomina ADO, DADO & RADO, ad benedicendum eos viro Dei obtulit, humiliter obſecrans, ut eos dextra ſua benediceret, ſanctaque manu ſignaculo ſalutiferæ Crucis ſignaret. Videns autem vir ſanctus futurorum præſcius, piæ matris fidem, infantulos benedicens, ſpiritu afflatus prophetico, prædixit hos futuros in Chriſtianæ religionis virtutibus eximios, honoribus ac dignitate ſæculi claros, in aula etiam regum glorioſos.
E Nec potuit tanti viri benedictio caſſa vel fortuita ullatenus æſtimari: nam mox uti pubeſcere cœperunt, primo LOTHARIO, deinde DAGOBERTO in cunctis inventi ſunt gratiſſimi. Perinde ad cœleſtia tendentes, inter peſtifera hujus mundi negotia ſanctorum ſemper amabant conſortia, & quamvis ordine diverſo, ſequitur tamen effectus promiſſionem. Primogenitus nempe ADO cuncta mundi hujus oblectamenta contemnens, ſemetipſum,

abnegans, voluntatibuſque propriis renuntians, perpetualiter divino beneficio in caſtris regis æterni militare delegit, monaſticam vitam appetens, mortiferam virulenti ſæculi calcavit dulcedinem. Monaſterium quippe Radolienſe ſuper præfatæ Maternæ fluvium *in proprio ſolo* ſecundum regulam ſæpefati almi COLUMBANI, adjuvante beatiſſimo germano ſuo AUDOENO, ipſe eſt DADO, dotatum rebus & omnibus neceſſariis nobiliter condidit. RADO vero trium minor fratrum eximium nativitatis ordinem tenens, theſaurorum regalium ſummus procurator effectus eſt. Sanctus autem AUDOENUS cognomento DADO auricularii locum in aula regis ſortitur. Ipſe inſuper ad ſignanda ſcripta vel edicta regalia ſigillum vel anulum regis cuſtodiebat. Erat quippe ſenſu profundus, eloquio venuſtus, conſilio providus, judicio juſtus, corporis ſtatura procerus, vultu decorus, & ante omnia in Chriſti caritate fundatus.

FILIUS. Magnus valde ac venerabilis pater iſte AUDOENUS extitit, poſtmodum metropolitanus Rothomagenſis digniſſimus præſul, cujus laudes ſi velles ad liquidum perſequi, non exiguus codex edendus foret.

MATER. Hoc noſtri non eſt propoſiti, ſed ad noſtrum revertendum eſt COLUMBANUM, cujus occaſione hæc inſeruimus, non tamen incongrue, ſed ſatis neceſſarie, ut æſtimo.

FILIUS. Tanto certe libentius de iſto reverendiſſimo archipræſule AUDOENO te narrantem audivi, quanto hunc digniorem noſtræ metropoleos paſtorem recognovi.

MATER. Ut noveris, fili, iſte honorandus pater COLUMBANUS, poſtquam in Gallia multum fructum protulit, inde ad Burgundiam migrans, ibique diu commanens, fructificavit abundanter, ibidem monaſterium nobile, quod Luxovienſe dicitur, conſtruens, Dei famulos quamplures Chriſto ſervituros aggregavit, quorum poſteritas cum multiplici fructu perſeverat uſque hodie. Poſtmodum devenit in Almanniam, ubi factus eſt in gentem maximam, demum ſpiritu fervens, velut alter Paulus totum mundum, ſi ſibi foret poſſibile, ad Deum perducere feſtinans, poſtquam plura cœnobia in præfatis regionibus fundaverat, devenit in Italiam, ubi poſt multos agones, ac infinitos labores multaſque patientiæ coronas, monachorum etiam catervas quamplurimas Chriſto acquiſitas; nam, ut legitur, innumerabilium pater extitit monachorum, plurimis inſuper clarus miraculis, in monaſterio Italico, quod Bobienſe dicitur, migravit ad Chriſtum, ſuorum piorum operum coronam immarceſſibilem percepturus. Nam, ut Sapiens inquit, bonorum laborum glorioſus eſt fructus.

FILIUS. Bene & ut competit Deo noſtro optimo remuneratori, qui ſic bonus eſſe perhibetur pius ac miſericors, ut ſemper vindicet citra dignum & muneret ultra condignum. De quo nempe ipſe iterum Sapiens dicit: *Reddidit Deus mercedem laborum ſanctorum ſuorum, & deduxit illos in via mirabili*, & cetera quæ ſequuntur.

CAPUT VI.

De beatiſſimo papa Gregorio.

SUpervacaneum nequaquam exiſtimo, quamvis forte a ſubjecto videri poſſet extrancum propoſito, hic pauca inſerere de ſanctiſſimo & vere digniſſimo papa GREGORIO doctore noſtro præcipuo, cujus origo fere e veſtigio præſcripta ſubſecuta eſt tempora. Hujus autem ſacerrimi ac Deo digniſſimi pontificis iccirco præ multis ſpecialem facio mentionem, quoniam revera noſtrum ſtatum excellentiſſime rexit ad Chriſti gloriam, noſtrum honorem, orbis ſalutem, & ita, ut verum fatear, & pace ſanctorum loquar, nemo umquam melius.

FILIUS. Optime certe, Mater, faris, & ut tibi competit mihique placet, me quoque delectat non minime. Neque enim tantum doctorem tamque pium patrem, tanta dulcedine refertum virum umquam obliviſci debet animus Chriſtianus, cujus nomen in ore pro meritis, ut æſtimo, quaſi mel dulcoratur, ſi ipſius manſuetudo in corde ruminetur.

MATER. Hic igitur beatiſſimus GREGORIUS ſuaviſſimum organum Paracliti dictus, clariſſimis ortus natalibus, eo tempore duxit originem, quo a Nativitate Chriſti annus DXLI. volvebatur. Qui nobilis genere, tamquam ſtirpe ſenatoria editus, ſed tamen nobilior fide, ac virtutibus inſignior extitit. Hic divitiis, honoribus, pompis, atque deliciis ſpretis, in monaſterio quod ipſe, aliis ſex prius in Sicilia fundatis & dotatis, in proprio domate in ipſa Romana urbe fundaverat, converſus ſub almi BENEDICTI regula, ut prius diximus, Chriſto devote ſervivit. Hic GREGORIUS Magnus merito dictus eſt propter multa quæ in ipſo æterna ſapientia præ multis etiam meriti excellentis abundanter impreſſit, videlicet potentiam, divitias, virtutes, nobilitatem, ſapientiam, ſanctitatem, famam, induſtriam & pene in *.... certam experientiam. Nihil quippe eum in omni ſtatu latebat, quippe qui in cunctis exercitatus erat. Sub eo paulatim mala præteritorum temporum, quæ nos graviter afflixerant, quieverunt. De ejus incomparabili utilitate, qua noſtro regimini vigilantiſſime præfuit, plures conſcripti ſunt libri. Sed & ipſe doctor principalis unus a quatuor, quanta ſcripſerit, quamque utilia, & quam dulcia ſtudioſorum faucibus fuerint & ſint ejus melliflua eloquia, noſtrorum probat univerſitas filio-

Error in numero.

* f. omnibus

rum. Ipſe inſuper plura valde utilia inſtituit, decretales plures edidit, ut in ſuo patet regiſtro, quod & tu alias perlegiſti. In canone miſſæ addidit: *Dieſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum facias grege numerari. Deus in adjutorium* ante horarum canonicarum initium cantari inſtituit. Totum eccleſiaſticum officium ſtilo pulchriori & ordinatiori, atque decentiori modo renovando compoſuit, quodque permanet uſque hodie, & dicitur Gregorianum. De omnibus ordinibus & officiis tam epiſcoporum quam aliorum inferiorum prælatorum ſive ſubditorum, ſic prudentiſſime ordinavit, ut recte ac digne GREGORIUS, quod vigilans ſeu vigilator ſonat, appellatus fuerit. Totius humilitatis titulus, videlicet *Servus ſervorum Dei*, ſummis pontificibus ab iſto humillimo patre inſtitutus fuit, & permanet uſque hodie. Letaniam majorem propter plagam inguinariam mox electus in papam cantari inſtituit, cui etiam angelus divinæ ultionis executor ſupra caſtrum Adriani apparuit. Angelos quoque in aëra *Regina cœli* cantantes audivit, addens in fine illius antiphonæ *Ora pro nobis Deum alleluia.* Et ſic ipſa piiſſima regina, quam ipſe una cum clero & populo devote invocaverat, piiſſimum filium ſuum implorante, plaga illa, quæ populum Romanum magna ex parte conſumſerat conquievit: unde uſque hodie caſtrum illud *Sancti Angeli* nuncupatur. Ad Anglicos convertendos poſtquam in propria perſona, ut optaverat, ire non potuit, ſanctum AUGUSTINUM venerabilem monaſterii ſui monachum cum JOHANNE & MELLITO direxit. Quos videlicet Anglicos ſuis precibus & meritis, miraculis coruſcantibus quamplurimis, præfatis viris Dei ſemen verbi ſpargentibus, convertit ad Chriſtum.

FILIUS. O vere ineffabilem virum, per quem, quamvis longe poſitum, in terra aliena miracula tanta coruſcant.

Sequuntur deinde nonnulla de Mauritio imperatore, deinde quinque capitula de Mahomete, impiis ejus moribus, & ſacrilega lege; de impietate Conſtantini tertii & quinti, & de multis tribulationibus quæ in diverſis Chriſtiani orbis partibus contigerunt: quæ omnia cum ad originem religioſorum ordinum non pertineant, atque uberius & accuratius ab aliis ſcriptoribus longe antiquioribus pertractata fuerint, a nobis hic ultro prætermiſſa ſunt.

CAPUT XII.

De origine Cluniacenſium.

MATER. Cluniacenſium ordo primum quaſi ſtella matutina in medio nebuloſæ tempeſtatis hujus & ſcandaloſæ turbedinis, de qua præfati ſumus, in magna humilitate ingentique fervore rutilare cœpit, plantari atque germinare, fructificare ac proficere, anno videlicet DCCCCXII. Cluniacenſis quoque monaſterii nobiliſſimi ac famoſiſſimi fundamenta jacta fuerunt. Conſtruitur a BERNONE nobili duce Aquitaniæ, dono etiam ANNÆ comitiſſæ, a GUILLELMO quoque egregio ac pio principe Burgundiæ. Porro ODO vir ſanctus primus abbas Cluniacenſis extitit, qui fervorem monaſticum in monaſteriis ſuſcitavit, ac etiam ad reformationem plurima ſcripſit, doctus valde, in diviniſ ſcripturis ad plenum eruditus. Dialogum B. GREGORII * ipſo annuente ſub uno volumine coarctavit. Hic pater multorum monachorum fuit, qui ſub ipſo plurimum profecerunt, & aliis abbatibus quamplurimis æque perfectis. Hi primi ordinis S. P. BENEDICTI, qui jam in pleriſque locis ceciderat, reformatores extiterunt. Sed & HUGO venerabilis, qui huic ordini abbas digniſſimus præfuit anno MXCIV. vir valde ſanctus ac pietatis viſceribus totus affluens, revelatione divina templum monaſterii Cluniacenſis virtute Dei, non arte virili, venuſtiſſime ampliavit, ſicut hactenus cernitur. Hic quoque multorum monachorum pater extitit ac etiam monaſteriorum, quæ tunc in diverſis mundi partibus conſtruebantur, & propter hujus inclyti monaſterii famam ejus obedientiæ ſubjiciebantur, ac ſuaveolentem opinionem ſanctitatis ſanctorum monachorum qui tunc ibidem Deo famulabantur. Hic etiam venerandus heros ac digniſſimus abbas inclytos valde habuit diſcipulos, inter quos UDALRICUS monachus ad Almanniam pro reformatione regularis vitæ directus, qui quantæ ſanctitatis extiterit, miracula quæ per eum Chriſtus effecit veraciter proteſtantur. O quanti viri & quam ſancti in hoc ordine floruerunt, quorum quamplurimi ad pontificatus culmen, ad papatus etiam faſtigium ſunt ſumti: quorum unus HILDEBRANDUS, qui prius Cluniacenſis prior, idem papa GREGORIUS VII. dictus, multas perſecutiones pro juſtitia agonizans perpeſſus eſt. Hic ante papatum legatus fuit in Gallia, & dure proceſſit contra ſimoniacos, quemdam etiam epiſcopum miraculoſe vicit de ſimonia contre ſe diſputantem, quia nullo modo dicendo *Gloria Patri* proferre potuit *Spiritui ſancto.* Factus autem papa ſynodum celebravit, in qua contra ipſos ſimoniacos hoſtes noſtros ferventi zelo proceſſit, & contra preſbyteros uxoratos ſeu concubinarios, eos a divinis ſequeſtrando, ac tamquam indignos, profanos & execrabiles removendo. Et quia juſtitiæ rigorem viſus eſt tenere, ſolito more contra eum mali inſurrexere. Et primo CINTHIUS præfecti Romæ filius eum cepit cum primam miſſam in nocte Nativitatis Dominicæ apud ſanctam Mariam majorem celebraret, & in turri ſua poſuit. Sed Romani turrim ſtatim deſtruunt, & inde papam edu-

* immo ipſius moralia.

cunt, & CINTHIUM extra urbem expellunt. Quanti autem zeli ac fervoris extiterit, hoc uno ſingulari actu patuit, quia etiam imperatorem propter diſſidium excommunicavit, qui poſt nudis pedibus, vicibus etiam repetitis ſuper glaciem diu ſtando vix veniam & abſolutionem impetravit. Tandem poſt multos agones, multaſque patientiæ coronas in Apulia moritur miraculis coruſcans. Huic ſtatim ſucceſſit in ſanctæ religionis propoſito & in papatus ſolio vir magnæ excellentiæ antea monachus Cluniacenſis, ODO dictus, deinde papa URBANUS II. vocatus, qui multum laboravit in nobis. Hic zelum præfati GREGORII ſecutus, regem Franciæ excommunicavit propter adulterium, non veritus animoſitatem regis propter Dei timorem. Concilium primo celebravit apud Clarummontem, in quo ſtatuit horas B. MARIÆ dici quotidie & in ſabbato officium ſolemniter fieri. Dicitur quod hoc eadem ſanctiſſima mater Dei religioſis quibuſdam in Cartuſia, quæ nuper fundata erat, revelavit. Aliud *concilium Turonis idem* papa celebravit pro recuperanda terra ſancta, & provocavit Occidentales ad transfretandum, qui tunc in lancea Domini triumpharent. Hic habuit magiſtrum BRUNONEM Pariſius pedagogum, qui poſt fuit prior Cartuſiæ, quem etiam lateri ſuo ſociavit in papatu, & multum profectum in nobis fecerunt. De hoc BRUNONE plenius loquemur cum de Cartuſienſi ordine tractabimus. Sed hæc per anticipationem dicta ſunt occaſione Cluniacenſium, in quo ordine fuerunt & multi alii de quibus loqui cauſa brevitatis omitto, qui magni religionis zelatores extiterunt, ac deformatum ſanctiſſimi BENEDICTI ordinem reformaverunt.

FILIUS. Vehemeter admiror, Mater, qualiter tam ſanctus ordo ſic declinare potuit, qui tam egregium legiſlatorem tantoſque patres & tam ſanctos habuiſſe dignoſcitur, & ut prius pro parte prænotaſſe te recolo.

MATER. Ne mireris cum aliquid in cauſa ſit, & ut tuam auferam admirationem, in ſequenti capitulo breviter tibi ipſam abſolvam rationem.

CAPUT XIII.

De cauſa defectus ſeu profectus in monaſteriis, & quibuſdam aliis.

FIrmiter tene, Fili, & nullatenus dubites, quod divitiæ maximæ ſæpe fuerunt cauſa caſus religionis in monaſteriis, & maxime S. BENEDICTI, quæ plus aliis incomparabiliter dotata ſunt. Et paupertas econtrario cauſa fuit reformationis. Devotio nempe peperit divitias, nam fideles monachorum devotionem, celibem cultum, ſanctam in Domino converſationem attendentes, plurima bona monaſteriis largiti ſunt pro redemtione peccatorum ſuorum. Quibus copioſiſſime exuberantibus, cœperunt fratres his uti non ad ſolam neceſſitatem, ſed ad ſuperfluitatem. Inde ſuperfluitas ipſa minime reſecata neque coërcita faſtum generavit atque ſuperbiam, aliaque quamplurima mala, quæ ſunt potius reticenda quam dicenda: quod cernentes fideles, & maxime principes ac domini temporales, non tantum manus retraxerunt ab eleemoſynis ipſis largiendis, ſed & ipſos perſequi cœperunt, eorum poſſeſſiones vi, malitia, calliditate, fraude, proceſſu diſſipando, hoc ipſum Deo permittente ad eorum correctionem: unde quidam coacti & inviti, quidam autem voluntarii ad amorem redierunt paupertatis, reſecantes ſuperflua in victu & veſtitu, lautitiis, ædificiis, equitaturis, & aliis monaſticæ profeſſioni omnino impertinentibus; demum in humilitate & ſimplicitate degentes. Quod rurſum cernentes fideles, priſtinam, quam dudum erga monaſteria habuerant, reſumſerunt devotionem, & cœperunt eis non ſolum benefacere, ſed & ipſos contra impugnantes tueri atque defendere. Hæc principalis cauſa profectus ſeu defectus in monaſteriis. Sunt & aliæ cauſæ quas omitto, non tamen ſine ratione.

Sed tunc per hos venerabiles patres Cluniacenſes, occaſione quorum hæc inſeruimus, qui prius paupertatis virtutem amaverunt ac fortiter tenuerunt, magna ex parte B. BENEDICTI religio reformatur; & ſi vellemus ea quæ jure ſpectant ad tanti ordinis laudem ſeu venerabilium patrum qui in ipſo floruerunt, vel ſummotenus tangere, longo tempore, ſed & longo volumine opus foret.

FILIUS. Verum eſſe, Mater, quod peroraſti non ambigo, libenter autem noſſe vellem, utrum in eiſdem Cluniacenſibus decor ille antiquus ſanctæ religionis perſeveret.

MATER. Quid ad te? non eſt noſtrum modo de his judicare, ſuo Domino ſtant aut cadunt, & utinam ſtent. Potens eſt autem Deus, ut ait apoſtolus, ſtatuere illos. Et de ipſis ſatis dixiſſe ſufficiat. Non eſt tamen premendum ſilentio, quod S. MAIOLUS, qui fuit tertius abbas Cluniacenſis, eximii fervoris extitit, miræque abſtinentiæ, ac reparator monaſticæ diſciplinæ, qui etiam glorioſis claret miraculis.

FILIUS. Non ambigo hunc ſanctum patrem bonos filios habuiſſe, ut nempe in carnalibus, ſic & in ſpiritualibus ſæpius patrem ſequitur ſua proles, & bonus paſtor bonas habet vel efficit oves.

MATER. Circa hujus, de quo loquimur, tempora MAIOLI & poſt longo tempore valde nos afflixerunt, atque ſtatum noſtrum immaniter turbaverunt diverſa in Romana ſede ſchiſmata, propter quæ diverſa diſpendia atque incommoda contigerunt tam animarum quam corporum, ac etiam noſtrarum facultatum, & illis infauſtis temporibus,

bus, heu! ſanctitas papas deſeruit, & ad imperatores acceſſit, ſicut claret per chronicas. Verumtamen quamvis Petri ſedes hac tempeſtate multum infirmaretur, in aliis tamen quibuſdam mundi partibus valde floruit fides, & noſter ſtatus optime fuit ordinatus propter quamplures venerabiles paſtores qui in magno numero ac merito extiterunt, a quibus digniſſimi præſules BRUNO Colonienſis, ODO Cantuarienſis, OSVARDUS Eboracenſis, ADELBODUS Trajectenſis, FULBERTUS Carnotenſis, ELPHEGUS item Cantuarienſis, qui poſt martyr efficitur trucidatus a Danis. Venerabiles etiam abbates fuerunt, videlicet ODILO vir ſanctus, Cluniacenſis abbas poſt MAIOLUM, MEDERICUS abbas Eduenſis, HERIGERUS Lobienſis, GERARDUS quoque Cameracenſis epiſcopus qui ab Hungaris per martyrium glorioſe occubuit. Fuerunt & alii plures glorioſi illuſtres non ſolum præſules & abbates, ſed & imperatores & reges in diverſis mundi climatibus, qui noſtrum honorem toto niſu zelati ſunt, noſtramque pacem non ſine ſua magna turbatione procuraverunt.

FILIUS. Verum te dicere, Mater, agnoſco. Nam tunc fuere imperatores & reges vere pii & vere catholici, quorum unum a multis commemoro, OTHONEM ſcilicet primum, qui primus fuit imperator Almannus, totus virtuoſus, & velut alter Carolus defenſor tuus ſollicitus & promotor ſingularis, ob quod a Deo meruit imperialem dignitatem, & multos infideles convertit, eccleſias ac monaſteria ædificavit, & alia innumerabilia bona fecit.

MATER. Fuit etiam OTHO ſecundus hujus filius non degener a patre, ſed & OTHO tertius per omnia ſimilis patribus in probitate. HENRICUS quoque ejus proles haud degener, qui miræ ſanctitatis extitit, uxorem habens ac ſororem eadem ſanctitate pollentes.

FILIUS. Mira & ſtupenda de iſto & ejus ſancta uxore narrantur, qui cum mutuo viverent, perpetuum tamen tenentes cœlibatum virgines, permanſerunt.

MATER. Succeſſorem habuit HENRICUS iſte CONRADUM probum valde ac ſtrenuum, qui multas leges condidit & pacem ſtrictiſſime ſervari juſſit ſub pœna capitis.

CAPUT XIV.

De Ordine Grandimontis.

MATER. Anno Chriſti incarnati MLXXIV. STEPHANUS vir ſanctus, nobili Alvernorum proſapia ortus, tamquam redolens roſa, & velut ſuave fragrans viola, odorem ſuum circumquaque diffudit. Hic ſpretis ſæculi nequam oblectamentis, mundoque derelicto, eremum incoluit: moxque audita ejus fama populi multitudo ad ipſum devote cucurrit, quorum quidam ejus exemplo commoti, valefacientes ſæculo, ſeſe ejus magiſterio pro ſuis animabus lucrandis devotiſſime ſubdiderunt, qui eis ac eorum ſucceſſoribus vivendi normam conſtituit, regulamque conſtituit arduam ſatis. Et ſic vir ille ſanctus diu cum ipſis in voluntaria paupertate degens, carnemque cum ſuis concupiſcentiis edomans ac ſpiritui ſubdens, ordinem laudabilem ſtatuit in loco qui Grandimontis dicitur, unde ordo nomen eſt ſortitus, ut Grandimontenſis vocetur. Hujus ordinis profeſſores diu in ſumma perfectione & vitæ auſteritate vixerunt: nunc autem ordo ipſe, tepeſcente quotidie caritate & abundante iniquitate, ut alii plures & pene omnes, a ſua primaria inſtitutione, unde dolemus, non minime, non parum deflexit. Hic etiam ordo unicum habet abbatem Grandimontenſem, cui omnes ceterarum domorum priores obedire tenentur.

FILIUS. Familiaritatem non modicam, honoranda Mater, quandoque habui cum quibuſdam ordinis ipſius profeſſoribus: cum ipſis quoque contuli de ipſo ordine ejuſque ſtatutis vel obſervantiis, qui multum extollebant ordinem, ac mira de ipſo ejuſque inſtitutore præfato ſancto STEPHANO narrabant; ſed æſtimo quod qui nunc ſunt ipſius religionis profeſſores longe aliter converſantur.

MATER. Cave ne de quoquam ordine vel perſona temere judicare præſumas, maxime de his qui foris ſunt, & qui de ordine tuo non ſunt. Quis enim, ut ait apoſtolus, poteſt juſte de alio judicare, cum nemo ſciat quid agatur in homine niſi ſpiritus hominis. Noli propter factum alterius propriam in periculo animam ponere: neque enim pro aliis es rationem coram diſtricto judice redditurus, ſed pro te & pro illis quibus datus es in exemplum.

FILIUS. Dum, Mater, hortaris atque ſalubriter, & ut te decet mihique expedit, & ſaluti conſtat fore neceſſarium: unde noveris me tuam adhortationem gratanter ſuſcipere, quoniam te perpendo ſalutem meam tui gratia non parum zelare, & id profecto maternum decet affectum.

Eodem tempore cœpit ordo canonicus in Belvacenſi & in Sagienſi, heu! nunc nimis deſolata eccleſia, aliiſque quibuſdam elegan- ter florere. Hic ordo, ut prius diximus, cum de patre venerabili AUGUSTINO loqueremur, primo ab apoſtolis ſanctis, inde ab eodem ſacerrimo præſule regulariter eſt inſtitutus; nam de ipſo ſancto legitur, quod cœpit vivere ſecundum regulam ſub ſanctis apoſtolis conſtitutam. Quam pulcher ordo certe, qui apoſtolos glorioſos imitatur, qui Chriſto Domino adhæſerunt, ac totius ſanctæ vitæ ac perfectionis formam ab ipſo immediate acceperunt. *Decanonicis regularibus.*

FILIUS. O beata vita, vivere ut Chriſtus

vixit in terra, in ipſa nihil carnale, nihil ſæculare, nihil pretioſum, nihil ambitioſum, nihil voluptuoſum, nihil quod carnem lædat, quod animam inficiat, quod gulam incitet, quod luxum irritet; ſed in ea vera paupertas, caſta ſobrietas, mentis jocunditas, ſenſuum tranquillitas, carnis puritas. Ibi non cibi nauſea, non potus ructus, ſed tranquillus & pacatus totius corporis motus. Inde mente pura, carne ſobria, vivido ſenſu ſurgitur ad laudes, ad pſalmos, ad hymnos. Nihil ibi ſumtum eſt quod lectionem vetet, quod ſomni vaporem augeat, quod meditationem arceat, contemplationem impediat.

MATER. O vere beata vita, & ſancta regula, & beati ejus profeſſores, dummodo apoſtolicæ traditionis veri fuerint imitatores. At quoniam de ipſa regula ejuſque latore AUGUSTINO prius tractavimus, hic eamdem uiterius non arbitror proſequendam, ne res pariat repetita faſtidium. Hoc autem noſſe te cupio, quod in præfata Belvacenſi civitate cœpit hic ordo canonicus obſervari ſub magiſtro YVONE præpoſito cathedralis eccleſiæ, qui poſtmodum propter claram ſcientiam, ſanctam vitam, ac bonam famam, in epiſcopum Carnotenſem eſt aſſumtus.

In diebus illis clarum quiddam effecit Chriſtus, quod multum decuit gloriam ſuam & noſtram conſolationem & pacem. GOFFRIDUS nempe dictus de *Billon*, dux Lotharingiæ, victor glorioſus pro nobis velut alter Carolus undique dimicat, ac Chriſto auxiliante triumphat. Tandem terram ſanctam conquiſivit, civitatem ſanctam Jeruſalem cepit, ibidem factus rex, & poſt laudabiliter adminiſtrato regno ibidem moritur, ac in eccleſia ſancti Sepulchri ſepelitur. Monſtratur autem ſepulcrum ipſius locum ſanctum viſitantibus, uſque hodie permanens glorioſum. Habuit fratrem æque glorioſum ac victorioſum, BALDUINUM nomine, qui eidem in regno ſucceſſit, & erat totus inclytus, & miraculoſa bella geſſit, Chriſto ſemper fidelis exiſtens.

De Godefrido Bellionenſi.

Hiſce temporibus finitur ſucceſſio regni Anglorum, ſeu regum Angliæ, & GUILLELMUS nobiliſſimus Normannorum dux Deo ac ejus digniſſimæ genitrici devotus, interfecto ALARDO rege, regnat pro eo, qui noſtrum ſtatum rex factus in melius reformavit, baſilicas ſanctas fundavit, atque miniſtros noſtros omniſque cleri ſtatum zelando multum honoravit & excoluit. Nunc ordo narrationis exigit ut de Cartuſienſibus memoremus.

CAPUT XV.

De origine Cartuſienſis ordinis.

CArtuſienſium igitur ordo ſanctiſſimus eo tempore ſumſit exordium, quo ab Incarnatione Chriſti Filii Dei benedicti annus milleſimus octogeſimus quartus volvebatur, per BRUNONEM virum ſanctum ac ſcientia theorica cunctarumque liberalium artium præpollentem diſciplina, natione Almannum, de Colonia Agrippina oriundum, & ſex alios venerabiles viros ac reverentiſſimos in theorica facultate magiſtros & in alma univerſitate Pariſienſi degentes, qui divino Pneumate inſpirati, ſæculum fugientes, deſerta loca petierunt, Chriſto deinceps militaturi.

Hujus autem mutationis dextræ Excelſi motivum tale fuiſſe veridica relatione narratur. Pariſius nempe hic adhuc præclaris viris degentibus horribile quiddam ibi contigiſſe memoratur, & quod pene univerſo orbi haud extat incognitum. Quidam namque magiſter famæ excellentis ac nominis obiens, dum eſſet tumulandus, cunctis audientibus dixit: *Sto ad judicium.* Ob id reſervatus in craſtinum iterum dixit: *Judicatus ſum.* Ejus propter hoc in diem tertium ſepultura dilata, rurſum cunctis qui aſtabant audientibus, ſic ait: *Juſto Dei judicio condemnatus ſum.* Quo audito & cognito, quod videlicet tantus vir damnatus eſſet, de quo longe meliorem æſtimationem habebant, dictus BRUNO doctor venerabilis, præmiſſo protenſo ſermone ſalubrique exhortatione, hos verſus edidiſſe diſcipulis fertur:

Linquo coach ranis, cras corvis, vanaque vanis.
Ad logicam pergo, quæ mortis non timet ergo.

His dictis, mox cum ſuis præfatis ſex ſociis ad B. HUGONEM tunc Gratianopolitanum dignum antiſtitem, Domino ducente, pervenit, qui divina revelatione prænonitus, eis in ſua dioœceſi aptum ſuo propoſito locum delegit, ac amore Chriſti in ſuo ſancto propoſito fovit. Qui & ipſe tandem cum ipſis ordinis habitum ſumſit, ac verus Cartuſienſis uſque ad vitæ terminum, quantum onus pati potuit paſtorale, perſeveravit.

Ordo iſte, B. Bernardo teſte, inter omnes eccleſiaſticos ordines primatum tenet, non ratione temporis, ſed rigoroſitatis: unde ipſe eum vocat ſpecioſiſſimam noſtri ædificii ſtructuræque ſpiritualis columnam. Verum quia propter nimiam auſteritatem paucis portabilis erat, prout ſtatuta tradunt GUIGONIS, qui Cartuſiæ tertius laudabiliter præfuit; & ne diu parvus ordo ipſe remaneret, ſed tamquam vitis fructifera puliularet in palmites, a noſtris poſtmodum rectoribus & a nobis rationabiliter extitit moderatus, nec umquam a ſuo propoſito cecidit, ſingulariter a Spiritu-ſancto uſque hodie præſervatus.

Quantum autem idem B. BERNARDUS ipſi ordini favorabiliter applaudat, eique pie congratuletur, lucide claret in principio (a)

(a) Hic liber eſt Guigonis prioris Cartuſiæ, ut conſtat ex duobus antiquiſſimis mſſ. uno Pontiniacenſi auctoris ætate conſcripto, altero Caroli-loci, licet in pleriſque mſſ. ſub nomine Bernardi reperiatur.

libri bipartiti quem ad fratres de Monte-Dei ejuſdem ordinis caritate dictante tranſmiſit. Ad quos etiam viſitandos & conſolandos, atque ædificandos corporaliter perrexit, & cum eis aliquantulum temporis egit. Sed & in ipſius epiſtolis ad præfatum GUIGONEM & fratres Cartuſiæ ejus diſcipulos, necnon & ad priorem Portarum familiariter directis, patet quam bene de ipſo ordine ſentiat, quantumque ipſum attollat, amplectatur, ac diligat.

In hoc ordine floruerunt & adhuc florent, immo magis fructificant, non dubito, multi, quorum plurimi ſoli Deo cogniti, in cellulis corpore voluntate incluſi, quotidie cœli ſecreta in ſancta contemplatione ſuſpenſi rimantur, ſæpiuſque, ni fallor, non ſolum cum cœli civibus, ſed & cum ipſo Rege gloriæ familiariter loquuntur.

Quantos autem viros illuſtres, probos, & ſanctos, ac titulo dignos hæc nobis genuerit religio, quis enumeret? De cujus origine ſacroque principio hujuſmodi extant verſus famoſi ſatis apud multos.

Anno milleno quarto quoque, ſi bene penſes,
Ac octogeno ſunt orti Cartuſienſes.
His ortum tribuit facundus BRUNO magiſter.
Conſul hic inde fuit papæ, pariterque miniſter.
Hinc eremum petiit, divino Pneumate flante,
Et populos adiit Calabros, ubi vixit ut ante.
Junctis namque ſibi ſociis terreſtria ſprevit,
Et tumulatus ibi cum ſumma pace quievit.

Sunt & alia multa ad hujus ordinis ſacri laudem ſpectantia, quæ rationabiliter omitto, ne tibi loquendo tuo ordini applaudere pluſquam decet videar a quibuſdam, qui ignorant quoniam apud me numquam fuit eſt & non, nec unquam ſubrepſit acceptio perſonarum, ſed ut verum fatear, in omni gente, quæ timet Deum & operatur juſtitiam, ſicut Deo, ſic & acceptus mihi. Neque indignentur alii, ſi hunc ordinem plus forte ceteris peculiarius laudo, immo ſi & ipſi a me laudari cupiunt, iſtos in bono ſtudeant æmulari. Nam quicumque extiterint meliores, Chriſto profecto mihique erunt gratiores.

CAPUT XVI.

De S. Hugone & pluribus aliis ordinem Cartuſienſem profeſſis.

QUid autem dicam de GUIGONE præfato, magno per omnia viro? Quid de BASILIO ac multis aliis ſanctis ac Deo dignis patribus, qui eremo Cartuſiæ ſeu ceteris poſt fundatis præfuerunt? Quid de HUGONE ſancto, prius Cartuſiæ ſtrenuo procuratore, inde ad magnam regis inſtantiam pro domo nova ordinis in Angliam ædificanda directo, & primo ipſius per eum de regis ſumtu ædificatæ domus priore, poſtmodum Lincolnienſis eccleſiæ digniſſimo præſule, qui in vita, in morte, & poſt mortem claruit multis inſignibus & approbatis ſignis ac miraculorum prodigiis? De quibus narrare vel pauca de multis ſuperfluum judico, cum in ejus vita luculenter digeſta hæc pleniſſime exarentur. Ad cujus laudis præconium tales extant verſus heroïci.

In Delphinatus *Avalon* caſtro generatus,
Octennis Chriſti miles fieri meruiſti,
Canonicus primo, ſed Cartuſienſis in imo.
Hinc ſublimatus ad honorem pontificatus,
Vixiſti gratus Chriſto, per cuncta probatus.
Nos tibi devotos a quovis crimine lotos
Chriſti ſubde jugo, præſul ſacer & pater Hugo,
Cartuſianorum tibi placeat meminiſſe,
Ordine de quorum ſciris quandoque fuiſſe,
Ipſos confortes in vera religione,
Ac tibi conſortes in cœli fac regione.
Pontificum baculus, monachorum norma, ſcholarum
Conſultor, regum malleus Hugo fuit.

FILIUS. Mater bona, magnus fuit indubie ſanctus iſte coram Deo & hominibus. Sed & legiſſe me memini quindecim ſanctos eſſe vel fuiſſe in ordine: quatuor videlicet epiſcopi, novem monachi & duæ moniales extiterunt, quorum nomina & geſta habentur, & miracula declarantur.

MATER. Quis novit quanti ſint ſancti in ordine iſto ſacro? Puto Deus ſolus qui novit omnia, & quamvis eorum ſanctitas per miracula minime declaretur, non minus tamen ſancti ſunt qui ipſius ordinis ſacras traditiones ſervantes in Dei amore & proximi perſeverant; quoniam, ut ait quidam, miracula non faciunt hominem ſanctum, ſed oſtendunt. Verumtamen & grandia & multa miracula in ipſo ordine contigerunt ab ipſius exordio uſque nunc. Nam & ſanctus ANTELMUS epiſcopus Bellicenſis, & ſanctus STEPHANUS prius prior Portarum inde epiſcopus Dienſis, ambo Cartuſienſes, miraculis claruerunt, poſiti a Chriſto de ſub modio ſuper candelabrum, ut lucerent omnibus qui in domo ejus ſunt; quæ domus ſumus nos, ſi tamen, ut ait apoſtolus noſter, fiduciam & gloriam ſpei uſque ad finem firmam retineamus.

LUDOLPHUS quoque vir ſanctus, prior Argentinenſis, qui inter egregia ſua acta vitam JESU-CHRISTI compilavit, opus egregium, jamdiu per orbem famatum, qui & doctor venerabilis fuit, ac ſacræ paginæ profeſſor digniſſimus.

Sed & doctus vir & eruditus, nec minus religioſus HERMANNUS de Petra, qui inter utilia multa quæ ſcripſit, quinquaginta ſuper Dominicam orationem ſermones edidit, in quibus exempla quamplurima

inſeruit, quæ in diverſis ordinibus & ſtatibus ac etiam in ordine Cartuſienſi, cujus & ipſe dignus profeſſor erat, contigerunt.

Nec ſolum monachi vel ſacerdotes, ſed & converſi fratres fuerunt, qui plurimas revelationes habuere: inter quos comes* Muricenſis, digito Dei tactus comitatui renuntians ac ſæculo univerſo valefaciens, humillimus converſus factus eſt in Cartuſia. Tempus mihi deficeret ſi de ſingulis vellem narrationem texere, qui in hoc ſacro ordine enituerunt. Erubeſcant igitur, & illorum os obſtruatur, qui huic ordini ſacratiſſimo detrahere non verentur, aſſerentes minime fore approbatum. Qui ſi revera approbatus non eſſet, nequaquam tanti, tam etiam excellentes, ac ſcientifici viri ejus ſtatutis colla humiliter ſubdidiſſent, nec in eo ſic perſeverando profeciſſent, & proficiendo perſeveraſſent. Sed neque uſque hodie ſtetiſſet inconcuſſe, immo quotidie creſcendo per domos & monaſteria minime pullulaſſet, quorum quædam a ſummis etiam pontificibus ſunt fundata. ALEXANDER quoque tertius vir per omnia ſtrenuus, ac noſtro ſtatui & regimini perutilis, ordinem confirmavit cum ſubſcriptione omnium cardinalium, ſuſcipiens ipſum ſub beati Petri protectione & ſua, dando privilegia plurima, quibus LUCIUS ejus ſucceſſor immediatus & alii numero undecim plurima ſuperaddiderunt, videlicet INNOCENTIUS III. & IV. CLEMENS III. & IV. CÆLESTINUS III. HONORIUS III. GREGORIUS IX. X. Sed & ante eumdem ALEXANDRUM, URBANUS II. & III. JOHANNES quoque XXII. qui fundavit domum Boni-Paſſus ſupra Duranciam prope Avinionem. INNOCENTIUS quoque VI. religionis verus amator ordinem hunc ſic dilexit, ut ex oppoſito Avinionis monaſterium nobile valde conſtrueret, quod *Vallis-Benedictionis* nuncupavit, & multa privilegia, non tantum domui illi, ſed etiam toti ordini conceſſit. Ab humanis quoque decedens, in ipſo ſuo monaſterio ſuam elegit ſepulturam, ubi uſque hodie requieſcit humatus. Sed & pater ipſius ibidem factus converſus, Chriſto & ordini devotus ſervivit. Hujus autem tempore & præſentia, dum adhuc cardinalis eſſet, viſio flebilis atque terribilis cuidam eremitæ oſtenſa eſt, unde aiebat: » Vidi animas » in infernum deſcendere quaſi nives denſiſ» ſimas, in purgatorium ſicut nivem rariſſi» mam, ſed ad paradiſum tantum tres vidi » introire, ſcilicet talis epiſcopi, & illius vi» duæ Romanæ, & illius prioris Cartuſienſis. Quæ omnia idem INNOCENTIUS, inquiſitione de hora mortis ipſorum facta, reperit eſſe vera, & ex tunc maximam devotionem erga viros religioſos habuit, præcipue Cluniacenſes & Cartuſienſes. Ordines ſiquidem duos hos ſpecialiter privilegiavit, & ab omni patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, & quorumcumque principum juriſdictione, viſitatione, taxatione, & qualicumque vexatione exemtos eſſe decrevit ſub anathematis vinculo, eoſque ſub S. Petri ac ſua protectione ſuſcepit.

* f. Niverneſis.

Ordo Cartuſienſis a ſummis pontificibus approbatus.

CAPUT XVII.

De eodem ordine & de quodam venerabili patre Cartuſienſi nuper defuncto.

HÆc ſic diffuſe poſuimus, ut hi qui invidia ſtimulante ordini Cartuſienſi detrahunt, & contra eum improbe latrant, erubeſcant & confundantur, atque a ſuo livore reſipiſcant, & ordini deinceps reverentiam habeant, ut ipſum diligendo bonorum ejus participes fiant. Qui autem ignoranter ipſi derogant, per hanc noſtram paginam inſtruantur de his quæ ignorant, & ideo errant.

FILIUS. Multum tui gratia hunc noſtrum ordinem, Mater, laudas, extollis & exaltas.

MATER. Ne inde glorieris, niſi talis fueris qualem fore voviſti: alioquin & tibi & ſimilibus tuis non gloria, ſed opprobrium, confuſio, & contumelia, & quod incomparabiliter pejus eſt, damnatio ſempiterna.

FILIUS. Immo vero ſub tua reverentia loquar, etiamſi boni fuerimus, inde gloriam captare non debemus, ſed illi honor ſpectat & gloria, qui eſt totius boni & origo & cauſa. Nobiſcum autem & bene agetur, ſi vel in fine fuerit parcitum, ne in æternum incidamus horrendum baratri ſupplicium. Neque enim, ſi juſti fuerimus, juſtitia nobis tribuenda, ſed Deo, ut ait Auguſtinus, cum boni ſumus ipſe facit nos, & non ipſi nos. Itaque, ut ait Apoſtolus, Regi ſæculorum immortali & inviſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſæcula ſæculorum.

MATER. Optime, & ut expedit ad ſalutem. Nempe ipſe Dominus dicit in propheta: *Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus.*

FILIUS. Noſti, Mater, qualis fuerit ille pater per omnia venerandus atque laudandus, cum quo diu ſatis in ordine vixi. Illum loquor JOHANNEM, qui in officio vicariatus digne præerat eo tempore & eo monaſterio quo habitum religionis aſſumſi.

MATER. Novi certe. neque enim ignorare poſſum bonos filios meos. Et nunc nobis placet, ut pauca de multis ſanctæ ejus converſationis bona recenſeas.

FILIUS. Libens, Mater, id facio, & eo lubentius atque delectabilius, quo ipſum dilexi ardentius, & ei adhæſi familiarius. Fuit itaque vir ille, ut de beato Job teſtatur Dominus, ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedens a malo; & ut Simeon, juſtus & timoratus; etiam, ut de viro ſancto canitur, humilis, pudicus, ſobrius, caſtus fuit,

& quietus, toto zelo diligens juſtitiam & odio habens iniquitatem. Fuit ſiquidem juſtitiæ tenax, & ob hoc quibuſdam ipſam minus amantibus minus etiam gratus. Sed licet quandoque in ore ſonaret propter diſciplinam & ad coercendos mores parum digeſtos vocis aſperitas, ſemper tamen in corde manebat lenitas. Erat nempe ad exemplum Salvatoris mitis & humilis corde. In cellam adventantibus hilaris & affabilis, ædificativus & conſolativus; & quamvis eſſet doctiſſimus, & in omni pene ſcientia affluenter eruditus; paratior tamen erat diſcere quam docere. Cum autem quis noſtrum indoctus vel ignarus de aliquo ipſum interrogaſſet; non tamquam magiſter docens, ſed tamquam ſodalis differens ſe habebat. Extra cellam autem ſpiritu fervens, faciem etiam quandoque gerebat ignitam, & ex igne divini, qui intus ardebat amoris, quaſi quædam ſcintillæ in facie relucebant. Tam humilis fuit in ſuis oculis & abjectus, ut cum revera & abſque dubio dignior propter vitæ ſanctitatem eſſet omnibus, doctior cunctis, prudentior univerſis; nihil aliud tamen ſe reputabat, quam vas fractum & ad omne opus inutile, immo tamquam vas perditum, & a Deo reprobatum, nullique uſui aptum.

In confeſſione ſacramentali, quod longo experimento didici, ita vehementer culpam propriam in ſemet impingendo exaggerabat, ſeque culpabilem arguebat, ut qui eum ejuſque mores atque converſationem ignoraſſet, ſcandalizari in audiendo ipſius confeſſionem potuiſſet. Non eſt peccatum aliquod quo ſe non confiteretur multipliciter inquinatum. Peccatorum capitalium cogitationes, etiam ſine conſenſu vel delectatione, ubi magis virtus eſſe ſolet quam vitium, ſic accuſabat, & inde ſuam culpam aggravabat, ſic deflebat, tamquam illa peccata actualiter commiſiſſet. Et quoniam multum ſcrupuloſam gerebat conſcientiam, ſatis extenſam, quamvis quotidianam, agebat confeſſionem. Indulgentias plenarias quas ſummi pontifices ſui gratia frequenter ordini largiuntur, cum ingenti gratiarum actione ſuſcipiebat, & ad ſuam generalem confeſſionem faciendam, ſe ſuamque conſcientiam longo tempore præparabat. Et ne quid remanere poſſet inconfeſſum, cuncta ſua errata a puero in charta ſcribebat, atque legendo ea confitebatur & accuſabat, & pro viribus juſtitiæ divinæ orando, lacrymando, jejunando, diſciplinas afflictivas ſumendo ſatisfaciebat.

CAPUT XVIII.

De eodem venerabili Patre.

CUm autem ad altare ſanctum myſteria ſacroſancta celebraturus acceſſiſſet, velut totus præ devotione ac fervore liqueſcens, ſemetipſum in ſpiritu humiliato & contrito, Deo acceptabile ſacrificium offerebat, & id maxime agebat in ſancto canone, cum eſſet Jesu Christi ſacratiſſimum Corpus Sanguinemque ſumturus: in quo temporis momento velut totus in lacrymis defluens, ipſum ſuum ac noſtrum omnium redemtorem, ſub panis ac vini ſpeciebus realiter contentum, piis ac fidelibus oculis mente contemplando dulces lacrymarum ſtillabat guttas. Non recolo eum umquam vidiſſe ſine lacrymis digniſſimum Sacramentum ore libaſſe. Tam dulciter autem illæ lacrymæ per rubentes præ fervore genas ſtillabant, tamque caute has occultabat, ut vix niſi ab inſpectore curioſo deprehendi valerent.

Tantæ autem ſibi ipſi auſteritatis tantique rigoris extitit, ut a primo ordinis ingreſſu uſque ad mortem, in lectulo etiam tali quali nos utimur, vix ſemel cubaverit. Jacebat autem ſuper oratorii aſſeres ſuppoſita natta arundinea ſeu ſtraminea, in quo loco multa patiebatur frigora, & ob hoc frequenter rheumaticus humores crebro ab infrigidato cerebro profluentes emittebat. Numquam calceamenta, raro cingulum dormiens deponebat. Sæpe, maxime ſero, in ſacris lectionibus pernoctabat fere uſque ad horam decimam, ad nocturnas vigilias poſt ſumtum breviſſimum ſomnum cum aliis ſurrecturus. Poſt peractum nocturnale officium regreſſus ad cellam, iterum vigilabat in orationibus, parvo & quaſi momentaneo ſomno ante Primæ pulſum naturam feſſam multumque fatigatum corpuſculum refocillans. Utebatur autem ſuper nudo aſperrimo cilicio, funeque circa renes groſſiſſimo, & nodis duriſſimis exaſperato ac circumſepto, utroque pediculis & vermibus referto. Hanc autem innumerabilem vermium multitudinem eorumque moleſtiſſimam afflictionem, qui eo maxime in ejus corpuſculo pullulabant, quod ſemper ac præcinctus jacebat, ſic patientiſſime tolerabat, quod numquam abluendas deponebat veſtes, quoaduſque vermes ipſi per collum gutturque ſcandentes, aures vultumque catervatim obſidebant. Ipſe autem, quamvis ſenex & grandævus, ſatiſque corpulentia gravis, ſemper eaſdem veſtes ſuas per ſeipſum abluebat; tantum erat humilis, tamque rigidus ſibi ipſi. Indumenta vero ſuperiora, id eſt cuculla & tunica, quæ quotidie ferebat, ſatis abjecta erant, in cubitis & oris aliiſque locis propter vetuſtatem reſarcita, & quamvis vilia, munda tamen. Ut enim de B. ſcribitur Bernardo, vilitas in veſtitu placebat, ſordes numquam. Sæpius autem, maxime in hyeme, pellicia utebatur, abjecta ſatis cuculla deſuper æque pretioſa. Habitum tamen alium habebat paulo honeſtiorem, quo in ſolemnitatibus, Dominicis, ac præcipuis ſanctorum feſtis utebatur, ma-

ximè apóstolorum, quos post Christum & ejus dignissimam Genitricem in maxima reverentia habebat. Mariam quoque Magdalenam Christi dilectricem multum venerabatur, & hanc pro speciali advocata atque patrona elegerat. Martham quoque sororem & earum fratrem Lazarum. Sed & cunctos Christi contemporaneos, qui Christum in carne conspicuum fuerant corporeis oculis contemplati, & ei adhæserant, cum summa veneratione colebat, ac in eorum solemnitatibus veste mundus, sed multo mente nitidior apparere satagebat.

Beatissimos insuper cœlestes spiritus suos concives honorabat pro osse & præcipue paradisi præpositum Michaëlem. Sæpius quoque dicere solitus erat: Multum iste beatissimus archangelus nostram Normannicam patriam honoravit, dum in ea corporaliter apparere sit dignatus, & sicut in Gargano monte, ita & in monte Tumba mirabilia suæ præsentiæ indicia demonstrare. Angelum insuper proprium ubique reverebatur, & tamquam eum oculis cerneret corporeis sibi adesse præsentem, quicquam agere declinabat, quod angelicum digne offenderet obtutum. Immo magis ubique præsentem cunctaque cernentem tremendam & adorandam verebatur offendere majestatem.

Nihil pretiosius in hoc mundo tempore reputabat, & ideo nec momentum quidem amittere volebat, sed aut divino operi, tam in cella quam in ecclesia vacabat, aut orationibus peculiaribus invigilabat, aut libris scribendis vel sermonibus componendis intentus erat assidue, & maxime de libris corrigendis vel emendandis ingentem curam habebat. Et licet vix in suo tempore parem in grammatica facultate habuerit, numquam tamen libros præsumebat corrigere, nisi cum exemplari correcto, nisi forte ubi manifestus & evidens error esset. Ita quippe humilis erat, & ab omni præsumtione alienus, a pompaque jactantiæ extraneus, nihil prorsus de se præsumens.

Mater. Mira sane & magna satisque stupenda sunt quæ de hoc venerabili patre recenses, quæ tamen vera esse non dubito: neque enim velle te mentiri pro cujusquam favore arbitrarer. Tibi quoque eo magis fides in hujusmodi adhibenda, quo virum hunc melius nosti, ac longo temporis intervallo cum eo conversatus es, ejusque secreta conscientiæ non parvo spatio nosti. Siquidem sacramentum pœnitentiæ & ipse tibi, & tu ipsi annis plurimis ministrastis. Placet igitur de ceteris quæ restant & utilia fore perviderís breviter prosequaris, neque siquidem omnia posses; alioquin liber non parvus conficiendus esset, & nos ad alia narranda properamus.

Filius. Libentissime, Mater, exequor quod jubes; nam valde meo cordi dulcescit illius memoria, quem in terris positum multum dilexi, & ipse sui gratia non meis meritis carum semper me habuit.

CAPUT XIX.

De eodem.

Hoc nullatenus nostram effugere narrationem convenit, quod in hoc venerabili patre præcipuum fuit: nam ut ipsius confessionis verba, quamvis per conjecturas, advertere potui, virginitatem, quam e sacro fonte attulit, usque ad mortem inviolatam servavit, quamvis sæpius acriter tentaretur a carne & a fornicationis spiritu nequissimo, sed non impune sibi. Nam quotiens ille se immundo spiritu sentiebat agitari, ardenter contra se insurgebat, & ita leves seu tepidos motus aut sordidas cogitationes, etiam sine delectatione, immo cum displicentia puniebat; sicque acriter ac vehementer se de his in confessione accusabat, quasi stuprum seu adulterium commisisset, & neque a singultu & lacrymis, secretisque disciplinis sumendis cessabat, donec, miserante Domino, tentatio abscederet. Aliquando etiam mihi secreto dicebat: Quid miser ego agerem, si opportunitates vel occasiones proximas haberem, qui sine his sæpius me in cœni voluta-brum præcipito tamquam porcus, & meas sequor concupiscentias, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus? Hæc autem indubie de profunda humilitate manabant, deque timore Dei, ne videlicet desertus a gratia ejus, novissima fierent prioribus deteriora. Nempe sæpe recordabatur sententiæ Sapientis, dicentis: *Beatus homo qui semper est pavidus: qui vero mentis est duræ, corruet in malum.* Propterea cum esset procurator domus, (pluries siquidem illud exercuit officium etiam senex) & pro variis domus negotiis eundum esset ad civitatem, quod sæpissime, & fere quotidie contingebat, vehementer timebat, ne hoste impellente & carne consentiente rueret in peccatum. Ideoque dicere solitus erat: Numquam talis domum regredior, qualis exeo.

Mater. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus cupit nimis.

Filius. Ejus conversatio ante ordinis ingressum, quamvis mihi parum nota extiterit, de his tamen quæ veridica narratione comperi, non silebo. Hoc in eo primitus commendandum reor, quod numquam beneficium habere voluit habens curam animarum annexam, timens rationem reddere districto judici de aliorum factis, qui, ut fatebatur, nequaquam sufficeret de propriis. Oblatas a reverendissimo Rothomagensi archiepiscopo & cardinali magnas scholas grammaticæ tamquam dignissimo, atque in illa facultate, ut notum erat cunctis, experien-

tissimo, omnino respuit, assensumque negavit: ad quod magisterium plurimi longe infra idonei improbe aspirabant. Pro omni autem beneficio unicam canonicariam in quadam collegiata ecclesia non nimis pinguem habebat: de qua tamen contentus, sese, matrem, fororemque pascebat. Insuper & libros atque codices plurimos parvi quidem pretii, sed optimos, quantum ad materias in eis contentas, emebat, quorum non parvum numerum aggregavit. Sed & alios propria manu quotidie transcribebat. Ad ingressum autem ordinis inspiratus a Deo, non sibi sanum aut integrum fore putavit, matrem annis mucidam atque decrepitam, quam semper in magna reverentia habuerat, relinquere, memor Tobiæ senioris, qui natum moribus optimis informans, inter multa hoc quoque ait: *Honorem habebis matri tuæ cunctis diebus vitæ ejus: memor enim esse debes quæ & quanta passa sit pericula propter te in utero suo.* Itaque quamdiu ipsa mater fuit in humanis, curam ejus sollicitam gessit, secumque tenuit, & ejus necessitatibus humaniter ac humiliter deservivit. Non enim alium habebat filium qui sibi jura naturæ rependere posset: ideo impium reputabat ipsam sine tutore relinquere. Voluit insuper ante eumdem ordinis seu religionis ingressum, apostolorum limina visitare, quod & fecit devotus anno MCCCCL. scilicet jubilæo, Romam pedes adiens sacras generales indulgentias lucraturus, ac sacrosancta sanctorum pignora cum devotione adoraturus. Porro antequam iter arriperet, optime de suis facultatibus, propriaque substantia, quæ major erat in libris, dispositit, in calce cujuslibet ipsorum librorum subscribens, signo etiam manuali consignans, cujus juxta suam intentionem, si peregre defungeret, esse deberet: majorem tamen partem ordini & domui, in quibus, si rediret, recipi in monachum ardenter affectabat, relinquebat. Quod & factum esse constat non longo tempore post regressum. Ingressus autem ordinem, in novitiatu & deinceps cum quanto fervore ac devotione Jesu Christo, quantaque humilitate fratribus servierit, abjectaque officia quamvis dudum sacerdos & canonicus impleverit, juvenes etiam novitios in hujusmodi præveniendo non est facile dictu. In ferendo lumine ad matutinas, in portandis a refectorio libris, in scopando ecclesiam, claustrum, vel capitulum, in pulsanda campana mira alacritate currebat. Humillimus quippe & abjectissimus erat in oculis suis, & ob hoc humilitatis seu caritatis obsequia maxima cum delectatione implebat. Quam benignus autem, quamque compatiens erga infirmos, ipsos visitando sæpius, consolando, animando, sermonibus optimis erigendo, eisque, si quid boni in cella vel in horto habebat, porrigendo, quis eloqui sufficeret? Et cum crebrius ipse infirmaretur, vix a quoquam volebat sibi serviri; sed suas infirmitates ac debilitates postponens, & quasi obliviscens, aliorum curam indefessus agebat.

Mater. Si velles, Fili, cunctas hujus sancti viri figillatim referre virtutes, volumine non codice opus esset. At quoniam ad alios transeundum est, ejus commendationi seu laudi limitem dare necesse. Volo tamen ut de ejus felici transitu vel brevem facias mentionem.

CAPUT XX.

De hujus venerabilis patris felici transitu.

Filius. Cum Altissimo disponente tempus imminueret, quo felix ejus anima bonorum laborum fructum gloriosum percipere deberet, contigit cujusquam neglectu, ut in aliquid impingeret, unde gravissime in capite sauciaretur. Hoc autem tentationis iccirco Dominus ei permisit accidere, ut quia sancta fuerat ejus vita, fieret mors nihilominus pretiosa. Fidenter enim dico, & utinam non errem, quia talis extitit ejus vita, ut etiam gloriæ apta esset martyrii. Obiit autem, ut vere credo, martyr & virgo, confessorque Christo carus cœloque dignus. Dum autem gravissima detinetur carnis molestia in partibus maxime mutilatis, numquam ecclesiæ, quam semper dilexerat, quamque indefesse die noctuque devotus frequentarat, poterat obliviscī, cum vix præ doloribus movere se valeret, sæpius assistentibus ita dicens: Eamus ad ecclesiam: numquid pulsatum est? Et licet jam propter afflictionem nimiam pro parte usum exteriorum sensuum pene non sentiret, se tamen Christo ejusque quotidiano obsequio debitorem fore recordabatur assidue. Sic quippe ecclesiam dilexerat, ut numquam, etiam cum procurator esset, existens domi matutinis defuerit.

In illa insuper gravissima infirmitate immensisque doloribus atque vulneribus gravissimis in lecto qualicumque recumbere noluit, præterquam illo suo nobili stratu præfato, nisi forte portaretur ad ignem. Dum autem mortem inevitabilem ac cunctis debitam mortalibus, corpore jam emortuo ac venis sanguine exhaustis, sentiret adesse præsentem, ecclesiastica Sacramenta, pœnitentiæ scilicet, ac Unctionis extremæ petiit & accepit. (a) Cum autem ad sacratissimum Eucharistiæ Sacramentum sumendum invitaretur, ita respondit: Nequaquam id convenit, quoniam jejunus non sum. Ad quod venerabilis prior, homo utique litteratus & doctus ac theoricæ scientiæ non ignarus: Infirmi, inquit, de quorum morte timetur,

(a) Nota apud Cartusianos extremæ unctionis sacramentum ante viaticum fuisse administratum.

qualibet hora ſumere poſſunt Sacramentum. Erat quippe ſexta feria, hora quaſi ſecunda poſt meridiem. Ad quod ille: Non decet, inquit, ut a me Chriſtus ſumatur alio quocumque prælibato edulio. Nam quamvis nihil aut parum ederet; tamen propter niniam ſanguinis effuſionem, ut Chriſtus in cruce, valde ſitiebat & frequenter ei potum porrigere oportebat. Et cum adhuc pater prior inſtaret, nolens ipſum ſine Viatico, ſi fieri poſſet, decedere; ita reſpondit: Die, inquit, Dominica, eodem Chriſto propitio, communicabimus mane jejuni. Et ſi, inquit prior, voluntas Dei non ſit, ut ad illum uſque diem perveniatis; reſpondit ille: Auguſtinus inquit: Crede, & manducaſti. Credo & communicaſſe jam per Dei gratiam confido. Quo audito ſiluit prior, optimum de ipſius fide teſtimonium tenens, moxque receſſit cellam propriam lectumque repetendo. Erat quippe & ipſe tunc temporis infirmus valde; ſtatimque vir iſte per omnia ſanctus, ſi tamen in hoc judicium non errat humanum, feliciter migravit ad Dominum.

MATER. Id certe credendum, quamvis propter cautelam pie potius ſit præſumendum, quam temere adſtruendum. Igitur quoniam de his jam diu locuti ſumus, quamvis pauca pro meritis, nunc ad reliquos ordines memorandos verba vertamus.

FILIUS. Quoniam, Mater, tuo obtemperans imperio diu locutus ſum, & utinam abſque offenſa, jam tibi incumbit loqui quodlibet: me autem, utinam ut dignum & juſtum eſt, intentum habeas auditorem.

CAPUT XXI.

De Ordine Ciſtercienſi.

MATER. Jam ordo narrationis exigit, ut de venerabili Ciſtercienſi profeſſione loquamur. Anno igitur MXCVIII. ſacer ordo Ciſtercienſium religioſum ac ſanctum, Deo inſpirante, ſumſit initium per venerabilem patrem ROBERTUM primum abbatem Ciſtercii, & ſanctum virum ALBERICUM ejus ſucceſſorem. Hi ſancti viri in magno fervore & ſancto deſiderio cum arduis inſtitutionibus, ſub regula tamen B. BENEDICTI, ipſum ordinem inchoarunt. Et hi videntur primi reformatores religionum ſub illa regula militantium poſt Cluniacenſes; & multas curioſitates, ſuperfluitates, & abuſiones ſucceſſu temporis introductas, abdicarunt, ac ſimpliciter ſecundum ſanctum ac B. BENEDICTUM ejuſque ſanctam regulam vivere cœperunt. Et mirabiliter in brevi tempore excrevit ordo iſte in omnibus, habuitque viros illuſtres atque ſanctiſſimos & plures numero: quorum omnium caput & exemplar eſt B. BERNARDUS, ob cujus famam & ſanctitatem atque excellentiam ordo ipſe in ramos, tamquam e trunco ſuper aquarum decurſus plantato, pulcherrimos, & quaſi innumeros pullulavit, & ab eo nomen ſortitur, ut communiter Bernardinorum vocetur. Hic igitur venerabilis ac ſanctiſſimus pater BERNARDUS anno ab Incarnatione Domini MCXIII. a conſtitutione Ciſtercii ordinis XV. annos natus circiter XXII. a paterna domo egrediens cum fratribus ſuis ac filiis quos aggregaverat Chriſtoque genuerat amplius quam XXX. Ciſtercium ingreditur ſub STEPHANO viro venerabili tertio Ciſtercii abbate.

Hic beatiſſimus pater BERNARDUS incœpit clareſcere adhuc juvenis. Qui cum ingenti fervore in eodem monaſterio Chriſto devotus ſerviviſſet, Clarevallenſis primus abbas efficitur, & ibidem cum fratribus dirigitur. Hic crevit in doctorem magnum & vere apoſtolicum virum. Tanta miracula fecit, tantumque ipſum Chriſtus honoravit in terris, ut ſimilis ei vix in his umquam creditur extitiſſe. Et quamvis omnium maximus eſſet ſui temporis, ſolus ſibi viliſſimus apparebat. Erat ſiquidem ſumme humilis ac ſimpliciſſimus in ſæcularibus, amans habitare ſecum, publicum fugitans, mire meditativus, ſumme obediens, omnibus benignus & gratus, domi quietus, foris rarus, & ultra quam credi poſſet verecundus, numquam multum loqui amans, Deo devotiſſimus, affluens pietatis viſceribus, & omnium morum venuſtate ornatus. Pater extitit centum & ſexaginta monaſteriorum. Sub ſe in Claravalle quandoque quadringentos monachos & converſos rexit, quorum multos doctrinis & exemplis ad culmen ſanctitatis evexit. Hic pater egregius jure dicitur cleri gemma, ſplendor eccleſiæ, monachorum deliciæ, mali ſpretor, cultor juſtitiæ, vas pudoris, nitor munditiæ, amator puritatis & innocentiæ, totiuſque ſanctitatis exemplar.

FILIUS. O quantum te, Mater, dilexit, quanto zelo refovit, quanto fervore tuum honorem defendit, quanta pericula ſubiit, quantos labores ſuſtinuit. Credo, ut pace ſanctorum loquar, vix eſt inventus ſimilis illi, qui ſic pro te pugnaret, contra ſchiſmaticos dimicaret, adverſus hæreticos confligeret, ſimoniacos inſectaretur, ſuperbos execraretur, ambitioſos perſequeretur. Quod ſi quis hæc ignorat; ipſius vitam, epiſtolas, ſermones, libros de Conſideratione legat, & me indubie verum dicere comprobabit. Trina vice, Mater, pro tua cauſa tuenda ac contra ſchiſmaticos tuæ pacis turbatores, verbi Dei mucrone pugnaturus, Urbem adiit, quamvis infirmus ac debilis, ultra vires infatigabiliter pro te deſudando. O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec pro te mori timuit, nec ærumnas vel pericula recuſavit!

MATER Gaudeo, Fili, atque tibi congratulor, quoniam cerno te hunc venerabilem patrem

patrem pro viribus attollere. Sed ſcito & nullatenus dubites, quia quantuncumque vel tu vel quivis illum attollas & laudes, parum tamen eſt & ferè nihilum pro meritis. Laboravit pro nobis non tantum pro viribus, ſed etiam ultra vires. Proprias omnino contemſit injurias, ut pacem haberemus; ſprevit opprobria, ut tueremur; certavit ut vinceremus; dimicavit ut triumpharemus; exulavit ut regnaremus. At nunc pro his omnibus mercedem bonam & confertam & coagitatam & ſupereffluentem conſequitur, percipiens in cœleſtibus quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quodque præparavit diligentibus ſe.

FILIUS. Juſte quidem, *Beati enim qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.*

CAPUT XXII.

De eodem ordine ſacro.

HUjus ſancti ac vere beati patris BERNARDI diſcipulus extitit inter multos ac bonus inter bonos frater BERNARDUS, poſtea papa Deo propitio factus, ac EUGENIUS III. dictus, qui miſſus a Claravalle ab ipſo viro ſancto Romam cum multis æque religioſis viris pro nova inſtauratione monaſterii ſancti ANASTASII, ibidem primus abbas efficitur, & non longe poſt in papam ex inſperato ſatis electus eſt, ob famam ſuæ ſanctitatis meritaque magiſtri. Hic cum prius eſſet ſimplex, adepto pontificatu, Dominus ipſum mirabili gratia, ſcientia & eloquentia perfudit. B. etiam BERNARDUS illum egregium librum de Conſideratione ad eum ſcripſit, qui continet quinque libros partiales. Romani autem inhumane ſolito more ferveſcentes, & contra pium patrem inſanientes, ſeditionem commovent. Quapropter vir ſanctus dedit locum iræ, & in Gallias veniens, priſtinum monaſterium dilectæ Clarævallis humiliter benigneque viſitavit. Alloquitur fratres non ſine lacrymis, memor priſtinæ & tam pulchræ quietis jam dudum perditæ, miſcens ſermonibus avulſa a corde ſuſpiria. Hos hortabatur & conſolabatur, ſeque inter eos fratrem & ſocium conſtituens, non Dominum aut magiſtrum, rem valde difficilem, agens, diverſarum ſcilicet in uno homine proprietatem exhibens perſonarum. Dum autem ei propter naturæ neceſſitatem eſſet pauſandum, ſagmenta ei deferebantur & pulvinaria, lectus quoque ejus palliis opertus cortina ambiebatur purpurea; ſed ſi operimenta revolveres, invenires laneis compoſta ſtramina & palleas conglobatas. Sed homo videt in facie, Deus autem intuetur cor. Iſte vero bona coram Deo & hominibus juxta apoſtolum providebat, æternum omnibus monachis & pontificibus exemplum relinquens. Demum apoſtolica benedictione largita, exoſculatis benigne fratribus, & eis valedicens, cum multis lacrymis, ſolitis inquietudinibus redditur. Inde Romam regreſſus, glorioſe ſuſcipitur a civibus, univerſis clamantibus, *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Rexit autem ſtatum noſtrum laudabiliter quinque annis, menſibus quatuor. Obiit autem in magna ſanctitate, ſuis meritis illuſtrando Romam miraculis plurimis, ſepultus in baſilica S. Petri. Eodem quoque anno ſanctiſſimus pater & doctor BERNARDUS deceſſit ab hoc exilio, cœlo regnaturus, mundum illuſtrans miraculis, doctrina & ſanctitate uſque hodie. Quanta autem ſcripſerit, ſeu quæ volumina ediderit ſatis noſti: ejus ſiquidem opuſcula pro magna parte habes ad manum.

FILIUS. Audivi, Mater, quemdam venerabilem modernum doctorem de ſancto iſto BERNARDO dicentem: Totus liqueſcit præ devotione; & re vera iſta eſſe cognoſco. Nam ſæpe inter nos ejus ſermones loquuntur, & alia ejus acta, ut æſtimo, pro magna parte legi, in quibus velut quodam mellis edulio dulciter ſæpius ſum refectus. Nam eo amplius ipſius dicta cum amore complector, quo ad noſtrum ordinem abundantius affectum fuiſſe cognoſco. Inſuper quemdam dilectum in ipſo ordine habere me confido, qui mihi inter caros cariſſimus eſt, ac inter amicos amiciſſimus, amore cujus amatum ordinem plus diligo. Quis autem ſit ille, aut quo dignus præconio nolo dicere, cum ſcriptum ſit: ne laudes hominem in vita ſua, duplici enim ex cauſa, ait Chryſoſtomus,* utilius eſt homini magis memoriæ laudem dare quam vitæ; ut illo potiſſimum tempore merita ſanctitatis extollas, quando nec laudantem adulatio noceat, nec laudatum tentet elatio.

* immo S. Maximus ſerm. 59.

MATER. Neceſſarium, ut reor, non eſt in his diutius immorari, neque de hoc ſanctiſſimo BERNARDO plura memorando narrare, cum ejus geſta ad manum habeas, quæ te pleniſſime de his quæ reſtant inſtruere poſſunt. Hujus ſacri ordinis inter prima & præcipua venerabile monaſterium extitit, quod Caroli-locus, eo quod a nobiliſſimo Francorum rege CAROLO fundatum ſit, nuncupatur. In quo videlicet monaſterio quamplures memoria digni floruerunt; inter quos velut lucifer inter ſtellas, velut roſa inter violas, velut carbunculus inter margaritas enituit vir egregius & per cuncta laudabilis S. GUILLELMUS, qui ſanctitate vitæ conſpicuus, caſtitate fulgidus, humilitate profundus, caritate profuſus, religione præcipuus, pietate viſceroſus, zelo fervidus, diſcretione præcipuus, ſanctus per omnia & Deo acceptus & carus, primum abbas ipſius monaſterii extitit. Deinde, ut luserna ſuper can-

delabrum poſita ſplendidius ubique fulgeret, in archiepiſcopum Bituricenſem Chriſto vocante eſt aſſumtus. In quo dignitatis & honoris apice quam ſancte, quam ſtrenue, quamque laudabiliter atque utiliter præfuerit, ejus acta teſtantur, miracula quoque declarant. Nam & vita ipſius ſignis efflоruit atque prodigiis, & mors nihilominus extitit in conſpectu Domini pretioſa, nunc quoque in ſupernis triumphans, multis ac mirandis ſignorum virtutibus a Chriſto Domino ſponſo noſtro venuſtantur in terris.

FILIUS. Quam magnus certe vir iſte per cuncta, ut teſtaris, laudabilis, &, ut opinor, in nonnullis prærogativis ſingularis, ita ut de eo merito dici poſſit illud quod de præclaris ac Deo dignis confeſſoribus præcinis tu ſancta Mater Eccleſia: Non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret legem Excelſi.

MATER. Noveris autem poſt hunc ſanctum plurimos in ordine magnos valde fuiſſe tam in ſcientia, quam etiam in vitæ ſanctitate. Sed & quammulti alii fuerunt ad dignitates eccleſiaſticas digne promoti. Inter quos merito memorandus frater JACOBUS DE FURNO prius monachus Ciſtercienſis, deinde abbas* Bolenſis, poſtmodum merito ſanctorum profectuum aſſumtus eſt ad papatum, & alterato nomine BENEDICTUS XII. vocatus. Hic ab *infantia bonæ vitæ & honeſtæ* converſationis extitit, deinde doctor in theologia ſacra. Factus autem papa, reformavit ordinem S. BENEDICTI & Ciſtercienſem, quod neceſſarium fuit. In largiendis beneficiis durus, & ne indignis conferrentur decretalem edidit quæ incipit, *Benedictus Deus in donis ſuis, &c.* & multos indignos privavit.

* l. Bolbonenſis.

NOTA. FILIUS. Hic, ut erat fervidus fidei cum ſeveritate zelator, & ob hoc multis minus carus, tantæ rigoroſitatis extitit, quod vix ſuos agnoſcere conſanguineos voluit, dicens, papam conſanguineos non habere.

MATER. Noveris poſt hunc paucos tales fuiſſe. Immo pene omnes promoti ad dignitates ſuum ſanguinem provehunt ad noſtras facultates, & ſic bona Crucifixi rapiunt, pauperum patrimonium dilapidant. Inde paſcuntur ſuperfluе, veſtiuntur pompoſe, equitant ſuperbe. Inde conduntur palatia, fabricantur domus eburneæ, aulæ & cameræ, parietes pinguntur curioſe, pavimentum ipſum palliis & tapetis ſternitur damnoſe. Inde mangonum turba compta poſt eos glomerantur, equorum mulorumque fræna deaurantur. Inde nutriuntur joculatores, paſcuntur hiſtriones, ne dicam meretrices; & in plateis ante eorum oculos, ſi tamen videre dignantur, fame & ſiti, frigore & nuditate moriuntur pauperes, quorum ſunt bona quæ diripiunt, patrimonium quod conſumunt. Videat pauperum judex, orphanorum pater, viduarum defenſor, & judicet cauſam eorum, noſtramque tueatur ac defendat ſubſtantiæ portionem. Et de his ſatis ad præſens, quæ tamen quaſi per exceſſum & inſperate diximus; neque enim de hujuſmodi nunc eſt ſermocinatio noſtra.

FILIUS. Expedit quidem filere pro nunc, ut arbitror, de his, nec illa indicando eloqui quæ non poſſunt ab illis gratanter auditi. De iſto ſacro ordine, ni fallor, membrum inſigne & egregium extitit M. ALANUS merito magnus & doctor univerſalis, de Burgundia oriundus. Hic, ut legi, ad tempus pœnam taciturnitatis coram multis incurrit, eo quod in principio ſermonis divinum auxilium more ſolito quodammodo præſumens non invocaſſet, nec ſalutationem MARIÆ dixiſſet.

MATER. Verum eſt, Fili, quod dicis: ſed & mira & ſtupenda ſatis ſunt quæ de iſto egregio doctore ſcribuntur. Horum autem narrationem aggredi declino, quæ non queunt explicari paucis. At quoniam de hoc ordine Ciſtercienſi ſufficienter quamvis pauciſſime ſecundum ipſius meritum tractatum eſt, jam nunc Chriſto prævio ad alia narranda convertamur.

CAPUT XXIII.

De tribus ordinibus, videlicet Templariorum, Præmonſtratenſi, & S. Johannis-Baptiſtæ, qui de Jeruſalem vulgariter dicitur.

ORdo Templariorum incœpit hoc tempore; qui prius albis uſi ſunt mantellis, poſt rubeam crucem ſuperpoſitam portaverunt. Horum HUGO & GAUFREDUS primi fundatores fuerunt, & B. BERNARDUS eis regulam compoſuit. Hic ordo, quia in veritate non ſtetit juxta eamdem regulam a ſancto ſibi traditam; ſed ejus poſtmodum profeſſores erraverunt graviter, & a religioſa profeſſione & a catholica fide, propter quod miraculoſe deſtruuntur ſubito, mirantibus cunctis quod tanti domini ſic inſperate perimuntur. Magiſter ordinis comburitur Pariſius. Cauſa autem publicata fuit poſtea, quæ extitit varia, cum abnegatione Chriſti & *expincione ſuper crucem in opprobrium & contemtum Crucifixi, prout plures eorum confeſſi ſunt. Et ſtetit ordo iſte annis centum octoginta quatuor.

* f. expuitione.

FILIUS. Heu, heu, miror qualiter ſic errare potuerunt a tam pio patre inſtituti, videlicet B. BERNARDO, qui, ut aſſeris, eorum regulam compoſuit.

MATER. Fili, nequaquam dubites, faſtus, & ſuperbia, avaritia, & rerum copia eorum ruinæ cauſa fuit. An excidit a memoria quod Apoſtolus dicit: *Avaritia eſt idolorum ſervitus?* Quid ergo mirum ſi Chriſtum negant, & noſtra ſacramenta ac venerandam Chriſti crucem conculcant, qui jam idolis immo-

lant. Ut enim idem dicit Apoſtolus: *Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ autem conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli?* Quis autem conſenſus templo Dei cum idolis?

FILIUS. Recte, Mater, præmiſiſti ſuperbiam, deinde avaritiam. Nam initium omnis peccati ſuperbia, quia ſicut humilitas radix omnium virtutum, ſic ſuperbia omnium eſt origo vitiorum. Inde pſalmiſta Deo dicit: *Superbia eorum qui te oderunt aſcendit ſemper.*

MATER. Dimittamus hos perditos, ordinemque deſeramus abolitum, & ad alios tranſcamus.

FILIUS. Tuum eſt, Mater, dicere, meum autem audire, & utinam audiendo intelligam, & intelligendo proficiam.

MATER. Ordo Præmonſtratenſis iiſdem cœpit temporibus, qui non ut alter cecidit, ſaltem a fide: utrum autem a fervore primario ejus profeſſores declinaverint, ipſi viderint. Huic autem ordini dedit originem vir Dei NORTBERTUS. Et hic ordo ſatis eſt dilatatus; ſed non ſicut plures alii. Hi regulam B. Auguſtini aſſumſerunt, & ſub ea vivere profeſſi ſunt, & utinam teneant quod voverunt. Habent & alias conſtitutiones, eos ab aliis ipſius regulæ profeſſoribus diſtinguentes, ſicut & habitu differunt.

FILIUS. Viſitavi aliquotiens quoddam hujus ordinis monaſterium, ſed & abbatem pluries vidi, & cum eo familiariter converſatus ſum, cum quibuſdam etiam ſuis religioſis; ſed fateor non inde magnam ædificationem rediens ab his reportavi.

MATER. Si bonus certe fuiſſes, profecto, etiamſi peſſimi forent, aliquid ad tuum profectum aſſumere poſſes: ſed & ſi forte quid inordinatum eſſet, vel paſtoris neglectu ſeu ſubditorum contemtu, non tamen inde ſcandalizari decuit, nec aliquid ſiniſtre de illo ſancto & approbato ordine ſentire, in quo ſunt, non dubites, ex utroque genere hominum, bonorum ſcilicet & malorum, aliqui, ſicut & in aliis religionibus; quia, ut ait Gregorius, ſoli boni nuſquam ſunt niſi in cœlo, nec ſoli mali niſi in inferno. Iſta autem patria, quæ ſita eſt in medio, utriuſque civitatis cives recipit. Arcam Noë cogita, in qua fuerunt non ſolum animalia ratione utentia, id eſt homines, ſed & irrationales pecudes, volucres, & ſerpentes; ſic procul dubio in omni cœtu reperies. Et hoc te terrere non debet, ſed omnino conſligere debes, ne de numero reproborum, ſed de ſorte ſis bonorum.

FILIUS. Optima certe exhortatio tua, & vere eam gratanter amplector; & utinam & ego & ceteri omnes ita vivere unuſquiſque in ea vocatione in qua vocatus eſt ſtudeamus, ut ad perfectionis culmen pervenire valeamus.

MATER. Utinam, & hos dimittamus.

Anno MCXXIV. vel circa, ordo S. Johannis-Baptiſtæ inchoatur, qui de Jeruſalem vulgariter dicitur, a RAYMUNDO viro venerabili & operibus miſericordiæ dedito, & valde crevit hic ordo, dilatatus per orbem. Hujus ordinis profeſſores inter cetera vovent ſe pauperibus Chriſti ſervituros, ob hoc a prælatis & magnis dominis, ac principibus & magiſtratibus, devotionis & pietatis intuitu, immenſas pecunias ac redditus largiſſimos, eccleſiaſque parrochiales & alias valde dotatas habuere, ſed & commendatorias diti ſſimas in terrenis facultatibus. Utinam juxta vota, quæ diſtinxerunt labia ſua, hæc quæ poſſident cum pauperibus participentur. Hujus ordinis tria extant genera profeſſorum. Primi dicuntur milites, & hi debent pro fide & pro noſtro ſtatu contra infideles armata dextra militare, captivoſque redimere. Secundi ſunt ſacerdotes, quibus incumbit militiæ ſpirituali deſervire, horaſque canonicas decantare, & divina myſteria celebrare; hique curis ſeu beneficiis præficiuntur animarum lucris inſiſtere. Tertii dicuntur clientes ſive ſervientes, qui utriſque debent humiliter & obedienter ſervire. Hi omnes caput unum habent, magnum priorem Rhodi, cui tenentur omnes cujuſcumque vocationis obedire, & ad ejus mandatum celeriter properare. Hi etiam adjuti Chriſtianis contra Turcos, & Sarracenos, Tartaroſque & alios infideles ſolent viriliter dimicare, in ipſa inſula Rhodi ſe contra eos tamquam Chriſtianitatis murum valenter exponentes.

FILIUS. Vere diebus iſtis quibus, proh dolor! ſic inſaniunt & prævalent iſti infideles, & immaniter furit eorum ſæva crudelitas, tales fidei pugiles videntur neceſſarii & quamplurimi utiles pro chriſtianitate tuenda.

MATER. Valde, Fili, & utinam agant ſemper quod agere tenentur in hac parte. Sed ſicut ceterarum quoque religionum, etiam horum multi a recto deviarunt, militantes propter ſtipendium, non propter Chriſtum. Et de his interim taceamus, ne eos offendamus quos ad defenſionem noſtram perneceſſarios fore jam diximus.

FILIUS. Donet Dominus ut unuſquiſque juxta apoſtolum in qua vocatione vocatus eſt, in ea permaneat, ſemperque proficiat, ad gloriam ſponſi tui Domini noſtri, qui eſt benedictus in ſæcula.

CAPUT XXIV.

De ſancto Guillelmo de deſertis.

AB iſto ſanctiſſimo GUILLELMO eremita Deo digno & accepto, ordo Guillelmitarum in obſervantiis regularibus ſatis au-

sterus traxit originem. Hujus sancti GUILLELMI discipulus fuit S. ALBERTUS eremita, qui ordinem istum educavit; sed indubie hic ordo, quemadmodum & alii plurimum a suo rigore deflexus est: tamen permanet usque hodie, & permanebit Christo propitio usque in finem. Circa hæc tempora floruit & fructificavit in nobis M. Hugo de S. Victore ordinis regularium canonicorum juxta Parisius doctor insignis, humilis, ac devotus. Hic tot & tanta edidit, tamque diserte & utiliter scripsit, ut a multis dicatur alter Augustinus: qui post laudabilem vitam ac multis utilem sanctam conversationem, sanamque doctrinam, circa hæc tempora defungitur. Qui cum jam in extremis laboraret, Corpusque Dominicum humiliter ac devote dari sibi popposcisset, fratres ei pro vero Corpore Domini, eo quod alimentum retinere non poterat, timentes de nausea, hostiam simplicem non consecratam porrexerunt. Quod ille revelante Spiritu mox cognoscens, ait: Deus misereatur vestri, fratres, quare me deludere ac decipere voluistis? Non est iste Deus meus qui me redemit. Quibus stupentibus, & de hoc quod inconsiderate egerant pœnitentibus, ac veniam a Deo & ab eo etiam poscentibus, Christi verum Corpus detulerunt. Ille autem sentiens quod propter nauseam sumere secure non valeret, ne tanto fieret injuria Sacramento, erectis in altum oculis ac manibus, talibus verbis fertur orasse: Accedat filius ad Patrem, spiritus ad Dominum qui fecit illum. His dictis, mox spiritum emisit, & Dominicum Corpus numquam comparuit. Hic sanctus absque dubio tenetur, quamvis minime canonizatus. Ut autem carne exutus cuidam revelavit, cupienti scire de statu ipsius, quoniam vivens propter nimiam carnis teneritudinem disciplinas horruerat, non fuit dæmon in inferno qui ei ictum aspertimæ disciplinæ in purgatorio non daret. Inde mox creditur ad cœlum illam sanctam animam evolasse.

FILIUS. Hinc liquido colligitur quantum disciplina humiliter ac voluntarie sumta nos expertes reddere valeat e verberibus dæmonum, si tantus vir ita extitit ab eis flagellatus, quia disciplinas declinaverit, eo scilicet, ut dictum est, quod fuit corpore nimium delicatus.

MATER. Circa idem tempus beatissimus THOMAS archiepiscopus Cantuarienſis martyrizatus in Anglia, in propria basilica sedis suæ, in loco sancto, sacro in tempore, ab his qui eum tueri debuerant, nostris scilicet filiis, sed heu parricidis, pro nostra causa fovenda, nostra libertate tuenda, nostris jusibus defensandis, pro defensione quoque justitiæ, inter manus sacerdotum & religiosorum ipsius ecclesiæ. Nam ibidem loco canonicorum sunt monachi S. BENEDICTI.

Monachi Benedictini in ecclesia Cantuarienſi.

FILIUS. Magna & stupenda Deus omnipotens ob meritum hujus martyris declarandum egit prodigia, inter quæ illud mirabile fertur, quod ad ejus exequias, dum clerus pro introitu missæ *Requiem æternam* voce lugubri caneret, mox angelorum chori psallentium voces interrumpentes, martyris officium, scilicet *Lætabitur justus* seraphicis modulationibus decantaverunt, stupentibus cunctis atque mirantibus.

MATER. O quam venerandus pastor noster iste fuit, qui pro nostra libertate tanta sustinuit. Et licet tunc cum nostris in ejus occasum multum turbati fuerimus & afflicti, tum propter tam pii patris absentiam, tum propter ipsius atrociſſimam necem; tum valde nos consolatus est Dominus post ipsius glorioſum triumphum, ob inaudita miracula quibus honorare voluit sanctum suum, quorum quædam hic libenter inſererem, si non fastidioſis oneri esse formidarem.

FILIUS. Rectissime de isto dici debet quod de sanctis martyribus decantantur in jubilo: *Hic est vere martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit, qui minas principum non timuit, nec terrenæ dignitatis gloriam quæsivit, sed ad cœlestia regna feliciter pervenit.*

CAPUT XXV.

De hæresi Valdenſium ſeu pauperum de Lugduno.

VAldenſium hæresis ſeu pauperum de Lugduno circa hoc tempus contra Christum Dominum noſtrum impudenter surrexit, quæ nos ut ceteræ hæreſes multum turbavit, cujus inventor fuit diabolica inſpiratione deluſus, Valdenſis quidam, civis Lugdunenſis. Hic cum dives eſſet, relictis omnibus, paupertatem evangelicam ſectari voluit, zelum Dei forte habens, ſed non ſecundum ſcientiam. Qui ſcribi fecit aliquos Bibliæ libros in vulgari cum nonnullis ſanctorum auctoritatibus; quæ minus ſane intelligens, ſuo inflatus ſpiritu, apoſtolorum officium uſurpavit, prædicando ubique, & ſuos ad prædicandum mittendo, errores plurimos ſeminaverunt. Moniti autem & examinati reſponderunt: Deo magis obediendum quam hominibus, prælatos & clericos aſpernando. Tandem prohibiti; ſed inobedientes & contumaces excommunicati ſunt, & expulſi a patria, & poſt in concilio hæretici denuntiati ſunt. Et factum eſt in grande malum & laqueum magnum ſimplicibus & devotis perſonis ſcandalum. Et utinam hodie eſſet finis. Sed nondum venit, ut cernimus. Nam miſerrimi iſti videntes ſibi reſiſti & contradici per prælatos & paſtores noſtros, per prædicatores ac religioſos, & quod diutius aperte & palam nequeunt malignari, ad alia converſi ſunt perditionis argumenta. Horum ſiquidem plurimi dæmonum invocatores facti & cum eis paciſcentes, ſortilegi facti ſunt,

nefanda cum humani generis hoſte habentes A fuſurria, damnandaque commercia. Hi pepigerunt fœdus cum morte, & cum inferno fecerunt pactum, & cum diabolus eos ſemel detinet irretitos, perplexis, ut ſcribitur, nervis teſticulorum compeditos, ad omne genus nequitiæ ab ipſo miſerabiliter pertrahuntur.

FILIUS. Memini me, Mater, in adoleſcentia, antequam hunc ordinem ingrederer, multa de hujuſmodi ſortilegis, qui vulgo ſcobaces dicuntur, audiſſe. Nam tunc & deinceps plures capti fuerunt in noſtra provincia & combuſti, qui prius in arcta poſiti quæſtione, B horrenda fatebantur. De quorum uno, ſi tamen id tibi rectum videtur, æſtimo non ſilendum.

MATER. Dic ergo quod de illo noſti, caute tamen, neque enim videtur expediens cunctis eorum damnatorum nefanda acta ſingillatim replicando narrare, maxime propter quoſdam modicæ fidei, qui facile poſſent in his ſcandalizari ſeu materiam erroris aſſumere, præſertim curioſa ſectantes. Non enim omnia omnibus expediunt.

FILIUS. Optime loqueris, Mater, & proꝛſus juxta intentum noſtrum. Itaque, ut jam C dixi, ante ordinis hujus ingreſſum fuit quidam GUILLELMUS EDELINE dictus, theologiæ ſacræ profeſſor prius, ſed ut poſt in propatulo patuit, ipſius perſecutor. Hic prius Carmelita, inde ad Cartuſienſes accedens, ſed non longo poſt tempore eos deſerens, diſpenſatus, immo melius diſſipatus ab ordine, ad ſancti religionem Benedicti ſe tranſtulit: qui poſtea diabolica improbitate, tanta extitit ambitione abſorptus, quod ut ad affectatas, male indigneque cupitas pervenire poſſet dignitates, cum hoſte crudeli pactum fecit, & ipſum prius in humana effigie, ut D facilius deciperet apparentem, adoravit, ejus manum nefariam flexis poplitibus oſculando.

MATER. Proh nefas! Heu de iſto recte dicere poſſumus quod dudum dixit propheta: *In domo Dei vidi horrendum.* Quid enim aliud iſte quam horrendum idolum in templo Dei, & monſtrum abominabile fuit? Et qui eſſe debuit vas in honorem, factum eſt vas execrabile in contumeliam. Sed ut hoc plenius appareat, fode, Fili, parietem, ut videamus abominationes majores.

FILIUS. Vere majores, ſed ne in immenſum capitulum protelatur, in aliud explanandæ ſerventur. E

MATER. Sic certe congruit, & ita fieri placet.

CAPUT XXVI.

De eodem.

FILIUS. Poſtquam hunc miſerum humani generis hoſtis loris infidelitatis tenuit fortiter alligatum, nequaquam ei quod egerat ſuffecit, ſed ipſum ad deteriora pertraxit. Nempe jam non in humana effigie, ſed in viliſſimi hirci forma ſeſe oſtentans, ad hoc perverſum ac deteſtandum & omnino inhoneſtum perduxit, ut eum adorando ipſam pudendam corporis partem, ſeceſſum ſcilicet oſcularetur, abominabilior certe factus quam equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Hic inſuper ad id perfidiæ deductus eſt miſer, ut in ipſorum ſcobacium deteſtando conventu, qui ad certum noctibus per aëra, ut ipſi miſſi confeſſi ſunt, deportabantur locum. Hic, inquam, infelix inimici præco factus eſt, & qui quondam fuerat præco veritatis, factus eſt nuntius hoſtis, miſeris ita dicens: Vos ipſos, ut decet, ad dominum & magiſtrum veſtrum recipiendum præparate. Taceo de abnegatione ſanctæ Trinitatis, JESU CHRISTI Domini noſtri ac ſuæ digniſſimæ Matris, digniſſimi Crucis vexilli, ſanctorum Sacramentorum, & aliorum quæ fideles credere tenentur & ſervare. Nam illa horrenda ſunt ipſo auditu. Nam ille poſtquam diu in tali errore mortuus in anima vixit, deprehenſus captus eſt, & in manus Ebroicenſis honorandi pontificis traditus, qui & ſacros mihi ordines omnes contulit in ipſa Ebroicenſi civitate. Hic venerandus antiſtes labores multos aſſumſit, ac expenſas copioſas conſumſit, ut poſſet ad veritatem hujus negotii pervenire. Nam quanto hic infelix erat in ſcientia exercitatior & in aſtutia callidior, tanto ad convincendum difficilior. Convictus eſt tamen, & confeſſus articulos erroneos eſt ultra triginta, qui inter doctores & magiſtros diligenter examinati, tamquam execrabiles damnati ſunt, & ipſe auctor eorum adjudicatus eſt hæreticus. At quoniam ipſe ab initio credens ſibi poſſe ſuffragari, in auxilium ſui advocaverat Univerſitatem Cadomenſem. Econtrario venerabilis epiſcopus GUILLELMUS *de Floques* dictus, vir bonus, ſed ſimplex, B. BENEDICTI etiam profeſſus, in adjutorium ſui & pro cauſa fidei tuenda Univerſitatem Pariſienſem aſſumſit, quod ſatis neceſſarium fuit. Poſt diuturnum autem cauſæ proceſſum, interrogatus tandem per excellentes theologiæ ac juris doctores ad hoc convocatos, utrum vellet eoſdem articulos nefandos abjurare, & utrum agnoſceret ſe erraſſe; reſpondit quod ſic, velleque omnes ſuos errores, cuncta etiam pacta execranda, quæ cum hoſte contraxerat, revocare, fidemque catholicam profiteri paratum, ac deinceps in eadem vivere ſtabiliter & mori velle. Tandem a pio paſtore & epiſcopo præfato, vicario tuo, ſuſcepta eſt, Mater, in gremium tuum ovis, quam lupus invaſerat, recepta prius cautione & juramento in capella dicti epiſcopi, coram teſtibus plus quam triginta. Et hæc omnia certius cognovi. Nam ſtatim poſt

promotor fidei in hac materia M, JOHANNES *Gravelle* dictus, mihi poscenti confessionem illius pauperis dedit, & alia sui processus acta, cum sententia definitiva, & omnia manu propria scripsi, & apud me tenui, donec ab illa domo recedens, ad hunc ordinem accessi. Summa autem totius actus totiusque processus talis fuit. Primo ab inquisitore fidei ad hoc vocato, in curia episcopii fuit coram populo prædicatus, & de certis ac principalioribus articulis per singula interrogatus, cuncta confessus est, quæ prius coram testibus fuerat in privato confessus. Post quæ lecta sententia, quæ & ipsos erroneos articulos continebat, condemnatus fuit per M. SIMONEM Capistri vicarium episcopi, & officialem curiæ, ad perpetuos carceres in pane angustiæ & aqua doloris, quamdiu esset in humanis. Ad quod episcopus proprio ore subjunxit: *Retenta nobis misericordia nostra.* Tunc ad ista inquisitor fidei protestando respondit: Protestor, inquit, auctoritate qua fungor in hac parte, quod nullo modo relaxabitur absque consensu magistri nostri generalis hujus provinciæ inquisitoris, vel nostro in ejus absentia. Et sic iste mox fuit carceri mancipatus, in quo per quadriennium supervixit, & ut postmodum comperi, signa in eo deprehensa sunt veræ pœnitentiæ. Deinde in eodem carcere, ut audivi, genibus flexis ac junctis manibus mortuus est repertus. Hanc narrationem, Mater, sic diffuse duplici de causa posui, ad cautelam scilicet multorum, qui forte possent seduci ab his Valdensibus, seu Scobacibus, quorum multi, quamvis ignoti, supersunt, non dubito: & ut unusquisque formidet, sibimetque timeat, dum audit tantum virum sic turpiter corruisse, sicque ab hoste delusum fuisse, ut ipsum in forma, ut dictum est, vilissimi hirci veneraretur, suaque posteriora fœda deoscularetur. Tanto autem de his certius loquor, quanto, ut præfatus sum, hæc eadem manu propria scripsi.

MATER. Utinam hæc, etsi non prodesse, saltem nulli possint obesse. Jam tempus exigit, ut ad ea quæ restant narranda reflectamur.

CAPUT XXVIII.

De sacro Ordine Fratrum Carmelitarum, & de quibusdam aliis.

POst ferventem horum damnatorum Valdensium ebullitionem, non multis elapsis annorum spatiis, ut quidam volunt, incœpit ordo sacer B. MARIÆ de Carmelo, qui & Carmelitarum dicitur, quem ALBERTUS patriarcha Jerosolymitanus in monte Carmeli instituit, & sanctus BERTOLDUS postmodum ab HAIMERICO Antiocheno patriarcha fratribus ibidem Deo & sacræ Virgini illius loci patronæ famulantibus in priorem est assignatus, quamvis ipsi Carmelitæ longe ante, tempore scilicet Heliæ, suum hunc ordinem cœptum fore asseverent. Qui hoc non credit, opponat se, si voluerit, contra eos. Non enim decet nos contentionibus deservire. Quidquid sit, credendum est hos quos prænominavimus venerabiles patres ipsi ordini magnum dedisse profectus incrementum: in quo quidem ordine postmodum per orbem dilatato plurimi & magni in vita, fama, atque scientia fuerunt, qui nobis plurimum profuerunt, ac nos contra hostes valenter se opponentes adjuverunt, de quibus merito quosdam dignum est propriis designare nominibus.

Primus BERTHOLDUS sanctus præfatus, qui fama celebri multis innotuit, & inter multa præclaræ suæ sanctitatis indicia animas quamplurium fratrum, quos Saracenorum absumserat gladius cum corona martyrii, ab angelis deferri ad cœlos vidit.

S. ANGELUS Hierosolymitanus Carmelita vir sanctioribus annumerandus, nominis sui vere speculum, tamquam nubes imbrifera prædicando circumquaque discurrens, innumeras Christo lucrefecit animas, qui etiam tandem post multa miracula effusione proprii sanguinis mortis vicem reddidit.

S. CYRILLUS Græcus mellifluiCarmeli prior, doctorque tum vitæ sanctitate, tum prophetiæ dono conspicuus, multa conscripsit futuris sæculis profutura, & copiosis miraculis Deo procurat gloriam mundoque stuporem.

S. ALBERTUS de Tarpano Carmelita, Siculus genere, vir meritis, signis, doctrinaque clarus, ac totius perfectionis exemplar, VII. idus Augusti migrauit ad Dominum.

GIRARDUS de Bononia hujus sacri ordinis columna stabilis, ac doctor mirificus, sapientia, doctrina & opinione celebris, post plurium editionem librorum in Avenione vitam exuit temporalem, possessurus sempiternam.

JOHANNES de Bachone Carmelita, theologicæ sapientiæ canonicæque scientiæ princeps, Parisius & demum per Angliam clarus habetur.

GUIDO de Perpiniano ex priore generali Carmeliticæ religionis primum Majoricensis, ac demum Duensis pontifex, doctor inter præcipuos commendatus, & ut alter Elias pro domo Domini seriosus, post Correctorium juris & alia quamplurima volumina, librum contra omnes hæreses scripsit, mercedem a Domino pro suis immensis laboribus recepturus.

PETRUS de Casa ex priori generali Carmelitarum episcopus Vasionensis ac Hierosolymitanus patriarcha, virtutis fama doctrinæque speculo clarus dignoscitur, quem etiam plura miracula Deo conregnare testantur.

S. PETRUS Thomæ ex Carmelita Pictavien-

sis episcopus, & patriarcha Constantinopolitanus, doctor percelebris, summique regis signifer bellicosus, post innumeras quas habuit, nedum cum spiritualibus, sed & cum corporalibus Crucis inimicis, victorias, post plures conscriptos libros & patrata miracula, in Cypro corpus exuit in festo epiphaniæ, cœlo perennirer victurus.

Michael de Andegavis Carmelita, totius christianitatis luminare, post editionem multorum librorum; post Dei verbum in populis fructuose ac utiliter seminatum, terras liquit, superis sociatus.

Johannes Soreth prior generalis ac reformator Carmelitici ordinis, vir sanctæ vitæ, & singulariter Christo fructificus, postquam Carmelum totum xx. rexit annis laudabiliter, Andegavis obiit, ubi quamplurimis nunc miraculis coruscat.

Hi omnes & quamplurimi alii in sancto ordine isto diversis temporibus floruerunt, nostrumque statum plurimum decoraverunt.

Filius. Dignus est ordo iste valde, plurimumque laudandus, qui tamquam vitis egregia in tuo horto, Mater, plantata, quot sanctos protulit quasi tot palmites misit.

Mater. Post & alia nobis oritur tribulatio non modica: nam anno mcxciii. Jerusalem iterum capitur a Saracenis, Deo juste permittente, & glorioſissimum Sepulcrum cum sancta Cruce invaditur, propter peccata Christianorum, & præcipue luxuriæ & crapulæ. Nam ratus erat in monasteriis, rariorque in sæculo quem non morbus luxuriæ inseciſſet. Et quia tota terra sordescebat sceleribus, ideo projecit Dominus populum suum, inducens multas tribulationes super eum, sicut quondam fecerat tempore regum Israël & Juda, quando propter idololatriam aliaque scelera populus Israël ductus est in captivitatem Babylonicam, ibique captivus detentus est per annos septuaginta, hoc est a tempore Jechoniæ regis Judæ, usque ad secundum annum Cyri regis Persarum. Et pro recuperatione illius terræ sanctæ, sed per sceleratos Christianos jam jamque profanatæ, passagium grande ordinatur tempore Clementis tertii, & imperator Fredericus crucem accepit, & quamplurimi principes cum eo, & factus est concursus maximus. Tamen parum profecerunt, nec aliquid recuperaverunt præter solam Achon. Nondum siquidem completa erat malitia populi, nec iniquitas ejus dimissa. Sciscitantibus autem principibus ab abbate Joachim, qui spiritum prophetiæ dicebatur habere, an ad terram sanctam proficisci deberent, respondit: Non, quia tempus nondum advenisset.

Filius. Iste Joachim utrum verus fuerit propheta ignoro; plura tamen prædixit, & scripsit, atque in quibusdam erravit.

Mater. Hæreticus tamen non fuit, quia errori suo pertinaciter non adhæsit, sed sua dicta nostræ determinationi nostrorumque rectorum humiliter submisit, ut patet in principio decretalium.

Filius. Non ingens error, nec gravis admodum videtur offensa, quæ humili obedientia expiatur.

CAPUT XXVIII.

De Ordinibus domnorum Theutonicorum, sanctæ Trinitatis, & Augustinensium.

Mater. Fuit & alius ordo domnorum Teutonicorum qui cœpit circa annum Domini mcxciv. sub Cælestino papa tertio, & ortum habuit in Prussia ex ordine sancti Johannis Jerosolymitani, cujus professores nobiliter fuerunt inchoati, nobiliusque in exordio ipsius conversati, satisque fuerunt nostro statui apti, atque ad nostram defensionem idonei. Sed, heu! fallaces divitiæ omnem pene ordinem nituntur evertere, omnem statum prorsus moliuntur depravare. At quoniam hi magis exuberant divitiis, verendum est ne a suo proposito exorbitent viventes in deliciis. Omnipotentem autem Deum deprecamur, ut ipsis bene agendi gratiam tribuat, ut unusquisque id quod voverit devotus adimpleat.

Filius. Hi habuerunt associationem ad ordinem nostrum, & utinam nos Christus dignos efficiat orare pro invicem, ut salvemur.

Mater. Fuit & alius ordo qui SS. Trinitatis dicitur, qui & circa hæc tempora exordium sumsit. Hujus ordinis sunt qui Parisius dicuntur Maturini, & est ordo satis famatus satisque dilatatus. Hi maxime vigilare debent redemtioni captivorum ab infidelibus detentorum, & ob hoc magnos reditus & pingues possessiones habent, a devotis etiam fidelibus eleemosynas multas ac pecunias numerosas consequuntur.

Filius. Veneranda mater, æstimo quod in his religionibus valde necessaria esset reformatio. Sed & si secundum illorum intentionem, qui ipsos ordines primitus statuerunt, eorum professores vixissent, æstimo quod uberius pullulassent.

Mater. Verum est, Fili, sed ne æstimes quod in his solis necessaria sit reformatio. Est & in ceteris ordinibus, sed & in omni statu nostro vel gradu; & ob id venerabiles Constantienſis concilii patres, filiorum nostrorum pastores, optime & necessario statuerunt, ut in posterum generale concilium de decennio in decennium celebrari deberet. Plura insuper utilia statuit, quæ minime observantur in perniciem & subversionem totius status nostri animarumque exitium & perditionem.

Filius. Æstimo, Mater, quod nihil utilius pro omnimoda reformatione cleri, to-

tiusque tui directione ſtatus generali concilio foret.

MATER. Hoc quod aſſeris, nihil verius eſſe conſtat, ſed ambitioſorum, ſimoniacorum, avarorum ac cupidorum, fornicatorumque impia ac nefanda converſatio correptionem reſpuit, reformationem non admittit. Talium ſiquidem perverſa conſilia, nefanda ſuſurria principum mentes depravant, & a recto ſæpe deflectunt, ut difficile condeſcendere & conſentire poſſint quod concilium celebretur, putantes hoc fore in regum regnorumque præjudicium, quod profecto eſſet in decus & profectum. Et hos dimittamus, neceſſe eſt enim ſilere quod audire non poſſunt. Tranſeamus itaque ad alios.

Imperante OTHONE IV. & INNOCENTIO papa III. incœpit ordo Auguſtinenſium, qui mendicantes dicuntur, ſeu eremitæ ſancti Auguſtini. Ordo iſte fontaliter a B. AUGUSTINO, ſecundario a venerabili GUILLELMO digno Pariſienſi præſule, ſumſit originem. Hic ordo valde neceſſarius nobis, exercetur circa prædicationes & animarum lucra. Nec ambigas quammultos in ipſo ſacro ordine floruiſſe, immenſumque fructum in Dei vinea protuliſſe. Nempe hujus ſacri ordinis flos vernantiſſimus & redolentiſſimus extitit S. NICOLAUS de Tolentino, vir utique doctiſſimus atque ſanctiſſimus, prædicator egregius, ac fidei zelator ferventiſſimus. Hic mundum ſibi crucifixum ſemper habuit, ſeque mundo crucifixum exhibuit, Chriſtum etiam crucifixum mente devota aſſidue bajulavit. Claruit autem ſignis atque miraculis quibus ipſum decoravit Chriſtus dum adhuc viveret. Nunc inſuper ſum Chriſtus ob labores quos pro ipſo in terris degens indeſinenter pertulit, in cœleſti regno perenniter regnaturum gloria & honore coronavit : quoniam, ut ait Sapiens, *bonorum laborum glorioſus eſt fructus*. Fuerunt & alii in ipſo ordine doctores plures venerabiles ac mirifici, ſancti ac Deo digni, odore virtutum ac ſcientiæ redolentes, & adhuc ſunt & erunt, Deo largiente, in noſtro ſtatu plurimum proficientes tam ſibi quam aliis, & ſignanter circa exercitium virtutum ſanctarumque prædicationum, pro quibus & aliis piis operibus mercedem habent repoſitam in cœlis. Si qui autem ſint qui non ex caritate, ſed propter quæſtum evangelizant, mercede merito privantur æterna, ſolumque eis ſecundum apoſtolum diſpenſatio credita eſt. Audi quid de hujuſmodi prædicatoribus idem dicat apoſtolus.

1. Phil. 15. *Quidam propter invidiam & contentionem, quidam vero propter bonam veritatem Chriſtum prædicant. Quidam ex caritate, ſcientes quoniam in defenſionem evangelii poſitus ſum : quidam vero ex contentione Chriſtum annuntiant non ſincere, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis. Quid enim, dummodo ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuntietur? Et in hoc gaudeo, ſed & gaudebo. Scio enim quoniam hoc mihi proveniet ad ſalutem.* Quæ omnia ſicut tunc quamvis in ſe experta, in noſtra tamen maxime loquebatur perſona: ita & nunc quoque in nobis ac noſtris modernis prædicatoribus videntur adimpleta. Ergo unuſquiſque videat qua intentione prædicet: ſi bona, habebit inde gloriam, & hanc apud Deum : ſi mala, habebit forſan & ipſe gloriam, ſed apud homines, & ideo vanam, quia vani filii hominum; & vere vana eſt humana gloria & volatilis, nihil in ſe prorſus ſtabilitatis habens; ob hoc ejus appetitores inconſtantes, vanos, & inſtabiles facit, & valde vereor, multumque formido ne plures tales ſint, non in hoc tantum, de quo loquimur, ordine, ſed in aliis ordinibus & ſtatibus.

FILIUS. Novi dudum paucos iſtius ordinis, ſed valde venerabiles viros, atque ſtatui prædicationis valde idoneos, quorum unus fuit gradu & ſapientia ac vitæ probitate conſpicuus, primo ſacræ theoriæ doctor inſignis, inde epiſcopus Dimitrienſis M. JOHANNES FABRI de conventu Rothomagenſi. Hic longo tempore reverendiſſimi illius loci archiepiſcopi ſuffraganeus fuit, deinde epiſcopi Ebroicenſis, quo quidem tempore ipſe mihi Chriſti ac ſua gratia, licet immerito, minores ordines contulit. Vir iſte reverendus admodum gravis & magnæ probitatis ſanique conſilii fuiſſe dignoſcitur. Hujus primum diſcipulus fuit ROBERTUS Clementis, qui eadem qua & ejus magiſter via proceſſit, eiſdemque veſtigiis; nam & ipſe primum ſacræ paginæ doctor fuit irrefragabilis, deinde epiſcopus Hypponenſis, ac reverendiſſimi domini Rothomagenſis ſuffraganeus & coadjutor maxime in ordinibus conferendis extitit & eſt, ut æſtimo, adhuc enim ipſum fore ſuperſtitem non dubito.

MATER. Non dubites, Fili, viros percelebres in hac religione fuiſſe, quorum quidam merito, ut hi quos nunc memoraſti, ad noſtras dignitates ſunt provecti. Alii autem & fuerunt & ſunt, non ambigas, etſi non ad harum dignitatum culmen evecti, non tamen ad hoc ipſum minus idonei, ſed nec ſedibus æthereis minus digni.

FILIUS. Verum eſſe conſtat quod aſſeris, nempe, ut ait Auguſtinus, non in ſublimitate graduum, ſed in amplitudine caritatis acquiritur regnum cœlorum.

CAPUT XXIX.

De ordine Vallis Scholarium.

MATER. Nunc operæ pretium reor diligentius deſcribere qualiter Vallis Scholarium ordo ſumſit originem, quamque copioſa benedictione gratiæ cœleſtis a primaria ſua inſtitutione perfuſus ſit enarrare; eoque curioſius

curioſius id facio, quo te ordinis ipſius in adoleſcentia atque juventute profeſſum fuiſſe non ignoro, ne forte cuiquam videatur, quod in contemtum ipſius exieris, vel minus ſufficientes forent ipſius obſervantiæ volentibus in ſtatu religionis proficere, quod neutrum credo. Scio tamen quod non ſine cauſa illum ordinem reliqueris, quod & ipſum jam dudum confeſſus es.

FILIUS. Vera ſunt, Mater, cuncta quæ aſtruis, & non eſt in tuis verbis quicquam indiſcretionis, ne dicam falſitatis admixtum. Et quamvis illum ordinem reliquerim, quia tamen in ipſo dulciter educatus extiti, diligo & diligam eum in æternum. Quapropter tibi gratias refero ex hoc, quod ſcilicet de ipſo ordine plenam facere narrationem polliceris.

MATER. Optime. Audi igitur attente quæ dico, quæque poſſunt & tibi & aliis proficere. In alma igitur Univerſitate Pariſienſi erant viri divinis & humanis diſciplinis eruditi, magiſtri utique celeberrimi, atque fama excellentes, videlicet GUILLELMUS, RICHARDUS, EVRARDUS, & MANASSES, quorum primum venerabilis ſenectus, morum gravitas, decor ſapientiæ, nitor eloquentiæ, & inter hæc humilitatis manſuetudo ceteros præcellere dignum reddebant. Hi non multum longe ab invicem poſiti, facti quaſi in extaſi viderunt ſtare coram ſe quamdam arborem ſublimem ac decoram, ramorum & frondium ornatu mundum decorantem: cumque hora opportuna familiariter mutuo colloquerentur, venerandus idem magiſter GUILLELMUS ita infit: Ego ſtudens librum Ezechielis prophetæ, non ſolum ſemel & bis, ſed etiam jam trina vice, ante me vidi ſtare quamdam arborem magnam, pulchram & fulgidam, cujus rami videbantur mundum perornare. Quod & ceteri tres ſimiliter confeſſi ſunt ſimilem arborem pluries ſe vidiſſe. Conſiderantes igitur tantam & tam continuam arboris condenſæ viſionem, magnæ futuræ rei ſignum evidens per divinam gratiam eis fuiſſe oſtenſam, habita gravi & matura deliberatione cum plurimis doctiſſimis ac prudentiſſimis viris, qui nec decipi poſſent, nec decipere vellent, aliquem ordinem ſublimius vivendi atque ſalubrius, prout deſurſum a Patre luminum eis deſcenderet, noviter inſtituere & incipere decreverunt. Tunc idem venerabilis magiſter GUILLELMUS poſt longam exhortationem ad ſocios præfatos factam, demum ita concluſit: Eia, cariſſimi, genus nobile altamque progeniem ac cetera quæ poſſidemus præter amare Chriſtum obliviſcamur. Eamus hinc & elongemus fugientes, & ſecundum prophetam maneamus in ſolitudine, ut Dei gratiam inveniamus in tempore opportuno. At ut ille ſanctæ exhortationis verba finivit, ipſi conſcholares & magiſtri humiliter obtemperantes velut Chriſto eos vocanti, leni jugo pœnitentiæ colla ſubdiderunt, mundum & omnia quæ mundi ſunt pariter relinquentes.

Itaque anno MCCI. iter arripientes angelo duce in fines Burgundiæ verſus Lingonenſem urbem devenerunt. Tandem poſt multos locorum circuitus, ad quamdam vallem, longe ab hominum acceſſu ſitam, ſolis feris habitabilem, altis rupibus circumquaque vallatam gratia reficiendi corpora declinaverunt. At ſubito de ſub rupis pede fons limpidus emanavit, qui tunc uſque numquam hominibus viſus fuerat. Quo comperto, cognoſcentes locum illum a Deo ſibi paratum, reverendum patrem GUILLELMUM Lingonenſem epiſcopum adeunt, propoſitum inſinuant, locumque illum ſibi ab eo dari ad ſerviendum Chriſto perpetuis temporibus petunt. Tunc pius epiſcopus Dei caritate tactus, gaudenter ſuſcipit peregrinos, reficit laſſos, pauperes alloquitur, viſionem intelligit, limpidi ac novi fontis audit rumorem, gloriatur patriam tantis patribus decorari. Suæ eccleſiæ capitulum conſulit, largitur quod petunt, obtinent quod volunt, devotas gratiarum actiones Domino bonorum omnium largitori referunt. Miratur magiſter FREDERICUS vir prudens, auctoritate magnus & omni honeſtate fultus, electus, & confirmatus epiſcopus Catalaunenſis, qui cum pluribus epiſcopis aliiſque eminentibus viris apud Lingonis aderat, benedictionis ac conſecrationis munus aſſecuturus. Miratur, inquam, tantorum virorum ſingularem affectionem, quos nuper noverat inter celeberrimos Pariſius honorari. Et ecce nunc hos proſpicit eremi loca quærere, ciborum ſpernere delicias, luxum calcare ſæculi, viſus hominum fugere, totaque mentis aviditate viam pœnitentiæ arripere. Cuncta hæc mente ſedula & affectata meditatione pertractans, cogitat ſe moriturum, diem iræ, extremæ calamitatis & miſeriæ tacita mente revolvit, ſupplicia epulonis divitis, & præmia ulceroſi pauperis retractat & penſat, honores ſæculi fugitivos, fluxam gloriam, fallaces eſſe divitias, onus paſtorale graviſſimum, animarum ſarcinam fore periculoſiſſimam. Quid multa? Epiſcopatui & omnibus quæ mundi ſunt propter Chriſtum renuncians, cunctaque vana & caduca contemnens, pauper Chriſti efficitur, & apud Catalaunum ad ejus inſtantiam loco ejus ſubſtituto epiſcopo, ad antra deſerti in pœnitentia victurus ſponte ipſis ſeſe conjunxit. Eunt itaque ipſi quinque viri Dei gaudentes a conſpectu epiſcopi, quoniam digni habiti ſunt pro nomine JESU dicatam ſibi vallem obtinere. Conſtruunt exigua cellarum tuguria, modicoque contenti pabulo, in illa vaſtiſſima valle morantur, omnipotenti Deo die noctuque plurimis mox aggregatis fratribus famulantes. Itaque ſapientium freti conſilio, certam formam vivendi eligentes, propoſuerunt ſub

regula beatiſſimi AUGUSTINI patris venerabilis militare, habentes officium eccleſiaſticum, & habitum ſecundum propoſiti ſui congruentiam, more fratrum B. Victoris juxta Pariſius. Quorum piam electionem memoratus epiſcopus Lingonenſis auctoritate ſua ordinaria laudavit & ratificavit, & ad ejus ſupplicationem HONORIUS papa III. auctoritate apoſtolica confirmavit & approbavit anno MCCXVII.

FILIUS. Habent hujus ordinis profeſſores ultra præfatam Auguſtini regulam conſtitutiones laudabiles, arduas ſatis. Nam inter multa ita habetur in eiſdem: Fratres camiſiis lineis non utantur, in dormitorio jaceant ſine culcitris, ſuper pannos lineos ſuccincti tunicis, & calceati caligis. Calceamenta etiam genua non excedant. Clauſa deſuper ferant indumenta, corrigias de corio habeant amplas valde, cultellos ſine cuſpidibus nullum auri vel argenti ornatum habentes. Pellibus utantur agninis ſeu etiam vulpinis tantummodo. Alia quoque multa honeſta valde & religioſa in eiſdem habentur conſtitutionibus. Sed & ſecundum antiquum rigorem carnium uſus eis interdicitur. Scio tamen quod ſuper hoc ab apoſtolica ſede quaſdam habent relaxationes.

MATER. Si eaſdem ſuas conſtitutiones perfecte ſervarent, non multum a Carthuſienſi diſtarent propoſito, ſed vereor ne ut alii multum ſint dilatati & relaxati a rigore primario.

FILIUS. Certo certius novi hoc quod aſſeris, Mater, veriſſimum fore. Fateor autem non ad propriam, ſed utinam ad Dei laudem, poſtquam ab illo ordine diſceſſi, ferventi ſuccenſus ſum zelo pro illis quos reliqueram, & pro reformatione illius domus quæ me educaverat, atque a puero nutrierat; & cuidam de domo illa bono viro optimoque zelatori, & qui dudum, ut, Mater, noſti, neque enim illum ignorare potes, multa pertulerat pro contritione Joſeph, multaque ſcripſiſſe me memini, quæ mihi videbantur ad illam reformationem competentia, ſed fruſtra ut vereor.

MATER. Unuſquiſque mercedem recipiet ſecundum ſuum laborem. Si propter hoc & tu & ille deſudaſtis, nec ſecutus eſt fructus optatus, tamen non erat vacua vobis merces.

FILIUS. Utinam ille, jam enim diſceſſit, a bono Domino recipiat pro jactato ſemine manipulos copioſos! Utinam & ego illum poſt mortem contemplari merear in gloria Dei Patris! Amen.

CAPUT XXX.

De Ordine Prædicatorum ſeu Jacobitarum.

ORdinem hunc ſequitur tempore, ſed præit fama & nomine, ordo Prædicatorum, qui vulgo Jacobitæ dicuntur, a B. DOMINICO Hiſpano viro ſanctiſſimo originem ducens. Qui beatiſſimus confeſſor, apoſtolicæ perfectionis ferventiſſimus æmulator, mirabili zelo perſequitur hæreticos, miraculis coruſcantibus atque prodigiis, quæ per illum fecit Dominus. Qui cum Romæ pro confirmatione ſui ordinis apud papam inſtaret, nocte orans vidit in ſpiritu Chriſtum in aëre exiſtentem, & tres lanceas manu tenentem, & contra tres mundi ſtatus eas vibrantem; cui velociter pia mater occurrens, quidnam facere vellet inquiſivit. Et ille; Ecce totus mundus tribus vitiis plenus eſt, ſuperbia ſcilicet, luxuria, & avaritia: & idcirco his tribus lanceis ipſum, quem diu multumque ſuſtinui, jamjamque perimere volo. Tunc virgo benigna ad ejus genua procidens ait: Fili cariſſime, miſerere obſecro, & rigorem tuæ juſtitiæ miſericordia tempera. Cui Chriſtus: Nonne vides, Mater, quantæ mihi injuriæ irrogantur? Cui illa: Tempera, Fili, furorem, & parum expecta. Habeo enim ſervum fidelem & pugilem ſtrenuum, qui ubique diſcurrens mundum expugnabit, & tuo dominio ſubjugabit. Alium quoque ſervum habeo, quem ei ad hoc ipſum in adjutorium dabo, qui contra mundi vitia ſimiliter decertabit. Cui Filius: Ecce placatus faciem tuam ſuſcepi, ſed vellem videre quos tu ad tantum officium velles deſtinare. Tunc illa ſanctum DOMINICUM præſentavit. Cui Chriſtus vere bonus & ſtrenuus pugil iſte, & ſuccioſe faciet quod dixiſti. Obtulit etiam ſanctum FRANCISCUM, & hunc Chriſtus, ſicut & primum pariter commendavit. Regreſſus autem Toloſam ad fratres ſuos, poſtquam conſenſum INNOCENTII III. de erigendo novo ordine obtinuit, omnibus in unum congregatis, & invocato Spiritu-ſancto, (erant autem CCXVI,) regulam B. AUGUSTINI prædicatoris & doctoris præcipui elegerunt; quaſdam artioris vitæ conſuetudines, quas ſibi per formam Conſtitutionum obſervandas ſtatuerunt, inſuper aſſumentes. Verum interea INNOCENTIO defuncto, ab HONORIO tertio confirmationem ſui ordinis obtinuit anno MCCXVI.

Hic ordo venerabilis mirabiliter dilatatus eſt, & plurimum fructificavit Chriſto & nobis animas lucrando, & ad veram fidem ducendo, hæreſeſque deſtruendo, ac ubique hæreticos perſequendo. Ordo iſte quaſi innumeros habuit laudabiles ac omni laude digniſſimos patres ac doctores, egregioſque prædicatores quamplures, etiam in ſummo apice dignitatis locatos, quorum primus fuit, quoad eccleſiaſtici honoris faſtigium, INNOCENTIUS V. excellentiſſimus in ſcientia & moribus; ſed heu! poſtquam in papam eſt aſſumtus, ſtatim rapitur, & tantum menſibus quinque præfuit, tamque fulgida lucerna ſtatim extincta eſt, nam eo dignus non

erat mundus. Hic prius dictus est PETRUS A de Tarentasia, qui cum pluribus aliis æque sanctis & litteratis viris fortiter pro nostra defensione agonizavit. Horum quammulti in diversis mundi partibus contra inimicos crucis Christi decertarunt, a divina bonitate missi & adjuti. Alioqui tota pene fides periisset propter hæreticorum multitudinem & subtilitatem, simul & potentiam, quorum quamplures ab hujus ordinis exordio fuerunt.

De hoc quoque ordine fuit BENEDICTUS papa XI. vere benedictus & sanctus, sed ut alter cito rapitur, & tantum mensibus octo B diebus XVII. præfuit.

De hoc ordine extitit ALBERTUS magnus, & vere magnus, tam morum sanctitate, quam scientiæ claritudine. Hic prius doctor præcipuus, postmodum episcopus Ratisponensis, de quo mira dicuntur.

Hunc sequitur S. THOMAS de Aquino doctor egregius, ipsius ALBERTI discipulus, qui mirabiliter laboravit in scholis, Universitatem Parisiensem incomparabiliter doctrina & eloquentia venustando. Plures summas ac libros edidit, tam in theorica, quam etiam in dialectica vel philosophica facultate; & C ejus veridica doctrina communiter utuntur moderni; perspicua siquidem est & familiaris. Hic sanctus virgo obiit, plenus operibus sanctis LII. ætatis suæ anno, duplicem aureolam reportans, doctoralem & virginalem, multisque claruit miraculis in vita & post mortem. Ejus vitam stilo venusto exaratam vidisti, hæc & alia plenissime continentem.

Hunc non longo post tempore sequitur S. PETRUS martyr glorioſus & inclytus, qui ipsum ordinem valde venustat. Hic impie ab hæreticis perimitur, multis clarus virtu- D tibus, signis atque prodigiis mundum illustrans universum, triplicem aureolam reportans, doctoris, virginis, & martyris. Hujus vita in legendis sanctorum diligenter invenitur expressa.

Floruit & RAYMUNDUS, juris speculum, decretalium compilator, quæ de mandato GREGORII. IX. ad studia universalia legenda destinantur.

Sed & HUGO cardinalis, qui totam Bibliam postillavit.

Magister JORDANUS sanctus & doctor ir- E refragabilis, multumque nobis fructificus. Quam profundus autem in scientia extiterit ejus scripta testantur.

Reverendus etiam pater M. BERENGARIUS doctor doctioribus comparandus, primo generalis ordinis, dein episcopus Compostellensis, vir utique in cunctis strenuus, in ipso ordine suo tempore floruit: sed & nunc in suis egregiis floret scriptis.

Venerabilis magister ac doctor solertissimus deinde episcopus Lodovensis magister BERNARDUS, qui quatuor speculi sanctoralis edidit libros, opus egregium, & alia multa fragranti stilo digessit.

Magister ULRICUS doctor præ multis in arduis quæstionibus allegatus, præfati ALBERTI magni discipulus, magistro haud degener.

VINCENTIUS speculator, qui omnem scibilem collegit scientiam studiosis perutilem.

HUBERTUS quoque doctor vernantissimus ac generalis ordinis, moralis valde.

Magister JOHANNES de Janua doctor scientificus, qui inter multa laudabilia etiam catholicon compilavit, opus ecclesiasticis perneccessarium.

Magister JACOBUS Januensis disertus doctor & floridus, qui legendam auream compilavit breviando opus compendiosum.

Dominus JOHANNES de Turrecremata reverendissimus Romanæ ecclesiæ cardinalis fere tuus contemporaneus, qui multum laboravit in nobis, plurimaque optima scripsit, inter quæ Summam quæ Flos theologiæ dicitur, in qua multa de dictis præcedentium doctorum congregavit in unum, quasi qui racemos colligit post vindemiatores. Quid ultra dicam? Deficiet mihi tempus, si vel exiguam portionem de multis recensere velim qui in isto sacro ordine floruerunt per orbem, quorum nomina sunt in libro vitæ.

FILIUS. Ultra quam credi potest, admiror valde hunc ordinem, dum eum mente contueor, velut quamdam arborem ramos suos ubique terrarum protendentem.

MATER. Arbor certe sublimis & fructifera super rivos aquarum plantata; seu vitis generosa, quæ vere extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumen propagines ejus.

FILIUS. Unum est in quo ordo iste videtur præcellere, quod videlicet ipsius professoribus & solis inquisitio fidei committitur, non aliis cujuscumque gradus, conditionis, vel ordinis.

MATER. Id certe magnum & decus singulare, & utinam ad hoc ipsum vigilent & intendant ad Christi gloriam, fidei exaltationem & animarum salutem.

FILIUS. Amen.

CAPUT XXXI.

De ordine fratrum Minorum & eorum sanctissimo legislatore B. Francisco.

MATER. Minorum ordo, qui vulgariter Cordigeri dicuntur, eodem tempore instituitur a sanctissimo & Deo digno FRANCISCO, primo in Italia, unde oriundus fuit. Vir iste singulariter extitit sanctissimæ paupertatis amator, humillimæ & abjectissimæ humilitatis ferventissimus æmulator, B. DOMINICI contemporaneus & sodalis, similis voti, ejusdemque propositi. Hic suis

ſequacibus, ut unanimem haberent formam vivendi, ſcripſit evangelicam regulam, quam domino INNOCENTIO papæ III. præſentavit. Sed cum differret illam confirmare, præſentia ſancti plurimum delectatus, tandem domino vocante obiit, & ſic per dominum HONORIUM III. ipſa regula approbatur, & ſacer Minorum ordo confirmatur anno MCCXVI. anno eodem ſcilicet, quo & Prædicatores, ſex tamen menſibus poſtea. Hi duo divini verbi ſatores DOMINICUS & FRANCISCUS cum gente ſua mirabilem fructum in Chriſti regno ac noſtro fecerunt. At quoniam prius de Prædicatoribus aliqua diximus, nunc de Minoribus pauca dicamus. Et primo vir iſte ſeraphicus FRANCISCUS Italicus incomparabilis fervoris, ac ſummæ perfectionis, paupertatis evangelicæ quaſi quoddam ſpeculum & exemplar perlucidum fuit. Multis quoque & magnis in vita & poſt mortem claruit miraculis: inter quæ illud ſingulare eſt, ſummum, mirabile atque ſtupendum, quod dum ſemel oraret, & præ nimio fervore totus arderet intus amore & compaſſione CHRISTI Jesu Crucifixi, ſupra ſe ſeraphim crucifixum aſpexit, qui crucifixionis ſuæ ſigna ſic ei evidenter impreſſit, ut crucifixus videretur & ipſe. Conſignantur quippe manus, pedes, & latus crucis caractere, ſed diligenti ſtudio ab omnium oculis ipſa ſacra ſtigmata abſcondebat. Quidam tamen fratrum hæc in vita viderunt, ſed in morte plurimi conſpexerunt.

FILIUS. Privilegium ſingulare certe, & geminæ dilectionis indicium, quod videlicet ardenter diligeret Chriſtum, & quod ab ipſo viciſſim plurimum amaretur.

MATER. Sanctus iſte certe fuit velut arbor magna, ſublimis & condenſa, ramos ſuos uſquequaque protendens, quæ quot ſanctos protulit, quaſi tot ramos emiſit. Et ut ad ipſorum quoſdam decerpendos veniamus, in primis aſſumendus videtur doctor devotus, ceteros, ut æſtimo, ſcientiæ profunditate, ac vitæ ſanctitate præcellens, S. BONAVENTURA, alias EUSTACHIUS dictus, qui vitam ipſius patris ſui S. Franciſci luculenter digeſſit. Fecit quoque ſuper libros ſententiarum opus egregium atque mirificum. Edidit etiam librum qui Stimulus amoris dicitur, in quo libro quantum Chriſtum dilexerit, quamque profundæ humilitatis extiterit evidenter apparet. Scripſit & alia multa tam religioſis quam etiam ſcholaſticis valde utilia, quorum quædam legiſti non dubito. Fuit hic primo generalis ordinis miniſter, deinde aſſumtus eſt in Romanæ eccleſiæ cardinalem & epiſcopum Albanenſem. Sed heu! defungitur apud Lugdunum nobiliſſimam Galliæ urbem, zelo invidiæ intoxicatus, ut fertur, futurus papa omnium judicio, ſi viviſſet. Nuper autem fuit canonizatus a Sixto papa IV. moderno. Sed & hoc de eo mirabile fertur, quod dum elevaretur corpus ipſius, lingua inventa fuit integra & incorrupta, cum tamen centum annis & ultra jacuiſſet in pulvere.

NOTA.

Floruit in hoc ordine veluti candens lilium S. LUDOVICUS filius regis Siciliæ, qui contemto regni temporalis faſtigio, frater Minor de magno factus eſt. Hic poſtmodum contra votum, ob famam ſanctitatis, in archiepiſcopum Toloſanum eſt aſſumtus, & tantæ excellentiæ extitit & apoſtolicæ perfectionis, ut octo mortuorum legatur fuiſſe ſuſcitator, aliis quamplurimis miraculis clarus.

Fuit & alius ſanctus, & hic præcipuus S. ANTONIUS de Padua dictus, primo regularis canonicus, deinde, ut operi ſanctæ prædicationis apcius poſſet inſiſtere, Minor ordine factus eſt, magnus meritis manens. Hic acerrime contra hæreticos prædicavit, eoſque confutavit, valenterque coercuit, ſitiens pro Chriſto mori, ſi tamen ita ille diſponeret; & ſic non dubium quin martyr extiterit, & ſi non effectu, tamen affectu.

De iſto melliſluo ordine fuit NICOLAUS papa IV. antea frater HIERONYMUS dictus. Inde ſuccreſcens & gradu & merito, factus eſt primo generalis ordinis, inde cardinalis, poſtmodum papa. De quo illud fertur memoria dignum, quod cum mater pauper Romam ad videndum filium, ad papatus culmen evectum, adveniſſet, & ab hoſpita, honeſtis veſtibus mutuatis, ante papæ conſpectum cum filia ſua adducta fuiſſet, noluit eam in tali pretioſo ac mutuato habitu cognoſcere, dicens ſe non divitis, ſed pauperculæ cujuſdam matris filium. Quo audito, mox veſtes mutuatas abjecit, aſſumtiſque propriis vilibus ac reſarcitis, a filio agnoſcitur, amplexatur & deoſculatur, & eidem pro ſua ac ſororis ſuſtentatione redditus ſatis tenues delegavit: non quibus diteſcerent, ſed tantum mendicitatem vitarent, ſacrilegium ducens de Chriſti patrimonio, quod pauperum fore conſtat, ditare parentes. Volumus, inquit, eis ſic dare, ut non egeant, non tantum ut inde ſuperbiant.

NOTA.

Hujus quoque ordinis membrum digniſſimum primum fuit, deinde orbis totius caput SIXTUS papa IV. modernus. Prius dicebatur frater FRANCISCUS de Savona prope Januam, vir bonæ famæ ac morum, prius doctor, poſt generalis ordinis, inde cardinalis ipſo ignorante factus, ſtatim evehitur ad ſummum noſtri ſtatus faſtigium, & præfuit annis XII. Anno autem ſui pontificatus primo, BERNARDUS orator Venetus recitavit coram ipſo, quod Turcus de novo abſtuliſſet Chriſtianitati duo imperia, quatuor regna, viginti provincias, & ducentas urbes, populumque abſque numero utriuſque ſexus, hortabaturque, ut ad reſiſtendum ſe diſponeret.

Floruit inſuper ac redoluit ut roſa noviſ-

simis temporibus istis S. BERNARDINUS, vir adeo sanctus, sanctæque paupertatis zelator, atque omne in humanis sublime ita propter regni cœlestis fastigium promerendum perhorrens, ut tres episcopatus vicissim oblatos contemneret. Hic, ut fertur, & ut alias, non dubito, publice prædicari audisti, parvulum cujusdam sui devoti filium, a funere jam cum Christo regnans revocavit.

FILIUS. Hoc me, Mater, recolo Parisius in prædicatione audisse M. JOHANNIS BARTHOLOMÆI doctoris, qui etiam asserebat puerum se vidisse, quem pater asserebat meritis sancti a morte suscitatum. Erat autem, si bene recolo, idem vir Italicus. Sed & quamplura tam in vita quam etiam post mortem ipsius sancti meritis Christus patravit miracula, quæ causa brevitatis videntur necessario omittenda.

MATER. Fuit & alius quidam de ipso sancto ordine magister JOHANNES SCOTUS, doctor subtilis, excellentissimis merito comparandus. Hic multum dilexit honoravitque Virginem dignissimam Christi matrem, eamque absque macula originalis culpæ conceptam fuisse valenter defendit, prædicavit, ac docuit, atque contra oppositum astruentes constanter se opposuit, & irrefragabilibus rationibus convicit, quamvis nonnulli etiam postmodum contrarium dogmatizare moliti sunt.

FILIUS. Æstimo, Mater, quoniam quæstione ipsa satis difficili in Basilienſi concilio ventilata, & cum matura venerabilium patrum deliberatione diffinita & declarata, non ultra persistent in sua sententia.

MATER. Stultum esset valde & præsumtuosum, cum per orbem universum nostrorum universitas filiorum inconcusse teneat ac firmiter credat eam semper mundissimam extitisse, nec umquam ullam seu originalem seu actualem contraxisse culpam. Quod si contrarium verum esset, de ipsius conceptione festum non fieret. Quod autem de ipsa festum fieri debeat miracula super hoc manifestata declarant.

FILIUS. Efficax sane & irrefragabilis probatio & prorsus invincibilis assertio est, si quod homo per rationes probat, per prodigia Deus confirmat.

CAPUT XXXII.

De eodem Minorum Ordine.

QUoniam pauca de sancto & vere beato BERNARDINO prælibavimus, subito venit in mentem ut adhuc pauca ipsius gesta narremus, quæ videntur merito non omittenda. Et primò noveris virum istum sanctum, cui Dominus linguam dederat eruditam, multos per devia vitiorum oberrantes, ad rectitudinis tramitem reduxisse sanctæ prædicationis alloquio, necnon justæ operationis exemplo. Cumque diu laudabiliter sibi a Christo injunctum exercuisset sanctæ prædicationis officium, jamque tempus immineret, quo pro tantis laboribus mercedem a Domino percipere deberet, in ultimam decidit ægritudinem. Cumque ingravescente languore, morti, quæ cunctis debetur mortalibus, propinquasset, vigilia Dominicæ Ascensionis advenit. Cumque vir Deo devotus, quod ad tanti festi vesperas ex more solemni cum aliis fratribus ad ecclesiam ire non posset, doleret; in cella ecclesiæ contigua lecto decubans, assistente sibi fratre ad servitium deputato, earumdem vesperarum cantica dulcisona auscultabat, ut poterat. Cumque ad *Magnificat* pulchra illa antiphona, scilicet *Pater manifestavi, &c.* in choro altisonis vocibus decantaretur a fratribus, jacens in lecto oculos cum manibus erigens ad æthera eamdem antiphonam cum lacrymis inchoans, totis præcordiis suspensus in Deum, ita dixit: *Pater manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi, nunc autem pro eis rogo, non pro mundo, quia ad te vado.* Quo dicto feliciter migravit ad Dominum.

FILIUS. Bonæ vitæ felix consummatio! Hujus, ut æstimo, contemporaneus fuit S. VINCENTIUS de ordine fratrum Prædicatorum, qui multum & ipse laborando fructificavit, & fructificando laboravit, fructumque copiosum in horrea cœlestia condidit. Et hic quidem in oris Britanniæ, ille vero in partibus Italiæ, velut duo astra rutilantia populos illuminando ab errorum tenebris ac vitiorum condensa caligine eduxerunt. Tandem uterque beata morte functus est miraculis clarus.

MATER. Floruit etiam in hoc S. Francisci ordine doctor excellens dotibus multis, magister NICOLAUS de Lyra, qui multum fructificavit in nobis, multaque laudabilia scripsit posteris profutura, & signanter totam Bibliam postillavit, ac juxta sensum litteralem egregie ac utiliter exposuit. Opus profecto magni laboris ac vigiliarum.

FILIUS. Hic certe multum venustat plurimumque decorat nostram non solum nationem, sed etiam diœcesim. Extitit enim natione Normannus, Ebroicensis diœcesis, natus oppido cui Lyra vocabulum est, unde & nomen accepit; receptus autem & professus in ordine Minorum in conventu Vernolienſi, deinde Parisius missus ad studium, sic in studio profecit, ut appareret cunctis studiosis sua scripta legentibus.

MATER. Fuit nihilominus & alius ejusdem nationis hujus ordinis professus, postea doctor venerabilis, magister ALEXANDER de Villa-Dei, qui multa utilia in diversis facultatibus scripsit. Inter quæ doctrinale grammaticum, pueris perutile ad grammaticæ rudimenta concipienda. Etiam hujus ordinis

membrum honorabile fuit M ROBERTUS de Licio, qui paucis elapſis annis diem clauſit extremum. Hic primum doctor in ſacra pagina & rhetor vernantiſſimus, multa edidit ſermone venuſto valde, inter quæ ſermones de adventu & quadrageſima perutiles volentibus in virtutibus proficere. Sed & de timore divinorum judiciorum opus ſingulare. Propter quæ omnia fidem ſanam moreſque catholicos redolentia, ſed & ob meritum ſanctæ vitæ, tam Deo quam hominibus acceptus & gratus, aſſumtus eſt in epiſcopum Aquinenſem, ut lucerna jam dudum refulgens, poſita ſuper candelabrum nitidius reluceret. Credo quod ejus ſermones habueris atque perlegeris: nempe ſcio te illos dudum optaſſe, & ad eos habendos avidiſſime aſpiraſſe.

FILIUS. Verum eſt, Mater, quod aſſeris. Nam & illos habui & habeo, in quibus miratus ſum valde tantam in homine mortali facundiam: valde quippe diſerte loquitur, ſatiſque mihi ſapit ejus eloquium.

MATER. Fuit & alius magnis annumerandus doctor & ipſe profundiſſimus in theoricis conceptibus, M. ALEXANDER de Hallis, qui multa ſcripſit ſtudentibus utilia quamplurimum, & ejus fama doctrinæ Pariſius & alibi celebris habetur.

FILIUS. Certe, Mater, dum tot ac tantos viros commemorando recenſes, ſtupeo non minime, audiens in mortalibus tanta mirabilia atque in vaſis luteis tam pretioſa mercimonia.

MATER. Noveris quod pauciſſimos commemoravi de multis, quamvis forteſſis hi de præcipuis. Hoc autem æſtimare me putes, nullum de quocumque ordine citius ad culmen ſcandere ſanctitatis, quam hujus ordinis profeſſores, dummodo ſui vere ſancti patris FRANCISCI veri & perfecti fuerint imitatores. Et hoc propter profundiſſimam humilitatem, quæ ad hoc ipſum neceſſario requiritur, quia nullus pervenire poteſt ad faſtigium ſanctitatis, niſi prius ejus cor figatur in radice humilitatis: & ſi qui in illo ſeu aliis ordinibus parum proficiunt vel etiam deficiunt, firmiter teneas & nullatenus dubites, hoc maxime provenire defectu hujus ſanctæ virtutis.

FILIUS. Hoc ita fore, ut aſſeris, honoranda Mater, non dubito, quia ita ſemper per Dei gratiam & ſenſi & ſentio.

CAPUT XXXIII.

De quatuor ſimul ordinibus Mendicantium, & de renovato ordine Cruciferorum.

MATER. Igitur quatuor ordines Mendicantium, videlicet Carmelitarum, Auguſtinenſium, Prædicatorum & Minorum, haud dubium quin a Chriſto Domino & ſponſo noſtro pie, miſericorditer ac ſalubriter ſint ordinati nobiſque donati, & ad noſtram conſolationem noſtrumque ſubſidium, qui videlicet hæreticis inimicis noſtris ſe opponerent, ac lucris animarum indefinenter inſtarent. Nam & ipſi ſupplent negligentiis prælatorum & curatorum, prædicando & exhortando fideles, aliaque quæ ipſi prælati quidam aut negligunt aut neſciunt, aut non poſſunt ipſis fidelibus miniſtrando. Attamen multum cavendum eſt ipſis prædicatoribus Mendicantibus, ne ſibi conceſſa abutantur poteſtate, ne vel prælatos ipſos ſeu curatos deſpiciant, vel indiſcrete obloquantur de ipſis apud ſubditos, & inde oves exoſos paſtores habeant, & paſtores oves odiant, earumque curam minime gerant, & ſic ſuffocentur ab infernalibus lupis ducanturque in tartarum.

FILIUS. Magna privilegia habent hi ordines, ut dicunt; & id credendum eſt, alioquin non tolerarentur ab epiſcopis aliiſque prælatis.

MATER. Privilegium meretur amittere qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate. Utantur igitur miſericorditer conceſſo privilegio, ne merito digni ſint privari eo. Non prætergrediantur ſibi ſtatutos limites, nec quicquam ultra conceſſam poteſtatem attentent: ſin autem, unde deberent ſperare præmium, pavere debent grave ſupplicium. Debent igitur priores & prælati eorumdem Mendicantium tales perſonas non magis eligere, epiſcopiſque noſtris præſentare, qui idonei ſint catholicos inſtruere, verbo & exemplo ædificare, qui vita, ſcientia, famaque præpolleant, qui ferventes ſint in fide, accenſi caritate, ardentes æmulatione, qui non propter quæſtum, ſed propter animarum lucrum officium prædicationis exerceant. Si enim aut avaros, aut turpe lucrum ſectantes, aut inſcios, leves, laſcivos, aut diſcolos ad prædicandum dirigunt; procul dubio ſe ſuumque ordinem non parum ſcandalizant, & oves Chriſti quas ſalvare debuerant, & ad ſummi paſtoris ovile reducere, perdunt & necant: unde non ſolum ipſi, ſed & qui eos miſerunt, una cum ipſis ovibus ad inferni clauſtra deſcendunt in perpetuum cruciandi. Non eſt itaque dubium, quin quatuor iſti Mendicantium ordines approbati ſint, & a noſtris ſummis paſtoribus confirmati, ſignanter ab HONORIO III. qui bene Honorius dictus eſt, quoniam multos honoravit. Præpoſuit tamen Prædicatores Minoribus, quoniam, ut ſupra dictum eſt, ſex menſibus ante ipſos fuerunt confirmati, & a nobis approbati.

Fuit etiam hujus HONORII tempore ordo Cruciferorum renovatus, vel potius anno octavo decimo INNOCENTII III. qui fuit ultimus annus pontificatus ipſius & immediate præceſſit HONORIUM, jam devicta hæreſi Albienſium per crucefignatos. Fertur B. QUIRIACUM Hieroſolymorum epiſcopum, olim

hujus ordinis primicerium fuiſſe ſtatim poſtquam B. HELENA ſanctam Crucem invenit, ſed JULIANUS apoſtata eumdem QUIRIACUM cum fratribus interemit, & ſic hic ordo longo tempore abolitus eſt. Tempore autem INNOCENTII IV. apud Lugdunum crevit, & privilegiis dotatus eſt ab eodem.

Tempore autem GREGORII IX. qui præfato ſucceſſit HONORIO, Frigia pene tota ſubmergitur a fluctibus maris, quibus perierunt plus quam centum millia hominum propter irreverentiam factam reverendiſſimo Euchariſtiæ Sacramento a quodam nefario pugile, uti poſtmodum B. MARIA revelavit, & conſtructa eccleſia in eodem loco, ubi ſanctæ hoſtiæ ceciderant, mox ceſſavit quaſſatio.

Hac tempeſtate Tartari horribiliter Hungariam & Poloniam invaſerunt, & fuit ingens terror in Chriſtianitate, ſed precibus ſanctorum impediti ſunt ne ultra procederent.

FILIUS. Efficax certe pugnandi genus oratio, quæ quid agere nequit armata militia, valenter exercet in hoſtes, illos potenter dejiciens, & ſuos faciens triumphantes.

MATER. Poſt hæc tempora GREGORIO X. in ſede Petri digne præſidente celebratum eſt concilium apud Lugdunum egregiam Galliæ urbem, quingentorum epiſcoporum, quadraginta abbatum & aliorum prælatorum circa mille, in quo concilio Græci & quidam Tartari baptiſati ſunt.

Gens ſæva Tartarorum regnum Conſtantinopolitanum invadunt, multaſque terras imperii occupant, ſtragem indicibilem de Chriſtianis filiis noſtris facientes, quod certo nobis fuit immenſi cauſa doloris ingentiſque calamitatis. Tripolis quoque capitur a Saracenis, & Chriſtianitatis nomen ibidem deletur.

FILIUS. O miſeria! Chriſtiani ſe invicem atrociter perimunt, bellis inteſtinis ſeſe conſumunt, & gens impia & profana eorum fines, quos protegere debent, invadunt & conterunt; vaſtant & depopulantur; nec eſt qui vicem tuam doleat, Chriſti regnum tueatur.

*Laccon. MATER. Achos * illa fortiſſima, immenſa & inexpugnabilis civitas capitur a Soldano & Saracenis, propter diſcordiam vitiaque nationum in ea commorantium, & deleta fuit, & conſequenter, heu! tota terra ſancta occupatur a Saracenis, ob nefanda Chriſtianorum peccata ibidem commorantium. Vides, Fili, quanta infortunia, quanta mala, quantæ tribulationes, quantique dolores illis temporibus nos urgebant, videndo Chriſti nomen de terra ſancta & prope ſua deleri, Chriſtianos immaniter trucidari, Sacramenta conculcari, virgines opprimi, matronas violari, omneque facinus in Chriſti contemtum ab ipſis perpetrari. Nam & Achon civitate vaſtata, demum Deiferæ MARIÆ de Carmelo monaſterium, ad quatuor milliaria civitati vicinum, ab ipſis Turcis igne crematur, fratribus illic repertis crudeliter trucidatis: & tunc proh dolor! ordo Carmeliticus melliſluum locum a quo nomen ſortitus eſt, ex toto perdidit: quod quidem monaſterium a tempore Eliæ per duo annorum millia ducentos viginti & unum perſtiterat.

FILIUS. Vere, Mater bona, plurimum & ſæpenumero tribulata fuiſti & afflicta. Et certe recte tunc dicere poteras illud Pſalmiſtæ: *Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas.* Nam multis & quaſi innumeris caſtigationibus te erudivit ſponſus tuus.

MATER. Vere caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit me, immo ſæpe adjuvit me & conſolatus eſt me; ſpero quod ſemper & conſolabitur. Ipſi enim cura eſt de nobis.

FILIUS. Impoſſibile certe eſt, ut tui obliviſcatur, quam tanto pretio emit: aut quomodo morti te traderet, qui mortuus eſt pro te, ut viveres in æternum, aſſumendo te in ſponſam glorioſam, mundans te, ut ait apoſtolus, lavacro aquæ in verbo vitæ?

CAPUT XXXIV.

De ſacerrimo ordine Cœleſtinorum & quibuſdam aliis.

MATER. Contra has calamitates poſtremo edictas ab ipſo glorioſo Domino ac ſponſo noſtro omni reverentia dignifſimo, ingens nobis collatum eſt ſolatium. Nam hoc tempore ordo ſacerrimus & vere cœleſtis, Cœleſtinorum ſcilicet, laudabilem ſumſit originem ſacratumque principium per virum ſanctum PETRUM poſtmodum papam CÆLESTINUM V. qui vere ſanctus fuit, vita famaque percelebris. Ob hoc cum per annos duos cum dimidio ſine capite, id eſt ſine paſtore fuiſſemus, cardinales concordare non valentes, ut ſæpe contigit, ipſum tandem de eremo vocantes, in papam elegerunt, & ſtatim propter importabile ſibi onus, ordinatione prius facta quod papa poſſet cedere, papatui ceſſit. Et cum ad dilectam ſolitudinem, & ad fratres & filios quos reliquerat redire cuperet, a ſuo ſucceſſore BONIFACIO prohibitus eſt, ne ſcilicet oriretur inde ſeditio contra ipſum, & ab eodem in cuſtodia detinetur: ibique aliquot annis detentus, tandem obiit feliciter, multiplices patientiæ manipulos reportans.

FILIUS. Revera multum ſibi neceſſarium fuit antemurale patientiæ contra multiplices diverſarum tentationum inſultus. Non mediocris enim, ut æſtimo, illa tentationis procella extitit, cum ille, qui ſummus omnium fuerat, ſanctus & innocens, tamquam malefactor detinetur incluſus, & ab eo qui

quondam ſibi ſubjectus, ad hoc culmen, niſi eo cedente, non perveniſſet.

MATER. Omnia ſuſtinuit propter ſpem quam habebat repoſitam in cœlis. Recordabatur enim ſæpe apoſtolicæ ſententiæ qua dicitur: *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Ab hoc itaque ſanctiſſimo papa CÆLESTINO ordo ſacer hic cœleſtis & nomen & ortum pariter eſt ſortitus. Hic beatus vir canonizatus eſt poſtmodum per CLEMENTEM V. tamen ſub nomine PETRI, quia dum papatui ceſſit, ſimul alterato nomine caruit. Ejus feſtum quarto decimo calendas Junii ſolemniter recolitur apud multos, maxime apud ſuos. Claruit autem in vita pariter & in morte, ſed etiam poſt mortem magnis & prodigioſis miraculis. Suum autem ordinem inſtituit ſub regula B. BENEDICTI, quibuſdam cum diſtincto habitu arduis ſatis conſtitutionibus aſſumtis, quæ hunc faciunt ab aliis ordinibus differentem. Hic ordo numquam a ſuo propoſito cecidit uſque hodie: nempe præfati ſancti patris BENEDICTI regulam, quam a principio aſſumſerunt, inviolabiliter obſervant. Carnibus non utuntur niſi in articulo gravis infirmitatis, ſi tamen hoc a medicis conſulatur; alioquin, ſi ex infirmantis concupiſcentia quærantur, denegantur omnino. Habuit hic ordo cœleſtis quamplurimos viros ſanctos magnæque excellentiæ patres, prudentes, doctos & eruditos atque litteratos, qui multa arduа, profundo ſenſu, myſtico intellectu ac devoto affectu ediderunt, atque conſcripta poſteris profutura tradiderunt. Hujus ordinis devotiſſimi patres divinis exercitiis intenti, ſemper orant aut legunt, meditantur aut ſcribunt, divinæ etiam ac theoricæ contemplationis haud inertes, cœleſtibus crebro interſunt ſecretis, ſed & aliis religioſis laboribus alternatis vicibus ac certis horis inſudantes; inſiſtunt alii hortulis fiendis, oleribus tranſplantandis aliiſque leguminibus; alii arboribus inſerendis, vineiſque colendis humiliter, obedienter, ac delectabiliter mancipantur: quidam libris ligandis, alii emendandis ſeu corrigendis inſiſtunt. Hi cœlici patres angelis & hominibus bonæ voluntatis multum amabiles, hujuſmodi piis exercitiis, Deo cooperante, infatigabiliter intendunt. Nulla in cujuſquam corde ſuperbia, nulla in ore jactantia, nulla in habitu curioſitas, nulla in geſtu levitas, nulla in actu vanitas, ſed in cunctis religioſa ſplendet honeſtas atque maturitas. Nullus in corde rancor, in nullo invidiæ livor, in nullo furentis luxuriæ fervor. Non inter eos pompa jactantiæ, non rubigo avaritiæ, non fermentum malitiæ, non iniquitatis zelus, non duplicitatis nævus, non fraudulentiæ dolus; ſed in ſingulis religionis vernat decor venuſtus. Ibi Dei & proximi amor ſincerus, ibi dilectio ſine ſimulatione, caritas ſine tepore, fervor abſque torpore, gaudium ſine tædio, lætitia ſine faſtidio.

NOTA.

FILIUS. O ſanctiſſimus ac Deo gratiſſimus cœloque digniſſimus ordo! Dum enim hujus ordinis præconia audio te narrantem, nihil aliud intueor in his, quam quoddam futuræ vitæ ſimulacrum, quam cœleſtis patriæ pacificum ſtatum, concordiæque ſpeculum, & utinam perſeveret uſque in finem de bono in melius proficiendo, & de virtute in virtutem aſcendendo, ut tandem ipſius profeſſores Deum deorum in Sion, hoc eſt in ſpeculatione ſuperna, poſſint perpetuo contemplari.

MATER. Amen. Et ſi quid eſt in aliquibus imperfecti, ſuppleat caritas perfectorum, quæ revera operit multitudinem peccatorum.

FILIUS. Bene: nempe *caritas*, ut inſit apoſtolus, *patiens eſt, benigna eſt.* Patiens eſt, ait Gregorius, ut aliena mala toleret: benigna vero, ut etiam quos portat amet.

CAPUT XXXV.

De quibuſdam perfidis ſectis.

NOn longo poſt tempore iterum conſurgit calamitas, furit impietas, ſævit impunita nequitia, ſanctæ ſimplicitati prævalere nititur malitia. Nam pauperes de Lugduno qui ſe dixerunt de tertio ordine S. Franciſci, tamquam hæretici damnati ſunt & combuſti pluribus locis & vicibus cum ſuis articulis erroneis, quorum unus fuit, Quod Chriſtus & apoſtoli nihil habuerunt in proprio vel in communi, & quod nullum jus habuerunt in his quæ ſcriptura dicit eos habuiſſe.

FILIUS. Miranda valde perverſitas horum laïcorum illitteratorum, hebetum & inertium, qui arcanum fidei inveſtigare aggrediuntur, præſumentes intrare in ſancta ſanctorum, panem filiorum non ſibi porrectum ſed e parvulorum manibus violenter abreptum devorare nituntur; qui tamen juxta prophetam convertitur eis in fel draconum intrinſecus, & ipſas quoque cœleſtis theſauri tamquam porci ſpurciſſimi pollutis veſtigiis margaritas calcare atque contaminare nituntur.

MATER. Begardi quoque multi combuſti ſunt Pariſius propter hæreſim horum pauperum de Lugduno, quia ſub ſpecie boni ſuſcitare mala nitebantur. Et MICHAEL generalis miniſter Minorum fuit cum ſuis adhærentibus probatis hæreticus. Numerus combuſtorum tam de eorum ordine quam aliorum centum quatuordecim.

FILIUS. Vere hi miſerabiles, qui cum temporali miſeria miſeriam mercati ſunt perpetuam.

MATER. Non multo poſt tempore ordo novorum militum Chriſti conſtituitur in Portugalia per JOHANNEM papam XXII. contra

tra Sarracenos Chriſtianitatem vaſtantes, & valde neceſſarium erat & eſt propter feroces incurſus ipſorum, & maxime Turcorum, qui odio nominis Chriſti Chriſtianis nimis ſunt infeſti. Nec tamen multum eſt mirandum, cum & ipſi qui Chriſtiano nomine cenſentur, per diverſas ac multiplices hæreſes Chriſti tunicam nuſquam conſutilem, quam neque ethnicus ſcindere præſumſit, penitus conantur abrumpere. Mox quippe poſt ſurrexerunt anno videlicet MCCCLI. Cruciflagelliatores. Hæc ſecta peſtifera ſurrexit in ſuperiori Almannia, & ad inferiorem deſcendit; demum ad has Gallicanas oras devenit. Confluebant hujuſmodi ex diverſis nobilibus & innobilibus, doctis & indoctis, diverſorum ordinum, ætatum, conditionum, & ſexuum. Flagellabant autem ſe cum flagellis nodoſis acubus inſutis; & niſi papa inhibuiſſet, multa mala attentaſſent. Tempora illa valde periculoſa fuerunt propter hæreſes & ſectas plures perverſas a veritate exorbitantes; & ſuperbia & iniquitas, ſimulatio & hypocriſis nimis invaluit: unde in libro B. BRIGIDÆ primo, cap. XLV. dicitur, quod ſecundum rigorem juſtitiæ, mundus merito deberet perire, quia pejor eſt quam tempore diluvii, ſed precibus ſanctorum miſericordia parcit ei. Hæc S. BRIGIDA vidua perfectiſſima de regno Sueciæ fuit, clara virtutibus multis, & immenſas a Deo revelationes habuit informativas ad omnem ſtatum noſtrum. Ordinem quoque inſtituit, cujus ipſa patrona eſt; tandem obiit coruſcans miraculis glorioſis, ad gloriam Chriſti Domini noſtri & ipſius commendationem, cujus feſtum agitur XXIII. Julii.

FILIUS. Honoranda Mater, magnum eſt quod aſſeris de hac ſancta vidua, multas ſcilicet habuiſſe revelationes de omni ſtatu tuo: quæ revelationes cum veræ ſunt, haud dubium quin ſint genus quoddam prophetiæ: cum vero falſæ, nihil aliud quam illuſiones diabolicæ. Hinc eſt quod multi ſæpius inde decepti fuerunt, quos cum a ſpiritu erroris contigiſſet illudi, a Deo ſe putabant per revelationes viſitari. Unde legiſſe me memini, quod in illis de quibus loqueris diebus, fuit quidam JOHANNES de Rupe-ſciſſa dictus, Minor ordine, qui etiam multa prædixit quaſi mox eſſent futura, videlicet de duobus antichriſtis, & de deſolatione terrarum & generali conculcatione cleri, & deinde de reductione totius orbis ad Chriſti fidem, pluraque alia ante annum Domini MCCCLXX. quæ dixit ſibi a Domino revelata, ſed non evenerunt in tempore præfinito, ſed nec uſque hodie quo hæc ſcribuntur, qui eſt MCCCCLXXXIX. vigilia beatiſſimi Nicolai.

MATER. Si non evenerunt, ergo nec veræ revelationes fuerunt, nec a Chriſto, qui eſt vera veritas, revelatæ. Nam qui mendacium loquitur, de proprio loquitur. Ait enim pro-

A pheta: *Omnis homo mendax*, hoc eſt a ſe mendacium habet, veritatem a Deo.

FILIUS. Diu in vinculis detentus fuit, & multa ſcripſit de futuris. Vereor ne fictitia, aut certe illuſoria, illudens hominibus, prius ab hoſte deluſus ipſe.

MATER. Notare te ſummopere cupio, Fili, quod pene ab initio fidei hujuſmodi prænoſticatores fuerunt, & quotquot tempus determinatum præfixerunt de hujuſmodi arcanis, quæ Pater cœleſtis poſuit in ſua poteſtate, decepti ſunt; & ideo non eſt his revelationibus fides amplius exhibenda. Nec B in hoc divina gratia, quæ ubi vult & quando vult ſpirat, contemnitur; ſed contra hoſtis aſtutias cautela adhibetur.

FILIUS. Experientia rerum magiſtra. Claret igitur quod dum illa per experientiam cernimus nequaquam evenire quæ a talibus prædicta ſunt, quod non a bono ſpiritu revelationes habuere, ſed a maligno potius deluſos extitiſſe.

CAPUT XXXVI.

C *De Ordine Salvatoris, qui S. Brigidæ vulgariter dicitur.*

ORdo Salvatoris, qui vulgariter dicitur S. BRIGIDÆ, circa hæc tempora inchoatur; cujus regulam, quod permagnificum eſt, ipſemet Salvator dictavit, ipſaque B. BRIGIDA ab ipſo Salvatore ad URBANUM V. directa fuit pro confirmatione ipſius regulæ, quatenus poteſtate ab ipſo nobis collata approbaretur, & in unione capitis & corporis compage ſervata, caritas commendaretur, & unitas non ſcinderetur.

D FILIUS. Multum tibi defert, Mater veneranda, amantiſſimus ſponſus tuus Dominus noſter JESUS-CHRISTUS, qui quod per ſe facit, approbationi nihilominus tuorum vicariorum committit. O magna Chriſti dignatio magnaque eccleſiaſticæ unitatis commendatio! ingens Chriſti humilitas, ingens etiam tua dignitas, cum tibi examinanda committuntur, quæ ab ipſo ſponſo tuo, qui æterna ſapientia eſt, poteſtative conduntur. De ipſa quippe ſapientia æterna, quæ Chriſtus eſt, dicit Sapiens: *Attingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.*

E MATER. Fuit & hiſdem temporibus CATHERINA de Senis virgo ſanctiſſima fervoriſque incomparabilis. Habuit etiam ſecum ſanctam virginem CATHERINAM filiam præfatæ S. BRIGIDÆ & alias plures utriuſque ſexus perſonas venerabiles valde. Hæc incredibilis fervoris fuit circa amorem Crucifixi, & incomparabilis pietatis erga perditos & de ſalute deſperantes. De ſchiſmate peſſimo, quod per annos XL. extitit protelatum, prophetavit atque prædixit, & multum juſtificavit

partem URBANI VI. contra quem electus fuit dominus ROBERTUS de Gebennis, & dictus eſt CLEMENS VII. dixitque ſancta virgo eumdem URBANUM fuiſſe verum papam.

FILIUS. Non infima fuit juſtificatio partis hujus URBANI, quæ a tanta virgine, in qua indubie Spiritus-ſanctus loquebatur, habere meruit teſtimonium. Et ſi hujus electio canonica; ergo & ceterorum, qui durante ſchiſmate electi ſunt ab illa parte ſucceſſive poſt ipſum; videlicet BONIFACIUS IX. INNOCENTIUS VII. GREGORIUS XII. Electi vero parte ex altera poſt CLEMENTEM præfatum; ſcilicet BENEDICTUS XIII. CLEMENS VIII. ALEXANDER V. & JOHANNES XXIII. nullum jus prorſus mihi videntur habuiſſe in papatu, nec vere papas, ſed magis antipapas ac monſtra portentoſa fuiſſe. Quapropter mirandum ſatis videtur, qualiter illud ſchiſma damnoſum tibi, ſcandaloſum clero, animabus pernitioſum tamdiu valuit perdurare.

MATER. Adeo perplexum fuit ſchiſma iſtud, ut etiam doctiſſimi & conſcientioſi viri non valerent diſcernere cui eſſet magis adhærendum. Faſtus quoque, ſuperbia & ambitio excellentiæ partes ad invicem inflexibiles fecit, una alteri nullo pacto cedere conſentiens. Pernitioſi quoque conſiliarii partis infirmioris, qui etiamſi perpenderent lucide ejuſdem cauſæ jus infirmum, citius tamen damnari eligerent quam flecti. Animoſitas quoque cervicoſa cedere etiam agnitæ reſpuit veritati. Addo autem & illud, quia fere omnes plus juſto privato amore ſe diligunt, effrenateque ſeu decus ſeu perfectum per fas atque nefas tueri nituntur. Non longe pergendum eſt ad id probandum: ad epiſcopos tuos * te mitto, quorum alter etſi jus norit alterius, ſibimet tamen quodammodo abſcondit, oculoſque cordis claudit, ne videat æquitatem, neque recordetur judiciorum Dei juſtorum.

* Sagienſes ſcilicet.

FILIUS. Veriſſima ſunt, Mater, quæ aſſeris, ſicque perſpicua, ut nullus rationis compos eis valeat contradicendo repugnare, ſeu repugnando contradicere.

MATER. Sub hoc pernitioſo ſchiſmate ac nimis damnoſo virgo veneranda CATHERINA in noſtris magnis afflictionibus ſupramodum attrita, & quodammodo martyr effecta, ad extremam horam veniens, Chriſto vocante, mundicolas liquit adiendo celſa polorum, ubi cum eodem regnabit in ſæcula ſæculorum.

FILIUS. Vere eam, bona Mater, martyrem dixiſti, quia quamvis percuſſoris gladius ejus ſanguinem non fuderit, quia tamen per multiplices tribulationum torrentes tranſiit, martyrii triumphalem palmam non amiſit.

MATER. Demum etiam pendente hoc ſchiſmate, BONIFACIO & BENEDICTO inter ſe certantibus, ne quid deeſſet tribulationibus noſtris, ſurrexit contra nos alia hæreſis peſſima & perverſa a tribus peſſimis hæreſiarchis excogitata, videlicet JOHANNE WICLEFF in Anglia, & JOHANNE HUS in Bohemia, & HIERONYMO DE PRAGA. Et hæc hæreſis multos infecit, & ſub veſte ovina lupum tegentes, totum noſtrum ſtatum ſubvertere moliebantur.

FILIUS. Adjuvit, non dubito, multum eorum nequitiam tempus peſſimum propter nimium ſcandaloſum ſchiſma.

MATER. Verum eſt quod aſtruis. Nempe cum ſtatus noſter ſcinditur, & eccleſia dividitur in capite, mox totum corpus infirmatur, ſecundum illud: *Si caput infirmum, omnia membra dolent.* Sed & ſtatim poſt hanc hæreſis Adamitarum pullulare cœpit in Bohemia, ſed ſtatim extincta eſt ab aliis hæreticis, ſcilicet Huſſitis. Erat ſiquidem groſſa nimis & inverecunda. Nam hi miſeri inceſtuoſi & impudici ac prorſus beſtiales, nudi incedebant, & indifferenter cum feminis luxuriabantur.

FILIUS. O pudor! ô dedecus & prorſus inſania beſtialis! homo certe cum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Verum, honoranda Mater, quoniam de ſchiſmate mentio incidit, vellem libenter a te audire, quot fuerunt ſchiſmata a tempore PETRI, ab exordio ſcilicet tui uſque ad iſtud quod peſſimum extitit, quia longiſſimum.

MATER. Libenter id faciam. Expedit enim, nam cum noſtras cœperimus pandere calamitates, hoc quod poſtulas, nullatenus omittendum, cum inter maximas ſit tribulationes numerandum, quod noſtri ſtatus integritas contigit per ſciſſuras dividi, ac Chriſti tunicam per ſchiſmata laniari. Et ut noveris, tria fuerunt quæ nos graviter afflixerunt, gladius perſecutorum, perfidia hæreticorum, ſcandala ſchiſmaticorum.

FILIUS. De duobus primis jam competenter tractatum fuiſſe exiſtimo, de tertio, ſi libet, reſtat dicendum.

MATER. Noveris igitur viginti tria ſchiſmata in Romana ſede contigiſſe, quæ nobis fuerunt immenſi cauſa doloris, & hæc ſequentibus capitulis tibi pandam.

CAPUT XXXVII.

De Schiſmatibus in Romana ſede contingentibus.

MATER. Primum ſchiſma contigit inter CORNELIUM ſanctum verum papam & NOVATUM, qui ſe pro papa tenuit, quamvis non eſſet, immo quod deterius eſt ambiendo papatum factus eſt hæreticus, & de ejus hæreſi habes ſupra lib. 3. c. 10.

Schiſma ſecundum fuit inter LIBERIUM & FELICEM papam Arrianos, quibus favebat LIBERIUS, & ideo tamquam hæreticus a Ca-

tholicis eſt dejectus, & FELIX in papam aſ- A ſumtus. Et hic LIBERIUS dicitur primus papa infamis fuiſſe. Nam omnes ejus deceſſores ſancti fuerunt numero triginta ſex.

Schiſma tertium fuit inter BONIFACIUM primum & EULALIUM. Cauſa extitit diſcordia eligentium, ſed obtinuit BONIFACIUS, quia major & ſanior pars erat ſecum.

Schiſma quartum fuit inter SYMMACHUM & LAURENTIUM. Cauſa fuit diſcordia eligentium, ſed SYMMACHUS obtinuit judicio concilii, in quo THEODORICUS rex perſonaliter fuit, ſed major pars erat cum SYMMACHO, ideo, &c. Deinde poſt annos quatuor ſurgit iterum altercatio in clero propter crimina B objecta SYMMACHO, & factum eſt ſchiſma quintum.

Schiſma igitur quintum factum eſt contra eumdem SYMMACHUM propter crimina gravia ſibi objecta. Sed cum eorum concilio ob id ſpecialiter congregato, SYMMACHUS juramento ſe purgaſſet de objectis, præſente rege THEODERICO, reſtituitur cum gloria, & LAURENTIUS, qui hujus altercationis videbatur incentor, juſto judicio damnatus fuit.

Schiſma ſextum fuit per LEONEM quemdam qui factus eſt papa per patrocinum Romanorum, ſed non ponitur in catalogo pon- C tificum, quia non fuit verus papa, propter malum introïtum & violentam intruſionem: tamen ſe geſſit pro papa annis duobus menſibus undecim.

Schiſma ſeptimum fuit inter SISINIUM & DIOSCORUM; ſed ſtatim Siſinio per mortem facto de medio, continuatur ſchiſma inter BONIFACIUM & DIOSCORUM. Tandem mortuo Dioſcoro, qui per vim papatum tenebat, BONIFACIUS reſtituitur, nec ſit de his memoria in catalogo pontificum, quia forte propter ſchiſma in dubium venit an eſſent veri ſucceſſores PETRI. Et fuit nobis tunc tribulatio maxima undique, foris pugnæ, intus D timores.

Schiſma octavum fuit inter EUGENIUM II. & SIZINNIUM propter diſcordiam eligentium: ſed EUGENIUS obtinuit, quia pars major & ſanior cum eo. Tandem per laïcos Romanos crudeliter interemtus hic glorioſus papa EUGENIUS, glorioſo martyrio coronatur, ſepultus apud S. PETRUM.

Schiſma nonum peſſimum & ſcandaloſiſſimum fuit ſecundum quoſdam inter FORMOSUM & SERGIUM. Nam SERGIUS a FOR- E MOSO reprobatus a papatu, fugit in Franciam; & tandem papa factus, revertitur Romam ſecrete, & mortuo FORMOSO, CHRISTOPHORUM antipapam cepit, & FORMOSI corpus effoſſum dehoneſtavit, corpus ipſius in cathedra locatum decollari præcipiens, decollatumque in Tyberim jactari. Piſcatores autem ipſum in eccleſiam deportaverunt, ſacris imaginibus inclinantibus & ſalutantibus ipſum venerabiliter.

FILIUS. Magna approbatio ſanctitatis hujus FORMOSI, & quod verus extiterit papa teſtimonium certum; & econtra reprobationis hujus SERGII, qui inhumane nimis egit in mortuum, nimiſque crudeliter.

MATER. Fuit & ſub ſchiſmate iſto aliud inter LEONEM & CHRISTOPHORUM prædictum. Nempe CHRISTOPHORUS per vim rapuit papatum, LEONE incarcerato, ſed ſtatim etiam ipſe per SERGIUM captus eſt tamquam invaſor. Quidam tamen dicunt quod monachus effectus ſit, & multiplicata ſunt mala ſuper terram, maxime ſuper clerum, & gravis in nos irruit tribulatio & anguſtia.

Schiſma decimum fuit inter JOHANNEM XII. & LEONEM VIII. quia JOHANNES, cum male intraſſet & pejus vixiſſet, depoſitus fuit, & LEO ſubſtitutus. Et quamvis a JOHANNE bis fugatus fuerit, auxilio imperatoris tandem obtinuit.

Schiſma undecimum fuit inter BENEDICTUM V. & præfatum LEONEM VIII. Hic BENEDICTUS, vivente LEONE papa, a Romanis in papam eligitur, propter quod imperator OTHO Romam obſedit, & traditur ei BENEDICTUS, & LEO obtinuit.

Schiſma duodecimum inter GREGORIUM V. & JOHANNEM XVII. Nam cum parvo tempore ſediſſet GREGORIUS, & jam imperator ab Urbe receſſiſſet, a CRESCENTIO conſule deponitur, & JOHANNES præficitur. Sed hoc comperto, mox imperator rediens CRESCENTIUM cepit, & capite truncari juſſit, JOHANNEM vero exoculari, & ceteris membris mutilari fecit. Infelix intruſio, ſed multo infelicior dejectio. Miſer ingreſſus, ſed miſerrimus exitus.

FILIUS. O cæca & obdurata ambitio! O, ait Bernardus, filii Adam, genus avarum, genus ambitioſum, audite quid vobis cum terrenis divitiis & gloria temporali, D quæ nec veræ nec utiles ſunt! O quanta inculcando invehit idem ſanctus, ſalubriter impingendo, ſi adverteret contra hujuſmodi ſuperbos vanigloríos & ambitioſos. Sed incaſſum apud quamplurimos, qui terrena ſic ardenter ambiunt, quaſi non eſſet altera vita ab iſta, quæ mors eſt potius dicenda quam vita; tamquam hæc eſſet tota portio ſubſtantiæ eorum, cum e contrario propheta & rex potentiſſimus David non ſine ingenti affectu terrena omnia calcando ambiat cœleſtia dicens: *Portio mea, Domine, ſit in terra viventium.*

MATER. Cernis itaque, Fili, quam impudenter quamque pernitioſe ac nequiter pro primatu certatur, quod modis omnibus tamquam onus graviſſimum, etiam ipſis angelicis humeris formidandum, fuerat declinandum, & ad illud ſolo Dei timore & propter obedientiam animarumque ſalutem accedendum.

FILIUS. Cerno, Mater, & valde cordi,

hærent quæ ſaris: & utinam omnes ambitioſi, qui terrena ſapiunt, ſaperent & intelligerent, ac noviſſima proviſerent; ſaperent ſpiritualiter, intelligerent prudenter, proviſerent utiliter. Sed hoc attendere nolunt qui gloriam ab hominibus quærunt, & gloriam quæ a ſolo Deo eſt non requirunt.

CAPUT XXXVIII.

De reliquis Schiſmatibus.

MATER. Schiſma tertium decimum inter BENEDICTUM VIII. & quemdam alium intruſum, a quo fuit BENEDICTUS ejectus: ſed illo rurſum reſtituto, ille invaſor turpiter eſt ejectus. Hunc BENEDICTUM poſt mortem vidit quidam epiſcopus in miſerabili ſpecie, dicentem ſe graviter affligi, & nihilominus de Dei miſericordia ſperare, nihilque ſibi profuiſſe quod pro eo fuerat erogatum, quia de rapinis extitit. Iret ergo quantocius ad JOHANNEM papam ipſius ſucceſſorem, & de tali ſumma pecuniæ accipiens, pauperibus erogaret: quod ille fideliter implens, ac timore perculſus epiſcopatui ceſſit, & monaſterium intravit.

Schiſma quartum decimum fuit valde ſcandaloſum & confuſione plenum inter BENEDICTUM IX. & alios plures. Cauſa fuit mala & lubrica vita ipſius; nempe extitit polluti ſſimæ vitæ & converſationis impudicæ. Ideo ejectus fuit a papatu, & iterum reſtitutus, iterumque ejectus. Iſto autem primò ejecto, SILVESTER eligitur. Inde SILVESTER ejicitur & BENEDICTUS reſtituitur. Quo iterum ejecto, GREGORIUS VI. eligitur, qui cum eſſet litterarum rudis, alterum papam ad eccleſiaſtica officia exequenda ſecum conſecrari fecit. Dumque hoc multis non placeret, tertius ſuperinducitur, qui ſolus vices duorum adimpleret. Quibus inter ſe dimicantibus, HENRICUS II. imperator ſuperveniens, omnes depoſuit; & CLEMENTEM II. ſubſtituit. Verum de iſto GREGORIO GILBERTUS dicit in chronicis, quod fuit vir ſanctus, prout miraculoſe fuit demonſtratum poſt mortem ejus. Vide hiſtoriam, ſi non vidiſti.

FILIUS. Vidiſſe me, Mater, recolo, licet ante plures annos. Sed valde horrendum eſt quod dicitur de iſto BENEDICTO nomine, ſed reipſa vere maledicto, qui filius fuit BENEDICTI VIII. qui videlicet propter ſuam lubricam vitam damnatus, apparuit cuidam in ſpecie monſtruoſa & horribili. Caput & cauda erant aſinina, reliquum corpus ſicut urſus, & ait: Noli expaveſcere, ſcito me hominem fuiſſe ſicut tu es, ſed ſic me tibi repræſento, ſicut olim exiſtens infelix papa beſtialiter vixi.

MATER. Hic notare te convenit, Fili, quod, ut ait Ptolomæus, faſtus ſummorum pontificum habuit ſemper malum exitum, & fuit & eſt occaſio & cauſa multorum ſchiſmatum.

FILIUS. Hoc valde facile ad perſuadendum, & utinam hoc attenderent faſtuoſi & ambitioſi, qui non verentur perturbare tuum ſtatum, dummodo ſuum pravum adimpleant deſiderium.

Schiſma decimum quintum inter ALEXANDRUM II. extitit & CADOLUM epiſcopum Parmenſem; quia ALEXANDER accuſatus de ſimonia, poſtquam Mantuæ ſe purgavit coram concilio de objecto crimine, licet imperator contradiceret, reſtituitur auctoritate concilii, quia major pars fuit cum eo, & CADOLUS ipſe tamquam ſimoniacus invaſor expellitur. Hic ALEXANDER vir ſanctus fuit.

Schiſma XVI. fuit inter GREGORIUM VII. & archiepiſcopum Ravennenſem. Cauſa fuit tyrannis imperatoris & diſſentio quorumdam epiſcoporum. Majus fuit omnibus ante habitis, & duravit uſque ad URBANUM II. Fuit autem idem GREGORIUS vir ſanctus, magnus zelator juſtitiæ, prius fuit prior Cluniacenſis, inde legatus in Gallia, & dure proceſſit contra ſimoniacos & preſbyteros concubinarios; & factus papa, ardentiori contra eos zelo proceſſit; & ob hoc multos contra ſe ac in ſui odium concitavit, ſicut moris eſt malos ſemper agere contra bonos. Inſuper ab imperatore HENRICO III. cum cardinalibus in caſtro S. Angeli incarceratur, ſed a rege Apuliæ liberatur. Tandem poſt multos agones, plurimaſque patientiæ coronas, in Apulia moritur miraculis coruſcans.

Schiſma XVII. fuit inter PASCHALEM II. & tres prælatos, ſcilicet ALBERTUM, ARNULPHUM & THEODERICUM, qui favore imperatoris erexerunt ſe; ſed omnes mala morte perierunt, & ſic PASCHALIS obtinuit, quia juſte electus erat, & Deus fuit cum eo. Multa hic perpeſſus eſt a falſis fratribus, etiam ab imperatore captus fuit cum cardinalibus, & per duos menſes in vinculis detentus. In omnibus tamen triumphavit, & tandem glorioſum & pacificum exitum habuit.

Schiſma XVIII. fuit inter GELASIUM II. & quemdam BENEDICTUM, qui favore imperatoris erexit ſe contra papam GELASIUM; ſed & contra CALIXTUM II. immediate ſequentem; ſed iſte miſerabilis periit morte ſubita, & qui juſte & canonice electi fuerunt, Deo eos juvante, obtinuerunt.

Schiſma XIX. fuit inter INNOCENTIUM II. & PETRUM LEONIS. Cauſa extitit diſcordia eligentium; ſed INNOCENTIUS obtinuit, quia major & ſanior pars erat cum eo, & B. BERNARDUS per ſeptem annos laboravit viriliter & pene uſque ad mortem pro unione & pace noſtra. Hoc diffuſe habetur in vita ipſius longiore, quod ne tædium generem omitto.

Schiſma XX. fuit inter ALEXANDRUM III. & quatuor ſchiſmaticos, duravit ſpatio XVII. annorum, & ALEXANDER vicit eos ſucceſſive, & excommunicavit eos, qui omnes mala morte perierunt. Prævaluit inſuper contra

imperatorem FRIDERICUM I. qui imperavit annis XXXIII. Et quamvis multa laudabilia dicantur de eo, tamen in hoc erravit, quod perſecutus eſt hunc ALEXANDRUM papam, & ſchiſmaticos contra eum fovit in noſtram jacturam & animarum perniciem, quod non parvi eſt reatus: ſed poſt graviter pœnituit, & ad unionem noſtram humiliter rediit.

Schiſma XXI. fuit inter JOHANNEM XXII. & PETRUM DE CORBARIO de ordine Minorum. Cauſa extitit tyrannis LUDOVICI IV. qui ſcindere nitebatur unionem noſtram & pacem confundere, eo quod JOHANNES hic papa eum excommunicavit, quapropter PETRUM iſtum in idolum erexit & veneratus eſt: ſed nihil profecit, quia ſtatim ſucciſum fuit, & PETRUS venit ad pedes JOHANNIS veniam petens, & obtinuit. Tamen conſervatus fuit cunctis diebus vitæ ſuæ, ne ipſius occaſione aliquod iterum oriretur.

FILIUS. Cautela prudens & neceſſaria. Etenim hic venerandus pontifex caute egit & prudenter: caute tibi, prudenter ſibi. Caute tibi, dum & tibi cavit a ſcandalo; & invaſori dimittendo noxam, ſibi prudenter providit in futuro. Ait enim ipſe Salvator: *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, & Pater veſter cæleſtis remittet vobis peccata veſtra.*

CAPUT XXXIX.

De reliquis ſchiſmatibus.

SChiſma XXII. peſſimum ſuper omnia quæ antea fuerunt, & duravit annis XL. Et de iſto jam diximus cap. XXXVI. & occaſione hujus alia memoravimus. Noveris autem ſchiſma iſtud peſſimum valde fuiſſe, quia diuturnum nimis, cum grandi ſcandalo totius cleri, & gravi animarum jactura propter hæreſes & alia devia & inordinata, quæ tunc pullularunt quaſi vepres & ſpinæ, quia non erat manus eradicans, dum, infirmato capite, cetera membra nutant.

FILIUS. Deus largitor pacis & caritatis amator miſereatur noſtri, & det nobis pacem, & mentibus noſtris infundat caritatem, auferat de regno ſuo omnia ſcandala, aſtringat pacis fœdera.

MATER. Gratias ſibi, tandem ſchiſma hoc peſſimum per concilium Conſtantienſe fuit terminatum, depoſitis tribus ad invicem decertantibus, videlicet BENEDICTO, GREGORIO *i. Johanne. & *ALEXANDRO, & unanimiter electo MARTINO V. cum jubilo cantantibus omnibus *Te Deum*, & ſummæ Trinitati gratias certatim referentibus.

Schiſma XXIII. fuit inter EUGENIUM IV. & FELICEM V. & duravit annis XVI. ut ſatis noſti; fuit enim temporibus tuis.

FILIUS. Verum eſt, Mater, quamvis adhuc adoleſcens: ſed habui patruum qui in curia hujus EUGENII manſit, pendente ſchiſmate, a quo multa de iſto audivi; cui parebat Italia, ſed & Gallia noſtra, aliæque provinciæ multæ, ita ut proceſſu temporis paucæ remanerent cum FELICE.

MATER. Iſte EUGENIUS mortuo MARTINO electus fuit in Urbe pacifice, & indubitatus papa habitus; ſed brevi poſt tempore compulſus a Roma nudus exire. Item a concilio Baſileenſi, quod MARTINUS ante exceſſum congregari juſſerat, citatus, obedire noluit, ob hoc depoſitus non curavit; & ſic oritur ſchiſma iſtud, quod duravit uſque ad mortem ejus.

FILIUS. Qui favebant ſibi, multa laude digna de eo dixerunt: econtra qui ipſi adverſabantur, plura enormia ſibi impoſuerunt, ut moris eſt.

MATER. Tamen quicquid eſt, ante papatum fuit vir abſtractæ vitæ & famæ bonæ: quicquid poſtea fertur egiſſe, divino judicio relinquo; ſuo Domino ſtat aut cadit, non noſtra intereſt de mortuis judicare. Etiam poſt fugam Romam recuperavit, adjutus a Venetis, & majorem obedientiam habuit. Cauſa autem hujus ſchiſmatis fuit ſatis nova, & ante hæc tempora inaudita. Nempe concilium Baſileenſe, ut dictum eſt, depoſuit EUGENIUM, qui unicus erat & indubitatus papa, ideo quod noluit ſervare inſtituta & decreta Conſtantienſis concilii venerabilis valde, nec obedire curavit eidem concilio Baſileenſi, aſſerens potius econtra debere fieri: unde oritur grandis altercatio ſcribentium de hac materia pro & contra, nec potuerunt concordare uſque hodie. Nam una pars dicit concilium ſupra papam eſſe, altera dicit non, ſed papam ſupra concilium.

FILIUS. Audivi nonnullos non aſpernabilis ſcientiæ, ſed nec opinionis calcandæ, de hac materia diſputantes; ſed prævalere mihi videbantur qui aſſerebant concilium fore ſupra papam, quibus ſatis aſſentiebam. Nempe te, Matrem noſtram Chriſti ſponſam, idem legitime congregatum concilium indubie repræſentat.

MATER. Certum conſtat quod aſſeris, & ideo nolumus de hac materia diffinire, ne partes noſtras videamur fovere, & pro nobis judicium ferre. Videat Dominus & judicet. Nunc autem de ſchiſmatibus dicta ſufficiant.

FILIUS. In iſto, de quo ſermo, Baſileenſi concilio multa bona & utilia inſtituta fuiſſe traduntur pro reformatione totius ſtatus tui. Habuit principium glorioſum, ſed finem ignominioſum ac tribulatione plenum propter ſchiſma.

MATER. Mirabilis rerum eventus! Prævaluit concilium Conſtantienſe contra tres papas eos dejiciendo & quartum inſtituendo, cum tot haberet adverſantes, & a nullo confirmatum fuiſſet. Iſtud autem tanta auctoritate collectum & firmatum, nec unum

potuit vel in modico reducere ad normam sui propositi: immo econtra processus ejus impeditus fuit ab uno. Ibi debile principium & finis glorioſus, hic e contrario initium inclytum, finem vero habuit miſerum.

FILIUS. Illis diebus vel paulo ante, ut legiſſe me memini, tres soles viſi ſunt in cœlo, & ſequitur ſtatim triplex regimen in ſtatu tuo, videlicet Eugenii, concilii & neutralitatis.

MATER. LUDOVICUS ALAMANDA epiſcopus Arelatenſis, cardinalis, vir ſanctæ vitæ, ac patientiæ ſingularis, fortis & conſtans, ſtabilis & firma columna fuit Baſileenſis concilii, & ei diu præſedit: deinde poſt multos agones laboreſque infinitos, quos pro nobis ſuſtinuit, feliciter migravit ad Dominum, multis coruſcans miraculis.

FILIUS. Vellem, Mater, a te audire, qualis vel cujus meriti extiterit FELIX iſte, qui præ aliis tantis & tam dignis patribus in papam electus eſt in ipſo Baſileenſi concilio.

CAPUT XL.

De papa Felice & quibuſdam aliis eventibus contemporaneis.

MATER. FELIX iſte, qui in concilio electus eſt contra EUGENIUM, fuit dux Sabaudiæ, princeps devotus & ſenex. Vidit filios filiorum ſuorum. Hic cum jam cælibem. vitam duceret, electus eſt in papam, depoſito, ut dictum eſt, per concilium EUGENIO, & non habuit hic magnam obedientiam, quia neutralitas ſubintravit. Tandem defuncto EUGENIO, FELIX iſte ceſſit NICOLAO a cardinalibus electo propter bonum pacis & favorem unionis, factus legatus Franciæ & cardinalis Sabinenſis. NICOLAUS igitur iſte electus in Urbe anno Domini MCCCCXLVII. loco EUGENII, pendente ſchiſmate, paulatim ubique obtinuit obedientiam, mirantibus cunctis, quod vir humillimæ nationis ſic prævaleret contra ducem Sabaudiæ, qui fuit affinis quaſi cunctis principibus Chriſtianitatis, & tamen dimiſſus ab omnibus, ſicque Chriſto miſerante, ſchiſma peſſimum, longum & nobis moleſtiſſimum ceſſavit, & pax cunctis optanda nobis reddita eſt, quia placuit Deo per abjecta mundi glorificare nomen ſuum. Hic NICOLAUS fuit magiſter in theologia, totus activus, & in conceptibus locuples. Factus papa multa reædificavit, grandem murum Romæ in circuitu palatii ſui conſtruxit, & totum murum Romanum redintegravit propter timorem Turcorum. Iſte verſus fertur Romæ de eo publicatus:

Lux fulſit mundo, ceſſit FELIX NICOLAO.

Hujus tempore Conſtantinopolis imperialis civitas permagnifica capitur ab infidelibus Turcis, tradita per quemdam Januenſem perfidum Chriſtianum, qui juxta promiſſum conſtituitur rex civitatis, ſed poſt triduum decollatur, non hominibus, ſed Deo ſibi reddente quod meruit. Pro cujus amiſſione civitatis, fit planctus in univerſa Chriſtianitate, & timor ac tremor grandis. In illa multa millia Chriſtianorum trucidati ſunt, & innumerabiles venumdati, virgines violatæ, eccleſiæ deſtructæ, ſacra loca fœdata, præcipue eccleſia S. Sophiæ, nobiliſſima inter reliquas orbis, equorum ſtabulum ac meritricantium proſtibulum facta eſt, & alia infinita mala patrata, haud dubium quin propter peccata habitantium in ea. Nam & confœderationem & ſocietatem habebant cum infidelibus in mercantiis & aliis negotiis ſuis, & plerique in multis paganiter & non chriſtiane vivebant, & totum pro parte punitum eſt, & ab illa incomparabili civitate omnino uſque hodie divinus, proh dolor! ablatus eſt cultus. Imperatoris corpus ab impiis occiſum, decapitatum fuit ex livore & feritate impiiſſimi & crudeliſſimi Turci, & periit pene totaliter fides in Græcia.

FILIUS. Æſtimo hujus perditionis cauſa fuit vel maxima, quod Græciæ prælati, quorum Conſtantinopolitanus patriarcha caput, jam dudum receſſerant a Romana obedientia, inſuper ritu a te, veneranda, nobis in ſacramentis tradito abutentes, obſtinati & inflexibiles in ſua opinione manentes, novas ſectas ſuperinduxerunt perditionis.

MATER. Hoc quod aſſeris facillime perſuaderi poſſet. Bella quoque in diverſis orbis climatibus etiam noſtro ſceptro ſubjectis diu fuerunt continuata, præcipue in Saxonia, Weſtphalia, Flandria, Pruſſia, Suevia, Bochonia, & ſpecialiter in Anglia ſtrages ingens propter inteſtina bella, quæ gens illa ferox ſæpius commovere ſolet.

FILIUS. Vere ferox, quæ reges & principes ſuos crebro gladiis cruentis exterminare ſuevit.

MATER. Non multo poſt tempore victoria miraculoſa cœlitus datur Chriſtianis contra Turcum magnum, in Hungaria trans Danubium, & perdidit multos, ac fugit turpiter timore hoſtium perculſus; cum tamen eum nemo perſequeretur mortalium, ſed caſtra Domini Sabaoth terruerunt eum in die ſancti Sixti papæ anno MCCCCLVI. Sanctus JOHANNES de Capiſtrano præſens fuit ibi, & provocavit populum trepidantem ad perſequendum infideles fugientes, & facta eſt ultio magna de inimicis Crucis. Propter hanc victoriam cœlitus datam, feſtum Transfigurationis renovatur a CALIXTO III. NICOLAI V. ſucceſſore, pro gratiarum actione illius victoriæ miraculoſæ. Præfatus JOHANNES de Capiſtrano frater Minor, diſcipulus ſancti BERNARDINI fuit, ac poſt ipſum præfuit reformationi novæ. Hic peracta præfata victoria ſtatim moritur clarus miraculis.

FILIUS. Legi, Mater, hos impuros Turcos dolo & fraude obtinuisse regnum Bossenorum, ducatumque despotis Serviæ, & plura loca & regna in partibus Orientis, Achaiam provinciam, & insulam Mitilenen, anno MCCCCLVIII.

MATER. Reformatio magna plurimorum monasteriorum multum necessaria in diversis mundi partibus fit. Et nota quod hujusmodi reformationes crebro leguntur factæ, sed pene nulla remansit in statu, quin potius solito more per successum temporis ad pristinum relaberentur languorem post venerabilium patrum reformatorum mortem.

FILIUS. Sensus & cogitatio hominis prona sunt in malum, ut scriptum est, & in pauciſſimis fervet virtus caritatis, & ob hoc tentante hoste, qui summe nititur religionem in monasteriis extinguere, homines facile seducuntur, ac extra æquitatis limites pedes affectionum ponentes, libenter ambulant vias non bonas, sed post peccata sua. Nam procul dubio nulla in nobis donaretur iniquitas, si in nobis ferveret caritas: qua deficiente, sequuntur multi pravitatem cordis sui mali, impulsi ab hoste maligno, ut tandem in inferni voragine demergantur.

MATER. Igitur cave tibi ipsi a ruina, alioquin os tuum condemnabit te. Nempe scienti bonum facere & non facienti peccatum est illi.

FILIUS. Nihil verius. Nam & servus sciens voluntatem domini sui, & non faciens, vapulabit multis.

MATER. Fili, inter loquendum subito incidit in mentem, ut quemadmodum de nostris præsentibus tribulationibus, persecutionibus ac pressuris in primo hujus dialogi libello, deque præteritis in secundo vel tertio interim tractavimus; ita quoque in sequenti, de his quæ restant & nos indubie manent, seu per prophetica oracula, sive per evangelicam tubam apostolicamque doctrinam ad plenum sum edocta, vel pauca de multis dicendo ad invicem conferamus.

FILIUS. Optime, Mater, & ut congruit, mihi expedit, tibique convenit, ut quæ passionibus exerceris omni tempore, omnium etiam temporum passiones ad tuorum ædificationem recenseas filiorum.

MATER. Sic agere libet. At quoniam sabbatum est & ad vesperas properandum, crastina vero ob Dominicæ reverentiam laudibus insistendum, feria secunda tractare aggrediemur quidquid inspirare dignabitur JESUS CHRISTUS sponsus & Dominus noster, qui vivit & regnat cum Patre in unitate Spiritus-sancti per infinita sæcula sæculorum. Amen.

GESTA
SEPTEM ABBATUM BECCENSIUM
METRICE A PETRO DIVENSI CONSCRIPTA
Ex duobus mſſ. codicibus uno Beccenſi, altero reginæ Suecie.

OBSERVATIO PRÆVIA.

GESTA ſeptem primorum abbatum Beccenſium a Petro Divenſi metrice conſcripta ſuppeditaverunt nobis antiqui codices duo, alter Beccenſis quem nobis perofficioſe exſcripſit ſodalis noſter domnus Richardus Houſſaye, *alter reginæ Suecie Romæ a Mabillonio repertus, cujus apographum cum Beccenſi codice contulimus.*

Eorum auctor Petrus Divenſis, hoc eſt monaſterii S. Petri ſupra Divam in Diœceſi Sagienſi monachus, qui & Petrus Augenſis, dictus a pago Augenſi, ubi ſitum eſt illud monaſterium, cum aliquando hoſpes apud Beccenſes noſtros divertiſſet, excitatus a nobiliſſimo viro Milone Criſpini monacho & cantore Beccenſi, opus illud ſuſcepit. Porro in codice reginæ Suecie una cum prædictis geſtis continebatur & chronicon Bec-

cense, alias ab Acherio ad calcem operum Lanfranci editum, cujus ideo præcipuas varianes lectiones hic subjiciemus una cum actis Johannis de Rothomago dicti etiam de Motha & Gaufridi de Hispania, abbatum, quæ in editione Acheriana desiderantur.

PEtrus Divensis conscribit versibus istis Structores primos Becci summosque magistros.

1. Ex quo principium Beccus jam sumsit & esse,
A quo vel per quem primo processit ad esse,
Seu quibus ipse viris fundatus magnificetur,
Queis vel personis ditatus clarificetur,
Quot præcesserunt abbates, quive fuerunt,
Tempore vel quanto Beccum rexere fovendo,
Carmine decrevi perstringere metrificali,
Ut sermone brevi signentur & ordine tali.
Non quia præsumtor operis dijudicer hujus,
Sæpe magis numero fuerim compulsus ad istud
Domni Milonis Crispini voce monentis,
Omnibus & votis nihilominus id satagentis.
His ita libatis in principioque locatis
Hoc opus aggrediar, licet huic sum viribus impar:
Infantum linguas sed qui facit esse disertas,
Spiritus ipse mihi nunc adsit ad hoc properanti.

S. Herluinus primus abbas Becci.

2. Anno milleno ter deno necne quaterno
Quo Deus ipse Patris Verbum de viscere matris
Nostrum produxit corpus mundoque reluxit,
Cum Normannorum turgentia colla domaret
Guillelmus senior, quos & super imperitaret
Nobilis & prudens vir quidam, corde sed ingens,
Ut patet in Becci structura cœnobiali,
Qui fuit HERLUINUS sacro de fonte vocatus,
Inspirante Deo, mortisque timore citatus,
Cum foret in multis præsertim strenuus armis,
Inter & ipse suos nimis esset honorificatus,
Hinc & apud primos patriæ satis appretiatus;
Jam sibi plaudentem, jam pronum, jamque faventem
Mundum despexit, seseque subinde retraxit,
Et monachus factus sancto jam flamine tactus,
Præsule tunc urbis HERBERTO Lexoviensis
Attondente comam, simul & tribuente cucullam,
Protinus ecclesiæ se contulit & sua quæque,
Quam prius in fundo construxerat ipse paterno,
Haud procul a fluvio qui Beccus dicitur, a quo
Sumsit & ipse locus nomen sub tempore Beccus.

A Fratribus & secum quampluribus associatis,
Artius instabant aptari posse beatis
Dulcibus hymnis, laudibus amplis invigilando,
Vestibus hirtis, sumtibus arctis membra domando.
Herbis vescentes crudis, laticemque bibentes,
Pane sed adjecto quandoque siligine facto,
Crebro legentes, sero loquentes ordine certo,
Prava caventes, justa sequentes tramite recto.
Insuper & Pauli doctoris jussa probantes,
Instanter manibus quæcumque suis operantes.
B Talis tantillus, humilis satis atque pusillus
Extitit exorsus Becci, primus quoque motus:
Non ibi murmur erat, non fraus, nec bilis amara:
Multa sed intus erat pax & concordia mira.

3. His igitur vitam ducentibus intro sopitam,
Cœpit diffundi paulatim rumor eorum. Lanfrancus Beccum appulit ex Italia.
Vallis & ex imo jam conscendebat in altum,
Unde perafflati quamplures atque citati,
Partibus e notis venientes, necne remotis,
Beccum quærebant, illuc & conveniebant,
Se patris HERLUINI subdentes relligioni.
C Quos inter magnus vir quidem mitis ut agnus,
Editus Italia, quæ dicitur urbe Papia,
Stemmate non humilis, natalibus ac generosis,
Magnificus rhetor, notissimus undique doctor,
Cui Lanfrancus erat nomen satis amplificatum,
Gallis, Italicis, Græcis quoque clarificatum,
Cum disceptando studiis & mira docendo
Urbes lustrasset, regiones & peragrasset,
Et foret hic clarus apud omnes, par quia rarus.
D Nam fore præclara fert Tullius omnia rara.
Omnia conspiciens hæc vana superflua necne,
Et quia mundus abit, sed in hoc quod cernitur omne
Flamma succensus divi Lanfrancus amoris,
Culmine calcato terreni prorsus honoris,
Pauperiem Christi decernens ipse subire,
Cœli divitias quo felix possit adire,
Applicuit Becco tandem, sed præduce Christo,
Hunc qui præscierat præ tempore, necne parabat
Ecclesiæ purum vas, quam dignumque futurum.

4. Conspectaque loci jam paupertate cupita, Monachi schema induit.

Simplicitate

Simplicitate patris, mira fratrum quoque vita,
Vestibus explosis queis tectus erat pretiosis,
Induitur vili gaudens tunica monachali,
Fratribus appositus, desiderioque potitus,
Omnibus elegit abjectior ipse videri,
Quam peccatorum domibus sublimis haberi,
Illud habens oculis præfixum & cordis in arcto:
Quanto major eris, tanto dejectior esto.
Qua rogo lætitia pater HERLUINUS agebat,
Cum, prout optavit, jam suscepisse sciebat,
Cujus doctrina Beccus foret erudiendus,
Qui rudis intus adhuc fuerat, sed & instituendus.
Cui deferre volens persæpe, decebat ut illi,
Ipse refutabat, persolvens hoc magis illi.
Ille verebatur subici vatem sibi tantum,
Hic venerabatur nimis abbatem sibi gratum.
Gaudebatque satis vir tantæ nobilitatis,
Qui foret ignotus, qui cognitione remotus.
Intus & arcebat se strictius atque premebat,
Ne sibi dilectam cito perderet ipse quietem.

Fit prior.

5. Explicitis vero tribus annis in monachatu
Sub patris Herluini quo venerat ipse ducatu,
Ne jam sub modio posset latuisse lucerna,
Hactenus in medio fuerat quæ vallis operta,
Est prior effectus, fratrum sed ab agmine lectus,
Ut splendore sui sensus pariterque sophiæ,
Lumine sublimis perlustrarentur usiæ,
Et domus hæc nota, sed & ipsa Neustria tota,
Quam licet abnuerit, suscepta denique cura,
Omnibus intendit prodesse sub hac positura,
Fratribus assignans essent quæ rite sequenda,
Non minus insinuans illis quæ jure cavenda.
Præ manibus semper doctrinam promtus habebat,
Qua præcellenti sociorum corda rigabat.
Gratus erat cunctis, nam cuncta scienter agebat,
Hosque cibo forti, nunc illos lacte cibabat,
Distribuens cunctis, ut cuique decere putabat.

Fama ejus perrebtescit, magnus fit ad cū nobilium & scholarium concursus.

6. Fama sed ut crevit volitans, terramque replevit,
De novitate loci, simul & de relligione,
Deque viri tanti Lanfranci cognitione,
Nobilium multi, dites, comitum quoque nati,
Hinc alii plures: inflati nempe scholares,
Concurrunt Becco, Lanfrancum nosse volentes,
Institui tanto doctore magis cupientes.
Cujus perspicua fundati philosophia,
Horum nonnulli cordis ad intima puncti,
Pneumatis atque sacri subito fervore peruncti,
Jam mundi fastu dejecto carnis & astu,
Colla jugo Christi festinant subdere miti,
Ejus amore quidem remanentes prorsus ibidem.
Ast alii plures sub eodem philosophantes,
Artibus imbuti præclaris & bene docti,
Ibant a studio Beccensi mira loquendo,
Facti præcones ipsarum per regiones,
Ac sic quæ penitus constabant annihilatæ
Artes, Rollonis ex tempore partibus istis,
Lanfranci studio noscuntur item reparatæ,
Ipsius ascribi quod conderet utique laudi.

Beccus floret & omnibus abundat.

7. Tunc Beccus primo qui pauper adhuc & in imo,
Cœpit ditari, succrescere, fructificari,
Auro, divitiis, personis relligiosis,
Vitibus & terris, ornamentis pretiosis.
Felix ecclesia, Christoque placens & amica,
Ex istis unum quæ novit habere patronum.

Lanfrancus fit abbas S. Stephani Cadomensis.

8. Tempore prolapso, cum jam floreret ab alto
Beccus, & in totum fere dilucesceret orbem,
Intus Lanfranco doctrinam distribuendo,
A foris Herluino curam majoris agendo:
Dux Normannorum GUILLELMUS laude suorum
Sumsit Lanfrancum merito cunctis venerandum,
Non sine singultu multo grandi quoque luctu
Fratrum, necne patris Herluini jam senioris.
Ecclesiæque suæ Cadomi tunc ædificatæ
Contulit abbatem solerter ad utilitatem.
Cœnobiique rudis nihilominus & regionis.
Hunc etenim sensu quo mirus erat, sed & actu
Imbuit, ornavit, præstruxit, clarificavit
Ordine, doctrina, concentu, philosophia:
Qui licet haud multis inibi vigilaverit annis,
Cum fuerit raptus de cura cœnobiali,
Postmodum sedi provectus pontificali:
Ejus signa tamen doctrinæ non pereuntis
Sunt, & adhuc intus satis apparentia cunctis.

Deinde episcopus Cantuariæ.

9. At dux præfatus regnandi jure citatus,
Postquam devictis in bello cominus Anglis,
Terram possedit rex, & regnando resedit,
Ecclesias regni cupiens renovare subacti,
Quæ nimis incultæ fuerant, vitiis & adultæ;
Consilio procerum functus satrapumque suorum,
Sustulit abbatem de cœnobio Cadomensi
Domnum Lanfrancum, dictante sed Omnipotenti,
Atque reluctantem nimis, idque diu renitentem.
Tandem multorum precibus stringentibus ipsum,
Præsertimque patris Herluini fœdere victum,
Cujus ut auctori Christo parebat & ori,
Intulit eximiæ quæ Cantia dicitur urbi,
Atque sacerdotem summum præfecit eidem,
Clero sed populo cum laudibus amplificatis
Excipientibus hunc, & mentibus exhilaratis.

10. Culmen ubi talis fuit hic indeptus honoris,
Non castellorum structuræ materiali,

Non canibus, non hic avibus luxu laicali
Extitit intentus, quia prorſus ab his alienus,
Ut mos pontificum dinoſcitur Angligenarum:
Sed pius ut paſtor ſtructuræ ſpirituali
Sedulus inſtabat cenſura pontificali.
Mentes barbaricas doctrinis ædificando,
Uſibus atque malis ad conſpicuos revocando.
Non opus eſt crebris jam declamare loquelis
Anglorum genti quantum profecerit omni.
Namque ſtatus regni teſtatur & eccleſiarum,
Ipſius ingenti cura ſtudioque frequenti,
Quod tunc juſtitiæ ſub norma ſit reparatus.
O tunc felicem populum nimis, atque virentem,
Cum rex inſignis pacem ſibi conciliabat,
Tantus & antiſtes doctrinam ſuppeditabat.
Ille refrænabat ſtricto pugione rebelles.
Non etenim poterat ſibi quis reſtare ſatelles.
Iſte beatorum ſedes paſſim renovabat,
Per patriam lectis rectoribus atque ſacrabat.
Legibus ille novis reparabat templa vetuſta.
Tunc efflorebat Britannia, tunc revirebat,
Tunc erat inſignis, ducibus quia prædita dignis.
Tunc opulenta bonis, quia pax optata coronis,
Quorum ſudore nimio grandique labore
Mundi pollentes hujus tum quique potentes
Materiam ſumunt turgendi deſipientes.
Sed quia deflexi pauliſper ab ordine cœpto,
Eſt illuc iterum redeundum calle reſumto.

Herluinus annis fatiſcēs Anſelmum ſibi ſucceſſorem eligit.

11. At pater HERLUINUS mens veri conſcia cujus,
Ut ſe conſpexit Lanfranco jam viduatum,
Quem ſucceſſorem gaudebat habere paratum,
Quoque ſuæ curam domus ipſe refuderat omnem,
Eligit ANSELMUM vita ſtudiiſque probatum
Lanfrancique loco deliberat ire locatum.

Anſelmi origo & prima ſtudia.

12. Hic fuit Anſelmus Auguſta natus ab urbe
Stirpe ſatis clara nihilominus auctus in orbe;
Qui poſt decurſis ævi puerilibus annis,
Applicitus ſtudiis, imbutus & artibus ipſis.
Primitus at trivio, ſeu poſtulat ordo ſcholaris,
Poſtea quadrivio quo quiſque ſtupet popularis,
Summos ipſe brevi doctores æquiparavit.
Hic cum floreret ſtudiis in partibus illis,
Fama percelebri mira de laude magiſtri
Lanfrancum adit. Lanfranci motus, qui tunc prior oppido notus,
Extiterat Becci paſtoris tempore primi,
Ædе patris ſpreta, notis patriaque rejecta,
Pluribus emenſis regionibus Italicenſis,
Lætius optatum ſubiit tandem ſibi portum;
Inventoque viro, vita verbis quoque miro,
Ejus & experta cum relligione ſophia,
Tanto conſtat eum complexum cordis amore,
Ejus ut ulterius diſcedere nollet ab ore.
Sumpto tunc igitur ſibi relligionis amictu, Fit monachus Becci.
In modico fertur tantum virtutis adeptus,
Qui nulli penitus fratrum foret ipſe ſecundus.
Cui, poſt Lanfranci digreſſum commemorandi,
Qui fuit eccleſiæ tranſlatus ab hac Cadomenſi
Abbas, ob vitam, qua præpollebat, honeſtam,
Imperat officium de more prioris agendum. Prior inſtituitur poſt Lanfrancum.
Quo non elatus fuit aut levitate notatus,
Sæpe quia mores mutant, ut fertur, honores.
Imo ſtudebat eis queis præerat ultimus eſſe,
Lege miniſtrandi fuerat quod cuique neceſſe.

Herluinus migrat e vita.

13. Abbas HERLUINUS ſenio jam debilitatus
Poſtquam luſtra novem minus anno continuaſſet,
Quo fugiens mundo ſe Chriſto conſociaſſet.
Omnibus expletis quæ mens optaverat ejus,
Rebus in humanis & functis viſibus ejus,
Tum quia baſilica præſtanter & ipſa peracta,
Hinc a Lanfranco tunc archipræſule ſummo
Multiplici pompa miroque decore ſacrata,
Cum deſideriis ejus jam nil ſupereſſet,
Ni quod diſſolvi Chriſtumque videre cupiſſet,
Miles ut emeritus, & ab omni labe politus,
Corpore munitus, Chriſtique cruore potitus,
Cœlo dans animam, virtutibus undique fultam,
Reddit humo corpus quo primus noſcitur ortus.
Quantus ibi fletus, dolor omnis quippe replevit,
Quantus erat gemitus, quia paſtor tantus obivit.
Concurrunt plures cum divitibus populares;
Hi Dominum flentes, alii patrem repetentes.
Tantus erat clamor lugentum tantus & angor,
Quod vix audiri pſallentes, vix & adiri
Poſſent præ turba, foribus vi namque refuſa.

Succedit ei S. Anſelmus.

14. At cum exequiis ſingultibus haud ſine crebris,
Utque viro decuit tanto de more peractis,
Conveniunt fratres jam patre ſuo viduati,
Atque pari voto non ſchiſmate diſſociati,
Abbatem ſtatuunt ANSELMUM, dignaque ſolvunt.
Quæ jam nimirum ſucceſſio continuata,
Abſque Dei nutu non creditur inſinuata.
Tantus enim fuit hic ætate quidem juvenili, Ejus virtutes.
Dignius ut tanto tunc præferretur ovili.
Dulcis in affatu, ſed dulcior in famulatu
Extiterat cunctis in cœnobio ſibi junctis.
Sanis namque pater fuit, infirmis quoque mater,

Et ſimul utriſque pater, & mater fuit ipſe.
Neumate contactus erat omnibus omnia factus,
Ut ſibi captaret quos Chriſto lucrificaret.
Fratribus hic igitur de quorum ſobrietate
Jam bene fretus erat, vita ſimul & probitate,
Exterius cauſis ſollertius inſinuatis,
Interius curis attentius ipſe vacabat,
Erudienſque ſuos doctrinis invigilabat,
Contemplativos fructus carpens aliquando,
Nunc in conſiliis dandis erat ipſe morando.
Quis ita diſcretus fuit & multis manifeſtus?
Quod quaſi divinum reſponſum conſuluiſſet,
Ipſius alloquio quicumque frui potuiſſet;
Gratia tanta quidem labiis inſederat ejus,
Quod gens cuncta fere verbis alluderet ejus.
Regibus & primis patriæ, mediocribus, imis
Haud fuit exoſus, ſed amabilis & pretioſus.

15. Floruit hoc Beccus ſub tempore, crevit & hujus
Oppido ſub cura, nec enim Normannia ſola,
Verum longinquæ regiones atque propinquæ
Ejus odore bono fragabant numine prono.
E quibus exciti præſignes atque periti
Conveniunt Becco, ſe dantes & ſua Chriſto,
Terras cum villis & prædia multa ſub illis;
Aurum cum gemmis pretioſis atque lapillis,
Argentumque ſatis cum veſtibus appretiatis,
Illi ſubdentes ſolemniter attribuentes.

Angliæ regē adit, pro eccleſiæ ſuæ negotiis.

16. Jam tunc pollebat Beccus, ſeſic & habebat
In melius ſemper ſuccreſcens proficiendo,
Ordine, divitiis, conventu religioſo,
Inſuper & numero, meritis, & multiplicando.
At cum biſſenis ſuperadjectis tribus annis
Anſelmus Beccum bene jam rexiſſet adultum,
Fratrum conſtrictus prece, juſſu denique victus,
Eccleſiæ cauſis quampluribus hinc & obortis,
Sic mare tranſivit, regem ſuper his & abivit
Compellaturus, quædam ſuper & moniturus.
A quo ſuſceptus digne ſatis & veneratus,
Obtinet ad libitum quod conſtat abiiſſe petitum.

Rapitur ad ſedem Cantuarienſem.

17. Tunc erat inſignis urbs Anglica Canturienſis
Proh dolor! egregio meritis orbata patrono
Ferme decurſis in gyro quatuor annis,
Ex quo LANFRANCUS mundo deceſſit amandus.
Cum ſuper id vero monitus rex crebro fuiſſet,
Quatenus eccleſiæ lugenti conſuluiſſet,
[a] (a) Rufus & ille diu protendens diſſimulaſſet,
Tunc emollitus, tandem furore ſopitus,
Regni perſonis diverſæ relligionis,
Principibus necnon ſuper id pulſantibus ipſum,
Annuit ut fieret electio pontificalis,
Et procul abſtaret contentio cauſidicalis.
Omnibus ergo ſimul cum rege volentibus unum,
Vocibus & crebris id ſubclamantibus ipſum,
Abbas Beccenſis, qui tanto dignus honore
Eſſet, & inſignis, ſapiens grandique lepore,
Quæritur Anſelmus, capitur, trahitur violenter,
Cum tentaſſet & his obſiſtere quam vehementer.
Summus & antiſtes ſtabilitur Canturienſi
Eccleſiæ dignus ſucceſſor & Italicenſi.

18. Archiepiſcopii qui ſublimatus honore,
Non ſua ſed Chriſti quærebat in ejus amore,
Eccleſiis regni totius & invigilator
Sedulus aſſiſtens, ipſarum ſed relevator,
Æquus judicio majoribus atque puſillis,
Promtus in auxilio viduis pariterque pupillis,
Dapſilis indigenis, non parcus & hic alienis,
Totus & aſſidue fuerat perfuſus egenis,
Compatiens mœſtis, non parcens ipſe ſuperbis.
In commune tamen fuit omnibus ipſe juvamen,
Inſuper & verbi divini ſemina fundens,
Non erat in terris Domini commiſſa recondens:
Immo, quod audierat per tecta docens reſonabat,
Paſtor ut inſignis, diſpenſatorque fidelis.
Talibus ornatus virtutibus iſte beatus,
Jure ſubit curam tam digni pontificatus.
Hinc & amabatur a clero ſufficienter,
Atque colebatur a plebe ſatis reverenter;
Tum quia defenſor cleri fuit imperioſus:
Tum quia proviſor populi fuerit ſtudioſus.

Guillelmus tertius abbas Becci.

19. Ut conſecratus fuit hic & ſede locatus,
Iſtud & inſonuit, jam quippe latere nequivit,
Conventus fratrum Becci deductus in unum,
Et ſuper ablatum paſtorem concionantes,
Deque novo rurſum reparando quæſtionantes,
Ipſius ANSELMI conſulto præſulis almi,
Comminus eligitur quidam GUILLELMUS ab ipſis,
Ex *Monfort* natus, ſic & præponitur ipſis,
Moribus ornatus, ſed relligione probatus,
Mitis, munificus, patiens & pacis amicus.
Hic erat edoctus divina lege potenter,
Nunc nova nunc vetera proferre ſciens reverenter.
Qui decus & ſpeculum tum norma patens monachorum,
Claruit ut lilium, micat inter germina florum.
Nec modo contiguis confratribus & ſibi natis,
Immo procul poſitis, ſublimibus, haud quoque noris
Carus & acceptus fuit, hoc virtutis adeptus,

Ejus patria, mores, literæ.

(a) Guillelmus II, rex Angliæ dictus Rufus.

BIBLIOTHEQUE ROYALE

Tempore ſub cujus quammulti multa dedere
Becco, divitiis ditantes, excoluere.
Robertus Mellenti ejus conſanguineus. Robertuſque comes de *Mellent* vir memorandus,
Ipſius abbatis conſanguinitate propinquus,
Auxit præcipue non parvis ejus amore
Beccum redditibus, Matriſque Dei ſub honore,
Ordo ſed interior ſub eodem debilitatus
Haud fuit; in modico quin firmior, at moderatus;
Cultus & interior non laxabatur in ullo:
Immo ſubaccreſcens, flexuſque gravedine nulla.
Non etenim Beccus tunc temporis intus egebat,
Jam ſed abundabat, jam de foris ipſe cluebat.

Rexit annis xxx. 20. At qui tranſactis ter denis circiter annis,
Eccleſiæ Becci, quibus abbas præfuit ipſi,
Cum paſtorali cura prius invigilaſſet,
Officiumque ſuum, quod pulchre concelebraſſet,
Tandem GUILLELMUS carnis valetudine tactus,
Poſthabitis rerum curis plenuſque dierum
Sic obdormivit, ſed & in Domino requievit,
Appoſituſque ſuis hinc patribus & tumulatus.
De Boſone Becci IV. abbate. Cui prior eccleſiæ ſucceſſit Boso vocatus,
Pro libitu fratrum paſtoris ſede locatus.
Hic fuit aſtutus, ſapiens, ſubtilis, acutus
Conſilio, cura, ſcripturis, philoſophia.
Quiſnam quæſo virum triſtis properavit ad ipſum,
Et non continuo gaudens diſceſſit ab ipſo.
Summi nempe viri, diſtantes atque remoti
Quo ſatis edocti ſermonibus exhilarati,
Conſilii cauſa venientes hunc repetebant,
Hunc admirantes verbi virtute ſtupebant.
At ſuper illius quid dicam relligione,
Quidve ſuper mentis quid proloquar integritate,
Quis fuit Anſelmo connexus ita reverendo,
Quod vix aut ſero diſjungi poſſet ab ipſo?
Hic ſibi ſubjectos in tanta pace tenebat,
Inſuper & tantæ dulcedinis arte regebat,
Ut fieret notum, manifeſtius atque pateret
Spiritus ille ſacer, qui in ejus corde maneret.
Claruit hic multis diverſis partibus orbis,
Senſu magnifico, verborum pondere miro;
Notus & indiciis fit ſummæ relligionis
Regibus, & primis cujuſque procul regionis,
Qui ſibi commiſſum ſervare gregem ſatagendo,
Nunc potabat eos exemplis inſtituendo,
Nunc paſcebat eos doctrina ſpirituali,
Non tamen exceptans hos paſtu materiali:
Immo ſubimplebat laute quod cuique decebat,
Affectu miro Chriſti nectens ſibi tyro.
Taliter egregius Boso paſtorque peritus,
Invigilans caſtris Domini ter quatuor annis,

A Juſtitiæ tectus lorica vir bene doctus,
Neumatis at gladio ſancti præcinctus acuto;
Tum clypeo fidei tutus galeaque ſalutis,
Fortis ut athleta non ſegniter intus agebat,
Hoſtis ab incurſu ſervando ſuos ſatagebat.
Hic conſummato vitæ præſentis agone,
Tranſiit ad Chriſtum mortis ſed conditione;
Et bene defertur ſuper æthera ſpiritus ejus,
Namque mori lucrum fuit ipſi vivere Chriſtus.

Theobaldus V. abbas Becci. 21. Cujus in officio quidam ſurrexit herilis
Exque priore loci curam ſortitur ovilis.
B Hic Thebaldus erat dictus, ſatis atque patebat:
Moribus inſignis, natalibus & bene dignis,
Artibus egregiis imbutus, & altius ipſis.
Qui poſt annorum jam decurſum geminorum
Deſuper aptatis ſex menſibus enumeratis,
Cum regeret Beccum ſatis accuratius ipſum,
A foris acceptans quæ congrua noverat ædi,
Intus & aſſignans divinæ conſona legi,
Eſſet & hic gratus cunctis & amore ligatus,
Illis ſubſtrahitur, Chriſto ſed compoſitore;
Anglis atque datur, miro tranſlatus honore,
C Summus & eccleſiæ ſit præſul Canturienſis,
Inſula præſignis cui ſubditur Albionenſis.

Creatus archiep. Cantuariæ varios in Anglia motus compeſcit. 22. Tempore ſub cujus, ſpecies ut denotat ejus,
Anglia, quæ dudum fuerat ditiſſima rerum,
Hinc opibus variis, hinc gentibus imperioſis,
Proh dolor! orbatur, alienis & ſpoliatur.
Obruta langueſcit, fere jam ſubverſa pateſcit,
Invidiâ procerum regni patriæque potentum,
Enſibus & flammis cum proditione furentum.
D Hujus ob arcendam cladis rabiemque premendam,
Quæ penes eccleſias etiam tunc depopulando,
Sævius exarſit, vix ullam prætereundo,
Tanta ſuperborum tulit impedimenta virorum,
Sæpe quod & capitis incurrerit ipſe periclum.
Chriſtus at illæſum conſervans altius ipſum,
Omnibus eripuit ex his, pacique reduxit.
Nam velut ipſe Joſeph auctore Deo perhibetur
E Miſſus in Ægyptum, ſcripturis idque docetur,
Fratribus atque patri, cunctæque ſuæ quoque genti
Quo compenſaret, pro tempore convenienti.
Sic fuit iſte Dei nutu provectus honori
Regni totius Anglorum, ſed potiori,
Quo jam liberius, & matri compatiendo,
Fratribus atque ſuis præſtaret ſubveniendo;
Inſuper & rerum fieret protector earum,
Quæ fuerant pronæ Becco procul in regione.
Quæ bene compenſans, & ſecum mente retractans,

Becci poſſeſſiones in Anglia inprimis tuetur.

Muneribus dignis matrem venerando frequenter
Extulit, adjuvit ſubmiſſus ei reverenter.
Quidquid erat Becci conſervans inviolatum,
Hoſtis & e manibus defenſans intemeratum,
Tempore quo cuncti noſcuntur ad omnia moti.

Letardus VI. abbas Becci. 23. Cui poſt ſucceſſit vir ſummæ religionis,
Infectus vitiis, virtutibus ac ſtudioſus
Nomine LETARDUS, redolens velut Indica nardus.
Porro ſed ætatis provectæ, nam gravitatis
Extiterat multæ, mentiſque procul bene cultæ.
Prudens, maturus, patiens & corpore purus.
Diſcipulis pandens exemplo ſufficienti,
Quod mandabat eis ſervandum voce patenti.
Hic conſummatis bis quinque beatius annis,
Ex quo cœnobium ſumpſit Beccenſe regendum,
Vitam finivit præſentem ſic & obivit,
Tranſiit, & virgo prodivit matris ut alvo,
Cum ſexagenum quintũ ſuperegerat annum.

Rogerius de Bailleul VII. abbas. 24. Cui ſubit extemplo conventus e grege ſimplo,
Quidam Rogerius de BAILLEUL qui fuit ortus,
Indolis egregiæ, ſcrutator & ipſe ſophiæ.
Ingenio promtus, ſed & eloquio bene comptus.
Qui non humanis, quo quiſque tumeſcit inanis,
Tantum, ſed divis imbutus erat documentis.
Quorum notitia paſtorum qui viduatur
Eſt aſino ſimilis, ſed Lauro qui decoratur.

VARIÆ LECTIONES ET ADDITIONES AD CHRONICON BECCENSE.

Ex mſ. bibliothecæ ſereniſſimæ reginæ Sueciæ not. 1303.

Pag. 8. Cui ſucceſſit Rogerius filius ejus. *mſ. cod.* cui ſucceſſit Rogerius frater ejus. Roberto de Tougeyo priore clauſtrali. *mſ. cod.* Roberto de Torigneyo P. C. Beccenſis monaſterii. Eodem menſe dux Henricus rediens de Aquitania Rothomagi in die feſtivitatis S. Johan. Bapt. gratanter aſſenſum præbuit prædictæ electioni, quam archiepiſcopus Rothomagenſis Hugo, vir ſummæ religionis & induſtriæ, cum imperatrice matre ducis, antea ut præſentes libentiſſime confirmaverant. Sequenti vero menſe in feſtivitate Mariæ Magdalenæ prædictus electus benedictus eſt in abbatem apud S. Philibertum de Monteſorti, ab Heberto epiſcopo Abrincatenſi & Girardo Sagienſi, præſentibus abbatibus Rogerio Beccenſi, Michaële Pratellenſi, Hugone de S. Salvatore Conſtantienſi.

Reſpiciens auguſtum præciſa rupe ſepulchrum. *mſ. cod.* reſpicis anguſtum præciſa rupe ſepulcrum.

Pag. 9. Mathildis, &c. *mſ. cod.* Maſſuldis, &c. cujus corpus apud Beccum delatum eſt & ante altare beatæ Dei genitricis Mariæ in eadem eccleſia honorifice ſepultum.

Anno milleſimo centeſimo ſeptuageſimo octavo idem pretioſus martyr canonizatus eſt. *mſ. cod.* an. 1173. &c.

Et Rotrodo Rothomagenſi. *mſ. cod.* a Rotrodo Rothomag.

Pag. 10. Et Henrico Briocenſi. *mſ. cod.* Henrico Bajocenſi.

Mſ. cod. Anno 1179. Ludovicus rex Francorum vota ſancto Thomæ ſoluturus orationum cauſa Angliam intravit & per triduum Cantuariæ moratus eſt.

Dominus Richardus de ſancto Leodegario, tunc infirmarius prædicti loci. *mſ. cod.* Dominus Richardus de S. Leodegario, tunc juſtitiarius prædicti loci.

Pag. 11. Amoto Ingelranno foro ſancto, &c. *mſ. cod.* Amoto Ingelranno foro facto.

Pag. 13. Ce fut en temps de l'abbé Pierre, pour ce qu'en pierre, &c. *mſ. cod.* Ce fut en temps de l'abbé Pierre, à qui écheyt maintes pierres, pour ce qu'en pierre, &c.

Pag. 16. Feci dedicare eccleſiam novam de novo completam, ut poſtea patebit. *mſ. cod.* De novo completam & conſummatam quæ dedicatio fuit tam celeberrime & tam ſolemniter completa prout patebit in ſequentibus.

Pag. 18. Guillelmus de Benſſevilla dictus Popeline, &c. *mſ. cod.* G. de Beuſſevilla dictus Popeline in abbatem & paſtorem ipſius monaſterii & poſtmodum benedictus, vir quidem magnæ prudentiæ & probitatis, modeſtus, facetus, mitis & dilectus ad omnes, patiens, miſericors, largus & munificus qui ſtrenue & laudabiliter rexit, &c.

Pag. 18. Chriſte propina, anno D. 1388. poſt obitum, &c. *In mſ. codice hæc adduntur poſt hæc verba* Chriſte propina. Hic venerabilis vir ſupradictus temporibus ſuis veſtivit & recepit in prædicto monaſterio quamplures monachos religioſos diſcretos viros, de quibus poſtea floruerunt unus Gaufridus dictus *Harene* abbas Gemmeticenſis, Vincentius de Rothomago dictus *le Lieur* abbas Pratellenſis; necnon Robertus de Rothomago, alias *le Tellier*, abbas S. Ebrulfi, ac Johannes de Bouleya abbas Ceracienſis. Anno D. 1388. poſt obitum, &c.

Pag. 22. Reverendus pater Guillelmus abbas, &c. *uſque ad hæc verba* ubi ſolet accipi benedictio, *ut in mſ. poſtea ſequitur in mſ. cod.* Hic vir venerandus rexit prædictum cœnobium cunctis ſuis amabilis per ſpatium 18. annorum & dimidio vel circa; cujus animæ propitietur Deus. Amen.

Pag. 24. Thomaſque Friguanti, *mſ.* Frigueti.

Chriſti colla ſubegit, *mſ.* Chriſto colla, &c.

Anno milleno centeno ſicque quaterno, *mſ.* addit : Quinta Quintilis decies quarto quoque ſexto, parcat illi Deus. Amen.

Deinde ſequitur in mſ. codice : Venerabili THOMA XXVIII. abbate monaſterii B. M. de Becco Herluini de carnis educto ergaſtulo, ſucceſſit honeſtus vir unanimi fratrum conſenſu electus JOHANNES de Rothomago, alias de Motha, ſacerdos & monachus in dicto monaſterio expreſſe profeſſus. Hic vir venerandus decimus liberorum nobilis viri Simonis de Motha civis Rothomagenſis, poſtquam pueritiæ incrementa tranſegit & rudimenta grammaticalia ſtudioſus percepit, diſcretis magiſtris Pariſius in præclara artium facultate a parentibus traditur imbuendus: verum quia Deus præviderat eum lucernam in domo ſua fore ardentem, noluit tanti ſplendoris lumen ſub nubilo mundanæ obſcuritatis diutius latere ; ſed ſuper candelabrum vitæ contemplativæ, ut omnibus qui in domo Dei ſunt poſtmodum luceret, voluit collocare. Unde ſuorum parentum obtecundans votis, bene meritus filius dictum monaſterium ad probandum monaſtici ordinis vitam oblatus ingreditur, & ad ſui probationem ab abbate & conventu dicti loci benigne ſuſcipitur : fit Chriſti tyro novus qui prius erat philoſophus. Accipit illico obedientiæ fortiſſima arma, & jugi Domini ſuavitatem, oneris levitatem diligenter experitur, probat & approbat monaſticam vitam. Probatur nec reprobatur ejus laudabunda converſatio ; nam ob vitæ meritum bonæ indolis adoleſcens omnibus ſe imitabilem exhibebat. Probationis igitur anno & die revolutis, dicta probatione hinc inde facta, ipſe more ſolito profeſſionem expreſſam fecit: qua facta, & per dictum abbatem recepta, in conventu fratrum per oſculum admittitur, cœpitque poſtea de virtute in virtutem proficere, ſingulos fratres ſuos exemplo ad bonum inclinare, & ut verus clauſtralis omni humilitati operam dare. Noverat enim humilis ille monachus, quod non niſi per gradus humilitatis valet quis ad apicem altitudinis aſcendere. At ubi ætatis fuit competentis, eſt ſacris promotus ordinibus, ad ſacerdotii tandem meruit aſcendere gradum. Deinde poſt modicum temporis intervallum commiſſus fuit adminiſtrator prioratus de Bello-ſaltu Rothomagenſis ; deinde prioratus S. Petri de Cochiaco Ambianenſis ; poſtea prioratus B. Mariæ de Layo Belvacenſis, & deinceps prioratus S. Petri de Pontiſara Rothomagenſis diœceſis ; ſtudebatque Pariſius quouſque adeptus eſſet gradum baccalaureatus in decretis, & procedebat ad gradum Lutetiæ legendo per plures annos in dicta decretorum facultate, ſecundum morem in ſtudiis decretorum hactenus obſervatum : ſed conſequenter revocatus ad clauſtrum, qualis quantuſve fuit rerum effectu clareſcit. Nam electus fuit in priorem clauſtralem dicti monaſterii ; poſtea ad proſequendum quamdam cauſam intentatam per quemdam cardinalem occaſione prioratus de Bello-monte Rogerii Ebroicenſis diœceſis, miſſus fuit Pariſius, & interim videlicet anno Domini MCCCCXXXIV. gradum licentiæ in dicta decretorum facultate fuit aſſecutus, & poſtmodum commiſſus fuit ad regimen & adminiſtrationem prioratus Confluentii Pariſienſis diœceſis, & effectus eſt doctor, & actu regens Pariſius in dicta decretorum facultate, in qua per multum tempus rexit & ut doctor per univerſitatem Pariſienſem dominis abbati & conventui monaſterii Majoris-monaſterii prope Turonis, ordinis ſancti Benedicti, prioratum de Ovis, *en Teraſſe* gallice, Morinenſis diœceſis, & commendam obtinuit.

Anno Domini MCCCCXLVI. dicto monaſterio B. Mariæ de Becco Helluini vacante per mortem præfati Thomæ XXVIII. abbatis, & treugis inter reges Franciæ & Angliæ factis & proclamatis, pragmatica ſanctione in Normannia minime locum habente, religioſi dicti monaſterii electionem paſtoris in capitulo dicti loci celebrandam decreverunt. In quo certa die congregati, ceremoniis ad hoc neceſſariis debite obſervatis, unanimi conſenſu dictum JOHANNEM DE ROTHOMAGO per viam Spiritus-ſancti elegerunt, & electionem ipſius cum magnis ſumtibus ab apoſtolica ſede confirmari, & per dominum Radulphum archiepiſcopum Rothomagenſem in capella palatii ſui Rothomagenſis munus benedictionis ſibi impertiri, cum ea ſolemnitate quæ decebat, obtinuerunt. Quibus canonice peractis, idem dominus abbas, non obſtante tempore guerræ & deſolatione patriæ, dictum monaſterium laudabiliter rexit, & ſpiritalibus ſeveritatem in ſe retinens. Nam rigidis & perverſis cohabitationem diſciplinæ inferens, mitibus & piis manſuetus erat ut agnus. Gerebat ipſe modicam de ſua perſona ſollicitudinem ; nam cunctis ut agnus videlicet pius ſe affabilem exhibebat, cum fratribus erat ſicut unus ex ipſis, in ſe formam gregis potius quam paſtoris oſtendens. Gravitatem prælaturæ tamen prout poterat retinebat. In omnibus etiam ſuis agendis, etſi ſatis expeditivus, ſatis nihilominus erat bene conſultus. Semper etiam citra ingreſſum curæ paſtoralis triſtitiam vultu præferebat. Audivi quippe a fide dignis, eum poſt ingreſſum prælaturæ numquam fuiſſe hilarem, ſicut antea fuerat. Perpendebat forte cum B. Gregorio quidnam amiſerat, perpendebat nihilominus quid tolerabat, cernebatque ſe debere multorum ſervire moribus, ſingulorumque mores in melius reformare, & de ſingulis tandem æquiſſimo judici rationem reddere. In temporalibus etiam dicti monaſterii tam intra quam extra in bono ſtatu manu tenen-

do & deſolata reparando, debitaque ſui prædeceſſoris quæ maxima erant, occaſione guerræ quæ tempore ſuo viguerat, acquittando ſatis profecit. In recuperatione tandem ducatus Normanniæ per regem Franciæ faciendа, cum nonnullis aliis viris & dynaſticis nobilibus, & civitas Rothomagenſis apud dictum regem orator deſtinatur. Deinde per dictum regem una cum aliis prælatis pro expeditione dictæ pragmaticæ ſanctionis in conventione Bituricenſi comparuit: ubi principium infirmitatis ſumſit. Finaliter ad ſcaccarium Normanniæ apud villam Rothomag. ſedis vocatus fuit.

Anno D. MCCCCLII. decima ſeptima die Novembris poſt ſuorum ſuſceptionem ſacramentorum ab hac luce migravit, ſepultuſque eſt in medio chori, ad caput Guillelmi XXVI. abbatis dicti monaſterii: cujus animæ propitietur JESUS CHRISTUS filius MARIÆ Virginis. Amen.

Sequitur epitaphium ejus:

Clarum Rothomagus gaudet genuiſſe Johannem,
Et tanto Beccus Patre carere dolet.
Juris Pariſius cathedram per tempora rexit,
Fratres direxit moribus in melius.
Quem Rothom genere commendat, quem ſacra jura,
Quem prælatura, ſubjacet in cinere.
M. C. *quater ſem.* I. *duplex, & funera ſignant*
Menſis & undeni ſeptima dena dies.

Venerabili in Chriſto patre ac domino JOHANNE XXIX. abbate cœnobii Beccenſis a Deo accerſito, ſucceſſit in regimine prædicti cœnobii reverendus in Chriſto pater ac dominus GAUFRIDUS DE HISPANIA cognomine Benedicto, tum prior de Prato, qui die Mercurii quatuor temporum Decembris anni Domini 1452. convocatis omnibus & ſingulis quorum intererat, ſolemnitatibus aſſuetis rite peractis, per viam Spiritus-ſancti in abbatem fuit electus, nemine contradicente aut ſe opponente: deinde per vicarios archiepiſcopi Rothomagenſis, ſede vacante, ſecundum pragmaticam ſanctionem confirmatus atque benedictus, demum regiæ majeſtati fidelitatis præſtitit juramentum, mox in cura ſibi commiſſa inſequi ſtuduit doctrinam apoſtoli dicentis: *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſponтanee ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie, neque ut dominantes in clero, ſed forma facti gregis ex animo.* Nam quamvis gregi, quem dirigendum ſuſceperat, eſſet paſtor & prælatus, communis tamen erat omnibus. Itaque ſalva juſtitia & gravitate paſtorali, ſingulorum auribus ſe accommodat; in ceremoniis quoque chori, clauſtri, capituli, & refectorii adeo religioſe & reverenter ſe gerebat, quod omnes ſuos ad devotionem alliciebat. Domum Dei ſicut ardenter amabat, ſic multum decorabat. Unde merito dicere poterat: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Nam totam navim & ſiniſtram partem chori a capella Virginum uſque ad Crucem pavimento ſtravit, & fecit eam dealbari, quia ex vapore fumi procedentis ab igne ibidem a populo facto denigrata fuerat. In ea fecit altaria duo erigi, quæ non fuerunt ſuo tempore dedicata, & in ſuperiori appoſuit imagines ſanctorum Clari & Apolloniæ. Fecit iterum pingi Cruces intus & foris in ſignum dedicationis, & clauſit veſtiarium. In choro locavit imagines quatuor doctorum eccleſiæ, Gregorii ſcilicet, Ambroſii, Auguſtini atque Hieronymi, & juxta altare in parte ſiniſtra poſuit analogium, in quo ſunt quatuor angelorum & totidem prophetarum imagines, inter quos ſunt quatuor figuræ evangeliſtarum, ſuper quibus leguntur evangelia, ſingulorum ſingula, cum quatuor magnis candelabris. Ante pedaneum ſtatuit imaginem Moyſi, ſuper quam leguntur epiſtolæ & lectiones veteris teſtamenti, & in medio chori figuram aquilæ, ſuper quam choriſta ponit gradale. Quæ omnia Pariſius de cupro fuerunt facta. Fecit etiam fieri unam crucem argenteam de ſcyphis decedentium religioſorum ponderis XXX. marcharum vel circa, reliquiis & gemmis ornatam, in qua ſunt quatuor ſpinæ coronæ Salvatoris Domini noſtri JESU CHRISTI, & de vera Cruce cum aliis ſanctorum reliquiis. Eo tempore fecit in capſam caput ſancti Blaſii.... Has omnes reliquias ſuo tempore ab Anglia a commonachis noſtris inde expulſis allatas, fecit approbari. Duos etiam urceolos de argento pro aqua benedicta deferenda, & totidem aſperſorios fieri fecit ponderis.... marcharum vel circa. Fecit etiam fieri duas capellas panni ſerici, munitas caſulis, tunicis, dalmaticis, cappis albis, amictis & mappis paratis, unam ſcilicet rubei coloris, aliam vero albi, & etiam complevit capellam de Caroliis, quæ ante fuerat per ſuos prædeceſſores incœpta. Et ne ipſe & ejus conventus notaretur de ingratitudine, & laberetur memoria benefactorum eccleſiæ, quamdam cuppam munitam circumcirca argento, quam antiquitus dederat dicto cœnobio celebris memoriæ domina Mathildis imperatrix, quæ tractu temporis fuerat conſumta, & deinde per defunctum dominum ROBERTUM DE HISPANIA, tempore quo vivebat & deceſſit, priorem prioratus beatæ Mariæ de Prato prope Rothomagum, patruum ejuſdem defuncti abbatis, totaliter de argento reformata, poſtea proprer neceſſitates eccleſiæ venditioni expoſita, fecit inſtaurari de argento deaurato ponderis XII. marcharum, imaginibus elevatis refertam; & ordinatum fuit quod ſingulis diebus in quibus ſive * totus vel quatuor ad Venite, & in diebus obituum domini Helluini, ipſius imperatricis, & ipſiuſmet defuncti, ſingulis per ordinem conventus monachis propinaretur in ipſa vi-

* f. chorus.

num: quo prægustato, quilibet diceret: *Requiescant in pace, amen.* Et pro dicto vino quærendo assignavit quatuor acras terræ, quas in parochia de Nova-villa acquisivit. Superstruxit stillicidia lapidea in circuitu capellæ B. Mariæ, & totam carpentariam, & cooperuit sicut antea fuerat plumbo; ædificavit pulchrum infirmitorium & spatiosum, ornatum capella & cellulis pluribus saluti corporum decentissimis. Super conductus fontium, quia sæpe perdebant cursum, propter grossas radices arborum, quæ intus ex humore aquæ fovebantur, obstruentes meatum aquarum, vias subterraneas largas altitudinis hominis, testudinibus coopertas, pro ipsis visitandis, & impedimentis amovendis, a campo de Boulleyo usque erga molendinum de Feugerio, & a portu vineæ usque ad vadum prioris, & ab illo vado usque ad Turriculam quæ est prope cellam abbatis, exstrui fecit una cum turricula, & in vico per cujus medium manant aquæ, usque ad tineam lapideam cellarii, & de lignis & tecto super veteres parietes reædificavit aulam Martelli. Ædificavit portam pratorum; muros quoque parci pro majori parte reficere studuit. Manerium & grangiam de Marbedio & plura alia de novo construxit. Molendina *des Mejans* funditus destructa de novo ædificavit; & suo tempore in favorem fratrum conventus acquisita fuit portio quam habebat dominus de Mesnillo super illa molendina, ad augmentationem redditiuum pitanciarum: unde ordinavit quod fratrum conventus perciperent xx. solidos pitanciarum singulis annis in termino Paschæ, qui eis substracti fuerant occasione guerrarum & forterecіæ, tempore abbatis Roberti. Turrim quoque pro suspendendis campanis ecclesiæ incœpit & ædificavit usque ad altitudinem CLX. gra-

A duum & principium fenestrarum, quam morte præventus perficere non potuit. Privilegia nostra de religiosis committendis in prioratibus dicti monasterii vacantibus, contra impetrantes apostolicos & quoslibet alios viriliter defendit. Præterea non immemor suæ salutis, fundavit unum anniversarium pro se, suis parentibus, & amicis, & pro benefactoribus ipsius monasterii, pro quo celebrando assignavit x. libras Turonenses annuatim distribuendas modo & forma contentis in litteris in thesauro de monasterio reconditis. Finaliter infirmitate, quam fere per septen-
B nium Deum laudando sustinuit, habuit plures æmulos graves viros contra suam vocationem, ambientes dignitatem abbatialem, obtinentes litteras commendatitias principum & magnatum regni, mittentes magnos legatos, nobiles prudentes, & maximos rhetores, ad sibi persuadendum, ut dignitati cederet, offerentes sibi daturos magnam pensionem, sed semper fuit constans & in responsis cautus, quia minis, blandimentis, nec promissionibus ullis concuti potuit nec converti: sed rexit dictum cœnobium continue a die suæ electionis usque ad diem quar-
C tam decimam mensis Maii anni Domini 1476. qua die sacramentis ecclesiasticis munitus, carnis sarcinam deposuit. Anima ejus in pace requiescat, amen. Sepultusque fuit in choro dicti cœnobii sub tumba quam ipse vita ejus comite cum tumba sui prædecessoris fieri fecit. Sequitur epitaphium ejus.

Gaufridus *Hispanus cognomen habens Benedicti,*
Abbas Beccensis fratribus univocis
Electus, rectam morum vitæque beatæ
Servari normam temporibus studuit.
Cursum complevit, vitæ præcluditur usus,
Spiritus alta petit, corpus humusque tenet.

HISTORIA BREVIS
PRIORUM GRANDIMONTENSIUM

Ex mſ. codice Grandimontenſis monaſterii.

OBSERVATIO PRÆVIA.

DUPLICEM hic exhibemus hiſtoriam priorum Grandimontenſium, brevem unam, prolixiorem alteram, utramque ad illuſtrandas eorum res geſtas neceſſariam. Utraque enim ſingularia quædam & ſcitu digniſſima continet. De prioribus etiam Grandimontis ſcripſit Bernardus Guidonis epiſcopus Lodevenſis, cujus opus in Bibliotheca nova edidit Labbeus; ſed leviora ſunt, immo leviſſima quæ refert. Eſt autem Grandis-mons inſigne monaſterium, caputque ordinis a ſancto Stephano Muretenſi ſub magna diſtrictione in diœceſi Lemovicenſi fundatum, quod Johannes papa XXII. *in abbatiam erexit.*

DE S. STEPHANO PRIMO PRIORE.

STEPHANUS Tierni ſive Ternarum in Arvernia Galliæ provincia vicecomes nobiliſſimus uxorem habuit CANDIDAM, ex qua ſuſcepit filium ſibi cognominem STEPHANUM, quem cum ad intelligibiles perveniſſet annos, litteris imbuendum tradidit, & duodennem ſecum ad glorioſum corpus S. Nicolai, quod de Myrrha Lyciæ metropoli nuper tranſlatum fuerat Barum, orandi cauſa duxit. Inde cum redirent puer Beneventi in morbum incidit. Erat ejus urbis archiepiſcopus beatiſſimus MILO de Arvernia oriundus, apud quem puer a patre relictus, diu decubuit. Cum convaluiſſet, litterarum ſtudia repetiit, & aſſiduus fuit cum archiepiſcopo. Florebat tunc in Calabriæ finibus juſtorum congregatio religioſa, quam MILO ſermonibus, quos habebat ad populum, jugiter commendabat; cumque aliquem eorum patrum videre poterat, ut Chriſtum in ſervo ſuo loquentem audiebat. Fecit hæc piorum hominum obſervatio, ut STEPHANUS noſter, qui pueritiæ metas jam excedebat, magno deſerendi mundum deſiderio incenderetur. Quod ut commodius perficeret, parentes viſitare decrevit, ac poſtmodum ad archiepiſcopum redire. Accepta ergo a S. MILONE licentia, Gallias repetiit, parentes viſit, & Italiam repetiit. Verum cum Romam denuo fuiſſet ingreſſus, comperit S. MILONEM viam univerſæ carnis jam ingreſſum. Quare annos quatuor remanſit apud quemdam prudentiſſimum ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalem, cum eo Romanam curiam intrans & exiens. Cumque de omnibus quæ ſpectant ad ſalutem animæ ſufficienter edoctus fuiſſet, ac conceptum Deo ſerviendi deſiderium complere vellet, a Romano pontifice, cui bene notus erat, devotiſſime petiit, ut ordinem quem in Calabria obſervari didicerat, ſibi, ubi vellet, tenere concederet. Quod Chriſti vicarius auctoritate apoſtolica, & poteſtate qua cunctis præeminet mortalibus ei conceſſit.

Ille de conceſſione ſummi pontificis, quam

multum optaverat, gaudens, cum ejus benedictione discessit a curia, & per Arverniam in Lemovicum fines se contulit ad montem Muretum, ab urbe Lemovicensi non longe distantem, ubi inter rupes & fontes sedem sibi delegit, & cum quodam annulo, quem de omni substantia mundi solum habebat, semetipsum virginem Christo
» desponsavit, dicens: Ego STEPHANUS abre-
» nuntio diabolo & omnibus pompis ejus, &
» offero atque trado meipsum Deo Patri & Fi-
» lio & Spiritui-sancto, Trino & Uni Deo vi-
» vo & vero. Et scribens professionem suam posuit eam super caput suum, & dixit:
» Omnipotens & misericors Deus Pater, &
» Fili & Sancte Spiritus, qui semper idem per-
» manes & vivis & regnas trinus & unus Deus,
» Ego STEPHANUS promitto tibi me amodo ser-
» viturum in hac heremo in fide catholica.
» Quapropter pono cartam istam super caput
» meum, & annulum istum in digito meo,
» ut in die obitus mei sit mihi hæc promissio
» & hæc carta scutum & defensio contra in-
» sidias inimicorum meorum. His dictis, non est ultra reversus ad sæculum, sed facto de virgulis parvo tugurio anno ab Incarnatione Domini MLXXVI. tricesimum agens ætatis suæ annum, heremum habitare cœpit.

Ab illa die cibus ejus panis & aqua fuit. In senectute tamen, trigesimo scilicet a conversatione ejus anno, modico vino usus est propter stomachum, quem ciborum ariditas & penuria nimia arctaverat: sed carnem & sagimen nullo tempore suæ conversationis sanus aut æger comedit. Lorica ferrea contra carnis insidias tamdiu incessit armatus, quousque toto exsiccato corpore plenam de seipso obtinuit victoriam. Stratus in quo post nimiam carnis fatigationem ad quiescendum se modicum conferebat, erat ex tabulis ligneis instar sepulchri in terram conserti, omni stramento omnique lectisternio carens, præter tunicam ferream, quam semper ad nudam gestabat carnem, & viliſſimum habitum, quo desuper erat indutus. A prima die qua heremum cœpit incolere, usque ad ultimum vitæ suæ, præter ecclesiastici officii regularia debita, scilicet agenda diei, & B. MARIÆ & fidelium defunctorum, ordinem de S. Trinitate cum novem lectionibus & horis canonicis singulis diebus ac noctibus devotissime celebravit. Numerum genuflexionum ejus quas terram deosculando & cum fronte nasoque percutiendo faciebat, scire non possumus: scimus tamen quod manibus ac genibus in modum cameli earum assiduitate genuflexionum callos contraxerat, & nasum curvaverat in obliquum. Psalmodiam, familiares orationes, & contemplationem ita amabat, ut nunc hujus dulcedine captus, nunc illarum occupatione detentus, frequenter biduo aut triduo a corporali vacaret edulio. Ad se undique venientes ita instruebat, ut ea quæ orando facere vel dicere consueverat, differret quidem, sed non omitteret. Postquam enim ab eo qui advenerant recedebant, quæcumque hora tunc esset, antequam comederet vel dormiret, omnia quæ de consuetis orationibus necessario intermiserat omni cum devotione restituebat, unde plerumque usque ad crastinum nullum cibum sumebat.

Primo suæ conversionis anno solus in heremo fuit, secundo autem quemdam de sæculo in suam recepit custodiam & disciplinam, quem alter postea subsequutus est: his duobus solummodo diu comitatus fuit. Postquam autem disponente Domino discipulorum ejus numerus crevit, non quasi unus ex illis in illis factus est, sed minor omnibus illis. Eorum tamen cogitationes noverat, & tentationes quas a diabolo parabantur, illis apertissime dicebat. Venerunt ad eum cardinales GREGORIUS & PETRUS DE LEON, inter quos postmodum de prælatione Romani pontificatus, schisma fuit, cum a summo pontifice ad concilium Carnotense mitterentur legati, & B. viri conversationem summopere laudaverunt. Denique cum annos fere quinquaginta in eremo vixisset, sanctus noster STEPHANUS in morbum incidit: quo ingravescente, se in oratorium portari fecit, & finita missa, post sacram unctionem & sumtionem Corporis Christi octogesimo ætatis suæ anno, in ordine diaconatus, sexta feria, sexto idus Februarii, migravit ad Dominum, anno Christi MCXXIV. pene completo, sub epacta tertia, concurrente septimo, cum bissexto jam futuro in eodem mense.

Vix animum exhalarat, cum monachi de Ambaziaco, capellanus ejusdem vici, & plebis multitudo cellæ fores pulsaverunt dicentes: Nolite nobis celare domini STEPHANI mortem, bene enim scimus quia mortuus est. Nam in vico nostro puer quidam in extremis positus ab heri & nudius tertius loquelam amiserat, qui cum a matre sua exitum præstolante servaretur, subito in hæc verba prorupit: Video scalam lucidissimam, cujus altera pars cœlum, altera tangit Muretum, & « angeli multi descendunt per eam, ut animam domini STEPHANI Deo gratissimam « ducant ad gloriam. Quod audiens mirata « est valde, & monachos istos vocavit, qui idem audierunt de ore pueri, qui etiam adjecit: Hoc erit vobis indicium quod dico « veritatem, quia jam moriar, nec ultra lo- « quar vobiscum, sed ascendam cum sanctis- « simo patre. Quibus dictis expiravit.

Eodem die ejus transitus apud Turonum incerto nuntio vulgatus est. Dato sanctissimo corpore sepulturæ, discipuli ejus obitum per litteras & nuntium mandaverunt jam dictis cardinalibus, qui coram archiepiscopis, pontificibus, ceterisque sapientibus Car-

noti congregatis, multa bona de virtutibus illius loquuti sunt : quibus auditis omnes qui aderant, Deo gratias egerunt; & facta »absolutione, cardinales dixerunt : Nos ora»vimus pro illo, nunc vero deprecemur il»lum, ut oret pro nobis ad Dominum, quia »sine dubio plus possunt nos juvare illius san»cta merita, quam illum nostra suffragia.

De secundo priore a sancto Stephano, scilicet Petro Lemovicano.

Pio patre destitutifratres, de conventu suo in priorem & patrem spiritualem sibi delegerunt PETRUM Lemovicanum, qui in sæculo sacerdos fuerat, & in religione voti quod fecerat æmulator, Deo & hominibus carus & amabilis erat. Sub cujus regimine grege Dominico in augmentum proficiente, locum de Mureto, in quo Deo serviebant, monachi S. Augustini * calumniari cœperunt; sed immensa Dei providentia latiorem locum & religiosæ conversationi magis idoneum eis paraverat. Priore namque missam in sacello Muretensi celebrante, cum *Agnus Dei* ter cantatum fuisset, & omnes ardentissime Deum exorarent, quædam cœlestis vox audita est, dicens : *In Grandimonte, in Grandimonte.* Hanc vocem prior & nonnulli de fratribus audierunt, & finita missa, se ad locum divina revelatione compertum, nec longe a Mureto distantem se contulerunt. Ibi ecclesiam & domos ædificaverunt, eoque postea transtulerunt sanctissimi patris ossa, juxta quæ miles quidam paralyticus sanatus est, & quidam sancti viri discipulus oculorum quem amiserat usum recepit.

*Memoriensis.

Quibus miraculis inspectis, timuit prior sibi & aliis quietem minui, si populorum turbæ miraculorum causa locum ad quem venerant frequentarent. Et veniens ad sepulchrum Hominis Dei ante altare, ei, ac si viveret, ita locutus est : Serve Dei, tu ostendisti nobis paupertatis viam, & toto conamine tuo docuisti nos incedere per eam. »Nunc vero de arcta & ardua via, quæ du»cit ad vitam, ad latam & spatiosam quæ du»cit ad mortem tuis nos vis miraculis revo»care. Prædicasti solitudinem, nunc in soli»tudine fora nundinasque vis congregare. Non »ducimur curiositate, ut tua miracula videre »velimus. Satis tuæ credimus sanctitati. Cave »igitur ne de cetero ea miracula facias, quæ »tuam extollant sanctitatem, & nostram de»struant humilitatem. Non sic tuæ laudi pro»videas, ut nostræ sis immemor salutis. Hoc »tibi præcipimus, hoc a tua poscimus cari»tate. Quod si aliter feceris, dicimus tibi & »per obedientiam quam tibi promisimus con»stanter asserimus, quia ossa tua inde extra»hemus, & spargemus in flumen. Ab hoc tempore pauciſſima facta sunt ad sancti viri tumulum miracula usque ad tempus canonizationis, de quo inferius.

Hujus secundi prioris tempore cœpit HENRICUS rex magnificam Grandimontensibus patribus domum ædificare, quam ejus posteri perfecerunt, & plumbo tegendam curavit. Vixit Petrus Lemovicanus in prioratu suo annos tredecim minus triginta diebus.

De priore tertio Petro de sancto Christophoro.

Subiit huic in prioratu PETRUS de S. CHRISTOPHORO electus anno Domini MCXXXVII. tempore Innocentii II. pontificis maximi. Vixit in prioratu annos duos & dimidium.

De IV. *priore Stephano de Liciaco.*

Post eum accepit prioratum STEPHANUS DE LICIACO, homo austerus, qui constituit ut fratres bini & bini, cum de eremo aliqua necessitate urgente egrederentur, incederent. Prohibuit ut nullus fratrum istius religionis sanus aut æger carne vel * sanguine vesceretur. Vixit in prioratu XXIII. annos & dimidium.

*f. sagittine.

De V. *priore Petro Bernardi.*

Electus est post eum PETRUS BERNARDI quintus prior, qui prædecessoris sui vestigia veraciter sequendo, virgam sui prioratus rectissimam per septem annos cum dimidio tenens, translationem glorioſissimi corporis S. Stephani confessoris, adunato in Grandimonte capitulo generali, die sequenti post nativitatem B. Johannis-Baptistæ celebravit, & obiit VI. idus Julii.

De VI. *priore Guillelmo de Traynhaco.*

Cui successit GUILLELMUS DE TRAYNHACO, tempore cujus Emmanuel imperator Constantinopolis, per venerabilem episcopum Lydensem in Grandimontem pridie idus Junii anno Domini MCLXXIV. crucem sanctam transmisit. Idem prior MCLXXXI. Alexandro III. pontifice M. Gerardum Sibergiæ abbatem meritissimum de Germaniæ partibus venientem, ut fraternitatem ordinis peteret, ac Rupem Amatoris visitaret, honorifice susceptit, & reliquias SS. Albinæ & Essentiæ virginum & Martii aliorumque sanctorum a PHILIPPO archiepiscopo Colonienſi meruit accipere. Romam adiit, unde rediens in itinere obiit decimo octavo prioratus sui anno. Ejus ossa in Grandimontem translata sunt.

De VII. *priore Gira.o Itherii.*

Ultimo anno papatus Lucii III. Philippo rege Francorum & Henrico II. Angliæ regnantibus, oborta est gravis dissentio inter monachos Grandimontenses, quæ per triennium fere duravit. Ibant ad curiam fratres & redibant, nihil proficientes usque ad tempus CLEMENTIS papæ III. qui B. Stephani Muretensis regulam confirmavit, privilegia innovavit, duosque priores qui tunc erant sibi contrarii destituit, & potestatem eligendi

priorem indulſit. Qua accepta Grandimontem reverſi, convocatoque generali capitulo in feſto S. Michaëlis, elegerunt GERARDUM ITHERII priorem ſeptimum, cui fratres congregati fere quingenti obedientiam promiſerunt coram ELIA Burdigalenſi archiepiſcopo, SEIBRANDO Lemovicenſi epiſcopo, & BERTRANDO Aginnenſi epiſcopo.

Hujus prioris ſeptimi anno primo & Chriſti MCLXXXVIII. facta eſt revelatio S. Stephani confeſſoris, de qua diligenter inquiſierunt ſupra nominati pontifices, quorum atteſtationes GERARDUS prior per duos ex diſcipulis ſuis Robertum ſacerdotem & Guillelmum fratrem converſum Romam miſit. Quibus viſis perlectiſque, dominus CLEMENS papa, habito cum cardinalibus conſilio, deſtinavit Preneſtinum epiſcopum & JOHANNEM S. Marci cardinalem, qui Grandimontem peterent cum his litteris.

CLEMENS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto filiis GERALDO priori & fratribus Grandimontenſibus ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Ideo ſacroſanctam Romanam eccleſiam Redemtor noſter caput omnium eſſe voluit & magiſtram, ut ad ejus diſpoſitionem & nutum, divina gratia præeunte, quæ ubique a fidelibus gerenda ſunt, ordinentur, & errata in melius corrigantur, & ad ejus conſilium in ambiguis recurratur, ut quod ipſa ſtatuerit, nemini, quantumcumque de ſuis meritis glorietur, liceat immutare, ne ſi forte promiſcua daretur univerſis licentia quæcumque ſibi ſecundum voluntatem propriam occurrerent perpetrandi, confuſa libertas, cum ſecundum perſonarum diverſitatem vota diſſentiant, in aliorum aliquando ſcandalum, ſine juſti diſcretione libraminis commendanda ſupprimeret, & minus digna laudibus indebitis celebraret. Inde ſiquidem fuit, quod bonæ memoriæ prædeceſſor noſter URBANUS audita fama religionis, & vitæ commendabilis puritate, qua ſanctæ recordationis STEPHANUS Grandimontenſis ordinis inſtitutor emicuit, quantis etiam miraculorum teſtimoniis omnipotens Deus ipſius voluit mundo merita declarare, legatis quos ad partes illas direxerat pro quibuſdam negotiis eccleſiæ tractandis, plenam circa hæc inveſtigationem committere voluit, ut ex ipſorum ceterorumque virorum, quibus ſine dubitatione fides eſſet habenda, teſtimonio, ad id agendum conſulte procederet, quod & fidelium commodis, & ejuſdem viri ſancti honori, qui hactenus velut in ſterquilinio gemma latuerat, congruere videretur. Nos etiam ex teſtimonio cariſſimi in Chriſto filii noſtri HENRICI illuſtris Anglorum regis, necnon venerabilium fratrum noſtrorum GUILLELMI Remenſis S. Sabinæ cardinalis, BARTHOLOMÆI Turonenſis, & ELIÆ Burdigalenſis archiepiſcoporum, & SEIBRANDI Lemovienſis epiſcopi, & dilectorum ROBARDI tunc S. Angeli, & OCTAVIANI SS. Sergii & Bacchi diaconorum cardinalium, qui in partibus illis functi ſunt legationis officio, & aliorum multorum epiſcoporum plenius inſtructi, de vita, meritis & converſatione qua ſæpedictus vir ſanctus aſſeritur floruiſſe, & quod eum multimodis miraculorum indiciis divina voluit pietas illuſtrare, hujus executionem negotii dilecti filii noſtri JOHANNIS tituli S. Marci preſbyteri cardinalis apoſtolicæ ſedis legati duximus arbitrio committendam, per apoſtolica illi ſcripta mandantes, ut ad locum veſtrum accedens, convocatis adjacentium illarum partium epiſcopis, ceteriſque viris religioſis, ipſum inter ſanctos auctoritate qua fungimur, nos denuntiet adſcripſiſſe in ſanctorum catalogo numerandum, & per ipſius merita Redemtoris ſuffragia decreviſſe cum reliquorum ſanctorum interventionibus poſtulanda. Datum Lateranis XII. kal. Aprilis, pontificatus noſtri anno II.

Acceptis litteris domini papæ, valde lætati ſunt fratres Grandimontenſes, actiſque Deo gratiis, priori GERARDO dixerunt: Domine pater, veſtra diſcretio novit quomodo & quemadmodum pater ſpiritualis domnus PETRUS Lemovicenſis prior ſecundus, domino ac venerabili patri primo B. Stephano quaſi increpando ac minando, cum cerneret quod Deus per merita ipſius prodigia & ſigna faceret, eum ne taliter ageret prohibuit. Requirat itaque veſtra humilitas ab eo, ut fiant aliqua miracula ejus meritis & precibus. Quo audito, dixit prior GERARDUS fratribus; Venite ergo & congregamini & eamus ante ſepulcrum viri beatiſſimi. Iverunt, oraverunt, & Deus B. Stephanum diverſis dignatus eſt honorare miraculis.

Appropiñquante autem feſto S. Auguſtini, & jam defuncto recenter HENRICO Anglorum rege illuſtriſſimo, dominus legatus Grandimontem venit, & convocatis ibidem archiepiſcopis & epiſcopis, videlicet domno HENRICO Bituricenſi, RAINAUDO Apamienſi qui tunc temporis a tranſmarinis partibus exul venerat, necnon & ELIA Burdigalenſi archiepiſcopo, SEIBRANDO Lemovicenſi, GUILLELMO Pictavienſi, ELIA Xantonenſi, ADEMARO Petragoricenſi, GERARDO Caturcenſi, BERTRANDO Aginnenſi epiſcopis, abbatibus etiam & viris religioſis, & plebe innumera, acceſſit ad locum ubi corpus B. Stephani condigno honore humatum jacebat. Tunc domino legato jubente, a terra elevatur, & per clauſtrum cum magna veneratione, cereis ardentibus, ac thuribulis fumigantibus portatur, in eccleſiam deducitur, & ſuper altare B. Mariæ honorifice ponitur. Domnus HENRICUS Biturienſis archiepiſcopus ac primas Aquitanicus miſſam in honorem ſancti Stephani celebravit, cantoribus ſolemniter incipientibus *Os juſti*. Inter miſſarum ſolem-

nia puer quidam decennis ex utero matris A
ſuæ claudus, mutus, & manibus aridus, quem
pater ejus Elias Valaris nomine, civis Lemo-
vicenſis, ad ſepulcrum B. Stephani portari fe-
cerat, cœpit libere loqui, ambulare, & ma-
nus movere. Adoleſcens quidam filius Petri
de Uſarchia civis Lemovicenſis, a veſica
magna quam in collo habebat curatus eſt.
Completis miſſarum ſolemniis, alia multa
miracula facta ſunt, quæ à priore GERARDO
litteris mandata extant. Idem prior vitam
S. Stephani dictavit, Speculum Grandimon-
tis compilavit, omnibuſque bene conſtitutis
prioratui ceſſit. Obiit XIII. cal. Maii in Gran-
dimonte. B

De VIII. *priore Ademaro de Friaco.*

Inſtitutus eſt ejus loco ADEMARUS DE
FRIACO prior VIII. qui interfuit concilio La-
teranenſi Romæ celebrato ſub Innocentio III.
anno Domini MCCXV. pontificatus illius anno
XVIII. Inde rediens anno ſui regiminis XVIII.
in itinere pridie nonas Martii obiit, delatus
in Grandimonte, & inter priores ſepultus.

De IX. *priore Caturcio.*

Huic ſucceſſit CATURCIUS prior nonus, cu-
jus tempore, anno ſcilicet MCCXVII. fuerunt
fratres converſi ordinis Grandimontis, qui C
dominari clericis conſueverant, ſub cleric-
rum correctione omnino redacti. Hic cum
annis duobus prioratum gubernaſſet, illum
reſignavit, & poſt reſignationem vixit annos
decem. Obiit Grandimonti XII. calendas De-
cembris.

De X. *priore Elia Arnaldi.*

Caturcio ſubſtitutus eſt ELIAS ARNALDI
prior X. qui depoſitus fuit ad inſtantiam quo-
rumdam ſui ordinis fratrum per epiſcopum
Pictavienſem & abbates de Saviniaco & de
Maceriis, ac priores de Ligeto & de Glande- D
riis Ciſtercienſis & Carturſienſis ordinum, ju-
dices a ſede apoſtolica delegatos. Ab hac de-
poſitione dictus prior appellavit ad ſedem
apoſtolicam, appellationemque ſuam pro-
ſequens, obiit anno 1248. idibus Auguſti. Ibi-
dem jacet.

De XI. *priore Johanne de Aquila.*

Poſt depoſitionem dicti Eliæ electus eſt
JOHANNES DE AQUILA, prior XI. qui per tres
annos cum dimidio prioratum ſalubriter re- E
xit, & eidem poſtmodum ultro ceſſit. Obiit
III. nonas Julii.

De XII. *priore Ademaro la Vernha.*

Huic ſucceſſit ADEMARUS LA VERNHA
prior XII. qui cum per tres annos prioratum
rexiſſet, celebrato in Grandimonte feſto na-
tivitatis B. Johannis Baptiſtæ, capitulo ge-
nerali, obiit VI. calendas Februarii.

De priore XIII. *Guillelmo Dongres.*

Poſt quem electus eſt GUILLELMUS DONGRES
prior XIII. qui interfuit concilio Lugdunenſi
ſub Innocentio IV. anno 1247. ubi dictus pon-
tifex regulam & privilegia Ordinis Grandi-
montenſis innovavit. Obiit Guillelmus VII.
calendas Julii in domo de Machereto.

De priore XIV. *Itherio Meruli.*

Huic ſucceſſit ITHERIUS MERULI prior XIV.
qui a fratribus Gallicis ſui ordinis fuit coram
rege Franciæ accuſatus, ad eumdem evoca-
tus, promiſit renuntiare prioratui, quod fe-
cit cum in Grandimontem rediiſſet, & poſt
multa tempora V. nonas Octobris in Sarmaſia
ſpiritum ſuo reddidit creatori.

De priore XV. *Guidone Archerii.*

Ei ſucceſſit GUIDO Archerii prior XV. cu-
jus tempore THEOBALDUS rex Navarræ corpus
B. Macharii martyris de legione Thebæorum
in Grandimontem detulit. Ivit Guido prior
primo Lutetiam Pariſiorum contra fratres
Gallicos cum auxilio regis puniendos: tum
viſitando domos ſui ordinis, etiam Romam
ſe contulit, unde rediens audivit exitum fra-
trum Gallicorum inobedientium, & priora- C
tui ceſſit.

De priore XVI. *Fulcherio Grimoaldi.*

Ejus loco inſtitutus eſt FULCHERIUS GRI-
MOALDI prior XVI. qui interfuit concilio Lug-
dunenſi ſub Gregorio X. anno MCCLXXVIII.
Obiit Grandimonti VI. calend. Octobris anno
MCCLXXXI.

De priore XVII. *Petro de Conſaco.*

Inſtitutus eſt ejus loco PETRUS DE CONSACO
prior XVII. qui cum ad inſtantiam fratrum
æmulorum ſuorum fuiſſet coram papa Ho-
norio IV. citatus, & de curia ad Grandimon- D
tem, impetratis judicibus, rediiſſet; habita
de ſuis adverſariis plena victoria, anno IX.
ſui regiminis prioratui ceſſit, & VI. calendas
Octobris in domo de Defenſo feliciter mi-
gravit ad Chriſtum.

De priore XVIII. *Bernardo de Grandalmar.*

Poſt quem electus eſt in Grandimonte
BERNARDUS DE GRANDALMAR prior XVIII.
qui poſt menſem ab electionis die, VIII. ca- E
lendas Aprilis in pace quievit.

De priore XIX. *Guidone Fulcherii.*

Huic ſucceſſit GUIDO FULCHERII prior XIX.
cujus tempore Clemens V. cum ſex cardi-
nalibus & curia ſua per domum Grandimon-
tenſem anno MCCCVI. tranſiit, & per quin-
que dies expenſis ipſius domus moram traxit.
Poſt ejus diſceſſum prædictus prior nequiens
a factis expenſis domum Grandimontenſem
relevare, anno XV. ſui regiminis in vigilia

Pentecoſtes libere ceſſit prioratui, & x. cal. Octobris obiit in domo de Sarmaſia anno Domini MCCCVI.

De XX. priore Guillelmo de Prato Morelli.

Cui ſucceſſit GUILLELMUS DE PRATO MORELLI prior XX. qui ſex annis & novem menſibus ordinem Grandimontenſem gubernavit, & ad Chriſtum migravit anno MCCCXII. v. idus Martii.

De XXI. priore Jordano de Rupiſtagno.

Prior XXI. auctoritate Clementis papæ v. A in priorem electus eſt JORDANUS DE RUPISTAGNO per abbates S. Fermerii & S. Maxentii Vaſatenſis & Pictavienſis dioeceſeum, & archidiaconum Caturcenſem. Hic cum v. annis in regimine prioratus ſtetiſſet, fuit per Johannem XXII. in Avinionem evocatus, & in ejus præſentia die Lunæ ante Natale Domini anno ejuſdem MCCCXVII. prioratui ceſſit, & IV. idus Aprilis obiit in domo de Pinello anno Domini MCCCXXX. De prioratu Grandimontenſi facta eſt abbatia ſub Johanne XXII. XV. calendas Decembris MCCCXVII.

HISTORIA PROLIXIOR
PRIORUM GRANDIMONTENSIUM

Ex mſ. monaſterii Grandimontenſis.

Incipiunt laudes paſtorum venerabilium patrum priorum Grandimontenſium.

SI juxta doctrinam Eccleſiaſtici 43. laudare debeamus viros glorioſos & patres noſtros in generatione ſua, cum legimus I. Paralip. XI. mira quæ peregerunt viri fortium qui erant cum David, intelligimus quod eorumdem patrum exemplo laudare debemus patres noſtros priores Grandimontenſes, qui, ut legitur Sap. XI. imitati fuerunt illos qui in locis deſertis fixerunt caſas, necnon & illos qui ſuis poſteris reliquerunt nomen narrandi labores eorum; quibus patribus prioribus Grandimontenſibus, quia ſe & ſibi ſubjectos fratres virtuoſe rexerunt, ut electi in Domini noſtri JESU CHRISTI regnum, fecit Dominus nomen grande, juxta nomen magnorum qui ſunt in terra, ſicut prophetæ David regi legitur feciſſe I. Paralip. XVI. Et imprimis laudemus levitam magnificum ſanctiſſimum confeſſorem Chriſti STEPHANUM heremitam doctiſſimum, natione Arvernicum, primum & præcipuum fundatorem poſt Deum ordinis fratrum Grandimontenſium, ſub quo in heremo cœleſtem ac vitam Deo placitam ducente, anno Verbi incarnati MLXXVI. Grandimontis cœpit ordo.

Hic fuit ſimilis Moyſi, qui ſicut legitur Actuum VI. quod Moyſes fuit eruditus omni ſapientia Ægyptiorum: ita S. Stephanus fuit a Milone archiepiſcopo Beneventanæ urbis B ſacris litteris, bonitate, diſciplina & ſcientia. Item ſicut Moyſes fugit Ægyptum Exodi II. ita S. Stephanus fugit mundum & patriam ſuam. Item ſicut Moyſes deſertum intravit Exod. XV. & XIX. ita S. Stephanus. Item ſicut Moyſes dedit populo Iſraëlitico legem, Exod. XX. ita S. Stephanus dedit ſuis diſcipulis regulam ſecundum quam viverent. Item ſicut Moyſes multa fecit miracula coram Pharaone, Exodi XVII. ita S. Stephanus fecit miracula multa de eo ſcripta. Item ſicut Moyſes eduxit filios Iſraël de Ægypto, & immolavit Domino ſuper montem, Exodi III. ita C S. Stephanus eduxit ſuis exhortationibus milites de ſæculo, & immolavit Domino in monte de Mureto. Item ſicut Moyſes caſtrametatus fuit juxta montem Dei Exodi XVIII. ita S. Stephanus ædificavit juxta Grandimontem domum de Mureto, qui quidem ſanctus Stephanus anno Domini MCXXIV. idus Februarii quievit cum regibus & conſulibus terræ, qui ædificaverunt ſibi, ut dicit beatus Job III. ſolitudines, in dicta domo de Mureto ducatus Aquitaniæ, non longe diſtante a Lemovica urbe. Vixit autem in dicto nemore ſeu ſolitudine ſub ſanctæ paupertatis, humilitatis & abſtinentiæ ſalutari propoſito, annis fere quinquaginta quaſi duobus menſibus minus, indutus ad nudam carnem virgineam lorica ferrea; de cujus vitæ commendabilis puritate & miraculis, quibus omnipotens Deus ipſius voluit mundo merita declarare. Job. V. quia ut in libro Speculi Grandimontis & ſententiis ſeu documentis ipſius S. Stephani plene legitur, non omnia, ſed aliqua de vita ſunt hic ſub brevitate hoc modo inſerta. D

Fuit S. Stephanus natus in Arverno
Ex nobili domino de Caſtro Tierno,
Matre dicta Candida nitore interno.
Duodenum puerum pater duxit carum
Nicolai tumulo, pergens apud Barum,
Quem ad virum deſerit Milonem præclarum.
Hunc Stephanus habuit humilem doctorem,
Fratrum de Calabria imitando morem,
Ut ſeipſum faceret Chriſto ſervitorem.
Tales in Calabria neſcit pro recenti,
A Milone noverat manens Beneventi,
Qui archiepiſcopus erat illi genti.
Apud hunc duodecim annis eſt moratus
Stephanus, a Stephano patre commendatus,
Sibi noto quod erat ab Arvernis natus.
Ab eo ſe contulit Romam, hic quaternum
Annum cum compleverat rediit Arvernum,
Mox a ſolo proprio petiit externum,
Et in loco reſtitit quem vocant Muretum.
Non amœnos eligens agros, olivetum:
Sed ſaxoſum eremum, vepres & dumetum.
Hic per annum integrum ſolus habitavit,
Inauditum audiens gens prius expavit;
Sed poſt illi Dominus plures copulavit.
Annis fere quinquies decem ibi vixit,
Seque abſtinentiis pluribus afflixit;
Quas tamen pro regula ſuis non præfixit.
Quis noſtrum in talibus eum ſequeretur,
Ut lorica ferrea caro ſtringeretur,
Tridui jejunium continuaretur?
Annis tribus decies vinum non guſtavit,
Frequens genuflexio naſum oblicavit,
Genibus & manibus callum concreavit.
Æſtate & hyeme idem induebat,
In habitu ſingulis noctibus jacebat.
Terræ junctis poſtibus nihil ſupponebat.
Fit ut roſa redolens, ſed humilitatis
Maximæ ſacrarium & virginitatis,
Cum munificentia liberalitatis.
Sunt ab eo mortui plures ſuſcitati,
Surdi, claudi, debiles, infirmi ſanati,
Et aperti carceres, naviæ liberati.
Cum per ſcalam anima Stephani portatur
Ad cœli palatia, tunc puero datur
Reſeranda viſio quæ matri pandatur.
De Mureto qui in hunc montem commigrarunt,
Eos de parochia monachi fugarunt,
Cum arctare cuperent, magis dilatarunt.
His majora dicerem, ſed non crederentur,
Forſitan incredulis ſcandalizarentur,
Ipſemet prohibuit ne publicarentur.
Petro qui poſt Stephanum prioratum rexit,
In miſſa per angelum Grandimons illuxit,
Ibique ædificans ſe & gregem vexit.
Iſte locus Grandimons ante vocabatur,
Sed fortaſſis qui nunc eſt præfigurabatur,
Ut mons Sion in quo nunc Deus adoratur.
Eſt in monte Moyſi lex a Deo data,
Chriſti prædicatio ibi inchoata,
Et transfiguratio ab ipſo monſtrata,
Dæmonis tentatio a Chriſto proſtrata.
In monte ſalvatio, eſtque lex parata,

A Et Heliæ in Oreb aſcenſio data.

Iſai LVI. ait: *Adducam eos in montem ſanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ, holocauſta eorum & victimæ eorum placebunt mihi ſuper altare meum, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.*

Poſt quem confeſſorem & Deo amabilem Chriſti athletam Stephanum venit domnus Petrus Lemovicanus prior ſecundus, qui S. Stephani eremitæ ſuſceptum ordinem XIII. annis minus XXIV. diebus ſalubriter rexit. Iſtius prioris tempore tranſlatum eſt caput ordinis & corpus S. Stephani a dicta domo de Mureto ad locum honorabilem, qui nunc B eſt Grandimontis. Scriptum enim dictus prior legerat Aggei I. *Aſcende in montem portare lignum & ædificare domum, & acceptabilis mihi erit, & gloriabor in eo, dicit Dominus.* Et Ezech. XLIII. *Iſta eſt lex domus in ſummitate montis ſitæ, omnis finis ejus in circuitu, ſanctum ſanctorum eſt.* De iſto priore ſucceſſore S. Stephani confeſſoris, ſicut de Joſue ſucceſſore Moyſi in Eccleſiaſtico XLVI. legitur poteſt dici, quod fuit *magnus ſecundum nomen ſuum, maximus in ſalutem electorum Dei... Invocavit Altiſſimum in oppugnando inimicos undique, & audivit illum magnus & ſanctus Deus* ſuper perſecutionibus quas monachi C ſancti Auguſtini ſibi & fratribus faciebant, in deſerto inſidiantes eiſdem, juxta illud quod legitur in Threnis IV. dum ſibi miſſam celebranti, poſt *Agnus Dei* ter cantatum, locum Grandimontis voce angelica nuntiavit. Hicque prior obiit nonis Januarii.

Petrus Lemovicanus II. prior.

Succeſſit huic domnus Petrus de ſancto Chriſtophoro tertius prior regens ordinem Grandimontis annis duobus cum dimidio, obiens idus Januarii.

Petrus de S. Chriſtophoro III. prior.

Huic ſucceſſit domnus Stephanus de Liciaco quartus prior, ſub cujus regimine auxit Dominus quamplurimum ordinem Grandi- D montis, magno fratrum & domorum numero, diſciplina & bonis moribus informato, rexitque feliciter ordinem XXIII. annis cum dimidio, & obiit tertio nonas Januarii.

Stephanus de Liciaco. IV. prior.

Electuſque eſt poſtmodum domnus Petrus Bernardi quintus prior, tempore cujus glorioſiſſimi corporis ſanctiſſimi & Deo amabilis confeſſoris patris noſtri Stephani fuit in Grandimonte ſequenti die nativitatis beati Johannis Baptiſtæ præcurſoris Domini Salvatoris tranſlatio celebrata, coadunato univerſali capitulo generali, & iſtius prioris tempore fuit exemtio a Clemente papa III. in capite & in membris ordinis Grandimontis perſonis & cellis conceſſa, rexitque prior ordinem Grandimontis annis ſeptem cum dimidio, obiitque nonas Julii. E

Petrus Bernardi V. prior.

Cui ſucceſſit domnus Guillermus de Traynaco prior ſextus, vir pius & humilis, Deoque devotus, tempore cujus Emmanuel imperator Conſtantinopolitanus, per venerabilem epiſcopũ *Heldenſem ligni vivificæ Cru- *Liddenſem,

Guillelmus de Traynaco VI. prior.

cis reliquias venerabiles & maximas in Grandimonte tranſmiſit, anno Domini MCLXXIV. De hoc enim ligno vivificæ Crucis ſcriptum eſt Sapientiæ XIV. *Benedictum ejus eſt lignum per quod fit juſtitia.* De qua Johan. III. legitur: *Qui credit in Filium Dei non judicabitur, qui autem non credit jam judicatus eſt.* Et reliquiæ ſanctarum virginum Coloniæ ipſius tempore fuerunt in Grandimonte delatæ. Hic prior pro libertate clericorum primus rabiem ſuſtinuit converſorum, qui converſi ipſius prioris cameram & Grandimontenſem eorum matrem eccleſiam auſu ſacrilego infringentes, eumdem priorem & alios ejuſdem Grandimontenſis eccleſiæ clericos detinuerunt incluſos, eos injuriis gravibus affligendo, & ipſum priorem de facto deſtituere præſumſerunt, & quemdam fratrem nomine Stephanum clericum, in locum prioris intrudere, & ei prioris Grandimontenſis nomen imponere præſumſerunt: quem priorem Guillermum de facto deſtitutum Carnotenſis epiſcopus & prior S. Victoris Pariſienſis, judices ab LUCIO papa III. dati, reſtituerunt, & dictum Stephanum, qui quaſi alter Ruben cubile patris ſui aſcendere non expavit, Gen. XLIX. & quicquid factum de eo aut per ipſum fuerat, exigente juſtitia, caſſaverunt, invocato ad præmiſſa nobilis comitis Marchiæ & Engoliſmæ, & aliorum potentium brachio ſæculari, & ipſe prior ob converſorum perſecutionem exul a domo Grandimontis factus, confidens in iis quæ quidam amicus Job. IV. & V. eum conſolando dixit: *Recordare quis umquam innocens periit, aut quando recti deleti ſunt: quin potius vidi eos qui operantur iniquitatem, & ſeminant dolores, & metunt eos, flante Deo, periiſſe, & ſpiritu iræ ejus conſumtos.* Ad S. Stephanum confeſſorem ſe convertens, deprecatione facta ad Dominum, qui ponit humiles in ſublimi, & mœrentes erigit ſoſpitate, qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum quod ceperant, qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium pravorum diſſipat; Pariſius ivit, ubi in præſentia PHILIPPI regis Francorum fuit [a] facta quædam conventio (a) inter clericos & converſos, per papam Innocentem IV. poſtmodum revocata, & diſcordia inter clericos & converſos per conventionem prædictam non bene ſedata, dictus prior pro clericis Romam adiit, & a papa Lucio III. privilegium protectionis domus Grandimontis & totius ordinis, & de non ſolvendis de laboribus decimis, & franchefiæ clauſurarum locorum & grangiarum noſtri ordinis impetravit, & a Romana curia rediens feliciter obiit XVIII. prioratus ſui anno, XIV. cal. Decembris, tranſlatuſque fuit in Grandimontem a loco in quo obierat: jacetque inter priores honorifice tumulatus. Hæc autem ſecundum apoſtolum I. ad Corint. X. *in figura facta ſunt noſtri, ut non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt.*

Poſt hunc tenuit prioratum domnus Geraldus Yterii VII. prior novem annis, & primo anno ejuſdem facta eſt S. Stephani confeſſoris patris noſtri revelatio anno Domini MCLXXXVIII. qui Geraldus dictavit vitam S. Stephani prælibati, & compilavit ſpeculum Grandimontis, miræ utilitatis & ſcientiæ librum: obiitque XIII. cal. Maii. Hic dum adhuc viveret prioratum reſignavit. Giraudes Yterii VII. prior.

Inſtitutuſque eſt loco ejus domnus Aldemarus de Friaco prior octavus, cujus tempore in uno volumine fuerunt collecta & ſcripta ſtatuta venerabilis ſancti Stephani confeſſoris & priorum ſibi ſuccedentium, & Innocentius papa III. conceſſit eidem priori ordinis privilegium quod inciqit: *Immaculata ordinis veſtri religio, &c.* in quo prædicta confirmantur ſtatuta ad caſtigationem noſtri ordinis facta, & archiepiſcopus Bituricenſis & epiſcopus Aurelianenſis auctoritate apoſtolica ad Grandimontem perſonaliter accedentes iſtius prioris tempore, inter alia ſtatuerunt, quod clerici in refectorio a ſuperiori parte in menſa juxta crucem ſederent, & quod clerici & converſi corriperentur in capitulo per hebdomadarium ſacerdotem & non per alium fratrem. Iſte prior interfuit concilio generali quod fuit celebratum ſub Innocentio papa III. anno Domini MCCXV. pontificatus illius XVIII. anno, ubi facta fuit conſtitutio de decimis poſſeſſionum acquiſitarum ante concilium generale. De qua conſtitutione faciunt mentionem Gregorius IX. in privilegio quod incipit? *Non abſque dolore cordis*; & Innocentius IV. in ſuo privilegio regulæ noſtræ annexo. Et dicto priore Romæ in dicto generali concilio exiſtente & præſente, archiepiſcopus Bituricenſis S. Guillermi confeſſoris Bituricenſis archiepiſcopi canonizationem a dicto domino Innocentio papa III. petiit, & ad prædicti prioris Ademari & plurimorum aliorum religioſorum & fide dignorum teſtimonium impetravit. Hic prior recedendo a dicto concilio prioratus ſui anno XVIII. pridie nonas Marſii obiit, delatuſque eſt apud Grandimontem & inter priores ſepultus. Aldemarus de Friaco VIII. prior.

Huic priori ſucceſſit domnus Caturcinus prior IX. vir Deo devotiſſimus & in clericorum exaltatione ferventiſſimus. Hic ſecundus pro clericis perſecutionem ſuſtinuit a converſis; exaltatique ſub ejus tempore clerici in ſingulis domibus correctores effecti, & converſi, qui dominari conſueverant clericis, humilitati fuerunt ſub clericorum correctione omnino redacti anno Dñi MCCXVII. unde de clericorum exaltatione & converſorum humiliatione & ſubjectione quidam frater clericus canticum ſuum compoſuit, quod Caturcinus IX. prior.

(a) Hanc conventionem a nobis editam invenies tomo I. Anecdot. pag. 630.

quod incipit, *In Gedeonis area vellus aret extentum, &c.* ad ultimum dicens, *Jamjam Barbati taceant & clerici loquantur, utrimque Deo ſerviatur, & lites finiantur: eſt enim Chriſtus vera pax, qui mandant ut dicantur miſſæ, & deponantur per clericos, ut dictum eſt, & aſini paſcantur, juxta illud quod legitur Eccleſiaſtici* XXXIII. *cibaria & virga & onus aſino; panis & diſciplina & opus ſervo.* Hujus prioris tempore HENRICUS illuſtris rex Angliæ conceſſit omnibus domibus noſtri ordinis ducatus Aquitaniæ juriſdictionem altam & baſſam: qua juriſdictione Caturcini prioris tempore in affiſiis grangiæ Caderii fuit uſum. Sed cum prioratum XII. annis ſalubriter gubernaſſet, eligens ſibi, tamquam divinitus inſpiratus, tutius eſſe in humilitatis ſubjectione, quam in tumultu regiminis prælaturæ, in qua nihil prodeſt prælato non puniri proprio, qui puniendus eſt pro ſubditorum delicto, prioratum ceſſit, attendens periculum prælati, qui curam regiminis ſuſcipit, & pondus laboris regiminis fugit; & illius qui regere ſubditos neſcit, & regimen ſuſcipit, & illius etiam qui ſubditos regere ſcit, & peccare permittit: cum ſolus Deo bene vivere poſſit, cur pro ſubditorum culpis mortem incurrit? Scriptum enim eſt Ezechiel. XXXIII. *quia animæ ſubjectorum de prælatorum manibus a Domino in die judicii requirentur.* Et rurſum ſcriptum eſt Sapientiæ VI. quod *duriſſimum judicium in iis qui præſunt fiet*; durum, ſi male intraverunt; durius, ſi male vixerunt; duriſſimum, ſi ſubditos male rexerunt. Ideoque S. Stephanus confeſſor in libro ſententiarum ſuarum de introitu in prælatione dicit, quod JESUS CHRISTUS conſuluit in evangelio Joan. X. ut intretur per oſtium in ovile ovium, quia facilius eſt, quam cum diabolus inſinuat, ut illuc aliquis ex alto cornuat. Et beatus Gregorius ait: Ordinate ergo ad ordines aſcendendum eſt; nam caſum appetit quiſquis ad ſummi loci faſtigia, poſtpoſitis gradibus, per abrupta quærit aſcenſum: quanto gradus altior, tanto caſus gravior. Et de prælatis ex ſua vita malum exemplum ſubditis dantibus, idem Gregorius dicit: Scire prælati debent, quod ſi perverſa umquam perpetrant, tot mortibus digni inveniuntur, quot ad ſubditos perditionis exempla tranſmittunt. Scriptum enim eſt Sapientiæ VI. quod *potentes potenter tormenta patientur*: & prælatis, quod paſcere debent ſubditos ſcientia & doctrina, ut legitur Jeremiæ III. turpe eſt addiſcere quando ſubditos deberent docere. Si in prælato ſcientia ſit, eccleſiam Dei erudit atque defendit, potens exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt arguere, ut dicit apoſtolus ad Titum I. Et poſt renuntiationem vixit dictus domnus Caturcinus ut verus diſcipulus in divinæ contemplationis & ſubjectionis otio fere per decem annos; obiit vero feliciter XII. cal. Decembris & ſepultus eſt honorifice præſente generali capitulo inter Grandimontenſes priores.

Ipſo quoque cedente, ſubſtitutus eſt in priorem domnus Helias Arnaldi prior X. qui ordinavit cum definitoribus capituli generalis, ut hymni in noſtro ordine dicerentur: cujus etiam tempore ordinatum fuit per Gregorium papam IX. quod duo de Ciſtercienſium & duo de Cartuſienſium ordinibus ſemel in anno uſque ad triennium futurum in Grandimontenſi capitulo generali, omni appellatione remota, ſtatuerent & reformarent quicquid in ordine Grandimontis ſtatuendum cognoſcerent, vel etiam reformandum, faciendo ſtatuta & reformata per ipſos, ceſſante appellationis obſtaculo, per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari; & ad inſtantiam quorumdam ex fratribus Grandimontis epiſcopus Pictavienſis cum abbatibus de Savinhiaco & de Maceriis, prioribuſque de Ligeto & de Glanderiis Ciſtercienſis & Cartuſienſis ordinum, a ſede apoſtolica judicibus delegatis, ſuper certis criminibus contra dictum Heliam priorem propoſitis, inquiſitor a ſede apoſtolica datus, amotionis ſententiam in præfatum priorem Heliam protulit, excommunicando ipſum priorem, ſi pro priore ſe gereret, & adhærentes eidem, dicto priore ad ſedem apoſtolicam de lata ſententia appellante. Qui quidem prior præfatos epiſcopum, abbates & priores cum ducentis fere clericis Grandimontenſibus in quadam domo die amotionis ſuæ fecit violenter includi, & incluſos per diei ſpatium detineri. Qui Helias Romæ coram Gregorio papa IX. comparens, a ſententiis quas incurrerat, pro eo quod ſine ipſius papæ licentia ad ſedem apoſtolicam contra inhibitionem venerat, fecit ſe per abbatem S. Laurentii extra muros de Urbe apoſtolica auctoritate abſolvi, & appellationem ſuam proſequens Romæ obiit anno Domini MCCXL. v. idus Auguſti, ibidemque ſepultus jacet.

Elias Arnaldi X. prior.

Poſt quem electus eſt in priorem religioſus vir domnus Johannes de Aquila prior XI. cujus electio facta fuit in domo de Vincennis, dicto Helia Arnaldi depoſito, & ejus tempore per abbates prædictos de Savinhiaco & de Maceriis & priores de Ligeto & de Glanderiis, auctoritate apoſtolica, ad reformationem ordinis quædam fuerunt promulgata in domo de Vincennis tempore generalis capituli ibidem celebrati ſtatuta, quæ hodie ſunt per papam Clementem quintum ſpecialiter approbata. Qui quidem domnus Johannes in quantum potuit, ne eligeretur enituit. Attendens quod ſecundum Auguſtinum, nihil eſt in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laborioſius, & periculoſius prælati officio, & quod indignus eſt ſacerdotio ille qui non fuit ordinatus invitus; quia ſicut locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, ita fugientibus offerendus eſt,

Johannes de Aquila XI. prior.

sicut fuit oblatus Jeremiæ, qui de fuga regiminis prælationis sibi oblatæ ait: *A, a, a! Domine Deus, nescio te, ai quia puer ego sum.* Jerem. 1. *A* dixit primum propter defectum vitæ; *A* dixit secundum propter defectum scientiæ; *A* dixit tertium propter defectum eloquentiæ. Dicit Johannes Chrysostomus quod desiderans primatum prælationis in terra, inveniet confusionem in cœlo. Et Apostolus ad Hebræos v. ait: *Nemo debet sibi honorem assumere, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*; tandem post deprecationem ad Deum factam, *qui*, ut legitur Job. v. *facit magna &* Job. 5. 9. *inscrutabilia & mirabilia absque numero. Qui* Jacob. 4. 6. *superbis resistit, & humilibus dat gratiam.* Invitus officium regiminis prioratus Grandimontensis assumsit, confidens, quod si posse suum faceret, ut bene regerentur & corrigerentur subditi, quanto majus periculum esset sibi in regiminis prælio, tanto esset major gloria in triumpho. Quia, dicit Apostolus 1. ad Timoth. III. & V. *Qui bene mini-* 1. Tim. 3. 13. *straverint, gradum sibi bonum acquirent*, & *Multam fiduciam in fide quæ est in* 1. Tim. 5. 1. CHRISTO JESU. Et *Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habentur*; maxime qui laborant in verbo & doctrina. Et regimine Grandimontensis prioratus per tres annos cum dimidio salubriter acto, prioratui ultro cessit, & obiit III. nonas Julii.

Aldemarus Lavercha & Guillelmus *Dougres* XII. & XIII. priores.

Post quem promotus est domnus Aldemarus Lavercha prior XII.

Cui successit domnus Guillermus *Dongres* prior XIII. cujus tempore Innocentio papa IV. apud Lugdunum existente, anno Domini MCCXLVII. FREDERICO Romanorum imperatore in concilio generali depositio, fuerunt regula & privilegium Grandimontensium per ipsum Innocentium renovata, & in formam meliorem redacta; & impetratum etiam fuit a dicto Innocentio exemtionis privilegium, quod rationem delicti vel contractus, aut rei de quâ ageretur contra fratres ordinis Grandimontensis, ipsi fratres exemti non tenerentur coram locorum ordinariis respondere. Istius etiam prioris tempore provisiones domus Grandimontis annis singulis debitæ, fuerunt usque ad summam XVIII. millium solidorum Turonensium augmentatæ, provisionibus solitis computatis. Post quæ dictus Guillermus prioratui sponte cedens, in domum de Machareto corrector extitit ordinatus, & VII. cal. Julii obiens, ibidem fuit honorifice tumulatus.

Iterius Meruli XIV. prior.

Huic successit domnus Iterius Meruli XIV. prior, cujus tempore fratres Gallici conati fuerunt ad transferendum caput & dignitatem prioratus ordinis Grandimontis ad domum prope Parisius de Vincennis. Qui quidem fratres Gallici, suffragante eis favore regio, attentaverunt sibi supponere & subjugare multipliciter ceteras ordinis nationes, & alia sinistra quamplurima facere contra priorem Iterium & eorum matrem ecclesiam, a qua specialiter geniti & nutriti fuerant Grandimontis: sed præventi eorum quamplures a suis flagitiis, Grandimontensem ordinem, quem persecuti fuerant, ut male conscii, fugiendo, persequente eos rege Franciæ, qui prius eis valde favebat, ne diversarum concordiam nationum sua dissensione fratres Gallici violarent: sic legitur Esther 3. 8. rex magnus persecutus fuisse unam gentem, quam invenit rebellem adversus omne hominum genus, turbantem provinciarum sibi subjectarum pacem atque concordiam, præfati fratres Gallici ut privigni & degeneres iniquitatis alumni reliquerunt omnino. De ipsis dictum est illud Apostoli 1. Johan. II. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Multi sunt portantes religionis habitum, qui filii religionis cujus portant habitum non existunt, juxta Apostolum ad Rom. IX. dicentem: *Non omnes qui ex Israël ii sunt Israëlitæ, neque qui semen sunt Abrahæ, omnes filii sunt Abrahæ.* De quo dicit Salvator in evangelio Judæis Johan. VIII. *Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Quia, ut dicit Hieronymus, non sunt filii sanctorum, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum. Falsus frater, secundum Ambrosium, est ille, qui se religiosum profitetur, & contraria suo ordini operatur. Et prior Iterius ad instigationem æmulorum suorum vocatus per regem Franciæ Parisius ad renuntiandum prioratui, in præsentia regia per juramentum astrictus, postmodum ad Grandimontem rediens, prioratui cessit, & factus corrector de Sarmasia, post multa tempora V. nonas Octobris spiritum suo reddidit creatori, ipso postea ibidem honorifice tradito ecclesiasticæ sepulturæ.

Guido Archerii XV. prior.

Cui successit domnus Guido Archerii prior XV. cujus tempore THEOBALDUS rex Navarræ, corpus beati Macarii martyris in Grandimontem detulit, & apud Tutellam sui regni Navarræ, domum S. Martialis de Tutella dicto priori & ordini nostro contulit, & eam multis bonis ditavit. Iste prior instigantibus inobedientiis & excessibus quorumdam fratrum Gallicorum, quos punire plene per se non poterat, Parisius ivit; & exinde visitando per domos post visitationem Franciæ & Normanniæ, ad Grandimontem rediit, & visitatione peracta Romam perrexit, & impetratis contra dictos fratres Gallicos sibi inobedientes, quos corrigere non poterat, ut decebat, judicibus a sede apostolica delegatis, a Roma incolumis rediens, audito exitu fratrum Gallicorum inobedientium a suo ordine Grandimontis, prioratui cessit, obiitque in Grandimonte XV. cal. Novembris.

Fulcherius Grimaldi XVI. prior.

Huic successit domnus Fulcherius Grimaldi XVI. prior, vir providus & multum astutus, qui pacifice XII. annis ordinem utiliter gu-

bernavit, & ſuos indifferenter promovit. Hunc priorem Gregorius papa x. Lugduni ad concilium anno MCCLXXVIII. vocavit, ubi cum aliis prælatis interfuit, & ad Grandimontem rediens, ſolvit debitum naturale anno Domini MCCLXXXI. VI. cal. Octobris in Grandimonte: jacens inter priores honorifice tumulatus.

Petrus de Cauſaco XVII. prior.

Inſtitutus loco ejus eſt domnus Petrus de Cauſaco prior XVII. vir Deo & hominibus acceptiſſimus, qui ut dicitur Eccli. XLI. ſciens nomen impiorum deleri, curam de habendo bono nomine ſemper habuit: quem quidam promotores ſui lingua magis quam veritate & opere diligentes, a maledicto ſeipſos in perditionem ponere non verentes, non ipſum, ſed potius ejus fortunam ſequentes, cum nollet prædictis ſuis promotoribus in omnibus & per omnia acquieſcere, poſt duos annos vel quaſi, a promotione ſua dejicere a prioratus regimine turpiter attentarunt. Propoſitis contra eum coram viſitatoribus illius temporis domus & eccleſiæ Grandimontis, confictis, & ſubmiſſis defectu ſcientiæ, perjurii & ſimoniæ criminibus; & interpoſitis ad ſedem apoſtolicam appellationibus, occaſione quorum, defectu & criminibus minime probatis, viſitatores prædicti ipſum priorem, ut Judæi Paulum Actuum XXIV. culpabilem reputantes, extra portam Grandimontenſis domus, licet ipſos viſitatores prior, ut ſibi ſuſpectos recuſaſſet, & ne contra ipſum in aliquo procederent, ad ſedem apoſtolicam legitime appellaſſet, non ſolum deponere, ſed excommunicare de facto ſuum paſtorem & patrem ſpiritualem filii, & prælatum ſubditi, omni honeſtate & reverentia ac juris ordine poſtpoſitis, præſumſerunt. Poſt quam depoſitionem ſic de facto prolatam, multi correctores, curioſi, & fratres priori contrarii, ditati de bonis ordinis, non acquieſcentes conſiliis quæ docuit cuiquam volenti pacifice vivere Eccleſiaſtici VII. cum dicit: *Non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius*; ex ſuis inobedientiis, rebellione & exceſſibus calcitrare contra ſtimulum ſatagentes, priorem patrem ſuum ſpiritualem, cujus judicio & voluntate nunc poterant erigi, nunc deprimi, offendere non verentes, in manus dicti Petri prioris incidentes, ab ipſo priore a ſibi commiſſis domibus, curis & officiis amoti fuerunt, in quibus domibus, curis & officiis fratres partis adhærentis priori præfecti fuerunt; quia dignum erat, ut illi qui cum priore in adverſis permanſerunt, proſperis remunerationibus uterentur, facti ſecundum Apoſtolum 2. ad Corint. 1. conſolationum ſocii, qui fuerant paſſionum; & prædicti correctores, curioſi & fratres priori contrarii, adhuc in ſua rebellione & inobedientia perſiſtentes, adhæſerunt fratri Bernardo *Riſſe*, cui in domo de Boſco Raherii nomen prioris Grandimontenſis de facto imponere præſumſerunt, confirmatione a dictis ſpecialibus viſitatoribus eidem fratri Bernardo impenſa, poſt appellationes contra dictum fratrem Bernardum, & ipſius electionem a parte dicti domni Petri prioris ad ſedem apoſtolicam interjectas; cum quo fratre Bernardo prior Petrus prædictus, occaſione diſcordiæ inter eos motæ, citatus, auctoritate Honorii papæ IV. Romam perrexit, & comparentibus coram dicto domino Honorio priore Petro & Bernardo prædicto, cum præcipue de hinc inde propoſitis coram eo non conſtaret, cauſam inter dictas partes exortam, & reformationem ordinis abbati monaſterii Moiſiacenſis, Bernardo Geraldi priori provinciali fratrum Prædicatorum in Provincia, & decano Pictavienſi commiſit, cum clauſula, quod ſi non omnes exequendis ipſis commiſſis intereſſe poſſent, duo tamen eorum ipſa exequi nullatenus retardarent. Quo decano viam univerſæ carnis ingreſſo, abbas & prior prædicti in Grandimonte venientes, fratre Bernardo Riſſa de jure ſuo diffidente, electioni de ſe factæ renuntiante, cauſa cognita, pronuntiaverunt viſitatorum prædictorum ſententiam contra dictum priorem Petrum prolatam non tenere, & ipſum priorem remanere debere ordinis Grandimontis, dicto fratre Bernardo *Riſſe* poſtmodum correctore in domo de Podio Caprarii ab ipſo Petro priore ad judicum inſtantiam ex gratia inſtituto. Tandem poſt inqueſtas factas auctoritate dictorum judicum ſuper his in quibus reformatio ordinis petebatur, & ſuper exceſſibus, diſſolutionibus, & rixis inter partem priori adhærentem & contrariam exortis, & quibuſdam correctoribus, ſpoliatis diſſenſionis tempore, reſtitutis, dicti judices ad amputandam omnem exceſſuum, diſſolutionum & turbationis materiam, pro reformatione & pace ordinis ſalubria quædam ediderunt ſtatuta, quæ a priore Petro & conventu Grandimontis, ac pluribus aliis correctoribus ſpontaneis voluntatibus ſuſcepta fuerunt & promiſſa ſervari, & feſtum S. Trinitatis in octava Pentecoſtes, & III. cal. Maii feſtum S. Hugonis confeſſoris, & VII. cal. Auguſti S. Annæ matris B. Mariæ Virginis, & S. Dominici confeſſoris patroni ordinis fratrum Prædicatorum celebrari juſſerunt: quæ ſtatuta ſunt hodie per papam Clementem V. in ſuo privilegio approbata. Et dicti prioris Petri tempore incœperunt fratres capellos de filtro portare, quos antea non portabant, & in eſu carnium, & ſotularibus non aſcendentibus pedis cavillam dictæ diſſenſionis tempore ſe laxare: quorum tranſgreſſores prior prædictus, ut paſtor providus, & arguebat & tolerabat quantum decebat & oportebat, videns quoſdam de ſuis ſubditis qui ſibi abſolute promiſerant obedire, ipſius juſſionibus irrevocabiliter contraire: propter quæ dictus prior Petrus, ut ille

Nota.

qui juxta doctrinam Pauli ad Rom. ultimo, erat ſapiens in bono & ſimplex in malo, expertus in ſeipſo verum eſſe quod dicit idem idem apoſtolus 2. ad Timot. III. de omnibus qui pie volunt vivere in CHRISTO JESU, quod perſecutionem patiuntur, & quod mali homines & ſeductores proficiunt in pejus, errantes & in errorem mittentes: qui non fuerunt veritatis diſcipuli, exiſtunt erroris magiſtri. Sap. V. propter eorum ignorantiam quæ mater eſt cunctorum errorum, Sap. XIII. & Matt. XXII. ſicut ſapientia omnium bonorum operum. Sap. VII. Poſt victoriam adverſariorum ſuorum plene obtentam, pacem ordini dare credens, prioratui reſignavit, & verus diſcipulus in ſanctæ contemplationis requie in domo de Deffenſo, ubi corrector fuerat, vitam finivit, ſepultuſque eſt ibidem VI. cal. Octobris. Hæc quæ de dicto domno Petro recitata ſunt, ſcripta ſunt ſecundum Apoſtolum I. ad Cor. X. ad correctionem noſtram, in quos fines ſæculorum devenerunt. Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

Bernardus de Gaudalmar XVIII. prior.

Poſt hæc, ut moris eſt, vocatis a viſitatoribus ſpecialibus domus & eccleſiæ Grandimontis, omnibus correctoribus & curioſis cellarum forenſium, electus eſt domnus Bernardus de *Gaudalmar* XVIII. prior; & quia per poteſtatem dictorum abbatis Moyſiaci & prioris provincialis Prædicatorum electus, & viſitatores adhuc durare credebant, præfatus electus cum ſuis electoribus & viſitatoribus pro confirmatione ſuæ electionis coram prædictis abbate & priore recipiendâ, ad domum de Pinello profectus eſt, & confirmatione a dictis viſitatoribus habitâ, cum ad domum Grandimontenſem rediret, infra unum menſem a die electionis ſuæ in domo de *Ganbazés* morte naturali, diſponente Domino, qui quem vult pauperem facit & ditat, humiliat & ſublevat, quievit in pace, ſepultuſque ibidem eſt IX. cal. Aprilis. Scriptum eſt Sapientiæ III. *Placens Deo factus dilectus, & vivens inter peccatores tranſlatus eſt. Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. Conſummatus in brevi explevit tempora multa. Placita enim Deo erat anima ejus, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Legitur Job. V. quod *nihil in terra ſine cauſa fit, quia ſicut tollit Deus bonos de medio, ne malitia mutet intellectum eorum, ſic tollit Deus malos de medio, ne peccatum augeatur eorum.*

Guido Fulcherii XIX. prior.

Huic ſucceſſit domnus Guido Fulgerii prior XIX. qui per XV. annos quaſi pacifice ordinem gubernavit. Hujus prioris tempore augmentatæ proviſiones fuerunt uſque ad ſexcentas libras Turonenſes ultra proviſiones antiquas, ſolvendæ annis ſingulis a cellarum correctoribus domui Grandimontis, & numerus fratrum in ſingulis cellis taxatus, & promiſſum extitit quod fratres mutati per ipſius prioris obedientiam, de cella ad cellam ire poſſent abſque alio ſocio ſuo ordinis fratre, ad evitandas expenſas quæ in mutandis fratribus faciendæ quotidie imminebant. Hujus etiam prioris tempore anno MCCLXXXXVIII. die Martis poſt aſſumtionem B. Mariæ Virginis Bonifacius papa VIII. ſextum librum Decretalium, quem fieri fecerat, publicavit; & anno Domini MCCC. omnibus vere pœnitentibus & confeſſis accedentibus ad baſilicas beatorum Petri & Pauli ab eodem Bonifacio conceſſa fuit plena & vera remiſſio omnium peccatorum in quolibet anno centeſimo ſecuturo etiam duratura. Poſtmodum dicto Bonifacio Anagniæ propriæ originis loco cum ſua curia reſidente, pro defenſione eccleſiæ quibuſdam ſuis æmulis inimicus effectus, cum Apoſtolo ad Galatas IV. dicente, *Ego inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis, volens magis pro veritate pati ſupplicium, quam adulatione beneficium*: Sciens quod inſciis magiſtris veritas ſcandalum eſt, & cæcis doctoribus eſt caligo quod lumen eſt, utilius reputans naſci ſcandalum permittere, quam veritatem relinquere, a quibuſdam perditionis filiis primogenitis ſatanæ & iniquitatis alumnis captus extitit Anagniæ, ſed prout legitur de Tobia I. capitulo, *capto in diebus Salmanazar regis Aſſyriorum*, ipſe Bonifacius captus & in captivitate poſitus, viam veritatis non deſeruit, & dictæ captionis Bonifacii tempore fuit per dictos iniquitatis filios eccleſiæ Romanæ theſaurus violenter ablatus, & eccleſia ſuo capto ſponſo quodammodo captivata, & diverſis oneribus & exactionibus aggravata: in tantum quod ſibi competere videatur quod Jeremias in Thren. I. deplorat dicens: *Princeps provinciarum tuarum*, ſcilicet eccleſia, *facta eſt ſub tributo.* Et ultimo anno regiminis dicti domni Guidonis prioris, Clemens papa V. cum ſuis cardinalibus & curia per domum Grandimontis Lemovicenſis dioceſis ſibi immediate ſubjectam tranſiens, in expenſis ipſum priorem ac domum plurimum aggravavit anno Domini MCCCVI. in quo anno honorifice receptatus, vocato dicto priore & conventu coram ſe, inter alia dixit, quod a XXV. annis citra audiverat diſſentiones & turbationes in ordine Grandimontenſi fuiſſe, & ad extirpandam materiam diſſentionis & turbationis, & ad dandam ordini perpetuam pacem de Lugduno venerat Grandimontem, & viſis regula, privilegiis, indulgentiis, & ſtatutis quamplurimis, tam generalis capituli Grandimontis quam reformatorum auctoritate apoſtolica factis; viſitatoribus ſpecialibus domus & eccleſiæ Grandimontis poteſtatem, quam habebant vacante prioratu, in ponendis XII. prioribus electoribus prioris, clericis & converſis juxta regulam, & eligendis anno quolibet una cum priore novem clericis

Nota.

in deffinitores, juxta quoddam particulare privilegium Innocentii IV. omnino abſtulit, pro eo quod eorum prædeceſſores ſpeciales viſitatores in domnum Petrum de Cauzaco priorem XVI. Grandimontis, eidem papæ ab infantia, dum idem prior Petrus erat corrector domus de Deffenſo, notum, multum exceſſerant, objectis confictis contra ipſum priorem Petrum innocentem criminibus, ut Judei contra Paulum fecerunt Actuum XXIV. ad depoſitionem ipſius temere procedendo, & excommunicando ſuum prælatum & patrem ſpiritualem ſubditi filii, honeſtate, obedientia & reverentia retrojectis; & quia dictus prior Guido domum Grandimontis ab expenſis prædictis non poterat relevare, eo quod dictus Clemens V. omnia excelſa ſua & fluctus Romanæ curiæ induxerat ſuper eam: requiſitus a generali capitulo, a quibuſdam ſtultis invidis ſuis, univerſitatem ordinis more ſolito contra ipſum priorem provocantibus, ad modum quorumdam malorum hominum, qui turba facta concitaverunt civitatem Theſſalonicenſem contra apoſtolum Paulum Actuum XVI. de quibus ſtultis invidis univerſitatem provocantibus dicitur in Eccleſiaſtico XIII. *Nihil eſt invido nequius, quia alienum bonum facit ſuum invidendo ſupplicium, quia primum ſibi invidus nocet, quam alium vulneret.* Et Job. V. legitur, *Vere ſtultum interfecit iracundia. Et parvulum occidit invidia.* Quæ invidia in alterius proſperis dolet & in alterius lætis lugeat. Et ideo juſtius invidia nihil eſt, nam protinus ipſum actorem corrodit excruciatque ſuum. Reputans ipſe prior ſibi melius paucis intereſſe, quam multis periculoſe, ſuorum invidorum cupiens litigia fugere Apoſtolo 2. ad Tim. 2. dicente, *Servum Dei non oportet litigare*, anno Domini MCCCVI. in vigilia Pentecoſtes libere prioratui ceſſit, & tempore diſſentionis prioris Jordani de Rapiſtagno, inquietatus per ejus gentes, ordinem Minorum intravit, & infra annum probationis priſtinæ noſtræ religionis habitum in domo de Sarmaſia reaſſumpſit.

Guillelmus de Prato Morelli xx. prior.

Cui ſucceſſit domnus Guillelmus de Prato-Morelli prior XX. electus in die Pentecoſtes ab omnibus concorditer, & a viſitatoribus ſpecialibus confirmatus, juxta conſtitutionem Clementis papæ V. de electione & confirmatione prioris loquentis. Qui prior Guillelmus pecunioſus eſſe credebatur, & ideo ſperabatur domum Grandimontenſem ab expenſis prædictis relevare omnino: quod tamen non de congregata ab ipſo pecunia, ſed contribuente multipliciter talliato toto ordine de bonis cellarum forenſium fuit actum.

Templariorum exidium.

Hujus prioris tempore anno Domini MCCCVIII. magiſter major ultramarinus militiæ templi auctoritate apoſtolica in civitate Pictavenſi vocatus, ubi papa Clemens V. cum ſua curia reſidebat, & omnes alii fratres Templarii in diverſis ſuis domibus & locis regni Francorum fuerunt capti, & multi ex eiſdem fratribus diverſis & inauditis tormentis & quæſtionibus horribiliter torti, cum primo dixiſſent ſe in ſua profeſſione Redemtorem noſtrum Chriſtum Dei filium abnegaſſe, & quædam facto & auditu turpia flagitia gravia commiſiſſe, & Templariorum ordinem pravum & erroneum eſſe; poſtmodumque dicerent illa quæ prius confeſſi fuerant in tormentis, vel terrore tormentorum ab eis extorta fuiſſe, falſa exiſtere, ordinemque Templariorum bonum, ſanctum & ſalubrem ſuis profeſſoribus eſſe; fuerunt curiæ ſæculari traditi, & tamquam relapſi hæretici vivi cremati, parificati illis de quibus dicit Apoſtolus ad Hebr. X. Qui ſine ulla miſeratione convicti duobus vel tribus teſtibus debent mori, quia Filium Dei conculcaverunt, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerunt, in quo ſanctificati fuerunt & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerunt, & eorumdem Templariorum domus per papam Clementem V. Jeroſolymitanis Hoſpitalariis in generali concilio, quod anno Domini MCCCX. in calendis Octobris fuit celebratum Viennæ donatæ fuerunt; Ex quibus Templarii flentes cum Jeremia Thren. IV. dicere Domino potuerunt: *Recordare, Domine, quid accidit nobis, intuere & reſpice opprobrium noſtrum, hereditas noſtra verſa eſt ad alienos, domus noſtræ ad extraneos.*

Grandimontis reformatio.

Hujus prioris etiam tempore præfatus Clemens papa V. quibuſdam ſuis ſtatutis tempore domni Guidonis Fulcherii in Grandimonte inceptis, & examinatione ac correctione in ipſis Pictavis & Avinioni prioris Guillelmi tempore factis, Grandimontenſem ordinem reformavit. Et quia in ſterili & frigido loco Grandimontis uſus cibariorum menſæ prioris & fratrum fragilis erat & parcus, conceſſit præfatus Clemens, ut humanitatis cauſa inter olera & legumina aliquibus anni temporibus in Grandimonte & cellis bis in ſeptimana, die Dominica & Jovis, poſſint fratribus a priore & correctoribus carnes dari. Vixit autem prædictus prior Guillelmus VI. annis & IX. menſibus ordinem pacifice regens. Octavo vero anno ſui regiminis, cum fuiſſet citatus per Clementem papam V. ut Viennæ in generali concilio, in quo ordo Templariorum de poteſtatis dicti domini Clementis plenitudine, potius quam de rigore juſtitiæ, fuiſſe a nonnullis aſſeritur reprobatus, perſonaliter cum omnibus aliis prælatis majoribus univerſalis eccleſiæ, poſtpoſitis omnibus, intereſſet: Adveniente interim celebrando in Grandimonte, triduo ante aſcenſionem Domini, capitulo generali, ut eſſet ſimilis illi de quo legitur Job. V. *Beatus homo qui corripitur a Deo, quia ipſe vulnerat & medetur, percutit & manus ejus ſanabunt,*

Carnium eſus indulgetur.

Nota.

greſſu, actu, pariter & loquelâ paralyſi mòrbo privatus, aſſumto ſibi vicario ſeu coadjutore, & miſſis Viennæ ad dictum generale concilium ſuis excuſatoribus, Grandimontenſem prioratum paralyticatus manens, tali quali recuperata loquela, & a ſuis fautoribus inductus, ne prioratui aliquomodo cederet, ex tolerantia ordinis tenuit, quouſque permiſſione divina ad Chriſtum migravit v. idus Martii anno Domini MCCCXII. Jacetque in Grandimonte in clauſtro honorifice tumulatus.

Jordanus de Kapiſtagno XXI. prior.

Huic ſucceſſit domnus Jordanus de Rapiſtagno prior XXI. de nobilium perſonarum genere procreatus, factus prior auctoritate papæ Clementis V. in Grandimonte, ubi imminebat, vocatis correctoribus & curioſis, prioris electio facienda, miſſis abbatibus S. Fermerii & S. Maxentii Vaſatenſis & Pictavienſis diœceſeum, ac archidiacono Caturcenſi cum poteſtate, quod cum conſilio & aſſenſu viſitatorum, correctorum, curioſorum & converſorum XII. vocem in electione prioris habentium, Grandimontenſi prioratui de perſona idonea providerent, & virtute mandati dicti papæ Clementis fuit per prædictos abbates & archidiaconum prioratui & ordini Grandimontis de perſona domni Jordanis proviſum. Cui omnes viſitatores, correctores, & curioſi, qui ad electionem vocati venerant, obedientiam promiſerunt.

Hujus prioris tempore clauſura Grandimontis per foſſata, cruces & alia evidentia ſigna, intra quæ domus Grandimontis habet altam & baſſam juſtitiam in ſuam familiam, extitit innovata anno Domini MCCCXIII. & in capitulo generali celebrato anno Domini MCCCXIV. electæ a priore prædicto & definitoribus fuerunt XXV. domus conventuales, in quibus melius ordo ſervatur, ad quas & non ad alias prior novitios clericos de cetero mittet, & domus Grandimontis taxata fuit ad tenendum XL. ſacerdotes & XXVI. converſos, præter fratres clericos & novitios ac infirmos, & ordinatum extitit etiam, quod de cetero in domum de Mureto vel alibi teneatur magiſter idoneus in grammatica, & aliis neceſſariis fratribus inſtruendis, & quod prior in octava epiphaniæ quolibet anno ordinet de viſitatoribus ad ordinem viſitandum, & poſt feſtum candeloſæ ad longius nominatis viſitatoribus ſuas litteras ſecundum quas viſitare poterunt mittet. Iſte ſiquidem prior incœpit domus, dormitoriorum, coquinæ & officinarum Grandimontis facere recooperiri de plumbo. Hujus & prioris tempore anno Domini MCCCXIV. Romanorum imperatore defuncto, & magiſtro militiæ Templi Pariſius vivo cremato, papa Clemente V. mortuo, & illuſtriſſimo rege Francorum Philippo viam univerſæ carnis ingreſſo, regnare cœpit D. Ludovicus ejus filius in regno Franciæ & Navarræ; qui quidem diſſipavit aliquos de patris ſui familia proditores, qui feſtinaverunt ditari, & dicto domino Ludovico & aliis invidebant, ut habetur Proverb. XXVIII. & ut rex juſtus erexit regni ſui terram, implendo quod legitur Proverb. XX. ubi dicitur: *Rex qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo.* Et Proverb. XXIX. *Rex juſtus erigit terram, vir avarus deſtruit eam.* Et Eccleſiaſtes X. *Beata terra, cujus rex nobilis eſt, & cujus principes veſcuntur in tempore ſuo.* Et rurſum Proverb. IX. dicitur: *Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur.* Et hujuſmodi Ludovico rege regnante, cardinales qui in Carpentoratenſi civitate incluſi pro electione ſummi pontificis fuerant, propter incendium in dicta civitate exortum, exierunt clauſuram, in quam clauſuram redire ibidem non curarunt, nec papam elegerunt quouſque per dominum Philippum comitem Pictaviæ Lugduni iterato incluſi fuerunt anno Domini MCCCXVI.

Et hujus prioris tempore cum IX. de duodecim definitoribus capituli generalis, celebrati in Grandimonte diebus Martis & Mercurii ante aſcenſionem Domini, & ipſa die aſcenſionis ſub anno ejuſdem MCCCXV. ſuper denuntiatione contra dictum priorem, propter ipſius prioris fautorumque ſuorum potentiam & timorem, aſſererent ſe non audere procedere tute in Grandimonte, reſervaverunt ſibi durante capitulo generali diffinitoriam poteſtatem uſque ad diem Mercurii poſt tunc futurum Paſcha, aliis tribus de XII. definitoribus omnino inſciis, & priore, facto de dicta reſervatione publico inſtrumento, & capitulo generali præſentibus XII. definitoribus a prædicto priore, ut eſt moris, finito, poſt omnium correctorum, curioſorum, & fratrum cellarum forenſium receſſum, eodem anno circa feſtum S. Andreæ apoſtoli ſeptem de dictis novem definitoribus, qui ſibi definitoriam reſervaverant poteſtatem, venientes Lemovicis, citaverunt ad inſtantiam illius qui denuntiabat, ipſum priorem coram eis in aula epiſcopali Lemovicis, proceſſuri ſuper denuntiatis criminibus contra eum: afferentes ſe non audere tute in Grandimonte venire ad procedendum contra ipſum priorem in denuntiatione prædicta. Qui prior ipſorum ſeptem definitorum citationem nec locum acceptans, ne contra ipſum priorem, capitulo generali finito, & extra domum ordinis Grandimontis procederent, per procuratorem ſuum in ſcriptis Lemovicis coram dictis ſeptem definitoribus ad ſedem apoſtolicam appellavit: quam appellationem præfati VII. definitores datis apoſtolicis refutatoriis minime admiſerunt: duobus definitoribus aliis dictæ appellationi, ob reverentiam dicti prioris & ſedis apoſtolicæ, deferentes; & dicti VII. definitores, non obſtante appellatione prædicta, priorem

contumacem reputantes, in dicta cauſa denuntiationis ad teſtium receptionem & publicationem proceſſerunt. Et dicto priore monito, ut regimini adminiſtrationis prioratus Grandimontis cederet: nolente cedere, in ipſum priorem amotionis a regimine adminiſtrationis dicti prioratus ſententiam die Mercurii, id eſt ante vigiliam Natalis Domini in aula epiſcopali Lemovicis protulerunt, ipſumque priorem excommunicaverunt, ſi de cetero pro priore ſe gereret ordinis Grandimontis; omnes fratres dicti ordinis ab ejus obedientia abſolvendo; a qua amotionis ſententia fuit ad ſedem apoſtolicam ab ipſius prioris procuratoribus appellatum, appellatione dictis VII. definitoribus die Natalis Domini Lemovicis intimata: & his ut prædictum eſt actis, correctores de Vincennis & de Boſco Raherii; correctore de Podio Caprarii diſcordante, ad electionem alterius Grandimontis prioris correctores & curioſos cellarum forenſium, ſuperiorem curioſum & procuratorem monaſterii Grandimontis, vocem in electione prioris Grandimontis habentes, per ſuas patentes litteras, in domo fratrum Minorum Lemovicis, ad diem Jovis poſt feſtum S. Mathiæ apoſtoli vocaverunt, & expectatis abſentibus uſque ad diem Lunæ, poſt appellationes a parte dicti prioris, ne ad electionem alterius prioris Grandimontenſis procederetur, interpoſitas, fuit ad electionem & confirmationem fratris Heliæ Aldemari proceſſum, & dicto domno Jordano poſſeſſionem prioratus Grandimontis retinente, & ſuos viſitatores ad viſitandum ordinem, ut eſt moris, mittente, dictus frater Helias in domo de Caſtaneto permanens, ſuos viſitatores ſimiliter ad ordinem viſitandum tranſmiſit. Poſt quas viſitationes dictus domnus Jordanus in Grandimonte, & præfatus frater Helias in domo de Caſtaneto ſua generalia capitula diebus conſuetis ante aſcenſionem Domini anno MCCCXVI. cum viſitatoribus, correctoribus, curioſis, & aliis fratribus ſibi aſſiſtentibus tenuerunt: ubi correctores, curioſos, & alios fratres ſibi non obedientes diffiniverunt ad adminiſtrationes & officia ſibi commiſſa perdenda; & licet Dominus de ſibi ſervientibus Zachariæ III. dicat: *Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei*, multos correctores, curioſos, & alios fratres ipſi capi, incarcerari, & male tractari fecerunt. Hinc fratribus captis occurrit illud Eccleſiaſtici XLI. *De patre impio filii ſunt conqueſti, quoniam propter illum ſunt in opprobrio.*

Poſt hæc vero ipſorum domni Jordanis & fratris Heliæ de prioratu Grandimontenſi diſſenſione durante, regno Francorum per mortem prædicti domni Ludovici vacante, uxore ejus relicta prægnante, adhuc ſede apoſtolica vacante, dictus dominus Philippus comes Pictavienſis rexit regna Franciæ & Navarræ, coram quo procuratores dictorum domni A Jordani & fratris Heliæ, pendente debato, prioratus Grandimontenſis ordinis inter eos multo tempore in ſæculari judicio litigarunt, contra doctrinam Apoſtoli, qui ait I. ad Cor. VI. *Secularia judicia ſi habueritis, contemtibiles qui ſunt in eccleſia illos conſtituite ad judicandum. Ad verecundiam veſtram dico; ſic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit judicare inter fratrem & fratrem, ſed frater cum fratre in judicio ſæculari contendit?* Et qui II. ad Timot. II. ſubjungit, *Servum Dei non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes.* Qua B vacatione dicti regni & apoſtolicæ ſedis durante, eccleſia & conventu Grandimontis interdictis, ceſſavit gaudium tympanorum Iſaiæ XXIV. quia *non ſolvebatur pecunia manulevata ab illis;* qui, ut Eccleſiaſtici XXIX. legitur, *Fenus quaſi inventionem exiſtimant.* Quam etiam pecuniam dictus domnus Jordanus non cogitabat reſtituere, quamvis ſibi Eccleſiaſticus VII. diceret: *Non ſpondeas ſupra virtutem tuam, quoniam ſi ſpoponderis quaſi reſtituens cogita.* Et quia plures fratres a dicto conventu propter victualium defectum receſſerunt, perventum ad illud fuit, quod Do- C minus per prophetam Joel I. ait: *Periit ſacrificium & libatio de domo Domini, & luxerunt ſacerdotes miniſtri Domini.* Et ad comminationem quam facit Amos I. *Ceſſare faciam omne gaudium ejus, ſolemnitatem, & neomeniam, ſabbatum, & omnia feſta ejus.* Et quod Jeremias deplorans Thren. IV. dicens: *Diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum. Qui ſoliti erant veſci in croceis, amplexati ſunt ſtercora.* Nam caritas fraterna, de qua Apoſtolus I. ad Corint. ultimo, ait: *Omnia veſtra in caritate fiant.* Et ad Hebræos D XIII. Præcipit: *Caritas fraterna maneat in vobis;* Verſa fuit in odium, de quo I. Johannis III. dicitur, *Qui non diligit manet in morte.* Et *omnis qui odit fratrem ſuum homicida eſt.* Et veritas, de qua præcipitur Eccleſiaſtici III. *Non contradicas verbo veritatis ullo modo.* Et Jacobi III. dicitur; *Si contentiones ſunt in cordibus veſtris nolite gloriari, & mendaces eſſe adverſus veritatem.* verſa fuit in mendacium ab illis de quibus ad Romanos I. dicitur: *Commutaverunt veritatem Dei in mendacium, ſervientes creaturæ potius quam Creatori.* In perſona quorum Iſaias LIX. loquitur: *Concepimus & locuti ſumus de corde verba mendacii, quia corruit in plateis veritas coram magiſtris illis.* De quibus Apoſtolus II. ad Timot. IV. dicit, *Quod prurientes auribus a veritate auditum avertunt, & ad fabulas convertuntur*, nec coram illo principe, de quo Salomon Proverb. XXIX. ait: *Princeps qui libenter audit verba mendacii, omnes miniſtros habebit impios.* Non penſantes illud Apoſtoli dicentis I. Corint. ultimo: *Non poſſumus aliquid adverſus veritatem, ſed pro veritate.* Et bonitas verſa fuit in tædium, ſanctitas in opprobrium, ſimplicitas & humilitas in vitupe-

rium, religio in detrimentum, quia I. ad Tim. III. *Oportet habere prælatum modeſtum, non litigioſum, non cupidum, ſuæ domui bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caritate.* Et verſa etiam fuit obedientia in contemtum a multis, *qui*, ut dicit Apoſtolus II. ad Timot. III. & ad Titum I. *ſunt parentibus inobedientes vaniloqui & ſeductores*, & fere omnis virtus in nihilum ab illis. Qui, ut Apoſtolus ad Titum I. ait: *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Quorum mens & conſcientia inquinatæ ſunt, hinc fratrum congregatio veneno diaboli, qui, ut dicitur Jób. XLI. *eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ*, inficitur; conventus Grandimontis victu & veſtitu carens, confunditur, cum in ipſo illud quod dicit Iſaias III. impletur, *In domo noſtra non eſt panis, neque veſtimentum.* Et Apoſtolus I. ad Corint. IV. *Eſurimus & ſitimus & nudi ſumus.* Et in modico mali panis tunc temporis fratribus miniſtrati verificatum fuit quod Sapiens in Eccleſiaſtico XXXI. ait: *In nequiſſimo pane murmuravit civitas, & teſtimonium nequitiæ illius.* Verum eſt, & illud evenit Pſal. *Ipſi diſpergentur ad manducandum: ſi vero non fuerint ſaturati, murmurabunt.* Et eleemoſyna, quæ, ut dicitur Eccleſiaſtici III. *reſiſtit peccatis*, & de qua Dominus Lucæ XI. ait: *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*, omnino relinquitur, religio perturbatur, ex eo quod, ut Apoſtolus II. ad Corint. XII. inter fratres erant *contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſenſiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes & ſeditiones inter illos.* Qui non advertunt Apoſtolum ad Gal. V. dicentem: *Utinam abſcindantur qui vos conturbant*, in ſervientium & commiſſariorum introductione, fratrum captatione, incarceratione & maceratione, in quorum ſervientium & commiſſariorum cellarii ſolutione & ſuſtentatione evenit quod Iſaias I. ait: *Regionem veſtram coram vobis alieni devorant, & deſolabitur ſicut in vaſtitate hoſtili.* Et quod rurſum idem propheta Iſaias ſubdit: *Irruet unuſquiſque ad proximum ſuum, tumultuabitque puer contra ſenem, & ignobilis contra nobilem. Apprehendet enim vir fratrem ſuum domeſticum patris ſui, per manus illorum*; qui, ut idem propheta Iſaias LIX. ait: *Viam pacis neſcierunt.* Proverb. II. *Lætantur cum male fecerint.* Eccleſiaſtic. XI. *Juſtis inſidiantes in electis ponunt maculam.* De quibus Jeremias III. dicit: *Sapientes ſunt ut faciant mala; bene autem facere neſcierunt*: quia, ut dicit Apoſtolus ad Rom. I. *Obſcuratum eſt inſipiens cor eorum*, ex eo quod ut Iſaiæ XVII. V. *fiduciam in ſua malitia habuerunt*, & II. ad Timot. III. legitur, quod *mali homines & ſeductores proficient in pœnis.* Et Eccleſiaſtici II. quod *caſus malorum feſtinanter veniet.* In perſona quorum Apoſtolus ad Roman. III. ait: *Faciamus mala ut veniant bona.* Quibus competit quod Dominus Jeremiæ VII. & IX. improperat dicens: *Hæc eſt gens quæ non audivit vocem Domini Dei ſui, nec recepit diſciplinam: periit fides & ablata eſt de corde eorum, poſuerunt offendicula ſua in domo, in qua invocatum eſt nomen meum, ut polluant eam, &c.* ideo *unuſquiſque a proximo ſuo ſe cuſtodiat, & in omni fratre ſuo non habeat fiduciam, quia omnis frater ſupplantans ſupplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet, & veritatem non loquetur. Docuerunt enim linguam ſuam loqui mendacium, ut inique agerent.* Laboraverunt non conſiderantes quod Apoſtolus ad Romanos I. ait: *revelabitur enim ira Dei de cœlo ſuper omnem impietatem & injuſtitiam hominum eorum qui veritatem Dei in injuſtitia detinent.* Ex his enim fraude, mendacio, impietate & injuſtitia ordo venerabilis, in quo omnia honeſte & ſecundum ordinem ſolebant fieri, ut I. ad Corint. IV. dicitur, *male tractatur, ſubſannatur & captivatur.* Iſaia V. cauſam captivitatis reddente, cum ait: *Propterea ductus eſt populus meus captivus, quia non habuit ſcientiam, & nobiles ejus interierunt fame & multitudo ſibi exaruit.* Et ſuper his Deo remedium ſubjungente, qui Deus Iſaiæ XXXII. dicit: *Non vocabitur ultra, qui inſipiens eſt, princeps; nec fraudulentus appellabitur major.* Unde Proverb. XIV. *In malitia ſua expelletur impius, contemtor juris.* Et ..... jure ſecuris, qui gravat atque premit quos Chriſtus ab hoſte redemit. Et de tali principe Pſalm. ad Dominum ait: *Sedem ejus in terra conliſiſti, minoraſti dies temporis ejus, perfudiſti eum confuſione*: quia ſpreto conſilio Job. XXXVI. *noluit deponere magnitudinem ſuam abſque tribulatione.* Iſaia LVII. dicitur: *Non eſt pax impiis.* Et rurſum idem Iſaias XXXIII. de ordine a viris impiis tribulato, & a nullo tunc temporis conſolato, admiratus, compatiendo ordini ait: *Ubi eſt litteratus? ubi eſt verba legis ponderans? ubi doctor parvulorum?* Cum ordo Grandimontis tribulatus in dedecus & detrimentum ex tribulatione vertitur, ex qua quidem tribulatione ſpirituales viri facti ſunt carnales & animales, juxta apoſtolum Jacobum III. dicentem: *Cum ſint inter vos zelus & contentio, nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Et Judam Thadei apoſtolum in ſua canonica aſſerentem, quod *in noviſſimo tempore venient illuſores ſecundum ſua deſideria ambulantes in impietate; hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum ſcilicet ſanctum non habentes*; qui Spiritus ſanctus non deſcendit niſi ſuper congregatos fratres, & repente de cœlo ſonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis. Ait enim Apoſtolus I. Corint. XIV. quod *non eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis*; qui Math. XVII. *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum ſum.* Qui pro omnibus paſſus eſt, Rom. IV. & V. & I. ad Tim. II. & ad Titum II. qui etiam ut legitur Eccleſiaſtici XII. & XV. *odio habens peccatores, miſertus eſt pœnitentibus,*

bus, nemini dans ſpatium peccandi, teſte Jeremia IX. *Facit miſericordiam judicium & juſtitiam in terra.* Suos in hoc mundo permittens capi, incarcerari, torqueri, cruciari, & perſecutiones pati, ut Paulum I. ad Corinth. IV. qui ex perſecutionibus a Domino ereptus 2. ad Timoth. 3. dixit, quod omnes qui volunt in Chriſto pie vivere perſecutionem patiuntur, ut poſtmodum a Domino conſolentur, viſitentur, remunerentur, coronentur, & glorificentur, ſecundum eumdem Apoſtolum 2. ad Corinth. I. dicentem: *Si ſocii paſſionum fuerimus, erimus & conſolationis.* Et ad Romanos V. aſſerentem gloriam in tribulationibus, *ſcientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit.* Et in eadem epiſtola ad Romanos 8. dicentem: *Quid ergo nos ſeparabit a caritate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? ſed in iis omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos.* Qui etiam Deus per papam Johannem 22. de . . . . . qui ut legitur de Job XXIX. *Juſtitia ſemper indutus extitit, & inſuper fuit oculus cæco & pes claudo, pater omnium: qui & cauſam quam neſciebant diligenter inveſtigabat.* Pro corrigendis retroactis exceſſibus, & liberatione fratrum oppreſſorum de carceribus, reformandiſque dicti ordinis ſtatutis & moribus voluit viſitare ſuper omnes qui attonſi ſunt comam habentes in deſerto, incircumciſi corde, ut ait Jeremias IX. Et Stephanus protomartyr Actuum VI. dicens: *Dura cervice, & incircumciſi corde & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut patres veſtri, quem prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri?* Et volens dictus Johannes papa ſe informare de dicti domni Jordani depoſitione, & fratris Heliæ electione, ac confirmatione, factâque ab ipſis fratrum incarceratione: qui prout legitur I. Petri IV. Videns quoniam *tempus eſt ut incipiat judicium de domo Dei*, abbati S. Martini. . . . . ſuis dedit litteris in mandatis, ut dictos domnum Jordanum & fratrem Heliam, ac electores ejuſdem Heliæ, & definitores ac confirmatores electionis monaſterii & ordinis Grandimontis, peremtorie citaret, ut infra X. dierum ſpatium poſt citationem ipſis factam, Avenioni coram ipſo papa perſonaliter comparerent: præcipiens fratres incarceratos ab eis, per dictum abbatem S. Martini ab eorum carceribus liberari, recepta ab eis cautione idonea de comparendo intra deffinitum terminum, perſonaliter coram papa. Cui Iſaiæ XLII. dicitur: *Ego Dominus, vocavi te in juſtitia.* Et Jerem. XXII. *Liberavi oppreſſum de manu calumniatoris:* Implens dictus papa quod legitur Ezechiel XXXIV. *Ecce ego ipſe ſuper paſtores, & requiram gregem meum de manu eorum & ceſſare faciam eos ut ultra non paſcant gregem, nec paſcant amplius paſtores ſemet ipſos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit ultra eis in eſcam. Quod perierat requiram & quod abjectum erat reducam, & quod confractum fuerat alligabo, & quod infirmum erat conſolidabo, & quod pingue & forte eſt cuſtodiam, & paſcam illas in judicio, ſalvabo gregem meum, & ultra non erit in rapinam, & judicabo inter pecus & pecus, & ſuſcitabo ſuper eas paſtorem verum, &c.* Qui etiam Johannes papa ſecundum Apoſtolum ad Titum 2. arguere cum omni * impio non poſtponens, diligenter inveſtigatos & per fratres coram ſe perſonaliter evocatos, probatos dicta diſſenſione durante exceſſus, præſentibus fratribus citatis Avenioni coram eo, hoc modo proceſſit.

Johannis 22. eromiæ.

* f. impoſito.

Die lunæ ante feſtum Natalis Domini ſub anno Domini MCCCXVII. quia poſt ceſſionem dicti domni JORDANI & fratris Eliæ, religioſum virum domnum GUILLELMUM PELLICERII, olim correctorem de Pinello Toloſanæ diœceſis, de novo monaſterio Grandimontis abbatem præfecit, ſub eo in Grandimontenſi ordine triginta novem conventuales conſtituens prioratus, & pace inter dictos domnum JORDANUM & fratrem ELIAM facta, & pacis oſculo confirmata, ſuſpendit interdictum in dicto monaſterio & conventu Grandimontis prolatum uſque ad Paſchæ octavas, ut poſſet interim de ſolvendis debitis contractis in curia ordinare, abſolvens omnes fratres ab omni excommunicatione & irregularitate contracta ratione diſcordiæ motæ. Qui fratres vexati ex litigio & anfractibus curiæ Romanæ cum Salomone Sapientiæ 5. dicere potuerunt, *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Tranſierunt omnia tamquam umbra.*

Johannes papa XXII. erigit monaſterium Grandim. in abbatiam.

In mſ. codice Toloſano fratrum Prædicatorum, inter plurima ſcripta Bernardi Guidonis, ſeries occurrit priorum Grandimontenſium, in qua de hac diſcordia & de compoſitione facta a Johanne 22. hæc pauca addita ſunt in margine, ubi de Jordane agitur.

Tempore vero prioratus memorati fratris Jordanis facta eſt commotio in ordine valde magna, quæ cœpit ſub anno Domini MCCCXIV. ſuboriri, quibuſdam eidem Jordano adhærentibus, aliis vero inſurgentibus contra ipſum; quæ biennio & amplius perduravit, fuitque grande ſcandalum inter fratres interius ſuſcitatum, & exterius apud exteros propalatum; proceſſitque pars una ad depoſitionem ipſius Jordani publice, & ad electionem prioris alterius, apud Lemovicas electoribus patribus extrinſece convocatis, fuitque electus in priorem & habitus pro priore ab exterioribus frater Helias Ademari, quia præfatus frater Jordanus prior interiorem cum ſibi adhærentibus obtinebat, & con-

Helias Ademari.

tra alios defendebat. Tandemque poſt multos hinc inde graves & grandes conatus & enormes exceſſus, quos reticere propter honorem religionis melius eſt, quam narrare, creato ſummo pontifice domino Johanne XXII. ſub annum Domini MCCCVI. ad apoſtolicum fuit totum negotium devolutum, & per eumdem ſummum pontificem, prout ſequitur, terminatum. Ipſum enim antiquum ordinem reformando, in aliquibus innovavit.

Ordinavit ſiquidem & ſtatuit, ut ipſa domus Grandimontis, quæ totius ordinis eſt caput, & prioris prioratuſque nomine a ſui initio regebatur, deinceps abbatis & abbatiæ titulo & vocabulo cenſeatur; & electio abbatis pertineat ad conventum. De reliquis vero domibus totius ordinis, quæ in diverſis partibus & regionibus plures erant, ſic extitit ordinatum; ut 39. prioratus collegiati in locis ſeu domibus potentioribus fierent, & facti ſunt ex eiſdem, in quorum eligerentur priores ſinguli a collegio, & ad abbatem Grandimontenſem, tamquam ſcilicet ad ſuperiorem ſuum, eorum confirmatio pertineret. Reliquæ vero domus ficrent unitæ ſingulis prioratibus & ſubjectæ, nonnullis tamen abbati & abbatiæ Grandimontenſi ſine medio reſervatis. Item tribus viſitatoribus ordinis ab antiquo inſtitutis, unum ſuperaddidit, & quatuor eſſe conſtituit & decrevit. Hæc autem cum quibuſdam aliis * contra dictum ordinem, ad ejus reformationem rationabiliter ſunt prævisa; ut obviaretur frequentibus ſcandalis, & in diſtribuendis domibus & inſtituendis rectoribus eorumdem maturitas gravior & major æqualitas ſervaretur, & voluntatum partialitas vitaretur: cum non per unius hominis voluntatem, ſicut prius, ſed per communem electionem plurium canonice fieret proviſio de perſonis, & in diſtributione beneficiorum perſonarum merita penſarentur, & vigeret amplius correctio in ordine, tam in capite quam in membris, ubi plures eſſent oculi vigilantes. Acta ſunt hæc anno Domini MCCCXVII. pontificatus vero memorati domini Johannis papæ anno 2. elapſis vero tunc temporis annis ducentis undecim ab exordio ordinis, computando * quo beatus STEPHANUS, primus ejus inſtitutor & fundator, primum advenit ad eremum de Mureto; quod idem fuit anno Domini MLXXVI. ſicut in geſtis ejuſdem Stephani ſcribitur & habetur.

Præfatis vero duobus prioribus, novo pariter & antiquo, de prioratu concertantibus Grandimontis, prioris & prioratus re & nomine per ſummum pontificem vacuatis, idem dominus papa erexit prioratum Grandimontenſem in novam, ſicut præmittitur, abbatiam, primumque abbatem inſtituit in eadem. Primus namque abbas Grandimontis fuit inſtitutus per dominum Johannem papam XXII: frater Guillermus Pellicerii de Albonca diœceſis Caturcenſis; qui tunc erat rector ſeu corrector domus de Pinello ſub anno Domini MCCCXVII. circa finem, benedictionemque abbatis cum virga ſeu baculo paſtorali ex more recepit per manum domini Nicolai cardinalis epiſcopi Oſtienſis, apud Avinionem in curia, Dominica in octavis Paſchæ, ultima die Aprilis, ſub anno MCCCXVIII.

* f. circa.

* ſuppl. abeo tempore.

Primus abbas Grandimont.

BREVIS HISTORIA
ORDINIS CARTHUSIENSIS
AUCTORE ANONYMO

Ex mſ. codice abbatiæ S. Laurentii Leodienſis.

OBSERVATIO PRÆVIA.

CUM Carthuſienſis ordo a prima inſtitutione floruerit hactenus ſanctitate, traditamque ſibi a S. Brunone vitæ rationem in omnibus fere ſervaverit illibatam; mirum ſane videri poteſt, ordinis clariſſimi nullam adhuc vulgatam hiſtoriam, quæ alumnos ad pietatem imitationemque priſcorum patrum provocaret, ceteros vero in amorem admirationemque converteret. Id ſane non niſi ſingulari præpoſitorum Carthuſienſium modeſtiæ tribuendum exiſtimo, qui numquam ſe magis fulgere apud Deum arbitrantur, quam cum obſcuri apud homines deliteſcunt. Quapropter cum generalem totius ordinis ſui hiſtoriam conſcribere deliberaſſet majoris Cartuſiæ prior noviſſimus, aliquoſque e fratribus ſuis eruditos viros ad hujuſmodi opus idoneos adſciviſſet; obſtitere alii ordinis priores fere omnes, latebras ſe decere, atque a ſolo Deo cognoſci ſibi ſufficere conclamantes. Cui defectui ut occurratur ſequentem hiſtoriam ex Leodienſis S. Laurentii monaſterii codice manuſcripto acceptam piis religioſiſque lectoribus offerimus; brevem quidem pro rei magnitudine, ſed pro ſui raritate, uti ſperamus, non ingratam.

Auctor ſeceſſus S. Brunonis in ſolitudinem cauſam refert ad ſingularem eventum doctoris Pariſienſis, qui Dei judicio damnatum ſe palam profeſſus eſt, quem ex antiqua ſui ordinis traditione ab annis minimum quingentis ad nos uſque derivatam quaſi pro aris & focis propugnant Carthuſienſes. Cui quidem opinioni anſam ac fidem, ut ſuſpicatur Mabillonius, præbere potuit exitus alter conſcriptus ab auctore vitæ S. Annonis Colonienſis archiepiſcopi. Erat nempe Romæ vir quidam opibus ac divitiis affluens, ſed laxioris vitæ, Andreas nomine, qui præter nomen nihil Chriſtianæ religionis habere videbatur, niſi quod B. Ceſario martyri devotus, ejus eccleſiam cum cereis frequentare ſolebat. Hic ſero pœnitens defunctus, cum corpus ejus in feretro compoſitum eſſet, caput cœpit erigere. Tum qui aderant, aliis metu diffugientibus, aliis qui conſtantiores erant, illic remanentibus, & an mortuus eſſet dubitantibus, ille graviter ſuſpirans, ſe vere mortis ſortem ſubiiſſe teſtatus eſt, atque perpetuæ damnationis pœnas luiturum, niſi Cæſarii martyris interceſſiſſet ſupplicatio, &c. Hæc ubi fuſius retulit Mabillonius, Nec ſcio, ſubjicit, an S. Brunonis converſioni, qui ex Annone, utpote Colonienſi, reſcire potuit, occaſionem dederit. Aliam alii ſeceſſus illius cauſam afferunt, nempe perverſos Manaſſis archiepiſcopi Remenſis mores, quos cum inſectaretur Bruno, nec quicquam proficeret, re-

licta Remorum civitate, arduos Carthuſiæ montes, ductore Hugone Gratianopolitano antiſtite, petiit, ut fuſius narrat Guibertus abbas Noviginti.

DE ORDINE CARTHUSIENSI.

Unde cœpit exordium, & de prioribus majoris domus Carthuſiæ, ac de geſtis eorumdem.

QUoniam, atteſtante ſcriptura Eccleſiaſtici trigeſimo nono, *narrationem antiquorum ſapiens exquiret*; idcirco Sancti Spiritus adjutorio invocato, de antiquis patribus ac ſanctis fundatoribus, necnon & promotoribus, reverendiſſimis videlicet prioribus domus majoris Carthuſiæ, aliqua ad perpetuam memoriam poſteris curavimus intimanda. Et licet quinque primi priores hic inferius deſcripti, in pluribus chronicis reperiantur; tamen ſucceſſores eorum, neſcitur qua de cauſa, taliter ſunt oblivioni traditi, quod nulla penitus ex eis memoria per aliquam ſcripturam habeatur. Ceterum unus monachorum olim præfatæ domus librariam ac inſtrumenta ad dictam domum pertinentia cuſtodiens, & dicta inſtrumenta perlegens ex certa cauſa, inter alia ſcripta ibidem reperta, alios infraſcriptos priores deſcriptos reperit, eoſque cum anno Domini ibidem deſcripto ad partem annotans, poſteris intimare curavit. Pauca ſiquidem de eorum ſancta vita & converſatione, niſi ex ſolo auditu innoteſcere potuit, excepto dumtaxat, qui ad domus Carthuſiæ ſcilicet majoris prioratum, quæ caput ordinis totius eſſe dignoſcitur, minime fuiſſent electi, niſi eorum ſancta converſatio & laudabilis vita ordini univerſo in exemplum ceſſiſſet. Hoc etiam notandum, quod antiqui priores ex eis duabus vicibus ſunt nominati; tum quia forte priores diverſis vicibus extiterunt; tum etiam quia diverſi eodem nomine fuerunt inſigniti. Utrum autem alii priores intermedii fuerint non conſtat; eo quod non poteſt per aliquam ſcripturam reperiri: verum, ut præmiſſum eſt, multa hic poſita ſunt ex ſolo auditu ſeu relatu; & auditus ſæpius fallitur, maxime tempore moderno, in quo multi multa loquuntur. Potuit hic aliquid minus tempori congruens inſeri, præcipue de miraculis & annis Domini currentibus; eo quod aliqua hic ſub uno priore deſcribuntur, quæ forte ſub alio contigerunt, ſicut & aliæ narrationes & facta. Si quid vero huic operi minus rectum fuerit intercluſum, auctor ejuſdem pium & bene de veritate informatum poſtulat correctorem, ut in rectam harmoniam convertat. Alias ſuperſedendum eſſe cenſetur, quam temere aut inordinate ſeu vitioſe aliquam committere corruptelam; ne de corruptione aut falſitate ſcripturarum in tremendo cunctis judicio diſtricte inde puniatur. Exordium autem ſumitur a loco ubi incœpit ſemen ſanctum atque propoſitum ordinis præfati, a fundatoribus ſcilicet & patribus ſive prioribus ipſius domus Carthuſiæ antedictis.

Auctor monachus majoris Carthuſiæ.

Explicit proemium.

Anno igitur Dominicæ Incarnationis milleſimo octogeſimo ſecundo, dum ſolemne ſtudium floreret Pariſius, præcipue in philoſophia, theologia & jure canonico, aliiſque facultatibus, ſicut generaliter conſuevit, tale ibi cunctis horrendum fertur prodigium accidiſſe, ſicut patres noſtri nobis narraverunt. Fuit quidam doctor præcipuus ac famoſus, vita, ut videbatur, atque fama, doctrina, pietate, & ſcientia inter omnes doctores Pariſienſes excellenter honoratus, & mirabiliter gratioſus; qui gravi & ultima infirmitate præventus, non diu decumbens, diem clauſit extremum; cumque tota illa die qua defunctus eſt, more Pariſienſi, in aula, funere decumbente in feretro, fuiſſent decantata divina officia defunctorum more ſolito; in craſtino mane congregata ibi univerſitate Pariſienſi, tam ſcholarium quam doctorum, quatenus tam honorabili viro ſolemnis & venerabilis præberetur funeralis officii ſepultura; cum reverendi viri feretrum in quo funus jacebat elevare vellent ad eccleſiam deferendum, ſubito cunctis ſtupentibus, qui mortuus videbatur & erat, elevato capite reſedit in feretro, cunctiſque audientibus alta terribilique voce clamavit: *Juſto Dei judicio accuſatus ſum*; & hoc dicto caput inclinans decubuit mortuus ſicut prius. Qua voce cuncti attoniti ac territi deliberaverunt ipſum illo die nullo modo fore ſepeliendum, ſed potius uſque in craſtinum reſervandum: & inito conſilio corpus ad aulam retulerunt. Mane igitur ſequenti cum multitudo maxima ſtudentium conveniſſet, & exequiis iterato celebratis, cum vellent dictum funus ſicut prius ad eccleſiam deportare, idem defunctus ſicut prius elevato capite doloroſa ac terribili voce vociferatur dicens: *Juſto Dei judicio judicatus ſum.* Quam vocem multitudo quæ ibi convenerat audiens clare & intelligens, ſtupuit plus quam prius: & alterutrum conquirentes quid ſibi vellent innuere tam inſoliti & inexperti defuncti clamores, quibuſdam dicentibus quod judicium poterat ſonare in bono & malo, adhuc determinaverunt ipſum ad aliud craſtinum deferendum, & non ante ullatenus tumulandum: quod & factum eſt. Tertia vero die cum propter hujuſmodi rumores & prædicta prodigia fere tota civitas Pariſienſis cum clero conveniſſet, & funus cunctis præparatis vellent ad tumulum deportare; defunctus ſicut prius jam tertia vice altiſſimo & mœſtiſſimo

clamore clamavit : *Juſto Dei judicio jam judicatus ſum, & æternaliter condemnatus ſum.* Qua horribili juſti Dei judicii ſententia audita, quaſi omnes immenſo timore & tremore fuere perculſi, certi facti de tanti viri condemnatione, qui inter alios & ſuper alios videbatur honeſtate vitæ, claritate famæ, excellentia dignitatis, & multiplici ſcientia ac ſapientia præfulgere.

Ea tempeſtate erat ibi magiſter BRUNO doctor famoſus, magiſter & doctor ſacræ theologiæ, vir magnæ ſanctitatis & profundi ſenſus, natione Theutonicus, de civitate Colonia, non obſcuris parentibus natus, Remenſis eccleſiæ canonicus, & ibidem ſcholarum magiſter & rector : qui attente rem auditam conſiderans, ac ſalubriter ſupradictis vocibus territus atque compunctus, allocutus eſt quoſdam ſocios ſuos ibidem præſentes hujuſmodi verbis dicens : Eia chariſſimi, quid faciemus? omnes ſimul peribimus : nemo ſalvabitur niſi qui fugerit. Si in viridi, ſcilicet in tanto doctore hæc fiunt, in arido quid fiet? Si denique homo tantæ dignitatis & famæ, tantæ litteraturæ, tantæque ſcientiæ, qui videbatur tam honeſtæ vitæ, qui tam celebris famæ, ſic indubitanter damnatus eſt; quid nos miſeri homunculi ac nullius reputationis facturi ſumus? Si tam lugubri unius homuncionis voce, tam horribili timore ac tremendo terrore concuſſi ac ſtupefacti ſumus; quid faciemus in illo tremendo examine, cum intolerabilis rugitus leonis, cumque extremi judicii illa tuba aures noſtras perculerit? cum cuncti audierimus : *Surgite mortui, venite ad judicium*; quo tunc arctati undique fugiemus? Quomodo in tam horrendo examine, ubi etiam cœli columnæ contremiſcent, & terrebuntur angeli & territi purgabuntur, ut ſcriptura teſtatur, apparere poterimus? Ubi tunc latebimus? Impoſſibile erit tunc latere & fugere : intolerabile autem apparere. Fugiamus igitur a facie gladii : præoccupemus faciem Domini in confeſſione. Venite potius adoremus & procidamus ante Deum, ploremus coram Domino qui fecit nos. Poſtquam enim vocem Domini hodie audivimus, non obduremus corda noſtra; ſed exeamus de medio Babylonis : egrediamur de pentapoli, in igne & ſulphure tam ſuccenſa; & exemplo beatorum patrum, Pauli ſcilicet primi eremitæ, & Antonii, Arſenii, Evagrii atque Macharii, & aliorum plurimorum ſanctorum patrum, cum beatiſſimo Johanne Baptiſta antra deſerti & devia quæramus in montibus & ſpeluncis nos ſalvos facientes; quatenus æterni judicis iram, & ſententiam æternæ damnationis & diluvium peccatorum in arca Noë & in navicula Petri, in qua Chriſtus ventum & tempeſtatem ceſſare fecit, id eſt in navi pœnitentiæ, evadere ab ira columbæ valeamus, & pervenire poſſimus ad portum & tranquillitatem æternæ ſalutis optatæ.

His & ſimilibus verbis, & ſalutaribus monitis atque ſententiis, & ſeipſum & quoſdam ſocios ſuos alloquens & exhortans, deliberaverunt ſcilicet ipſe & ſex alii probi viri ſecum, abrenuntiare ſæculo & omnibus pompis ejus, & ad perfectam pœnitentiam peragendam eremi deſerta competentia quærere, & ibidem relictis omnibus divitiis, deliciis & honoribus hujus mundi, accipere ſinguli cruces ſuas, & nudum Chriſtum nudi ſequi per arctam viam, quæ ducit ad vitam, & latam & ſpatioſam deſerere, quæ amatores & ſectatores mundi perducit ad ſupplicia damnatorum. Et quia jam audierant famam ſanctitatis excellentiſſimi viri beati HUGONIS Gratianopolitani epiſcopi, qui prius aliquo tempore ejuſdem magiſtri Brunonis in ſcholis creditur ſocius extitiſſe, ſancto Spiritu inſpirante, ad ſanctum memoratum epiſcopum ſimul accedere decreverunt, & ejuſdem conſilium & auxilium ſuper propoſito ſuo inquirere, ut in ejuſdem diœceſi, quam audiverant multis deſertis montibus abundare, mererentur locum congruum obtinere, in quo ſuum ſanctum propoſitum poſſent effectui mancipare.

Septem igitur viri infra deſcripti præfata de cauſa ad prædictum ſanctum epiſcopum, duce ſancto Spiritu, pervenerunt. Cumque intrarent præfatam civitatem, contigit ut præfatus ſanctus epiſcopus in camera ſua obdormiret; viditque in ſomnis ſanctam viſionem : & ecce ſeptem ſtellæ cadebant ante pedes ejus, & poſtea aſcendebant per diverſos montes & multa deſerta uſque ad quemdam locum horridum valde, & a populis remotum, Carthuſia nuncupatum, ſteteruntque ibi. Hic utitur auctor opuſculi verbis ſanctæ memoriæ domini Guigonis, olim prioris Carthuſiæ, ex legenda præfati epiſcopi narrando ſic : Adeſt magiſter BRUNO vir religioſus ſcientiaque famoſus, honeſtatis, gravitatis ac totius maturitatis quaſi quoddam ſimulachrum : habebat autem idem ſocios propoſiti ſui, magiſtrum ſcilicet Landuinum, qui poſt eum extitit prior Carthuſiæ, & duos Stephanos, Burgenſem & Dienſem : ii ambo beati Rufi canonici fuerunt; ſed deſiderio ſolitariæ vitæ, eis abbate eorum favente, ſeſe ei conjunxerant; Hugonem quoque quem cognominabant capellanum, eo quod ſolus ex eis ſacerdotio fungeretur, duos autem laicos, quos appellant converſos, Andream ſcilicet & Guarinum. Quærebant autem locum eremiticæ vitæ congruum, & necdum repererant : vigilante autem prædicto epiſcopo & de viſione ſeptem ſtellarum cogitante, adſunt præfati ſeptem viri, ſcilicet magiſter BRUNO cum ſex præfatis ſociis ſuis. Cadentibus autem iis ſeptem ante pedes ſancti viri, conferebat ipſe ſanctus vir in corde ſuo de ſeptem ſtellis quas in viſione viderat : qui eos benigne levavit ad pacis

oſculum, & inquiſita & diligenter intellecta qua de cauſa veniſſent, dixit eis: Scio locum veſtrum a Deo vobis paratum; & duxit eos non ſine grandi labore ad locum ubi ſteterunt ſeptem ſtellæ, & ait: Ecce locus veſter. Sicque ipſo ſancto viro conſulente atque juvante, Carthuſiæ locum intraverunt, & exſtruxerunt anno Domini milleſimo octogeſimo quarto, epiſcopatus vero præfati S. Hugonis anno quarto. Et quia idem ſanctus epiſcopus ante per ſomnium viderat in eadem ſolitudine Deum ſuæ dignationi habitaculum conſtruentem, ſtellas etiam ſeptem itineris ſibi ducatum præſtantes, non iſtorum ſeptem tantum, ſed & eorum qui ſucceſſerunt, & conſilia eorum ſecuti ſunt, amorem libenter amplexatus eſt, & uſque ad mortem Carthuſiæ habitatores conſiliis ſemper & auxiliis ac beneficiis fovit & adjuvit. Licet vero & prius divini amoris totus arderet incendiis, non aliter tamen ad diſciplinæ cœleſtis exercitia eorum exemplis & familiaritate efferbuit, tamquam ſi flammatæ quis faci plures alias circumponat ardentes. Erat autem cum eis non ut dominus aut epiſcopus, ſed ut ſocius & frater humillimus, & ad cunctorum, quantum in ipſo erat, obſequia paratiſſimus: adeo ut vir venerabilis GUILHERMUS tunc prior S. (a) Laurentii, poſtea abbas ſancti Theofridi, magiſtro Brunoni etiam ipſe religioſa devotione non mediocriter alligatus, beati HUGONIS contubernalis (bini quippe tunc per ſingulas habitabant cellas) apud magiſtrum Brunonem non leviter conquereretur, quod pene omnia ad humilitatem ſpectantia intra cellam ſibi præriperet officia, & epiſcopus non ſaltem ſecum ut ſocius, ſed potius ſecum converſaretur ut famulus. In tantum autem eremum incoluit & ſedulus, ut cum magiſter Bruno nonnumquam exire compelleret, ita dicens ei: Ite ad oves veſtras, eiſque quod debetis exſolvite. Eo tempore magis paupertatis & humilitatis ardore ſuccenſus dictus epiſcopus, voluit equitantias ſuas vendere omnes, & diviſo pauperibus pretio, propriis pedibus in prædicatione diſcurrere: ſed homo profundi cordis magiſter ſcilicet Bruno, cujus conſilio non aliter quam abbatis præcepto in ſingulis obtemperabat, non conceſſit: timens ne forte apud ſe de hoc extolleretur, aut a ceteris de aliqua ſingularitate judicaretur, aut certe, quod dubium non erat, quod ipſum propter itineris aſperitatem ac viarum inæqualitatem conſummare non poſſet.

Omnia præmiſſa ſunt verba venerabilis domni Guigonis, ſcripta in vita ejuſdem S. Hugonis Gratianopolitani epiſcopi, quæ hic inſerenda judicavimus; quia in eis primordia fundationis principalis domus Carthuſiæ declarantur, & præcipue magiſtri Brunonis excellentia innoteſcit in hoc, quod eidem tam venerabilis tamque ſanctus epiſcopus cum tanta reverentia, ſic ferventer & humiliter ſedule adhærebat; & quia de præfato epiſcopo veraciter dici poteſt, quod ipſe domus & ordinis Carthuſiæ patronus ſit atque fundator, & quamvis non primus, tamen quodammodo præcipuus & principalis inſtitutor. Feliciter denique fundata fuit & inchoata domus & ordo Carthuſienſis tempore ſummi pontificis GREGORII hujus nominis ſeptimi: cui in papatu ſucceſſit felicis recordationis papa VICTOR, qui modico tempore, ſcilicet uno tantum anno cum quatuor menſibus eccleſiæ præfuit. Quo defuncto, URBANUS papa hujus nominis ſecundus creatus eſt, cujus venerabilis magiſter Bruno primitus præceptor fuerat & magiſter.

Hic cito poſt creationem ſuam recordatus ſapientiæ & ſanctitatis atque diſcretionis eximii magiſtri ſui cariſſimi Brunonis, indilate cogitavit cum ſecum habere; quatenus eum dirigeret & adjuvaret ad apoſtolatus ſollicitudinem, & eccleſiæ ſanctæ onera perferenda. Cum igitur præfatus magiſter BRUNO jam ſex annis eremum Carthuſiæ inhabitaſſet, & tandem ex parte ſummi pontificis ad curiam Romanam vocatus fuiſſet; cum ſummo pontifici obedire oporteret, & filiorum ſuorum cœlicolorum ſocietatem gratiſſimam ad tempus ſaltem deſerere; ipſi ſubditi ſui tanto ſunt propter hoc dolore concuſſi, ac tanta triſtitia & mœrore perturbati, quod omnino & ipſi aſſerebant ſe nullo modo in Carthuſia manſuros, ſi ipſos contingeret tam dulciſſimi ac dilectiſſimi patris orbari præſentia & pia providentia privari. Venerabilis magiſter BRUNO denique propter filiorum ſuorum hujuſmodi deſolationem & mœſtitiam non leviter deſolatus, ac cordialiter quodammodo ſauciatus, debitum tamen obedientiæ ſummo pontifici non volens nec valens aut audens debito aut licito denegare; ne locus Carthuſiæ piis exercitiis jam mancipatus, a cœlicolis derelictus ad profanas aut indignas abuſiones vel uſus ſæcularium deveniret, ipſum abbati Caſæ Dei, qui fuerat unus de primis donatoribus & promotoribus, facta donatione aut ceſſione dereliquit, confecto ſuper hoc ei publico inſtrumento. Deinde præfatus venerabilis pater ad ſummum pontificem veniens, eidem non longo poſt, ſed brevi tempore aſſiſtens conſiliis & auxiliis ſalutaribus, ejus multa onera optime ſupportabat, & multum integerrime ſanctæ Dei eccleſiæ ejus ſollicitudinem ſua promtitudine ſublevabat ac diſponebat.

Verumtamen diu patienter ſuſtinere non poterat triſtitiam & dolorem correptum jam de cariſſimorum filiorum ſuorum diſpoſitione; & ſtrepitus ac tumultus curiæ impedientes dulcedinem ac quietem, qua frui & paſci in eremo conſueverat, graviter ferens atque

(a) Cella eſt in ſuburbio urbis Gratianopolitanæ ſita, a monaſterio S. Theofredi dependens.

diutius ferre non ſuſtinens, expoſita ſummo pontifici ſuæ mentis mœſtitia, cum ſumma ſua inſtantia imploravit, & vix tandem obtinuit, a curia ſcilicet ſeparari, & quod poſſet ad eremum, & cellæ jam præguſtatam dulcedinem atque optatam quietem & tranquillitatem remeare. Et cum ſummus pontifex vellet cum in Regienſis eccleſiæ archiepiſcopum confirmare, ad quam, pontifice annuente, eo vero invito electus fuerat, nullo modo conſenſit; ſed ſpreto archiepiſcopatu atque contemto, domno apoſtolico valefaciens, ad Calabriæ quamdam eremum cui Turris nomen eſt, Deo duce, pervenit; ibique iterato multis clericis & laicis congregatis, monaſterium inſtituit, in quo uſque ad finem vitæ ſuæ fideliter deſudans, in ſolitudine, vitæ propoſito, humilitate conſtans, caritate flagrans, devotione præcipua fervens, Deo ſemper adhæſit, atque ibidem itineratii ſui curſum feliciter conſummavit. Quem ſæpedictum glorioſum patrem adeptum fuiſſe bravium & coronam felicitatis æternæ, divina clementia per multa miraculoſa indicia crebraque miracula declaravit. Et ut pie credendum eſt, priuſquam idem pater de curia recederet, ejus meritis & precibus divina providentia omnes ejus ſocios & ſubditos revocavit: ita quod omnes omnino redire Carthuſiam decreverunt & conſenſerunt. Et idcirco magiſter Bruno a ſummo pontifice impetravit litteras ad abbatem monaſterii Caſæ Dei venerabilem virum domnum Siguinum; quatenus locum Carthuſiæ ſibi per magiſtrum Brunonem derelictum, omnino infra triginta dies a receptione litterarum papalium redderet ac reſtitueret ſociis ac ſubditis magiſtri Brunonis cum omni priſtina libertate. Nota quod iſtæ primæ videntur litteræ papales, quæ inveniuntur de ordine Carthuſienſi facere mentionem, quæ circa principium carthularii domus Carthuſiæ habentur conſcriptæ.

Abbas vero Siguinus recepto mandato apoſtolico gratanter & hilariter obedivit, & magiſtro Lauduino & ſociis ſuis locum Carthuſiæ libenter liberum reddidit per publicum inſtrumentum, quod circa principium carthularii Carthuſiæ eſt conſcriptum. Et antequam ad Calabriæ partes ſæpefatus magiſter Bruno tranſmearet, prædictum magiſtrum Lauduinum Carthuſiæ priorem ordinaverat. Nam, ut fertur, de mandato & conſilio dicti pontificis ad Calabriæ partes tranſivit, quia alias, ut fertur, ad priſtinum locum Carthuſiæ reverti diſponebat. Quia igitur incomprehenſibilia ſunt judicia Dei & abyſſus multa, non eſt locus Carthuſiæ indignior judicandus, ex eo quod poſtquam ſex annis divino cultui dedicatus, a prædictis ſanctis viris fuerit derelictus, ſed potius propter hoc eſt mirabilior & dignior reputandus, quaſi qui etiam derelictus tantæ virtutis fuit, quod ſuos incolas meruerit & prævaluerit revocare, nec ſine Dei cultoribus, nec abſque divinis laudibus potuerit remanere. Sicut enim divinæ diſpenſationis providentia jam cœli ac terræ principes apoſtolos æterna prædeſtinatione conſtitutos, in paſſione Chriſti nihilominus cadere permiſit, & a veritate Chriſti & veræ fidei ſeparari; ita quod etiam aliqui ex diſcipulis ſanctificata civitate Jeruſalem derelicta, ad caſtella extrinſeca infidelitatis vento diſperſi deſperationis fluctibus vacillabant; verumtamen Chriſto corporaliter reſurgente, & ipſi ſpiritualiter inſurrexerunt, conſtantiores & firmiores in fide & amore Chriſti poſtmodum permanſuri; & ii qui jam receſſerant ab Jeruſalem ſtadiis ſexaginta, eodem die revertentes, fuerunt Chriſti viſione cum aliis diſcipulis reformati: ita Deus incolas Carthuſiæ primo permiſit recedere, ut poſtea redeuntes exiſterent firmiores, & in ſancta perſeverantia fortiores. Qui enim in fine ſexti anni receſſerant, in anno ſeptimo redierunt, ut daretur per hoc eis intelligi, quod ſicut ſeptimo die Dominus in creatione primaria a laborioſis operibus requievit, & poſt paſſionem ſuam eodem die ſeptimo quievit ſimiliter in ſepulchro; & ſeptimus annus in lege generali fuerat deditus requiei; & ſepties ſeptimus annus dicitur jubilæus: ita ſeptimo anno habitatores Carthuſiæ redeuntes ibidem a ſervilibus ceſſantes operibus peccatorum, ſpirituali contemplationis requie recreati, & in ſepulchro Chriſti, id eſt in clauſtro & cellis abſconditi quieſcentes, tandem ad ſeptimum ſeptenarium jubilæi, laudem & requiem æternam gloriæ æternæ deſignantis, ipſi tunc numero ſeptem feliciter pervenerunt, & pari ac ſimili modo eorum ibidem ſucceſſores per futura & infinita ſæcula.

Magiſter igitur Bruno vir ſanctiſſimus, & gemina ſcientia præditus, tam divina ſcilicet quam humana eloquentia Tulliana præclarus, diſcretione ac devotione, morumque excellenti honeſtate præfulgens, cœleſtiumque virtutum copioſo theſauro ditatus atque dotatus, Deo & hominibus dilectus atque gratus, eremum Carthuſiæ ſex annis rexit. F. Henricus Kalkar ita ſcribit: Acceperant autem fratres ipſi pro exercitio regulari vitam de Actibus apoſtolorum poſt Aſcenſionem Domini, viventes ſcilicet in communi, vacantes etiam vigiliis ſacris, jejuniis & orationibus, expectantes & ipſi, ſicut & adhuc eorum poſteri quilibet, vitæ ſuæ terminum, prout apoſtoli ſancti Spiritus adventum. Pro fundamento autem ſuæ pœnitentialis vitæ aſſumſerunt, ut firmam petram, pœnitentiam iſtam canonicam quæ de preſbytero fornicario ponitur in decretis diſtinct. 82. cap. Preſbyter ſi fornicatus; pro remotione ſcilicet illius a ceteris, pro recluſione, cellam ſervantes & ſilentium, quietem & ſolitudinem; pro ſacco ejus cilicium ad carnem

cum veſtibus groſſis; pro adhæſione ejus humi, hoc eſt pro ſtratu ejus in terra, lectum de ſtraminibus filtro vel panno ſimplici deſuper contextis; abſtinentias etiam ut ille in pane & aqua tribus feriis, ſecunda ſcilicet, quarta & ſextà tenentes, aliquamdiu tres, ſed tandem minus, ſexta ſcilicet contenti, & ſemper ſine carnibus. Quieverunt igitur ſic fratres ipſi annis fere ſex in pace Chriſti. Hæc ille.

Magiſter vero Bruno, ut præmiſſum eſt, a pontifice vocatus, & non diu poſt ad eremum Calabriæ, cui nomen eſt Turris, tranſiens, ibique ſancto conſtructo monaſterio, multorum Dei ſervorum anachoretarum rector extitit & magiſter, atque ibidem vitæ ſuæ curſu peracto migravit ad Dominum, poſt egreſſum Carthuſiæ undecimo plus minus anno, ſicut in libro conſuetudinum domini Guigonis, quæ ſunt in domo Carthuſiæ, continetur. Juxta ſepulchrum ejus, ut ſcribitur, immediate fons vivus emanat, qui divina cooperante gratia, & hujus ſancti viri meritis, multis languoribus optatæ conſert remedia ſanitatis.

F. Henricus Calcar hæc addit: Reſidentibus igitur in pace apud Carthuſiam fratribus poſt reverſionem eorum aliquanto tempore, aſtitit inter eos Sathan mirabili tempeſtatis perplexitate. Dixerunt enim inter ſe: Si enim hic manſerimus, noſtri periculi rei erimus ex horribili hoc loco & inhabitabili: ſi autem abierimus, duces noſtras huc ſtellas & Deum graviter offendemus. Et ecce Dominus, qui non deſerit ſperantes in ſe, miſit eis ſic colloquentibus ſuper hac re, ſicut ſcribitur de ſpiritu: *Neſcis unde veniat aut quo vadat*, virum honorabilem criſpum & canum ſic dicentem: Fratres, perplexi eſtis de recedendo: ego dico vobis ex parte Dei, quia beata Virgo Maria conſervabit vos in loco, ſi horas ejus legeritis, cum eis canonicas præveniendo, ſed completorium ſubſequendo: quo dicto evanuit homo. Et gaviſi ſunt gaudio magno: illi obedientes elegerunt beatam Mariam patronam ordinis & patronum Johannem Baptiſtam. Hominem illum poſtea conjectabant fuiſſe beatum Petrum, ex quo ſucceſſor ejus Urbanus ſedens in concilio Claromontenſi, horas inſtituit legendas beatæ Virginis. Exinde ita ſunt confirmati, quod nec pro vita nec pro morte ſeparari poterant a caritate Chriſti.

De domo conſtructa in Calabria per magiſtrum Brunonem.

Verum cum de exordio, conſtructione, atque promotoribus domus Carthuſiæ ſuperius aliqualiter eſt prætactum; nunc qualiter domus Calabriæ, quæ nunc S. Stephanus de Buſco vocatur, fuerit in ædificiis & magnis redditibus ampliata, breviter eſt videndum. Sicut enim vulgari relatione fide dignorum ad noſtros poſteros eſt tranſmiſſum, cum dictus magiſter Bruno plurimis ſibi ſociis adunatis, dictam Calabriæ eremum perſonaliter inſedisſet, ibique non cellas, quia ſumtus deerant, ſed plures ſpeluncas ſive cavernas eremitis congruentes de vili materia, ſed in Chriſto pretioſa conſtruxiſſet, atque in eiſdem nocturnis excubiis pariterque diurnis cum prædictis ſuis ſociis divinis laudibus & orationibus inſiſteret, contigit divina mediante providentia eos taliter viſitari. Cum enim dux Calabriæ Rogerus dictus, venationi inſiſtens dictam eremum pervagaret, caneſque more ſuo latrando diſcurrerent huc illucque, contigit eos ad dictas devenire ſpeluncas. Moxque dictos ſanctos patres ibidem intuentes, divino docti oraculo coram ipſis genibus flexis, caudæ blandimento gaudium oſtendentes, maximis latratibus ſuo domino copioſam ſe ſentiunt venationem reperiſſe. Ad quorum latratus dictus dux accurrens, equo inſidens, multo comitatu ſociatus citius advolat, magnam ſe ſperans venationem reperturum: & vere magna; quia dum animalia terrena venatur ad mortem, ſuam ipſius animam eſt venatus ad vitam. Cum vero dictorum canum latratu intimante ad dicta tuguria deveniſſet, coſdem poplite flexo caudæ blandimento coram ipſis ſanctis patribus reperit ibidem præ gaudio latrare, ac inflexibiles remanere. Dictus vero dux de hoc multum ſtupefactus, admirationeque repletus, ſtatim de equo diſſiliens, coſque ſalutans reverenter, ac in eis Deum adorans, cauſam adventus & habitationis dicti loci humiliter ſciſcitatur; cognitoque quod per eremiticam vitam ibidem Deo vacare vellent, monaſterium eiſdem conſtruxit, reddituſque annuos quamplurimos donavit, dictique loci quem nomine ſancti Stephani nuncupari voluit, fundator meruit eſſe principalis atque defenſor. Unde uſque hodie dictum monaſterium vocatur S. Stephanus de Buſco.

Hic dux ipſe quoad vixit, mirabiliter ipſos fratres ac venerabiliter diligebat, gaudens plurimum tantum theſaurum ſe reperiſſe & habere in ducatu ſuo. Porro ſæpius eos viſitavit, ſuiſque emolumentis ſedule & auxiliis refovebat ac refocillabat, eorumque orationibus quamplurimum ſe recommendabat, ſperans haud dubium eidem nihil ſiniſtri poſſe occurrere, ubi eorumdem eſſet clypeo ſalubriter præmunitus. Denique non fefellit eum ſpes ſua. Cum enim ipſe dux guerram cum principe Capuæ haberet, ac eamdem urbem multorum militum præſidio ſuffultus manu obſediſſet armata, prædictus princeps munere & pretio plures nobiles dicti ducis circumvenit, ut proditorie eum traderent in manibus ſuis. Dum vero quadam nocte ſæpedictus dux ſe ſopori dediſſet, & præmiſſi nobiles vellent ſuum implere promiſſum, dictus magiſter Bruno, qui per ſeptem diætas

tas & amplius a loco diſtabat, eidem per vi-
» ſum aſtitit, eique dixit: Surge, quid dormis?
» Surge velociter, quoniam alias a tuis prodi-
» tus, in manus principis Capuæ traderis. Ecce
» enim appropinquant qui te tradent. Qui ſta-
tim de ſtratu ſuo exiliens, inquiſitione facta
& veritate comperta, dictos nobiles juſſit il-
lico ergaſtulo carceris cuſtodire, poſtera die
morte, ut erant digni, plectendos; ſed no-
cte præcedente eidem duci venerabilis BRU-
NO per viſum iterato apparuit, eidem pari-
» ter dicens & injungens: Cave ne quidquam
» eiſdem malefacias, quoniam Deum offen-
» deres quamplurimum per mortem ipſorum:
» nam arcu tuo eos non cepiſti vel ſapientia
» tua, ſed protegente te bonitate ac provi-
» dentia divina. Tunc præfatus dux eiſdem
mortem indulſit; ſervituti tamen eos ſub-
» jecit in hunc modum: Quoniam, inquit,
» mihi per viſum aſſiſtente meo chariſſimo
» BRUNONE atque injungente, nullam de vo-
» bis, ut meruiſtis, ultionem facere præſumo;
» vobis vitam indulgeo, ſic tamen quod vos
» & poſteritas veſtra eidem monaſterio perpe-
» tuæ ſervituti ſubdatur. Quod & ipſi liben-
ter amplectentes, publicis prius inde inſtru-
mentis confectis, ſervi & homines dicti mo-
naſterii ſunt effecti. Quam ob cauſam plura
caſtra & poſſeſſiones dictorum nobilium ad
manus dicti monaſterii in poſterum deve-
nerunt, quæ poſſidet uſque in præſentem
diem.

Verum cum, ut præmiſſum eſt, prædictus ſanctus BRUNO viam fuiſſet univerſæ carnis ingreſſus, miraculis divina ſuffragante gratia quamplurimis coruſcavit: eidem in dicta domo alii quinque priores ſucceſſerunt; ac quouſque domnus Guigo ſupervixit, de quo ſit mentio inferius in quinto regiminis loco, dicta domus in obedientia ordinis Carthuſienſis remanſit. Succeſſu vero temporis cum in Burgundia & Sabaudia ac locis circumvicinis, ubi dicta domus Carthuſiæ eſt conſtituta, ordo multiplicari cœpiſſet, dictaque domus Calabriæ ſola ibi remaneret, in fervore priſtino, jamque tepuiſſet; cum viſitatores ac reformatores a domo Carthuſiæ ſæpius petiviſſet, nec propter viarum diſtantiam & diſcrimina ad libitum habere valuiſſet, ſchiſmaque quod erat tempore papæ EUGENII eccleſiam deturbaret, ordoque Ciſtercienſis in partibus Calabriæ multiplicari cœpiſſet, iſque Ciſtercienſis ordo in magno regulari fervore creſceret & remaneret; dicta domus ſancti Stephani pro ordine Carthuſienſi fundata & dotata, cum per ſexaginta annos vel circa in ſuo propoſito remanſiſſet, fataliter, & de facto & non de jure Ciſtercienſis ordinis eſt effecta. Quæ quoniam uſque adhuc ex negligentia domus Carthuſiæ repetita non fuit, ſic permanet uſque in præſentem diem. Conſiderent, quæſumus ipſi Carthuſienſes, quam reprehenſi-

A bile apud Deum & apud homines exiſtat, qui dictum venerabilem magiſtrum Brunonem, ordiniſque fundatorem atque patronum, cum dicta domo tamdiu revocare neglexerunt. Si enim ſimile quid de ſanctis Dominico & Franciſco ordinis Prædicatorum vel Minorum contigiſſet, potius fere mundum concitaſſent univerſum.

Sed nunc ad propoſitum priorum ac patrum domus Carthuſiæ redeamus, pro quibus annotandis hoc opus principaliter eſt aſſumtum. Anno Domini milleſimo nonageſimo dicto magiſtro Brunoni ſucceſſit in
B prioratu domus Carthuſiæ venerabilis vir frater LANDEWINUS, natione Tuſcus, de civitate Luca, litteris ipſe divinis & humanis ad plenum eruditus. Quam in ſanctæ religionis obſervantia annis decem pacifice gubernans, cum * ad magiſtrum Brunonem in * ire.
partibus Calabriæ reſidentem, quem adhuc prælatum ſuum & priorem majorem recognoſcebat, ſicut manifeſte ex quibuſdam magiſtri Brunonis epiſtolis colligitur, *incidit in* manus Guiberti papæ ſchiſmatici, quem plurimum abhorrebat; adverſus cujus minas at-
C que promiſſiones, dolos etiam ac violentias divina juvante gratia immobilis omnibus modis perſeveravit & inflexus. Quem Guibertum in ſuo errore defunctum lacrymabiliter planxit; adeo ut a circumſtantibus argueretur, quod eum plangeret, a cujus perverſitate eccleſiam ſuam Chriſtus liberaſſet. Poſt cujus obitum ſeptimo die & ipſe pius vir defunctus eſt, poſituſque in monaſterio ſancti Andreæ ad pedem montis Syraptis, cui vicinum erat caſtrum ubi in cuſtodia tenebatur. Hic magiſter Landewinus magnæ litteraturæ magnæque virtutis & rigidæ abſtinentiæ ſibiipſi vixit ſatis auſtere, ita ut etiam
D gravi languoris infirmitate quandoque depreſſus, non potuerit a ſuis abſtinentiis revocari. Milleſimo igitur & cente... o Domini anno a Domino quaſi milleſimum centeſimum creditur fructum recepiſſe.

Tertius prior.

Anno Domini milleſimo centeſimo primo frater PETRUS cognomento Franciſcus, non eo quod eſſet Francigena natione, ſed quia in quodam Franciæ loco, cui nomen eſt Felix-mons, majore vitæ ſuæ parte prius moratus ſit, origine tamen Flandrenſis, na-
E tus de caſtro vocato Bethuna, poſt prædictum venerabilem magiſtrum Landewinum prioratum Carthuſiæ ſuſtinuit uno anno tantum. Poſtmodum cum prælationis pondus atque ſollicitudinem graviter ferret; amore ſilentii ac quietis ceterorumque quæ ad cellam pertinent ſtudiorum; miſericordiam petiit & obtinuit.

Quartus prior.

Anno Domini milleſimo centeſimo ſecun-

do frater JOHANNES, natione Tuſcus ex caſtro Majorana, ſcholaſticis quidem ſtudiis non multum exercitatus, pene quippe puer ſæculo valefecit; ſed in his quæ ad religionem ſpectant, nulli anteceſſorum ſuorum ſecundus, in prioratu domus Carthuſiæ dicto domno Petro ſucceſſit: quam octo annis religioſe & laudabiliter gubernando, octo beatitudinum præmia in fine octavi ſuſcipiens, in Carthuſia feliciter vocatus a Domino ſepulturam accepit.

De quinto priore.

Anno Domini milleſimo centeſimo decimo tempore Paſchalis papæ; quo tempore maximum in eccleſia Dei fuit ſchiſma propter tres hæreſiarchas ſucceſſive ſibi papatum uſurpantes; in prioratu Carthuſiæ domno Johanni præfato ſucceſſit ſanctæ memoriæ domnus GUIGO domus Carthuſiæ monachus de caſtro Valentinenſis epiſcopatus, cui ſancti Romani nomen eſt, claris de parentibus ortus, litteris ſæcularibus & divinis admodum eruditus, atque ingenio & memoria tenax, facundia admirabilis, & exhortatione efficaciſſimus, in tantum ut nullus anteceſſorum ſuorum fama vel auctoritate eum vix præceſſerit. Hic Carthuſienſis propoſiti inſtitutionem & ſcripto digeſſit, & exemplo monſtravit; & divina favente gratia in eadem inſtitutione ſequaces multos habere promeruit. Sub eodem ſiquidem domus Portarum, Exeubiarum, Durbonis, Silvæ Benedictæ, Majoravi, Arveriæ, & exordium acceperunt, & incrementum non modicum, tam in perſonis quam in ædificiis, Deo miſerante, aſſecutæ ſunt. Eremus quoque Montis-Dei in archiepiſcopatu Remenſi anno vitæ ipſius ultimo, ejuſdem ordinatione & conſilio, per manum & adjutorium venerabilis valde viri domni ODONIS abbatis ſancti Remigii cœpérat inhabitari. Hic prior ædificia ſuperioris pariter & inferioris habitationis domus Carthuſiæ pene omnia vel nova conſtruxit, vel vetera renovavit: & aquæductus lapideos labore mirabili & exquiſitis ingeniis fecit. Libris quoque authenticis perquirendis ac ſcribendis & emendandis ſtudium infatigabile impendit. Epiſtolas quoque ſancti Hieronymi in multis falſificatas & errore ſcriptorum corruptas & immutatas, ad veritatis lineam reduxit & mirabiliter emendavit: oſtendens in prologo ſuper dictas epiſtolas per ipſum compilato, quæ epiſtolæ eſſent ipſi Hieronymo vel quæ non eſſent eidem adſcribendæ. Vitam quoque beati Hugonis Gratianopolitani epiſcopi jubente INNOCENTIO papa nobili ſtylo digeſſit. Sub cujus etiam prioratu, quod reticendum non eſt, anno videlicet vigeſimo tertio (*a*) nives denſiſſimæ de altiſſimis rupibus grandi impetu ſubito & incredibili mole ruentes, cellas monachorum præter unam ſolam, & cum eiſdem cellis ſex de monachis & unum novitium horrendo turbine obruerunt, ac vaſta ſui congerie ſubmerſerunt. Ad conſolationem tamen ſuperſtitum ac futurorum, atque in teſtimonium beatitudinis lacrymabiliter oppreſſorum, die ab eadem ruina duodecimo quidam ex eiſdem oppreſſis, AUDUINUS nomine, Lotharingus natione, noviſſimus de profundo tantæ voraginis tandem erutus, ſtupendo miraculo non ſolum vivus, ſed etiam integro ſenſu & illæſa memoria repertus, in clauſtro deportatus pauca quidem verba, ſed miræ dulcedinis & ſuaviſſimi affectus alloquentibus & audientibus reddidit. Ex more igitur ſacro facta confeſſione, & inunctione accepta, cunctiſque fratribus oſculatis, Dominici inſuper corporis & ſanguinis alimento poſt tantam inediam ſatiatus, placidiſſimo fine quievit in Domino.

Anno itaque ætatis ſuæ quinquageſimo quarto, a converſione vero ſua trigeſimo, a prioratu vigeſimo ſeptimo, cum ab exordio Carthuſienſis eremi annus quinquageſimus ageretur, ſeptimo kalendas Auguſti, prædictus ſanctæ memoriæ domnus GUIGO, ſtudiorum beatorum atque piorum actuum finem faciens, ſanctum Domino ſpiritum commendavit, ſcilicet anno Domini milleſimo centeſimo trigeſimo ſeptimo.

Sub præfati prioris tempore creditur eveniſſe, quod non incongrue videtur ad memoriam revocandum. Sicut enim in miraculis beatæ Virginis inter cetera tradit PETRUS Cluniacenſis, & in dicta domo Carthuſiæ reperitur per ſcripturam: Converſus quidam ibidem fuit receptus, humilis genere, juvenis ætate, moribus autem generoſus, vitæque ſanctitate admodum provectus. Hic omni ſtudio obedientiæ, humilitati, mortificationi, omnem quam poterat operam adhibens; mundum ſibi ſeque mundo non ſolum crucifixerat, ſed etiam ſepelierat. Amori divino potiſſime & ſpecialiter memoriæ Matris miſericordiæ glorioſæ Virginis Mariæ ita ſe totum devoverat; ut bonis viris ipſum vitamque ejus cognoſcentibus, nihil ſe ſentire indicaverit, niſi CHRISTUM JESUM, & hunc crucifixum, ſacratiſſimamque ipſius Crucifixi matrem ac perpetuam Virginem, humanæ ſalutis ſingularem poſt Deum amatricem Mariam. Iis piis ac ſanctis ſtudiis converſionis ſuæ principio receptis magis magiſque inſiſtens; in hac quoque noſtra juxta pſalmiſtam lacrymarum valle de virtute in virtutem quotidie proficiendo, aſcenſiones in corde ſuo diſponens; antiqui hoſtis invidiam veluti novam & ſpecialem contra ſe concitavit; non jam occulte ſed palam quantum ille perditionis filius humanæ perditionis ſit avidus ex ſcipſo mon-

(*a*) Anno 26. juxta Dorlandum. Vide vitam S. Anthelmi die 26. Junii.

ſtravit. Jacebat illĕ ſiquidem quadam nocte in cella ſibi, ut talium mos eſt, ad laboris ſolamen & orationis ſecretum deſignata; cum ecce jam in multo noctis proceſſu eidem adhuc vigilanti, & cœleſtia meditanti, dæmonum turba in ſpecie porcorum agreſtium apparuit. Furebant ubique per totam cellam, & diſcurſu inſano rictuque horrendo, dentibuſque longiſſimis & veluti in necem ejus peracutis, pavefactum ac trementem hominem circumſtabant. Sudabat ille præ timore; & quaſi jamjamque a beſtiis diſcerpendus, nil penitus niſi mortem ultimam præſtolabatur. Talia eo patienti adauctus eſt metus nimius, cum quemdam enormis magnitudinis hominem, ut ex cordis ſui judicio videbatur, dæmonum principem cellam ſuam conſpicit intrantem. Qui primo ingreſſu »ſuo converſus ad porcos: Quid, inquit, ſe»gnes & miſeri facitis? Cur hunc jam non ra»puiſtis? Cur eum jam non diſcerpiſtis? Quid, »inquiunt porci, dicis? Magna valde conati »ſumus facere; ſed cuncta tentantes nihil fa»cere potuimus. Ego, inquit ille horribilis »aſpectu, jam faciam quod deſides facere om»nino non prævaluiſtis. Quo dicto, uncum »ferreum longis ac recurvis ungulis terribi»lem minaci manu pertendens, atque ad vi»rum Dei rapiendum, immo ad diſcerpen»dum adaptans, eum nimio timore & hor»rore, mente pene excedere coëgit. Sed Deus omnipotens & clemens, cui ipſe ſanctus vir aſſidue in oratione dicebat: *Ne nos inducas in tentationem*, quin potius *libera nos a malo*, tentationem tam duram non eſt paſſus ultĕrius procedere; ſed ſua infinita miſeratione, qua ſuis pie providet, eduxit eum a tentatione, liberavitque a malo. Mox enim ut ille nefandus manum, ut dictum eſt, ad eum rapiendum & uncum, ut videbatur, ferreum ad eum diſcerpendum extendit; illico omnipotentis Filii Dei Mater, vel, ut dicimus, Mater miſericordiæ, in qua, ut dictum eſt, iſte ſanctus vir totam ſpem ſuam poſuerat, viſibiliter affuit, ac virga leni manu pertenſa: »Quomodo, inquit, huc deteſtandi venire »auſi fuiſtis? Non eſt hic veſter, nec jam in »aliquo contra eum poteritis prævalere. Dixit, & hoc dicto totum illud nefandum collegium mox ut fumus evanuit. Perſtitit denique Mater miſericordiæ poſt dæmonum fugam cum homine adhuc tremente ac pavi»do, eumque iis conſolata eſt verbis: Placet, »inquit, quod facis, tuique animi devotio»nem Deo mihique gratam noveris fore: Fac »ergo quod facis, & de iis ad meliora perſe»veranter proficere ſtude; & ut tibi aliquid »ſingulare in mandatis tradam: Stude vilibus »eſcis contentari; amplectere abjectas veſtes; »operi manuum plus ſolito devotus inſiſte. (a) His dictis, beata Virgo animatum hominem relinquens cœlos repetiit.

(a) Hæc etiam Petrus Cluniacenſis.

Aliud miraculum.

Poſt iſtud de hoc ſancto converſo miraculum, adhuc aliud eo non minus mirandum eodem tempore noſcitur contigiſſe. Ruſticus quidam rebus pauper, ſed devotione perdives, domui Carthuſiæ ac ſanctis religioſis viris in ea domo militantibus ſe in amicitia vinxerat, eiſque non minimum familiaris extiterat. Hic duos filios ſuos ibidem obtulit: quatenus a juventute in ſancta religione tenelli adhuc & educati Deo perpetuo ſervirent. Horum unus non multo poſt tempore lapſo defunctus, alterum ſuperſtitem dereliquit. Quem religioſe educare & inſtituere volentes, ſupradicto bono converſo ejus curam committunt. Nec ſegnis ille mandatorum executor, puerum commendatum ſuſcipit & enutrit; ac ſacro religionis lacte, quo ipſe educatus in viriles annos evaſerat, eum imbuens, nil terreſtrium rerum ſapere, nilque eorum quæ in terris ſunt diligere, cœlum *mente conſpicere*, cœleſtibuſque inhiare, ad Chriſtum cœli ac terræ conditorem atque Dominum totis animi viribus anhelare, quæ ſurſum ſunt ſapere, non quæ ſuper terram, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens; juvenemque ſibi creditum tamquam bonus doctor edocuit. Edoctus itaque ille ab eo non in vanum laboraſſe doctorem ſuum, ut quidam indiſciplinati faciunt, oſtendit; ſed ut a quodam ſapiente dictum eſt: Recens teſta ſemel cœleſti ſapore imbuta, odorem inde contractum non diu tantum, ut ait ille, ſed ſemper quoad vixit ſervavit. Sed placuit Deo ut puer tam bene edoctus, tamque ſancte educatus, non diu particeps mortalium fieret, vel aliquem de eorum diutino conſortio nævum contraheret. Raptus eſt igitur ne malitia mutaret cor ejus, aut ne fictio quæ quibuſdam etiam religioſis quandoque familiaris eſſe ſolet, deciperet animam illius. Præveniens ergo in moriendo diſcipulus magiſtrum, bonam quidem ſpem ſalutis ſuæ, ſed cum eadem ſpe magnum illi ac pene intolerabilem de morte ſua dolorem dereliquit. Acceperat quippe illum a priore ſuo, ut jam dictum eſt, ad educandum; ſed ejus bonos mores ſanctamque intentionem intuens, admirans & amplectens, eum non ſolum ut commendatum, ſed ut filium unice diligebat: & ideo tam celerem, immo quaſi furtivum de mundo receſſum pene aſſidue dolendo deflebat. Eo tractus affectu orabat continuo pro ipſo; pſalmorum quidquid noverat Deo quotidie profundebat, nec ſatiari orando, pſallendo, mœrendo pro ipſius animæ ſalute poterat. Cumque hæc tam devoti animi ſui pia ſtudia nullo fere tempore intermitteret, nec ab iis, quandocumque facultas dabatur, ceſſaret; volens Deus hominem ſuum; aut a tam duro labore ceſſare,

aut relevare; aut cujus meriti vel ipſe eſſet oſtendere; dignum fecit cum viſione cœleſti, qua & ipſe conſolaretur, & quid de ipſo, vel de puero defuncto ſentiendum eſſet legentibus, ſeu audientibus proderetur. Pernoctabat aliquando ſub divo ille bonus præfatus converſus, ut ſæpe facere conſueverat, ac ſpiritum cœlo intentum ab orationis labore vel ſtudio, ut de magno Martino legitur, non relaxabat. Cumque defixis non ſolum mentis, ſed & corporis oculis in cœlum, Deum, ut homini erat poſſibile, ſuper cathedram quæ viſui corporali obſtabat, contemplaretur; ecce ſubito quaſi per medium aëris diſciſſi lux longe omni alia corporea luce clarior ei de ſupernis infulſit, eumque ac loca ſibi circumpoſita immenſo ſplendore perfudit. Et ut ſervi ſui votis ille qui voluntatem timentium ſe facit, ſatisfaceret: conſpicit & dilectum puerum, immo in Deum dilectum filium ſuum de cœlis cum eadem luce deſcendere, atque uſque ad ſe lætum & radiantem venire. Admirans ille inſuetæ viſionis modum, gaudio ſimul & timore turbatus hærebat. Ad quem is qui apparuit puer: Quid, inquit, turbaris? An non agnoſcis filium tuum? Redi ad animum tuum: & mecum, ut ſolitus eras, loquere. Sed ut paucis ea quæ circa me aguntur tibi aperiam; noveris quamplurimum mihi profuiſſe quod me tam tenere Dei cauſa dilexiſti, & quod morti meæ tam benigne compaſſus es, & quod pro me ſollicitas & continuas Deo orationes fudiſti. Ammodo noveris me per Dei gratiam ad illum ſtatum perveniſſe: ut ſicut tu hactenus mihi piis actibus tuis profuiſti, ſic & ego ammodo tibi prodeſſe valeam apud ipſum Deum omnipotentem. Dixit hoc, & ſtatim unde venerat paulatim eo conſpiciente regredi cœpit. Referebat autem ille hujus viſionis inſpector, quod dum a ſe diſcederet cœlumque conſcenderet, non averſa facie, vel huc illucque converſa, ut valefacientes ſolent, receſſit; ſed ſicut locutus ei fuerat facie ad faciem. Sic ſemper ad ſe converſo vultu ad ſuperna tendens tamdiu permanſit, quouſque, ut de Martino jam dicto legitur, patenti cœlo receptus, videri ulterius non potuit. Quæ viſio in hoc forte viſioni illi præponderat; quod ſi Severus Sulpicius illam, ſicut ille perhibet, licet ut matutinis horis leniter dormiens tamen vidit: hanc autem iſte non dormiens, ſed vigilans ſub divo poſitus, atque orationi toto corde intentus conſpexit.

De ſexto priore.

Anno Domini milleſimo centeſimo trigeſimo octavo ſæpedicto beatæ memoriæ domno Guigoni ſucceſſit in prioratu domus Carthuſiæ domnus Hugo, monachus dictæ domus, cui in ſanctitate vitæ & morum probitate, præclaraque ſcientia & exemplari doctrina, vix conſimilis in ordine potuit reperiri: qui fuit diſcipulus & ſpecialis alumnus præfati domni Guigonis. Nec mirum. Nam tantæ perfectionis homines tunc temporis in Carthuſia extiterunt, quod non terreſtres, ſed angeli cœleſtes videri poterant. Unde B. Bernardus ad eos ſcribens ſic incipit: Inter patres reverendiſſimis & inter amicos cariſſimis, Guigoni priori Carthuſienſi ceteriſque ſociis qui cum eo ſunt, frater BERNARDUS abbas de Claravalle ſalutem æternam. Vel in alia: Amantiſſimo domino & reverendiſſimo patri Guigoni priori Carthuſienſi, & ſanctis fratribus adhærentibus ei. Eo namque tempore ex illa traduce proceſſit domnus HUGO ſucceſſor ſancti Hugonis Gratianopolitani epiſcopi, qui poſtea fuit archiepiſcopus Viennenſis. Quorum etiam magnæ virtutes & prudentia in diverſis ſcripturis valerent reperiri. Siquidem dictus ſanctus HUGO ejus ſanctitatem & vitæ probitatem cognoſcens, ſibi dum adhuc viveret per dominum Innocentium papam voluit ſucceſſorem ordinari. Præfatus vero alter Hugo, qui in prioratu, ut præmiſſum eſt, dicto domno Guigoni ſucceſſit, cum circa biennium gregem ſibi commiſſum laudabiliter gubernaſſet, amore quietis & contemplationis, prælationis pondus atque ſollicitudinem graviter ferens, miſericordiam petiit & accepit: ac virum admirabilis ſanctitatis & vitæ domnum ANTHELMUM monachum ſuum, domus Carthuſiæ profeſſum, loco ſui ſubrogari procuravit.

De ſeptimo priore.

Anno Domini milleſimo centeſimo trigeſimo nono vel circiter venerabilis domnus ANTHELMUS prædictus domus Cartuſiæ monachus prioratum Cartuſiæ gubernandum ſuſcepit. Hic de caſtello Sabaudiæ, quod dicitur Signinum, claris de parentibus ortus, litteris ſæcularibus & divinis admodum eruditus, & a domno Bernardo viro magnæ ſanctitatis & virtutis priore tunc Portarum, cum audiſſet verbum ſalutis, monachicum habitum in domo dicta ſuſcepit. Hic domnus Bernardus poſt mortem multis miraculis effulſit, ſanctuſque Bernardus abbas Claravallenſis ad ipſius inſtantiam cantica canticorum expoſuit. Circa iſta tempora idem ſanctus abbas (a) ad fratres Cartuſienſes de Monte-Dei ſibi viciniores elegantiſſimam ſcripſit epiſtolam; & deſideravit ex eis fieri unus: ſed obſtitit fructus labiorum ſuorum. Mira enim erat gratia præditus trahendi ad converſionem etiam multos diſcolos, oſtenſis ſæpe ſignis cum ſermonibus: ita quod quadam vice prædicans Pariſius, habens pro themate illud evangelii: *In verbo tuo laxabo rete*, tot convertit ſtudentes, quod in Claram-vallem multis ducebantur curribus. Ob

(a) Jam conſtat apud eruditos, epiſtolam illam eſſe Guigonis prioris V. Vide novam edit. operum S. Bernardi. [a]

hoc etiam papa fecit eum legatum ad prædicandum Crucem pro terra ſancta cum tali gratia ſpeciali, ut quodcumque collegium, vel perſona ſingularis ad ſuum ſe transferret ordinem, indulgentiam terræ ſanctæ conſequeretur plenam. Et ex hoc tempore multæ fiebant illius ordinis domus.

Sed cum creſcentibus modicum Carthuſienſibus, conveniſſent quadam vice ſancti viri, conquirentes de illo ordine, quomodo eſſet quod tam ſanctus ordo non creſceret; reſpondit unus: Dico vobis quod Ciſtercienſis ordo cito ſeneſcet, Cartuſienſis vero tarde juveneſcet. Quod hodie cernimus dono Dei fieri: nam quotidie novæ pro eis domus fiunt, aliis heu! ubique declinantibus.

Tempore illo veniente beato BERNARDO in civitatem Spirenſem, occurrenteque ei clero, & *Salve Regina* ante chorum coram imagine beatæ Virginis clamante; dixit ſibi geniculanti in Gallico aperte: *Bene veneris Bernarde.* Quo audito homo ille, inſiliente in ipſum ſpiritu lætitiæ, addidit illam clauſulam: *O clemens! O pia! O dulcis Maria!* prius non habitam. Unde & in introitu eccleſiæ adhuc invenies tabellam ad ſiniſtram effigiem ipſius, & ſermonem pro tunc ſui memoriam continentem. Videns igitur ſanctus ille quod Cartuſienſis eſſe non potuit, in ſignum magnæ affectionis ad eos, cellam in domo Montis-Dei obtinuit, quæ adhuc cella ſancti Bernardi dicitur: in qua quandoque ſe ſibi & principibus, quorum ſæpe vexabatur conſiliis, ſubtrahens cautius, Deo vacabat ſecretius. Hæc Fr. Henricus Calcar.

Verum cum domus Cartuſiæ propter nivium ruinam & oppreſſionem monachorum, prout ſuperius tactum eſt, monachis quamplurimum indigeret; dominus HUGO prædictus Gratianopolitanus epiſcopus, poſtea archiepiſcopus Viennenſis, magnis precibus apud prædictum priorem exegit, ut dictum venerabilem Anthelmum tunc domus ſuæ novitium, domui Cartuſiæ concederet ac donaret. Quo ibidem ſuſcepto, regulam ordinis tam conſtanter & indeclinabiliter exequebatur, ita ut cunctis ejus vita præberet religionis exemplum. Verum, ut præmiſſum eſt, cum ipſe prior Cartuſiæ fuiſſet effectus, regulam ſive conſuetudines, quas domnus Guigo præfatus compilavit, ſtuduit imitari, ejuſque ſubditos ſecundum ejuſdem conſtituta voluit converſari. Siquidem poſt deceſſum ipſius memorati prioris domni Guigonis ordo intepuiſſe videbatur ſeu rigor diſciplinæ, quia deerant viri fortes animo, ex quo beatus ille ſanctorum conventus oppreſſione nivium meruit ad cœleſtia regna migrare. Sub ejus itaque manu indeclinabiliter regularia obſervabantur inſtituta, ordoque Cartuſienſis florebat, multiplicaturque & creſcebat: fratremque ſuum carnalem traxit ad Chriſtum ipſe poſt ſe; nam alter frater ipſum præceſſerat; ultimo patrem ad militiam Chriſti venire fecit. Multarum interea bonarum conſuetudinum domus Cartuſiæ ipſe extitit auctor & factor. Nec hoc tacendum eſt, quod aquæ ductus miro ſed ineffabili & infatigabili labore fabricans, longis meatibus ad cellas, coquinam, ceteraſve officinas aquarum tanta abundantia direxit, ut jugi lapſu defluentium copia molendino ibidem conſtructo ſufficeret. Cumque talis eſſet, cellæ deſiderans ſecretum, quia parum ſibi videbatur agere, multumque perdidiſſe, quia ſpiritualibus pro velle vacare non poterat; cum duodecim annis ſtrenue ac religioſe domum Cartuſiæ gubernaſſet, ſubſtituto ſibi in dictæ domus regimine magnæ ſanctitatis & virtutis viro domino BASILIO dictæ domus monacho, cum Maria ad pedes JESU totus contemplationi deditus manebat in cella. Verum quantum præfatus venerabilis pater domnus ANTHELMUS poſtmodum multorum miraculorum meruit privilegio præfulgere, ſequens ejus vita videtur non immerito referenda. Cum enim, ut præmiſſum eſt, ſibi ſucceſſorem ſubſtituiſſet, domnus BERNARDUS prior domus Portarum præfatus, qui eumdem domnum Anthelmum, ut præmittitur, ad habitum monachicum ſuſcepit, cupiens & ipſe contemplationi vacare, prædictum domnum Anthelmum ſibi ab ordine ſubſtitui procuravit. Qui quoniam eidem contradicere non præſumebat, erat enim ſummæ obedientiæ, ſe ipſum tamquam filium obedientiæ diſpoſuit ad dictam domum regendam. In qua ſiquidem domo otio non torpens magna exercuit opera. Nam ſilvarum quarum dicta domus magnam habet poſſeſſionem, magna ſtrage facta, pratis creandis latitudinem patefecit, atque agriculturæ patentes reddidit agros: arborumque domeſticarum copioſum nemus plantari fecit & inſeri. Cumque ſe nimis occupatum cerneret, minus autem frui ſe rerum terreſtrium optans, duorum evoluto ſpatio annorum in dicto prioratu ſe abſolvi procuravit, ad cellæque tutum refrigerium ſemperque dilectam penes matrem Cartuſiam properavit: ubi denique ſic manſitans, quid pro catholica veritate conſtanti animo & fidei æmulatione peregit contra ſchiſmaticos perpaucis explicari non poſſet. Nam cum Romanæ eccleſiæ cardinales ALEXANDRUM apoſtolicæ ſedis ſummum pontificem conſecraſſent, & Octavianus qui primus eum elegerat, præſidio imperatoris ſuffultus, apoſtolicam ſedem arripuiſſet, & Cartuſienſis ordo ante omnes, ut notum eſt, Alexandrum papam in apoſtolicum recepit, & ei obediendum curavit. Sed & quis hoc fecit? domnus ANTHELMUS utique cum GAUFRIDO ſapiente & egregiæ facundiæ viro. Ii etiam quamplurimos eccleſiaſtici ordinis prælatos a devio errore revocantes, ad veritatis lineam direxerunt, atque cum ipſis catholicum approbantes & re-

Auctor vitæ apud Surium.

probum reprobantes, præfatum domnum Alexandrum confirmaverunt. Notumque factum eſt imperatori & antipapæ ſuo quid fecerit domnus ANTHELMUS: & ab illo perdito, qui nec benedicendi nec maledicendi habebat poteſtatem, fuit damnatus. Sed non licuit diutius talem lucernam ſub modio latere, ſed ſuper candelabrum poſitam in domo Dei lucere. Nam cum Bellicenſis eccleſia fuiſſet orbata paſtore, tandem domnus Anthelmus ad dictum apicem fuit electus, & a præfato domno Alexandro papa confirmatus. Cumque regimen prædictum acceptare nollet, nec aliqua via mundi a priore ſuo & conventu poſſet induci, a prædicto domno apoſtolico fuit obedire compulſus. (a) Conſecrato vero eo a præfato apoſtolicæ ſedis præſule, ac ſimul benedictione & diverſis munuſculis honorato, ad ovile ſuum regendum remeavit. Qui in tanta religionis abſtinentia atque perſeverantia, virtutumque conſtantia, vigiliis ſacris, orationibus & eleemoſynis, ac ceteris pietatis operibus, ſuperaddito zelo juſtitiæ, poſtmodum vixit, ut omnes audientes atque videntes verteret in ſtuporem. Divinum enim officium non in capella, ſed cum canonicis ſuis in eccleſia frequentabat. Miſſam fere omni die cum omni devotione ac lacrymarum effuſione devote celebrabat. Dioeceſis ſuæ capellanos vel ſacerdotes inſolentes arguendo, obſecrando, prædicando, caſtigando, oleum cum vino miſcendo, emendare in melius ſatagebat. Quicumque etiam in iis quæ tuenda acceperat injuriam faciens offendiſſet, quantæcumque eſſet poteſtatis, quantæve dignitatis, nulli parcens, nullius perſonam excipiens, nihilque metuens, etiamſi martyrium ſperaret, tunc conſtantior ipſum anathemate ligans, numquam niſi prius ſatisfactione facta ſolvebat. Nam cum comes Sabaudiæ HUMBERTUS Amedei filius quemdam ejus ſacerdotem capi feciſſet, eumque ſibi reddi epiſcopus inſtanter petiſſet, nec impetraſſet, præpoſitum ejus qui eum ceperat cum omni domo ſua excommunicavit. Cum vero didiciſſet ubi preſbyter tenebatur in vinculis, miſit qui eum eriperet domnum WILHELMUM epiſcopum Maurianenſem. Quo invento, monuit qui aderat præpoſitum, ut dimittat eum. Quo nolente, aſſumens preſbyterum epiſcopus eruit de cuſtodia, ipſo præpoſito contradicente ac vociferante: Ego quidem non reſiſto vobis, ſentiet vero dominus meus qui ſibi abſtulit captivum ſuum. Sed poſtea cum intimatum eſſet eidem ſacerdoti quod iterato inſidiabatur ei ut raperetur; cum egrederetur ſe defendere paratus, ab inſidiis præparatis graviter vulneratus infra paucos dies emigravit. Præterea dictus comes calumniabatur quædam in eccleſiæ poſſeſſionibus regalia; ſed injuriam vel vexationem domno Anthelmo vivente facere non præſumſit. Cum igitur ſuper præmiſſis epiſcopus cum appellaſſet, indignatus magis cœpit minari, non ſe diu afferens permiſſurum quin ea quæ ſui juris erant haberet. Cumque iterum admoneret & interminaretur excommunicationis ſententiam niſi calumniæ abrenuntiaret, & propter ſacerdotis mortem, quantum ad eum pertinebat, Deo ſatisfaceret, prædictus comes monita ejus ſpernens & minas, ſe a nullo excommunicari poſſe reſpondit, cum a ſummo pontifice ratum hoc privilegium haberet. Nec modo præceſſum illum principem non eſt veritus excommunicare in præſentia ſua. Qui illico totus in ira ſuccenſus mala eidem minabatur. Cumque qui cum comite erant dicerent, quod pro tantæ temeritatis auſu in principem ſtatim capite puniretur: conſtantior tunc vir Dei effectus, incylcata ſententia lata, pertinacem principem expreſſius a Chriſto & ejus corpore, quod eſt eccleſia, ſegregans, tradidit ſathanæ. Stupebant vehementer qui aderant, timentes ei, cum intrepidus ipſe maneret. Sed & cum quanta & quam conſtanti juſtitiæ auctoritate ſuam in præfatum comitem vir ſanctus ipſe ſententiam tenuerit prætermittendum non eſt. Cum enim comes ipſe ſedi apoſtolicæ intimaſſet ab epiſcopo ſe excommunicatum Bellicenſi contra privilegium ſibi datum; mandavit eidem domnus papa per archiepiſcopum Tarentaſiæ & alium epiſcopum, ut filium comitem præfatum, quem ſatis temere excommunicavit abſolveret; præcipiens eis quod ſi nollet, noverat enim viri Dei conſtantiam, ipſi eum abſolverent. Præfatis itaque mandatis, atque multis admonitus verbis, quatenus ſummo pontifici ex debito obediret, iratumque principem ſibi, eum abſolvendo, placaret, reſpondit: Qui juſte ligatus eſt abſolvi non debet, niſi læſor pœnitens pro læſa ſatisfaciat caritate, etſi non digne pro meritis, miſericordia tamen occurrente, veritateque concurrente, catholicæ eccleſiæ reddi mereatur. Tunc dimiſerunt eum epiſcopi, nec juxta quod injunctum eis fuerat comitem abſolvere præſumſerunt. Sed domnus papa, cum hoc ei recitaſſent, abſolvit eum, mandans epiſcopo comitem ex apoſtolica auctoritate abſolutum. Motus igitur animo vir Dei, fortis in Chriſto, ac moleſte ferens, relicta cathedra epiſcopali, ſolitarius ſedere deſiderans ut ſoli Deo vacaret, cellæ dilectam domus Carthuſiæ quietem repetivit. Sed eccleſia Bellicenſis & tota patria illa de epiſcopi ſui abſentatione deſolata non modicum fuit. Clerici quoque ſui cum litteris domini papæ, quem pro epiſcopo ſuo interpellaverant, eum repetentes, vix tandem obtinentes reduxerunt eum debito cum honore. Comes vero præfatus non ſe pro abſoluto habuit, nec eccleſiam ingredi præſumſit. Oderat enim

[a]

(a) Hic videndus Dorlandus chron. Cartuſ. lib. IV.

hominem Dei, conteſtans non eſſe hominem ſub cœlo quem ſic odio haberet. Minabaturque ei, & vix ſe continens, mala in eum cogitabat; ſed reverebatur eum valde, ſanctitati ejus deferens, ſed non perſonæ. Cumque huic viro Dei vitæ hujus occiduæ terminus immineret, ac ſui eidem ſuggererent, ut res ſuas diſtribueret, ait illis: Abſit a me ut teſtamentum faciam qui nihil habeo, quippe cum de hoc mundo non exiſtam. Cœperunt autem eum rogare, ut comiti dimitteret adverſus quem querelam habebat. Quod numquam ſe facturum aſſeruit, quouſque ipſe calumniam dimitteret quam faciebat, nullamque in epiſcopi vel eccleſiæ poſſeſſionibus umquam exactionem ſe facturum fidem faceret; inſuper de ſacerdotis præfati morte culpam ſuam recognoſcens pœniteret. Cumque hæc comiti intimanda etiam ipſo invito dudum fore cenſerent, & non erat qui auderet: aderant ex Cartuſiæ fratribus duo genere nobiles, ſed humilitatis & fidei firmitate nobiliores, HAYMO videlicet, vir quondam in ſæculo magnificus & potens, & GIRALDUS. Ii adeuntes principem, quod audierant ei intimaverunt, conſulentes eidem, ut omnem calumniam dimittendo, veniam tanti patris imploraret, quo ipſius qua ſe felicem fore credat, benedictionem mereatur. Quod audiens, Deo in hoc ſibi conſulente, & ſancti patris, qui ejus optabat ſalutem, intercedentibus meritis, timore correptus, & corde tandem compunctus, in lacrymas erupit. Statimque veniens ad ſanctum patrem, propriam confeſſus culpam, omnem calumniam dimiſit. Eccleſiam quoque ſe defenſurum pactus, jurejurando confirmavit, humiliatuſque coram eo veniam implorans impetravit & gratiam. Impoſitiſque manibus principi, vir Dei benedicens ei, ait: Deus omnipotens Pater & Filius & Spiritus ſanctus benedictionis ſuæ & gratiæ tibi tribuat largitatem: creſcere te faciat & multiplicet, ac filium tuum, cum non haberet filium ſed filiam. Cumque aſtantes ſuggererent ei ut diceret filiam, putantes eum errare, iterato & tertio dicendo filium repetivit. Quam prophetiam non multo poſt tempore [illegible]o ſibi filio, novimus impletam. Expletis [illegible] circa eum quæ decebant exequiis, inter letanias & cantica migravit ad Dominum ſexto calendas Julii, ætatis ſuæ plus quam ſeptuageſimo, epiſcopatus autem ſui decimo quinto. Ubi vero de mundi hujus caligine perpetuam migravit ad lucem: Dominus qui de tenebris fecit lumen ſplendeſcere, non eſt paſſus ſanctum ſuum diutius in occulto latere; ſed infinitis & patentibus miraculis ſanctitatem ejus demonſtravit. Sed quoniam ipſa narrando magno indigent libello, tria de ipſis aut quatuor pro nunc ſolum ſufficiat enarrare.

Miraculum.

Dum enim venerabiles celebrarentur exequiæ, cum ſacrum corpus ejus conderetur ſepulchro, omnium qui aderant oculis mirabile ſignum apparuit & glorioſum. Erant enim ubi poſitum fuit ſacrum corpus tres lampades noctibus accendi conſuetæ, non diebus niſi in præcipuis feſtivitatibus & præclaris: ſed hæc erat celebritas præclara, non funeris ſed triumphi. Vident denique aſtantes in una lampadum illarum ignem ſuccreſcendo flammeſcere, immenſoque lumine coruſcare. Dumque ſtupentes admirarentur, ecce alias duas cernunt ſimiliter accendi, omneſque pariter plus ſolito more micantes. Fit clarior clamor eccleſiæ exultantis. Conveniunt igitur undique tam qui aderant præſentes advenæ quam cives ad tantum ſpectaculum. HUMBERTUS quoque comes ac ſocer ejus GERARDUS Vienneſis: utriuſque etiam ſexus hæc audiens multitudo infinita concurrit, Deum in ſancto ſuo pariter laudantes.

Aliud miraculum.

Rure, quod Fiſciliacum dicitur, puerulus quidam trium annorum, matre ipſius alias occupata, domo egreſſus, longiuſque progrediens, huc illucque vagari cœpit: tardiore vero hora mater filii recordata, diu circumquaque indagando triſtis quærebat; cum ecce ipſum in gurgite lapſum cernit ab aqua moveri: accedenſque & levans, ipſum jam extinctum invenit. Cum vero domi eſſet delatus: nam, ut creditur, mane erat; per noctem in gurgite remanſerat ſic ſubmerſus: ad ſepeliendum eum ſepultura parabatur. Mater vero ipſius ſepeliri eum non permiſit; ſed glebæ ſancti Anthelmi præfati ſepulchro reconditæ eum potius cenſuit deferendum: credo enim, inquiens, quod ejus meritis reddet mihi Dominus filium meum, quem peccatis meis exigentibus abſtulit fraus inimici. Statimque mater cum patre corpuſculum ad ſanctum deferunt ſepulchrum, concomitantibus eos vicinis atque amicis: ſed ecce poſt puſillum cœpit puer moveri, matre tremefacta, & ab ipſo ſe retrahente ac rei eventum expectante. Parvo autem intervallo, nemine ad eum accedente, ſtupentibus qui aderant omnibus, ſurrexit puer, & aſſumto qui juxta ſe erat baculo, ambulans vertit ſe verſus ſanctum ſepulchrum, & reſedit. Tunc demum accedente matre, & aliis eam concomitantibus, incolumis & nihil mali habens, allocutus eos, cœpit loqui, & ad propria cum ipſis remeavit.

Aliud miraculum.

Adoleſcens quidam nobilis diro enutritio laborabat, id eſt quotidiana cum tertiana febribus, ſimiliterque epilepſia, ſcilicet paſſione caduca. Hic de vino potatus, unde ſanctum corpus eſt ablutum, liberatus eſt: cujus etiam vini potu, multi infirmi a diverſis ægritudinibus ſunt ſanati. Locus corruptus.

Aliud.

Dum vero adhuc ſanctus ANTHELMUS viveret, & Gebennas pro quodam negotio devenisſet, Bernamundus quidam amicus ſuus, ipſum meruit hoſpitio habere. Cumque ſediſſet, ait: Ubi eſt domina? volo eam videre. Qua ingreſſa, exhortabatur utrumque de fide conjugali & legitimo amore, & de bonis actibus ac timore Dei. Dicit ei vir: Domine, cuncta proſpera habemus; ſed quod maxime cupimus, prole caremus. Tunc vir ſanctus vocans ad ſe mulierem, ſignum Crucis ei in frontem fecit, & quaſi ludens ei dixit: In nomine Domini fac mihi filium. In virtute ergo ſanctæ Crucis mandatum fides, & fidem ſubſecutus eſt effectus. Nam infra annum nato eis filio, gaviſi ſunt gaudio magno de prole.

De octavo priore Baſilio.

Anno Domini, ut videtur, milleſimo centeſimo quinquageſimo primo, in prioratu domus Cartuſiæ eidem Anthelmo ſucceſſit, ut jam præmiſſum eſt, ſanctæ & recolendæ memoriæ domnus BASILIUS monachus dictæ domus Cartuſiæ. Qui multa ſcientia præclarus, virtutibus eximius, domum Cartuſiæ non modicum in ſpiritualibus ac temporalibus ampliavit. Hic egregius vir viginti tribus annis (*a*) vel circa prioratum Cartuſiæ tenuit: conſtitutiones quoque ac ſtatuta multa pro ſacræ religionis obſervantia compilavit: & totum ordinem, qui multum fuit tempore ſuo in domibus ampliatus, ſagaciter ac mirabiliter regens & gubernans: monimenta ſui præclari regiminis poſteris dimiſit in exemplum, deficienſque mortuus eſt in ſenectute ſancta circa annum Domini milleſimum centeſimum ſeptuageſimum tertium: ſepultuſque eſt in prædicta domo Cartuſiæ, miraculis coruſcando.

Hic ſanctæ memoriæ domnus BASILIUS ſanctum HUGONEM poſtea Lincolnenſis eccleſiæ in Anglia epiſcopum, ad ordinem ſuſcepit? qui ſanctus Hugo qualis vitæ, quantæque ſanctitatis, doctrinæ ac eloquentiæ fuit, tam in ordine Cartuſienſi, quam in dicto epiſcopatu ſuo, qui ejus mirabilem & luculentam vitam luculenter deſcriptam legerit, faciliter poterit reperire. Nam tam in vita quam in morte & etiam poſt mortem tot miraculis coruſcavit, quod inter ſanctorum numerum meruit ab eccleſia ſolemniter canoniſari. Hic denique ſanctus Hugo cum novus tyrunculus jam in ordine profeſſus, moribus vitaque maturus maxima carnis maceratione poſt venerabilis patris Baſilii patris ſpiritualis ſui mortem in dicta domo Cartuſiæ Chriſto militaret, tanta ei carnis tentatio tamque continue & importune exorta eſt, ut mallet gehennalibus flammis tradi, quam tantis ſuppliciis urgeri & affligi. Ad plenum autem hujuſmodi congreſſus nemo referre poſſet quibus lacrymis, quibus gemitibus, quamque crebra confeſſione, quam etiam aſpera flagellatione, vel divinum expetierit adjutorium, vel contriverit corpus proprium cruciando. Demum athletæ fortiſſimo ſic proſtrato quidem, ſed non ſuperato; non victo ſed fatigato tenuis ſopor obrepſit. Continuo velut in exceſſu poſitus, vidit virum Dei qui eum ſuſcepit ad ordinem, ſanctum ſcilicet Baſilium, vultu & amictu angelico radiante aſtitiſſe ſibi, ſeque ſic voce blanda alloquentem: Quid, inquit, tibi eſt, ô fili cariſſime? Surge & velle tuum fiducialiter mihi enarra. Ille vero exhilaratus ſpiritu ait ad eum: O pater bone & nutritor meus piiſſime, affligit me uſque ad mortem lex peccati & mortis quæ eſt in membris meis, & niſi mox more ſolito auxilieris mihi, en morietur puer tuus. Vix dictum complevit: en, inquit S. Baſilius, auxiliabor tibi. Moxque patefactis novacula, quam manu tenere videbatur, viſceribus ejus, quaſi ſtrumam igneam inde viſus eſt exeruiſſe, longiuſque extra cellam eam projeciſſe; dataque benedictione, medicus cœleſtis illico diſceſſit: æger vero ſanatus & ſibi ipſi redditus ſomno fugiente reſedit, lætuſque ſupra modum de oſtenſa ſibi claritate cariſſimi nutritii ſui in corde & carne mirabiliter ſe reperit immutatum.

De priore nono.

Anno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo quarto, vel circiter, ſanctæ memoriæ ſancto Baſilio præfato ſucceſſit in prioratu domus Cartuſiæ domnus HUGO dictæ domus Cartuſiæ monachus, qui utrum fuerit ille Hugo, de quo ſupra narratum eſt in ſexto loco, an alius fuerit taliter nominatus, certum ſeu clarum non habetur. Nam nonniſi duobus annis prior exiſtens, ſanctæ ſuæ vitæ parva monimenta poſteris dimiſit. Cum enim contemplationi totus deditus eſſet, & quieti, prælationis pondus atque ſollicitudinem graviter ferens, a capitulo generali ſibi miſericordi[illegible] procuravit & accepit.

Ci[illegible]c tempus videtur contigiſſe quod non [illegible]grue ad memoriam poteſt reduci. Domnus enim STEPHANUS poſtea prior domus Portarum, poſtmodum vero epiſcopus Dienſis miraculoſe procreatus, tantis in vita atque poſt mortem miraculis refulſit, ut cunctos legentes pene verteret in ſtuporem. Nam tot mortuos ſuſcitavit, leproſos mundavit, cæcos illuminavit, aliaſque infirmitates etiam incurabiles ad ſanitatem reduxit, quod materies in narrando cederet in immenſum. Ab hoc enim tempore non reperitur aliquis epiſcopus fuiſſe de ordine Cartuſienſi uſque ad annum Domini milleſimum quadringenteſimum quartum, quando prior domus Cartuſiæ juxta Bononiam factus fuit epiſcopus Bononienſis,

(*a*) *Scribit Dorlandus*: plus quatuor & viginti.

Bononienſis, deinde cardinalis. Si quis cauſam vellet interrogare vel ſcire quare tam longo tempore de ordine Cartuſienſi epiſcopi non fuerint procreati vel aſſumti, faciliter poteſt reſponderi: Quia enim tempore moderno epiſcopi magis favore humano, quam oraculo divino procreantur.

De priore decimo.

Anno Domini milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſexto vel circa, venerabilis vir [a] domnus JANCELINUS (a) eidem domno Hugoni ſucceſſit in prioratu Carthuſiæ. Hic utique tantæ ſanctitatis & meriti, tantæque virtutis extitit, & exempli vitæ, ut unus fere de antiquis patribus eſſe videretur. Hic itaque ſanctus vir, quod aliquibus forte incredibile videbitur, circa ſexaginta annos rexit tam laudabiliter Carthuſiæ prioratum, quod omnes fere videntes & audientes in admirationem verteret & ſtuporem. Iſte recepit [b] ad ordinem PETRUM FULCERII, (b) patrem videlicet felicis recordationis domini CLEMENTIS papæ quarti; qui etiam in præfata domo Carthuſiæ defunctus eſt & ſepultus. Hujus denique tempore vel circa contigit in Carthuſia quod merito memoriæ commendandum eſt. Fuit ibidem, ut fertur, quidam monachus ſanctiſſimæ vitæ & obedientiæ ſingularis, qui tandem evocatus a Domino diem clauſit extremum. Sed Dominus qui retribuit unicuique ſecundum opera ejus, non eſt paſſus ſervum ſuum ſub modio latere: ſed infinitis & patentibus ſignis & miraculis eum illuſtravit poſt mortem, ut innumeroſi populi de Sabaudia & Delphinatu, quorum multi infirmos & languidos ſuos deferebant ad ſepulchrum ejus in Carthuſia, Deum ex eorum liberatione improviſa in ſancto ſuo efferrent, benedicerent ac laudarent. Siquidem multi infirmi, leproſi, cæci, claudi, paralytici, ſurdi, & muti, & alia quacumque infirmitate detenti, cum ejus ſepulchrum attigiſſent, in fide ſua ſanabantur. Stupor enim omnes circumdederat videntes tanta miracula quæ Deus operabatur per ſervum ſuum. Diebus dies ſuccedunt & menſes menſibus; miraculaque quotidie accreſcunt. Sed diabolus omnis doli artifex dictæ domui Carthuſiæ invidens, quod virum tam ſanctum enutrivit; quique in natalitiis & ſolemnitatibus ſanctorum ſuas etiam nefarias & laſcivas ſolemnitates immiſcere conatur; quantoque majora ſunt feſta ſanctorum, tanto reciproca laſcivia & vanitate per homines ſæculo deditos eorum feſtis illudit; diabolus, inquam, invidens dictæ domui ac paci Fratrum, tantam turbationem & inquietam ibidem ob ſtrepitum hominum concurrentium concitavit, quod nulli monachorum Deo ſervire ac vacare licebat; & quod pejus eſt, quamplurima inhoneſta perpetrabantur. Sed vir ſanctus perſpicacis ingenii, prior ſcilicet Carthuſiæ ſuorum ferens graviter tantam inquietudinem filiorum, has pias ſancto ſuo potuit facere querelas: Siccine, fili mi cariſſime, hæc eſt retributio quam retribuiſti nobis? Tu ad Deum tuum perpetuo in gloria quieturus aſcendiſti; nobiſque tantæ inquietudinis bellum indicis? Non ſic, fili, erit, non ſic: ſed eodem pignore quo adverſarium confudiſti, ego te aggrediar, neceſſe eſt. Obedientia enim qua in campo hoc certaminis viriliter dimicaſti, quæ tibi pacem perpetuam procuravit; ſimiliter etiam & fratribus & ſociis tuis in hoc loco pacem & tranquillitatem procurabit. Tuncque dictus prior ad tumulum accedens ſic ait: In virtute ſanctæ obedientiæ, fili mi, tibi præcipio, quatenus ſicut in vita tua mihi ſemper obediens fuiſti, ſic & nunc exiſtas, nec ullum miraculum de cetero facere præſumas. O miraculum inauditum! Nam poſt prædictum præceptum tanta eſt ejus obedientia ſubſecuta, quod ad dictum ſepulchrum ulterius facere miraculum non præſumſit: & quia in vita ſua perfecte obedivit, poſt mortem etiam obedire non recuſavit. Perſeveravit autem præfatus vir domnus Jancelinus, ut fertur, in prioratu Carthuſiæ uſque ad annum Domini milleſimum ducenteſimum trigeſimum tertium: ac ſic plenus dierum mortuus in ſenectute bona, in dicta domo Carthuſiæ eſt ſepultus.

NOTA.

De priore undecimo.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo triceſimo quarto dicto domno Jancelino in prioratu Carthuſiæ ſucceſſit vir magnæ ſanctitatis & meriti domnus MARTINUS, monachus, ut videtur, dictæ domus Carthuſiæ, atque ſcientiæ ſingularis. Siquidem cum jam tempore ſuo ordo multum accreviſſet in domibus & perſonis; nulla tamen perſona in toto ordine ei conſimilis putabatur. Nam Deo dante incrementum, tanta exemplis ſuis in ordine ſemina virtutum plantavit & rigavit, quod poſteris ſuis ſe ſequentibus in memoriam laudabilem reliquit. Qui cum per tredecim annos vel circa prioratum Carthuſiæ rexiſſet, deficiens mortuus eſt, ac in dicta domo ſepultus. Hujus præfati prioris tempore, ut fertur, inter domum Carthuſiæ & Cambariacum quidam mons maximus ſe ab aliis montibus dividens, & per plura milliaria cujuſdam vallis tranſiens, ad alios montes acceſſit; omneſque in ipſa valle villas terra & lapidibus obruit, atque circa quinque millia hominum ſuffocavit.

De duodecimo priore.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo octavo ſucceſſit in prioratu

(a) Aliis dictus Ancelinus.
(b) Petrum Frecoldi dictum apud Sutorem & apud Dorlandum.

domus Carthuſiæ domnus BERNARDUS. Hic multis virtutibus prædítus, ſcientiaque non modica tam divina quam humana permunitus, ſanctam ſuam vitam poſteris dimiſit in exemplum. Iſte poſuit reliquias multorum ſanctorum in eccleſia inferioris domus Carthuſiæ, in qua converſi commorantur. Deficienſque diem clauſit extremum circa annum Domini milleſimum ducenteſimum quinquageſimum quintum, atque in ſæpedicta domo Carthuſiæ ſepultus jacet.

De decimo tertio priore.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo quiquageſimo ſexto ſucceſſit in prioratu Carthuſiæ domnus RIFFERIUS monachus, ut putatur, dictæ domus, litteris ſæcularibus ac divinis admodum eruditus, doctrinaque, ingenio & exhortatione efficaciſſimus. Hic Carthuſienſis propoſiti conſuetudines augmentavit, compilavit, correxit, pulchroque ſtylo exornans ad perfectum uſque perduxit, atque confirmari fecit in capitulo generali anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo nono. Qui cum prioratum Carthuſiæ & totum ordinem ſtrenuiſſime gubernaſſet per annos undecim vel prope, beato fine quievit in Domino, ſepultuſque eſt in Carthuſia, ſuam bonam doctrinam perpetuo poſteris dimittens in exemplum. Hujus tempore URBANUS papa quartus regnum Siciliæ dedit CAROLO fratri regis Franciæ, qui illud obtinuit & MANFREDUM interfecit: contra quem CONRARDUS nepos Frederici imperatoris inſurgens cum manu valida Apuliam intravit. Sed poſt bellum diutiſſimum Conrardus capitur, & cum ducibus Bavariæ & Auſtriæ in Neapoli pariter decapitatur.

De priore decimo quarto.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſeptimo ſucceſſit in prioratu Carthuſiæ domnus GIRALDUS monachus, qui ſcientia, vita & fama præclarus, cum ſex annis vel circa ſtrenue ſatis dictam domum & ordinem ſub regulari obſervantia gubernaſſet, beato fine quievit in Domino, in eademque eſt domo ſepultus.

De priore decimo quinto.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo tertio domnus CUILLELMUS, homo magnæ virtutis & religioſitatis, præfato domno Giraldo ſucceſſit; qui per quinque annos alarum ſuarum virtute & doctrina dictam domum ordinemque regens & gubernans laudabiliter, diem clauſit extremum ſepultuſque eſt in dicta domo Carthuſiæ.

Hujus tempore in concilio Lugdunenſi Græci ad eccleſiæ unitatem redire promiſerunt: in cujus ſignum ſpiritum ſanctum profeſſi ſunt a Patre Filioque procedere, Symbolum in generali concilio decantando. Nunc vero Tartarorum infra dictum concilium baptiſati ſunt, & ad propria redierunt. Multi etiam reges & barones cum RODULPHO tunc noviter in regem Romanorum procreato a papa Gregorio decimo Cruce ſignati fuerunt pro ſubſidio Terræ ſanctæ, tranſieruntque ultra mare circa ducenta millia Chriſtianorum, qui pro majori parte perierunt.

De decimo ſexto priore.

Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo octavo ſucceſſit in prioratu domus Carthuſiæ Boso monachus dictæ domus; qui fuit vir magnæ ſanctitatis & vitæ, magnique meriti apud Deum & homines noſcitur extitiſſe. Ipſius denique meritis & precibus Deus hominem a morte, dum adhuc viveret, ſuſcitavit. Cum enim quædam in Carthuſia fabrica erigeretur, quidam de mancipiis dictæ domus ex ſuperficie altiſſimæ fabricæ corruens, colliſus ad terram, totuſque contractus expiravit. Cumque coram beato Boſone dictus mortuus foret elatus, fuſa ad Deum pro eo prece, immediate ſanus & incolumis ſurrexit; ſicque ad opus ſuum ire perrexit. Emitque præfatus domnus Boso grangiam de Foreſta, quam domus Carthuſiæ tenet & poſſidet de præſenti. Cum enim abbatia Caleſii, quæ tunc erat de ordine ſancti Benedicti, fere omnia bona ſua ex malo regimine domino Aymaro de Belloviſu impignoraſſet, ſive aliter alienaſſet; ita quod de cetero ſpes recuperandi non erat; vir Dei ſanctus Boso zelo domus Dei accenſus, dicta bona de manu ipſius redemit, ſupplicantibus pro hoc & rogantibus abbate & monachis prædictæ abbatiæ: poſtque de conſenſu papæ dicta abbatia fuit ordini Carthuſienſi conceſſa. Fuit autem vir Dei Boſo valde fervidus & zelans in juribus domus ſuæ defendendis. Nam cum quadam vice, ut cetera prætermittam, minera ferrea, quæ eſt in monte de Bovina, ſita infra terminos domus Carthuſiæ, extraheretur per quoſdam ſeculares operarios numero copioſo; vir Dei ſanctus ſenectutis oblitus, baculo membra imbecillia ſuſtentans, conventumque domus ſuæ ſecum adducens; dictum montem fere inacceſſibilem hominibus, licet non paſtoribus, cum magna difficultate conſcendit. Cumque dulcibus verbis eos a cœpto opere cohibere non poſſet, durius eos alloquens comminatoria in verba prorupit. Dixit enim eis, quod niſi a cœpto opere ceſſarent, illic cum quinquaginta armatis viris venire non differret. Tunc virum Dei taliter eos allocutum admirantes, ipſumque ſcientes a comite Sabaudiæ & delphino Viennenſi valde diligi & revereri, a cœpto opere deſiſtentes, ulterius talia facere non præſumſerunt. Vixit autem in prioratu ſuo annis triginta quinque, & deficiens mortuus eſt in ſenectute bona & ſancta, ſepultuſque eſt in dicta

domo Carthuſiæ. Super cujus ſepulchrum naſcitur herba, quæ multis præſtitit & quotidie præſtat ſanitatis medelam : potiſſime tamen valet contra febres. Nam & a diverſis mundi partibus ſæpe veniunt diverſæ perſonæ, quæ de dicta herba & etiam aliis herbis ſuper corpus aliorum ſanctorum in dicto cimiterio exiſtentibus accipientes, multis curationis medela extiterunt. Nam ruſtici illarum partium ſeu provinciæ in infirmitatibus ſuis aliis medicinalibus non utuntur.

De decimo ſeptimo priore.

Anno Domini milleſimo trecenteſimo decimo quarto venerabilis vir domnus AYMO monachus domus Carthuſiæ prioratum ſuſcepit ; qui ſcientia multa & diſcretione præditus, vitaque & devotione exemplaris ; cum dictam domum totumque ordinem ſtrenue & laudabiliter quindecim annis præſidens gubernaſſet ; amore dulciſſimæ quietis & contemplationis cum Maria accenſus, pondereque prælationis ac ſollicitudinis nimium prægravatus, inſtanter a capitulo generali ſibi miſericordiam fieri petiit & accepit.

Sub hujus venerabilis patris prioratu, quod reticeri non debet, inſtigante maligni hoſtis malitia, qui ſæpedictam domum propter ſanctæ religionis obſervantiam deſtruere conatus eſt, domus Carthuſiæ in toto fuit combuſta ac fere in nihilum redacta ex incendio. Cum enim dominus de *Grandiſſon* pro una nova domo ordinis Carthuſienſis per ipſum ædificanda, proque licentia obtinenda Carthuſiam tempore generalis capituli veniſſet ; famuli ejus incaute ignem in camera, in qua idem dominus dormiebat, retinentes, totius domus, proh dolor ! ruina per flebile incendium extiterunt. Ob hoc priores ipſi qui ad capitulum generale venerant, tam etiam præſentes quam abſentes, necnon & prælati eccleſiarum ; ſimiliter divites & pauperes, nobiles & ignobiles, ejuſdem domus, quæ eſt mater totius ordinis lamentabilem, nimis deſtructionem videntes & nimium condolentes, erga celerem ejuſdem reparationem liberaliſſimi extiterunt. Nam ſubito eamdem de novo de lapidibus reædificantes quæ antea de lignis erat, ſine comparatione in melius commutarunt : ita ut non minus de dictæ domus reparatione univerſi gauderent, quam de ipſius ante doluerant combuſtione.

Aliud quoque factum notabile tempore ſui prioratus evenit in dicta domo, per quod zeli ipſius ſinceritas pro domo Carthuſiæ demonſtrabatur. Dominus ſcilicet Intermontium AYMARUS nomine, magnus baro comitatus Sabaudiæ ; occaſione cujuſdam juriſdictionis quam infra terminos domus Carthuſiæ habere ſe prætendebat, ſub ipſius prætextu tempore capituli generalis cum ſatellitibus ſuis pontem Carthuſiæ non eſt veritus infringere, aliaſque violentias dictæ domui irrogare. Cumque venerabilis pater prior Carthuſiæ timeret non immerito hanc inpoſterum injuriam domui Carthuſiæ eſſe in detrimentum, vel effici in ruinam, domino comiti Sabaudiæ necnon delphino Viennenſi hanc violentiam factam ſtuduit intimare, de & ſuper præmiſſis petens juſtitiæ complementum. Sed non proderat ei hujuſmodi ſermo, quoniam prædictum baronem quamplurimum diligebant. Tunc præfatus domnus prior Carthuſiæ perſpicacis ingenii, zelo domus ſuæ accenſus, hanc violentiam ſibi factam domino regi Franciæ ſtuduit intimare. Ob cujus rei gratiam præfatus dominus rex fortiter commotus, dictis comiti Sabaudiæ & delphino mandavit, quatenus de ipſis, barone ſcilicet & ſociis ejus, facerent juſtitiam ad ipſius prioris voluntatem ; alias ſæpe dictam domum Carthuſiæ uſque ad ſolum faceret deſtrui in contemtum ipſorum, eamque multo melius in regno ſuo alibi fundaret. Quod illi audientes, quia multum gloriabantur dicti principes dictam domum Carthuſiæ in territorio eorum conſtructam fore : ſiquidem dividit ipſa domus, ac poſita eſt in confinibus comitatus ac delphinatus prædictorum : prædictum baronem una cum ſequacibus ſuis cum ſune ad collum poſito ire Carthuſiam illico mandaverunt, ac ſe ſubmittere pedibus & miſericordiæ prædicti domni prioris Carthuſiæ. Quam miſericordiam indilate ab ipſo priore miſericordiarum pleno obtinere meruerunt ; confecto tamen publico inſtrumento ad cautelam futurorum : qui dictus baro omni juri quod ſe habere prætendebat infra terminos Carthuſiæ pro ſe & ſuis poſteris perpetuis temporibus renuntiavit.

Miraculum.

Hujus piæ memoriæ prioris tempore, anno quinto prioratus ſui contigit miraculum infraſcriptum. In dicta enim domo Carthuſiæ fuit quidam magnæ religionis monachus domnus PETRUS FAVERII vocatus. Hic prior domus ſanctæ Crucis effectus, præ ſtrenuitate morum ac ſubtilitate ingenii procurator generalis totius ordinis ad cauſas pertractandas in Avenione eſt conſtitutus. Cum in dicta civitate pro indicta ſibi obedientia maneret, contigit eum gravi infirmitate vexari ; ordinationeque, ut pie creditur, divina, contigit domnum HERBERTUM tunc priorem domus Boni-paſſus ad ipſum infirmum viſitandum devenire : quem mox ut infirmus vidit, gaviſus eſt gaudio magno valde, dixitque ei infirmus : Frater mi dilecte, tu me trades ſepulturæ ; ſcienſque finem ſuum adeſſe, confeſſione eidem facta, ſacram unctionem cum Viatico petiit & accepit. Præfato vero domno Herberto priore aliqua occaſione ab infirmo recedente ad horam, & infirmo ſolo

remanente; & ecce Sathan humani generis inimicus ante lectum ejus ſtatim affuit, magnum volumen portans in quo omnia peccata quæ dictus infirmus commiſerat, in tota vita ſua erant deſcripta. Qui ante faciem dicti infirmi cum magna protervia & minis importune ſe ponens, eidem omnia peccata ſua improperabat procaciter cachinnando. Cum vero idem infirmus præ timore & horrore horribilis viſionis quid reſponderet neſciret, niſi hoc tantummodo, quia in miſericordia Dei & in confeſſione peccatorum ſuorum confideret; magis ac magis Sathan nitebatur cum ad deſperationem inclinare. Cœpit autem infirmus tremere ac palleſcere, ac fere in baratrum deſperationis jam cadebat, niſi ſuperna cum gratia clementi oculo reſpexiſſet. Subito namque mœſtorum conſolatio, laborantium fortitudo, deſperatorum relevatio affuit; ſcilicet beatiſſima, unica ſpes noſtra Virgo MARIA, ultra humanam narrationem lucidiſſima atque ſplendidiſſima, in brachiis ſuis puerum gerens inenarrabiliter ſpecioſum: prædictoque infirmo jam fere deſperato cominus aſtans: Frater mi, inquit, cur times? cur diffidis? per iſtum enim puerum ſpecioſum omnia peccata tua ſunt ſoluta. Ad hæc enim verba Sathan qui advenerat nimium confuſus, de loco illo turpiter eſt egreſſus: ſtatimque ab oculis infirmi illa gratioſa Domina cum ſpecioſo præ filiis hominum puero ſuo evanuit. Tunc infirmus in tanta exultatione & lætitia cordis exultans remanſit, quanta ſicut ipſe referebat, ab ipſo exprimi vel ab auditore capi non valebat. Cum vero dictus domnus Herbertus prior ad dictum infirmum rediſſet, eidem omnem viſionem & modum enarravit. Hæc autem prædicta viſio non in ſomniis, ut aſſolet, ſed aperte dicto infirmo fuit facta die jam ad veſperam inclinante. Demum poſt matutinas noctis ſequentis ſolus ſeptem pſalmos cum letania prout poterat cœpit decantare. Cum autem dicendo letaniam nimis gravaretur, dictum domnum Herbertum, ut ſe juvaret rogavit. Dum vero letaniam pariter decantarent, veniſſentque ad locum illum in quo dicitur: *Omnes ſancti orate pro nobis*: ſubito poſt prædictam poſtulationem elevans infirmus digitum dexteræ manus, cum cordis lætitia maxima ſubjunxit dicens: *Omnes ſancti, qui modo*, ait, *hic adeſtis, orate pro me.* Quam poſtulationem cum magno fervore ac ſingulari affectu crebrius ingeminans, ſpiritum exhalavit. Ex quo apertiſſime conjicitur, quod ſanctos vidit, qui ad eum venerant a malignis ſpiritibus defendendum.

De decimo octavo priore.

Anno Domini milleſimo trecenteſimo triceſimo ſucceſſit in prioratu Cartuſiæ dicto Haymoni vir venerabilis & magnæ ſcientiæ atque contemplationis domnus JACOBUS DE VIVIACO, monachus dictæ domus, qui cum præ nimia ſollicitudine curarum contemplationi & quieti ſolito vacare non poſſet, ad ſuam importunam inſtantiam in capitulo generali ſequenti miſericordiam ab officio prioratus petiit & obtinuit. Sic apparet quod tantum uno anno vel circiter præfuit.

De decimo nono priore.

Anno Domini milleſimo trecenteſimo trigeſimo primo ſucceſſit in prioratu Cartuſiæ domnus nomine, virtute & ſcientia CLARUS vocatus, ac tunc prior conventus Pariſienſis, litteris ſæcularibus & divinis admodum eruditus, facundia admirabilis ac exhortatione efficaciſſimus; in tantum quod publica vox eſſet & fama inter eos qui eum cognoſcebant, quod conſimilis ei in virtute & ſcientia in eccleſia Dei in diebus illis vix potuiſſet reperiri: & propter hoc ſecundus clericus mundi a multis vociferabatur, ipſum nolentibus nec valentibus honorifice præponere domino papæ. Cum vero ſtrenuiſſime dictam domum Cartuſiæ totumque ſanctum ordinem quinque annis gubernaſſet, vocante Domino mortuus eſt, atque in eadem domo ſepultus.

Hujus autem tempore fertur eveniſſe quod ſequitur. Domnus Johannes Cornerii * monachus jam dictæ domus, homo valde idoneus, ac magnæ ſanctitatis & meriti ad officium ſacerdotale fuit promotus: qui cum, ut moris eſt, primam miſſam de mane in conventu celebrare deberet, ſacriſta dictæ domus videns ipſum nimium tardando ad eccleſiam venire pro miſſa celebranda, ad ejus cellam acceſſit, ipſamque aperiens eum evocavit; & ecce tota illa cella intus igneo ſplendore rutilabat: ſicut ſolis radius in centro poſitus totum lumen ſuum emittit in virtute ſua. Dictus vero monachus cum evocatus ad ſacriſtiam acceſſiſſet, velut flamma ignis totus ardere videbatur. Quam ob cauſam dictus ſacriſta nimium attonitus ac ſtupefactus, cum ad eccleſiam remearet, oculoſque ad dictam cellam deduceret; ecce, mirabile dictu, quatuor cereos in aëre ſuper quatuor angulos cellæ dictæ ardentes aſpexit. Hoc miraculum de præfato viro ſancto ſub iſto prædicto priore evenit.

Apud Durandum Tenarii.

Sed & aliud non minus iſto, ſub domno Johanne Birelli dictæ domus priore inferius in vigeſimo primo loco deſcripto, Deus per præfatum ſanctum virum operatus eſt. Quod idcirco hoc in loco ponitur, ut ſanctitas ipſius cunctis legentibus ſeriatim oſtendatur. Cum enim præfatus devotus monachus ſub prædicto domno Johanne priore fuiſſet procurator ipſius domus conſtitutus; utpote qui in activa vita pariter & contemplativa valde idoneus habebatur: quidam ruſticus domui Cartuſiæ convicinus, ad dictum procuratorem acceſſit, ſecum deferens quædam ſcripta

instrumenta quarumdam terrarum quas emerat, ut ipsum forte super iis consuleret, vel certe, ut potius creditur, dicta instrumenta sibi custodiret. Tunc a casu prædictus procurator eidem rustico dixit, quatenus certa ad ignem ligna deferret: erat quippe hyems & ingens frigus: cumque ille ligna detulisset, & super ignem valde ardentem projecisset, casu ipsa instrumenta ex oblivione cum ipsis lignis in igne jactavit. Ad ipsum procuratorem dehinc accedens, de negotiis suis cum ipso tractaturus, & longi temporis spatio elapso, ipsis pariter conferentibus, cum dictus rusticus instrumenta sua quæreret & minime inveniret, demum recordatus est ipsa cum lignis pariter in igne projecisse. Quo cognito, flens & nimium ejulans, seque ipsum nimis clamoribus dilanians, desperato homini similis videbatur. Ipse vero sæpedictus pius procurator misericordia & pia compassione commotus, tristem hominem fidere in Deum jussit; & dehinc ab eo parumper segregatus, Domino in oratione se prostravit, statimque prædictum rusticum advocans: Vade, inquit, & instrumenta tua ubi ea projecisti require. Dictus vero rusticus tristis ac tremens ad ipsum ignem valde ardentem accessit, & ipsa instrumenta in medio flammarum sine aliqua læsione reperit. Tunc religiosus vir ipse procurator humanam timens ex hoc incurrere gloriam captare, eumdem rusticum obnixe exoravit, ut nulli hominum hoc factum intimaret. Ipse vero, Deo hoc forte inspirante, qui in sanctis suis mirabilis vult videri, nequaquam sibi in reticendo miraculum prædictum obedivit.

De vigesimo priore.

Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo octavo venerabili patri domno Claro succesſit in regimine domus Carthusiæ iterato domnus JACOBUS DE VIVIACO, cujus ante modicum fuit facta memoria. Qui cum ante per importunitatem suam a prioratus officio dictæ domus fuisset absolutus, & nunc iterato ultra voluntatem suam ac multum renitendo esset in dicta administratione confirmatus; cum amore contemplationis & quietis sollicitudine temporalium & inquietudine occurrentium laborum nimium gravaretur; videns quod misericordiam suam quam optavit, a capitulo generali obtinere non potuit, in quinto anno sui regiminis capitulum privatum infra annum convocavit, a quo sive opportune, sive importune, ut videtur, pertinaciter absolvi a prioratus officio procuravit. Ob quam causam ordo nimium indignatus, diffinivit in capitulo generali sequenti, quod nullus prior domus Cartusiæ de cetero a privato capitulo super annum posset absolvi. Utrum vero prædicta diffinitio postea fuerit a capitulo revocata ignoratur.

Miraculum.

Ut autem Deus clemens omnia sua pia providentia disponens declararet, quod præfatus prior ipsum ex nimia importunitate & pertinacia ejus manifeste offendisset; quippe qui bina vice vocatus ab ipso ad dictum prioratum ingratus extitisset, oviculas suas de talento sibi credito pascere nolendo; tanta subito post dictam ultimam suam absolutionem fuit percussus infirmitate, ut cunctis innotesceret, ipseque etiam publice diceret propter suam ingratitudinem a Deo se fore percussum. Nam qui prius alios poterat & noluit adjuvare, postmodum usque ad finem vitæ suæ per multos annos indiguit adjutore. Sed Deus omnipotens, clemens & misericors, qui talentum dispensandum sibi contulit, de isto ratione infirmitatis expetita non fuit contentus; quin etiam talem succesſorem sibi procuravit, qui voluntatem divinam adimplendo ipsius inobedientiam talem expurgaret. Cum vero dicti viri pertinacia fuisset plene a Deo expurgata, tandem a Domino evocatus, deficiens mortuus est, & in Carthusia sepultus anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo secundo. De quo constat relatu quod plurima, Deo cooperante, miracula fecit post mortem; sed quanta vel qualia non occurrit memoriæ. Tantæ siquidem prædictus vir piæ memoriæ fuit contemplationis, tantique consilii, sapientiæ & discretionis, ut cum ipso colloquentes, seu ab eo consolationem vel consilium requirentes, tamquam angelum Dei se putarent reperisse. Ad ipsius denique instantiam & requisitionem HUMBERTUS delphinus Viennensis centum florenos annuales domui Carthusiæ destinavit, pro pelliceriis & indumentis monachorum.

De vigesimo primo priore.

Anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo tertio Jacobo succesſit in prioratus regimine domus Carthusiæ vir venerabilis, ac admirabilis ingenii & scientiæ domnus HENRICUS dictus POLETI, tunc prior domus Parisiensis. Hic litteris sæcularibus atque divinis admodum eruditus, facundiaque atque memoria singularis, nulli in ordine secundus putabatur. Sed & tam idoneus fuit in activa vita, ut vix aliquis consimilis ei in ordine posset reperiri; quique & a grege sibi credito ex bona conversatione perdilectus valde erat. Verum cum contra omnes sapere, desipere sit: dum idem quamdam consuetudinem in ordine quam honestam suo videre putabat, contra sanctam rusticitatem ordinis antiquam introducere niteretur; & ordo seu capitulum generale eidem in hoc consentire recusaret: cum tribus annis dictam domum satis laudabiliter rexisset, misericordiam sibi a capitulo generali a prioratus offi-

cio ſerioſe requirens, faciliter ipſam obtinere meruit. Ob quam cauſam conventus domus Carthuſiæ ejuſdem abſolutionem graviter ferens, ipſum iterato voluit eligere in priorem, ſed ipſe nullo modo conſentire voluit. Qui poſtmodum domus Pariſienſis prior fuit electus; ſicque deficiens mortuus eſt, & in eadem domo ſepultus.

De vigeſimo ſecundo priore.

Anno Domini milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto præfato domno Henrico Poleto ſucceſſit in regimine domus Carthuſiæ vir venerabilis, & admirabilis vitæ atque ſanctitatis domnus JOHANNES BIRELLI, de Francia civitate Lemovicenſi oriundus, tam divina ſcientia præditus quam humana, diſcretione præcipua atque devotione præfulgens, monachus domus Carthuſiæ, Deo & hominibus dilectus, vigeſimus ſecundus in prioratus domus Carthuſiæ ſucceſſione. Et vere Deo & hominibus dilectus atque gratus in tantum, ut ferre nullus eum tempore ſuo in eccleſia Dei præceſſerit auctoritate vel fama. Ob quam cauſam cum felicis recordationis Clemens papa ſextus viam fuiſſet univerſæ carnis ingreſſus, major pars cardinalium ipſum in ſummum pontificem eligere diſponebat: quod videns domnus cardinalis Petragoricenſis, qui tunc temporis inter cardinales quaſi vexillifer habebatur, ſcilicet Talairandus. præfati prioris electionem ad apicem pontificalem perduci velle: cum ſentiret ipſum priorem ſummæ eſſe juſtitiæ & æquitatis, neque ullum hominem mundi contra juſtitiam revereri; ſurgens in medio collegii ait: Domini mei reverendi cardinales, vos quod facitis ignoratis. Sciatis pro certo priorem Carthuſiæ tantæ ſore juſtitiæ, rigoris & æquitatis, quod ſi ipſum in papam eligimus, pro certo ad ſtatum nos reducet antiquum; atque equi noſtri infra quatuor menſes quadrigas conducent: non enim cujuſquam vetetur perſonam, quia eccleſiam Dei zelans, quaſi leo confidit. Quo audito, domini cardinales perterriti, ſibique ipſis nimis carnaliter metuentes, præfato priore prætermiſſo, dominum INNOCENTIUM ſextum de collegio ſuo elegerunt. Tunc præfatus pontifex ipſum priorem voluit facere cardinalem; ſed ipſe omnino acceptare recuſavit. Præfatus pius pater tempore quo præfuit, ſollicitus valde fuit circa commiſſum ſibi gregem, & præcipue circa celebrantes; notans diligenter qui ſedule, quique raro celebrabant. Sedule celebrantes animabat, & raro celebrantes arguebat. Si quempiam uno die contigiſſet non celebrare, diſſimulabat: ſi autem duobus aut tribus diebus, cauſam ſcire volebat & inquirebat. Et exempli cauſa ſolebat fratribus narrare, ſcilicet quod ſemel cauſa domus conſtituta erat, ubi perſonaliter eum infra terminos domus Carthuſiæ oportebat adeſſe. Venit ſemel dies conſtituta: accedente priore ſine celebratione, nihil factum eſt. Venit ſecunda dies conſtituta: & accedente eo ſine celebratione, iterum nihil factum eſt. Et tertia die conſtituta poſt miſſarum ſolemnia peracta, priore accedente ad diem conſtitutam, omnia proſpere ſibi ſucceſſerunt. Aliud quoque exempli gratia ad idem ſpectans narrabat ad ædificationem audientium. Ambulantibus aliquoties duobus fratribus de ordine Prædicatorum per locum deſertum in die quadam ſolemni, conceperunt, Deo inſpirante, magnam celebrandi devotionem: & ſic conquirentibus illis ex abundantia cordis præ nimia devotione, apparuit haud longe ante eos quaſi quoddam capellæ tugurium. Quod intrantes & circumquaque reſpicientes, repererunt ſingula quæque ad celebrandum neceſſaria: qui gaviſi gaudio magno ſpirituali, ad celebrandum ſe invicem hortabantur. Qui peractis miſſarum ſolemniis, gratias omnipotenti Deo de tantis collatis beneficiis retulerunt: exeuntes autem capellæ ædificium, illico quod ædificium apparebat non comparuit. Dicebatur quoque præfato patri, quod ſicut dictum eſt voces in electione ſummi pontificis habuerit: quod audiens & ſeipſum humilians, ut erat humilis corde: Vere, ait, numquam ero papa neque cardinalis; ſed pauper Carthuſienſis moriar. Fuit namque dictus pater potens in opere & ſermone, nec cujuſquam perſonam accipiens. Sæpe nempe præfato domino papæ, regibuſque, principibus ac prælatis litteras exhortatorias & monitorias ſcripſerat, ut inde corrigi mererentur: ſic enim litteras ejus æſtimabant, tamquam ſibi a Deo tranſmiſſas. Unde factum eſt, quod cum præfato ſummo pontifici ſcripſiſſet, quatenus ſe ſic a nepotibus ſuis cuſtodiret, ne animæ ſuæ & eccleſiæ Dei efficerentur in ſcandalum & ruinam; ob hanc cauſam dicti pontificis nepotuli, quorum aliqui erant cardinales, aliqui vero epiſcopi, vel magni eccleſiarum prælati, erga ſæpedictum priorem erant plurimum offenſi & indignati. Nam propter præfati prioris litteras ſæpius a domino papa repellebantur, nec obtinere poterant quod volebant. Plures etiam reges, principes & barones propter ejus litteras tales a multis ſe illicitis temperabant. Nam AMEDEUS comes Sabaudiæ, qui mortuus eſt in tranſitu ducis Andegavenſis in Apulia, nil aliud facere præſumebat, quam quod dictus prior voluiſſet & mandaſſet. Unde ſæpius & peccata confitebatur ſua ad Carthuſiam uſque veniendo, eumque ſuum patrem nominabat. Contigit autem quod quadam vice prædictus prior eidem comiti quamdam peregrinationem ſatis arduam pro factis ſuis injungeret, prolixæque viæ juxta ſtatum ſuum. Cumque dictus comes ipſam peregrinationem peragere vellet, comitiſſa ejus uxor graviter ſe-

rens, precibus quibus potuit per litteras præfatum priorem obnixe rogavit, quatenus comiti licentiam concederet equitandi: quod ipſe prior omnino recuſavit, allegans quod comes juvenis erat, & ſatis fortis ad peregrinationem peragendam. Ad hæc comitiſſa prædicta, more muliebri indignata, eidem priori ſic reſcripſit: Bene cuſtodies te quod non ibis cum ipſo. Nihilominus tamen ipſum priorem ſemper mira reverentia honoravit, & præcipuo affectu dilexit, in tantum ut uſque hodie eum bonum & magnum priorem ſecundum idioma linguæ ſuæ [appellet.] Demum cum prædictus comes magna triſtitia abſorberetur, eo quod de dicta comitiſſa prolem non haberet, quæ ſibi in comitatu ſuccederet, timeretque ne ad manus extraneas, videlicet ad conſortem ſororis ſuæ deveniret, hoc ipſum prædicto priori ſtuduit intimare. Dictus vero prior per omnia confidens in Domino, ipſum conſolans fidere juſſit: poſtmodum vero conventum ſuum convocans atque cauſam dicti comitis in medium proponens, orationem ſingulis indixit, cum eis pariter & ipſe orationi inſtans pro prole eidem comiti a Deo concedenda. Quid multa? In brevi namque exaudita eſt oratio ejus, filiumque de uxore ſua, quæ ſterilis putabatur, ſuſcepit; qui etiam patris nomine AMEDEUS vocatus, nunc comes Sabaudiæ eſt effectus. Ad conſilium etiam, ut fertur, dicti prioris delphinus Viennenſis HUMBERTUS nomine, qui non minus dicto comite mandatis ejus obediebat, habitum fratrum Prædicatorum ſuſcepit. Nam, ut fertur, dictus delphinus habitum religionis in Carthuſia ſuſcipere diſponebat; ſed prior ipſe vir diſcretus conſiderans, ipſum nequaquam poſſe aſperitatem tanti ordinis ſuſtinere, eumdem cenſuit ad Deum progredi plana via, quam aſperam incipere quam conſummare non poſſet. Domnus Pontius decretorum doctor egregius, quem dominus papa URBANUS quintus canonizare volebat propter ſanctiſſimam vitam ejus & multa miracula, quæ in vita fecit pariter & poſt mortem, ſingulis annis venire Carthuſiam conſueverat ad dictum priorem inviſendum, ut ſpiritus ejus recrearetur a tumultibus Romanæ curiæ, quibus multipliciter erat illigatus; tum etiam ut conſcientiæ ſuæ ſecreta revelando aliquam inſtructionem & conſolationem ab ipſo reportaret. Cum vero ad curiam Avenionis remeaſſet, & interdum, ut moris eſt, ipſi cardinales ſacræque paginæ doctores & alii magiſtri certas interdum ſacræ ſcripturæ quæſtiones haberent: cum ipſi ad confirmationem dictorum ſuorum Auguſtinum, Ambroſium, ſeu alios eximios doctores allegarent; iſte ſolus, ut apis prudentiſſima, quæ mellis favum collocare ſciebat, domnum Johannem Birelli priorem Carthuſiæ, ſeu ejus verba oretenus ab eo audita pro confirmatione dictorum ſuorum vel quæſtionum allegabat: unde factum eſt ut audientes de intellectu ipſius prioris ſtupentes mirarentur. Hic prior, ut æſtimatur, jejunium cum abſtinentia pro feſto Sacramenti in capitulo generali inſtitui procuravit.

Filium impetrat comiti Sabaudiæ.

Puer nocturnis attonitus.

Ejus conſilio Humbertus delphinus Viennenſis ordinem Prædicatorum profitetur.

Viſio.

Dum quadam nocte ipſe prior membra ſua quieti mandaſſet, ſubito ad eum vox venit, eique dixit: Surge ac fratrem tuum nimia infirmitate laborantem viſita, atque ſtude curationis medelam adhibere. Cumque iis verbis attonitus nimium remaneret, ex eo quod neminem fratrum in domo ſciret infirmum; ſubito de quodam novitio quem receperat ſibi in mentem venit, quem cognoverat de ordinis aſperitate ſatis tentari. Ob hoc ad ejus cellam illico properavit, eumque jam ordinis habitum deponentem ac pannos ſuos complicantem & ſæcularem habitum aſſumere volentem reperit, ut inde ad ſæculum rediret: Sed vir ſanctus Deo utique plenus, tanto conſolationis imbre verborum Dei novitium replevit, quod bonorum operum inimicus contra eum ampliùs non potuit prævalere.

Aliud miraculum.

Alius quoque novitius tædio ordinis, maligno inſtigante, affectus eſt: cum ex hoc ad ſæculum vellet redire, intempeſtæ noctis ſilentio, ob reverentiam timens hoc priori indicare, priore habitu ſæculari reſumto, & regulari habitu depoſito per medium cimiterii contigit eum recedendo tranſire; ibique duos monachos venerabiles perſonas ſtantes reperit ſibi invicem ibidem quaſi colloquentes: quibus viſis nimium attonitus obſtupuit; eo quia in tanto noctis ſilentio contra regularem obſervantiam ſibi hoc inconveniens nimis & quaſi impoſſibile videbatur. Cumque aliunde tranſire non poſſet, niſi juxta eos qui erant ſpiritus; unus illorum manu eum tenens, ei dixit: Ubi miſer vadis? ubi, « inquam, tendis? reverte ad cellam tuam, & « regulari habitu reſumto perſevera. Alias vero « male tibi erit. Nam ſcias quod in iſto cimi- « terio nullus ſepelitur quin ſanctus in conſpe- « ctu Dei habeatur. «

Aliud miraculum.

Aliud non minus iſto miraculo in domo Maguntiæ Carthuſienſis ordinis fertur eveniſſe; ſed utrum tempore iſtius prioris Carthuſiæ, an tempore domni Clari antedicti prioris accidit, incertum habetur. Quidam nempe novitius in domo prædicta ad ordinem ſuſceptus eſt; qui tandem tædio & rigore ordinis affectus, ad ſæculum redire diſponebat. Cumque precibus ac piis ac ſedulis exhortationibus prioris ac magiſtri ſui acquieſcere omnino non vellet; in pertinacia per-

ſiſtens, habitu regulari rejecto ac priſtino ſuo ſæculari reſumto, perficere volebat optatum ſuum. Sed antequam recederet de cella ſua, quamdam imaginem beatæ Virginis MARIÆ de ebore ſeu de oſſe, quam in cella habens ſolebat ſalutare, hanc ante ipſius egreſſum cellæ more ſolito ſeipſe recommendans ſalutavit iterato. Mira dictu, vera tamen. Ad ipſius namque ſalutationem, quaſi ultimum valedicturus & receſſurus, mox dicta imago quaſi in tabernaculo poſita ibidem viſibiliter ſe regyrans, eidem novitio conſpicienti vertit dorſum ſuum tamquam ingrato. Quo viſo dictus novitius tamquam beatiſſimæ Virgini miſericordiæ matri ingratus, non fuit, viſo tam efficaci miraculo, ad correctionem compunctus, ſed ſemper obſtinatus; & veluti deſperatus inſtigante maligno voluit perficere quod incœpit. Nihilominus triſtis & aliqualiter dolens, Deo inſpirante, idipſum quod factum fuit priori & magiſtro ſuo ſtuduit intimare. Dum vero interim prior & magiſter ſuus circa eumdem pauperem ſatagentes, plus ſolito more ipſius curam habentes, ac ipſum fere ſine intermiſſione viſitantes, ſuadebant ei quatenus voluntate ſua in ſtabilitatem firmata, eidem beatiſſimæ Virgini MARIÆ reconciliari ſtuderet. Sed verba eorum exhortatoria ſurdas aures ingrati & infelicis non poterant penetrare: cum ecce una die poſt matutinas, dum magiſter novitii ad ipſius cellam pro prima cum eo dicenda iviſſet, reperit ipſum parum ante de monaſterio per murum exiviſſe, ut inde ad ſæculum rediret. Prior vero exeunti valde timens, eo quod beatam Virginem MARIAM eidem noverat indignatam, curſu veloci mox multam domus familiam poſt ipſum miſit, quatenus eumdem ad monaſterium revocarent. Sed heu! & ô ſtupendum & dolendum nimis! dum dictus novitius monaſterium fuiſſet egreſſus, ipſa domus familia ipſum inſequens ac undique diligenter inquirens, ſic quod etiam parvum animal reperire valerent: ipſe ab oculis eorum evaneſcens, nuſquam, proh dolor! comparuit, nec de eo poſtea umquam nova ſunt audita. Iſti namque apte congruit quod beatus Gregorius in homilia de ingratis loquitur: Poſt contemtum gratiæ major ſolet ſequi iræ vindicta. Tunc prædicta imago beatæ Virginis ad laudem ipſius & in teſtimonium præmiſſorum & ad cautelam futurorum fuit delata de mandato prioris Carthuſiæ ad domum Carthuſiæ, quæ ibi ſervatur ad præſentem diem.

Sed nunc ad propoſitum quod incœpimus de præfato priore revertamur. Præfatus enim pater domus Carthuſiæ, tam admirabilis in vita contemplativa pariter & activa videbatur, quod vix ei conſimilis reperiri poſſet. Si quando enim, ut fertur, vitæ ſe contemplativæ dediſſet, in tanto extatico rapiebatur exceſſu, quod ſeraphicus potius videbatur quam homo: ſi vero vitæ activæ, ultra naturam humanam perſpicaciter hoc facere cernebatur. Nam cum in multis occupatus, tam ex parte ordinis quam ex parte domus Carthuſiæ frequenter eſſet ut Martha; non tam faciliter ut Martha ergà plurima turbari videbatur, exemplo ducis Iſraëlitici populi, qui utraque manu pro dextera utebatur. Sicut etiam nec elevabatur proſperis, ſic nec frangebatur adverſis. Cum vero Deus omnipotens tanta ejus merita remunerare decreviſſet, quadam a Deo eſt infirmitate percuſſus, qua invaleſcente vicarius ipſius domus ad eum inungendum cum aliquibus de conventu perrexit: ſiquidem totus non potuit intereſſe conventus, eo quod tunc matutinæ in eccleſia decantabantur: cumque fuiſſet inunctus, & etiam eccleſiaſtica ſacramenta cum viatico recepiſſet, utpote qui prope finem eſſe videbatur, tunc juſſit omnes aſtantes recedere, portamque cellæ ſuæ recludi, ipſum ſolum relinquentes. Quibus peractis, adniſu quo potuit de lectulo proſilivit, atque oratorium intrans, pavimento ſe dedit, tantoque lacrymarum imbre ſe perfudit, reum ſe clamitans, peccatoremque ſe coram Deo accuſans, ut eiſdem lacrymis copioſe pavimentum perfunderet. Quidam vero clericus Redditus facti ignarus, a caſu pertranſiens, audienſque ejus lamenta, cellam aperuit & intravit, ipſumque nimiis ſingultibus vix reſpirare valentem in pavimento proſtratum invenit. Tunc pater ab eo utcumque ſuſtentatus & adjutus, utpote qui in extremis erat, ad lectulum rediit. Dehinc præ expectatione ſui exitus monachis congregatis, Dominicæ, ut moris eſt, paſſiones legi cœperunt: vir vero Dei cum tanta attentione Dominicas paſſiones auſcultabat ac ſi fere nihil mali fuiſſet perpeſſus. Sed, ô mirabile auditu! cum is qui Dominicas paſſiones legebat itetum erraret, vir ſanctus, in cujus corpore vix extremus halitus palpitabat, adniſu quo poterat emendabat: non verba evangelicæ veritatis poterat ſuſtinere corrupte legi. Lectis demum paſſionibus, ac letania decantata, ſancta illa anima feliciter inter verba orantium obdormiens in Domino migravit anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo, die ſancto epiphaniæ, qui fuit annus decimus quartus prioratus ſui. Dum vero Avenioni rumor de tranſitu prioris Carthuſiæ percrebuiſſet, domnus Innocentius papa adhuc ſuperſtes, hæc audiens, in vocem lacrymarum, ut fertur, prorupit dicens: Valentior religioſus & clericus mundi mortuus eſt. Cum vero poſt modicum tempus ſupradictus papa in extremis laboraſſet, & finem ſuum adeſſe cerneret, coram infinitis aſtantibus intonuit dicens: Utinam anima mea eſſet coram Deo talis qualem æſtimo fore animam Johannis quondam prioris Carthuſiæ.

Præſcriptus

Præfcriptus etiam dominus cardinalis Petragoricenſis, qui ejuſdem prioris electionem in papatu impediverat, audita ejus morte, in hæc verba prorupit: Væ nobis, quia triſtes nos. Triſtis eſt eccleſia Dei, quia collegium noſtrum & eccleſia ſancta Dei talem non promeruit habere paſtorem. Non enim digni ſumus tanto paſtore.

Exemplum.

Poſt modicum vero temporis dicto priore jam defuncto, duo de ejus patria, erat enim, ut præmittitur, Lemovicenſis, venerunt Carthuſiani, qui a domno venerabili patre Eliſiario ſucceſſore ſuo aliquas reliquias de ipſo defuncto priore magnis precibus petierunt, aſſerentes eum duo notabilia miracula poſt mortem in patria ſua peregiſſe. Dictus vero ſucceſſor ejus eiſdem pro reliquiis unum de ciliciis ſuis dedit, quod dum advixit ad carnem ſuam deferebat. Siquidem cilicia nodoſa aſperrimo pilo in modum camiſiæ ſanctam ſuper carnem die noctuque ſemper ad mortem uſque geſtavit in longitudine poplites protegentia, ac manicas longas feré uſque ad manus habentia. Tali enim lorica miles Chriſti uſque ad mortem ſemper inceſſit armatus. Hoc quoque inter cetera fertur de eo, quod longo tempore poſt mortem ejus veſtes ſuæ in domo Carthuſiæ pro reliquiis ſervabantur.

Dum vero adhuc vir iſte ſanctus viveret, & corpus cujuſdam defuncti fratris ſuper quemdam lapidem, qui eſt poſt tribunal eccleſiæ dictæ domus, ubi omnes mortui exportantur ad lavandum, lavaretur, in hæc verba prorupit: Confido firmiter de bonitate Dei, & de ejus miſericordia præſumo indubitanter, nullum hic morientium ſuperque iſtum lapidem lotum, quin ſanctus in conſpectu Dei habeatur. Non quod ille lapis aliquem ſanctificare poſſet, hoc dixit; ſed quia nullus niſi a Deo prædeſtinatus in eadem domo Carthuſiæ uſque ad finem propter ordinis, potiſſimumque propter loci rigorem vix perſeverare valeat. Sub iſto etiam priore accidit miraculum, quod ſuperpoſitum eſt de domno Johanne Cornerii procuratore.

De vigeſimo tertio priore.

Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo, domno Johanni Birelli ſucceſſit in prioratu domus Carthuſiæ venerabilis pater domnus HELIZIARIUS monachus dictæ domus Carthuſiæ, tunc autem prior domus Boni-paſſus. Hic pius pater tantæ fuit abſtinentiæ, auſteritatis & pœnitentiæ, quod nullus fere anteceſſorum ſuorum eidem in præmiſſis poterat comparari. Siquidem aliquibus, imo quaſi omnibus excedere videbatur, pro eo quod pœnitentiam tam arduam faciebat, quod natura humana vix poterat ſuſtinere. Unde cum naturam ipſam conare-

A tur vincere, ab ea quoque ſæpius vincebatur. Cum enim ex orationis fervore & contemplationis exceſſu diem crebro cum nocte inſomnem duxiſſet, natura ſuperante, interdum in medio galileæ in clauſtro ex nimia ſomnolentia collabebatur ad terram: ibique cum nullus præſens aſſuiſſet dormire cogebatur ſuper pavimentum. Semper fere nudus & diſcalceatus, hoc eſt ſine pedulibus atque capite nudo, nonobſtantibus intenſis frigoribus, quæ ibidem in hyeme vigent, incedebat. Numquam in lecto fere decubans, numquam cilicium vel tunicam mutans, quouſque bene fuiſſent attrita; ſuperB fluum enim reputabat beati Hilarionis exemplo munditias quærere in cilicio quod portabat ad carnem. Prædicti patris etiam abſtinentias, diſciplinas, vigilias, necnon & pœnitentias, ſpirituſque ſui devotiones nemo deſcribere valeret, quoniam quidem modum & naturam excedere videbatur humanam. Et cum ſibi ipſi auſterus valde & durus in ſingulis eſſet; omnibus tamen pius & miſericors extitit. Unde hunc titulum præ ceteris poſt ejus felicem tranſitum in charta capituli habere meruit: *Obiit pius pater dominus Heliſiarius prior Carthuſiæ.* O quoties C in eccleſia tempore divinorum cum pſalmodiam cum aliis decantaret, aut miſſam celebraret, in mentis exceſſu rapiebatur! Sed & ô quanta eidem ſecreta Dei revelabantur! Siquidem interdum ex nimia lætitia ſpirituali & mentis exceſſu ſaltare quodammodo & inſanire fere in choro videbatur. Nam ſæpe ex nimio mentis exceſſu ſeipſum oblitus, & neſciens ubi eſſet, in laudem Dei tam alta voce exultabat, quod ab aliis noD biliter diſcordabat. Interdum vero ad ſeipſum rediens, de diſcordia quam inſcius in raptu fecerat, quamplurimum erubeſcebat. Dum enim quodam tempore Dominica capituli generalis miſſam in conventu omnibus præſentibus celebraret; dum *Credo in unum Deum* conventus cantaret, raptus fuit ibidem exiſtens in altari; nec a diacono ſibi caiicem offerente & ſtrepitum faciente, ad humanum poterat intellectum reduci, quin immobilis & inſenſibilis per ſpatium remaneret. Super omnia autem in factis & verbis ſuis ſine aliqua fictione tam ſimpliciter & humiliter ſe gerebat, quod in multis nimium E videbatur excedere, quaſi ſtatum ſuum dedeceret. Quod cum ſibi a fratribus quandoque diceretur, ipſe ex hoc in nimium riſum reſolutus aiebat: Sine dubio nimis ſum rudis. Erat etiam nepos cardinalis Mimatenſis, (*a*) qui eidem nepoti ſuo aliquando ex [a] certis cauſis ſcribere conſuevit; cujus etiam litteris licet invitus nonnumquam reſcribere cogebatur. Et tunc ex induſtria tam ſimpli-

(*a*) Anglici Grimaldi de Griſaco diœceſis Mimatenſis, archiepiſcopi primi Avenionenſis, tum presbyteri cardinalis S. Petri ad vincula tit. Eudoxiæ, &c.

citer & in parviſſima pagina eidem cardinali reſcripſit, quod ex hoc ab ipſo ſe deſpici arbitrabatur. Cum vero dictus cardinalis prioribus ſeu aliis ordinis perſonis litteras eidem ex parte prioris deferentibus reſponderet, ſe ulterius dicto nepoti ſuo non ſcripturum, eo quod per modum ſcribendi eum contemnere videbatur; ipſe pius pater hoc audito in magnum riſum reſolutus dicebat: » Sine dubio bene placet mihi quod non ſcri» bat mihi amplius. Quid enim mihi cum ip» ſo? Faciat ipſe facta ſua, meque dimittat in » pace. Non enim ſi voluiſſet ſibi defuit materia curioſe dictandi, quia bene intelligens erat & litteratus; ſed in ſe corde humilis, ipſe ſe deſpici & omnino nihil reputari cupiebat. Secundo autem anno prioratus ſui decidit in infirmitatem gravem: unde viſitantibus eum ſedule fratribus, quibus valde dilectus erat, ac flentibus coram eo, ipſe eis compatiendo dixit: Chariſſimi fratres mei, » ut quid fletis? Cupio enim diſſolvi & eſſe » cum Chriſto. Eis autem non acquieſcenti» bus, ait: Cernitis quod ex regionibus cir» cumquaque homines veniunt ad nos pro » herbis creſcentibus in cimiterio noſtro car» pendis, quas in fide ſua ſecum deferentes » infirmis ſuis, ut fertur, in potum tribuunt, » & ſanantur. Faciatis, ſi placet, ut habeamus » de herbis ipſis; ſi forte Dominus miſericor» diam ſuam mecum voluerit facere, & vos a » fletu quieſcatis. Ad quod verbum hilares effecti, certatim ad cimiterium currentes, potumque ei ſuper eas porrigentes, & non poſt multum ex ea infirmitate convaluit & ſurrexit. Præfata infirmitate ſatis gravi eo lecto decubante, in tantum in eo morbus invaleſcebat, quod lumine unius oculi orbatus fuit. Propter hoc non pro plaga Dei quam circa eum Dominus permiſit, non turbatus ſed immobilis perſiſtens; cum contemplationi deſideraret ac quieti vacare, ratus eſt ſe legitimam cauſam habere petendi abſolutionem ab officio prioratus ſui. Quam cum in capitulo generali inſtanter peteret, inter cetera turpitudinem cæcitatis allegangando; hoc meruit a capitulo reſponſum habere, quod inter cetera corporis membra nullum membrum quemadmodum oculus tam valeret alterius defectum membri ſupplere. Siquidem uno orbatus oculo, habet alter ut plurimum virtutem acutius pervidendi. Unde ſæpius jocando dicebat: De iſtius oculi cœcitate non curo, quoniam alter mihi ſufficit pro voto. Verum cum virtutem & pœnitentiam hujus ſancti patris Deus omnipotens remunerare decreviſſet, venit tempus vocationis ſuæ. Quadam igitur infirmitate a Deo percuſſus, lecto decubuit; cumque in conventu & in privato oratio in miſſis pro infirmis continuaretur, & ipſe hoc intelligens dicebat: Deus non exaudiat vos. Nam & ego cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto. Sed & filiis ſuis, monachis ſcilicet dictæ domus ipſum crebro viſitantibus atque eidem ſanitatem imprecantibus aiebat: Deus non exaudiat vos. Tunc ecce feria ſexta in qua non multum videbatur infirmitate ipſa gravari, miſit pro vicario domus & conventu, ab eis humiliter petens viaticum & eccleſiaſtica ſacramenta. Super quo ipſi licet nimium admirati, quod petebatur tamen compleverunt: nam eidem, ut poſtea patuit, fuit revelatum, quod feria ſexta migrare deberet. Et ecce feria ſexta ſequenti invaleſcente infirmitate incœpit fortius aggravari: cumque eadem die jejunium eſſet, & poſt nonam dictam conventus comediſſet; conventus congregatus eſt pro expectatione ſui exitus ad cellam infirmi. Sed & cum juxa morem ordinis ad lectulum ipſius ab uno monachorum Dominicæ paſſiones legerentur; cum ipſe ſe vellet erigere, ac, ut videbatur, manus ad cœlum extenderet, ſed per laſſitudinem non valens, cunctis videntibus tradidit ſpiritum anno Domini milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo in die Barnabæ apoſtoli in menſe Junio, qui fuit annus ſeptimus prioratus ſui.

De priore vigeſimo quarto.

Venerabilis pater domnus WILLELMUS monachus domus Carthuſiæ, vir litteratus, pius, diſcretus & morigeratus, ei in prioratu domus Carthuſiæ ſucceſſit: qui dictam domum & ordinem ſatis ſtrenue imprimis gubernans, nominis ſui poſteris reliquit memoriam. Hujus prioris tempore extitit piæ memoriæ vir venerabilis ac litteraturæ domnus JOHANNES domus Carthuſiæ monachus, ſed prior domus Allionis, qui multoties propter excellentiam ſuam vitæque meritum viſitator ordinis exiſtens, ſuo bono ac ſancto zelo, quem circa ordinis obſervantiam geſſit, ſui nominis poſteris non modicam reliquit memoriam. Ejuſdem etiam tempore quamplures domus exordium ſumſerunt de novo pariter & incrementum, tam ante ſchiſma incœptum quam pendente ſchiſmate, idcirco quia pluribus annis præfuit. Pro quo notandum quod domnus Henricus Calcar prior domus Coloniæ in opuſculo ſuo ſic ſcribit: Unum ſpecialiter eſt pro Carthuſienſibus in ſignum ſanctitatis, quod numquam vel raro incœpta eſt pro eis domus, niſi cum præſagio aliquo aut ſigno; impediente ſemper hoc circa principium diabolo, vel per infortunium aliquod aut damnum fundatoris, vel citiorem mortem eorum, aut aliunde veniens periculum: ſed numquam prævaluit, quia dudum in proverbium venit: Ubicumque Carthuſienſibus erigitur horreum, cito fit clauſtrum. Unde Innocentius papa tertius, cum adhuc cardinalis eſſet, ſanctum quemdam viſitare ſolebat eremitam. Quadam vice venientibus ſe & ſuis illuc &

fortiter pulſantibus, non audiebatur vox neque ſenſus. Tandem irruentibus clientibus in cellam vi, & ipſum ſtimulando quaſi mortuum excitantibus, clamavit voce magna dicens: O mi, ô mi, vidi mirabilia, vidi horribilia. Sciſcitante igitur diligenter cardinali quid viderit, reſpondit: Ductus ad infernum vidi incidere animas ſicut nives denſiſſimas aërem obnubilantes; ad purgatorium vero ſicut nivem rariſſimam: ſed ad paradiſum tres tantum vidi introïre animas, illius ſcilicet epiſcopi, & illius prioris Carthuſienſis, ac illius viduæ Romanæ ſingulas nominans perſonas. Cardinalis igitur vir prudens, veritatem ſcire volens viſionis, miſſis hinc inde nuntiis, comperit animas illas eadem hora corpore ſolutas. Sicque qui prius timuit aliqualiter de nimio rigore Carthuſienſium, maxime propter carentiam carnium, propter evolationem animæ illius prioris, factus eſt amicus illorum, novam pro eis procurans fieri domum.

Exemplum.

Mons etiam ſancti Beati ſuper Confluentiam locus ſanctus & valde antiquus: ibi enim olim pro fide Chriſti ſolebant martyrizari Chriſtiani. Quibus ſanctis martyribus, dum aliquando reliquiæ beati Servatii deducebantur per Moſellam, ſanctus idem ex oppoſito eorum veniens reverentiam facere videbatur, in capſella tumultuans, quaſi erigendo ſe & aſſurgendo eos ſalutans. Unde & fratres ibidem de reliquiis ejus partem obtinuere non modicam. Hunc locum olim monachi incolebant Benedictini; quibus amotis venerunt ſæculares canonici; poſt quos mirabili inſtinctu archiepiſcopus Trevirenſis BALDUINUS frater Henrici imperatoris, inſtituit ibi domum ordinis Carthuſienſium. Qui etiam prope Trevirim faciens Carthuſienſium domum, cum ipſis ſæpe vixit in abſtinentiis, horis, vigiliis, jejuniis & in legendis miſſis, & ad ipſas ſerviendo ſicut frater humilis. Pro quo ipſum indubitanter mercedem creditur recepiſſe æternaliter in cœlis, & ſanctæ memoriæ apud ipſos exiſtens in terris.

Archiepiſcopus Colonienſis WALRAMUS dum quamdam domum ſanctæ Barbaræ fundare volens, multis extra Coloniam attentaſſet locis; tandem nutu Dei pervenit ad locum dictum, * *Sent Martins-Velt*, in quo olim ſanctus Severinus audivit concentus angelorum animam ſancti Martini in cœlum deferentium. (a)

* S. Martini campus.

[a]

* Domus monachorū.

Apud *Arnhem* domus dicta * *Monichauſen*, antequam fieret, dux Gelriæ, dum equitaret circumquaque ad videndum ubi eam ædificare vellet, occurrit ei pauper ſeptuagenarius & dixit: Hic multis annis audivi concentus celebres; ardentia vidi luminaria & mira fieri feſta. Hoc audiens devotus pater abbas de *Marievverde* Præmonſtratenſis ibi præſens, continuo deſcendit de equo, & oratione facta ſuper terram in genibus, audivit dicentem: Hic eſt locus meus. Domus igitur ibidem ædificata (b) & reddituata; & poſtea moriente Domino, & diſcordantibus inter ſe filiis, procurante ſathana ſex annis ſine Carthuſienſibus ſteti vacua. (c)

De inſula Mariæ.

[b]

[c]

[d]

Domum etiam prope Argentinam (d) quædam recluſa multis prædixit annis. Item domus Portæ-Mariæ ſuper Danubium diu ante fundanda apparuit cuidam matronæ. Domus etiam prope Leodium in principio multa habuit adverſa.

Apud *Nuremberge* cives nullatenus voluerunt admittere quod domus ibi fieret: ſed beata Virgo apparuit fundatori dicens: Quod audacter peteret, & domus fieret, & cellam Mariæ vocaret.

Juxta Trajectum inferius quidam dominus perdives cum aliquando veniſſet Monſtreolum Picardiæ, & cives invitaſſent eum, videre veronicam Domini tertiam ibi exiſtentem; veronica illa ſemper ab ipſo diverterat, ac ſi ipſum omnino deſpiceret: ſuper quo multum mirans & timens, tandem conſuluit quemdam priorem ordinis, olim ſocium ſuum in ſcholis. Qui audito eo, dixit: Domine ſentio, quod in quodam obnoxii eſtis Deo? audivi enim aliquando a vobis quod libenter velletis facere domum ordinis. Qui ſtatim dixit: Verum, ſed illius penitus fui oblitus. Et prior: Vovete, inquit, domine domum facere; & reddite votum, & ad veronicam redite. Vovit igitur & ſecundo iter arripuit: & ecce veronica illa, quocumque ſe divertit, ſemper ſibi tunc in oculis fuit. Lætus igitur rediens domum ædificavit & reddituavit; ac pro ædificando multa millia florenorum adimpendit. Factuſque prior ſupradictus ibidem rector primo, & poſtea prior domus, quæ Dei dono quotidie proficit circa annum Domini milleſimum trecenteſimum nonageſimum primum.

Itaque communiter domus eorum cum aliquo inchoantur præſagio, aut notabili ſigno, reſiſtente ſemper circa principium inchoationis diabolo, prout in jam tactis domibus exemplificavi pro ſolatio, quia & ſunt novem in vicinio.

Crevit igitur ordo Carthuſienſium in domibus & perſonis, ſed lente ſatis; & hoc propter rigorem nimium, ab eccleſia tamen poſtea mitigatum. Vixerunt enim in magna ſobrietate fratres, ſuper omnia caſtitatem cuſtodientes. Quapropter & divitias fugientes tamquam pereuntes, & animarum

(a) Empto a canonicis ſancti Severini fundo Carthuſiam erexit circa annum 1336.

(b) Circa annum 1340.

(c) Modo deſtructa eſt funditus; ejus autem præclaram mentionem facit Thomas Campenſis in vita Gerardi magni.

(d) Modo funditus everſam.

insidias, terminos possessionum contra avaritiam statuerunt certos. Super quo & quidam papa valde commendat eos dicens: Contenti estis ob hoc paucis personis, ne pro pluribus plurimis gravaremini curis: de apostolatu scilicet monachorum, ut spiritualiter prior sit loco Domini, & loco apostolorum duodecim monachi. Et sic sua gratia tenet eos Dominus sub virga, ne divites declinent ad vitia, quæ communiter transeunt sub & supra, semper tamen sine pecunia notabili aut abundantia. Quapropter & ecclesia in quodam privilegio exemit eos ab hospitalitatis obsequio: quod quidam tyrannus nolens advertere, sed gravans eos sæpe, recepit monstrum pro prole; quousque doctus a bono viro hoc esse ex illo gravamine, refudit ablata, & prolem recepit naturalem, postea defendens ordinem. Hypocrisim etiam fugientes summopere, sunt mediæ, non singularis aut fictæ apparentiæ: immo si aliquando aliquid senserint gratiæ in visionibus vel revelationibus, consolationibus aut aliis sanctis visitationibus, hoc celant cum propheta, ut secretum meum mihi, secretum meum mihi. Unde cum prior quidam eorum ostentationem semper vitare docens, & propheticum illud sæpe allegans, mortuus esset & sepulchrum suum visitantes sani fierent; prohibitus in virtute sanctæ obedientiæ a suo successore, allegante quod propheticum illud ipsemet non servaret mortuus quod semper docuit vivus, sanitatem conferre postea desiit. Honores etiam mundanos & dignitates non curant, nec singularis notas sanctitatis reputant, ut patet per exemplum. Cum enim cuidam priori ordinis electo solemniter in episcopum applaudere venissent episcopi vicini, & alii domini; uni eorum dixit: Scito quod episcopus esse nolo; verumtamen quia cito moriar, mane hic & causam tibi revelabo. Priore proxime mortuo, clara meridie apparuit episcopo in cella oranti, dicens hoc verbum: Scito, si fuissem de numero episcoporum, fuissem & de numero reproborum. Illius quoque episcopi ordinis sui sanctitatem Deo committunt; de quo sic scribitur in speculo historiali. Anthelmus ex priore Carthusiæ Bellicensis episcopus floruit; qui mortuus visus est corpus suum graciilibus strinxisse funiculis, & quatuor cerei capiti ejus appositi cælitus sunt accensi. Quod autem sanctus Hugo Lincolnensis episcopus ordinis eorum fuit canonizatus, hoc propter eximia ejus miracula post mortem & in vita, qualia & adhuc sæpe facit procuraverunt Anglici, non ipsi. In cujus signum festum sibi faciunt nunc solemne, in quo tamen conversi possunt laborare; præsumentes pie quod idem sanctus plus approbet humiles frátrum labores, quam glorioſas festivationes. Cum autem quidam papa, non diu est, priorem Carthusiæ voluit esse cardinalem; renuit ille, allegans periculum animæ. Quapropter excommunicationem humiliter sustinuit per aliquot menses, quousque papæ dicerent cardinales: Dimittatis eum, pater sanctissime, quia si huc venerit, asellum equitabit, & omnes nos confundet. Hæc frater Henricus Calcar. Sequitur.

Circa annum Domini millesimum trecentesimum sexagesimum nonum contigit quod Urbanus papa quintus ordinem Carthusiensium sincere inter reliquos diligens, unam de septem principalioribus ecclesiis in alma urbe Roma, scilicet Jerusalem, quæ alias dicitur ad sanctam Crucem, ipsi ordini contulit & incorporavit; qui Romæ residens, de laxatione tanti rigoris ordinis quasi zelando pro ordine excogitans, quasdam in suo sancto collegio ordinationes novas, irrequisito domno priore Carthusiæ & capitulo generali, observari in ordine instituit: inter cetera; Quod domnus Carthusiæ abbas vocetur, qui est generalis & caput omnium, & abbatis teneat statum.

Item, quod Carthusienses more monachorum omnes horas diei pariter & conventualiter in ecclesia persolvant.

Et item, quod quotidie more monachorum refectionem simul in refectorio capere debeant, lecturamque a legente pariter audire.

Et rursum, quod infirmi ac debiles in ordine Carthusiensium in necessitatis articulo in infirmaria debeant secundum regulam S. Benedicti uti carnibus.

Quæ nova, cum ad aures domni Carthusiæ percrebuissent, dolens pius pater super tali ordinis laxatione, quippe qui hactenus in sua sancta simplicitate & rigore ex patrum præcedentium ordinatione, divina mediante providentia perstitit, misit illico, præfabita deliberatione, ad summum pontificem venerabilem virum litteratum, in sacro palatio quondam grande nomen habentem, domnum Johannem tunc domus Novæ-villæ juxta Avenionem priorem, qui & legatione fungebatur cum præfato pontifice ante creationem suam, ex parte felicis recordationis Innocentii papæ prædecessoris sui: quatenus ipsi pontifici suggerere debeat pro talium constitutionum laxatione aliquali. At prædictus prior notus pontifici ad-præsentiam ejus veniens, ab eodem gratiose valde ac benigne susceptus est: nempe dictus prior demandatus olim a cardinalibus in conclavi pro electione novi papæ residentibus, tale de domino papa futuro testimonium intulit: quare in papam Dei providentia electus extitit. At papa pro jocunditate quasi interloquendo eidem priori dixit: Ecce Johannes aliqua bona noviter pro ordine Carthusiensium statuimus, inferens prædictos quatuor punctos. Ad quem cum humilitate, ut de-

» cuit, ſtatim prior reſpondit: Immo, pater
» ſanctiſſime, ſub correctione ſanctitatis veſtræ
» ſanctum ordinem Carthuſienſium deſtruere
» aliquatenus videmini. Primo videndum, quod
» ſi prior Carthuſiæ abbas ſit & abbatis ſtatum
» tenere debeat; unde proventus & emolu-
» menta pro ſe & familia ſua, & equitatura,
» ut abbatem decet, accipiet? Multarum enim
» domorum ordinis proventus vix ei ſufficé-
» rent: domus itaque Carthuſiæ vix pro ſu-
» ſtentatione prioris & conventus ſuſtentatio-
» nem habet; quid ergo abbas faciet? Deinde
» ſi quotidie in refectorio contingat nobis pa-
» riter comedere; quid tunc erit de ſobrietate
» & abſtinentia a ſanctis patribus noſtris tam
» feliciter introducta, quæ, ut timendum eſt,
» ſuccedente tempore valde declinabit? Et rur-
» ſum, ſi quotidie, ut vultis, divina in eccleſia
» conventualiter ſimul perſolvere debemus,
» devotio modica veriſimiliter erit; quin po-
» tius magna inde ſequetur mentis diſtractio,
» currere ſic de eccleſia ad cellam, & de cella
» ad eccleſiam. Et iterum de eſu carnium, qui
» eſt unus caſus ordinis ſatis gravis; quem qui
» tranſgreditur gravem ordinis diſciplinam in-
» currit. Si denique, ut vultis, infirmis & de-
» bilibus in ordine quaſi pro pietate & miſe-
» ricordia carnes ad comedendum in neceſſi-
» tatis articulo debeatur miniſtrari; numquid
» ex hoc abuſio viſibiliter ſequetur non modi-
» ca? quin immo tam gravis tentatio, eo quod
» abſque dubio ipſi ſani nonnumquam tentati
» de eſu carnium, ſuggerente maligno, infir-
» mos ſe eſſe ſimulantes languebunt: & ſic pau-
» latim diſpenſatio vertetur in diſſipationem.
» Quibus auditis papa mirabatur de tanta or-
» dinis ſimplicitate; & quaſi ſubridendo dixit:
» Dimittamus eos propter Deum in pace & in
» ſimplicitate ſua, ex quo nolunt quod eis ob-
» latum eſt gratanter accipere.

De carnibus.

Vide Petrum Saxonem lib. 2. vitæ Carth. pag. 182. mutatæ vero cap. 2. tract. 3.

Et quia hic agitur in præcedentibus de eſu carnium, ut legentibus ſit cauſa exempli, notandum quod cum S. Hugo doctos viros ad ordinem recepiſſet, eorum quidam revertentes ad ſæculum, defendendo ſe, priori ſuo objecerunt rigorem ordinis indiſcretum: de quo tamen compuncti tandem, quia iterum admiſſi non ſunt, plus in duritiam exarſerunt, & ſuam quaſi excuſantes inconſtantiam, jaculabant hoc capitulum circa finem decreti: Carnem cuiquam monacho nec guſtandi nec ſumendi eſt conceſſa licentia; Carthuſienſes violare ſeu non ſervare quantum ad clauſulam illam ſequentem: ſervato tamen moderamine pietatis circa ægrotos; ex quo ipſi ſimpliciter propter Deum a carnibus abſtinent, ut ſic carnem doment, ſpem roborent, & Domino ſuo caſtum corpus offerant: ſcientes quod ſi delicatius indulgetur ventri, oporteat etiam & Veneri; prout hoc heu! in dolore omnis ſtatus experitur A eccleſiæ. Occaſione illorum, & quia rex & regina circa illud tempus juxta Pariſius duplicem pro eis fecere conventum, aliquibus invidentibus, diſputabatur Pariſius in ſcholis, utrum Carthuſienſes eſſent de ſalvandis, qui in infirmitatibus non utuntur carnibus. Prædixerat enim S. Bernardus in epiſtola ad fratres de Monte-Dei, Carthuſienſes ſemper laudatores habere debere & vituperatores. Ea itaque tempeſtate vixit Arnoldus de Villa-nova, præcipuus ille medicus, qui tractatum pulcherrimum fecit pro Carthuſienſibus quod bene ſtarent, per hunc medicis ſuis ſatisfaciens & artiſtis. Quem & ille honorandus doctor Johannes Andreæ allegans in Novella, ut pro eis theologis ſatisfaceret legiſtiſque ſuis & canoniſtis ſuper capitulum, conſilium de jejuniis ſic concludit: hunc autem librum ſic ſummavi, quia etiam nunc quamplures ſtatus nobilis amicis meis Carthuſienſibus, apud quos eſt vera religio, detrahere conantur. In hoc factus amicus ordinis doctor venerandus, ita ad eos affectus in Chriſto, quod novam domum ordinis fieri procuravit juxta Bononiam maxime de ſuo proprio patrimonio. Sibi enim a JOHANNE papa vigeſimo ſecundo in Avinionem vocato pro conſilio, Carthuſienſes ſua ſtatuta dudum ab eccleſia confirmata præſentaverunt, propter Deum examinanda contra calumniatores: quibus perlectis reſpondit, numquam ſe audiviſſe vitam cum tanta diſtrictione, ſobrietate, humilitate & caritate inſtitutam. Hoc igitur ad curiam Romanam, quæ olim vitam eorum confirmaverat delato, & ſuper eo hinc inde diſputato, ſententia majorum & potiorum concluſum fuit doctorum ipſis Carthuſienſibus per arctam viam incedentibus, ſecurius eſſe & ſalubrius ſimpliciter carere carnibus; quam quotidie deſiderando nunc has nunc illas titillare tentationes non ſine periculo, ſicut experitur heu! nimis in aliis religionibus: & hoc præcipue quia longo tempore hactenus ab eis abſtinendo ſaniores inventi ſunt & longæviores, ſicut & olim homines ab Adam uſque ad Noë eas non comedentes. Et ſic ſupplendum eſſet clauſulæ illi eis oppoſitæ ut ſupra: ſervato tamen moderamine, &c. niſi forte ſponte pro Chriſto ægroti aliqui eis eligerent carere. Hæc Henricus Calcar.

Carnes mutatæ in piſces.

Carentiam etiam hanc carnium ſanctam ab eccleſia approbatam Dominus dignatus eſt pulcherrimo poſt hoc declarare miraculo. Quodam enim carniſprivio hactenus quidam reverendi viri clerici cauſa devotionis domum Carthuſiæ viſitantes, petierunt a domno Carthuſiæ licentiam viſitandi fratres per cellas; & accidit ut viſitantes fratres invenirent quoſdam debiles, ſenes ac infirmos: unde cum multa inſtantia apud domnum Carthuſiæ ſupplicando ſatagebant, quatenus amore Dei & eorum gratia ipſis infir-

mis ſaltem, etſi non omnibus carnes liceret miniſtrare illo ſaltem die, quo univerſus mundus carnibus utitur. Domnus Carthuſiæ hæc audiens, quaſi nefas reputans, omnino contradixit. At illi videntes ſe nihil precibus proficere, inſtabant apud domnum Carthuſiæ, quod ſaltem eis ibi liceat uti carnibus, quia omnino eis carere illo die nolebant: hoc autem ad hunc finem fecerunt, ut cum carnes haberentur, facilius poſſent patrem pro miniſtrandis infirmis inducere. Quorum precibus & inſtantia pater Carthuſiæ tandem convictus, licet invite valde, propter ordinis obſervantiam, conſenſit. Miſſi tandem famuli eorum cum converſo Carthuſiæ domus ad proximiorem villam pro carnibus emendis, qui non parcentes pecuniæ, delicatiores quas invenerunt pro tantis dominis ſuis emerunt. Quid plura? Reverſi ad domum, & aperientes marſupia ſua, qui carnes delicatas putaverunt ſe attuliſſe, pro carnibus piſces notabiles diverſi generis reperunt. Domini eorum invaſerunt eos injuriis multis & verbis, quaſi falſe in hoc egerint & ficte. Ipſe etiam converſus cum aliis nuntiis aſtricti valde mediante juramento affirmaverunt ſe veraciter carnes emiſſe & non piſces. Sed non crediderunt domini eorum dictis ipſorum, donec ad carnifices de novo nuntios mitterent pro veritate experienda: qui cum juramento affirmaverunt ſe famulis eorum veras carnes vendidiſſe. Quibus auditis, domnus Carthuſiæ exhilaratus ſpiritu de dono Dei: Ecce, inquit, domini mei venerandi, videtis nunc ſub oculis, quod Dominus non vult nos uti carnibus. Et ſic piſces qui valde ſapidi fuerunt adminiſtrati ſunt conventui: quibus viſis & auditis, domni ipſi cum familia ſua multum ædificati in hoc facto, cum gaudio ſunt reverſi ad propria. Fertur quoque quod quotquot illis piſcibus veſcebantur infirmi, ſanati ſunt & confortati.

Præterea invidentes eis ſolent allegare, quod circa civitates habitantes panem Chriſti fidelium comedunt, otio vacantes, quia nec prædicant, nec confeſſiones audiunt, nec ſe aliter ad proximum exercent; ſed ſibi ipſis tantum in quiete vivunt. Quorum invidentium cuidam hoc uni priori novam domum recipienti ſatis auſtere improperanti prior idem humiliter reſpondit: Dilecte pater, nos venimus hoc vivere quod vos ſoletis prædicare; & hoc libentius faceremus in ſilvis & eremis, ſi quis nos defenderet a raptoribus & maleficis. Neque enim ſolum qui verbo fratrem ſuum erudit, ſed etiam qui exemplo ad meliora convertit, miniſterium gerit doctoris, dicit Beda. Qui humili illo verbo in conſcientia percuſſus, ſemper eorum poſtea fuit amicus: animadvertit enim tunc quod ipſi vitam prædicant non fabulis vel verbis, quod leve eſt & bonis & malis; ſed quod ipſi ſunt, qui pro teſtimonio futuri judicii crucem ſuam portant quotidie cum S. Luca in ſuo corpore, fidem Chriſti bullantes proprio ſanguine: quod plus animat ad fidem & ad bonam vitam proximum, quam multa millia verborum. Ceſſante igitur omni murmure contra ſanctum ordinem, prorupit repente pervolando quaſi fons ille hortorum deliciarum paradiſi Dei, ordo Carthuſienſium, puteus aquarum viventium in omnem Europæ circa regionem. Ipſe enim Johannes vigeſimus ſecundus papa domum ordinavit Bonipaſſus ſuper Durentiam prope Avenionem. Innocentius etiam poſtea fecit glorioſam domum, in qua & ſepultus eſt ex oppoſito Avenionis ultra Rhodanum. Habent etiam decem domos monialium, quarum propinquior nobis & ultima eſt prope Brugas in Flandria, nolentes plures recipere, quia grave eſt feminis talem vitam ducere. Rex etiam Angliæ fecit domum dictam Witham, quam rexit longo tempore S. Hugo poſtea Lincolnienſis epiſcopus: & poſt mortem S. Thomæ Cantuarienſis epiſcopi a papa tunc injunctum eſt præter alia tres domos per regem Angliæ ordinis Carthuſienſium fieri debere in Anglia pro pœnitentia; occaſione cujus jam in Anglia octo ſunt domus. Hæc ille.

De incendio Carthuſiæ.

Anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo vel circa idem tempus contigit flebile valde in domo Carthuſiæ. Fratribus enim quieſcentibus æſtivo tempore in dormitione meridiana, incendium inopinate a parte coquinæ veniens, totam domum Carthuſiæ ſuperiorem cum eccleſia, clauſtro, cellis ac aliis officinis, quidquid igne conſumi poterat unica vorax flamma conſumſit. Sicque cuncti quaſi deſperati omnem ſollicitudinem ſuam & curam dumtaxat pro libris eripiendis apponebant, ſi quos tamen eripere potuiſſent, ceteris Deo & populo inſtanti commiſſis. Domnus Carthuſiæ nullum videns remedium, valido clamore inceſſanter clamabat: Ad libros, fratres, ad libros. Plures tamen libri abſque hæſitatione ulla hinc inde in cellis igne conſumti ſunt. Propter quod fratres, ſcilicet conventus domus Carthuſiæ ad domum inferiorem deſcendentes, ſcilicet converſorum, inibi divinum officium, prout poterant, Deo perſolventes, in magna victus & veſtitus locique penuria longo poſt tempore neceſſitate cogente, cum converſis degebant. Quamobrem anguſtiatus nimis pius pater domnus Carthuſiæ inter cetera, ut fertur, miſit ad quamdam ſanctimonialem recluſam magni nominis quoſdam priores ordinis, ſciſcitans ab ea, cur tantum in ordine ſancto piaculum contigerit, ut mater ordinis ſic deleretur. Quæ ad ſe miſſis illico reſpondit verbum bonum, verbum utique conſolatorium: Non pro domus aut per-

Iterum anno Domini 1420. domus Carthuſiæ combuſta eſt.

ſonarum domus aut ordinis culpa id conſtat eveniſſe, ſed ſola maligni hoſtis invidia inſtigante, qui domum ipſam potiſſime propter ſacræ religionis obſervantiam delere conatur; hoc quoque inter cetera adjiciens: quod domus ipſa abſque ulla hæſitatione in futurum ſolemniore ſtatu quam umquam hactenus fuerat, Deo cooperante, eſſet reparanda. Quod eqùidem in præſentiarum ad oculum cerni poteſt: nam & ipſe ſummus pontifex dominus GREGORIUS hujus nominis undecimus, qui & ipſe inibi, ſi circa Avinionem viam univerſæ carnis exſolviſſet, ut fertur, ſepeliri propoſuit, audita dictæ domus tam flebili deſolatione, pro celeri ejus reparatione magnam ſummam florenorum cito tranſmiſit. Sic & fecerunt etiam domini cardinales, prout ſibi a Deo inſpirabatur: idipſum fecerunt reges Franciæ, Angliæ, & Navarræ cum ceteris principibus & magnatibus ubique locorum; epiſcopi quoque ipſi atque eccleſiarum prælati, parvi cum magnis; inſuper quoque & cives & civitates, ſimul in unum pauperes & divites, una cum domibus ordinis, audita dictæ domus tam lugubri plaga, largius eleemoſynas ſuas pro ejuſdem eccleſiæ reparatione tranſmiſerunt. Sed & domnus Carthuſiæ quoſdam de ſuis monachis ad regiones diverſas cum litteris deprecatoriis principibus atque prælatis, eccleſiis quoque & capitulis per Franciam, Alemanniam, Lombardiam, Angliam & Galliam pro dictæ domus ſuæ ſubſidio tranſmiſit. Et ſic, Deo propitio, non in vacuum laboraverunt, ſed magnam florenorum ſummam colligentes cum gaudio ſuſcepti. Itaque Deo pie providente ac miſerante, præfatæ recluſæ prophetia ad oculum plene jam cernitur adimpleta. Nam ſæpedictæ domus ædificia, cum eccleſia & aliis officinis & clauſtris, ſumptuoſa valde atque ſolemniter conſtant cum teſtudinibus lapideis, muriſque & tegulis lapideis reparata; ita ut Deo dante jam potius de dictæ domus reparatione ſine comparatione magis gaudeant, quam qui de ejus antea deſolatione videntes dolebant. Hæc eſt enim ſecunda per incendium domus Carthuſiæ deſtructio: nam tempore piæ memoriæ domni Aymonis quondam prioris Carthuſiæ, qui fuit decimus ſextus in ſucceſſione prior, domus præfata incendio ex toto periit circa annum Domini milleſimum trecenteſimum vigeſimum; ſed poſtea, Deo miſerante, iterum reædificata fuit, & in melius quam ante reparata.

De ſchiſmate.

Tempore quoque præfati domni GUILHELMI prioris, ſcilicet anno Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octavo, ordine Carthuſienſium in quiete & ſumma reverentia, Dei providentia, perſiſtente; contigit in eccleſia Dei ſancta, permiſſu divino, inter triticum ſeminante maligno zizania, ut aſſolet, & quaſi irremediabiliter & damnabiliter pullulante, videlicet illud deteſtandum ac nimis flebile ſchiſma poſt obitum felicis recordationis domni Gregorii papæ undecimi. Celebrata denique Romæ per dominos cardinales pro novo papa electione, creatus fuit in pontificem dominus URBANUS hujus nominis ſextus. Dehinc, neſcitur quo Dei judicio, ſine cujus nutu nec ab arbore folium cadit, parvo ſpatio poſt hanc electionem celebratam elapſo, ſchiſma contigit inter cardinales: nam una pars Romæ remanſit cum electo ſuo, altera vero receſſit novum creando papam, & conveniunt in unum CLEMENTEM curiam ſuam tenentes in Avinione. Accidit autem eodem ſecundæ electionis die, vel ſaltem eo tempore, duos fratres de ordine Prædicatorum ad domum Carthuſiæ a caſu devenire: conferentibus eiſdem cum domno Carthuſiæ forte de ſtatu eccleſiæ, unus eorum petiit ſibi afferri Apocalypſis librum; quo allato revolvit per folia: cum autem veniſſet ad locum ſcripturæ, *quaſi per prophetiam*: Ecce, inquit, hæc prophetia hodie in eccleſia Dei impleta eſt. Et ſic eccleſia claudicabat & nutabat ex utraque parte; ſicque ordo permanſit per biennium nec uni nec alteri parti adhærendo. Et tandem anno Domini milleſimo trecenteſimo octogeſimo, collecto in domo Carthuſiæ more ſolito capitulo generali, miſſa fuit ex parte URBANI papæ per priorem ordinis legatio pro ſibi adhærendo tamquam Chriſti vicario. Miſſi fuerunt & ex parte domini CLEMENTIS ſecundi electi ſolemnes ambaſſiatores, quia prope ſatis eſt Carthuſia Avinioni, pro ſui adhæſione tamquam Chriſti vicario. Et ſic tandem audita utriuſque partis allegatione, prahabitaque aliquali deliberatione, domnus Carthuſiæ magis inclinando ſe parti ſecundi electi, quia. Gebennenſis erat; quippe qui reſiſtere non valebat aut certe verebatur majeſtati papali, dominioque terreno ſe opponere, ſic nec diœceſano epiſcopo, ſcilicet Gratianopolitano; deliberavit finaliter pro ſe ſibique adhærentibus ſtare cum ſecundo electo. Quod audientes quamplures priores, qui de diverſis mundi partibus ad capitulum convenerant, dolorem cordis ſui intimum diſſimulantes, celerius a domo Carthuſiæ receſſerunt. Legato autem domini papæ Urbani inſidiæ factæ ſunt, quas domnus Carthuſiæ compeſcuit, procurans ſibi ſalvum conductum, donec extra fines Sabaudiæ perveniret. Non diu poſt hæc domnus Carthuſiæ metuens ſibi quod futurum erat, miſit mandatum ſub pœna obedientiæ in ſcriptis ad domos ordinis per Alemanniam, Picardiam & Flandriam, quatenus quilibet ſibi & capitulo generali tamquam ſuperiori ſuo obedire deberet. E contra venit & mandatum ex parte Urbani

papæ ad priores & domos ordinis auctoritate apoſtolica de ſibi adhærendo tamquam Romanæ eccleſiæ & vero Chriſti vicario; & non ſolum ad domos ordinis, verum etiam ad archiepiſcopos & ad ſingulos etiam epiſcopos atque eccleſiarum prælatos, necnon & ad principes Romanæ eccleſiæ ſubjectos. Quare priores & conventus domorum ex omni parte coarctati, diffinierunt pro ſecuritate, pendente ſchiſmate, ſtare ſimpliciter unuſquiſque cum ſuo diœceſano & eccleſia cathedrali; ſicut domnus Carthuſiæ in facto ſuo eis exemplificavit pro domo ſua. Super iis omnibus ex parte domini papæ Urbani capitulum noſtrum generale ad Paſcha tunc futurum in alma urbe Roma ad S. Crucem, quæ eſt nunc ordinis noſtri, celebrari inſtitutum eſt. Cui capitulo generali plures priores Alemanniæ & aliarum regionum Romanæ eccleſiæ ſubjectarum interfuerunt, & ad præſentiam papæ ſinguli acceſſerunt; ibique definitum fuerat de novo quid in hunc eventum agendum erat. Dehinc proh dolor! fiebant excommunicationes, dignitatum privationes, ſuſpenſiones ex utraque parte; una pars alteram vitabat, neque communicare poterat unus cum alio propter vim præceptorum. Unum tamen erat notabile ſatis, quod ii qui erant ex parte domni majoris Carthuſiæ, ſtantibus iis malis, magis vexabant eos qui erant ex parte obedientiæ Romanæ eccleſiæ ad obedientiam eorum & ad communicandum cum ipſis: econtra vero qui erant de obedientia Romanæ eccleſiæ magis, immo potiſſime vitaverunt ex alia parte. Stantibus autem iis malis, qui erant ex parte Urbani papæ elegerunt ſibi unum generalem, qui loco prioris Carthuſiæ vices ſuas ageret in domo ſancti Johannis in *Zeytz*, in illaque domo reſidentiam haberet pro domo Carthuſiæ. Heu quantæ tunc in eccleſia Dei per orbem ex utraque parte in detrimentum eccleſiæ fiebant deſolationes & abuſiones! prælati & preſbyteri, viri clerici & idonei de dignitatibus ejiciebantur, beneficiis eccleſiaſticis privabantur, & indigni & idiotæ intrudebantur; populus quaſi quodammodo judaizare incipiebat ſub bicipite, & alia infinita mala quæ iis malis pendentibus, peccatis noſtris exigentibus evenerunt, longum nimis eſſet ſcribere. Pontifices de novo per ſucceſſiones creabantur ex utraque parte, ſic etiam & cardinales. Præterea & priores Carthuſiæ, tam in domo Carthuſiæ, quam in domo de *Zeitz* ſucceſſores habuerunt. Stante adhuc ſchiſmate præfatus venerabilis pater domnus GUILLELMUS prior Carthuſiæ terminum faciens hujus temporalis vitæ, viamque exſolvens univerſæ carnis, poſt multos labores deficiens in ſenectute bona mortuus eſt, ac in domo Carthuſiæ ſepultus anno Domini milleſimo quadringenteſimo tertio in Junio.

De vigeſimo quinto priore.

Cui ſucceſſit in regimine domus Carthuſiæ venerabilis domnus BONIFACIUS, domus Carthuſiæ monachus, vir litteratus. Qui præfatæ domui & ordini ſollicite ſatis præfuit, donec ex utraque parte, ſcilicet obedientiæ, convenientibus in unum in domo Carthuſiæ prioribus, poſt unionem ſanctæ eccleſiæ, Deo tandem miſerante, capitulum generale celebratum eſt. Sicque fluctuante jam diu deſolata matre eccleſia tam in capitibus quam in membris quaſi per ſpatium triginta annorum, tunica Domini inconſutili quaſi ſpiritualiter diſſipata; tandem miſerante miſericordiarum patre noſtri, cujus miſerationes ſuper omnia opera ejus, ipſi domini cardinales, relicto utroque papante, dolentes ſuper tamdiu, heu! Petri navicula fluctuante, jamque periclitante ſub bicipite, convenerunt ex utraque parte in unum in civitate Piſis in Italia, ibique convocato cum matura deliberatione univerſalis eccleſiæ concilio ſolemni anno Domini milleſimo quadringenteſimo nono, ut de remedio jam quaſi periclitantis ſanctæ matris eccleſiæ ſalubri pariter tractarent, denique invocato divino auxilio multis piis precibus & obſecrationibus a fidelibus præmiſſis pro divina miſeratione impetranda, domini cardinales intrantes conclave, creatus fuit uniformiter pro univerſali ſummo pontifice dominus ALEXANDER papa, natione Græcus, cui poſt non multum tempus ſucceſſit in papatu JOHANNES vigeſimus tertius.

De unione ordinis.

Anno Domini milleſimo quadringenteſimo nono convenientibus ex omni regione in unum ad domum Carthuſiæ pro capitulo generali more ſolito celebrando prioribus, paceque eccleſiæ utcumque Deo miſerante reddita, de nova prioris Carthuſiæ electione facienda ttactabatur. Nam BONIFACIUS tunc prior Carthuſiæ a domo abſens, cupiens ut apparebat celerius ad unionem ſanctum ordinem poſſe venire, ſua ſponte per nuntium fidelem necnon per litteras in pleno capitulo renuntiavit prioratui domus Carthuſiæ abſolute. Similiter & ipſe venerabilis pater domnus STEPHANUS Deo dilectus & hominibus, pro parte Romanæ eccleſiæ prioratum tenens in domo de *Zeitz*, generalis ordinis ibidem perſonaliter præſens, cum ſumma humilitate ſua ſponte pro ordinis optata unione, ad terram ſe proſternens renuntiavit prioratui domus de *Zeitz* tamquam prioratui Carthuſiæ. Qui venerabilis pater plurima, immo quaſi fere omnia dicta illius ſanctæ mulieris Catherinæ de Senis, ipſa dictante, compilavit, quia ſibi ſemper ſecretarius fuit. Sicque demum capitulum generale, præhabita deliberatione, invocato divino auxilio, nonobſtante

De domo vallis S. Johannis Baptiſtæ de Soyt in Zeyſſ.

nonobſtante quod ad conventum domus Carthuſiæ prioris electio dictæ domus hactenus ſpectet, novam electionem celebravit, facta tamen prius cautione conventui pro futuris per capitulum. Et ſic anno præmiſſo ſedente capitulo generali, uniformiter per capitulum, præſente conventu Carthuſiæ, electus fuit in priorem Carthuſiæ venerabilis ac pius pater domnus JOHANNES DE FRISEMONT, prior & monachus domus Pariſienſis ibidem præſens, plurimumque renitens; qui, ut dicitur, quamplurimam pro ordinis unione zelando laboravit. Nam ſicut Phinees zelando zelum Domini in pontificatus honore meruit ſublimari; ſic hic pius pater zelando ſanctum ordinem & ejus unionem caput eſſe meruit, Deo providente, ipſius ordinis. Quod & uſque in finem ad ſalutem ſuam & totius ordinis profectum perficere dignetur divina providentia, dirigendo ſanctum ordinem in manibus ejus cum pace & tranquillitate cunctis optatâ; ut cum apparuerit Paſtor paſtorum, de talento pariter & grege ſibi commiſſo dignam valeat Domino reddere bonæ villicationis & diſpenſationis rationem. (a)

Obiit anno 1420. vel circiter.

[a] Habent ſæpe Carthuſienſes conſolationes & præoſtenſiones ſpirituales & alia ſigna ſolatioſa, quæ latere magis volunt quam pandere, de quibus domnus Henricus Calcar ſcribit ſic. Cuidam priori ordinis eorum in oratione conſiſtenti & eccleſiæ de paucitate prædicantium condolenti contra errores Albigenſium, quia papa compulſus fuit mittere contra eos abbates Ciſtercienſes, cum non haberet alios: revelavit Deus aperte venturos eſſe breviter quatuor ordines prædicantium loco quatuor evangeliſtarum, dicens ei: Fili, eſto bono animo, quia mihi breviter de prædicantibus providebo. Quod confidenter prædictus prior fratribus ſuis retulit & aliis Chriſtianis: & ecce non diu poſt venit DOMINICUS canonicus regularis ad Carthuſiam, recipiens a priore conſilium de prædicando contra hæreticos, pariter & quaſi habitum ſine clauſura, ſcilicet vittarum; qui tamen habitus poſt hoc per beatam Virginem cuidam eorum eſt oſtenſus, & tandem aliqualiter commutatus. Venerunt igitur Prædicatores, venerunt & Minores, a Deo ſicut illi priori præoſtenſi: quibus & poſt Auguſtinenſes prædicantes, & Carmelitæ ſunt adjuncti; qui interim magnum fecerunt fructum animarum in eccleſia.

Exemplum.

Cuidam novitio canonico eccleſiæ majoris Gratianopolitanæ, ſedenti in muro Carthuſiæ ante matutinas pro recedendo, apparuit magiſter ſuus noviter defunctus, clara luce dicens: Fili mi, revertere, & hæres eris æternæ gloriæ. Qui reverſus manſit, & feliciter conſummavit.

Exemplum.

Alteri etiam novitio ibidem tranſeunti noctis tempore prope ſepulchrum magiſtri ſui defuncti, idem de ſepulchro clamavit alta voce: Fili mi, noli recedere, alioquin filius eris gehennæ; qui ſimiliter permanſit, & ſancte vixit.

Exemplum.

Sæpe primas miſſas vel alias celebraturi a ſacriſta ad hoc eos vocante, in magna luce ſedere ſunt reperti, & aliquando cum hoc ſuper terram elevati.

Exemplum.

Domnus ELIZIARIUS olim prior Carthuſiæ, ſemel cum ſacriſtam ſuum pulſare tardantem vocare vellet de cella, ipſum elevatum reperit de terra, & in luce magna.

Exemplum.

Idem pater cum cuidam novitio ſuo ex humilitate ſerviret ad miſſam, audivit eumdem in canone clamantem: Plane, plane. Qui ob hoc interrogatus ab eodem, reſpondit, ita angelos circa Sacramentum tumultuaſſe, quod ex hoc ſibi operis ſui timuit periculum imminere.

Exemplum.

Cuidam novitio de portando cappam tædium habenti, & in meridiana dormienti, apparuit Dominus portans crucem magnam ſatis laborioſe aſcendendo ſcalam. Item inferiorem crucem manibus tenuit & brachiis, ſuperiorem vero ſcapulis; cui cum novitius diceret: Domine, adjuvem te, reſpondit ipſe: Quomodo pro me portares talem crucem, qui renuis portare cappam? Ille evigilans compunctus, fuit abhinc ad omnia promtus. In memoriam illius crucis adhuc ibi & alibi tales ſolent cruces depingi.

Exemplum.

In loco eodem dum quidam monachus tardans dormire, reſpiceret ſuperius de feneſtra ad aërem, audivit vocem non ab homine: Tempus eſt dormiendi, monache.

Exemplum.

Preſbyter quidam celebrans Maguntiæ in eccleſia majori, communionis tempore, ſcilicet poſt *Agnus Dei*, audivit vocem dicentem ſibi: Intra ad Carthuſiam, quia ab hodie annis duobus tranſactis morieris. Obedivit ille citius, & quod prædictum eſt evenit certius. Vixit interim in ordine ita ſancte, quod ex hoc bonus dicebatur Ludovicus; & ſanitatem obtinuit cruris antea debilis.

(a) Hic explicit Chronicon Carthuſienſe, quæ ſequuntur excerpta ſunt ex ſcriptis Henrici *Kalkar*.

Exemplum.

Raptores quidam animalia cujuſdam domus Carthuſienſium pro rapina abduxerunt omnia: quibus in valle quadam pauſantibus, veniente quoque converſo inopinate ſuper eos & clamante: Sancta Maria, ſancta Maria, hic ſunt, hic ſunt; ſtatim eruperunt de ſylva beſtiæ non prius viſæ. Quæ omnes cum equis dilaniaverunt membratim, nec comederunt, ſed quaſi peracto negotio ſibi commiſſo, citius abierunt: quo miro viſo, frater reduxit prædam ex integro, dolens ex eorum miſerabili exitio.

De conſolationibus eorum.

Conſolationes etiam ſæpe habent ſalutares a Domino, & hoc pro ſpirituali ſtipendio. Non enim poteſt homo ex natura inclinatus ad ſæcularia, vivere in tanta caſtitate, parcitate & ſolitúdine ſine divina ad hoc ſpeciali gratia & conſolatione: unde ſomnia habere ſolent gratioſa, & aliquibus vix eſt aliquod notabile futurum, quod non prius prævideant per ſomnium. Viſiones etiam habent devotiſſimas, nimirum quia vigilantes ſola habent tractare animæ ſaluturia. In pſalmodiis occurrunt eis expoſitiones ſuper hominem plenæ myſteriis. Lectiones ſunt ipſis animarum refectiones. Miſſæ ſunt eis valde ſapidæ, quas communiter frequentant pro aliis & pro ſe, libere tamen & ſine coactione.

De tentationibus eorum.

Econtra ne magnitudo talium extollat eos, moleſtat eos ſæpe angelus ſathanæ tentationibus & perſecutionibus ſatis importune, & ſpecialiter novitios tamquam noviter de ſua potentia erutos, lapidibus quaſi jaculans poſt eos. Unde quoſdam vexat perfidia, alios blaſphemia, deſperatione etiam & præſumtione; nunc ſcrupuloſitate, nunc judiciis falſis, ſuſpicionibus, etiam & antiquis factis, ſeu peccatis. Aufert etiam quandoque appetitum comedendi, quandoque dormiendi tempus debitum impedit; & ſi quandoque dormire permiſerit, vel pulſu excitat turbido, vel ſomnolentum facit in choro. Communiter autem eis ſub devotionis pallio ſuadet eis plus facere quam velit ordo. Vigilare ſcilicet extra tempus debitum, abſtinere pluſquam oportet, in pane & aqua vel aliter jejunare, vel diſciplinare; & ſimilia tenebrarum ſuarum opera illicite facere: propter hoc & multi ab olim in illis primo ſunt periclitati: cui periculo ut ſuccurratur, ordo ſemper deputat eis magiſtrum, unum ſcilicet ſeniorum, qui novit iras dæmonum; quem qui non audiunt, ſed ſuaſu diaboli ſingulariter vivunt, aut exeunt, aut raro proficiunt. Omnia enim prædicta diaboli machinamenta ſunt ad hoc, vel ut ad ſæculum redeant, vel ſibiipſis vel ordini inutiles fiant.

Exemplum.

Pariſius quidam clericus de Flandria cantor optimus, dum examinandus eſſet pro intrando ordine, nullatenus cantare potuit quouſque conſilio prioris in eccleſia precem fecit. Hic diabolum ſæpe vidit ſimilem Æthiopi in novitiatu ſic ſibi loquentem: Recede miſer, non manebis Carthuſienſis, quia meus fuiſti ſæcularis. Parentes tui expectant te, volentes magnum Dominum facere. Quem ille non curans nec timens, manſit in ordine.

Aliud exemplum.

Novitius quidam in Carthuſia recens juvenis, dum aliquando phantaſiaretur de carnibus; ecce diabolus ut quidam juvenculus portabat ſcutellam carnium optime præparatam dicens: Comede, comede, quia optime ſunt præparatæ & ſapidæ. Iſte ſentiens diabolum adeſſe in tali re dixit: Expecta pauliſper & revertar. Adiens igitur priorem & rem ſibi referens, audivit ab eodem: Comede de licentia mei in nomine Dei. Reverſus ille, dum diabolo dixit: Licentiam habeo; ſtatim evanuit.

Exemplum.

Similiter diabolus in forma pulcherrimæ mulieris cuidam Carthuſienſi coxit pulmentum de piſis; quod de licentia prioris comedens, ita ſenſit ſapidum, quod in veritate affirmabat numquam ſe comediſſe nec in ſæculo, nec in clauſtro, cibum tam artificialiter & bene præparatum.

Exemplum.

Novitii cujuſdam ſoror nubilis venit ad portam clauſtri flens, & ejulans pro eo quod ipſam deſolatam reliquerit in ſæculo. Conſulit prior quod ipſam non videat, ne forte ab ea flexus recedat. Ille econtra ſtulte præſumens de fortitudine eam adiit, & ſtatim miſer cum ea receſſit. Pergentibus ipſis inſimul, & non longe a clauſtro, & nemuſculum quoddam ingredientibus, vident ruſtici arantes & paſtores beſtiam de ſylvis venire rabidam prius non viſam; quæ mora in nemuſculo facta modica, ad locum recte rediit unde venit. Mirantes illi quid fecerit beſtia, currunt ad nemuſculum; & ecce invenerunt membra eorum tantum dilaniata & hinc inde diſperſa: quod cum nuntiaſſent fratribus in clauſtro, plangebant miſerabile eorum exitium, mirantes Dei horrendum judicium.

Exemplum.

Honeſto cuidam viro novitio tot accreverunt vermiculi ſub novitiatus ſui finem, quod ob hoc exire propoſuit ordinem; qui cum tandem depoſita verecundia, conſu-

luiſſet priorem, audivit ſibi reſpondentem: Fili, cum profeſſus fueris, liber ab eis eris. Mira res! Confidenter profitetur, & ſtatim nec unus quidem habetur, & aperte eſt comperta ſathanæ fallacia.

De Caulitis.

Exemplum.

Provectos etiam uſque ad mortem multis perſequitur modis; de quibus hoc eſt unum, ex quo tamen primo venit bonum. Cum enim quemdam Carthuſienſem provectum patrem præcipitaſſet in fugam; invenerunt eum quidam nobiles in Francia dicti de *Montcorne* in ſyiva quaſi deſolatum. Qui interrogatus, reſpondit ſe de clauſtro fugiſſe propter nimium rigorem vitæ; adjecitque quod ſi tempore abſtinentiæ panis & aquæ caules habuiſſet, bene contentus manſiſſet. Miſerti illi pauperis, duxerunt eum ad ſua, aſſignantes eis locum pro fructibus & herbis valde fertilem, cui & ex hoc adhuc Caulium vocabulum eſt: unde & ipſi fratres poſtea Caulitæ ſunt vocati. Ibidem ergo facto clauſtro quodam, & a ſede apoſtolica, promotore Domino, approbato, adunati ſunt ſocii multum devoti; qui viventes quaſi ſint Carthuſienſes, per multos annos multum bene habuerunt ſe. Qualiter autem nunc habeant apparet clare in clauſtro de *Horne* ex oppoſito *Rurelmont*, quia dominium de *Horne* de ſanguine eorum de *Montcorne* deſcendit, quod conſtructum eſt ibi in honorem ſanctæ Elizabeth, ubi nunc jam ſunt canonici regulares de reformatione.

Sequitur. Vide nunc quanta bona de revelatione ſtatuum animarum poſt mortem evenerunt. Nam ſtatus Benedictinorum ſalubriter fuit reformatus per quoſdam poſt hoc regulam ſuam ſtrictiſſime obſervantes, qui, mutato nomine & habitu, dicti ſunt Cluniacenſes.

Exemplum.

Reverſus enim eſt quidam magnus inter eos nomine Euteritius poſt mortem dicens: Deo gratias. Sciatis, fratres, quia in his quadraginta annis unum tantum non memini diem me cibum ſumſiſſe niſi prius fleviſſem; hodie autem ſublato mœrore conſolatus eſt me Dominus, & inter choros angelorum tribuit mihi requietionis locum: hæc dicens, perpetue requievit in pace. Fratres igitur illi hoc ab homine longe vere mortuo audientes, timorati in Domino rigidiſſime vixerunt poſtea, & poſteri eorum aliquamdiu, ut in ſpeculo hiſtoriali. Poſt quos venerunt Grandimontenſes etiam ſtrictius ob hoc viventes. Quanta autem bona ſtatuum poſt illam & ex illa damnationis ſententia Pariſius audita evenerunt, patet quia converſus eſt Bruno cum ſociis, & ortus eſt ordo Carthuſienſium; & poſt modicum cœpit ordo Ciſtercienſium. Papa Urbanus audiens hoc factum Pariſius, territus venit in Galliam conſcientia ductus, ubi in multis reformavit eccleſiam, intimavit paſſagium pro terra ſancta, poſt hoc breviter glorioſe obtenta. Cujus poſt reliquias defenderunt Templarii aliquo tempore; quibus amotis locum illorum ſubierunt Johannitæ. Surrexerunt & milites Theutonici; venerunt & Wilhelmitæ tunc pœnitentes cum Wilhelmo illo comite, quem S. Bernardus convertit. Venerunt Prædicatores, Minores, Cruciferi, Auguſtinenſes, Carmelitæ, & ordo Trinitatis, & ordines Camaldulenſium, Calatravenſium, Vallis-umbroſæ, Humiliatorum, & militiæ S. Jacobi. Poſtmodum orti ſunt Cœleſtini, quibus Gregorius undecimus propter novitatem, fecit domum de pecuniis apud quemdam cardinalem ſibi ſanguine junctum defunctum adinventis. Rex etiam Franciæ Carolus ultimus fecit pro eis domum Pariſius: iſti licet novi, jam tamen multi declinaverunt a bona vita ipſorum. Poſtremo in Hungaria cœperunt Paulitæ ſeu Paulini, nobis propinquiores prope Pinguiam & Moguntiam inter montes, qui contra regulam ſuam mendicant, & aliter ſatis heu! declinanter ambulant: iſti hoc modo ſunt orti. Fugatis ab eccleſia & diſperſis ante papæ Johannis vigeſimi ſecundi tempora pauperibus de Lugduno & pſeudo-apoſtolis hæreticis, ſic quod habitum dimiſerunt; latent tamen heu! adhuc multi inter mechanicos præcipue, ſub veſtibus, ne cognoſcantur, communibus, quorum circa Moguntiam aliqui inventi fuerunt & combuſti. Fugatis igitur illis & occultatis, iterum laïci tempore Johannis papæ vigeſimi ſecundi fecerunt novam ſectam ſub habitu ſingulari, ſcilicet Fratricellorum ſeu fratrum de paupere vita; contra quos idem papa Johannes fecit conſtitutionem illam: *Sancta Romana atque &c.* Et hoc quia pro tunc nulla alia erat ſecta, quæ contra voluntatem eccleſiæ mendicabat, & tenuit conventicula, quia fratres de tertia regula S. Franciſci, non mendicando, vivebant de propriis laboribus. Rex igitur Hungariæ multos habens in regno ſuo tales pauperes in ſilvis hinc inde commorantes, & ad villas pro neceſſariis exeuntes; ut verus obedientiæ filius, noluit eos taliter vivere contra voluntatem eccleſiæ, nec etiam eos in periculum animarum ipſorum effugare: rogans ob hoc papam prædictum obnixe pro certa regula, qua tales ſtare poſſent canonice. Quam & libenter dedit, intitulans eos Paulo primo eremita; ſed omnino noluit mendicare. Quapropter & rex pius dedit eis vitæ neceſſaria & ædificia fecit competentia: ſicque in multis breviter profecerunt domibus, de quibus Turci jam aliquas heu! deſtruxerunt, interfectis lamentabiliter ſimiliter habitatoribus. Sic igitur illi ab ec-

cleſia confirmati ſunt, aliis ubique adhuc in ſua duritia perſiſtentibus, & ob hoc hactenus ſemper vexati ſunt ab inquiſitoribus. Omnes iſtæ religiones prænominatæ in principio ſui mira religioſitate floruerunt & devotione; & ob hoc ex Spiritu ſancto tamquam paradiſi voluptatis quos plantaverat Deus a principio, in quibus poſuit perſonas utriuſque ſexus. Quæ cum tandem, inſtigante diabolo, cum Adam & Eva guſtaſſent de ligno vetito, ſapientes quæ mundi ſunt & carnis, & non quæ ſunt Spiritus Dei, turpiter etiam de paradiſo ſunt ejecti, declinantes quotidie in obligationem diaboli, communiter cum operantibus iniquitatem heu! heu! ſeducti. Carthuſienſes vero caſu aliorum edocti, fugerunt ſemper a facie gladii Sathanæ, recluſionem ſui paradiſi tenentes firmiſſime, nec intromittentes etiam fatuam ad ſe; quippe qui munditiam carnis & cordis ſumme pro Chriſto ſervant. Habent etiam cuſtodes murorum, patres ſcilicet viſitatores, qui nec prælato parcent nec ſubdito delinquenti. Quin immo inſurgente zizania, ſtatim extirparent eam aut reprimerent, ut ſemen reſiduum fructum Deo reddere poſſet. In ſervitutem corpus ſuum redigendo, per medium quaſi ſpatium vitæ ſuæ jejunando; & quando bis reficiunt, pro cœna tantum fructus terræ & arborum recipiunt. Vigilant etiam pro Chriſto noctis tempore communiter ad minus horis quinque, offerentes pro tunc Deo aut nocturnale ſemper officium aut duodecim lectionum, tribus diebus ante Paſcha tantum exceptis, quibus novem lectiones tenent cum aliis clericis. Preces ſemper in ſingulis tenent horis canonicis, quas per medium quaſi annum ſolvunt cum veniis, hoc eſt in genibus, per reliquum vero profundis inclinationibus. Totam etiam bibliam ſingulis annis perſolvunt. Militant itaque Deo humiliter ſub priore patre vice Petri Chriſti vicario, providente eis feliciter de neceſſariis, quia proprium non habent, ex ſtatutis eorum certo numero quali & quanto miniſtrandis: contenti ſemper paucis cum frugalitate, malentes pro Chriſto pœnitentialiter egere, quam carnaliter ſuperhabere. Feriis ſecundis & quartis panem & vinum recipiunt, potagium quoque & fructus ſi adſunt: aliis diebus additur illis aliquid ex gratia. In hebdomada ſemel contenti ſunt in pane & aqua: ſegregatim ſoli habitant in cellis, ita tamen propinque, quod in neceſſitatis articulo alter alterum advocare poteſt pro ſubſidio. Diebus ferialibus ter, ſcilicet ad matutinas, ad miſſam, & ad veſperas in eccleſiam conveniunt, feſtivis diebus omnes cantant horas excepto completorio, quo ſe in cella benedicunt, & de beata Virgine ultimo & aqua benedicta, ne inquietentur a diabolo. Silentium ſemper tenent niſi de licentia; ſigna non habent: non reguntur ab uno homine, qui leviter poſſet rigorem ordinis immutare, ſed in capitulo eorum ordinantur novem diffinitores, qui ad omnia ſalvo rigore ipſo cum magna diſcretione reſpondent; qui viſitatores ſingulis deputantur provinciis. Benedictus ergo ſit ille qui illos benedixerit, & hic in gratia & alibi in gloria. Habent in anno quinque tempora ſibi minuendi. Hæc ex ſcriptis Henrici Calcar.

INSIGNIS MONASTERII SANCTI VICTORIS VETERA MONUMENTA NONNULLA.

Ex mſſ. codicibus ejuſdem monaſterii.

OBSERVATIO PRÆVIA.

DE Pariſienſi S. Victoris monaſterio, cujus nonnulla hic exhibemus vetera monumenta, magna cum laude loquitur Jacobus de Vitriaco in hiſtoria occidentalis capite 28. *ubi repræſentat illud* quaſi lucernam Domini ſupra candelabrum poſitam, quæ non ſolum propinquam civitatem ſed remotas circumquaque regiones & ad Dei cognitionem illuminat, & ad caritatem inflammat. *Unde mirum omnino videri non debet, quod quidam referunt ſcriptores, ſeptem ex eo prodiiſſe cardinales, archiepiſcopos duos, epiſcopos ſex, abbates diverſis in locis conſtitutos quinquaginta quatuor, primoque & altero fundationis ſæculo ſubjectas habuiſſe ſui ordinis triginta abbatias & prioratus cum octoginta præpoſituris. Fuit autem in prima ſui origine cella Nigrorum monachorum Maſſilienſis monaſterii S. Victoris, qui circa annum* MCVIII. *loco ceſſerunt canonicis regularibus congregationis S. Ruſi. Ex quo regio edicto adductus fuit ab Hugone Lotharienſi conventus. Huic ſtatim acceſſit ſocius & frater inſignis Univerſitatis Pariſienſis doctor & magiſter Guillelmus de Campellis, qui accepto ibidem canonicorum regularium habitu, ſcholam ſuam in Victorinas ades tranſtulit, nec multopoſt ipſe tranſlatus ad ſedem epiſcopalem eccleſiæ Catalaunenſis. Cum autem non minus ſanctitatis, ſcientiæ laude floreret nova congregatio Victorina, ampliſſimis eam latifundiis dotavit perilluſtris Francorum rex Ludovicus VI. Porro dolemus, dolentque nobiſcum omnes viri antiquitatis ſtudioſi, nullam celeberrimi monaſterii hactenus vulgatam hiſtoriam, quam donec quis aggrediatur nonnulla quæ ex ejuſdem cœnobii mſſ. collegimus, interim hic promimus monumenta, quibus etiam eccleſiaſtica hiſtoria poteſt illuſtrari.*

DIPLOMA LUDOVICI VI. regis Francorum, pro S. Victore.

Concedit eis facultatem eligendi abbatis, non requiſito regis aut cujuſvis alterius aſſenſu.

EGO Ludovicus Dei gratia Francorum rex, anteceſſorum noſtrorum exemplis informatus, & accuſante conſcientia, diem extremi examinis ante oculos reducens, ob remedium animæ noſtræ, pro ſalute etiam A Philippi patris noſtri regis & anteceſſorum noſtrorum, in eccleſia B. Victoris, quæ juxta Pariſiorum civitatem ſita eſt, conſultu quidem archiepiſcoporum & optimatum regni noſtri, canonicos regulariter viventes ordinari volui; qui videlicet tam pro nobis, quam pro ſalute regni noſtri Dei miſericordiam implorarent, & memoriam noſtri & anteceſſorum noſtrorum in ſuis orationibus haberent. Et ne cura temporalis neceſſitudinis fratrum ſpeciale propoſitum ad exteriorum

ſollicitudinem inclinaret, eamdem præfatam ecclesiam noſtræ largitatis beneficio dotavi & ditavi. Convenientibus vero in unum Catalauni archiepiſcopis, epiſcopis, comitibus, & ceteris regni noſtri optimatibus, communi aſſenſu definivimus, quatenus prædicti canonici de grege ſuo vel de alia eccleſia quem vellent ſibi abbatem eligerent: ita tamen quod in illa abbatis electione, nec regis aſſenſum quærerent, nec regis auctoritatem ullatenus expectarent, nulliuſque alterius perſonæ voluntatem vel laudem attenderent; ſed quem Deus eis concederet, inconſulto, ut diximus, rege vel qualibet alia perſona, canonice eligerent, & Pariſienſi epiſcopo irrefragabiliter conſecrandum offerent. Promulgavimus etiam in eodem conventu, villas, prædia & cetera beneficia, quæ ad uſum canonicorum præfatæ contulimus eccleſiæ. Et hæc omnia perpetuo jure, perpetua libertate eis habenda conceſſimus, nihil poteſtatis, nihil juris reſervantes nobis; ſed omnia quæ ad nos pertinere videbantur, eis omnino emancipantes. Signum RODULFI Remorum archiepiſcopi. Signum DAIMBERTI Senonenſis archiepiſcopi. Signum LUDOVICI regis. Signum IVONIS Carnotenſis epiſcopi. Signum GAULONIS Pariſienſis epiſcopi. Actum Catalauni in palatio publice anno Incarnationis Dominicæ MCXIII. anno vero regni noſtri V. Data per manum domni STEPHANI cancellarii.

BULLA PASCHALIS PAPÆ II. pro S. Victore.

Regio diplomate conceſſa canonicis S. Victoris confirmat.

PASCHALIS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis GILDUINO priori & ejus fratribus in eccleſia S. Victoris ſecus Pariſius canonicam vitam profeſſis tam præſentibus quam futuris in perpetuum.

Religioſis deſideriis dignum eſt facilem præbere conſenſum, ut fidelis devotio celerem ſortiatur effectum. Filius ſiquidem cariſſimus noſter LUDOVICUS illuſtris Francorum rex pro ſui & patris ſui anima, veſtram eccleſiam ſuis beneficiis donatis, noſtra hæc petiit auctoritate firmari. Statuimus ergo ut canonicæ obſervantiæ diſciplina, præſtante Domino, in veſtra ſemper eccleſia conſervetur. Obeunte tamen veſtræ congregationis abbate, libera vobis eligendi abbatis facultas maneat, omni ſæcularis poteſtatis contradictione ſepoſita. Porro villas, prædia & cetera beneficia quæ ſupradictus rex de ſuo jure uſibus delegavit, nos vobis veſtriſque ſucceſſoribus in perpetuum poſſidenda ſancimus, &c.

Ego Paſchalis catholicæ eccleſiæ epiſcopus ſubſcripſi.

Datum Laterani per manum JOHANNIS S. R. E. diaconi cardinalis & bibliothecarii, calendis Decembris, indictione VIII. Incarnationis Dominicæ anno MCXIV. pontificatus autem domni Paſchalis papæ anno XVI.

LITTERÆ STEPHANI EPISCOPI Pariſienſis ad ſuos archipreſbyteros.

Ut latam ab ſe excommunicationis ſententiam in Thomæ prioris S. Victoris interfectores promulgent.

STEPHANUS Dei gratia Pariſienſis epiſcopus F. R. E. H. archipreſbyteris ſalutem.

Ex auctoritate Dei patris omnipotentis, & Filii, & Spiritus-Sancti, & ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & omnium ſanctorum excommunicamus, & anathematizamus, & a ſanctæ matris eccleſiæ liminibus ſequeſtramus illos, qui domnum Thomam priorem S. Victoris interfecerunt, & qui in fortitudine interfectoribus affuerunt, & eos quorum conſilio & ammonitione & auxilio interfectus eſt. Omnes etiam illos excommunicamus, qui ejus interfectores & interfectorum præſentes coadjutores in ſuo hoſpitio receperint, vel qui cum eis aliquam communionem vel participationem habuerint in cibo & potu, in conſilio & locutione, niſi forte pro eorum correptione, in emtione & venditione, in dati & accepti communione, in ſuſceptione & protectione. Omnes iſtos ſupradictos excommunicavimus donec reſipiſcant, & ad ſatisfactionem veniant. Mandamus itaque vobis atque præcipimus vobis, quatenus per ſingulas dies Dominicas hoc modo & his verbis excommunicetis, & ceteros preſbyteros excommunicare faciatis. Mandamus etiam vobis, quatenus unuſquiſque veſtrum in ſuo archipreſbyteratu prohibeat, ut nullus omnino preſbyter, nec de ſæculo, nec de religione, nec abbas, nec canonicus, nec monachus, nec eremita, nec incluſus, nec etiam abbas S. Victoris hujus reum ad ſe pro confeſſione venientem ſuſcipiat, nec ei abſolutionem hujus culpæ tribuat, aut pœnitentiam injungat. Et ego de tanto reatu mihi ſoli abſolutionem & pœnitentiam reſervavi. Hoc quoque præcipimus, ut preſbyteri quando excommunicant, hanc noſtram prohibitionem omnibus dicant. Valete.

EPITAPHIUM ADÆ S. VICTORIS canonici regularis.

CIrca tempora excellentiſſimi doctoris magiſtri Hugonis de S. Victore floruit excellens & celebris doctor, magiſter Adam eccleſiæ ejuſdem S. Victoris Pariſienſis canonicus profeſſus, natione Brito, converſatione humilis & gratus, doctrina & eruditione utilis & præclarus: adeo ut ſine operibus ejus vix poſſet homo in prologis S. Hieronymi

ſuper bibliam pedem figere, vel expoſitionem rationabilem difficilium invenire. Ipſos enim tam ſuper vetus teſtamentum, quam ſuper novum, ut ſit rota in medio rotæ, licet multis & magnis obſcuritatibus involutos, tam ex brevi & ſuccincta myſteriorum multiplicium narratione, quàm ex dictionum quaſi inſolitarum interpoſitione, de verbo ad verbum expoſuit luculenter, ut patet diligenter intuenti librum ſuum, quem de hujuſmodi expoſitione prologorum compoſuit, qui ſic incipit: *Partibus expoſitis textus nova cura contingit, & fragiles humeros onus importabile frangit.* In quo etiam libro ipſe facit multotiens mentionem de quodam libro, quem ipſe compoſuit, qui vocatur *Summa de vocabulis bibliæ*, ſeu *Summa Britonis*, & de aliis operibus virtuoſis. Illud etiam non immerito debet meritorie commendari, quod valde multas proſas fecit de benedicta Trinitate, de S. Spiritu, de glorioſa Virgine MARIA, ad quam ſpecialem devotionem noſcitur habuiſſe; de apoſtolis & aliis pluribus ſanctis, quæ ſuccincte & clauſulatim progredientes, venuſto verborum matrimonio ſubtiliter decoratæ, ſententiarum floſculis mirabiliter picturatæ, ſchemate congruentiſſimo componuntur, in quibus & cum interſerat prophetias & figuras, quæ in ſenſu quem protendunt videbantur obſcuriſſimæ, tamen ſic eas adaptat ad ſuum propoſitum manifeſte, ut magis videantur hiſtoriam texere, quam figuram. Quo tamen ſtante, cum eo quod in eis addit ſuperfluum, nihil in eis invenies imminutum. Dicat ergo qui viderit præſens ſcriptum illud, quod dicit Scriptura: *Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea.* Et bene debet eſſe exemplum religioſorum, quia dictum eſt de eo & de illis: *In funiculis Adam traham eos in vinculis caritatis.* Si autem quæras cum Scriptura, *Adam ubi es?* reſpondetur, quod ſub iſta tumba clavata, in terra unde formatus eſt Adam ſimiliter eſt ſepultus, qui dum vitam ageret in humanis tam excellenter & excellenter eſt locutus. Et quia ſcriptum eſt, reddet Dominus hominibus ſecundum actus ſuos & ſecundum opera Adæ, hinc eſt quod de operibus quæ per eum Spiritus-Sanctus edidit, aliqua cenſuimus hic ſcribenda, ut qui ea legerit, viderit & audierit, Deum laudet in ſæcula benedictum & oret, quatenus ſpiraculum vitæ, quod inſpiravit in faciem iſtius Adæ, ex viſione ſuæ benedictiſſimæ eſſentiæ cum ſanctis & electis ſuis efficiat glorioſum.

EPITAPHIUM MAGISTRI ADÆ canonici S. Victoris.

Nominis & pœnæ primi patris hic ſitus heres,
Terra fit, a terræ nomine nomen habens.
Ne mireris homo, quod Adam ſub humo cinereſcat,
Cui cognomen humus materiamque dedit.
In vita reliquis illuxit, quo duce verum
Dicat Adam quam ſit fallax opulentia rerum.
Quem fovit virtus, cui favit gloria mundi,
Ecce ſub externi cinereſcit ceſpite fundi.

Aliud epitaphium quod ipſe de ſe compoſuit.

Heres peccati, natura filius iræ,
Exiliique reus naſcitur omnis homo.
Unde ſuperbit homo, cujus conceptio culpa,
Naſci pœna, labor vita, neceſſe mori.
Vana ſalus hominis, vanus decor, omnia vana,
Inter vana nihil vanius eſt homine.
Dum magis alludit præſentis gaudia vitæ,
Præterit, immo fugit, non fugit, immo perit.
Poſt hominem vermis, poſt vermen fit cinis, heu, heu!
Sic redit in cinerem gloria noſtra ſimul.
Hic ego qui jaceo miſer & miſerabilis Adam,
Unam pro ſummo munere poſco precem.
Peccavi, fateor, veniam peto, parce fatenti;
Parce pater, fratres parcite, parce Deus.

DIPLOMA HENRICI, FRATRIS Ludovici regis, pro monaſterio S. Victoris.

Concedit ei præbendam in eccleſia S. Exuperii de Corbolio.

HENRICUS frater illuſtris LUDOVICI Dei gratia regis Francorum & ducis Aquitanorum, & Dei permiſſione abbas regalium abbatiarum, omnibus Chriſti fidelibus tam poſteris quam præſentibus in perpetuum. Jam ad multorum devenit notitiam, quod illuſtris memoriæ pater meus Dei gratia rex Francorum LUDOVICUS, B. Victoris eccleſiam de pulvere paupertatis erexit, eamque canonicorum regularium ordine inſignitam abbatiam inſtituit: cui etiam juxta regalem munificentiam plurima beneficia contulit, & in augmentum veræ dilectionis, quoſdam de filiis ſuis fratribus noſtris, cum ex hac vita decederent, in eadem religionis domo ſepeliri mandavit. Ego itaque videns plantationem patris mei de die in diem proficere, & religionis non ſolum flores, ſed etiam uberrimos fructus afferre, & jam præ multitudine fratrum ea etiam quæ pater large contulerat eis non poſſe ſufficere, neceſſarium duxi de his bonis quæ in ſancta eccleſia divina bonitas mihi conceſſerat, eiſdem fratribus ad ſuſtentationem ipſorum aliquid impertiri. Proinde noverint univerſi & præſentes & poſteri, quod prædictis canonicis B. Victoris ob remedium animæ meæ & majorum meorum, in eccleſia S. Exuperii de Corbolio præbendam unam aſſenſu canonicorum ejuſdem eccleſiæ donavi, & in perpetuum habere con-

ceſſi. Nec illud latere volumus, quod huic dono prædictus frater meus rex non ſolum aſſenſum præbuit, ſed etiam ut hoc faceremus & voluit & rogavit. Quod ne valeat &c.

DIPLOMA BARTHOLOMÆI DECANI ecclesiæ Parisiensis, pro monasterio S. Victoris.

Confirmat donationes ab episcopis & ecclesia Parisiensi S. Victori concessas.

[a] EGo Bartholomæus (a) Dei gratia ecclesiæ B. Mariæ Parisiensis decanus & totus ejusdem loci conventus, notum fieri volumus tam posteris quam præsentibus, quod ecclesia nostra B. Victoris ecclesiam canonicorum regulari ordine insignitam speciali amore dilexit, & dilectionem suam, ut res ipsa probat, effectu operis comprobavit. Siquidem præfata B. Victoris ecclesia, multa tam ex dono episcoporum, quam canonicorum, possidet beneficia. Nos igitur prædecessorum nostrorum beneficiis assensum præbentes, & non solum illorum dona, sed etiam nostra firma in perpetuum esse volentes, ob recordationem beneficiorum nostrorum præsentes litteras præcipimus fieri, atque in eis multa beneficia ex maxima parte propriè signanterque describi. Hæc autem sunt beneficia. Ex dono domini Galonis episcopi medietas molendinorum sub domo episcopali, ita scilicet quod in aqua Secanæ a superiori parte insulæ usque ad parvum pontem, quæ tota est de jure episcopi, si molendini unus, aut plures construantur, aut quacumque occasione, vel in quocumque loco mutentur, communi etiam consilio & sumtu tam episcopi quam canonicorum B. Victoris fiat molendinorum constructio & reparatio, & communis & æqualis habeatur totius emolumenti tam multuræ quam piscium quam ceterorum divisio. Molendinarii etiam communiter imponantur, & fidelitatem faciant. Addidit etiam prædictus episcopus huic dono viginti solidos Paris. monetæ, quos singulis [b] annis prædicti fratres reciperent de Gordo (b) episcopali, inter parvum pontem & *Melbrai* collocato. Ex dono capituli apud Civilliacum, tam de territorio Civilliaci quam Orsiaci terra uni carrucæ sufficiens, cum de- [c] cima & camparte ejusdem terræ. Olchia (c) quoque una cum omnibus consuetudinibus & reditibus suis. Ex dono piæ memoriæ domni Stephani episcopi & nostro in hac nostra B. Mariæ ecclesia præbenda una, in ecclesia S. Marcelli præbenda una, in ecclesia sancti Germani Autissiodorensis præbenda una, in ecclesia S. Clodoaldi præbenda una, in ecclesia S. Martini de Campellis præbenda una. Ita scilicet quod canonici S. Victoris in singulis supradictis ecclesiis ad servitium earumdem ecclesiarum singulos vicarios ponant. Item, ex dono prædicti episcopi annualia canonicorum omnium prædictarum ecclesiarum, ita scilicet, ut quocumque modo quilibet canonicus earumdem ecclesiarum præbendam suam relinquat, vel quocumque modo præbenda de una persona in aliam transeat, ecclesia S. Victoris ejusdem præbendæ reditus per annum ex integro habeat, & nullum super hoc ex debito aut ecclesiæ aut defuncto præter anniversarium exsolvat obsequium. Idem quoque episcopus quasdam parochiales ecclesias, quas quædam personæ etiam laïcæ prius tenebant, earumdem personarum non solum assensu, sed etiam rogatu, præfatæ B. Victoris contulit ecclesiæ. Rogatu Sadulfi Belli ecclesiam *de Vilers*, & tertiam partem maximæ decimæ, tam vini quam annonæ, & redecimationem magnæ & minutæ decimæ. Ecclesiam S. Briccii cum tota sua minuta decima, & de presbyteratu ejusdem ecclesiæ per singulos annos sexaginta solidos. Item, rogatu Pagani de Præriis ecclesiam de Valle-gaudii, & totam magnam decimam tam vini quam annonæ, & totam minutam ad eamdem ecclesiam pertinentem. Rogatu etiam prædicti Pagani partem etiam cujusdam decimæ propè Lusarchias, in villa quæ dicitur *Lati*, quam prædictus Paganus tenebat. Item, rogatu Baldoini clerici de Corbolio, qui in ecclesia B. Victoris canonicus extitit, ecclesiam de villa quæ *Cons* appellatur, & terram & decimam ad presbyteratum ecclesiæ pertinentem. Sextam quoque partem magnæ decimæ & sextam minutæ. Statuit etiam idem episcopus, ut de presbyteratu ejusdem ecclesiæ canonici sancti Victoris per singulos annos sexaginta solidos habeant. Item, rogatu Matthæi militis de Munellis, & Pagani filii Sulionis avi ejus, quorum alter, id est Matthæus, in præfata ecclesia ad succurrendum se reddidit; alter vero, id est Paganus, sub habitu canonici aliquantulum vixit, ecclesiam de Vico-novo & totam decimam quam in tota parrochia ejusdem ecclesiæ habebant. Sextam quoque partem magnæ decimæ ejusdem loci ex dono prædicti Baldoini de Corbolio. Item, ex dono prædicti episcopi ecclesiam de Athiis, & totam decimam quam Albertus *de Ver* in tota parrochia prædicta habebat. Sunt aliæ quædam ad feodum episcopalem pertinentia, a quibusdam præfatæ B. Victoris ecclesiæ data & a prædicto episcopo concessa. Siquidem Hugo filius Girelmi terram arabilem super ripam Sequanæ & apud Balneolum octo solidos & tres obolos census præfatæ ecclesiæ dedit. Similiter Ungerus frater ejusdem Hu-

(a) Iste Bartholomæus Stephani Parisiensis episcopi nepos, anno 1149. Catalaunensis ecclesiæ antistes creatus est.

(b) Gordus locus est in fluvio coarctatus piscium capiendorum gratia.

(c) Olchia est portio terræ arabilis, fossis vel sepibus undique clausa.

gonis

gonis totum cenſum quem in Cardineto & apud S. Marcellum, & Pariſius in vico qui vocatur *Cherruchin*, & apud Vitriacum habebat. Item dominus MATTHÆUS de Monte-Morentiaco centum ſolidos per ſingulos annos de cenſu quem habet apud S. Dionyſium in terra quæ dicitur S. Marcellus. Item, dominus GALERANNUS comes Meulenti XL. ſolidos de cenſu quem habet Pariſius in moncello S. Gervaſii. His & aliis beneficiis eccleſiæ B. Victoris ab eccleſia noſtra collatis ſicut ſupradictum eſt aſſenſum præbemus, & ne poſſit oblivione deleri, præſentem cartam præcepto noſtro conſcriptam, ſigilli noſtri impreſſione, & nominum noſtrorum ſubſcriptione firmamus.

DIPLOMA ODONIS PRIORIS S. Martini a Campis, pro eccleſia ſancti Victoris.

Compenſatio annualis prebendæ quam S. Martini monachis conceſſit Theobaldus epiſcopus Pariſienſis.

EGo frater ODO Dei gratia prior S. Martini de Campis, & totus noſter conventus, notum fieri volumus tam poſteris quam præſentibus, quod dominus THEOBALDUS per Dei gratiam de noſtro monaſterio aſſumtus, & Pariſienſis eccleſiæ epiſcopus factus, præbendam unam in eadem B. Mariæ eccleſia aſſenſu capituli nobis in perpetuum dedit. Eccleſia vero S. Victoris, quæ in præfata B. Mariæ eccleſia annualia præbendarum habet, hujus ipſius præbendæ quæ nobis data fuit annuale ſuum ex integro habuit. Sed quia de eadem præbenda, quæ eccleſiæ S. Martini in perpetuum data erat, jam de cetero eccleſia S. Victoris annuale habitura non erat, ſic ne hoc dono noſtro eccleſia S. Victoris læderetur, ſi unius præbendæ annuali beneficio in perpetuum privaretur; conſilio & conſideratione domni HUGONIS Altiſiodorenſis epiſcopi & domni BERNARDI Clarevallenſis abbatis communi aſſenſu ſtatuimus, ut eccleſiæ S. Victoris pro recompenſatione annualis ſupradictæ præbendæ per ſingulos annos in feſto ſancti Paſchæ X. ſolidos perſolvamus & mittamus. Quod ne valeat oblivione deleri, ſcripto commendavimus, & ne poſſit a poſteris infirmari, ſigilli noſtri impreſſione ſignavimus.

CONVENTIO INTER EASDEM ECCLESIAS ſuper annualibus prebendæ quam in eccleſia B. Mariæ Stampenſis obtinent monachi ſancti Martini a Campis,

THEOBALDUS Dei gratia epiſcopus Pariſienſis, GOSLENUS Sueſſionenſis, HUGO Autiſſiodorenſis univerſis fidelibus tam poſteris quam præſentibus in perpetuum. Notum fieri volumus, quod querelam illam quæ inter eccleſiam S. Martini de Campis & eccleſiam S. Victoris erat, præcepto domni CÆLESTINI papæ diſcutiendam ſuſcepimus, unde autem querela iſta orta ſit, ad majorem evidentiam pacis aperimus. Proinde ſciendum eſt quod in eccleſia B. Mariæ Stampenſi monachis S. Martini de Campis præbenda una in perpetuum data eſt. Cumque canonici S. Victoris, qui in prædicta B. Mariæ eccleſia, ſicut & in aliis regalibus eccleſiis annualia præbendarum ſibi jam olim data & privilegiis confirmata obtinent, annuale præbendæ monachis datæ jure ſibi debito vellent habere, nollent monachi dare: tandem res in querelam ducta, & uſque ad audientiam domni CÆLESTINI papæ perducta, ab eodem ipſo domno papa, ſicut ſupradictum eſt, nobis diſcutienda, & ſi fieri poſſet terminanda commiſſa eſt: quam hoc modo terminavimus. Primo quidem decrevimus, ut eccleſia B. Victoris illius præbendæ, quæ eccleſiæ S. Martini data erat, annuale ſuum ex integro haberet, quod & factum eſt. Deinde etiam quia de eadem præbenda quæ monachis data erat, jam de cetero eccleſia S. Victoris annuale habitura non erat, noſtra conſideratione noſtroque conſilio domnus ODO prior S. Martini & totus conventus ejuſdem loci communi aſſenſu ſtatuerunt, ut pro recompenſatione annualis ſupradictæ præbendæ, per ſingulos annos eccleſiæ S. Victoris decem ſolidos in feſto S. Remigii & perſolvant & mittant. Hanc autem pacem & pacis conventionem, quam præcepto domni papæ inter utramque eccleſiam fecimus, ne aliqua valeat oblivione deleri, ſcripto commendavimus, & ne poſſit a poſteris infirmari, ſigillorum noſtrorum auctoritate firmavimus.

CARTA AIMONIS DE AIIS pro ſancto Victore.

De annualibus prebendarum, quas milites Templi in eccleſia Stampenſi & in Piſſiacenſi poſſidebant.

RAtio docet & juſtitia exigit, ut quod nobis fieri volumus hoc & ipſi aliis faciamus. Itaque AIMO DE AIIS unus ex militibus & fratribus Templi, cui rerum Templi, quæ citra mare ſunt, cura & adminiſtratio commiſſa eſt, & ceteri fratres noſtri notum fieri volumus tam futuris quam præſentibus, quod in duabus eccleſiis canonicorum ſæcularium, in quibus eccleſia S. Victoris annualia præbendarum, ſicut & in pluribus aliis, habet, præbenda una & dimidia nobis in eleemoſynam data eſt. In eccleſia B. Mariæ de Stampis præbenda una, in eccleſia S. Mariæ de Piſſiaco præbenda dimidia. Notum vero eſt & præceptis regiis & apo-

ſtolicis privilegiis confirmatum, ut quotienſcumque quilibet canonicorum eccleſiarum illarum obierit, vel quocumque modo prębenda de perſona in perſonam mutata fuerit, eccleſia B. Victoris prębendæ illius reditus per annum integrum ex integro habebit. Proinde ne in prædicto dono noſtro ſæpedicta B. Victoris eccleſia damnum aliquod pateretur, in capitulo noſtro apud S. Walburgam habito, ſuper hoc conſilium habuimus, & pro prębendis quas in eorum annualibus vel jam habemus vel forte habituri ſumus, eccleſiæ B. Victoris perſonam unam certam magiſtrum ſcilicet Templi majorem communi aſſenſu aſſignavimus, eo videlicet pacto, ut quotienſcumque magiſter ille quicumque fuerit, vel mortuus vel mutatus fuerit, eccleſia B. Victoris omnium prębendarum reditus, quos in eorum annualibus habuerimus, per annum integrum ex integro habeat, ſicut ante donum noſtrum de mortuis vel mutatis canonicis habere ſolebat.

EPISTOLA LUDOVICI REGIS VII. ad Henricum fratrem ſuum, & Iſt. & Jal. archidiaconos.

Ut eccleſiam S. Martini de Campellis canonicis S. Victoris tradant, ut in ea regulares canonici inſtituantur.

[a] LUDOVICUS Dei gratia rex Francorum & dux Aquitanorum H. (a) fratri ſuo, Iſt. Jal. archidiaconis ſalutem & gratiam ſuam.

Negotium quod, ſi præſentes eſſemus, per nos ipſos vobiſcum libentius ageremus, vobis ſicut amicis agendum committimus ſuper eccleſia S. Martini de Campellis, ut canonicis S. Victoris ad religionem tradatur. Voluntatem noſtram epiſcopo Pariſienſi & toti capitulo B. Mariæ per litteras noſtras inſinuavimus, & ut ipſi hoc ipſum velint & concedant obnixe rogavimus. Vos itaque primum rogamus, ut & vos pro Dei amore & noſtro hoc ipſum velitis & concedatis, ac deinde apud ceteros canonicos ut & ipſi hoc velint pro nobis agatis, atque ab eis conſenſum eorum veſtra induſtria & inſtantia eliciatis. Valete.

EPISTOLA GILDUINI ABBATIS S. Victoris ad epiſcopum Belvacenſem.

Commendat ei presbyterum, cujus frater inteſtatus obierat.

DOmno Belvacenſi G. beati Victoris Pariſienſis dictus abbas in ſummo paſtore gloriari, & ipſius digne imitari veſtigia.

(a) Henrico abbati S. Martini de Campellis & plurium aliarum regalium eccleſiarum, deinde anno 1146. monacho Clarevallenſi, nec multo poſt epiſcopo Belvacenſi, ac tandem archiepiſcopo Remenſi, de quo vide quæ diximus in præfatione ad tomum II. hujus collectionis.

Preſbyter iſte præſentium lator habebat quemdam fratrem, qui inteſtatus mortuus eſt, excepto quod unum equum canonicis regularibus S. Quintini, (b) in quorum terra habitabat, ut nobis dictum eſt, dereliquit. Expectabat enim hunc fratrem ſuum, ſed antequam iſte adveniret, ille deceſſit. Venerunt autem prædicti canonici, & tulerunt defuncti corpus, ipſum apud ſe ſepelientes, & quæ habere videbatur ſecum pariter auferentes. Unde vos mediante parvitate noſtra rogat iſte, ut ei juſtitiam faciatis, & quæ fratris ſui fuerunt reſtitui faciatis. Valete. [b]

DIPLOMA PHILIPPI fratris Ludovici regis Francorum, pro monaſterio S. Victoris.

Confirmat ei annualia canonicorum decedentium in eccleſiis regalibus.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, PHILIPPUS frater illuſtris LUDOVICI Dei gratia regis Francorum & ducis Aquitanorum & per Dei gratiam abbas quarumdam regalium eccleſiarum, videlicet beatæ Mariæ de Stampis, S. Mariæ de Corboſio, S. Mariæ de Medunta, S. Mariæ de Piſſiaco, S. Mellonis de Pontiſara, omnibus fidelibus tam poſteris quam præſentibus in perpetuum. Juſtum eſſe & rationabile comprobatur, ut illuſtris patris bene geſta illuſtris filius imitetur, ejuſque beneficiis, maxime quæ pauperibus Chriſti contulit, promto animo conſentiens atteſtetur. Noverint igitur univerſi, quod illuſtris memoriæ pater meus Dei gratia Francorum rex LUDOVICUS in quibuſdam regalibus eccleſiis, quas anteceſſores noſtri fundaverunt vel fundatas acquiſierunt, annualia canonicorum voluit ordinari, & ad B. Victoris eccleſiam canonicorum regularium ordine inſignitam, ob ſuſtentationem fratrum voluit deputari. Nam quia eamdem S. Victoris eccleſiam, utpote a ſe fundatam, ſpecialius diligebat, idcirco & beneficia multa conquirere diligentius inſiſtebat. Beneficium autem ſupradictorum annualium eccleſiæ B. Victoris non modo collatum eſt, ut per annum reditus prębendarum canonicorum decedentium eccleſia S. Victoris ex integro habeat, & nullum propter hoc aut eccleſiæ aut defuncto præter anniverſarium exſolvat obſequium. Hoc etiam adjunctum eſt, quod ſi quilibet canonicorum prædictarum eccleſiarum, cujuſcumque religionis vitam eligens, prębendam reliquerit, ejuſdem prębendæ reditus eccleſia S. Victoris per annum ex integro poſſidebit. Ego igitur PHILIPPUS, qui regalibus abbatiis ex magna parte

(b) Inſigne canonicorum regularium monaſterium juxta Bellovacum, a Guidone hujus urbis epiſcopo anno 1067. fundatum, cujus primus abbas fuit Ivo celeberrimus poſtea Carnotenſium epiſcopus.

Deo auctore præsideo, & licet minus idoneus, dignitatem abbatis obtineo, hoc beneficium patris mei quod ecclesiæ B. Victoris contulit approbo, laudo, & confirmo. Insuper quemadmodum a fratribus meis, domino scilicet Ludovico Francorum rege & duce Aquitanorum, & domino Henrico, qui ante me abbas earumdem abbatiarum extitit, statutum ac privilegio confirmatum ac roboratum est, hoc beneficium adeo integrum & perfectum in perpetuum esse decerno, ut quicumque canonicus regalium ecclesiarum, sive earum quæ jam in potestate nostra sunt, vel etiam si Deus ordinaverit, futuræ sunt, non solum mortuus fuerit vel vitam mutaverit, sed etiam absque ulla exceptione, quocumque alio modo præbendam reliquerit, perdiderit, mutaverit, ejusdem præbendæ reditus ecclesia S. Victoris, sicut jam supradictum est, per annum ex integro possidebit. Ne autem ecclesia in eodem anno suo privetur servitio, illud faciat canonicus qui succedit. Hoc itaque quod de annualibus supradictis statutum est, in perpetuum esse ratum statuimus, & posteris nostris immutabiliter esse decernimus. Illud ne valeat, &c.

LITTERÆ GELDUINI ABBATIS S. VICTORIS de Ecclesia S. Petri de Monte-Letherico concessa monachis Longi-Pontis, & de compensatione facta canonicis S. Victoris, qui in ea præbendam, & annualia possidebant.

G cœnobii S. Victoris dictus abbas cum fratribus suis omnibus fidelibus tam posteris, quam præsentibus in perpetuum. Omnium bonorum & maxime religiosorum proprium est totius sanctitatis & religionis propagationi & profectui congaudere. Gaudium hoc nostris, Deo miserente, temporibus in mutatione ecclesiæ B. Petri de Monte-Letherico piis desideriis oblatum est donatum. Siquidem ipsa ecclesia per Dei gratiam & piissimi Ludovici Francorum regis voluntatem, consilio & assensu, de sæculari statu in religionis statum promota est, & ad hæc servis Dei monachis scilicet de Longo-Ponte [a] (a) assignata est, & in perpetuum donata. Nos itaque qui in prædicta S. Petri ecclesia præbendam unam & integram & aliarum præbendarum annualia habemus, mutationem illam in melius volumus & approbamus, & per manum domini nostri Theobaldi Parisiensis episcopi supradictam præbendam & annualia ecclesiæ de Longo-Ponte in perpetuum habenda concedimus. Ne autem ecclesia nostra pro illius ecclesiæ mutatione & nostra benivola concessione redituum suorum diminutione nimia gravaretur, consulente, mediante immo faciente prædicto Parisiensi episcopo, in cujus arbitrio & potestate, utriusque partis assensu, totum in hoc consistebat negotium, monachi de Longo-Ponte nobis recompensationem vicariam reddiderunt, & rebus ecclesiæ suæ & ecclesiæ S. Petri ea quæ subscripta sunt ecclesiæ nostræ communi assensu perpetuo possidenda dederunt. Apud Athegias terras, vineas, decimam & quicquid omnino ecclesia de Longo-Ponte ibidem habebat. Apud eamdem villam duos solidos census, quos prædicta ecclesia S. Petri ibidem habebat. Hæc omnia sicut dictum est ecclesia de Longo-Ponte ecclesiæ nostræ libere & quiete semper habenda donavit, & donum semper commendans sigilli sui impressione firmavit. Ut autem mutationis prædictæ ecclesiæ S. Petri & præbendæ & annualium nostra concessio rata in perpetuum habeatur, cartulam istam concessionis nostræ tenorem continentem conscripsimus, eamque sigilli nostri impressione firmavimus, & monachis de Longo-Ponte habendam & conservandam tradidimus. Nomina etiam fratrum nostrorum, ad hujus rei testimonium & ad majorem firmitatem subscripsimus. Signum G. abbatis, &c.

(a) Longus-pons est insignis cella ordinis Cluniacensis in diœcesi Parisiensi, in qua cum priore erant olim viginti duo monachi. Est & alius Longus pons tribus a Suessione leucis distans, ubi est celebris abbatia ordinis Cisterciensis.

EPISTOLA ACHARDI ABBATIS S. Victoris ad Henricum II. Anglorum regem.

Ut Richardum de Ely thesaurarium suum ad solvendam pauperibus & ecclesiis relictam a canonico Parisiensi pecuniam compellat.

Henrico Dei gratia gloriosissimo regi Anglorum A. (b) cœnobii S. Victoris Parisiensis qualiscumque dictus abbas, salutem, & administratione regni temporalis æternum promereri. [b]

Canonicus quidam Parisiensis F. nomine sola liberalitate ductus, nullo amplioris acquisitionis interveniente intuitu, magistro Richardo *de Ely* thesaurario vestro viginti libras Parisiensis monetæ usque ad diem diffinitum commisit. Contigit autem eumdem canonicum infra scriptum terminum ingredi viam universæ carnis. Cum vero ageret in extremis, universam substantiam suam ecclesiis & pauperibus, aliis plus, aliis minus, pro consilio religiosorum virorum designavit. Unde & qui testamento ejus interfuerunt, ad prædictum Richardum nuntium in Angliam miserunt super exsolvenda prætexata pecunia submonentes. Ipse vero tanti immemor beneficii solvere contemsit. Majestati igitur vestræ pro ecclesiis & pauperibus pauper Christus supplicat, &

(b) Achardus secundus S. Victoris abbas Gilduino successit, qui obiit anno 1155. 13. Aprilis.

nium veſtrum in hac cauſa ſua ſpeciali ſpecialiter efflagitat; & ne tranſgreſſionis ejus in vos, quod abſit, ex negligentia culpa redundet, poteſtate vobis divinitus data pecuniam Chriſti periculoſe retinentem ad reddendum compellatis, ut & zelus lætitiæ in vobis evidenter appareat, & cauſa eccleſiarum & pauperum adjuta apud ſummum judicem pro vobis intercedat. Illud autem pro certo habeatis, quod in extremo mortis articulo prædictam pecuniam ſe gratis abſque omni augmento ante dicto Richardo coram tribus honeſtæ exiſtimationis ſacerdotibus confeſſus eſt ad tempus commiſiſſe. Valete.

EPISTOLA ACHARDI ABBATIS S. Victoris ad A. epiſcopum Lexovienſem.

Commendat ei eccleſiam ſuam.

[a] DOmino illuſtriſſimo & omni digniſſimo reverentia A.(a) epiſcopo Lexovienſi A. S. Victoris abbas, ſalutem & devotæ caritatis obſequium.

Benignitati veſtræ dignas referre grates non poſſumus, quia domum noſtram & miro coluit affectu, & amplis ſibi obligavit beneficiis. Illi igitur referendas committimus, cui facitis quicquid uni ex minimis ſuis facitis. Porro veſtram flagitamus ceſſitudinem, & precibus obſecramus inſtantiſſimis, ne veſter ille tepeſcat affectus, quem vivente piæ memoriæ patre & prædeceſſore meo GILDUINO abbate, veſtra erga nos habuit pietas, ne contrahatur aliquatenus illa priſtina veſtræ caritatis latitudo; ſed quo magis nunc indigemus, eo magis amplietur in dies. Vobis omnino ſumus obnoxii omnes nos devoti ſervi veſtri paratiſſimi pro vobis, ut debemus, promtiſſima facere voluntate quicquid poteſt humilitas noſtra. Veſtri nobis memoriam nullo die ſubducit oblivio. De cetero fratrem ad vos Reynerum mittimus pro qua cauſa ipſe inſinuabit. Sciatis autem ita ſe habere negotium pro quo mittitur, ut idem aſſeret, unde ſerenitati veſtræ multas porrigimus preces, ut pio negotio piam porrigatis manum, & ut ſua pauperibus debita ſolvantur impedendatis & conſilium & opem. Beatitudinem veſtram cuſtodiat CHRISTUS JESUS domine illuſtriſſime & omni digniſſime reverentia.

(a) Arnulfo, qui ex archidiacono Sagienſi factus eſt epiſcopus Lexovienſis.

EPISTOLA LUDOVICI REGIS ad canonicos S. Victoris Pariſienſis.

Ut Achardus ad aliam aſſumtus eccleſiam nihil dienet vel accipiat de rebus S. Victoris.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex priori & univerſis fratribus S. Victoris ſalutem & dilectionem.

Eccleſia iſta ex beneficio prædeceſſorum noſtrorum & eccleſiæ Pariſienſis fundata eſt; unde & ſpecialius eam diligimus. Vocatus eſt abbas veſter ad aliam eccleſiam, (b) non [b]
B volumus quod res eccleſiæ, cujus cura ad nos principaliter ſpectat, in aliquo minorentur, ſed creſcant. Unde & regia auctoritate vobis præcipimus, quod abbas A. de cetero nullam alienandi vel accipiendi res eccleſiæ iſtius habeat facultatem, neque eo præſente verbum aliquod de electione incipiatis. Valete.

BULLA ALEXANDRI PAPÆ III. ad abbatem de Caſtro-Nantonis.

Ut in Eccleſia S. Salvatoris Victorinos ſinat pacifice annualia poſſidere.

C ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio abbati de Caſtro-Landonis (c) S. & A. B. [c]

Injuncti nobis officii auctoritas nos hortatur univerſis Dei fidelibus & præſertim viris religioſis in juſtitia ſua diligenter intendere, & eis quæ ſua ſunt illibata penitus & integra conſervare. Unde dilectioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus annualia quæ dilecti filii noſtri abbas & fratres S. Victoris Pariſienſis in eccleſia S. Salvatoris jam ex longo tempore canonice poſſediſſe noſcuntur, quiete eos permittas & pacifice poſſidere, donec cum eis ſuper his componas. Vel ſi de juſtitia tua confidas, in præſentia electi ab utraque parte judicis, vel etiam in adjutorio noſtro legitima cum eis examinatione contendas. Datum Turonis (d) XI. Cal. Februarii. [d]

(b) Abrincenſem ſcilicet, ad cujus epiſcopatum adſcitus eſt anno 1162. teſte ſupplemento Roberti de Monte.

(c) Vulgo dicitur Caſtrum-Nantonis, licet gallice pronuncietur *Château-Landon*, eſtque canonicorum regularium cœnobium in dioeceſi Senonenſi, quod pro monachis primum a S. Severino fundatum fuerat tempore Clodovei regis.

(d) Alexander III. Turonos acceſſit menſe Octobri anni 1162. ibique tribus & amplius menſibus remoratus eſt. Deinde Pariſios venit, ac poſtmodum Turonos reverſus ibidem concilium celebravit.

EPISTOLA HUGONIS CARDINALIS ad Guidonem episcopum Catalaunensem.

Commendat ei Alexium subdiaconum S. Victoris canonicum.

VEnerabili fratri & amico carissimo GUIDONI Dei gratia Catalaunensi episcopo HUGO eadem gratia S. R. E. diaconus cardinalis salutem & intimæ dilectionis affectum.

Apostolicæ sedis benignitas, quæ speciales filios quadam prærogativa dilectionis consuevit amplecti, dilectum fratrem nostrum Alexium latorem præsentium, subdiaconum sanctique Victoris Parisiensis canonicum, virum utique prudentem & litteratum propriis apicibus ad se revocat, destinatione, & proposito, auxiliante Domino, ad altiora sublimandi. Nos igitur de amicitia vestra præsumentes, ipsum cum nostris litteris ad vos confidenter dirigimus, rogantes & obsecrantes ut eum nostra contemplatione benigne recipiatis, & manum auxilii & consilii sive in bona equitatura sive in ejus æstimatione liberaliter conferatis. Nos autem quod ei feceritis peræque gratum habebimus & acceptum, ac si personæ nostræ impenderetis.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPÆ III. ad S. Germani & S. Victoris abbates, priorem & suppriorem S. Victoris, atque Odonem quondam abbatem S. Genovefæ.

Ut inquirant de pœnis inflictis Guillelmo canonico S. Genovefæ.

ALEXANDER episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis sancti Germani & sancti Victoris abbatibus, priori quoque ac [a] suppriori S. Victoris, & ODONI (*a*) quondam S. Genovefæ abbati S. & A. B.

Significatum nobis est quod cum Guillelmus S. Genovefæ canonicus ad præsentiam nostram absque abbatis & capituli sui licentia accessisset, eumdem ad prædictum abbatem, ut in capitulo de hujusmodi transgressione humiliter satisfaceret, a nobis transmissum, ita vehementer & inhoneste tractavit, quod ipsum universis vestibus exuens & acriter verberans, septem diebus in terra cum canibus cibum sumere fecit. Quoniam vero de viro tam honesto ac religioso aliquid siniſtrum non debemus facile credere, nos de vestra honestate plenius confidentes, hoc discretioni vestræ committimus exequendum, mandantes ut rem ipsam diligentissime inquiratis, & hujus rei veritatem vestris litteris nobis fideliter intimetis. Datum Senonis (*b*) xv. cal. Septembris. [b]

(*a*) Ex hoc loco patet Odonem primum S. Genovefæ abbatem, longe ante mortem curam pastoralem dimisisse, & ad S. Victorem unde assumtus fuerat, rediisse, ubi & diem extremum clausit.

EPISTOLA PE. S. CRYSOGONI PAPÆ capellani ad Ervisium abbatem S. Victoris.

Ejus ob amorem se pecuniam Roberto de Bristo accommodasse.

HERVISIO Dei gratia venerabili abbati S. Victoris Parisiensis, Fr. PE. S. Crysogoni domini papæ capellanus, salutem & intimæ devotionis affectum.

Petitiones tuas & precum oblationes quas mihi pro amicorum levamine porrigere dignaris, tanto libentius effectui mancipare studeo, quanto arctius caritatis affectu tuæ personæ adhæreo. Quod in fratris Roberti de Bristo negotio & aliorum noscere vales, Cui tum pro amore tuo, tum debito fraternitatis & avunculi sui duas marcas argenti vel circa accommodavi, quas, me teste, pro negotio suæ ecclesiæ expendit. Rogo igitur dilectionem tuam, ut tuis hoc litteris præfato abbati notifices, ut super hoc facto sic se habeat, quatenus libentius, si opportunum fuerit, alicui de ordine nostro auxilium ex corde impendam. Ex hoc testes habeo dominum Albanensem & Rogerium clericum ejus, Hugonem capellanum domini papæ, & Johannem servientem nostrum quem bene nosti.

EPISTOLA WILLELMI PRIORIS Ursi-campi, ad Richardum priorem S. Victoris.

Petit aliquod ex ejus opusculis describendum.

DIlecto suo domno RICHARDO priori de S. Victore, frater WILLELMUS dictus prior Ursi-campi (*c*) salutem in Domino. [c]

Libellum vestrum quem remitti vobis mandastis, ego ipse reportavi in quadragesima; sed quoniam tunc non eratis apud S. Victorem, fratri Hugoni hospitali vestro illum commendavi, insinuans ei ut vobis eum redderet. Rogamus autem ut aliquod opusculum vestrum nobis mittatis, quod nondum habuimus, scilicet *de somnio Nabuchodonosor*, vel *Illumina faciem tuam super servum tuum*. Nam & hoc scribere incœperamus; sed in exemplari vestro imperfectum reperimus. Vale.

(*b*) Alexander papa, celebrato Turonis concilio, circa festum S. Hieronymi 1163. Senonas accessit, ubi sesquiannum commoratus est. Hinc colliges hanc epistolam sequenti anno 1164. scriptam fuisse.

(*c*) Ursi-campus insigne monasterium ordinis Cistercienſis filia Clarevallis anno 1129. fundatum.

EPISTOLA A. AD O.

Queritur de ſuo abbate, quem rogat ab abbate, priore & aliis S. Victoris fratribus moneri.

FRatri A. ſuus O. ſalutem.

Sicut ex fructu & folio cujus naturæ & utilitatis ſit arbor cognoſcitur, ſic ex operibus & verbis tuæ dilectionis tam præſens, quam abſens, quantus eſſet affectus tuus in me didici. Scias, cariſſime, quoniam ex quo a vobis receſſi, multos labores pro ſalvanda auctoritate noſtri conventus incurri, & diu ſunt manſuri, niſi Deus, cui ſoli poſſibile eſt, cor, manum, & linguam noſtri abbatis, qui contra omnes molitur, operatur, & loquitur, ſua dignatione immutaverit. Rogo igitur tuam caritatem, ut tu roges ERVISIUM abbatem & RICHARDUM priorem & Henricum Longobardum & Henricum de Cercellis, magiſtrum S. & ceteros amicos noſtros ex noſtra parte, quatenus eum cum ad vos venerit, moneant, arguant & corripiant; niſi enim in alium virum commutatus fuerit, nec nobis utilis erit, nec famam ſanctitatis eccleſiæ B. Victoris in partibus conſervabit noſtris. Hoc munus Domini, non quantum, ſed ex quanto conſiderans, per præſentium latorem ſuſcipe, ut per ſigna ſignatam habeas memoriam mei in oculo & mente. De cetero quære a Rainero ſacriſta, quando potero habere tabulas, quas mihi petenti promiſit, & pretium ipſarum prout voluerit & mandaverit mittam. Vale ut & ego valeam.

DE HERVISIO ABBATE S. VICTORIS, patrino Philippi regis.

ANno Incarnationis Dominicæ MCLXV. in octava Aſſumtionis B. Mariæ Virginis, nocte dum matutina ſynaxis celebraretur, nobiliſſima proles LUDOVICI regis quondam Franciæ proceſſit ad ortum, videlicet PHILIPPUS filius ejus, cujus nativitatis gaudium deferens nuntius ad S. Germanum de Pratis veniens, hos felices rumores narravit eadem hora qua monachi incipiebant cantare propheticum canticum, *Benedictus Dominus Deus Iſraël, quia viſitavit & fecit redemtionem plebis ſuæ, &c.* Quod divino oraculo contigiſſe manifeſtis indiciis conjici poteſt. Fama vero tam deſideratæ prolis circumquaque percurrens, omnes Francigenas maximo gaudio replevit, quippe qui ſucceſſorem maſculini ſexus de ſemine regis procedentem diu multumque deſideraverant, qui poſt glorioſi patris deceſſum ſolium regiæ majeſtatis obtineret: quorum deſiderium attulit eis Dominus, nec ſunt fraudati a deſiderio ſuo. Itaque regia prole exorta, in craſtino ortus ſui, hoc eſt die Dominica, pater ejus rex LUDOVICUS filium ſuum baptiſmatis ſacramento confirmari fecit. Ad quod exequendum MAURICIUS Pariſienſis epiſcopus mandato regis ſacerdotalibus veſtimentis ſe induit, & regiam ſobolem in eccleſia S. Michaëlis de Platea ſolemniter regeneravit. HUGO enim abbas S. Germani Pariſienſis, patrinus, puerum ſuper fontem baptiſmatis in ulnis ſuis tenuit, HERVISIUS quoque abbas S. Victoris, & ODO quondam abbas S. Genovefæ patrini extiterunt. CONSTANTIA ſoror regis Ludovici, uxor Remundi comitis S. Ægidii, & duæ viduæ Pariſienſes matrinæ fuerunt.

EPISTOLA LUDOVICI REGIS ad Erviſium abbatem S. Victoris.

Petit juſtitiam ab hominibus de Amponvilla.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex, amico ſuo ERVISIO illuſtri abbati ſancti Victoris ſalutem.

Cognitum eſt nos habere jus noſtrum in cauſa adverſus homines Amponvillæ, de quorum numero quinque nobis rectum fecerunt. Unde mandamus vobis, ut fortunam, ſicut inventa fuerit, nos habere faciatis, & homines veſtros, quia fuerunt nobis, ad juſtitiam habeatis a die Mercurii ad octo dies. Quod ſi non feceritis, ad villam ipſam nos convertemus. Si enim aliqui effregiſſent domum noſtram, etſi non haberent pecuniam ſublatam, totam tamen reddere tenentur, & nos volumus quod homines noſtri de effoſſa fortuna nobis ſatisfaciant.

EPISTOLA G. Preſbyteri Anilcurtenſis ad Richardum priorem S. Victoris.

Petit ab eo paſſionem ſive lectiones novem de S. Victore, inſerendas in breviario.

G. Dei gratia Anilcurtenſis eccleſiæ preſbyter, dilecto fratri ſuo R. venerabili priori eccleſiæ S. Victoris Pariſienſis, ſalutem.

Mandamus atque rogamus dilectionem veſtram, quatenus paſſionem B. Victoris, quæ apud nos non invenitur, vel novem ſaltem lectiones de ipſa paſſione tranſcriptas per præſentium latorem nobis mittatis. Scribimus enim quemdam librum, quem breviarium vocant, cui eas inſerere dignum duximus. Valete.

EPISTOLA G.
ad Richardum priorem S. Victoris.

Capit reſcire quid cum rege & abbate ſancti Germani egerit pro ſuo negotio.

CArissimo ſuo RICHARDO venerando priori [a] S. Victoris, humilis frater G. (a) ſalutem eamdem quam ſibi.

Si iter proſperum a nobis ad propria habuiſtis, ſi gratiam in conſpectu regis inveniſtis, ſi recte ac proſpere apud domnum abbatem, ſi abbatem S. Germani ſuper negotio noſtro conveniſtis, per præſentium latorem nobis ſignificare non gravetur dilectio veſtra. Salutate nobis domnum abbatem, qui humilitatem noſtram non ſolum ad obſequendum, ſed ad obediendum in quibus ſibi placuerit, promtam inveniet. Salutate nobis domnum ROGERUM abbatem Augenſem cariſſimum noſtrum.

DIPLOMA PETRI EPISCOPI Anicienſis, eccleſiam de Doa Stephano abbati S. Evurtii & ejus ſucceſſoribus reformandam concedentis.

PETRUS Dei gratia Anicienſis epiſcopus, omnibus eccleſiæ fidelibus in perpetuum. Sollicitudinis ac providentiæ paſtoralis eſſe debet, ea quæ ad honorem Dei & religionis augmentum ſpectant ſpecialiter diligere, & ſi qua negligentius aguntur a ſubditis in me- [b] lius reformare. Eapropter eccleſiæ de Doa, (b) in qua diſciplina regularis & canonicus ordo pene deperierat, ad petitionem cariſſimi fratris & amici noſtri magiſtri STEPHANI abbatis, eccleſiæ S. Evurtii Aurelianenſis donavimus & conceſſimus, ut in ea regularis ordo per inſtitutionem prædicti abbatis & ſucceſſorum ejus ſecundum approbatas conſuetudines eccleſiæ ſuæ deinceps obſervetur, & honor Dei & ſanctæ ipſius eccleſiæ per regulariter ibi ſervientes canonicos ſucceſſu temporum perfectius augeatur. Huic donationi noſtræ interfuerunt & idipſum fieri poſtulaverunt canonici Anicienſis eccleſiæ, Odo Caprarius ſacriſta, Petrus Gualli theſaurarius, Mauricius Stephanus Sauverius. Quod A ut ratum & firmum permaneat, ad perpetuam memoriam præſentem cartulam fecimus conſcribi, & ſigillo noſtro confirmari.

BULLA ALEXANDRI PAPÆ III.
ad canonicos regulares S. Satyri.

Hortatur eos ad regularem diſciplinam ſedulo obſervandam, vetatque ne etiam extra cœnobium carnibus veſcantur.

ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis capitulo S. Satyri, (c) [c] B ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Eos qui relictis vanitatibus & mundanis illecebris in arctiori vita devoverunt Domino famulari, ſumma cura & diligentia vigilare oportet jugiter & intendere, qualiter aſſumtæ religionis habitus moribus & vitæ concordet, & propoſitum ſuum firmum & immobile conſervetur, ne ſuper arenam, ſed potius ſuper firmam petram Domini videantur fundaſſe. Inde eſt quod caritatem veſtram monemus, mandamus atque præcipimus, quatenus dilecto filio noſtro abbati veſtro omnimodam obedientiam & reve- C rentiam devote & humiliter impendentes, circa cultum religionis & honeſtatis, & canonici ordinis obſervantiam, ſicut olim bonæ memoriæ Radulfo (d) quondam abbati veſtro [d] ferventer & unanimiter intendatis, conſuetudines illas probatas, quæ in diebus ejuſdem abbatis ſalubri & rationabili providentia in monaſterio veſtro inſtitutæ fuerunt pariter & ſervatæ, præſertim in carnalis eſus abſtinentia extra clauſtrum ſicut in clauſtro nullatenus violare tentetis. Si quis autem veſtrum contra eaſdem inſtitutiones temere venire tentaverit, uſque ad ſatisfactionem D congruam eum eidem ſententiæ ſubjacere decernimus, quam prædictus abbas in earumdem tranſgreſſores rationabiliter ſtatuiſſe [dicitur,] quod in capitulo nullus veſtrum pro evitanda diſciplina in voce appellationis prorumpat. Et ſi pro tali cauſa duxerit appellandum, appellationem ipſam nullius momenti eſſe cenſemus, quominus ſecundum ordinis inſtituta regulari diſciplinæ ſubdatur. Datum Beneventi.

(a) Guillelmus, ut opinor, canonicus S. Genovefæ, de quo ſupertius in epiſtola Alexandri papæ ad abbates S. Germani & S. Victoris, &c.

(b) Ex hoc diplomate plura ſunt emendanda, quæ in nova Gallia Chriſtiana referuntur de abbatia de Doa. Eam ſcilicet primo conceſſam fuiſſe Præmonſtratenſi ordini, atque, ſecundam, ut creditur, ordinis illius domum extitiſſe, quæ a fervore primævæ obſervantiæ jam deſciviſſet ſub Petro Anicienſi epiſcopo. Nam ſi *ejus origo refertur ad annum* 1138. ut ibi dicitur, qua ratione dici poteſt ſecunda domus ordinis, qui eo anno jam totum per orbem dilatatus erat? Quomodo deſciviſſe a primævo fervore, qui tum ubique vigebat? ſed neque mendum irrepſiſſe dicendum eſt in epiſtolæ Stephani Tornacenſis ad epiſcopum Anicienſem inſcriptione *pro eccleſia S. Evurtii*; nam cum Stephanus tum abbas S. Evurtii Aurelianenſis petiiſſet a Petro epiſcopo eccleſiam de Doa ſibi ſuiſque ſucceſſoribus ſubjiciendam, non mirum ſi epiſtola illa E inſcribitur *pro eccleſia S. Evurtii*. Quo vero anno a canonicis regularibus ad Præmonſtratenſes Doa tranſierit ignoramus.

(c) Abbatia eſt ordinis S. Auguſtini in diœceſi Bituricenſi haud procul a Sacro-Cæſare fundata.

(d) Qui obiiſſe videtur anno 1164. nam eo anno ſucceſſorem habuit Johannem, ut patet ex bulla Alexandri III. in nova Gallia Chriſtiana relata.

EPISTOLA LUDOVICI VII. REGIS ad canonicos S. Genovefæ.

Hortatur eos ad vitam religioſe ducendam.

LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex toti conventui S. Genovefæ de Monte, ſalutem & dilectionem.

Eccleſia veſtra quæ ab antiquis temporibus magni nominis extitit, & regalis eſt eccleſia, ſicut magnifice bonis exterioribus eſt ampliata, ita interius ordinis obſervantia & cultu juſtitiæ debet eſſe decora. Eapropter univerſitati veſtræ mandamus & precamur, ut dum in hac titubatione & ſine paſtore eſtis, oves errabundæ non ſitis. Cavete ne nominis veſtri nitorem infamiæ rumor aſpergat, & color optimus vertatur in pallorem. Efficite ut magnitudini nominis fervor religionis concorditer accedat. Si quis autem deviaverit, ab errore viæ ſuæ revocetis; & ſi rebellis inventus fuerit, ſecundum ordinis veſtri regulam & diſciplinam ſancti Victoris corrigatis, & ad obediendum prælatis rigore animadverſionis coërceatis. Videte tamen ut ita verba paterna habeatis, ut ubera materna non deſint. Taliter agentibus vobis nec conſilium deerit, nec auxilium noſtræ.... Civitas ſupra montem poſita non poteſt abſcondi, & vos cum ſitis in monte, curate, & ſeduli eſtote, ne lucernam veſtram, quæ & omnibus lucet, pravarum actionum fumus extinguat. Qui eſt in monte arduum virtutum montem non deſerat, nec in plano vitiorum, ubi Cain fratrem occidit, deſcendat.

DIPLOMA LUDOVICI VII. REGIS pro S. Victore.

De decimis de Villaribus.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ego LUDOVICUS Dei gratia Francorum rex. Quoniam plurimi meditantes dolum omnino vigilant ad rapiendum, expedit & præcipue religioſis, ut in pactis eorum intercedat conſcientia principum ad ſopienda jurgia malignantium. Notum itaque facimus omnibus futuris ſicut & præſentibus, quod ante nos multis aſtantibus Hugo Mala-punctura cognovit medietatem trium partium decimæ majoris & minoris de Villaribus, uſque ad quatuor annos ſe invadiaſſe eccleſiæ S. Victoris pro mille ſolidis per manum fratris Alardi, quod etiam laudavit Guido Sagitta frater Hugonis, & tali tenore ſtat wadium, quod non diſwadiabunt illud niſi ad ſuum retinere, & quod de manu ſua decimam non ejiciant. Cognoverunt etiam prænominati Hugo & Guido, quod Nicolaus ſororgius ſuus aliam medietatem trium partium prædictæ decimæ, & unum hoſpitem pro mille ſolidis eccleſiæ S. Victoris invadiaverat eodem per omnia tenore conventionis, aſſentiente uxore ſua Emelina. Et nos pro immobili firmitate vadium ſicut ante nos recordatum, ſcribi & ſigillo noſtro fecimus conſignari. Actum publice Meleduni anno ab Incarnatione Domini MCLXIX. aſtantibus in palatio noſtro quorum appoſita ſunt nomina & ſigna.

Signum comitis THEOBALDI dapiferi noſtri.
Signum GUIDONIS buticularii.
Signum MATTHÆI camerarii.
Signum RADULFI conſtabularii.
Data per manum HUGONIS cancellarii.

EPISTOLA G. HEREFORDIENSIS epiſcopi, ad Erviſium ſancti Victoris abbatem.

Petit aliquem ex ejus grege, qui eccleſiæ Wigornienſi paſtore viduatæ præficiatur.

G. Dei gratia Herefordienſis epiſcopus, dilectis ſibi in Domino E. S. Victoris abbati curæque ſuæ commiſſis fratribus, ſalutem, gratiam & benedictionem.

Nos vobis ad præſens ſcribere veſtræque benignitati preces affectuoſe porrigere caritas de cordibus fratrum veſtrorum imperioſa compellit. Plorans enim ploravit in nocte doloris ſui jam diu Wigornienſis eccleſia, nec poterunt hærentes maxillis ejus lacrymæ, niſi per vos reprimi leviter aut exſiccari. Optans itaque poſt amiſſi damna paſtoris patrem ſibi de more ſubſtitui, recurrit ad paſcua unde paſtorem primo ſuſcepit, unde primo canonicæ inſtitutionis rudimenta, Domino ſic diſponente, ſortita eſt. Unde cum ſupplici ſupplicamus, preces fraternitati veſtræ cum rogante porrigimus, quatenus eccleſiæ quam plantavit dextra veſtra, paſtorem idoneum providentes, & qualem ſibi noveritis expedire, de collegio veſtro concedatis, ut ipſos jugis obedientiæ & nos, ſi quid poſſimus, gratiæ & ſervitii debitores habeatis. Valere vos oportet in Domino, dilectiſſimi.

EPISTOLA ERVISII ABBATIS S. Victoris, ad O. cardinalem apoſtolicæ ſedis legatum.

Regem ei liberam concedere facultatem ad ſuos fratres cardinales revertendi.

REverendo patri & domino O. Dei gratia S. R. E. cardinali & apoſtolicæ ſedis legato, frater ER. eccleſiæ S. Victoris Dei patientia dictus abbas, cum devota ſalutatione debitam reverentiam & obedientiam.

Feci quod dignatio veſtra mihi injunxit, regem adii, devote ex parte veſtra ſalutavi. Secretum ac ſatis familiare de vobis cum ipſo

ipso colloquium habui, anxius curas & afflictiones cordis vestri & diligenter intimavi, & desiderium animi vestri & voluntatem redeundi, ac mandatis Domini papæ obediendi, si difficultas nimium periculosa non obstaret, exposui, ac demum de omni hoc perscrutando voluntatem ipsius consului. Ipse vero serenitatem vultus & animi exhibens, manifestavit de singulis, nec celavit a me voluntatem suam. Debeo igitur vobis domino meo responsionis meram veritatem renuntiare. Bono animo concedit, ut ad fratres vestros cardinales accedatis ubicumque fuerint, & cum eis consilium habeatis quam citius ad dominum papam redeundi. Salvum quoque conductum personæ vestræ & rebus vestris pro vestro amore & curiæ ratione & honore dabit per omnem terram suam, & per terram baronum suorum usque ad S. Ægidium, ibique præcipiet comiti & sorori suæ, ut vos excipiant & habeant cum honore & omni securitate, donec inde transitum inveniatis. De mora autem faciendi in terra sua nullum assensum ullo modo præbere voluit; immo vero ne de hac re sibi ulterius loquerer interdixit. Nunc itaque pro conductu ad eum sicut vobis expedire cognoveritis secure mittatis. Dixit tamen mihi quosdam transitus esse, qui sunt potestatis regis Angliæ. Per hoc vobis conductum non dabit, sed tantum per transitus qui sunt baronum suorum. Vale, & mihi puero vestro quæ volueritis imperate.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPÆ III ad abbatem S. Victoris.

Commendat ei Alexium diaconum apud sanctum Victorem commorantem.

ALEXANDER episcopus, servus servorum Dei dilectis filiis abbati & universo capitulo ecclesiæ S. Victoris, S. & A. B.

Cum universos Christi fideles ex injuncto nobis officio diligere debeamus, illos præsertim, qui specialius ad Romanam ecclesiam pertinent, magis caros debemus & acceptos habere, & eis propensiori studio providere. Inde est utique quod dilectum filium Alexium diaconum nostrum, qui in ecclesia vestra habitum canonicæ professionis accepit, & qui inter vos præsentialiter conversatur, vobis attentius commendamus. Rogantes & hortantes, ut eum pro reverentia B. Petri & nostra, intuitu quoque probitatis & honestatis ipsius, diligatis & honoretis, & ipsum de caro habeatis de cetero cariorem. Datum Præneſt. v. calend. Julii.

EPISTOLA LAURENTII abbatis Westinensis ad Ernestum abbatem S. Victoris.

Commendat ei Johannem sui prioris cognatum qui scholas regere desiderabat.

LAURENTIUS abbas Westinensis dilecto cognato suo E. abbati S. Victori salutem.

Innotescat vestræ dilectioni hunc præsentium latorem Johannem nostri prioris esse cognatum & nobis familiarem. Unde vestræ supplicamus caritati, quatinus illum in partibus vestris pro amore Dei & nostro consilii vestri & consolationis sustentetis amminiculo; & quia, Deo volente, scholas regere desiderat, quod ad perficiendum congruat propositum prece nostra castrum aliquod ei provideatis. Quidquid autem liberalitatis & & beneficii conferet illi vestra benignitas, nobis procul dubio arbitrabimur impensum. Valeat sanctitas vestra.

EPISTOLA E. ad Ervisium S. Victoris abbatem.

Significat mala quæ sibi ab Ursino milite inferuntur.

PAtri suo venerabili E. S. Victoris abbati, E. filius ejus utriusque vitæ beatitudinem.

Dicere, mi dilectissime, necessarium duxi mala quæ nobis ab Ursino milite inferuntur, & quantocius mandare. Expoliavit enim terram vestram omni supellectili sua, & terram vestram hominibus vestris colere interdixit, & insuper servientes quosdam conduxit, qui prædæ nostræ nocte dieque insidiantur. Quapropter a nobis in præsentia vestra tertia feria octavæ Pentecostes submonitus vix susceptit diem. Rogo igitur ut certum terminum adventus vestri ad nos per præsentium latorem significetis. Valete.

EPISTOLA R. ABBATIS S. EVURTII ad Ervisium abbatem S. Victoris.

Excusat se quod non venerit ad eum, commendatque illi sui monasterii negotia.

VEnerabili patri & amico præcordiali E. Dei gratia S. Victoris abbati, frater R. (a) pauperum S. Evurtii Aurelianensis minister humilis se totum, & si quid præter id potest. [a]

Ne vobis sit admirationi, dilecte pater, quod ad vos venire moram fecerimus, si enim optatum accepissemus nuncium super negotio nostro de quo vestræ dilectioni scripsimus, unde adhuc non minima premimur angustia, alacres & festinantes occur-

(a) Rogerius, sive Robertus, qui tempore Ervisii abbatis, monasterium S. Evurtii rexere.

reremus. Sed & abſque ulla ſpe illius negotii, ſi noſtra parvitate in aliquo egeris, non minus libenter & devote veſtræ obſequimur paternitati. Sicut vobis ſcripſimus, etiam nunc imminente neceſſitatis articulo ſcribimus & obnixius rogamus, quatenus totis pietatis viſceribus huic noſtræ neceſſitati compatiamini, & rem ſicut vobis mandavimus effectui modis omnibus emancipare ſtudeatis, quia debiti obligatione, quod auget quotidie uſura, domus noſtra gravata eſt. Per fratrem noſtrum Bituricenſem quod vobis ſuper hoc placuerit remandate. De invaletudine veſtra graviter contriſtamur: unde ſicut diximus, ſi in aliquo vobis neceſſarii ſumus, feſtini occurremus. De præbenda decani S. Marcelli, quam habet Aurel. de qua vobis alias mentionem fecimus, rogamus ut cum opportunitas occurrerit, pro nobis loquamini. Minimum enim ex ea ipſe conſequetur commodum. Vos autem Dei gratia magnum obtinetis gratiæ locum & apud ipſum decanum. Valete.

EPISTOLA RICARDI ABBATIS Briſtolienſis ad Erviſium abbatem S. Victoris.

Laudat monaſterii S. Victoris ſanctitatem, agitque gratias de impenſis Rob. gratiis.

VEnerabili domino & patri chariſſimo E. Dei gratia abbati S. Victoris, frater Ricardus cœnobii S. Auguſtini Briſtolienſis ſacerdos indignus ſalutem & dilectionis integritatem.

Exultat ſpiritus meus in Domino pro his quæ gratanter cognoſcimus, & frequenter audimus de ſancta religione & ſapientia veſtra in domo Domini, ubi ſic exterioris geritur cura ſollicitudinis, ut virtus intus floreat religionis. Super hæc autem vobis regratiari tenemur quantum poſſumus & quantum ſcimus, immo omnimode pluſquam valemus, de his quæ parvitati noſtræ ſcribere dignata eſt excellentia veſtra ſuper ſtatu præſenti & valetudine ſanctæ domus veſtræ; nihilominus quoque & pro his quæ erogaſtis beneficia fratri noſtro Rob. verbo, opere atque conſilio in omni officio & humanitate, quæ & alia vobis reddere non poſſumus, vobis retribuat retributor omnium bonorum Deus. Nos autem & fratres noſtri veſtræ paternitatis ſervi devoti in tranquillitate & bono pacis ſumus, proficere ſtudentes in domo Domini juxta modicum virium noſtrarum. Valete.

EPISTOLA L. ad R. ſubpriorem S. Victoris.

Gratias agit pro exhibitis obſequiis.

SUo patri ac domino R. S. Victori ſubpriori L. omne in Chriſto obſequium.

Veſtra ſancta religio & religioſa prudentia vos in patrem ac Dominum eligere mihi perſuaſit. Exinde vos mihi optimus pater, ego devotiſſimus extiti filius, ad omne veſtrum in Chriſto obſequium promtiſſimus. Proinde tamquam providus mihi pater & probatus amicus magiſtro R. inter me & ipſum pro utriuſque bono ſic diſpoſuiſtis, quatenus ſingulis annis pro neceſſitatibus meis quouſque in eccleſiaſtico beneficio provideret, decem marchas impenderet. Mihi quoque conſulenti ipſum, certam ſpem dandi beneficii, non tamen primi vel ſecundi, nec forte terni dare reſpondiſtis. Ideoque ad me veniens in camera ubi jacebam in præſentia veſtra & optimi amici noſtri domini Alexandri, ſicut diſpoſueratis inter me & ipſum firmiter ſe ratum habiturum reſpondit. Adjiciens quod abſque libris & ſine litteris domini papæ & domini cardinalis ad ſe non venirem. Nunc autem abbate Guygomoræ quoniam me venire feceris referente, in hunc modum reſpondit. Verum, eſt cuicumque moleſtum: ſic ejus vel eorum metu, quibus adventum meum moleſtum fore acceperat, forte factum eſt, ut nuper mihi mandaverit, quod ſeptem marchas & non ultra pro omnibus neceſſitatibus meis ſingulis annis daret, omni ſpe beneficii expreſſi ademta, forte immemor qualiter inter me & ipſum diſpoſueritis, ſicut nec in memoria ſua eſſe dicit, quod dominus cardinalis de me eum rogaverit expreſſim. Sicut inter me & ipſum diſpoſuiſtis abbati Guygo-moræ ſignificetis, qui & ei reducat in memoriam. Alioquin cum ſua, veſtra & mea nobilitatus confuſione remittet ſub fide religionis qua vos mihi & ego vobis teneor, hæc celanda vobis committo.

EPISTOLA G. ad Erviſium abbatem fratrem ſuum,

Ejus ſe commendat precibus, mittitque ei munuſcula.

REverenti domino ſuo & fratri amantiſſimo *Erviſio* eccleſiæ S. Victoris abbati G. ejus ſoror ibi eſſe ubi ad ipſum eſt.

Multum valet deprecatio juſti aſſidua, quanto magis igitur illius præcellit oratio, qui peculiari ſanctitatis prærogativa mundum cum ſuo flore ſub pedibus conculcans, mente & operatione divinæ voluntati aſſiſtit. Nos ergo, frater mi dilecte, quamvis non

parva chaos disjungat intercapedo, tamen non ſolum carnis affinitate, verum etiam orationum in Chriſto devotione exopto convinculari. Hinc ergo ſanctitati veſtræ proſperitatis meæ ſtatum denuncians, me virumque meum ſanos & hilares eſſe propalo. Munuſculum quoque tam grate quam jocunde ſuſcipiatis non minori exiguum, quam magnum amplectentes diligentia, per Petrum namque bajulum vobis tranſmitto albam pellem urſinam, dentemque rotallinum, & duos cutellos argento deaurátos. De cetero deinde eſt quod multi ex noſtratibus ſe ex viri mei parte dicentes, ad pietatis veſtræ portum confugient. Cui autem tales magis ſimiles dixerim, quam cani famelico, qui ubicumque prævaler cibum acquirit. Ergo itaque in veritate dico, quod nullum ad vos præter Salomonem & Johannem tranſmiſerim. Ut autem ambages eorum qui ad vos quaſi ex mea parte tranſmiſſi veniunt detegantur, rogo quod aliquod a vobis mihi trans deſtinetur, quod hujus rei inter nos interſignum eſſe prævaleat. Item iſtud oro quod a vobis mihi gariophilum & canelus mittatur. Salutat vos Salomon pro univerſitate beneficii ex pietate veſtra ei collati, debitor gratiarum devotus vobis exiſtens. Veſtræ quoque voluntati obnoxius pro magno quidem habiturus, ſi quid ei mandare velletis.

EPISTOLA ODONIS CARDINALIS ad Erviſium abbatem S. Victoris.

Commendat ei famulum & negotia ei commiſſa.

ODo Dei gratia, S. R. E. dictus cardinalis & apoſtolicæ ſedis legatus dilecto fratri E. abbati S. Victoris ſalutem.

Latorem præſentium famulum noſtrum, quem pro quibuſdam negotiis noſtris ad vos tranſmiſimus, dilectioni veſtræ commendamus, ut in his quærendis quæ ſibi injunximus diligentiam adhibeatis. Volumus enim ut duo bacillia, calicem, thuribulum & reliqua ad capellam, ſi opportunum invenerit, acquirat & cambium faciat, & rogamus ut cum adjuvetis.

EPISTOLA JONÆ CANONICI ad Erviſium abbatem S. Victoris.

Miſſus Ceſaris-Burgum rogat revocari ad S. Victorem.

Ex ſchedis veſtri Jacobi Bojer.

ERviſio patri ſuo ſpiritali Dei gratia B. Victoris Pariſienſis abbati F. Jonas ſuus qualiſcumque canonicus, miſer exul ac peregrinus, quam non habet ipſe, ſalutem.

Inveni, cariſſime pater, veriſſime dici

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos

Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Sic fera, ſic volucris, ſic piſcis nota requirit

In quibus ante locis paſcua parvus habet.

Nam locum ego illum cunctis jure prefero locis in quo me mater gratia cum multis fratribus ſponſo ſuo genuit Chriſto, ubi ego eſſe vellem, ut apud Cæſaris-Burgum non eſſem. Nec mirum;

Perfidus hic populus, & regis amor metuendus.

Hic terræ ſteriles, & vinea nulla ſuperſtes,

Silva caret foliis, deſunt ſua paſcua pratis,

Eſt mare confine, ſed mortis mille ruinæ.

Dulcius hic nihil eſt quam mala poſſe pati.

ſunt præterea quæ intrinſecus latent,

Anxia cura domus, rerum poſſeſſio parca,

Quam quærunt multi, non dare crimen erit.

ut ego hæc patiar, quod crimen admiſi? Si nullum: mitius exilium & veſtra potuit præcepiſſe obedientia, & mea inveniſſe ignorantia. Ne pigeat itaque tam pium paſtorem ovem reducere centeſimam, & benignum patrem filium e regione diſſimilitudinis redeuntem ſuſcipere perditum. Non rogo ſtolam primam, non vitulum ſaginatum; ſed fiat mihi ſicut uni ex mercenariis veſtris. Vale.

DIPLOMA MAURITII epiſcopi Pariſienſis.

De cenſu quem ſancti Victoris canonici apud S. Marcellum & Ivriacum poſſidebant.

QUoniam plerique perverſi animi ad decipiendum maxime intendunt, noſtri officii eſt, res in præſentia noſtra bene geſtas pro bono pacis ad notitiam poſterorum memoriæ tradere, & ſcripto confirmare. Ego igitur MAURITIUS Pariſienſis epiſcopus notum facimus præſentibus pariter & futuris, quod FERRICUS de Gentiliaco quemdam cenſum quem apud cenſum * Marcellum & apud Ivriacum eccleſia B. Victoris Pariſienſis de dono fratris Ferrici ejuſdem eccleſiæ canonici diu in pace tenuerat, de feodo ſuo & anteceſſorum ſuorum eumdem cenſum eſſe dicens, ſaiſivit. Eccleſia vero S. Victoris erga prædictum Ferricum querimoniam movit, & coram juſtitia noſtra placitavit. Tandem conſilio prudentium virorum habito in dicta eccleſia, ad confirmationem pacis ſupra nominato Ferrico quatuor libras denariorum donavit, & ipſe præſcriptum cenſum ſæpe memoratæ eccleſiæ: qui etiam clamavit, & quicquid proprii juris in eodem cenſu ſe habere dicebat, eidem eccleſiæ in præſentia noſtra in pace perenniter poſſidendum conceſſit, & juſtam ſe inde garantiam laturum promiſit. Quod etiam conceſſit & laudavit Anſelmus de Bruneyo ſæpedicti Fer-

* f. Sanctum Marcellum.

rici frater, videntibus & audientibus qui nobiſcum aderant, quorum ſuppoſita ſunt nomina & ſigna.

S. domni Anſelmi decani S. Marcelli.
S. Simonis de ſancto Dionyſio.
S. Gauterii capellani noſtri.
S. Magiſtri Manerii.
S. Marcelli clerici noſtri.
S. Theoberti de Monte Leterici.
S. Petri de Monterello.
S. Philippi de Athiis.
S. Hugonis mercatoris.
S. Drogonis carnificis.

Quod ne ſubrepens oblivio deleat, aut emergens calumnia contradicat, ſcripto mandari præcepimus, & præſentem paginam ſigilli noſtri auctoritate roboramus.

Actum publice Pariſius anno Incarnationis Verbi MCLXXI. epiſcopatus vero noſtri anno XI. (a) [a]

EPISTOLA ANONYMI ad amicum.

Significat ſe tyrunculum apud ſanctum Victorem feliciter eſſe, petitque ſibi S. Thomæ reliquias tranſmitti.

AUdito, cariſſime, quod bene viveres, quod bene valeres, quod in cunctis proſpere ageres, quod Deo & hominibus moribus placeres, quod de me rumores cognata diutius pietate libenter audires, gaviſus ſum gaudio magno, & cum mortuus mundo ejus abſolutus affectibus vivat, hac in parte fateor non me penitus abſolvi. Verumtamen iſtud non mundi, ſed magis caritatis donum eſt, quæ pium pectus tuum ſicut de me cognato tuo aliquando ſollicitat, ſic quoque pro te cognato meo jamdiu piis verberans curis affecit. Quibus, Deo gratias, jam ex parte liberatus, unum eſt quod reſtat, ut tuam itidem ſollicitudinem, ſi qua pro me eſt, per latorem præſentium & præſentem indicem cartulam exonerem. Pariſius itaque ad aratrum dominicum manu miſſa in domo Dei ac beatiſſimi Victoris ſub regula canonica ſancti Auguſtini tyrunculus degens, Chriſto militare decrevi, cui ſervire regnare eſt, cujus obtemperare frenis ſumma libertas eſt, ubi vivo, jam non ego, ſed qui habitat in me Chriſtus, ubi mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo, non quærens ibi quæ mea ſunt, ſed quæ JESU-CHRISTI, & hæc eſt gloria mea tam poſſe quam velle Deo placere. An adhuc ſublimioribus inhias & majora de me audire delectat? En intus memoriam conſulo, & me nihil ſcire, nihil eſſe reperio. Sed quid dicam? Magis & quaſi majora promiſi, & ecce tandem ad nihilum redactus ſum & neſcivi. Aut forſitan ſic deſcendiſſe magis aſcendere eſt juxta illud: Qui ſe humiliat exaltabitur. Ille etenim vere humilis eſt, qui mavult reputari vilis, quam prædicari humilis. Et hæc hactenus: ſupereſt ut flagrantiſſimi deſiderii mei tibi cariſſimo meo ſecreta revelem, quatenus ſi quo modo ſedulitate tua interveniente de ſacris glorioſi Chriſti martyris Thomæ (b) reliquiis [b] aliquam particulam habere poſſem, obnixius attendas. Erit enim mihi theſaurus pretioſus ſuper aurum & topaſium dilectus. Erit mihi in peregrinatione comes & ſolamen. Erit mihi contra inſidiantis inimici teſtamenta dulce præſidium, ut me oviculam ſuam pius paſtor protectionis ſuæ humeris impoſitam gregis ſui numero non deeſſe patiatur. Quod ſi deſiderium meum complere ſtudueris & effectui rem mancipaveris, in vaſe ſignato & nuntio fideli aliquo inde huc remeante tranſmittere feſtines. Vale.

(a) Ex hoc loco patet initium pontificatus Mauricii epiſcopi non ad annum 1164. repetendum eſſe ut volunt Sammartani, ſed ad 1160.

BULLA ALEXANDRI III. PAPÆ ad archidiaconum Pariſienſem.

Ut nihil exigat pro abbatis inthronizatione.

ALEXANDER archidiacono Pariſienſi. Cum ſis vir litteratus & diſcretus, te nullatenus ignorare credimus, eos graviter excedere, & creatorem ſuum ſibi reddere offenſum, qui pro elatione & inthronizatione alicujus viri eccleſiaſtici præmium exigere & extorquere præſumunt, cum id ad ſimoniacam pravitatem non ſit dubium pertinere. Ex parte ſiquidem dilectorum filiorum noſtrorum abbatis & fratrum eccleſiæ S. Victoris Pariſienſis ad nos eſt quæſtio perlata, quod tu ab eis centum ſolidos exigere non vereris, eo quod prædictum abbatem contra antiquam & rationabilem conſuetudinem prædictæ eccleſiæ poſt benedictionem ſuſceptam in ſedem poſuiſti, cum id tantum ad priorem & ſubpriorem ejuſdem eccleſiæ pertinere dicatur. Quia vero inthronizatio abbatis vel alicujus eccleſiaſtici viri libera & gratuita eſſe debet, ſicut & electio; diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus pro inthronizatione prædicti abbatis a fratribus prædictæ eccleſiæ nihil per te vel per alios exigas, & eis hac occaſione nullam moleſtiam inferas vel gravamen, ſed ipſos libere orationi vacare permittas. Quod ſi ſecus agere præſumſeris, & ab eorum indebitis gravaminibus non deſtiteris, nos auctore Domino, eiſdem in jure ſuo, ſicut nec debemus; nulla ratione deerimus.

(b) Cantuarienſis archiepiſcopi martyrio coronati 29. Decembris 1170. quem ſequenti anno Alexander III. ſanctorum albo inſcripſit. Unde hæc epiſtola ſcripta videtur poſt annum 1171.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPÆ III. ad Ludovicum VII. regem.

De reformando monaſterio S. Victoris.

ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio LUDOVICO Chriſtianiſſimo Francorum regi S. & A. B.

Conſiderantibus nobis eximia gloriæ tuæ præconia, nihil facile videtur occurrere, quod te tanta commendatione dignum, & tam ſecurum de ſempiterna retributione poſſit efficere, quam quod ſincera devotione religionem diligere comprobaris, & ad eam in regno tuo plantandam juxta quod regiæ conconvenit officio dignitati, libenter intendis. Utinam qui ſunt in ordine ſacerdotum ad inſtitutionem & conſervationem religionis eo animo & cura procederent, quo favor regius ad defenſionis auxilium ſequeretur. Credimus enim quod ita per regnum tuum totius eccleſiæ ſtatus ſe haberet, quod & nomen Domini honoraretur in omnibus, & turba fidelium populorum in via vitæ duces plurimos invenirent. Nunc autem dormitantibus ſacerdotibus, quos aliorum cuſtodiæ oportet intendere, tepeſcit in multis locis ſacra religio, & ut cujuſdam verbis utamur, pro molli viola & purpureo narciſſo, infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ. Hoc ſane in eccleſia S. Victoris non modicum dolemus accidere, quæ cum olim in religione floreret, ita nunc, quod triſtes dicimus, in ſuæ profeſſionis aſſeritur obſervantia tepuiſſe, ut quæ multis manum in via ſalutis currentibus porrigebat, nunc auxilio alieno indigeat, & non inveniat qui ſublevet eam. Nec tamen ex eo perhibetur accidere, quod non ſint ibi plures qui & notitiam religionis habeant & amorem; ſed quibuſdam cum ſuo capite membris languentibus, in eadem eccleſia fervor religionis noſcitur tepuiſſe. Nos autem cum jam dudum ad nos ſuper eorum tepiditate relatio pervenerit plurimorum, diſtulimus hactenus aurem apponere, & neceſſariam adhibere tam gravi valetudini medicinam: expectantes quod aliquando reducerent oculos ad ſeipſos, & de reformanda religione ſtudioſius cogitarent. Capite vero quæ ad emendationem ſuorum & ſubditorum pertinent negligentius exequente, nos jam tandem exequutioni eorum quæ dicta ſunt oportet intendere; & ſi verus ſit rumor, qui totiens aures noſtras aſperſit, quia in propria perſona non poſſumus, per alios invenire cogimur: ita quidem ut ſi vera competerent quæ dicuntur, per eoſdem, dilatione ſepoſita, medicina, quam viderint neceſſariam, apponatur. Venerabilibus ergo fratribus noſtris WILLELMO Senonenſi archiepiſcopo, STEPHANO Meldenſi epiſcopo & N. abbati Vallis-Secretæ vices noſtras in hoc negotio prævidimus committendas, qui quanto pleniorem & faciliorem hujus rei poterunt habere notitiam, tanto cum minori gravamine ſalutis remedia providebunt. Quia vero magnificentiæ tuæ ad cumulum mercedis accedit, ſi per illorum inſtantiam, favore regio imminente, prædictæ ſtatus eccleſiæ dirigatur, celſitudinem tuam monemus & exhortamur in Domino, quatenus ad exequutionem hujus negotii favorem tuum impendas, & nullam patiaris contradictionem apponi, quominus ibi quæ prædicti viri ſtatuenda viderint, ſtatuantur: ne ſi forte diutius medicina tardaverit, & diſſimulantibus nobis languor ceperit aggravari, ſenſus etiam doloris intereat, & cum multa difficultate poſt modum vix redeat ad ſalutem. Datum Tuſculi Calendis Februarii.

RESCRIPTUM ALEXANDRI PAPÆ III. ad Senonenſem archiepiſcopum, Meldenſem epiſcopum & abbatem Vallis-Secretæ.

Ut viſitent monaſterium S. Victoris, & inquirant de vita & moribus abbatis.

ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabilius fratribus WILLELMO Senonenſi archiepiſcopo apoſtolicæ ſedis legato & STEPHANO Meldenſi epiſcopo, & dilecto filio abbati Vallis-Secretæ S. & A. B.

Crebra jam dudum ſuggeſtio ſuper ſtatu eccleſiæ S. Victoris noſtrum pulſavit auditum, & timemus nos in extremo examine ſeverius judicandos, ſi ad inquirendum & corrigendum quæ ſuggeruntur tardi fuerimus aut remiſſi, dicente ſcriptura: *Maledictus qui prohibet gladium ſuum ab omni ſanguine.* Olim ſane ad doctrinam ſalutis, quæ de loco illo fluebat, & bonæ converſationis odorem quo eadem flagrabat eccleſia, in multis eccleſiis & prava in directa & aſpera convertebantur in vias planas, & erat vere puteus aquarum viventium, de quo arentia corda multorum ad extinguendum mundanorum deſideriorum æſtum vitæ potum haurirent. Nunc autem, ut dicitur, dormitante paulatim incuſtodia proviſoris, & frigeſcente in capite religionis amore, ad partem quoque membrorum quidam ſe lethalis torpor effudit: & factum eſt ibi, quod de quodam dicitur per prophetam: *Comederunt alieni robur ejus, & neſcivit; ſed & cani effuſi ſunt in eo, & ipſe ignoravit.* Nec hoc tamen dicimus, quod non credamus ibi & ſapientes & religioſos viros plurimos inveniri, qui multis eſſe poſſint odor vitæ in vitam. Sed non eſt facile cum multa vi remigum dirigi nunc ad portum, ſi rector qui clavum tenet imperitus fuerit aut remiſſus; idcirco ne forte contingat illi, quod de ſe ipſo lamentabatur propheta di-

cens: *Amici mei & proximi mei adverſum me appropinquaverunt, & qui juxta me erant a longe ſteterunt*, quia in propria perſona eamdem eccleſiam viſitare non poſſumus, vobis viſitationis officium decernimus dependendum, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus illuc accedentes, de ſtatu ejus & de actibus abbatis ac fratrum, maturitate ac diligentia qua convenit inquiratis, & quicquid ibi cognoveritis corrigendum, vice noſtra taliter corrigatis, ut & religio ibi per ſtudium veſtrum & gratia divina refloreat, & nos de diſſolutione tantæ domus non teneamur in die judicii reddere rationem. Si videritis autem quod niſi per amotionem unius aut plurium perſonarum ſtatus eccleſiæ reformari non poſſet, nec in hoc parcat gladius veſter, ſed plenam a nobis auctoritatem accipite, appellatione remota, quæve evellenda fuerint evellendi, & quæ plantanda fuerint, Domino auctore, plantandi. Nos enim ita per vos apud Deum volumus excuſabiles inveniri, ut non ſit quod a nobis de ſpirituali ejuſdem eccleſiæ detrimento in extremo examine requiratur. Si autem his exſequendis, vos tres non poteritis intereſſe, duo veſtrum nihilominus hæc quæ dicta ſunt maturius exſequantur. Datum Tuſculi Calendis Februarii.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPÆ III. ad abbatem & canonicos S. Victoris.

Ut viſitatores ab ipſo deputatos benigne recipiant, & eis quæ ad reformationem neceſſaria fuerint aperiant.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis abbati & canonicis S. Victoris Pariſienſis, S. & A. B.

Jam dudum ad nos de ſtatu veſtro pervenit, quod requiri diſtrictius & corrigi oportebat. Nos autem quia eccleſia veſtra longo tempore per Dei gratiam religione floruit & ſcientia; ita ut in odore unguentorum veſtrorum multi concurrerint, & in lumine veſtro viderunt lumen, expectavimus hactenus, ſi tandem per voſmet ipſos rediretis ad vos, & de medio veſtri diſſenſionis & ſcandali materiam tolleretis. Ceterum quia in expectatione noſtra non tam correctionem aliquam ſubſequi, quam infirmitatem veſtram aggravari conſpicimus; dignum duximus ad eccleſiam veſtram perſonas aliquas deſtinare, venerabiles ſcilicet fratres noſtros WILLELMUM Senonenſem archiepiſcopum, apoſtolicæ ſedis legatum, & STEPHANUM Meldenſem epiſcopum, & dilectum filium N. abbatem Vallis-ſecretæ, qui quomodo ſe habeat ſtatus veſter inquirerent, & quæ corrigenda cognoverint, appellatione remota, corrigant & emendent. Quocirca per apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandamus, quatenus expoſitis eis, cum ad vos venerint, quæ neceſſitas & emendatio veſtra poſcit exponi, quod inter vos ipſi, vel duo eorum, de reformanda ordinis diſciplina, aut de perſonis, ſi res exegerit, amovendis ſtatuendum eſſe cognoverint, ſuſcipiatis humiliter & firmiter obſervetis. Datum Tuſculani calendis Februarii.

EPISTOLA ALEXANDRI & Theoderici cardinalium, ad Willelmum Senonenſem & Stephanum Bituricenſem archiepiſcopos.

Ut Erviſio quondam abbati locum ad quem miſſus fuerat retinere conanti obſiſtant.

DIlectis & diligendis ſemper in Chriſto fratribus WILLELMO Dei gratia Senonenſi & apoſtolicæ ſedis legato, & STEPHANO Bituricenſi archiepiſcopis ALEXANDER tituli S. Laurentii in Lucina, & THEODERICUS S. Vitalis dignatione divina cardinales, apoſtolicæ ſedis legati, cum juſtitia parere in conſpectu Dei.

Inveteratis in via ſæculi peccatoribus & ad viam ſalutis per auſteriores obſervantias renovandis, utiliter & provide conſulitur, ſi peccandi opportunitas adimatur. De fratre ERVISIO quondam S. Victoris abbate, quomodo carnem ſuam crucifixerit cum vitiis & concupiſcentiis, quam diligens etiam de ſalute ſubditorum ſuorum extiterit, non oportet nos auribus veſtris intimare. Vos enim plenius noſtis, qui effodiſtis parietem, & latentia interius reptilia conſpexiſtis. Nunc autem, ut dicitur, quod timuerunt fratres in amotione ipſius, niſi prudentia veſtra occurrat, evenit eis, & quod verebantur accidit. Locum etenim illum, in quem ad tempus eum vos mittere dicebatur, donec videlicet ordinaretur eccleſia, retinere laborat; & qui ſi recte ſaperet, locum ſibi deberet eligere, in quo labore manuum, afflictione corporis, & voluntaria paupertate ſatisfaceret Domino Deo ſuo, locum potius habere deſiderat, in quo tranſgreſſionibus tranſgreſſiones accumulet, & epuletur quotidie ſplendide cum illo divite purpurato. Non eſſet hoc bonorum, ſicut credimus, medicorum, qui & reſtitutione cibi, & opportunitate loci ſalubrem providere debent languentibus medicinam. Unde caritatem veſtram monemus & exhortamur in Domino, quatenus ponatis ad hoc pontificalem ſollicitudinem, & ne in peſtifera illa voluntate prævaleat, ſtudioſius peragatis, ne ſanguis illius in die judicii de manu veſtra requiratur. Si etenim dicta & in aliis quæ invitis etiam interdum a bonis medicis inferuntur, ſalubriter ei non fuerit proviſione veſtra conſultum.... Valete.

EPISTOLA ALEXANDRI & Theoderici cardinalium, ad Guarinum abbatem.

Gratulantur ei de ſua promotione, hortantur, ut conſtruendis magnis ædificiis non inſiſtat.

ALEXANDER dignatione divina tituli ſancti Laurentii in Lucina, & THEODERICUS tituli S. Vitalis preſbyteri cardinales apoſtolicæ ſedis legati, dilecto in Chriſto fratri GUARINO abbati S. Victoris exerceri ſemper in juſtificationibus Dei.

Scribimus fratribus noſtris Senonenſi & Bituricenſi archiepiſcopis, ſicut vobis & eccleſiæ veſtræ credimus expedire. Sane in honore vobis impoſito, & gaudemus ſuper eo quod factum eſt, quoniam ad ſalutem multum, auxiliante Domino, provenire ſperamus, & lætamur quod difficultatem proviſionis vobis impoſitæ attenditis & timetis. Utinam hoc religio veſtra ſemper attendat, & cum timore & tremore conſideret, cui & unde in die judicii oporteat rationem reddere. Credimus enim quia non facile locus dabitur negligentiæ, ſi hoc ſedulo fuerit in animo veſtro verſatum. Anteceſſor veſter ſicut & alii multi de magnarum domorum conſtructione ſolliciti fuere : vos qui electi eſtis a Domino, & veniendo ad religionem talia dimiſiſtis (a) in ſæculo, ſedete ad pedes JESU cum Maria, & audite verbum ex ore ipſius, quod commiſſis vobis ovibus & aliis qui ad vos venerint proponere debeatis, ne ſi forte terrenis ædificiis conſtruendis decreveritis inſiſtendum, evangelicum illud valeatis audire: *Omnes ædificationes iſtæ deſtruentur, & nec lapis ſuper lapidem relinquetur.* Porro & nos bona ſpe quam de veſtra religione concepimus, & teſtimonio piæ veſtræ converſationis imbuti, & perſonam veſtram in viſceribus caritatis habere proponimus, & negotia commiſſæ vobis eccleſiæ in timore Dei libenter volumus promovere.

[a]

EPISTOLA MAURITII epiſcopi Pariſienſis, ad Willelmum archiepiſcopum Senonenſem.

Ut ad S. Victorem accedens, eccleſiæ theſaurum quem Erviſius retinere conabatur, Guarino reſtituat.

WILLELMO Dei gratia Senonenſi archiepiſcopo, MAURITIUS Pariſienſis epiſcopus, ſalutem.

In quantam & quam pernicioſam frater ERVISIUS quondam abbas S. Victoris ex inordinatis actibus ſuis eccleſiam & fratres univerſos, qui tam religione, quam litteratura, præ ceteris præeminere dignoſcuntur, adduxerit confuſionem, veſtra novit plenius circumſpectio, qui cum ſanctos qui ſecum erant pro viribus impugnaverit, & ſanctitatem perſecutus fuerit, ei per Dei gratiam, ſibi amputata nocendi facultate, nondum, ut accepimus, quærit nomen Domini, ſed adhuc manus ejus extenta eſt, & cum internam & externam non poſſet ſubvertere diſciplinam, variis & innumeris tentationum generibus exteriorem nititur perturbare quietem. Proinde cum theſaurum eccleſiæ adhuc occultare contendat, fraternitati veſtræ præſentium auctoritate iterato mandamus, quatenus ad eccleſiam omni mora ſemota accedentes, ſub teſtimonio dilecti filii noſtri GUARINI abbatis & fratrum memoratæ eccleſiæ, thecam & repoſitoriola prætaxati ERVISII ſcrutari curetis, & calicem aureum & alia quæ ad jus eccleſiæ S. Victoris ſpectantia ibidem inveneritis, abbati & fratribus aſſignetis. Depoſitum vero archiepiſcopi Daciæ in loco reponatis in eccleſia majori. Si vero memoratus ERVISIUS prædicta exhibere detrectaverit, nihilominus vaſe iniquitatis & mammonæ confracto, quæ prædiximus executioni mandetis.

(a) Hinc colligere licet Guarinum illuſtri fuiſſe genere ortum.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPÆ III ad canonicos S. Victoris.

Ceſſionem Erviſii & Guarini promotionem confirmat.

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis canonicis eccleſiæ S. Victoris Pariſienſis S. & A. B.

Quanto eccleſia veſtra majori hactenus religione floruit, & ampliori refulſit gloria meritorum, tanto audita reformatione ipſius lætati ſumus & gavisi, & de ipſius commodo & profectu exhilarati. Audivimus ſane quod venerabilibus fratribus noſtris Bituricenſi & Senonenſi archiepiſcopis cooperantibus, & ad hoc juxta mandati noſtri tenorem toto ſtudio laborantibus, eccleſia veſtra in ſtatum & gradum ſit priſtinum reformata; & ERVISIO quondam abbate ſpontanee in præſentia dilectorum filiorum noſtrorum ALEXANDRI tituli S. Laurentii in Lucina, & THEODORICI tituli S. Vitalis preſbyterorum cardinalium, apoſtolicæ ſedis legatorum, adminiſtrationi cedente, cujus culpa ſtatus ejus fuerat in parte non modica deformatus, perſonam idoneam, honeſtam & litteratam in abbatem veſtrum communiter elegiſtis, & providere vobis curaſtis unanimiter in paſtorem. Nos vero quibus convenit rationabilibus votis ac ſtatutis gratuitum præſtare favorem, & incrementa deſiderare, recentem electionem veſtram, & abrenuntiationem illius, de communi noſtrorum fratrum conſilio ratam & firmam habemus & confirmamus : univer-

ſiratem veſtram monentes atque mandantes, quatenus abbati veſtro quem elegiſtis, debitam reverentiam & obedientiam impendatis, & ita vos ſibi devotos & humiles exhibere curetis, quod per obedientiam veſtram & providentiam illius ordo religionis & honeſtatis in eccleſia veſtra refloreat, & plenius valeat, auxiliante Domino, conſervari. Datum Tuſcul. tertio idus Aprilis.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPÆ III. ad Guarinum abbatem S. Victoris.

Gratulatur ei de ſua electione, hortatusque ut paſtoris vices diligenter obeat.

ALexander epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Guarino abbati ſancti Victoris Pariſienſis, S. & A. B.

Intellecto & cognito, quod cum, Ervisio quondam abbate eccleſiæ, cui præeſſe dignoſceris, libera & ſpontanea voluntate adminiſtratione cedente, fratres ipſius eccleſiæ te ſibi elegiſſent communi voto & deſiderio in abbatem, tanto inde magis lætamur atque gaudemus, quanto de ipſius eccleſiæ tribulatione dolebamus amplius, & pro ejus ſtatu majori anxietate & ſollicitudine urgebamur. Unde quia decet te ſollicite attendere, quantæ religionis & honeſtatis eccleſia, ad quam es, Domino providente, vocatus, hactenus extiterit, & quomodo ibi rigor regularis diſciplinæ viguerit, diſcretionem tuam monemus atque mandamus, quatenus injunctæ tibi adminiſtrationi providenter & conſtanter intendas, & ita commiſſum tibi officium ad honorem Dei & ædificationem tuam & eorum qui tibi commendati ſunt, cum auxilio cœleſtis gratiæ efficaciter & diligenter exerceas, quod ibi per prudentiam tuam & ſollicitudinem tuam religionis ordo ſemper refloreat, & de die in diem magis ac magis ſuſcipiat incrementum. Nos enim te & eamdem eccleſiam diligere volumus & fovere, & vobis cum fuerit opportunum apoſtolicæ defenſionis patrocinium miniſtrare. Datum Tuſculani III. idus Aprilis.

EPISTOLA GUARINI ABBATIS S. Victoris, ad Johannem cardinalem Neapolitanum.

Se non poſſe ei quos petierat fratres mittere, uno jam defuncto, altero graviter ægrotante; ſed & ægre alios mitti poſſe.

REverendo domino & patri in Chriſto cariſſimo J. Dei gratia S. R. E. cardinali Guarinus eccleſiæ B. Victoris Pariſienſis miniſter humilis, ſalutem in Domino, & promtum cum devotione ſervitium.

Prædeceſſori meo de duobus fratribus, ac denuo cerata epiſtola, idem parvitati meæ veſtra mandavit ſublimitas, ipſos quos volebatis, utriſque in litteris etiam ſubjunctis nominibus, Petrum videlicet Petragoricum & Hugonem de S. Germano ſpecialiter deſignaſtis, quorum alter, Deo vocante, tranſiit; reliquus vero ſine ſpe evadendi morbo incurabili infirmatur. Cum autem morte & languoris præpediente moleſtia, eorum poſſet neuter deſtinari, quid agere neſciens, dominos Senonenſem ac Bituricenſem alioſque prudentes ac religioſos viros conveni, quid ſuper hoc mihi faciendum conſulerent: laudaveruntque ex quo in veſtra epiſtola eligendi pro voluntate alterius nihil reliqueratis arbitrio, alios non eſſe tutum dirigere, ne forte oneroſi magis quam grati, ſi non eos quos volebatis miſiſſem, ſed alios. Ob hoc etenim differendum conſuluerunt, ut comperta vobis multiplici eccleſiæ neceſſitate, compaſſionis viſceribus, parcendo ei, veſtra pietas condeſcendat. Viri quippe religioſi, quorum quondam religione & providentia regebatur eccleſia, maxima jam obierunt ex parte, paucique ſurrexerunt poſt eos. Domus perturbationibus fatigata, oppreſſa debitis, bonis temporalibus nuda. Et ſi inter tot curarum anguſtias, eos paucos, qui mihi remanſerunt, qui me adjuvando ſupportare debent, cogor dimittere; & ſi oculos qui mihi religionis & diſciplinæ debent viam monſtrare, perdidero, de facili profecto errare continget, nec ſolus potero onus & providentiam domus portare. Tandem, humanum dico, ſecreta infirmitate operiens mortem, valde & propter terræ inſuetam aſperitatem & aëris qualitatem corruptam fratres paveſcunt: quoniam ſi noſtrates laïci cum illuc vadunt, quive ſpatiandi, eundi & redeundi habent libertatem omnimodam, vix vel modicum vivere poſſunt; iſti clauſtro clauſi, quomodo vivere in longinquis poſſent? Has cauſas & occaſiones fratres prætendunt, unde & graviſſimum duco eis injungere quod ſi fit, contra voluntatem ſuſcipitur; ſi non fit, periculoſe valde negatur. Parcat igitur nunc, domine, infirmitatibus noſtris veſtræ clementiæ magnitudo, & eccleſiæ inſtantes attendite neceſſitates. Ego enim in quibuſcumque potero, veſtris ſum paratus obedire mandatis.

EPISTOLA GUARINI ABBATIS S. Victoris, ad Alexandrum papam III.

Ejuſdem argumenti.

SAnctiſſimo patri & domino Alexandro Dei gratia univerſalis eccleſiæ ſummo pontifici, Guarinus eccleſiæ S. Victoris Pariſienſis miniſter humilis, ſalutem in Domino, & ſubjectionis omnimodæ devotiſſimum famulatum.

Exiguitati meæ, de voluntate, ut arbitror, domini

domini JOHANNIS Neapolitani, vestra mandavit sublimitas, quatenus ei duos canonicos religiosos & litteratos ad ordinem canonicum in ecclesia, quam ad hoc ipse construi fecerat, tenendum & conservandum destinarem. Prædecessori meo semel superhoc ante jam scripserat, duos etiam subjunctis nominibus, Petrum scilicet Petragoricum & Hugonem de S. Germano specialiter requirens, quorum alter mortuus, reliquus vero languore infirmatur continuo. Cum autem dominus cardinalis unum esse mortuum didicisset, scripsit mihi denuo, illum qui supervixerat requirens ex nomine, & alium quem secum ipse ducere vellet. Ceterum ego, cum nec ille, morte interveniente, nec iste, infirmitatis molestia obsistente, destinari posset; vestro interim suscepto mandato, religiosorum ac prudentium virorum consilium requisivi, quid mihi inde faciendum consulerent; laudaverunt sane, ex quo utrisque in litteris quos volebat nominatim signans, electionis sibi retinuerat arbitrium, nihil super hoc alterius voluntati vel dispositioni relinquere volens, alios non esse tutum dirigere, ne forte onerosi magis quam grati essent, si non illos quos quærebat misissem, sed alios. Denique illi religiosi quorum quodam testimonio religionis nostra magnificabatur ecclesia & consilio regebatur, majori jam obierunt ex parte, paucique surrexerunt post eos. Plures enim venerabiles & litteratæ personæ quæ possent esse ecclesiæ profectui & honori, cum devote flagitarent ingressum, nolente vel simulante prædecessore meo, nobis invitis, repulsæ. Domus quoque perturbationibus fatigata, oppressa debitis, bonis temporalibus nuda, & in spiritualibus aliquantulum læsa; & si inter tot curarum angustias paucos quos inveni, qui me adjuvando & consulendo supportare debent in hac novitate, maxime cum sim ætate juvenis, religione junior, cogor dimittere, & oculos qui mihi in via religionis & disciplinæ consilii & auxilii lumen debent præstare, perdidero, de facili profecto errare continget, nec solus onus & providentiam domus portare potero: quidquid tamen exinde faciendum decreverit vestra auctoritas, prosequar ego pro viribus. Tandem humanum dico, mortem valde, & propter terræ infuetam asperitatem & aëris qualitatem corruptam fratres pavescunt. Præterea objiciunt nos non posse cogere eos ire ubi rigor ordinis nostri tepidius teneatur. Proinde ego gravissimum duco injungere, quod, si fit, contra voluntatem suscipitur, vel si non fit, periculose valde negatur. Parcat igitur, sancte pater ac domine, infirmitatibus nostris & instanti ecclesiæ necessitati discretionis vestræ modestia.

EPISTOLA GILDUINI ABBATIS Fontis-Johannis, ad Guarinum abbatem S. Victoris.

De annonâ, quam ab eo mutuo petebat.

VEnerabili & dilecto patri GUARINO abbati cœnobii S. Victoris, frater GILDUINUS Fontis-Johannis *(a)* abbas cum obsequio [a] salutem.

Dilectioni vestræ & fratrum vestrorum possibilitatem nostram obsequi voluntatii sumus. Annona vero quam vobis exposcitis commodari magna ex parte jam præparata est, scilicet a paleis excussa. Proinde provideat caritas vestra, ut apud grangiam nostram, quæ apud Moretum est, feria v. post festum S. Jacobi nuntium vestrum præsentem inveniamus. Non autem mittatur navis donec pervenerit nuntius vester, qui nobiscum annonam videat, & quantum sine gravamine domus nostræ poterimus, libentissime commodabimus. Vale.

EPISTOLA JOHANNIS COMITIS AUGI ad Guarinum abbatem S. Victoris.

Ut canonici quos Augum direxit, consuetudines Aroasiæ observent, alioquin recedant.

GUARINO Dei gratia abbati S. Victoris Parisiensis, JOHANNES comes Augensis salutem & dilectionem.

His litteris discretioni paternitatis vestræ insinuare curavi, quam graviter & quam aspere & quasi infestanter barones mei in me insurgentes totusque clerus meus, multæ quoque religiosissimæ personæ me affligentes incessanter vituperant, pro eo quod de ecclesia Augi sic contra rationem inconsulte disponere decreverim, & quod vestros canonicos contra institutum patris & meum in ea receperim. Objiciunt enim mihi id quod verum est, scilicet, quia pater meus ex quo canonicos regulares apud Augum zelo Dei instituit, statim assensu Galfridi archidiaconi Rothomagensis, & postea rogatu & ammonitu atque exhortatione HUGONIS *(b)* archiepiscopi Rothomagensis, donavit & ego concessi ecclesiam prædictam [b] in manu abbatis Arwasiæ *(c)* ad tenendum [c] & conservandum ordinem in perpetuum secundum regulam beati Augustini, & ita quod abbas Augi semel in anno revisitaret

(a) Fons Johannis monasterium est ordinis Cistercienſis in diœcesi Senonensi, a dynastis de Curtenaio anno 1124. fundatum. in quo monasticam olim professionem emisit S. Guillelmus postea archiepiscopus Bituricensis.

(b) Hic est celeberrimus ille Hugo ex abbate Radingensi creatus archiepiscopus Rothomagensis, cujus libros VII. dialogorum edidimus tom. 5. Anecdotorum.

(c) Aroasia, dicta etiam Aridagandantia, insignis est abbatia in diœcesi Atrebatensi, caput ordinis seu congregationis Aroasiensis, cujus elogium habes apud Jacobum de Vitriaco in hist. Occid.

capitulum eccleſiæ S. Nicolai de Arrowaſia, ut ſi quod minus eſſet reintegraretur. Quapropter mando, mandans quoque veſtræ diligentiſſimæ paternitati ſupplico, eamque ſuper omnia rogo & obſecro, ut pax in eccleſia Augi habeatur. ROGERO abbati & ſociis ejus quos ad nos tranſmiſiſti per obedientiam præcipiatis, & præcipiendo injungatis, ut ſecundum morem & conſuetudinem Arrowaſiæ ordinem religionis in eccleſia Augi teneatis, aut omnino recedant. Nolo enim amplius ferre ſententiam excommunicationis quæ proinde ſuper me dominicis diebus ſingulis datur. Grave etenim mihi videtur, quod tamdiu eam ſuſtinui. Quod ſi hæc non feceritis, veraciter dico, quia numquam amplius eos dilexero; ſed deſtruam in quibuſcumque potero. Vale.

EPISTOLA P. CARDINALIS ad Guarinum abbatem S. Victoris.

Quid egerit pro negotio S. Victoris, & quid faciendum conſulat.

G. Dei gratia S. Victoris abbati, totique conventui, eadem gratia tituli S. Chryſogoni preſbyter cardinalis, ſalutem, & ſinceram amoris perſeverantiam.

Accepimus nuper litteras devotionis veſtræ & doluimus non ſolum eccleſiæ gravamen, verum etiam prudentiam veſtram neſcio quorum conſilio ſeu calliditate adeo declinaſſe, quod ad pedes archiepiſcopi humiliati, quæ alius rapuit vos ſponderetis ſoluturos. Cum enim nos pro liberatione eccleſiæ veſtræ totis niſibus totaque ſollicitudine nos opponeremus parti adverſæ, duplex nobis incumbebat labor. Primo probare quidem rem tali perſonæ & taliter commiſſam a vobis minime deberi. Deinde quia cecideratis in cauſa, innocentiam & paupertatem veſtram commemorando, vos a tam gravi caſu relevare; requirebamus humiliter & devote a domino papa, ut vos a petitione domini archiepiſcopi faceret penitus abſolvi. Sed quia tanta difficultas negotii, archiepiſcopo omnia imperanter & præciſe quaſi de jure requirente, inaudita eſt noſtra petitio. Impetravimus tandem litteras quam meliores potuimus & judices, quibus per litteras noſtras preces porrigimus affectuoſas, ut juſtitiam veſtram illæſam modis omnibus conſervare ſtudeant. Nunc igitur oculos vos oportet habere apertos & circumſpectos. Si enim inter vos & archiepiſcopum amicabilis non poterit compoſitio pervenire, cum dominus papa, cognitis utriuſque partis rationibus, ad ſolvendum, niſi quæ in uſus eccleſiæ verſa fuiſſe conſtiterit, vos minime cogat, nec iſtud judicibus, ſed tantum cauſam fine debito terminandam præcipiat, & in aliquibus vos præjudicio gravari cenſeatis, reſpondendum erit vobis conſtanter. Nos ſi incaute quicquam promiſimus indebitum, reddere nec poſſumus nec debemus. Sed adinſtar pupilli ſi lapſus fuerit vel lubrico conſilio, vel adverſariorum dolo, reſtituendi ſumus: alioquin in voce appellationis libere procedere: quoniam & litteræ domini papæ taliter dictatæ ſunt, ut vobis appellationem minime prohibeat. Nec oportebit tunc aliquem de fratribus ad nos uſque propter hæc defatigari, ſed unus de pueris veſtris rem geſtam referat nobis, & noſtram circa vos ſollicitudinem experiri poteritis.

EPISTOLA HUGONIS PETRI LEONIS cardinalis ad Guarinum & capitulum S. Victoris.

Dolet de facto Erviſii quondam abbatis, ſuaque illis offert obſequia.

Dilectis in Chriſto fratribus Guarino abbati, priori & univerſo capitulo S. Victoris HUGO PETRI LEONIS (a) Dei gratia S. Angeli diaconus cardinalis ſalutem & dilectionis affectum. [a]

Quanto dilectionem veſtram ſincerioris brachiis caritatis amplectimur, tanto dolemus amplius & turbamur, cum vos vel monaſterium veſtrum adverſitati cuilibet ſubjacere audimus, quod in proſperitate gaudere & præ ceteris Gallicanæ provinciæ monaſteriis præ ſui honeſtate ac religione fovemus, & nomen celebrius cognovimus extuliſſe. Viſis ſiquidem litteris veſtris, quibus nobis factum ERVISII quondam abbatis veſtri ſignificaſtis, turbati ſuimus, & vehementi amaritudine cordis percuſſi, utpote qui dolorem veſtrum noſtrum penitus reputamus, & in lætitia veſtra plurimum gratulamur. Ad medelam igitur tanti doloris & gravaminis, petitionem veſtram quanta potuimus inſtantia & ſollicitudine promovere curavimus, & quod non eſt in omnibus ſicut voluimus effectui mancipatum, nobis tantum diſplicuit, quantum veſtram timemus deficere voluntatem. Inde eſt quod univerſitatem veſtram rogamus & exoramus attentius, quatenus de nobis tamquam de ſpeciali veſtro plenius confidentes, & poſſe noſtrum veſtrum omnimode reputantes, pro veſtris & eccleſiæ veſtræ negotiis ad nos cum omni fiducia recurratis, ut operis exhibitione vobis luce clarius eniteſcat, quanto circa vos dilectionis fervore ducamur, & ad impendenda grata vobis obſequia promti ſimus omnimodis & parati. Propoſitum etenim & immobilem gerimus voluntatem ea efficere quæ vobis noverimus complacere, &

[a] Is anno 1175. ab Alexandro III. creatus diaconus cardinalis, apoſtolicæ ſedis in Gallia, Anglia & Scotia legatus fuit.

ad decorem & augmentum domus & religionis veſtræ debeant pertinere.

EPISTOLA BERNARDI CARDINALIS ad Guarinum abbatem & capitulum S. Victoris.

Condolet gravamini monaſterii ſancti Victoris, commendatque illis Bernardum nepotem ſuum.

[a] BERNARDUS (a) Dei gratia Portuenſis & S. Rufinæ epiſcopus, venerabili fratri GUARINO eccleſiæ B. Victoris abbati & capitulo, ſalutem & Deum deorum in Sion videre.

Veſtræ religionis grataniter ſuſceptis litteris, ipſarum tenorem diligenti meditatione conſiderare non omiſimus, veſtræ domus ruinam & gravamen non modicum attendentes. Verum quia noſtrum eſt a crebris concuſſionibus tueri eccleſias, & veſtram præcipue, quam quaſi propriam reputamus, & cujus aſſidua, ut credimus, oratione protegimur, interpoſuimus partem, domino papæ inſtanter ſuadentes, ut veſtram in tanto caſu eccleſiam pontificali gratia protegeret & ſtudioſius defenſaret. Quod taliter demum factum eſſe credimus, ut ſi veſtra propenſior cura ſollicite ſtuduerit, parva vel nulla reſtitutione pecuniæ prædictam veſtram gravabit eccleſiam. Petimus igitur & propenſius ſuademus, quatenus veſtræ nobis orationis non ſubtrahentes munus, Deum inceſſabiliter pro nobis exorare dignemini, quia noſtra, in quantum poterimus, nullatenus vobis deerit protectio: rogantes quatenus BERNARDUM nepotem noſtrum more ſolito diligatis, honeſte illud quod cum Nicolao clerico noſtro ei promiſiſtis pro hoſpitio largientes. Hoc enim carius habebimus, quam ſi in propria deponeretur camera. Præterea rogamus, quatenus latori præſentium miſericorditer veſtra provideat diſcretio, pro impenſo ſervitio ei congruum exſolventes beneficium, quo ſuam inopem poſſit defendere vitam. Scitis enim hunc multoties ſe morti & periculis pro veſtra eccleſia fideliter oppoſuiſſe.

EPISTOLA JOHANNIS NEAPOLITANI cardinalis ad Guarinum abbatem & fratres S. Victoris.

Gratias ei refert de conceſſione Petri canonici quem ei miſerat, omnemque ei curam & ſollicitudinem pro ſuis negotis promittit.

[b] JOHANNES Neapolitanus (b) indignus preſbyter cardinalis dilectis in Domino fratribus & amicis cariſſimis G. abbati & conventui S. Victoris Pariſienſis ſalutem & ſincerum amorem.

Multimodas gratiarum actiones vobis referimus, quia juxta tenorem præcepti domini papæ & noſtræ poſtulationis deſtinaſtis nobis fratrem Petrum, virum utique morum honeſtate & ſcientia laudabilem, quem cum honore recepimus, & cum multo honore circa nos tenemus. Et poſtquam receperimus alios canonicos de eccleſiis ordinis veſtri, quibus dominus papa eodem modo ſcripſit ſicut & vobis, cum multa & ſolemni honorificentia inſtituemus in eccleſia, quam per gratiam Dei magnifice conſtruximus, & ampliſſimis poſſeſſionibus dotavimus. A modo igitur quaſi ex debito tenebimur omni vitæ noſtræ tempore propenſius diligere & juvare eccleſiam veſtram in omni poſſibilitate noſtra juxta voluntatem veſtram. Et nunc quoque ſuper quæſtione illa quam archiepiſcopus Lundenſis indebite contra vos movere dignoſcitur, ſic efficaciter juvimus ſicut oportuit & neceſſarium fuit. Quod itaque plenius cognoſcetis, poſtquam reſcriptum litterarum domini papæ, quas Lundenſi archiepiſcopo pro vobis mittit, legeritis, ut ante judices quos dominus papa delegavit ad cognitionem & deciſionem querimoniæ, quam jam dictus archiepiſcopus contra vos facit, propitii vobis ſint. Sic ut & partem veſtram attentius manu tenere ſtudeant, noſtras eis litteras mittimus, & preces illis pro vobis porrigimus, & qualiter in judicio ipſius cauſæ procedere debeant apertiſſima ratione monſtramus. Multi etiam fratrum noſtrorum cardinalium, intuitu dilectionis noſtræ, litteras ſuas juxta formam litterarum noſtrarum judicibus illis tranſmittunt. Et hæc quidem omnia ex apertione reſcriptorum apertius vobis clareſcent.

EPISTOLA PETRI PAPÆ CAMERARII ad Guarinum abbatem S. Victoris.

Condolet domus ejus gravaminibus.

VEnerabili & digne reverendo patri G. Dei gratia abbati S. Victoris Pariſienſis frater PETRUS domini papæ camerarius, ſalutem & devotam reverentiam.

Litteras veſtras ſicut cariſſimi patris benigne recepimus, utpote qui honori & obſequio veſtro intendere diſpoſiti ſumus & parati. Audito autem ſcandalo veſtræ domus condoluimus, & qualiter exinde ſolliciti fuerimus Deus ſcit, & opere, quantum rationabiliter potuimus, ſtuduimus demonſtrare. Rogamus autem bonitatem veſtram quatenus nos capitulo veſtro & eorum orationibus commendetis.

(a) Is fuerat canonicus Lateranenſis creatus ab Eugenio III. cardinalis titulo S. Clementis, tranſlatus ab Adriano IV. ad Portuenſem & S. Rufinæ epiſcopatum.

(b) Is fuerat canonicus regularis S. Victoris Pariſienſis, ut ſcribit Ciaconius, creatus cardinalis ab Adriano IV. qui & ipſe fuerat S. Rufi canonicus regularis.

EPISTOLA ALEXANDRI ET TH. cardinalium priori & fratribus S. Victoris.

Hortantur eos ad regulæ obſervantiam.

ALEXANDER dignatione divina tituli ſancti Laurentii in Lucina, & TH. (*a*) tituli S. Vitalis preſbyteri cardinales apoſtolicæ ſedis legati, dilectis & diligendis ſemper in Chriſto fratribus priori & capitulo ſancti Victoris, non reſpicere in vanitates & inſanias falſas.

Quod ſcribimus vobis & univerſitatem veſtram viſitamus ſalutationis alloquio, de cordis affectu, ac bona quam erga vos habemus voluntate procedit. Attendentes enim quantum olim eccleſia veſtra in religione claruerit, & quomodo luce ſua in multis locis noctem illuſtravit alienam, optamus admodum, & ſi facultas detur, libenter volumus exiſtere adjutores. Et quia minus ſecundus ab aliquantis diebus ex neglectu forte cultoris ager veſter apparuit, fecunditatem priſtinam Deo irrogante recipiat, & in obſervantia ſacræ religionis & fructu vitæ ita reflorcat, ut ordo canonicus, qui aliquantulum videtur in locis plurimis infirmatus, per exemplum veſtrum atque doctrinam amiſſum recipiat, Deo adjuvante, vigorem. A plurimis retro annis multum ſcimus impenſum, ut eccleſiæ veſtræ ſtatus mutaretur in melius, & tolleretur e medio quod fecunditatem dicebatur divini germinis impedire, & videtis id dilatum hactenus, & eo tempore reſervatum, quo facilius & cum minori onere veſtro effectum poſſet habere. Non credatis hoc opus hominis extitiſſe, ſed illius potius, qui poſuit arenam terminum maris, & dixit ei: Huc uſque venies, & hic infringes tumentes fluctus tuos. Eapropter univerſitatem veſtram monemus & exhortamur in Domino, quatenus grati ei de tantæ ſuper vos benignitatis indicio exiſtentes, levetis corda veſtra cum manibus ad eum in cœlum, & ita in obſervantia ſacræ religionis immenſa ſtudia veſtra dirigatis, ut quia Deo fuit cura de vobis, qui niſi adjuviſſet vos, paulo minus habitaſſet in inferno anima veſtra, non interveniamini vos de ſalute veſtra exiſtere negligentes, & pro minimo ducere quod tam miſericorditer & tam ſuaviter Deus voluit vobis providere. Obedite abbati quem divina vobis videtis miſe-

A ratione conceſſum, habete ipſum ſicut patrem animarum veſtrarum in omni reverentia & honore, & ſimultatibus omnibus ſcandaliſque ſedatis, communibus votis, & tota virtute contendite, ut bonus religionis odor qui olim de loco veſtro uſquequaque flagrabat, per eccleſiam Dei magis ac magis debeat redolere. Profecto nos qui eum pro ſua religione ſinceræ caritatis ulnis amplectimur, & profectum ejus noſtrum proprium in Domino reputamus, tanto vos in viſceribus Chriſti cariores habebimus, tantoque libentius negotia veſtra per nos & per eos qui nobis crediderunt promovere curabimus, quanto amplius ei obedientes noverimus ac devotos, & majori ſinceritate dilectionis cum eo audierimus ambulare.

EPISTOLA ALEXANDRI PAPÆ III. ad Robertum priorem & capitulum S. Victoris.

ALEXANDER epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Roberto priori & capitulo S. Victoris Pariſienſis S. & A. B.

Sæpius dilectum filium noſtrum ERVISIUM abbatem veſtrum, & nunc etiam per ſcripta noſtra monuimus atque mandamus, ut negotia (*b*) eccleſiæ veſtræ tàm intrinſeca quam extrinſeca cum conſilio majoris & ſanioris partis capituli dirigat & pertractet, & ad profectum veſtrum ſecundum inſtitutionem ordinis veſtri prompta ſollicitudine & cura intendat. Quoniam igitur eumdem abbatem juxta commonitionem & mandatum noſtrum libenter facturum credimus & ſperamus, diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus, quatenus eidem abbati debitam obedientiam & reverentiam impendentes, in ordinandis & diſponendis negotiis eccleſiæ veſtræ provide & efficaciter aſſiſtatis, & juxta inſtitutionem ordinis veſtri taliter & ad religionis cultum & ad temporalium etiam incrementum vos exhibeatis ultroneos, quod eadem eccleſia ſtudio & ſollicitudine veſtra, cooperante Domino, in ſpiritualibus amplietur, & temporalibus etiam proficiat incrementis. Si quid autem in eccleſia veſtra corrigendum fuerit, quod in concilio majoris & ſanioris partis capituli non poſſit corrigi, volumus & mandamus, ut ad mandatum eorum quibus ſtatum ejuſdem eccleſiæ dirigendum commiſimus, commodius corrigatur. Datum Venetiis (*c*) III. idus Maii.

(*a*) Hunc Theodinum vocat Ciaconius, ſuperius Theodericus dicitur.

(*b*) Hinc apparet Erviſium dignitati abbatiali cedentem, non omni fuiſſe regimine exutum, ſed aliqua ei adminiſtranda reſervata.

(*c*) Venetias acceſſit Alexander anno 1177. quo pace cum Friderico imperatore facta, eumdem reconciliavit eccleſiæ.

EPISTOLA GUARINI ABBATIS S. Victoris ad Cælestinum Papam III.

Gratulatur ei de ejus promotione, commendatque illi S. Victoris ecclesiam.

[a] SAnctissimo domino & patri CÆLESTINO (a) Dei gratia summo pontifici, frater GUARINUS pauperum ecclesiæ S. Victoris Parisiensis minister humilis, cum ceteris ejusdem loci fratribus, debitum tanto patri obedientiæ obsequium, & reverentiæ plenitudinem.

Omnipotenti Deo, pater sancte, referimus gratias, qui sacrosanctam, quam unici filii sui pretioso sanguine redemit ecclesiam, fidei vestræ sinceritati commisit, summum vos certumque pastorem constituens, quem de ovium pridem salute cognoverat esse sollicitum, ut paternum omnibus affectum impenderet, qui vigilaverat ante pro omnibus. Sane suum amicum vos confidebat existere, qui vobis dicere voluit: *Amice ascende superius*, colles mundi & altitudinem quamlibet pedibus vestris inclinans, cum de parte sollicitudinis vos transferre placuit in plenitudinem potestatis. Credimus quod idem pluries olim contigisset de vobis, si ita ordinasset Omnipotens, & vestro beneplacito concordaret. Nunc autem diuturna multorum dierum experientia de his quæ ad honorem & utilitatem sanctæ ecclesiæ sunt necessaria vobis indulta cœlitus cognitione multiplici, ad hoc in eminentiore Christianæ religionis loco vestram voluit Omnipotens celsitudinem collocare, ut industriæ vestræ cautela pervigili jam dudum in tot & tantis experientissima eradicarentur de agro pleno, cui benedixit Dominus, quæ noxia sunt, ac diligentius plantarentur salubria. Utinam cordi vestro viva recordatio & perseverans inhæreat, quam brevi tempore de hac luce [b] migrarunt, quibus nunc successistis (b) in cathedram, ut sanctorum apostolorum, quorum geritis vicem, imitando dum licet exempla, eorumdem pervenire valeatis ad præmia, & per eum qui in proximo imminet finem, divina propitiante clementia, non finiendam accipiatis mercedem. Ceteris quidem Deum timentibus in paternitatis vestræ promotione communis est gaudiorum materia. Sed in hac parte lætitiæ B. Victoris ecclesia gloriatur speciali privilegio, quæ pietatis dignatione cælestis vos hactenus benignissimum patrem in suis necessitatibus & inexpugnabilem cognoscitur invenisse patronum. Celsitudinis igitur vestræ pedibus provoluti, supplicamus attentius, quatenus pro animæ vestræ remedio sacram apostolicæ sedis interpretationem super illud verbum ex integro auctoritate vestra impetratam *servis vestris restituere dignemini*, & causam nostram juxta priorem commissionem in integrum formare.

(a) Creatus est summus pontifex 12. Aprilis 1191.

(b) *Nimirum Lucius III. qui tantum annis 4. mensibus 2. & diebus 18. sedit: Urbanus III qui anno 1. mensibus 2. & diebus 25. Gregorius VIII. qui 2. tantum mensibus, & Clemens III. qui 3. annis 2. mensibus 10. dieb. pontificatum tenuerunt.*

EPISTOLA GUARINI ABBATIS S. Victoris ad Philippum regem Francorum.

Ut finem imponat dissidio Grandimontensium.

ILlustrissimo Dei gratia Francorum regi PHILIPPO GUARINUS divina dignatione B pauperum ecclesiæ S. Victoris minister humilis, sic divina misericordia regnum terrenum regere, ut in cœlo possit regnare.

Cum de personæ vestræ celsitudine fideli narratione cognoscimus ea quæ ad animæ vestræ profectum coram Deo, & ad honorem coram hominibus pertinere noscuntur, gratum nobis plurimum esse noveritis & acceptum. Inde est quod non mediocriter gratulamur in Domino, quia super pauperibus clericis Grandimontensibus virtus Spiritus sancti vestrum cor tetigit, & ad compassionem inclinavit affectum, qui ad confusio- C nem sanctæ matris ecclesiæ & totius religionis opprobrium, miserabile omnibus Deum timentibus coacti sunt exilium sustinere. Excellentiæ vestræ nobilitas ceterorumque principum servientium Deo, cælestium sacramentorum ministros, quibus traditæ sunt regni cœlorum claves a Domino, reverenter honorat. Sed eos Grandimontenses conversi, qui in religione fratres esse debuerant, inhoneste (c) tractando, turpiter inhonorant [c] qui tamen a vobis ceteriscque magnis personis tanto studio desiderant honorari. Obedientiam & humilitatem ministris ecclesiæ prædicant, nescientes scripturas, neque virtutem Dei; sed ut eis ab ecclesiæ ministris D obediatur, non ut ipsi ministris obediant, qui magis inobedientes & rebelles existunt; ipsi etiam Deo, quod gravius, quia vicariis Dei. Mirantur viri virtutum, qui absque omni hæsitatione Dei spiritum habent: sapientum quoque & religiosorum multitudo tam maxima, quæ dinumerari vix possit, quomodo ministri Dei tam diuturno tempore, tam intolerabilia potuerunt sustinere, nisi quia eorum statu sepulto, lux necdum lucebat in te- E nebris, & tenebræ eam non comprehenderant. Ordinante vero ut credimus Dei clementia, vestris temporibus est reservata correctio, ut tantum tamque excellens Dei opus vos Regis æterni ministrum in bono & cooperatorem fidenter habeat. Celsitudini igitur vestræ supplicamus attentius, ut illam recti

(c) Quo usque progressa fuerit conversorum illorum insolentia, videsis in epistola Grandimontensium quam tom. 1. Anecdotorum edidimus pag. 846.

consilii, quam a principio divina vobis, ut præ- A
diximus, pietas inspiravit, felici exitu con-
[a] summare velitis (a), malignantium linguas
magnæ cautela sollicitudinis declinando,
quæ sub boni specie, diabolicæ nequitiæ ve-
nena proponunt, & fructuosam sanctæ reli-
gionis correctionem, quam vestris diebus
Spiritus sanctus reservare disposuit, maligni
hostis arte nituntur destruere. Conservet vos
Deus ad honorem sanctæ ecclesiæ per tem-
pora longa incolumem.

EPISTOLA GRATIANI PARLEONIS ad Robertum abbatem & canonicos S. Victoris.

Gratias agit quod Hugonem Placentiæ episcopum receperint, suaque illis offert obsequia.

VEnerabili patri & domino ROBERTO S. Victoris reverendo præposito, & universo ejusdem ecclesiæ conventui sanctissimo GRATIANUS PARLEONIS Romanus consul, salutem & plenæ dilectionis servitium.

Ex quo venerabilem fratrem meum & B
dominum HUGONEM Placentiæ episcopum C
in collegio vestro suscepistis, doctrina & or-
dinis vestri honestate informastis, & cor
meum & caro mea exultaverunt, & concu-
pierunt ut obsequiis vestris per omnia man-
ciparer, in mandatis exercerer, & illum quem
in reverentia vestra concepi affectum, ipsa
operis exhibitione comprobaretis. Inde est
quod in conspectu sanctitatis vestræ id quod
sum & quod possum devotus offero, supplici-
ter implorans, ut legem ponatis mihi in
servitiis vestris & non in avaritia. Et si est
in partibus illis unde sanctitati vestræ obse- D
qui valeam, voluntatis vestræ mandatum
suscipiam, quatenus in obsequio sinceritatem
cordis mei ipsa experientia cognoscatis.
Ad hæc plurimum gratiam vestram deposco,
ut vestris me orationibus commendatum ha-
beatis, quatenus precibus vestris apud Deum
adjutus, præsentis vitæ ruinam evadam &
peccatorum merear percipere veniam.

PRIVILEGIUM PETRI PARISIENSIS episcopi pro ecclesia S. Victoris.

De dimidiis præbendis vacantibus.

PETRUS Dei gratia Parisiensis episcopus omnibus præsentem paginam inspecturis in Domino salutem. Cum ecclesia B. Victoris sæpius a retroactis temporibus conquesta fuisset, præjudicium sibi fieri super annualibus dimidiarum præbendarum percipiendis in ecclesia S. Mariæ Parisiensis, tandem a bonæ memoriæ ODONE Parisiensi episcopo prædecessore nostro super eisdem annualibus percipiendis impetravit authenticum, cujus tenor talis est ad verbum. Odo Dei gratia Parisiensis episcopus omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit æternam in Domino salutem. Quanto venerabilis ecclesia S. Victoris famæ suæ sinceritatem & bonæ opinionis odorem suavius circumquaque diffundit, in qua fervor regularis observantiæ non tepescit, sed per Dei gratiam de die in diem gratiora percipit incrementa, tanto eam & fratres ibidem divinis obsequiis mancipatos uberiori caritate debemus amplecti, & eorum tranquillitati & commodis spiritualibus imminere. Licet autem eidem ecclesiæ annualia vacantium præbendarum in Parisiensi ecclesia a prædecessoribus nostris Parisiensibus episcopis fuissent olim pia liberalitate concessa, & munimentis authenticis confirmata, tamen multotiens contingebat, ut dimidia præbenda vacante, & eo, qui dimidius canonicus extiterat, integrato, ecclesia S. Victoris annuali beneficio præbendæ dimidiæ privaretur. Attendentes igitur eamdem ecclesiam concesso sibi beneficio minus rationabiliter defraudari, & intelligentes dimidiam vacare præbendam, quotiens de integra præbenda dimidius canonicus investitur, præsertim cum juxta consuetudinem Parisiensis ecclesiæ, dimidiam & integram pariter habere non debeat, & integra dimidiari non possit. Habita super hoc deliberatione pleniori, & communicato prudentium virorum consilio, præfatæ ecclesiæ sancti Victoris concessimus de conniventia Parisiensis capituli & assensu, ut cum a nobis vel successoribus nostris dimidio canonico præbenda integra conferetur, ecclesia S. Victoris primo anno dimidiæ præbendæ beneficium annuale sine diminutione percipiat, sicuti & integrarum annualia percipere consuevit. Ut igitur præscripta concessio perpetuæ robur obtineat firmitatis, eam præsenti scripto sigilli nostri impressione munito fecimus commendari. Actum Verbi incarnati MCXCVII. pontificatus nostri anno 1. Nos autem inserto authentico nihil immutantes, sed ad tollendam omnem dubietatem & cavillationem illud duximus adjiciendum, præsenti scripto statuentes, & protestantes, quod E cum a nobis dimidium canonicum contigerit integrari, ille integratus primo anno, neque de fructibus dimidiæ quam antea habebat, neque de fructibus integræ aliquid percipiet, immo ecclesia S. Victoris tam dimidiæ quam integræ fructus annuos habebit, absque ullo diminutionis detrimento. Ut igitur hæc nostra concessio cum præscripta perpetuæ robur obtineat firmitatis, eam præ-

(a) Anno 1177. Philippus Augustus de baronum suorum consilio, quosdam edidit articulos a nobis editos tom. 1. Anecdot. pag. 847. ad conciliandam pacem inter clericos & conversos Grand montenses, quibus non videntur acquievisse conversi, ut colligitur ex egregia epistola Innocentii papæ III. scripta anno 1215. ad Robertum *de Corehon* legatum suum, qui plus æquo favebat conversis.

senti scripto sigilli nostri impressione munito fecimus commendari. Actum anno MCCVIII. pontificatus nostri anno I.

COMPOSITIO INTER CAPITULUM Meduntæ & canonicos S. Victoris.

De annualibus.

OMnibus præsentes litteras inspecturis capitulum Meduntensis ecclesiæ in Domino salutem. Notum fieri volumus quod querela quæ inter nos ex una parte, & ecclesiam S. Victoris Parisiensis ex altera vertebatur super duobus modiis bladi, quos singuli vicarii in corpore præbendarum singulis annis percipiunt, & super denariis communitatis & anniversariorum, quos canonici S. Victoris dicebant ad eos pertinere, quoties in nostra ecclesia annuale percipiunt, in hunc modum est sopita, quod assensu canonicorum & vicariorum nostrorum necnon & domini regis, qui abbas est nostræ ecclesiæ, in perpetuum dedimus ecclesiæ [a] S. Victoris salmonem qui in bochio (a) *de Copopey* primo capitur singulis annis, quem annuo reditu percipere solebamus. Si autem contigerit aliquando in dicto bochio nullum salmonem capi, ecclesia nostra ad nullam tenebitur restitutionem. Dicti vero canonici S. Victoris pro pisce illo habendo prædictas querelas nostræ ecclesiæ omnino & in perpetuum remiserunt. In cujus testimonium præsentem cartam fieri & eam sigilli nostri munimine fecimus corroborari actum anno MCCX.

EPISTOLA RADULPHI DOMINI PAPÆ pœnitentiarii ad Menandum S. Victoris canonicum regularem & pœnitentiarium.

Determinatio subsequentiũ quæstionum a domino Honorio papa de consilio cardinalium prolata.

DIscreto viro in Christo sibi carissimo fratri Menando canonico & pœnitentiario, frater Radulfus domini papæ pœnitentiarius salutem in Domino.

Cum ex lectione divina quotiens occurrunt dubia, ad patres & seniores recurrere debeamus, sane multum & utiliter providisti, quod super ambiguis per nos summum pontificem consulere postulasti, cupientes ambiguitatis tenebras a vobis penitus amoveri, veritatis radio lucescente. His vero evidentius declarandis, quantam adhibuerimus diligentiam & laborem, vobis subsequentia declarabunt. Noveritis igitur quod consultatio vestra sex quæsiionibus contexta, lecta est in auditorio summi pontificis, cardinalium examine ventilata, quibus a domino papa de consilio cardinalium singulariter est responsum.

Primæ quæstioni videlicet, si subdiaconi ad decantandas horas canonicas ex debito teneantur, responsum est quod teneantur.

Ad hoc autem quod in secunda quæstione quæsistis, cum dominus papa sua indulgentia quam facit scholaribus Parisiensibus absolvendis per abbatem S. Victoris de violenta manuum injectione in clericos, dicat nisi tam grave fuerit vulnus [illegible] enorme, quod propterea ad sedem apostolicam debeat laborare, * pro quanto grave vulnus & enorme debeat judicari, taliter est responsum, quod hoc ad plenum quis interpretari non potest. Dicitur tamen vulnus grave vel enorme alicujus gravis & honestæ personæ læsio licet parva, vel in aliis personis minimis membrorum mutilatio vel læsio gravis. * l. recurrere.

Tertiæ quæstioni, videlicet utrum possitis absolvere Parisienses scholares auctoritate jam dicti mandati, si se ad invicem percussserint, cum ad S. Dionysium, vel ad B. MARIAM, vel ad alios sanctos peregre gradiuntur; responsum est quod potestis, dum modo ipsi injectores Parisius faciant mansionem.

Ad quartam vero quæstionem, scilicet quod magistri Parisienses dicunt quod bedellos & scholarium famulos a violenta manuum injectione supradicti auctoritate mandati absolvere potestis, cum vivere nequeant sine ipsis, recepimus hoc responsum, quod vobis nullatenus est concessum, nec eadem auctoritate potestis aliquem solvere vel ligare.

Quintæ siquidem quæstioni, videlicet utrum auctoritate prædicta possitis absolvere Parisiensem scholarem, qui clericos percutit non scholares; responsum est quod potestis, sed non e converso, cum nolit dominus papa clericos non scholares in hac parte scholarium privilegio congaudere.

Super eo vero quod in sexta quæstione quæsivistis, utrum videlicet Parisienses scholares, qui tempore domini Innocentii papæ, sive medio tempore ante datum privilegium scholaribus, in promulgatæ sententiæ canonem inciderunt, & excommunicati de civitate recesserunt, auctoritate hujus mandati possint absolvi, cum postea mansionarii scholares ad Parisiensem redeunt civitatem, ut absolvantur, statim post absolutionem recessuris recepimus hoc responsum, quod tales absolvere non debetis, cum ipsa indulgentia ad tempus se præteritum non extendat.

(a) Bochium in Cangii glossario interpretatur fluvii ostium.

A

EPISTOLA PETRI CANONICI S. Martini Trecenſis ad Jo. Pict. canonicum S. Victoris.

Qua ratione capitis S. Victoris martyris pars aliqua ad canonicos Pariſienſes S. Victoris pervenerit.

VEnerabili fratri domino Petro canonico S. Martini Trecenſis, frater Jo. Pict. canonicus S. Victoris Pariſienſis ſalutem.

Intimo cordis affectu veſtræ ſupplico fraternitati, ut certitudinem illam quam vos B de capite B. Victoris Maſſilienſis meminiſtis habere, inſinuare dignemini.

Frater Petrus fratri Jo. hoc vobis de certitudine capitis B. Victoris inſinuo, quod imperator Conſtantinopolitanus CALO-JOHANNES nomine, tertius ante EMMANUEL, volens fundare quamdam eccleſiam in honore B. Victoris Maſſilienſis, miſit nobilem quemdam virum ad civitatem Maſſilienſem cum pretioſis muneribus ac reliquiis plurimorum ſanctorum, inſinuans Domino Maſſilienſi, ut remuneratione prædictorum munerum aliquid de corpore B. Victoris ſibi mittere dignaretur: qui ſatisfaciens ejus petitioni, miſit imperatori magnam partem capitis præfati martyris, & ſic illa per nuncios parte recepta, fundavit eccleſiam in honore B. Victoris in Conſtantinopoli urbe infra muros, non longe a portis aureis. Urbe autem ſubjugata, dominus GARNERIUS (*a*) Trecenſis [a] epiſcopus, cujus ego Petrus eram capellanus, acceſſit ad eccleſiam B. Victoris, in qua erat conventus monachorum. Aſſumpſit autem idem epiſcopus ab eadem eccleſia caput B. Victoris pretioſo vaſe repoſitum cum aliis reliquiis ſanctorum. Ego vero Petrus ab eodem epiſcopo domino meo pro ſervitio D quod ei impenderam, poſtulavi ut partem illam capitis B. Victoris conferre mihi dignaretur. Qui petitioni meæ ſatisfaciens, litteras ſigilli ſui munimine impreſſas, & aliorum epiſcoporum qui erant in civitate prædicta, in teſtimonium illius partis capitis & aliarum reliquiarum mecum in Galliam reportavi. Demum vero partem illam ſacratiſſimi corporis beatiſſimi Victoris dedi magiſtro PETRO DE CORBOLIO (*b*) tunc Senonenſi archiepiſcopo. Idem vero archiepiſcopus magnam contulit portionem illius partis capitis eccleſiæ B. Victoris Pariſienſis, [b] prece domini JOHANNIS (*c*) Teutonici tunc [c] ejuſdem eccleſiæ abbatis. Suſcepimus autem eamdem portionem ſanctiſſimi capitis cum proceſſione & gaudio pridie idus Aprilis.

[*a*] Garnerius *de Trainel* ex vetuſta & nobili proſapia dynaſtarum de Triangulo oriundus, anno 1193. creatus eſt epiſcopus Trecenſis, crucem, ſacræ militiæ teſſeram, aſſumſit & Conſtantinopoli diem clauſit extremum 14. Aprilis 1205.

EPISTOLA GREGORII PAPÆ IX. ad abbatem & conventum S. Victoris Pariſienſis.

Ut degentes in obedientiis iiſdem veſtibus, cibis & lectis utantur, quibus exiſtentes in abbatia.

GREGORIUS epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis abbati & conventui S. Victoris Pariſienſis, S. & A. B.

Quia nimis abuſivum eſſet & indecens, ſi in unius ordinis profeſſoribus in modo vivendi diverſitas haberetur, unde ordinis diſſolutio ſequi poſſet: cum in conſtitutionibus ordinis veſtri contineri dicatur, ut fratres in obedientiis commorantes a communi inſtitutione in victu, veſtitu & lectualibus non recedant, auctoritate præſentium diſtrictius inhibemus, ne fratres ipſius ordinis in obedientiis conſtituti aliis victualibus, lectualibus, ſeu indumentis utantur, quam quibus in abbatiis propriis, ſi præſentes exiſterent, uterentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ inhibitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. C Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lateranis v. idus Aprilis, pontificatus noſtri anno v.

MIRACULUM in eccleſia S. Victoris virtute ſancti martyris patratum.

TAm præſentes quam poſteri, ſcitote quoniam mirificavit Dominus ſanctum ſuum, Victorem videlicet, militem egregium, & martyrem glorioſum, poſt antiqua D quæ plurima leguntur miracula in terra & in mari ad invocationem nominis ipſius glorioſi martyris olim divina virtute patrata, novum faciens præclarum & evidens miraculum in præſenti eccleſia in honore ipſius ſanctiſſimi martyris fundata, & in ejus nomine ſpecialiter dedicata. Anno ſiquidem Dominicæ Incarnationis MCCCII. VIII. calendas Februarii, in die ſcilicet converſionis S. Pauli, vir quidam Garnerius nomine de Curteneto, Senonenſis diœceſis oriundus, qui divino, ſed occulto judicio, feria VI. poſt E epiphaniam, dum culturæ cujuſdam vineæ ſolus operam daret, ſubita percuſſione dextri brachii & manus dextræ motum, ſenſum, & omnimodum amiſerat officium, cum jam quorumdam ſanctorum, videlicet S. Albini confeſſoris primo, & poſtea S. Petri-Vivi Se-

[*b*] Petrus de Corbolio Senonenſem rexit eccleſiam ab anno 1200. ad 1222.

[*c*] Hic ſucceſſit Abſaloni abbati, qui obiit anno 1203. menſe Septembri, adminiſtravitque Victorinam abbatiam uſque ad 1219.

nonenſis

nonensis sanitatis beneficium petiturus visitasset ecclesias, nullum tamen remedium reportasset; tandem divina revelatione, sicut coram multis & majori parte nostri conventus idem G. asseruit, hujusmodi videlicet voce, dum anxius nocte sabbati vigilaret, audita: Noli timere, vade ad S. Victorem, & sanaberis. Incitus brachium ipsum cum manu juxta latus pendulum bajulans velut cadaver exanime, cum fide & devotione iter arripuit, dictaque die conversionis S. Pauli quæ fuit feria VI. post missam maiorem, ecclesiam nostram ingressus, quadam honesta matrona cive Parisiensi pluribus nota ipsum comitante, dum fratres horam sextam cantabant, ante majus altare venit, & oratione fusa, osculatisque sacris quæ intus reservantur glorioſi martyris reliquiis, brachium paululum levavit, digitos, manus movens, licet cum magno dolore, horribili clamore, fragoreque offium a circumstantibus audito, antequam horam sextam incœptam percantassent fratres, pluribus videntibus, dictorum brachii & manus recuperavit sensum & motum ut prius habuerat.

LITTERÆ FULCONIS EPISCOPI Parisiensis.

Quibus ad dissipandam pestem grassantem suos hortatur fideles, ut S. Sebastiani reliquias in ecclesia S. Victoris existentes visitent.

FULCO miseratione divina quondam Parisiensis episcopus, universis Christi fidelibus in nostris Parisiensi civitate & diœcesi constitutis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem in eo qui est vera salus.

Licet sanctorum animæ humanis non indigeant laudibus, cum requiescant in cœlis, ubi immarcessibilem æternæ gloriæ coronam de manu Domini percipere meruerunt: nos autem in hujus mundi naufragio periculose quotidie navigamus, ipsorum reliquias in terris nimis honorare non possumus, ut ipsorum meritis & precibus hujusmodi coronæ participes effici mereamur. Sane cum, sicut antea sanctorum testatur historia, diutius retroactis temporibus Dominus populum suum sic flagellare permisit, & tantam pestem in orbe grassari, ut vix unus alterum sufficeret sepelire, & tamdiu hujusmodi pestis viguit, quousque cuidam divinitus revelatum extitit, quod non cessaret illa pestis, donec beatissimo Sebastiano martyri glorioſissimo altare constrüeretur; quod constructum extitit, & allatis ad locum illum præfati martyris reliquiis, statim illa pestis cessavit. Ex his igitur debemus verisimiliter præsumere, quod ipsius glorioſissimi martyris precibus & meritis, si eum debitis venerationibus veneremur, & præconiis attollamus, cessabit pestis similis, qua in plerisque mundi partibus, & nunc maxime in civitate & diœcesi Parisiensi, Domino permittente, populus flagellatur. Videmus enim modernos eventus terribiles, cum proximorum & amicorum hinc inde interitum tam subitum intuemur, cum his diebus plus sanus formidine, quam infirmus ægritudine mortis interitu conturbetur. Cum igitur, sicut veraciter didici, in ecclesia monasterii S. Victoris juxta Parisius, centum quinquaginta & amplius anni sunt elapsi, sit & fuerit unum altare erectum & consecratum in honore præfati martyris, & in ipsa reliquiæ ipsius sanctissimi Sebastiani pretiosissime habeantur, videlicet os brachii & dens ejus, & aliæ quas oculis propriis subjecimus, & scripturas authenticas hoc testantes vidimus; idcirco universitatem vestram, quam paterno affectu ac vehementi desiderio cupimus a dicta peste præservari illæsam, motu proprio monemus & exhortamur in Domino JESU CHRISTO, ut ad prædictum locum S. Victoris personaliter accedatis, dictum sacratissimum martyrem adoraturi devote & veneraturi sanctissimas ipsius reliquias, ut ejus intercessionibus & meritis Dominus ostendendo suam nobis misericordiam, hujusmodi pestem cessare faciat, & ab ipsa nos & vos præservare dignetur illæsos. Nos enim de *omnipotentis Dei misericordia* & glorioſissimæ Matris ejus ac præfati glorioſissimi martyris & omnium sanctorum meritis & intercessionibus confisi, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui altare, monasterium & reliquias prædictas devote visitaverint & adoraverint, quotiens hujusmodi facient, XL. dies de injunctis sibi pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus, præsentibus perpetuo valituris. Datum apud S. Marcellum juxta Parisius die XVIII. mensis Novembris anno MCCCXLVIII.

NOTITIA

De contentione cum episcopo Parisiensi in electione Petri Ducis abbatis S. Victoris.

QUoniam labilis est memoria hominum & littera scripta confert memoriam in perpetuum: idcirco ad rerum futurarum memoriam & utilitatem istius ecclesiæ volumus aliqua quæ sequuntur in scriptis redigere.

Primo est sciendum & veridice tenendum, quod cum anno Domini MCCCLXXXIII. circum festum S. Dionysii, frater PETRUS DUCIS fuisset electus in abbatem istius ecclesiæ S. Victoris, nullo extraneo convocato, exceptis fratribus, pro tunc in ecclesia solum existentibus, ut antiqui & laudabilis moris est usque nunc observati prædicti monasterii. Hinc est quod dominus AYMERICUS Parisiensis episcopus, seu vicarii ipsius fecerunt convocare & citare præfatum PETRUM in ab-

batem electum & seniores istius ecclesiæ, dicentes electionem ipsius Petri fuisse irritam & inanem, nec canonice factam, ex eo quod in prædicta electione non fuerat convocatus episcopus, nec aliquis ex parte ipsius. Præfati autem Petrus & seniores responderunt dicentes, quod secundum antiquas consuetudines & sanctiones, secundum librum ordinis ipsorum, secundum privilegia & attestationes summorum pontificum, secundum sanctum usum a fundatione suæ ecclesiæ usque nunc observatum, ipsi non tenebantur, nec debent advocare pro electione abbatis nec regem nec episcopum, nec aliquem ex parte ipsorum, nec alicujus domini seu potentis consensum vel dissensum: quin immo nec fratres ipsorum extra commorantes sive existentes. Præfata igitur longa altercatione & tædiosa ipsorum religiosorum vexatione ab ipsius episcopi vicariis, & finaliter examinatis discrete & prolixe, senioribus ipsius ecclesiæ & per juramentum requisitis, visis etiam & attentis religiosorum libertatibus & privilegiis, inventum est ipsos religiosos sancte, debite & canonice fecisse prædictam electionem, nec ipsos fuisse obligatos ad cujuscumque personæ religiosæ seu sæcularis extra domum eorum commorantis, seu de gremio ecclesiæ non existentis convocationem, excepto priore claustrali, qui per duos vel tres dies potest expectari, nec tenentur licentiam, auxilium, consilium, seu favorem ab aliquo forensi postulare; sed secundum quod Spiritus-sanctus inspiraverit saniori parti ipsorum, illum illa sanior pars posset eligere, & illum pro tunc sub domino episcopo Parisiensi, nunc vero sub summo pontifice in abbatem præficere, & sic remanserunt in pace. In ista definitione & in sententia pro religiosis prolata, fuerunt præsentes pro parte episcopi magister PHILIPPUS DE MOLENDINIS, nunc episcopus Ebroicensis, magister JOHANNES ELECTI professor utriusque juris, dominus officialis Parisiensis, & dominus GIRARDUS frater domini episcopi. Pro parte religiosorum, præfatus frater PETRUS electus, frater Bertrandus prior, Adam camerarius, Theobaldus cellerarius, Radulfus prior de Villaribello, Johannes de Remis prior de S. Paulo, Johannes *Merlin* prior de Valle-Gaii, & multi alii, quorum nomina scripta sunt.

NOTITIA

De contentione cum archidiacono de Josaye & canonicis S. Victoris de abbatis installatione.

EOdem anno circa festum Purificationis B. Mariæ Virginis facta est altercatio inter dominum archidiaconum de Josayo & præfatos religiosos, dicente archidiacono, quod sui juris & consuetudinis erat abbatem installare, & pro installatione decem libras Parisienses ab ipsis recipere, fratribus prædictis contradicentibus, & privilegium in contrarium se habere asserentibus. Igitur tali lite pendente, visum est ipsorum religiosorum privilegium, in quo habetur quod non per archidiaconum, sed per priorem & subpriorem ipsius ecclesiæ abbas præfatus debet installari sive inthronizari. Quo attento, statim cessavit tempestas, & dictus archidiaconus fuit contentus.

NOTITIA

De altercatione cum cantore Parisiensi ratione juramenti novi abbatis.

EOdem anno circa festum Annuntiationis Dominicæ, cum prædictus Petrus jurasset super majus altare ecclesiæ majoris S. Mariæ, sicut fecerant aliqui prædecessores sui, deferre se honorem & reverentiam ipsi ecclesiæ matrici, ad instantiam scilicet domini decani & domini cantoris ejusdem ecclesiæ; tunc idem dominus cantor dixit eidem abbati & fratribus suis, quod ratione illius juramenti ipsi tenebantur cantori persolvere unum verrem, id est magnum porcum, vel centum solidos Parisienses. Prædictus autem abbas & fratres responderunt se minime ad hoc teneri, nec umquam suos prædecessores tale debitum persolvisse. Immo non erat diu quod ipsi compellebantur hujusmodi jurare. Prædictus autem cantor, quantum potuit, obstitit, & præfatis fratribus in capitulo nostræ Dominæ aliqualiter nocuit, & pro consimili facto contra abbatem sancti Mauri Fossatensis diu placitavit: sed neque de abbate S. Mauri, neque de abbate sancti Victoris nec verrem, nec denarium, nec obolum habere potuit, nec immerito, quia numquam debuit; immo dictum est a multis sapientibus, quod illa erat una pessima exactio, & quodammodo simoniaca pactio.

NOTITIA

De altercatione cum archidiacono de Josaie, ratione ordinationum religiosorum.

EOdem anno circa festum Pentecostes facta est altera altercatio inter clericos præfati archidiaconi de Josayo & dictos religiosos pro fratribus ordinandis, ipsis clericis pro scriptura, registratione, & nominatione fratrum ordinandorum pecuniam seu vinum exigentibus: fratribus vero ad hæc se teneri seu debere facere negantibus & contradicentibus, quia videretur esse contractus simoniacus & contra conscientiam pro sacris ordinibus conferre pecuniam. Igitur hac lite pendente, dominus archidiaconus fecit testes & seniores ipsius ecclesiæ examinare

& aliqua religioſorum privilegia de hoc tangentia attente diſcutere. Quibus peractis, inventum eſt prædictos religioſos ab hoc tributo ſeu exactione omnino & penitus eſſe immunes, & pro fratribus ordinandis nihil debere perſolvere. Unde præfatus dominus archidiaconus juravit quod nec per ſe nec per quemcumque ſuum familiarem vel clericum quamdiu viveret, pro hujuſmodi ordinibus aliquid reciperet aut requireret aut per alium recipi faceret propter cauſas prædictas, & ſic ceſſavit tempeſtas : immo eſt ſententia excommunicationis contra dantem & recipientem pro ordinibus ſacris.

De modo recipiendi archiepiſcopi Senonenſis aut epiſcopi Pariſienſis cum viſitant monaſterium.

NOta quod quotieſcumque reverendus in Chriſto pater dominus archiepiſcopus Senonenſis ſeu etiam dominus epiſcopus Pariſienſis viſitaverit eccleſiam iſtam pro prima vice, tunc debent honorifice cum proceſſione recipi in cappis ſericis vel ſine illis, ſicut viſum fuerit expediens domino abbati. In omnibus autem ceteris viſitationibus, ulterius cum proceſſione non recipiuntur. Sed ſi placuerit pro honore ipſorum majores campanæ pulſantur.

Item in capitulo numquam admittuntur cum conſiliariis aut gentibus ſuis, ſed præciſe cum aliquo ſuo ſocio, & aliquo notario, niſi de gratia ſpeciali.

LITTERÆ PETRI EPISC. PARISIENSIS

De miſſa ſolemni in honorem beatæ Mariæ diebus ſabbati celebranda & de antiphona in fine completorii decantanda.

PETRUS miſeratione divina epiſcopus Pariſienſis, dilecto filio noſtro PETRO abbati S. Victoris juxta Pariſius, & omnibus fratribus ibidem ſub vita apoſtolica & regula S. Auguſtini degentibus, ſalutem & ſinceram in Domino caritatem.

Juſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem præbere conſenſum, & vota quæ a rationis tramite non diſcordant, benigniter exaudire, & ſpecialiter illa quæ tangunt decorem & honorem domus Dei & intemeratæ genitricis ejus. Dudum, fili cariſſime, expoſuiſti nobis, quod in præfata eccleſia, cui præſides, exigua & multum neglecta de glorioſa Virgine MARIA fiebat memoria, ſaltem in celebranda de ipſa aliqua ſolemni miſſa, quia cum antiqui patres ipſius eccleſiæ inſtituiſſent in qualibet die ſabbati unam miſſam ſolemnem celebrari de ipſa glorioſa Virgine, in eccleſia majori, tamen propter octavas feſtivitatum & feſta quæcumque novem vel trium lectionum diebus ſabbatinis occurrentia, prætermittebatur, & adhuc de facto prætermittitur præfata ſolemnis miſſa. Tu vero motus devotione, ut credimus, volens circa defectum præfatæ miſſæ remedium apponere, inſtituiſti & ordinaſti in capitulo tuo coram fratribus, ut de cetero perpetuis temporibus præfata B. Virginis miſſa nullo modo prætermittatur; ſed ſi in die ſabbati occurrat aliquod feſtum propter quod illa non poſſit celebrari in majori eccleſia; ipſa tamen in aliqua alia capella cum nota & ſolemnitate celebretur.

Ordinaſti inſuper quod ne ſit defectus in celebratione præfatæ miſſæ, ſi aliquis fratrum tuorum ex mera devotione velit ipſam celebrare, ſibi permittatur. Si vero nullus ad hoc ſe præſentet, tunc frater qui debet dicere tertiam miſſam, loco illius ad illam miſſam de B. Virgine teneatur, & dicta oratione pro defunctis, a tertia miſſa teneatur immunis. Quod ſi ille abſens fuerit, per infirmarium tuum, aut alium cui hoc injunxeris celebretur.

Supplicaſti inſuper, quod iſtud ſanctum & devotum ſtatutum approbaremus, confirmaremus, & ſcripto ſub ſigillo noſtro communiremus, ut memoria hujus & ſtatutum duraret in perpetuum.

Iterum, quod, ut fratres ſeu quicumque alii devotius & libentius illi miſſæ intereſſent, & ſolemnius decantarent, placeret nobis loco materialium diſtributionum, conferre ſtipendia ſpiritualia, ſcilicet aliquas indulgentias.

Supplicaſti etiam nobis pro quadam antiphona de ipſa glorioſa Virgine quotidie in tua eccleſia poſt completorium ſolemniter cantata, quod ut fratres infra ſepta monaſterii hora qua cantatur exiſtentes, frequentius & avidius ad illam antiphonam convenant, aliquos etiam dies indulgentiarum omnibus illi antiphonæ intereſſentibus conferremus, ut de cetero celebrius & vocibus altiſonis concinatur. Nos igitur cupientes divinum officium magis ac magis ampliari, conſiderantes etiam ipſam intemeratam Virginem, in cujus honore cathedralis eccleſia, cui præſidemus, eſt inſignita, omni laude fore digniſſimam, & ſecundum Hieronymum, quicquid fit ad bonorem Matris Dei, fit ad honorem ipſius ſui Filii. Idcirco ſpeciali devotione moti, petitionibus tuis facilem præbemus aſſenſum. Nos igitur in primis approbamus, confirmamus & præſens ſcriptum ſigillo noſtro communimus, illa, & ſuper illa quæ ſuper ordinatione hujus miſſæ duxiſti ordinanda & facienda, ratum & gratum habentes ipſum ſanctum ſtatutum, & participationem atque communionem volentes habere in ipſa miſſa & omnibus orationibus ipſius eccleſiæ, quæ inter alias eccleſias eſt immediata filia noſtra, nobis ſubdita, auctoritate nobis a Deo collata & a

ſummo pontifice conceſſa, concedimus & conferimus omnibus illi miſſæ, in quocumque loco infra muros ipſius monaſterii celebretur, perſonaliter exiſtentibus, pro qualibet die ſabbati, XL. dies indulgentiarum. Item convenientibus & omnibus exiſtentibus in antiphona poſt completorium in honore glorioſæ Virginis decantata, decem dies indulgentiarum concedimus, perpetuis temporibus iſtis indulgentiis duraturis. Petimus tamen & ſupplicamus in præfata miſſa haberi unam ſpecialem orationem pro ſtatu noſtro & omnium prælatorum populo Chriſtiano præſidentium. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus litteris duximus apponendum. Datum & actum Pariſius die quinta decima menſis Julii anno Domini MCCCLXXXV.

LITTERÆ JOHANNIS CARDINALIS,

De indulgentiis conceſſis his qui eccleſiam S. Victoris & prioratuum ejus viſitaverint & ad reparanda ædificia contulerint ſubſidium.

JOHANNES ROLIN miſeratione divina tituli S. Stephani in Cœlio monte S. R. E. preſbyter cardinalis & epiſcopus Eduenſis univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam.

Ante thronum divinæ majeſtatis fideles Chriſti Sanctorum piis adjuti ſuffragiis, ad eorum ſolemnia eo debent ferventius incitari, quo piis eorum fulſiti præſidiis, potiora retributionis præmia valeant promereri, unde nos more paſtoris vigilis, ſingulos Chriſti fideles, ipſos quos cupimus in ſuperna patria collocari ad ipſorum Sanctorum trahimur libentius obſequia, ut eos in conſpectu Domini devota veneratione collaudent. Cupientes igitur ut conventualis eccleſia monaſterii S. Victoris prope & extra muros Pariſienſes, ordinis S. Auguſtini, necnon eccleſiæ prioratuum S. Dionyſii de Athiis, S. Pauli de Alnetis, S. Guenaili de Corbolio, S. Nicolai de Valle-Jocoſa, S. Deſiderii de Villa-Ribello, B. Mariæ de Nemore, S. Petri dioceſis Pariſienſis, B. Mariæ de Puteolis, B. Mariæ de Floriaco, ejuſdem B. Mariæ de Faronvilla, & B. Mariæ de Monte-Beonis diœceſis Senonenſis, S. Victoris de Brayo diœceſis Silvanectenſis, S. Petri de Buciaco-Regis Aurelianenſis diœceſis, membrorum a dicto monaſterio S. Victoris prope Pariſius dependentium, congruis frequententur honoribus, & a Chriſti fidelibus jugiter venerentur, ac in ſuis ſtructuris & ædificiis debite reparentur, conſerventur & manu teneantur, libris, calicibus & aliis ornamentis eccleſiaſticis decorentur, & laudabiliter muniantur; in ipſis quoque cultus augmentetur divinus; & ut Chriſti fideles ipſi eo libentius devotionis cauſa confluant ad eaſdem, & ad reparationem, augmentationem, aliaque præmiſſa manus promtius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cæleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refertos; dilectorum nobis in Chriſto abbatis & conventus ipſius monaſterii S. Victoris prope Pariſius porrectis ſuper hoc nobis ſupplicationibus inclinati, de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus auctoritate, ſanctorumque martyrum Nazarii & Celſi, Lazari atque Leodegarii patronorum noſtrorum meritis & interceſſionibus confiſi, auctoritate etiam apoſtolica nobis quo ad hoc ſpecialiter conceſſa, omnibus & ſingulis utriuſque ſexus Chriſti fidelibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui conventualem eccleſiam ipſam S. Victoris prope Pariſius, necnon alias eccleſias prædictas ab ea dependentes, aut alteram de ipſis viſitaverint, & ad reparationem, augmentationem, conſervationem, aliaque præmiſſa manus porrexerint adjutrices, ut præfertur, quotiens id fecerint, totiens centum dies indulgentiarum de ſibi injunctis pœnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus, præſentibus perpetuis temporibus duraturis. In quorum omnium fidem & teſtimonium præmiſſorum præſentes litteras fieri, ſigillique noſtri oblongi juſſimus appenſione muniri. Datum Pariſius in domibus noſtræ reſidentiæ die X. menſis Octobris, anno Domini MCCCCLXXVIII. pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris, & domini noſtri domini Sixti divina providentia papæ quarti anno VIII.

HISTORIA VICONIENSIS MONASTERII ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS.

Ex mſſ. ejuſdem monaſterii.

OBSERVATIO PRÆVIA.

CELEBERRIMI in Hannonia monaſterii Viconienſis ordinis Præmonſtratenſis brevem hiſtoriam edidit noſter Acherius Spicilegii tom. XII. quæ primordia tantum ejuſdem cœnobii complectitur, cum geſtis Guarini primi abbatis uſque ad ejus in Laudunenſem S. Martini abbatiam tranſlationem, & Geraldi ipſius ſucceſſoris electionem, opus certe pium, & ſi quod umquam, publica luce dignum. Hoc ad annum MCCIII. *proſecutus eſt Nicolaus Viconienſis prior, ſubſequentium ſeptem abbatum geſta teſtis oculatus accurate deſcribens, quippe qui ſub iis omnibus egerat, uti ipſe infra affirmat n.* 20. *his verbis:* Ego Nicolaus, qui in officio prioratus jam dicto Joſcelino ſucceſſi, anno MCCIII. ſcribi feci, quoniam omnes prænominatos abbates vidi, ſingulorumque obediens fui, præter primum, qui tranſlatus fuerat apud Laudunum. *Obiit autem Nicolaus in ſenectute bona, erat enim nonagenarius, cujus lucubrationem ad ſua uſque tempora continuavit ejuſdem cœnobii religioſus alter Nicolaus* de Montigni *dictus, factis quibuſdam utriuſque operi non ſpernendis additionibus.*

Trium horumce auctorum codices mſs. cum reperiſſemus in bibliotheca Viconienſi, dignos ſtatim eos judicavimus, qui publici juris fierent, nec mora eos deſcripſimus, & anonymi quidem libellum ab Acherio vulgatum cum mſ. collatum aliquibus emendavimus in locis, factaſque a Nicolao de Montigni *additiones, anſulis incluſas, ubi neceſſe fuit, incluſimus.*

HISTORIA VICONIENSIS monaſterii.

1. SPiritus-ſanctus ore prophetico teſtatur filiis Iſraël mandatum divinitus, ut beneficia ſibi cœlitus collata, crebra recordatione ſuis ſuorumque cordibus imprimerent, quatenus his frequentius memoratis, animos a cultu vanitatis arcentes, benefactori ſuo A caritatis obſequium gratanter exſolverent. Hæc ego frequenter audita ſedulo verſans in pectore, recolenſque quot & quantis blandimentis divina bonitas primordia noſtræ converſionis delinierit; ſatis ægre tuli nihil ex his ad notitiam poſterorum litteris inditum: præſertim cum primævos fere omnes cernerem vitæ præſentis tranſcurriſſe terminum. Libuit ergo, juvante Deo, notare breviter, quo tempore, quove auctore, locus

iſte ſacræ religionis initium ſumſerit, ut non A priventur notitia geſtorum futuri heredes, & loci & morum.

Loci deſcriptio.

2. Locus iſte nomine & veritate *Caſa Dei*, licet ad id quod dicitur ante ſæcula divino conſilio præordinatus fuerit, non diu tamen ex quo tali vocabulo vocabulique virtute decorari cœpit. Tempore namque Ludovici regis Francorum, hæc ſilva primum a fratribus noſtris incoli cœpit annis ab Incarnatione Domini MCXXV. plus minuſve decurſis; catenus enim locus iſte ſpinis ac vepribus canniſque paluſtribus denſus, luporum ac ferarum latebris magis quam habitaculis hominum videbatur idoneus. Sed Rex ille ſapiens ac potens, *qui vocat ea quæ non ſunt* Rom. 4. 17. *tamquam ea quæ ſunt*, tempore ſibi placito, vetuſtam auferens loco deſpectionem, inopinatam contulit * ſanctificationem, vetera diſſipans luſtra, novaque ſibi ſtatuens caſtra. Per idem tempus quippe Dei ſapientia cum filiis hominum ludens in orbe terrarum, diverſis in locis caſas ſibi ſtatuit, ad quas conſtruendas operarios de ſervitute Babylonis evocatos, * inibique multiplici virtutum experientia probatos, ad cœleſtem aulam coronandos introduxit. Inter quos velut ſapiens architectus plurima ſagacitate cœnobii hujus primus inſtaurator enituit, Britonum quidem gente progenitus, Francorum tamen loquelis & moribus luculenter ſatis imbutus, ſacerdos officio, nomine Wido. Hic cum levis adoleſcentiæ annos per trivia vanitatis vagabundus, ut pleriſque moris eſt, tranſegiſſet, ævo jam maturante, mutavit & mores. Cœpit namque ſupernæ gratiæ perfuſus jubare, * factus jam juvenis, dies laborioſos menſeſque vacuos vigilanter ſibi dinumerare, annoſque æternos in amaritudine animæ ſuæ recogitans, taliter, ut reor, ad contemtum mundi ſeipſum ſollicitare. O anima miſera, quare ſeduceris vanitatis ſic æmula, aſt veritatis nimis ignara? Perpende quæſo quam grave ſit quod patimur, quamque vanum quod ſequimur, æternum quo ducimur. Obſecro ſiſte gradum * perſpiciens ultra progredi quam ſit periculoſum; * huc prodiiſſe tenus ſatis eſt, jam non decet ultra: Sperne voluptatem, nocet empta dolore voluptas. His atque his ſimilibus, ſpirante Deo, ad animum reductis, terga nugis vertens, male tutus arctum qui ducit ad vitam ingreſſus terere callem, mutans habitum, liquit ſæculum, migravit ad eremum.

* *Edit.* ubique.

Primus incola Wido.

* *In edit. deeſt* factus.

* *Edit.* perſpicies.

* *Edit.* hac perdidiſſe tenus.

3. Illo namque in tempore quo venerandus pater Norbertus Præmonſtratum venit habitaturus, ſacrarumque inſtitutionum quibus jam totum ferme per orbem catholica decoratur eccleſia, rudimenta daturus, præfatus Wido paucis diebus illic demoratus, ſicut audivimus, ceſſit loco majori cedens. Audita vero fama hujus ſilvæ (famoſiſſima enim erat tum præ ſui latitudine, tum præ ſcelerum quæ in ea frequentabantur enormitate) Deo comite adveniens, locato ſibi tabernaculo ſub annoſa, ut dicunt, tilia inopinatus reſedit * hoſpes, in proximo fiendus & heres. Haud longe autem ab arbore palus erat ingens, rivuſque præterfluens, quem indigenæ ſermone publico *Paraginm* * rivum appellant, quidam vero e noſtris paradiſi ſive Paracliti rivum eumdem dici mallent, quod & mihi magis libet.

* *In edit.* hoſpes.

* *In edit.* rivum.

4. Hoc igitur in loco, ſicut prædictum eſt, facto domicilio, vir Dei vino illo quod novis in utribus recondi decet, dilectione Dei ſcilicet & proximi fervens interius, lucrumque animarum vehementer ſitiens, duce Chriſto egreſſus ad publicum, eructare cœpit populis quod ab * æternis hauſerat poculis. Igitur velociter ſermone currente, turbæ conſtiuunt, vilemque hominis habitum, hilarem vultum, placidumque ſermonem attendentes, & in præcordiis omnia ponentes, reficiebantur non minus opinione quam ſermone. Fit itaque, largiente Deo, peregrinus homo notus in populo, ab omnibus amatur, veneratur, ſuſcipitur & colitur. Frequentant ejus domicilium, poſcunt conſilium, impendunt corporale beneficium, referunt optatum animæ domi ſolatium. Perpendens igitur manum Dei bonam ſecum eſſe, populique corda divino ſpiramine ad audienda verba vitæ reſerata, cogitabat dilatare tentorium ſuum: quatenus collectis fratribus ibidem, Chriſto debitum perſolvere poſſent famulatum: nec tamen arbitrabatur ſibi tutum vel licitum * in alieno ceſpite abſque nutu heredum fundamenta jacere, præſertim in hac ſilva quæ pluribus ſubdiviſa heredibus, tot dominorum legibus ſubjacebat. Proinde accedens ad unum eorum Alamannum ſcilicet * *de Ponz*, illuſtrem virum, cujus juris videbatur eſſe locus quem occupaverat, conventione facta cum eo, partim præſentis lucri acceptione, partim mercedis æternæ ſponſione, factus eſt coram multis teſtibus hujus loci legitimus heres, qui paulo ante fuerat inquilinus & hoſpes. Conſtructiſque caſulis ſibi ſuiſque neceſſariis, exivit homo ad opus ſuum, peragratiſque finitimis caſtellis & oppidis, ſemina vitæ ſparſit ubique, moxque mirum in modum ſole juſtitiæ deſuper radiante, maturos inveniens fructus, primitias ex eis Domino litaturus decerpſit.

* *In edit.* aliohoſpite.

* *In edit.* de Ponz.

5. Siquidem tantus ardor divinæ dilectionis quoſdam arripuit, ut repente ſæculi vanitatibus abdicatis, rebuſque propriis ad nutum viri Dei delegatis, ipſi deinceps adhærerent, nexu indiſſolubili colligati. Cum quibus ad locum paupertatis ſuæ regreſſus, ſingulis diebus ſecundum tempus & horam ad humilitatem obedientiæ, ad virtutem patientiæ, ad inſtantiam orationis, ad tolerantiam laboris, ad vigilantiam contra juges antiqui

Ad Widonem abdicatis ſæculi vanitatibus multi confluunt.

hoſtis inſidias, monitis & exemplis quos Deo lucratus fuerat, inſtituebat tyrones. Tantæ vero caritatis erat, ut licet inopem agens vitam, ſibi ſuiſque vel ſcribendo, vel alio quocumque juſto modo quotidianam a foris conquireret ſtipem: * hoſpitatori tamen præceperit neminem ex caritate victualia petentem vacuum abire permitti. Sæpius enim illam veritatis promiſſionem, *date & dabitur vobis* mente retractans, plurimumque de ea ſperans, pro viribus implebat, ſibique ſubditis ſervandam attentius commendabat.

* *In edit.* hoſpitaliter.

Luc. 6. 38.

6. Confluxere undique populi terræ, cernere cupientes quæ hic fiebant tamquam mirabilia. E quibus aliqui videntes opera fratrum, vilitatem veſtium, devotum ad invicem obſequium, laboris exercitium, caritatem & ſilentium, dicebant *Caſtra Dei ſunt hæc*, & Spiritus-ſanctus habitat in his: alii vero largifluam Dei miſericordiam non conſiderantes, aiebant: *In tantis miſeriis non ſubſiſtent*; ſed recedente paſtore diſpergentur & oves. Hoc autem illis, ut opinor, non modicam deſperationem incuſſerat, quod qui anteriori tempore in vicinia noſtra habitaverunt, nihil umquam ad perfectum adducentes, abſque habitatore domos vacuas dimiſerant.

Gen. 32. 2.

7. Ante paucos etenim annos in proximo monte ad boream ſito, quidam eremita erecto tabernaculo cum matre degens, ea ibidem ſepulta, cum ſolus remanſiſſet, neſcio a quo ſceleſto homine jugulatus in puteum dejectus eſt: unde poſtmodum extractus, & in atrio S. Amandi ſepultus requieſcit; cognomen monti non excidit. Porro ad occidentalem plagam quidam cum matre & fratre ſimiliter habitabat, Hugo vocabulo, converſus habitu, graduque ſacerdos. Huic conſuetudo fuit circuitis circumquaque villis & caſtris ſermonem ad populum facere, nec tamen multum proficere: quidquid enim ore loquaci ſerebat, moribus indiſciplinatis conculcans, creſcere non ſinebat. Inter duo namque matura, ſicut vulgo dicitur, unum acerbum promens, riſus & joca perſæpe audientibus commovebat. Hic patrem Widonem de die in diem proſperis ſucceſſibus attolli, ſe vero minui cernens, nil proſperatus receſſit, ejus portiuncula noſtros in uſus redacta, nec tamen nomine priſtini poſſeſſoris privata. Adhuc namque locus ipſe Sartum domni Hugonis appellatur.

8. [Locus autem hujus eſt pro poſteris a magnis arboribus ante portam, ubi pro tranſeuntibus fons profluit, tam in terris nondum cultis quam excultis, uſque ad viam quæ via ſartata dicitur: dividens hujuſmodi ſartum a ſilva ibidem exiſtente. Verũ dixerunt aliqui ſedem habitaculi ſui in piſcaria noſtra vivarii ſtratæ publicæ contigui, ſcilicet de ramis: quod non mihi placet, cum magnum ſpatium ſit a vivario uſque ad ipſum ſartum, multos modios terræ continens; & non eſt veriſimile hominem ſolum cum matre & fratre pro ſui habitatione tantum terræ invaſiſſe aut etiam incluſiſſe, niſi forte duo habitacula jam conſtruxerit, quæ nuſquam reperi aut audivi. Eſt etiam locus alius in ſilva *de Trit*, qui Mala-domus dicitur, ubi ſimiliter quamplures eremitæ inhabitaverunt, qui una cum aliis a malivolis jugulati finem optimum, ut rei probat veritas, ſunt adepti. Nam in loco ſuſpendii fons a terra aſcendit, qui ibidem permanet uſque in præſens. Attamen dicta domus ex hinc noſtrum dominium non ſuſcepit: ſed in ea miles quidam leproſus manſionem atque curſum vitæ conſummavit; necdum convertitur in noſtros uſus, vel tunc primum cum per excambium villæ de *Hucegnies* dictam ſilvam atque domum cum omnibus appenditiis poſſidemus. Cum autem jam fortis armatus tam nefarie cuſtodiret, immo vaſtaret atrium ſuum, ſupervenit fortior, virtus ſcilicet divina, quæ ad præſentem locum quem modo incolimus deſtinare dignata eſt domnum GUIDONEM virum religioſum & timentem Deum jam ſupradictum, litteratum virum, in cujus labiis diffuſa erat gratia fructuoſæ prædicationis. Hic mundum marcentem cum ſuo flore ſterili reſpuens, ſub tegmine ſagi ſolus aliquantis diebus inhabitavit. Porro quoniam lux accenſa non debuit ſub modio latere, ſed in palam abduci, prædictus magiſter GUIDO circumquaque verbum Dei diſſeminans, quoſdam fratres de inter fluctus labentis ſæculi ad portum ſanctæ religionis, Deo cooperante, perduxit. Ut autem tam novella plantatio magis poſſet propagari, & ramos ſuos ad fructificandum extendere latius,] venerandus WIDO bonis initiis finem optimum annectere ſatagens, * Berengertruncenſem abbatem adiit, rogans quatenus de fratribus ſuis ad hunc locum deſtinaret, qui noſtros ſuis inſtitutis imbuerent, ac tempore opportuno ex eodem ordine abbatem ſibi, Deo * diſponente, præficerent. Abbas itaque precibus annuens ſupplicantis, miſit de ſuis canonicis, ut locum gentemque conſiderantes renuntiarent, utrum * res dignum quid effectu præmonſtraret. Qui venientes diebus aliquot in loco peractis, videntes terram aquoſam & arenoſam, cultuque difficilem, non ſatis fidentes in eo cujus eſt orbis terrarum & plenitudo ejus, via qua venerant reverſi ſunt in regionem ſuam, Deo nobis melius aliquid providente.

* *Mſſ* Truncicenſi Berégarii.

* *In edit.* ſibi diſponentes præficerent.

* *In edit.* utrũ re dignum.

9. Siquidem domnus VALTERUS abbas S. Martini Laudunenſis, vir in perferendis malis experientiſſimus, multis precibus pulſatus, venit locum inviſere, ac miſericordia motus, cœpit ejus curam agere; fidenſque in eo a quo cuncta bona procedunt, ingreſſus Duacum, verbum Dei cum fiducia loquebatur ad populum: factumque eſt, eo lo-

Subjiciuntur Viconienſes canonici Præmonſtr. S. Martini Laudunenſis.

quente, cum inter cetera loci hujus mentio incidiſſet, plurimorum tam ex clero quam populo tanto amore erga Deum & locum corda perculſa ſunt, ut ſæculo mox renuntiantes, ſe cum ſuis, abbate præſente, Chriſto voverent & loco. Exinde vir Dei conſtantior factus, ſignato privilegio a venerabili viro ROBERTO Attrebatenſi epiſcopo, curam loci ſuſcepit, eo videlicet tenore, ut abbates ibidem conſecrati cum ſibi ſubditis Laudunenſis cœnobii ſtatuta regularia, moreſque honeſtos pro facultate ſervarent; nec tamen ulli exactioni temporali obnoxii forent. Miſſi ſunt ergo fratres, qui rebus proſpere cedentibus, infra modicum tempus domnum HENRICUM vice prioris ſibi prælatum, illuſtrem virum, (fertur enim capellanus & conſanguineus fuiſſe regis Francorum) in abbatem elegerunt: attamen Chriſto reſiſtente, deſiderio ſuo fraudati ſunt. Statuta enim conſecrationis ipſius die, dum epiſcopus non adeſſet, elongata benedictione Laudunum reverſus eſt.

Warinus I. abbas Viconienſis.

10. Quo regreſſo, Laudunenſis abbas domnum WARINUM priorem ſuum ad conſecrationem miſit, qui percepta benedictione, dignitatis gradum piis actionibus ſuperexaltare ſategit. Erat enim vir * ſimplex, & rectis moribus ornatus, æmulator ordinis, amator paupertatis, cuſtos caſtitatis, ſectator hoſpitalitatis, poſtremo virtutum impiger cultor, ac vitiorum fervidus ultor. Qui dum veniſſet, & de nimia egeſtate quoſdam conqueri audiſſet, verbum memoria dignum fertur tuliſſe: Deus, inquiens, ſi nos in loco ſcierit, ipſe ad manducandum præſtabit: non ignorans utique quod Deus omnia per plenitudinem ſapientiæ ſuæ ſciat, ſed ſubditos monens quatenus boni operis ſedulitate a Deo ſciri ſatagerent.

* *In edit.* ſapiens.

11. Quis autem valeat digne differere quantus qualiſque fuerit eo tempore tam in diſcipulis quam in magiſtro amor veritatis, cuſtodia humilitatis, contemtus mundanæ vanitatis, cum certis indiciis ſinceræ caritatis omnes ſe monſtrarent mortuos eſſe mundo, & mentibus habitare in cœleſtibus cum Chriſto? Cur autem eos mundo mortuos non recte dixerim, quibus tanta erat parcitas in victu, tanta vilitas in veſtitu, ut quæque guſtu dulcia, tactu mollia penitus abhorrerent, & talia quærentes oſtentui haberent? Tanta quippe auſteritas erat in victu, quod æſtivis temporibus cum legumina non haberent, tribulos & agreſtes herbas per arva legentes & propriis humeris domum advectantes, una cum foliis arborum coctas in cibos ſumerent: nec tamen mors in olla ſentiebatur, quia farinula perfectæ caritatis condiebatur. Erat vero tanta vilitas in veſtibus, ut tunicis toties reclavatis plerique veſtirentur, quod in dubium venerit ex qua potius parte initium ſumſerint. Quid autem dicam de aſſiduitate laboris vel inſtantia orationis, cum vix umquam aut manus quieſceret a labore, vel lingua vacaret ab oratione? Unde contigit frequenter, ut per noctes quieſcentes in lectulis, ſe vel pſallentium choris intereſſe, vel ſacris altaribus aſtare, aut etiam albatorum catervas præcedentes ſubſequi, vel ſimile quid cernerent. Evigilantes vero verſum, quem opprimente ſomno dimiſerant, adhuc in ore ruminarent.

12. Porro conſuetudo talis erat, ut egredientes ad laborem, ſive ad ſarriendum vel ad ſarta cremandum, finito labore non vacui redirent; ſed quiſque pro viribus onera ſibi bajulantes, ſeriatim & cum ſilentio repedarent. Tali quidem opere, ut reor, illam Sancti-Spiritus promiſſionem ore Pſalmiſtæ prolatam: *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos*, quam cordibus infixam ore frequenter ruminabant, ſe deſiderare & expectare jam quaſi quædam præludia exercentes, declarabant. Et quidem Spiritus-Sancti promiſſio in retributione juſtorum perfecte complebitur, cum finito ſcilicet judicio, ſancti qui in labore & ærumna in hoc ſcilicet ſæculo ſemina * vitæ ſemina- * *Inſer. des* verunt, audita illa deſiderabili voce, *Venite* vitæ. ſcilicet *benedicti patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt a conſtitutione mundi*, pulcherrima cum proceſſione portantes præmia laborum, a tribunali judicis introibunt gaudentes, ad contemplandam perenniter faciem Patris, reprobis omnibus cum ſuo principe diabolo in tartara retruſis. Pſal. 125. 6. Matt. 25. 34.

13. Hæc & his ſimilia ordini congruentia die noctuque inceſſanter agentibus, Deus cui placere geſtiebant, tantam contulit gratiam, ut vicini divites & pauperes magno cum affectu venerarentur, & locum & gentem & præcipue abbatem, qui eis vir bonus apparebat, in ſermone verax, in operatione juſtus, in univerſis moribus ornatus. Unde ſeniores terræ locum frequenter inviſentes, cum audiſſent & vidiſſent numerum fratrum ampliatum, ac diverſorium valde anguſtum, hortati ſunt abbatem oratorium lapideum conſtruere, ſuum ei ſpondentes auxilium artificibus conducendis atque paſcendis, ceteriſque neceſſariis non defore: quorum monitis non de propriis viribus præſumens aut opibus, ſed divinis fidens muneribus, abbas annuit, effoſſiſque lapidibus, quæque forent ad opus neceſſaria præparavit.

14. Diebus itaque ſanctis Paſchæ facta proceſſione ad locum quo conſtruendum erat oratorium, ibique miſſa celebrata, locata ſunt fundamenta in honore Dei ac beatiſſimæ ſemper virginis MARIÆ, GODEFRIDO comite Auſtrebatenſium cum infinito cœtu divitum & pauperum aſtante. Siquidem oratoriolum quo eo tempore imo & ante celebrabantur divina in honore Dei & beati Sebaſtiani martyris a venerabili patre WI-

DONE

DONE ex lignis compactum in pomerio situm fuerat, ibi etiam tunc temporis clausſtrum erat atrio ibidem consecrato. Porro ecclesia beatæ Deigenitricis Mariæ VI. annis consummata, septimo dedicata est octavo calendas Octobris a viro excellentissimo domno ALVISO Attrebatensi episcopo, ab Incarnatione Domini anno MCXXXIX. domni Varini primi abbatis decimo.

15. Facta est ipso die consecrationis non modica perturbatio in populo; sed Deo vindicante non longe post in ipsum, a quo perturbationis causa processit, ultio manifesta factisque digna prorupit: factum est namque cum omnibus quæ tantæ solemnitati congruebant rite peractis, qui ad diem festum venerant festinarent ad propria, orta contentione inter Austribatenses milites & Landastentes, ut vir illustris AMANDUS scilicet de Dononio graviter quassatus, causa mœroris non modici nobis existeret. Fideli quippe virilitate domno abbati sponte factus obnoxius, in pluribus nobis utilis extiterat, & ad ecclesiæ constructionem de suis facultatibus frequenter adjuverat. Igitur proxima die ille qui caput jurgiorum fuerat, Daniel scilicet de Curte-Trajani, ferocitate tyrannica opinatissimus, ad determinatum congressum, quem vulgo Tornionem vocant, properans, lancea perfossus, a præsenti luce violenter extortus est, dignam sui sceleris suscipiens retributionem.

[16. Et in his omnibus lætabatur pater GUIDO, eo quod prosperum iter faciebat Deus salutarium suorum, proficiebat pater in filiis, filii in patre, quia unus amor, una fides erat in eis, ut competat eis: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.* Sic etiam in eis deerat omnis philargyria & avaritia, quia ea quæ a vicinis in muneribus sponte donabantur, ab eisdem non sumebantur: verbum recolentes: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Divitias sic contemnentes, & summam paupertatem eligentes, salvatorem suum JESUM insequentes. Quo percepto a popularibus, perturbati graviter ad ecclesiam orationis gratia confluebant; exurgentes vero ab orationis loco, saccos magnos pecuniæ plenos relinquebant. Unde nostri per ecclesiæ vestigia incedentes, saccos hujusmodi reperiebant, admirantes timebant valde.]

Obit Wido in Burgundia.

17. His ista gestis pater WIDO in territorio Metensis civitatis ædicula rursus constructa, collocato etiam abbate, a Jerosolymis iterata vice reversus, aliquanto tempore degens apud nos, quamdam curtem ad usum pauperum atque * debilium apud Valencenas manentium exorsus est construere juxta montem *Aizin*; qua nondum perfecta, oppidanis non ad placitum adjuvantibus, ad Burgundiam ipse profectus est, nec plusquam duobus mensibus post ejus absces-

* In edit. felicem.

nem transactis, apud * Jovinianum, præfatæ regionis castrum defunctus; in atrio sancti Lazari, ubi debiles peregrini & pauperes sepeliri solent, id ipso petente, conditus jacet, beatam præstolans a justo judice sui laboris remunerationem. Anno quidem ab Incarnatione MCXLVII.* calendis Februarii profectus a nobis, II. calendas Aprilis migravit a sæculo, in æternum, ut credimus, victurus cum Christo, pro cujus amore ab ineunte juventute voluntarius pauper factus, quoad vixit pauperum strenuus consolator, prout potuit, semper extitit.

* In edit. Jovinam.

* In edit. MCXL. VII. Februarii.

[18. Anno igitur Dominicæ Incarnationis MCXXIX. dominante comite BALDUINO, domus Viconiensis ordinem Præmonstratum, donante Deo, & domno GALTERO abbate S. Martini Laudunensis auxiliante, suscepit, patre Guidone quæ fuerant operi necessaria procurante fideliter: in qua primus electus est domnus Hainricus vice prioris, cœnobii Laudunensis canonicus, vir magnus, ut superius est expressum, qui elongata benedictione, die ad hoc statuta absente episcopo, ipse perturbatus Laudunum reversus est. Sic vero Viconiensis ecclesia orbata electo, orbata patre Guidone mœstissima, utrum subsistere posset hæsitabant omnes: attamen vineam quam in loco despectissimo atque inopinatissimo dominus plantaverat, in posterum fructiferam eradicari non volens, immisit vineæ suæ fidelissimum custodem atque conservatorem.]

Post ejus vero transitum annis IV. semis ferme defluxis, domnus GUARINUS abbas, vir piæ recordationis, cum annis XX. ferme duobus nostram ecclesiam strenue rexisset, cœnobii S. Martini Laudunensis regimen suscepit, domno VALTERO ejusdem clausſtri abbate episcopante urbi præmemoratæ. Nobis autem ob discessionem sæpe dicti viri mœstissimis.

19. Successit alius nomine GERALDUS præfixi cœnobii canonicus, qui in initio prælationis suæ, quantum ad humanum spectat examen, morum honestate & verborum dulcedine atque affabilitate mirifice floren-, maximum studium erga ornatum ecclesiæ & decorem domus Dei impendere studuit, licet post modum instinctu adversarii ab humili & recto religionis tramite deviaverit. Hujus itaque temporibus, cum & in spiritualibus & in temporalibus ecclesia nostra floreret, quidam e fratribus nostris ob amorem & honorem sanctorum, vas quoddam quod feretrum vulgo vocatur, ipso consentiente & cooperante ædificaverunt, auro & argento ac pretiosis lapidibus decoratum. Cujus rei causa, scilicet ne tanto vase vacuo remanente, frustra laborasse dicerentur, ubicumque potuerunt ab ecclesiis tam vicinis quam longinquis sanctorum pignora perquirentes, magnam ex eis copiam aggregaverunt

II. abbas Viconiensis Geraldus.

inter quæ etiam caput S. Flaviani, qui fuit archidiaconus S. Nicasii, præfatus abbas a civitate Rhemensi rediens secum attulit: quoniam in ecclesia præfati præsulis & martyris parentes notos & familiares amicos habebat. Ipsum ergo caput cum aliis plurimorum sanctorum reliquiis, quorum nomina jam alibi descripsimus, positum est honorifice in præfato receptaculo a domno GODESCALCO Attrebatensi episcopo.

Ecclesiam suam variis dotat reliquiis.

20. Accidit præterea ut BALDUINUS comes Hainonensis Coloniam orationis gratia proficisci pararet: cujus peregrinationis fama cum fratrum nostrorum ad aures usque perveniisset, suaserunt jam dicto abbati, ut aliquem de fratribus cum eo dirigeret, qui ejus auctoritate & precibus ab abbate S. Heriberti corpus integrum unius virginis de societate XI. millium virginum mereretur suscipere, nobisque deferre, quod factum est. Enimvero Domini cooperante gratia, precibus comitis nostri, necnon & auctoritate atque imperio HENRICI ducis Lemburgensis abbas S. Heriberti pulsatus, immo victus, unam e pluribus virginibus quæ in sacrario conservabantur, cujus nomen est Karissa, protulit nobisque transmisit. Hujus ergo sactæ virginis sacras reliquias cum hymnis & laudibus die sancto Paschæ suscepimus, & post Pentecosten convenientibus quampluribus viris religiosis atque abbatibus, ac multa plebe seculari, a domino Frumaldo archidiacono Attrebatensi cum honore debito in jam dicto feretro repositæ sunt.

21. Interea cum hujus unius sacræ virginis adeptio acriorem sitim amplius acquirendi in corde abbatis Gerardi succendisset, visa opportunitate temporis, ipsemet, nonnullis sibi fratribus associatis, Coloniam profectus est, & quantum potuit a quibuscumque potuit opportune importune precibus, donis ac promissis, ab ipso etiam jam sæpius memorato abbate S. Heriberti, ignorantibus licet monachis, sanctarum virginum & martyrum, qui cum eis passi sunt, sacra ossa recepit, & huc ad nos die festo sanctæ Trinitatis attulit. Verum cum necdum semel accensus ignis desiderii cordi suo suadere posset lentescendo, ut diceret: sufficit: tertio nihilominus, non quidem ipse, sed per priorem legatum suum sanctum, locum Coloniæ adiit, & sicut semel & iterum, sic etiam tertia vice sanctorum martyrum & virginum corpora collegit, de quibus ecclesiam nostram, ut rei veritas probat, magnifice ditavit. Horum ergo martyrum ossa Deo sacrata, paratis loculis ligneis, in quadam structura lignea, auro & coloribus venuste composita, desuper altare apostolorum in ipso fronte capitis ecclesiæ, ut intuentibus facile patet, cum reverentia & timore collocaverunt: ubi eorum usque hodie venerantur merita ad laudem & gloriam Domini nostri JESU CHRISTI.

Huc usque edita hist. in Spicil. tom. 12.

CONTINUATIO HISTORIÆ Viconiensis a Nicolao priore anno MCCIII.

Præmissa præfatiuncula, quæ summatim refert exordia fundationis sic incipit.

22. ANno igitur Dominicæ Incarnationis MCXXII. dominante domino Balduino, domus Viconiensis ordinem Præmonstratensem, donante Deo & domno Galtero abbate S. Martini Laudunensis auxiliante, suscepit, in qua domnus Guarinus abbas vir religiosus ac timens Deum primus abbatum regimen tenuit XXII. annis.

23. Huic successit Geraldus qui circiter XVI. annos tenuit abbatiam, & quamvis in temporalibus aliquantulum profecerit, eam ultramodum indebitis obligatam reliquit. Eo ergo pro meritis deposito, post modum electus est GALTERUS, qui absque benedictione episcopali solo anno non sine magna perturbatione completo, excessit. Galterius III. abbas.

24. Amoto Galtero, substitutus est STEPHANUS de Ursina-valle. (a) Summa debiti & gravaminis quod nobis comes scilicet BALDUINUS Hanonienſis intulit propter incendium *de Harcies*, in quo valens mille libras perdidimus, fere ad undecies mille libras pervenisse dicitur. Deus vero qui vineam quam plantaverat noluit eradicari, servis suis largam benedictionem infundens, sexto post depositionem domni Geraldi abbatis secundi anno, debitum prænominatum ad tria millia librarum misericorditer redegit, & quod admiratione dignum est, retentis possessionibus nostris ecclesiæ apud *Curgies* & *Onaing* in terris & redditibus comparatis, circiter octingentas libras expendimus. Præterea domus & grangiæ apud *Harcies* & in aliis grangiis de novo constructæ & refarcitæ secundum æstimationem fratrum mille libras possunt valere. Hoc autem ad relaxationem debitorum multum valuit, quod piæ memoriæ PHILIPPUS Flandrensium & Viromandensium comes, miseratus domum quam prius hospitalem audierat, divini amoris intuitu neminem in tota ditione sua a nobis usuras exigere permisit. Aliqui etiam creditores nostri, pro salute animarum suarum, non solum usuras, sed & sortem condonaverunt. Nam duo burgenses sancti Quintini in sub obitu mille libras nobis dimiserunt, Petrus scilicet *de Vilers* sexcentas, Robertus Cambarius CCCC. quidam itidem burgensis Valencenensis Lambertus cognomento Cabilaus quingentas. Albertus etiam cognomento Comes, burgensis Valencenensis ante obitum plusquam L. marchas nobis condonavit. Similiter & quidam alii. Hæc vero proinde scribi fecimus, ut caveant posteri, Stephanus IV. abbas. [a]

(a) Consule Alexandri papæ III. epist. 249. & 251. a nobis editas tom. 2.

ne aliquando deſiderio terrarum ſive reddituum comparandorum, & permaxime dilapidatione bonorum, vel luxurioſe vivendo recidant in uſuras, & incurrant illam maledictionem Judæ, quam oculis noſtris vidimus, quod ſcrutati ſunt feneratores omnem ſubſtantiam noſtram, & diripuerunt alieni labores noſtros, in tantum ut libri noſtri & ornamenta eccleſiaſtica nobis ablata ſunt, quæ poſtea Deo miſerante redemimus. Conventus etiam præ penuria diſperſus eſt.

Daniel V. abbas.

25. Prædicto itaque Stephano jam fatiſcenti ſenio, nondum vita exempto ſucceſſit DANIEL vir ſimplex & bonus, qui cum præfuiſſet IV. ferme menſibus, necdum in abbatem benedictus, quibuſdam de cauſis quas evolvere prolixum eſt, ab abbate Præmonſtratenſi depoſitus eſt.

Johannes VI. abbas. *al. Enaſco.

26. Tunc ſubrogatus eſt domnus JOHANNES GUASCO, ante prior Præmonſtratenſis, tunc temporis abbas de Stella, qui nobiſcum demoratus per dimidium annum, videns multa gravamina intus & foris, maxime pertæſus ad abbatiam ſuam quam dimiſerat rediit.

Godefridus VII. abbas.

27. Subſtitutus eſt igitur ei GODEFRIDUS de Tongria qui circiter ſex annis minus provide ſe habens, domum multis debitis oneravit, nec in ſpiritualibus nec in temporalibus admodum proficuus, a cura paſtorali amotus eſt. [Hic licet indiſcrete ſe habuit, cum in antea multipliciter eſſet eccleſia nimis aggravata, & cumulans mala malis, pejora prioribus, cum trabes & quid quid potuit ab eccleſia & a dormitorio auferri fecerit ac etiam vendiderit: quoniam maxima de eiſdem erat in eiſdem multitudo, ob hoc mercedem laborum habuit, quoniam a paſtorali cura cum ignominia ejectus eſt. Poſſeſſiones vendidit, in tantum ut molendinum S. Gaugerici in Valenchenis vendiderit: unde qualiter damnificati his diebus noſtri fuerint agnoſcere poſſunt omnes.]

Arnulfus VIII. abbas.

28. Conſequenter prælatus eſt domui iſti domnus ARNULPHUS, vir litteratus & in ſermone profuſus, natione Flamingus, qui licet exterioribus deditus eſſet, religioſum tamen in priorem, Jocelinum nomine, ordinis & officii eccleſiaſtici pium æmulatorem, exceſſuumque acerrimum correctorem interius præfecit, atque Nicolaum ſubpriorem; exterius vero virum induſtrium nomine Theodoricum præpoſitum conſtituit: & ita in brevi domus bonis temporalibus abundavit, ut mirum in modum eſſet videre, nec eam aliquid detrimenti paſſam fuiſſe, nec deinceps paſſuram fore. Præfato igitur priore de medio facto & in capitulo tumulato, ubi prius ſepulti fuerant domnus STEPHANUS, domnus GODEFRIDUS, prænominatoque Arnulpho cum officialibus ſuis ſumptuoſius & lautius vivente, quam ordo exigeret, denuo cœpit domus debitis obligari, maxime vero eo quod per multos annos annona ita fuit cara, quod infinita millia pauperum fame perierunt & nos qui multum ſeminavimus parum intulimus. Inde provenit, ut quod dandum erat pauperibus, in uſus communes verterentur, ut etiam ante januas religioſorum inedia confecti morerentur egeni. Tunc impletum eſt propheticum illud: Clerici eorum non proderunt eis. Erat ergo videre miſeriam. Nam qui prius ſolebamus liberales eſſe pauperibus, præ nimia continuatione famis, quæ V. annis ſine interpolatione alicujus fertilitatis duravit, nobiſmetipſis timentes, ne nihil ſerentes, nihil reciperemus, pluſquam mille marchatas avenæ ad opus jumentorum comparavimus. Siquidem in agricultura periti, non ſolo foragio, ſed & avena ea ſuſtentari aſſerebant. Exinde accidit, ut quod dandum erat pauperibus, pro jumentis expenderemus, venditoque nemore noſtro, quod procerum & annoſum nobiſque valde neceſſarium habebamus, ad extremam fere penuriam devoluti ſumus. Præfatus itaque ARNULPHUS, & prænominatus Theodoricus, qui prius rerum copia effluebant, pariterque elationis typo a multo notabantur, miſerabiter vitam finierunt. Abbas nempe paralyſi diſſolutus, per aliquot annos officio membrorum, ſed linguæ præcipue deſtitutus eſt. Alter vero peſſimo crimine accuſatus, præ nimio dolore objectorum tabeſcens, qui antea per multos annos fidelis & utilis eccleſiæ noſtræ eſſe cenſebatur: apud *Furnes* peregre in carcere defunctus eſt.

Radulfus IX. abbas.

29. Sæpedicto autem Arnulfo adhuc æramnoſe vivente, qui prius in multa gloria & pompa vixerat, pro eo quod impotens eſſet huic eccleſiæ, domnus RADULPHUS abbas de Caſtello juxta Mauritaniam præficitur, & per ſeptem annos egregie gubernavit. Humilitatem, cujus in abjecto habitu & frugalitatem in victu laudare ſuperfluum reor, juxta illud: *Ne laudes hominem in vitâ ſua*: hoc tamen fideli memoriæ arbitror commendandum, quod licet domum iſtam debitis gravatam invenerit, & multa & maxima damna pertulerit, præcipue a domno Gerardo de *Bohaing* [qui ſic nos aggravavit, ut bannum fieri in *Bohaing* fecerit, ut nullus laïcorum nobis deſerviret: quod ſi ſecus præſumtum eſſet, decapitatum permitteret, & aliter vel minus non puniret. Quo viſo a noſtris, unus noſtrorum guerram ſic ſumit, ut in territorio de *Harèhies* cum XIV. converſis armatus incedat. Itaque a converſis aratur terra ac etiam ſeminatur, cuſtode concanonico noſtro jam prædicto. Qua re cognita a domno de *Bohaing*, capitali ſententia eos debere puniri dicit, ſi amplius incedant tali modo in deſpectu ſui: ſed nihilominus non ceſſant noſtri, quam ut heri & nudius tertius hereditatem ſuam conſervent atque elaborent. Fremit miles ad arma incedere, ſuos ad perdendum noſtros jam invitat, progredi una

cum aliis ubi novit noſtros trahere moras : viſo a ſeipſo noſtro concanonico, lanceam levat, equum ſtimulat, ut tamdem eumdem perfodiat. Percipit noſter ſocius furentis animi motum, ſignum opponit, ut loqui valeat cum milite ſic turbato. Ceſſat miles ad *nutum ſic ſupplicantis & intelligit quæ dicere* intendit. Dicit enim non eſſe honeſtum tanto ac tali militi armatum incedere contra religioſos ſua bona conſervantes; & inſuper adhuc in tuto exiſtant, ſi velle ſuum impleat, qui poſtea factum vindicabunt, quoniam uno occiſo vel defuncto, duo ſuccedere dinoſcentur. Audit miles verba viri, cogitat ſic poſſe fieri prout dicit, vocat ſuos ad reverſum, qui prius venerant ad congreſſum;] & permaxime a Willelmo de *Belſart*, qui incendit vel incendi fecit grangiam noſtram de *Curgies*, ubi tantum amiſimus, quod æſtimatio pretii ignoratur. Pro poſſe ſuo nitens contra impetum fluminis, idem & reſiſtens malitiæ ſæculari, debita potius minuit quam auxit, & in emtione terrarum & terragiorum & decimarum *aliorumque* redituum, & in conſtruendis & reparandis molendinis atque aliis ædificiis plus quam ſex mille libras expendit. Hæc autem ego Nicolaus, qui in officio prioratus jam dicto Joſcelino ſucceſſi anno MCCIII. ſcribi feci, quoniam omnes prænominatos abbates vidi, ſingulorumque obediens fui, præter primum, qui tranſlatus fuerat apud Laudunum, jamque per multos annos eccleſiam ſancti Martini rexerat, quem ubicumque eſſet larga benedictio Domini proſequebatur: nec tamen mirum, ſiquidem erat ſervor religionis, columna ordinis, & zelator caſtitatis, amator veritatis: quo præſidente vix alicubi tantus rigor diſciplinæ poſſet inveniri quantus circa eum; & cum eſſet plebeius & mediocriter doctus, & ex minori Britannia oriundus, pro apice tamen virtutum in tanta veneratione habitus eſt, quod milites hujus provinciæ certatim ei hominium facerent, & eccleſiam noſtram propriis ſumtibus a fundamentis conſtruerent, & ubicumque opus eſſet pro ipſo allegarent, liberiſque nomen ejus imponerent.

Schiſma in eccleſia.

30. Poſt ipſius vero receſſum, tot increbuerunt incommoda, ſpecialia & generalia damna, incendia, diſſenſiones, ſcandala, quod longum eſſet texere per ſingula: generalia tamen ſummatim tangere utilius eſt. Schiſma per xx. annos in eccleſia Romana fuit inter Alexandrum papam & Octavianum antipapam & alios ſucceſſores Octaviani, in quo ſchiſmate tot damnationes, ſpoliationes, captiones epiſcoporum, abbatum, monachorum, clericorum factæ ſunt, quod ab aliquo ſciri vel ſcribi eſſet impoſſibile. Noviſſime tamen Alexander obtinuit, quod omnia regna Latinitatis ei favebant. Solus FREDERICUS imperator cum imperio ſuo ei reſiſtebat, qui tamen demum apud Venetos in gratiam ipſius rediit. Hanc perturbationem totius ſanctæ eccleſiæ ſecuta eſt captio terræ Jeroſolymitanæ, ubi multa millia Chriſtianorum interemta ſunt, ut captivis & obſeſſis ſubvenirent, fame, diſſenteria & gladio perierunt. In hac ſiquidem expeditione FREDERICUS *imperator & filius ejus*, & decus omnium principum illuſtris comes Flandriæ PHILIPPUS, & innumeri alii nobiles & ignobiles moriuntur, & tunc flos Europæ cecidit & emarcuit, nec adhuc Jeruſalem libera eſt.

Sterilitas magna.

31. Deſolationem terræ promiſſionis ſecuta eſt ſterilitas terræ prædicta, in qua quidem, quod mirum eſt dictu, multa victualia inveniebantur venalia, licet grandi pretio venderentur, ut etiam inopes ſi pretium habuiſſent evadere poſſent. Tunc nos & fere eccleſiæ regularium & ſæcularium, tum ex *inhumanitate*, tum ex diffidentia, retentis vaſis aureis & argenteis aliiſque ornamentis & pecoribus multis, graviter offendimus, quod fons miſericordiæ ignoſcat, eo quod in ſubſtentationem pauperum expenſa non *ſunt: tantum nempe invaluerat fames*, quod nihil aut modicum talis expenſa crederetur proficere. Hanc ſterilitatem, quæ inundatione pluviarum continua accidit, ſecutæ ſunt guerræ multiplices inter regem Francorum & reges Anglorum, factaque eſt diviſio imperii inter OTTHONEM & PHILIPPUM ducem Sueviæ, in quibus tot cædes hominum, tot everſiones urbium, & deſolationes eccleſiarum provenerunt, quod etiam ſcire nedum ſcribere eſſet difficile. BALDUINUS vero comes Flandriæ, nepos illuſtris domni Philippi, adjuvit aliquandiu partes Johannis regis Anglorum.

CONTINUATIO CHRONICI a NICOLAO DE MONTIGNI ejuſdem loci canonico.

Rodulfi abbatis obitus.

32. ANno igitur Verbi Incarnati MCCXVII. venerabilis in Chriſto pater noſter hic debitum Adæ ſolvit, & more mortalium in hoc pœnam alieni delicti ſuſtinuit, qui delicta *propria* frequenter punivit, utpote corpus ſuum in tantam dum viveret redigens ſervitutem, tantiſque macerationibus crucifigens, ut fragilitatem communem excedere videretur; & qui ſibi adeo durus erat, totis circa egenos & miſeros miſericordiæ viſceribus affluebat, non ſolum accipiens de rebus communibus, ſed & neceſſaria detrahens corpori, quod eiſdem miſericorditer erogabat, & nonnumquam tamquam alter Martinus ſe exuens ut nudos veſtiret; & gratia exempli ſufficiat unius recitationis exemplum. Contigit diebus ſuis hyemem eſſe perhorridam, & ſe per villam de Ramis incedere, ubi mulierem quamdam cernit quaſi nudam; popoſcit mulier eleemoſynæ ſubſidium: pietate ductus pro ſexu muliebri, ſe a ſuis divertit in partem, & pellicium quo

Ejus virtutes & pietas.

ſolo veſtiebatur exuens, mulieri contradidit, ut operirentur verenda ejus. Ob hoc eum Dominus mirabiliter adhuc inſignivit in vita, pius vero poſt mortem, ut patebit. Cum autem paſtoris officio nobis, Deo diſponente, præeſſet, in habitu ſemper fuit humilior, in geſtu dejectior, parcior & in victu. Nec defuit fideli miniſtro gratia benedictionis ſupernæ, quia ſicut per eum bonis ſpiritualibus informati eramus, ſic quoque temporalibus incrementis per eumdem ſuimus dilatati, ut tam ipſi quam nobis ex perceptione præſentium numerus firmior eſſe poſſet expectatio futurorum. Verum ſenex emeritus regiminis ſarcinam in qua bene ſudaverat ſibi propter impotentiam corporalem præſentiens ſolito graviorem, eidem humiliter ſe ſubtraxit, & ad ſola ſe contulit ſtudia pauperum fovendorum, ut illum in ipſis ſuſciperet & amplecteretur quotidie, qui ſe pauperem fecit pro nobis. Hujus itaque temporibus aſſignati ſunt ob reverentiam dicti patris ad xv. libras annui reditus ad portam, ut haberet unde melius expleret præpoſiti deſiderium. Succedente vero tempore, multiplicatus eſt annuus redditus in æſtimatione cccc. Ob hoc adhuc computum, prout magiſtri alii, reddere nondum conſueverunt. Cum igitur in his & aliis virtutum ſtudiis ſe exercens, ad diem extremum inter dies paſchales pervenerit, in bona dormivit ſenectute, quaſi cupiens cum Domino paſcha ſuum celebrare, & ſic de exilio ad patriam, de morte ad vitam, de labore ad requiem, de mundo tranſmigravit ad Patrem, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum, amen. Obiit autem in ſenectute ſancta & canitie veneranda, quoniam nonagenarius; ſepultuſque eſt cum patribus ſuis coabbatibus in capitulo. Sed quem dum viveret tenuit fides, ibidem promeruit ut memoriter aſſit nomen ejus in ſæcula. Nam lucerna lucens fuerat in ſæculo coruſcante merito: quamvis abſcondita ſub lapide latere non potuit, & adducta in palam multis claruit miraculis. Confluebant undique populi terræ pro variis languoribus gratiam ſanitatis reportantes: quod videntes noſtri, ne congreſſus per clauſtrum pateret omnibus, exhumantes corpus, oſſa ad eccleſiam veterem non ad iſtam novam tumularunt, ubi etiam, dante Deo, circumvicini remedia multa popoſcebant, & inſuper reportabant. Noviſſime vero in eccleſia nova, ſub pedibus crucifixi, ad chori introitum extitit, conſepultuſque ibi deſiit miracula facere, qua de cauſa novit omnipotens Deus.

Nota.

De Nicolao priore.

33. Fuit in tempore ſuo prior quidam, videlicet prior Nicolaus, qui virtutum generibus multipliciter florens, neſcio quid dicam, niſi quia Dominus alterum Nicolaum in laudem populi adeſſe ſtatuit. Fulſit enim a Domino tanta gratia, quod ejus præſentia complacebat univerſis, ſpecialiter a tunc temporis comite ac etiam comitiſſa. Nam cum cauſa ſpatii eis aderat, non in joculatorum aut hiſtrionum ſtrepitu congaudebant; ſed mandato priore, de ejuſdem verbis dulcedinis delectati hilares ſe reddebant. Hic ſtudioſe manus operi præbens, non otioſum debere eſſe frequenter ruminabat: unde contigit quadam die, cum cauſa ſpatii mandatus eſſet a comite, & a pluvia in itinere nimium madefactus, tandem pervenit ad comitem: igne vero in camino appoſito, inter comitiſſam & comitem ſuper tapetia ad deſiccandum eum in eorum præſentia ſeipſum diſcalcians, præbens comiti unum de ſocis ſuis, comitiſſæ alterum, aiebat quoniam omnia mala docuit otioſitas, idcirco ab aliquo opere nuſquam eſſe vacandum: qui parentes imperio ſocos ſuos ad ignem humiliter deſiccabant. Hic frequenter cum ante conventum in choro pro matutinorum officio celebrando orationis gratia ſubintraret, in ſtallo ſuo illuſionem diabolicam in forma viſibili ſentiebat, ſed fidens veraciter in Domino JESU, in quo omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, ſive infernorum, non timebat, immo *vade retro ſatana* proferens, in modico diſparebat.

A dæmone infeſtatur.

34. Cum ſimiliter poſt matutinarum officium in oratorio reſideret, adveniebat iterum idem adverſarius, & lampades eccleſiæ extinguebat: ſic orationi aſſidue inſiſtebat, & oratione completa, cum reperiſſet lucernas extinctas, agnoſcebat ab adverſario id extitiſſe perpetratum. Mirum in modum injungebat eidem incontinenti, ut quas extinxerat ſine mora reaccenderet: qui mox parebat nutibus imperantis. Iterum vero cum ad legendum ſe pararet, veniebat ſummæ nequitiæ auctor diabolus ſe opponens in globo igneo inter librum & virum Dei; ſed re cognita, manu percutiens hujuſmodi ignem dicens: *Diſcede a me pabulum mortis*, ignis viro Dei non inferebat jacturam vel læſuram. Attamen eum pluries afficiebat verberibus & tormentis. Tantæ ſimiliter fuit dulcedinis in correctionibus ſuis, ut emendare volentem numquam proclamaret, quantumcumque deliquiſſet. Inde eſt quod mos inolevit, ut qui ſe in aliquo noverit deliquiſſe, ante horam capituli vocare liceat in gratia, tum ad parcendum aut ad demulcendum, & gratia hujus.

In delinquentem ut ſe gereret.

35. Contigit enim temporibus ſuis, dum circariæ inſtaret operi, quemdam de noſtris graviter delinquere: qui a facie prioris fugiens, vix ſperabat evadere, cum idem agnoviſſet & vidiſſet delinquentem. Quid agat ignorat, illuceſcit craſtina dies, & hora capituli appropinquat; ſed hoc ſolum cogitat, quia pius eſt, ſi ſeipſum coram eo humiliaverit, remittere poterit jam delictum, ſic complet ut proponit. Vocat priorem, emen-

dare repromittit, dum tamen ſibi parcat in hac vice. Quærit prior ſi ſolus ſit qui viderit factum, & reſponſo accepto, ſubjungit prior ſe a talibus de cetero ſervaturum, quoniam non proditoris, ſed potius correctoris in manſuetudine ſervat locum. Audit frater, mox corrigitur, pœnitentiam aggreditur pro commiſſo. Diſcant ergo eccleſiarum præfecti in corrigendis exceſſibus hujus ſancti patris ſequi veſtigia, ut qui non de viſu correxit ſed pepercit. Quid de relatu egiſſet? prorſus nihil: qui etiam de minimo magnum fecit, quid de illis qui de modicis magna aut quaſi magnis condemnare non formidant?

Veritatis fuit æmulatiſſimus.

36. Fuit etiam veritatis æmulator fortiſſimus. Nam refertur cum quadam vice equitaret verſus Floreffiam cum ſuo capellano, audivit aliquos aſtare in inſidiis ad perdendum ipſos. Tremens ac pavens capellanus ſive conſocius intimavit priori, quod ſi occurſus iſte ſuper ipſos irrueret, quærens unde eſſent, dicerent non de Viconia ſed potius de Floreffia ſe eſſe, & ſic evadere poſſe jam credebat. Inter hæc cucurrit ad ipſos armiger armatus, horride petit quid & unde exiſterent? Prior vero vitam iſtam parvipendens pro veritate conſervanda, conſilium nefarium reſpuit, & ſic dicit quoniam de Viconia & in eadem gerere officium prioratus. Revertitur armiger ad dominum ſuum, narrans quæ reperit. Audito igitur a milite Viconiæ nomine, equum ſtimulat, tandem ad priorem appropinquat, & benigniter eum jam ſalutat, regratians eum ſuper curialitate impenſa, cum ad domum Viconienſem hoſpitalitatis gratia ſemel divertiſſet. Subjungens quod ſi de Floreffia ſe denominaſſet, procul dubio mortem nuſquam evaſiſſet. Quærit prior turbationis cauſam, & inſuper pacem inter eos velle reformare: quæſo, dicit, una mecum ad locum pergite, & quæ facturus ſum attendite, ut ſint inter vos cor bonum atque concors. Deponit ilico animi furentis miles motum, ferocitatem in manſuetudinem, auſteritatem in dulcedinem convertebat pro voluntate deprecantis: nempe cui infernales ſubjecti ſunt, non mirum ſi mortalis obediat, ubi etiam gratia Spiritus Sancti operatur. Quid plura? pacem prout diſpoſuit inter partes reparavit. Pace ſiquidem conſummata, objurgat conſocium, dicens numquam debere proferri mendacium, *& quoniam veritas liberabit vos*, a Domino eſſe ſcriptum.

37. Tantæ etiam auſteritatis erat erga eum in ruminanda propria conſcientia, quod frequenter enarraret coram omnibus factum unum a ſeipſo in deteſtationem ſui in juventute perpetratum. Dicebat enim ſemel nidum unum volatilium reperiſſe, & pullos in eodem exiſtere, ductus voluntate juvenili, pullos hujuſmodi in nido interemit immiſericorditer; cum tamen progenitores eorum circumcirca caput ſuum acclamantes ſæpius volitarent. Obiit vero nonagenarius, qui obitum ſuum diu longe ante præſcivit atque prædixit quam per XVIII. dies. Contigit namque laborare eum in infirmitate qua & mortuus eſt. Aſſiſtebant enim circa eum fratres horam exitus præſtolantes, tam die quam de nocte vigilantes. Aiebat ad illos: Filioli, quieſcite, in vanum laboratis; ſcitote ſi quæritis, quia adhuc ſupereſt in penetralibus iſtis. Enim vero in die beati Johannis Baptiſtæ infra horam tertiæ habebitis quod expectatis. Quo habito, ſtatim corpus meum tradite ſepulturæ: quod & factum eſt. Unde computatis diebus, XVIII. dies, ut dixerat, reperti ſunt. O felix mors quæ jam certa de præmio, non quærit amplius orationum ſuffragia! O quam bonum eſt bene vivere, quia ſequitur bene mori! Sic vitam ſuam uſque ad canos ſancte dinumeravit, ut perveniens ad mortem temporalem, ad felicitatem æternam per eam conſcendit. Hic omnes electos vidit hujus eccleſiæ præter duos primos, videlicet dominum Henricum priorem, & dominum Garinum, eo quod tranſlatus ſit apud Laudunum, ſinguliſque obediens fuit. Vitam ergo iſtam pertranſiens, ob ſui gratiam & reverentiam ante capitulum tumulatus jacet, præſtolans ibidem reſurrectionem ſingulorum.

Ejus obitus.

38. Subſequenter ſubſtitutus eſt alter prior, qui ſic prædeceſſoris ſequens veſtigium, ut prior in bonis operibus & re & nomine cenſeretur. Hic in modulandis vocibus peroptime noverat artem. Qui infirmitate correptus, qua & mortuus eſt, raptus in extaſi, ad ſe rediens quærebatur a circumſtantibus qualiter aut quatinus per omnia eſſet, qui reſpondens quia bene, benedictus Deus. Unde inter hæc in altis vocibus incipiens erat *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur*, quo dicto expirabat.

Galterius de Querceto L. abbas.

39. Poſt dictum domnum Radulphum, qui eccleſiam noſtram, ſicut dictum eſt, ſtrenuiſſime rexerat, ſucceſſit in regimen dominus GALTERUS DE QUERCETO qui eidem Radulpho in officio præpoſiti fideliſſimus extiterat coadjutor: qui pius, prudens, humilis, pudicus, ſobrius, caſtus fuit & quietus: cujus bonitatem ſi ſcribere velim, deficiet pagina citius quam materia. Ego tamen volens offerre in gazophilacium cum paupere muliercula minutum, gratiarum dotes quibus Dominus ipſum mirabiliter inſignivit tangam potius quam deſcribam, pauca de multis excerpens. Valde humilis fuit in confeſſione, contritus in ſui accuſatione, devotus in peccatorum emendatione, crudelis in propriæ carnis afflictione, largus & effuſus in eleemoſynarum largitione, alienis peccatis miro modo compatiens, de ſuis ultra modum impatiens. Qui licet in officio Marthæ jugiter & inceſſanter deſudaret: tamen cum Maria ad pedes Domini ſine intermiſſione

sedebat, & hos lacrymis irrigando, capillorum officio detergebat: qui quamvis inter dulces amplexus Rachel assiduè moraretur, quotiescumque ei vacabat: tamen cum Lia lippa & laboriosa multiplicem prolem non desinebat generare. Qui cum nostram ecclesiam decem & septem annis cum incolis suis in omnimoda pace gubernasset, ita quod a subditis suis ne unum verbulum audisset, & eamdem ecclesiam in utroque statu prosperam & opulentam reliquisset, ac ejus possessiones ultra quam credi posset aut dicere audeam ampliasset, XVIII. sui regiminis anno idus Martii veris initio, eo quod ab omnibus malis impugnatus cum vitiis & concupiscentiis martem assiduum habuisset, ab hac vita transiens, ad æterni veris transmeavit amœnitatem, evidenter dans intelligi, quod septiformis Spiritus-sancti gratia debriatus in hora exitus, decalogo legis fideliter observato, ad octavæ beatitudinis gloriam perveniret, etiam in signo visibili, quia lux tanta irradiavit super astantes, quod ducti in extasim stare non poterant. Reversi vero, quod ab angelis deferretur anima viri certitudinaliter agnoverunt. Qui in ecclesia nostra sepultus sicut ipse rogaverat cum piis lacrymis subditorum quos uberibus maternis lactaverat, & paternis verberibus corripuerat, nos reliquit desolatos tota die mœrore confectos. Obiit autem anno gratiæ MCCXXIX. feria V. indictione secunda, epacta XXIII.

40. Hujus itaque temporibus computatio reddituum magistris curiæ non fiebat, sed quilibet pro viribus officium suum adimplebat, & quæ in lanis & lacteis congregaverat & bladis ceteriscumque, domi transmittebat, & omnia in diebus sabbathi in Valenchenis venacula vendebant. Mira res! locus ad suscipiendum omnia sufficere non poterat, quoniam fideliissimos habebat coadjutores in suis officinis: nempe cui caput bonum cetera membra convalescunt; si vero debilitatum, cetera membra mox sentiunt. Nam sæpe solet similis filius esse patri. Hic aulam altam pariter & capellam ædificari jussit, in Nota. pictura æqualem infirmitorio. Sed Cisterciensis tunc temporis ordinem iterum invisentes, picturam ab aula, quia nimis sumtuosa sive curiosa, jusserunt auferri, & aliam super induci. Capellam etiam depicturare volentes, propter nostros non potuerunt. Hæc & his similia in diversis locis peragentes, appellatione ab ordine contra eos facta, a visitatione postea cessaverunt. Campanas etiam duas majores, & alteram etiam minorem ab illis, coronam auream, duo brachia argentea, turrim, vestiaria, potum cupreum magnum cerevisiæ, etiam multas possessiones acquisivit ad honorem domus Dei. Præparavit, fulsitque diebus suis Eustacius *de Lens* hujus ecclesiæ canonicus, cujus cameræ nomen excidit, doctor in theologia, qui Cosmographias Moysi, Seminarium verbi Dei, Regulam beati Augustini, hymnos & canon fulvo sermone conscripsit. Hic dominum WILHELMUM DE WERCINIO postea abbatem tunc temporis juvenculum habuit capellanum, ipse vero magister multo confectus jam senio, tractatum de Trinitate cogitans, super pulpitum suum visurus Trinitatem oculo ad oculum quam viderat per speciem & in ænigmate, ibidem expiravit.

41. Fuit etiam eodem tempore in Monte S. Martini alter doctor in Theologia Jacobus nomine, qui pluries ad invicem conscripserunt. Ipse vero magister Jacobus intitulatus est *Jacobus de Laude Virginis*. Viam ergo universæ carnis ingresso domino GALTERO successit domnus ÆGIDIUS, Walaciensis primo abbas, vel *Miledebourg* altero nomine nuncupatus, in Hollandia adjacens Gerissæ villæ, etiam ibidem extitit idem pater oriundus, qui sicut stella differt ab altera in splendore, iste inter primævos emicuit. Hic viscera pietatis in se gerens, mitissimus propinquis & indigentibus, austerus tamen sibi fuit. Hic quæ communitatis erant non distraxit, sed auxit. Nam cum conventus noster præter duo bracharum paria possideret, tertium par adhibuit. Etiam in cibis & potibus, invitis Præmonstratensium & Laudunensium abbatibus, singulorum nostrorum præbendavit. Expetit ab eisdem ut ad mensam in vino suos habeat canonicos præbendatos; sed iidem ægre ferentes dicunt se inhabitare in vineis, & insuper multas vineas possidere: attamen suos non esse præbendatos. Quibus sic loquitur: vineas vestras observate, quæ peto concedite; quoniam si vobis sit vinearum possessio, mihi autem est pecuniæ magna acquisitio: & idcirco efficere debeo quod intendo. Finitis sermonibus, locum suum revertitur & explet quæ proposuit festinanter. Sic statuit adesse præbendam, quod sacerdos semilotum ad mensuram in prandio obtineat. Nam antea in scyphis magnis vinum fundebatur. Tamen cum multa bona suis concanonicis egerit, vix unum diem cum eis in pace possedit. Nam inimici hominis domestici ejus. In gravi enim culpa positus est, instigantibus suis, ipse abbas. Causa autem fuit talis. Venit quidam episcopus de finibus longinquæ regionis ad eumdem visitandum. Mutuo se viderant, cum dominus ÆGIDIUS in partibus abiisset transmarinis. Volens igitur abbas eum solemniter suscipere, processionem statuit adesse contra eum: quod & factum est. Suscipitur festinanter, prout decet. Advertunt æmuli quod factum est, fremunt dentibus in eum, quasi jus verum habeant contra eum procedendi. Recedit episcopus valedicens omnibus, & nomen abbatis multipliciter recommendans. Sed non attenditur ad id quod dicitur de viro tam excellenti, quin immo proponitur

Ægidius XI. abbas.

quod forenſis epiſcopus non ſic ſuſcipitur, ut ſcriptura evidenti patet plenarie in ſtatutis. Querimoniam deferunt ad præſidentes, ut corrigatur qui deliquit. O nefanda rabies in cordibus invidorum! Nam ſcintilla corrodit brandonem unum. Item vero ad eos quaſi nihil egiſſent in eum, placide ſe gerebat. Unde cunctis dicebat: quanto mala multiplicabitis, tanto pro viribus meis majora bona inferam vobis. O virtus patientiæ, quæ in prælato ſuſtollitur, & in ſubdito denegatur, aut nuſquam reperitur. O mànſuetudo nimia in prælato, quoniam a ſubditis patitur perperam humiliter & devote. Pro eo vitam ejus, exempla virtutum pariter & geſta prolixum eſſet nimium ſubnotare. Attamen inter virtutum ejus inſignia liceæ pauca de pluribus inſerperę.

Prædones ad Chriſtum convertit.

42. Hic in primis actibus ſuis quinque ſicarios convertit, qui vias tranſeuntes deprædabant, jugulabant, quorum magiſter erat prædictorum quidam Druardus nomine, LXXX. habens tantæ nequitiæ ſubſequentes: ſed ad exhortationem pii patris, hic Druardus cum præfatis quatuor actus deſerunt nefarios, & ad ordinem ut converſi ſe converunt; vivunt in ordine qui inordinati extiterant; palam incedunt, qui in latibulis prius morabantur; bonis actibus inſerviunt, qui ad nefandos ſe extenderant actus. Nempe docet eos qui præeſt tam prædicationis verbo quam converſationis exemplo, etiam ſic Spiritus-ſancti gratia in vita extitit debriatus, ut meruerit pacem inter Yſengrinos & Flaventinos, vel Flampedes in partibus Hollandiæ & Zelandiæ & Flandriæ, quam nullus hominum attentare quibat, ſive rex, ſive comes, aut baro reformare. Sic autem guerra erat inter eos, quod pater filium habens obvium aut filius patrem, mox immaniter ſævientes colliſi pariter alter alterum ſuffocabat. Erant autem nobiles valde una pars, reſidui vero, ſicut ſupradictum eſt, de territorio Furneſi in Flandria, in loco aut circumcirca locum qui dicitur *Cayens* commorantes. Hoc cernens ſanctus pater, fidens in Domino, cui poſſibilia ſunt univerſa, illos aggreditur in verbis dulcibus dicens, Non eſſe honeſtum etiam apud homines ſanguinem ſic fundere propinquorum, quid ergo apud Deum? Sed eſſe juſtum bellum & acceptabile Deo ſacrificium, ſi ad inimicos Chriſti ſe convertant pro conſequenda venia delictorum. Exprimit coram eis pactum, quod cum eis erit dux itineris; & ſic pax inter eos reformetur. Placet ſingulis quod dictum eſt, & oſculo facto inter capitales, præparatis neceſſariis, viam tranſmarinam cum ſuis arripit tantus pater.

Pace inter nobiles procurata cum eis adverſus infideles tranſfretat.

43. Unde veniens cum ſuo comitatu ad infidelium fines, armatus in lorica & galea, deſuper arma caputium ordinatum habens incedebat. Pontem quemdam cernit a nefandis obſeſſum. Mox ſuo primo introitu pergit audacter ad pontem, ſed ſui viam patris non ſequuntur, territi timore mortis, quia in numero nimio exſuperat eos hoſtium multitudo. Revertitur ad ſuos, territos animat ad palmam, coronam immarceſſibilem repromittit dicens, Quod non in multis vel in paucis eſt fortitudo belli, ſed in virtute Dei deſuper. Aggrediamur hoſtes, moriamur pariter, bellum etenim Domini eſt. Paſtoris ſuper vos gero officium, animam meam pro animabus veſtris pono. Attamen eorum corda numquam pro verbis dulcedinis, ut deberent, compunguntur. Sed pater ſciens omnia eſſe poſſibilia credenti, tandem convertitur ad converſos, quos ſecum deduxerat. Vocat Druardum cum ſuis conſociis ad proficiſcendum in prælium contra aſtantes inimicos, proferens: Filii, greſſus veſtros una mecum dirigite, quos uſque nunc direxiſtis in peccato & dolore: vos qui bonum ignoraſtis agere, moriamini cum ſalute. Brevis mors, grandis vita: parvum demeritum, ſed magnum præmium. Si vere converſi eſtis, convertimini mecum: quia qui incœperit & non perſeveraverit nihil eſt, ſed perſeverantibus tribuitur merces & corona. Finitis ſermonibus, Deo ſe commendans, cucurrit ad hoſtes tantum cum converſis; fiſus digna fide, fultus Dei gratia, ſic deducit vibrantem haſtam, quaſi alter Jonatas cum armigero Philiſtinorum percutiat ſtationem. Intuetur diu belligerans a commilitonibus tantum percutere gregem, reſumtis viribus, ſe non milites nec ſtrenuos fatebantur, impetu ſubito facto, inſequuntur audacter iter ejus, ſic militare implent officium, ut ſubito perfidorum ruat innumera multitudo, & proſtravit grex puſillus catervam infidelium quaſi infinitam, & impletum eſt quod dictum eſt a pſalmographo: Quod unus mille, & duo fugarent decem millia. Præliatus ergo prælia Domini, ſic nomen militis propter officium promeruit.

Eos cum ſui aggreſſus ederе cogit.

44. Hic armatus velut habitum eſt, ante Damietam cum populo Chriſtiano circuit quærens, ut capiat. Unde prius facta prædicatione ad populum, eumdem mirifice confortabat. Dicebat enim: Tradidit Dominus nobis Damietæ civitatem, ſurgite celeriter, pugnate viriliter, pugnat pro nobis Dominus, non eſt qui de manu ejus poſſit eruere. Hæc armiger ejus qui poſt obitum ſuum veniens ad locum iſtum gratia viſitandi enarravit. Dixit enim quod & in prælio illo deſervierat, qui quidem a noſtris viſus eſt & locutus noſtris diebus viventibus, quibus fidem adhibemus. Referebat enim prædictione jam ab abbate completa, lanceam arripiens, equum ſtimulans lancea, mox portam civitatis contingebat, quæ nutu Dei ultro aperta eſt ei, & cum ſuis ibidem ſubintrans, neminem qui ſe poſſet defendere, aut etiam protegere repererunt.

Primus Damiatam ingreditur.

45. Multis

45. Multis siquidem victoriis habitis revertentes, secessit in Romaniæ partes, pergit invisere Romanum pontificem, ad quem usque perveniens, deosculari, prout ab omnibus moris est, ejus pedem voluit. Audito vero a præsule summo ejus adventu, mox aperiri jussit. Nam quæ gesserat in bellis Domini diu jam præscivit. Ingrediente eo coram pontifice summo, surgit pontifex summus, eum amplectitur, dat in faciem osculum, nec patitur quod ad osculum pedis incurvetur. Et inter hæc profert aspectibus ejus assistere sanctæ matris ecclesiæ decorem & honorem, idcirco morem communium sequi non debere. Erat autem staturæ ejus proceritas pulcherrima valde. Obtenta igitur a summo pontifice licentia, potestatem habuit utique prædicandi specialiter in cruce. Hic sic detestabatur usurarum voracitatem, quod cum Gandavi secessisset, in hac nequitia corruptam fere totam reperit civitatem. Ad ecclesiam gressus dirigit, verbum prædicationis populo præostendit, specialiter contra usurarios agit mentionem. Completo vero sermone, communem ecclesiæ modum non servans, ad excommunicandum tales, qui sit cum candela, ob detestationem fœnoris, sed mandato crucibulo sive sagimentario, cernentibus cunctis, anathematizavit. Ex quo facto seminarium sibi fore præbuit mortis, sed Deo dante sanus & incolumis pristinam exorsus est sedem. In sexto regiminis sui anno petivit cœlos perenniter desolatum deserens gregem atque mœrore confectum.

A Romano pontifice grate excipitur.

Gerardus de Cirvia XII. abbas.

46. Huic successit dominus Gerardus de Cirvia qui tempore domini Ægidii exequebatur officium prioratus. Hic liberalitate hospitalitatis, largitate summa præfulsit gratia, in tantum, ut fama diebus suis crebresceret, quasi parem non haberet. Hic circa obloquentes atque detrahentes, ne suo interessent auditui, immanissime sævit. Ad cujus cognitionem sufficiat hujus recitationis exemplum. Quidam de concanonicis nostris pistoriæ sive furnariæ præexistens operi, dum quadam die quædam ejus neptis ad eum visitandum tarde advenisset, diu cum ea confabulans, forte necessitatis causa eam minus provide in camera sua pernoctavit, eo quod exire non poterat absque scandalo plurimorum. Qui habens aliquos de nostris præ ceteris familiares, sibi mandavit pro eis propter consilium expetendum. Sed festinanter illi societatis causa in potibus & cibariis eam visitabant. Surrexit quidam de nostris, utinam in zelo Dei & ordinis, rem gestam abbati palam fecit & latenter. Sed quid agit providus pastor? Caute agit, non cogitat de suis concanonicis nisi bonum, zelatorem hujusmodi in partem modicum abire jussit, & ad nutum ejus præcepit quantocius reversurum. Interea assumit ipse abbas suum capellanum, ut ad furnum sic diffamatum condescendat, ibique magistro præcipit, ut si quid in domo sua sit reprehensione dignum ammoveat, constituens id in plateæ medio, & abscondens sub cupa furfuris, quia illic erat accessurus. Quod & factum est. Tunc mandatum est pro diverso non adverso: quo habito, incepit abbas horam completorii eo quod nox esset, & in altis vocibus, sic enim dicere consueverat semper, ut audiri posset a singulis tam propinquis quam longinquis. Non enim necessarium est ut singula quæque prævideant, eo quod intentiones non noverunt singulorum, proferebat. Venit siquidem cuppam reperiens, super eam consedebat. Magistrum vocat, claves expetit totius loci ambitus. Quibus habitis, eas dabat suo relatori. Qui locum sub obedientia diligenter circuiens, reversusque se nihil reperisse referebat. Et abbas ut iret iterum atque iterum hortabatur. At ille renitens dicebat, quod si plus iret esset in vacuum. Sic abbas recedens dissimulabat usque in crastinum. Illucescit ergo dies, venit hora capituli, fuit ibi abbas, fuit & ille: quem cernens abbas proclamavit, qualiter suos socios scandalizaverit, quos prius ammonere debuit: etiam quid circarie egerit & repererit enarravit: & idcirco vapulatus, quatuor dies in pane & aqua tribuit ad terrorem successorum. Consueverat obloqui idem, idcirco sic punivit. Sed quid detractor? quid oblocutor? quid susurro? Salomon: Si mordeat serpens in silentio, nihilominus qui occulte detrahit. Ergo serpenti detractor similis, verum semper pejor. Si mordeat serpens, hoc habet ex instinctu naturali, solum lædit, solum interimit, sed detractor detrahendo non solum perdit bonum ad quod creatus est, sed ejus naturam depravat & corrumpit. Non tantum solum lædit, sed tres uno ictu suffocat & extinguit, nam eum de quo loquitur, illum ad quem loquitur, pariter & seipsum. Idcirco idem pater omnes in occulto loquentes decenter minabatur si dicerent de absentibus quæ inpræsentiarum dicere non auderent. Inde est quod verbum recolebat Gregorii memoria dignum. Si desit auditor deest detractor. Unde summe interest & subjectos pax viguit, quoad vixit.

Hic in ædificiis erigendis construendisque curam sollicitus adhibuit. Nam infirmitorium, insuper & altum dormitorium, pariter & capellam B. Nicasii, ubi, id ipso rogante, sepultus jacet, consummavit sive fieri jussit. Etiam vasa argentea, utensilia non modica pulcherrima ad decorem domus ejus, & hospitibus honorandis atque thesaurum præparavit. Hic mitissimus hominum fuit, quamvis tamen rufus: in tantum etiam quod apud inimicos ejus benevolus extiterit, quoniam occiso a malevolis fratre suo, eisdem propter metum parentum veniam humiliter sibi ipsi postulantibus, misericorditer propter

Fratris sui homicidæ parcit.

Deum condonavit, & inſuper a parentibus, ne eis aliquid mali inferrent præſervavit. Unde hac de cauſa quam plurimis diebus armatus inceſſit, legem implens Dei mandatorum de diligendis inimicis. Domum hanc tranſiens a ſæculo indebitatam reliquit, fertilem & uberrimam. Migravit autem a nobis vigeſimo ſecundo ſuæ prælationis anno, ſanctum ſanctorum conſcendens, prout merces operis promerebat.

Willelmus de Wercinio XIII. abbas.

47. Hoc ergo migrato a carnis ergaſtulo, electus eſt poſt modum domnus WILLERMUS DE WERCINIO, vir ſumme eleemoſynarius: cujus fama in tantum crebuit deducta in remotis, quod cum ad Lugdunenſe concilium, cum Præmonſtratenſi abbate viam deſtinaret, cognoſcebatur ab omnibus eleemoſynam expetentibus, frugem bonam pro ſe & ſuis voce unanimi exoptantibus, ſpecialiter autem a leprolis: quod Præmonſtratenſis abbas ægre ferens, quæſivit ob vituperium, utrum pro ſuis proclamandis mercimoniis illuc ſuos podagras adduxiſſet: cui leviter reſpondit, quia non ipſe, ſed eleemoſynæ domus ſuæ quæ fiebant proclamabant. Per ejus autem ſapientiam fere univerſa Hainonenſium atque Flandrenſium regio regebatur. Unde comes ob hujus gratiam vocabatur a nonnullis. Hic grandis corde, ſtatura tamen puſillus erat. Multiplicavit bona, reparavit ædificia vetera, inſuper & nova comparavit. In novis poſſeſſionibus uſque ad valorem mille & octingentarum librarum annui reditus nos ditavit. Hic inter omnia ſitiens decorem domus Dei, ut puta habens zelum Dei, eccleſiæ novæ jaciens fundamentum, eam niſibus ſuis complere ſatagebat, de qua tres partes complens, quartam reliquit imperfectam ob diſſenſionem quamdam pro turribus duabus, quas addere volebat duabus prioribus in lateribus mediis templi: ſed conventus timens eccleſiæ orbitatem, inſuper quia locata fundamenta pondus ſatis habent impoſitum, ſi amplius oneraretur, ne uno ictu totum ſubruat & ſubvertat; proinde quidquid a latomis & cæmentariis in die in opere ſecundarum turrium ponebatur, in noctis medio a conventu ſolvebatur. Ob hoc per ſeptem annos opus ludificatus non implebat. Quibus tranſactis, refectorium pariter & clauſtrum incœpit, & uſque ad perfectum non perduxit. Cur vero ſic conſtruxerit hujuſmodi eccleſiam, videlicet abſque deambulationis circuitu, in qualibet parte templi merito quæritur: Dico videlicet, quod idem in ſomnis virginem quamdam ſibi pulcherrimam vidit aſſiſtere, quam diligentius intuens, eſſe Dei genitricem agnovit per ſpiritum. Hæc vero de ædificatione cujuſdam eccleſiæ in honore ejuſdem dans præceptum, formam & modum præoſtendens, & idcirco mutari non potuit, quod ſibi ipſi a tanta Virgine fuerat imperatum. Hæc magiſter Johannes de S. Amando canonicus Tornacenſis, qui magiſter tumulatus jacet coram altare beati Ægidii confeſſoris, cui prædicta a prædicto fuerunt ante omnes enarrata, & omnia oſtenſa ab abbate per picturam. Hic abbas cum ab eo quæreretur cur eccleſiam miræ magnitudinis conſtrueret, & eleemoſynis inſiſteret magnis: unde hæc bona provenirent, de quibus tam ardua parabantur: Reſpondebat illud verbum evangelicum, *Date & dabitur vobis*, a Domino eſſe ſcriptum. Item dicebat plus expaveſcere ſaxorum carentiam quam pecuniæ maſſam.

Obitus pii cujuſdam novitii.

48. Fuit iis itaque temporibus quidam novitius per optime cantans in hac eccleſia, infirmitate preſſus, primitivis ſuis temporibus ante profeſſionem a Domino corripitur: unde & moritur, tamen ante ſpiritus exitum a corpore, in extaſi rapitur, & paulopoſt gaudens revertitur. Interimque ſuo novitiorum magiſtro præſente res gaudii quæritur. Profert innocens rem quæſitam. Dicit enim ſe vidiſſe locum ſuum inter choros virginum jam ſibi præparatum, ſupplicans humiliter magiſtro, quia *Ave mundi ſpes Maria* in choro una cum aliis peroptime frequenter dixerat, ſibi ad dicendum in hac vice exiſteret coadjutor. Incipe pro modulo, fert magiſter, qui incipiens una cum magiſtro, finito verſu expiravit, & tandem ſepelitur. Sed cum eccleſiæ novæ locarentur fundamenta, perventum eſt ad oblitum conſepultum. Nempe per tres annos integre fuerat conſepultus, attamen ſic corpus ejus omne intactum remanſerat, quod ſi vivens eſſet; pulchrior non poſſet æſtimari. Verumtamen veſtimenta ejus terra conſumſerat. Itaque totum corpus nudum jacebat in ſpelunca, cernunt noſtri illæſum virginem, recolunt quæ in ejus tranſitu contigerunt, ob quam gratiam in eccleſia iterum ſepelitur.

49. Hic tres grangias videlicet *Hiertebiſe*, *Erin* & *Marceſſelve* de novo conſtruxit, & ultra quam dicere audeam domum in divitiis & honoribus augmentavit. Hic quemdam famulum per ebrietatem celebrantem uxoricidium, captum a judicibus, precibus ſuis intervenientibus, a ſuſpendio liberavit. Nomen vero famuli Petrus *de Feriere* vocabatur. Legem etiam Dei in corde ſuo medullitus imprimens, quæ præcipit pro viribus liberare concaptivos ſoleiter adimplebat. Nam jam febricitans febre qua & mortuus eſt, ſanitatem tranſitoriam parvipendens, æternam conſiderans, feceſſit æger in Montenſi oppido, ubi quoſdam capite plectendos & adjudicatos in pace poſſedit. Obiit autem nobis utilis per omnia XXII. ſuæ præſidentiæ anno migrans ad cœlos, in omni opulentia derelinquens domum. Suo etiam ſtante regimine, conventus tempore jejunii & in antea, in collatione ſola cervisia utebatur. Verum fere circa finem ſuum pater ejuſdem

LXXX. libras Parisienses, dominus Johannes *Tate* dictus de S. Amando, C. libras Parisienses, Domicella Fressendis dicta *le Casseliere* XL. libras Parisienses, ut de hujusmodi pecunia vino dictis collationibus reficerentur, tradiderunt. Æstimato siquidem justo pretio, sic adesse decreverunt præsidentes, prius æstimantes præcipua festa quibus conventui vino tenebantur providere, quod conventus qualibet die in præfatis collationibus duos sextarios plenos in refectorio celerarii distribuerent, nec horum quicquam diminuerent. Hoc dato pro existentibus extra tam infirmis quam aliis, qui a magistro refectorii ex eisdem non providebantur. Sed missis ad eos celleratiis, libenter donabant quæ expectabant, stetit autem hoc libere usque ad tempora Johannis de Pontibus, prout in epitaphio ejus continetur.

Johannes de Malbodio XIV. abbas.

50. Communi siquidem carnis debito domino Guillelmo soluto, successit dominus JOHANNES DE MALBODIO pulcher quidem corpore; sed pulchrior fide, vir simplex & rectus, ac per omnia timens Deum. Hic sic immunis a luxuriæ illecebra fuit, quod credimus firmiter ipsum semper virginem permansisse. Nam cum confabulatio mundialium in turpiloquiis aut in indecentibus fieret coram eo, non attendebat quid dicerent. Cum vero comminaretur eisdem, tunc petebat quid dixissent. Hic amator veri, cleri doctor, castitatis custos, sceleris ultor, norma sanctitatis, vitæ speculum existebat. Hujus itaque temporibus incepimus molestari a comite in angariis & perangariis, sed sic viriliter restitit dictus pater, quod temporibus suis nequivit obtinere: imo sic eum coëgit, quod comitissa diebus purgationis tunc expletis, missam seu ecclesiam, prout statutum est ab ecclesia talibus, subintrare non potuit occasione interdicti; cum tamen infantuli patrinus extitisset. Et ut de bonis ejus actibus pauca referam, frequenter cum in conventu in refectorio causa prandii accessisset, quidquid in piscibus pro eo parabatur, in cervisia & leguminibus seu quovis potagio, tamen esum suum perducebat. Item etiam ne perpenderetur a ministris, in scypo argenteo sive mazerino aquam infundebat pro hausto, sic in solo pane & aqua continebat; omne aliud quodcumque fuerit quod appositum erat coram eo, Deo distributo. Hic primævos infantiæ suæ flosculos in rudimentis prioribus imbuit. Post hæc ad liberales artes pertingens & in eis proficiens, tandem ad sacros theologiæ fines conscendit, dotatus sic dono singulari a Domino, ut improvide librum sententiarum Parisius in scholis compleverit publice & patenter: nam qui, prout moris est, eas inceperat, electus est in abbatem fere quasi in initio, & idcirco complere non potuit quod incepit. Rogatus autem hic domnus JOHANNES, & pulsatus imo convictus annuentibus spopondit se facturum. Hic aliqua imperfecta sui prædecessoris compleri jussit in sartatectis, & ut perficeretur hæc incepta ecclesia, incisionem sylvæ conventui tradiderat in custodiam, renuntians omni sorti, cujus valor aut æstimatio ad tria millia librarum existebat. Ab hac luce migrans anno officii XI. cum dimidio functus est requie sancta, immarcessibilem coronam in choris virginum, ut credimus, adeptus est repromissam.

Nicolaus XV. abbas.

51. Quo consummato carnis luctamine longo, electus est post modum domnus NICOLAUS dictus Pastor, qui quamvis non esset multum corpore pulcher, in gratiis gratuitis multipliciter apparebat gratiosus. Magnus scientia, quia juristà peroptimus; magnus moribus, quia sic complacebat inter omnes, ut ambirent ejus famulatum universi; dulcissimus etiam cunctis fuit in affatu. Hic contra comitem Hannoniæ, ne nos redigeret in servitutem illam quæ angariæ & perangariæ dicuntur, Gallice *Courouvees*, strenuus fuit & defensor fortis. Hic Romipeta ter extitit, qui ob sui reverentiam & gratiam meruit a domno ANCHERO cardinali, cujus erat capellanus, audito ejus adventu in Romana civitate, etiam fama cardinalatus, si voluisset, obtinere dignitatem: sed renitens ad nos reversus est. Attamen decimam in finibus nostris a summo pontifice concessam reddidit indemnem per triennium & insolitam. Hic allegans corporis imbecellitatem, renuntiavit abbatiæ, tamen per spatium trium annorum cum dimidio præsidebat. Hic tempore suæ prælationis aliquos provexit in altum, quos pro libitu deprimere non potuit; qui implicati in mundialibus, mirabiliter ecclesia a bono nomine quod prius habuerat extitit diminuta, proinde malivolentiam plurimorum incurrebat. Ob hoc sarcinæ pastorali abbas renuntians, in grangia sub petitione cc. lib. annuæ pensionis, videlicet *de Harchies* residebat, & ibidem per aliquot dies morabatur. Hic ibidem abbati proprio domno Præmonstratensi quædam frivola, nec relatione digna, nisi quia lasciviæ causa, proposuit ut mutato habitu secederet licentiatus ab eisdem in remotis. Qui Vernonem tendens, tamquam clericus ibidem moras aliquamdiu trahens, abjecto habitu monachali. Attamen Dominus quos prædestinavit hos & vocavit. Compunctus ad grangiam de qua exierat revertebatur, & illic parum post infirmitate correptus moriebatur; & ad nos in loculo adductus, ob gratiam quam ante prælationem promeruerat in introitu nostri chori sepelitur. Discant senes & juvenes, cum sapientissimus hominum esset, & sic in fine deviaverit, non habentes tantam scientiam, rerum experientiam, quid voluptas carnis nisi desperatio, juxta illud: *Peccator cum in profundum peccatorum venerit tunc contemnit.*

Johannes de Pontibus XVI. abbas.

52. Succeſſit huic domnus JOHANNES DE PONTIBUS, qui pulchritudine corporali decenter ornatus, per aliquot annos domni Johannis de Malbodio ſatis eleganter exercuerat officium prioratus. Per exaltatos ſupernis non depreſſos domum gubernabat etiam per ſeipſum, cum ſe fingeret multa ſcire, cum tamen omnium eſſet inexpertus, de præceptis multipliciter pauperes ſubjugavit. Quos voluit pro libito pauperes ſuppreſſit, & ſic eccleſia paulatim decreſcebat, ut ad tantam inopiam devenerit, quod tempore ſuo in undecim millibus extiterit obligata: cum tamen penſiones * multas vendiderit, decimam etiam *de Zienzele*, vaſa argentea quæ ſuperius paraverat domnus Gerardus de Cirvia, necnon & multa relatu digna quæ per prolixitatem potius pariunt perturbationem animi quam adſcriptionem laudis. Hic per * VII. annos cum dimidio præſidebat, & renuntians abbatiæ, nec immerito, domum relinquens improviſam. Egit hoc inter cetera in omnium detrimentum, quod duos vini ſextarios datos pro collatione tempore jejunii per manum domni Johannis de Malbodio conventui, imo verius emptos per largitionem plurimorum, ut continetur ibidem, redegit ad potum duorum lotorum cum dimidio.

* f. poſſeſſiones.

* al. novem annos præſidebat.

FUNDATIO MONASTERII
BEATÆ MARIÆ DE ALTARIPA
ORDINIS CISTERCIENSIS
FILIÆ CHARI LOCI LINEÆ CLARÆ-VALLIS.

Ex ſchedis Mabillonii.

BEATIA beatæ Mariæ de Altaripa, gallice *Hauterive*, initium ſumſit anno ſalutis 1137. 5. calend. Martii monachis e Charo-loco, comitatus Burgũdiæ cœnobio accitis, & fundatorem agnoſcit Guillelmum de Glana ex illuſtriſſima comitum Viennenſium familia oriundum, virum tantæ pietatis, ut annulo ſuo aureo ſuper altare oblato, præter poſſeſſiones & dominia Deo ejuſque ſanctiſſimæ Genitrici pro dotatione novi ſui monaſterii conſecrata, etiam caſtrum ſuum præmagnificum quod ad quingentos paſſus diſtabat demoliri juſſerit, inde ſacram ædem ſereniſſimæ cœlorum Reginæ conſtructurus. Donationes autem quas dictus dominus GUILLELMUS ad fundationem hujus domus fecit, ſunt ſequentes.

Primò dedit in manibus GUIDONIS epiſcopi Lauſanenſis ipſo conſecrationis die, primæ eccleſiæ Altaripenſis in præſentia plurimorum nobilium, aliorumque dominorum tam eccleſiaſticorum quam laïcorum, qui huc ad ſolemnitatem novæ dedicationis confluxerant, videlicet totam Altamripam, deinde Grangiam de Combis, & creſſimentum circumquaque in campis in nemore. Item 24. jugera cultæ terræ ſita apud *Eſcuvillens*, pratum quoque *Doſſel*, & totum *Molin Vaſſin*, vineaſque ſitas ad lacum Lemannum, fabricas S. Symphoriani communiter dictas, & quicquid habebat in *Unens*, in hominibus videlicet & in campis, pratis, ſylvis, nemoribus, aquis, lapidibus & uſimentis, inſuper & uſimentum & paſturam per totam terram ſuam. Conceſſit etiam dictus fundator in manibus præfati epiſcopi Lauſannenſis quod quicumque de ſubditis ſuis ad dictum monaſterium cauſa converſionis venire voluerint, libere veniant cum tota ſubſtantia & allodio ſuo. Similiter quicquid clericorum aliquis ad advocatiam ſuam pertinentiũ de terris ſive beneficiis, eccleſiæ ſuæ domui Altaripenſi conferre voluerit, & ipſe concedit obtento tamen prius præſulis Lauſanenſis conſenſu. Idem fundator dedit etiam terram *de Pouilly* & quicquid habebat in monte *Jublors* & *Montorrent*, exceptis quibuſdam campis antiquitus excultis.

Supradictis fundatoris donis acceſſit liberalitas illuſtriſſimi AMADÆI comitis Gebennenſis approbantis & confirmantis quidquid de feudo ſuo eccleſiæ Altaripenſi dediſſet, vel daturus eſſet aliquis, & multorum aliorum dominorum qui de bonis ſuis eidem eccleſiæ hoc ipſo dedicationis ejus die contulerunt, prout latius in fundationis litteris continetur.

Prædicta omnia approbata fuerunt & confirmata a dicto Guidone epiſcopo Lauſannenſi, qui hanc domum de Altaripa in ſuam

ſucceſſorumque ſuorum ſpecialem protectionem ſuſcepit, decimaſque totius laboris & nutrimenti ſui juxta generale totius ordinis privilegium eidem aſſignavit, adjiciens inſuper & immatriculans huic monaſterio eccleſias de *Eſcuvillens* & de *Unens* cum fundis & pertinentiis ſuis univerſis laudantibus & approbantibus Guillelmo decano & Conone preſbytero de *Unens*. Anno 1142.

Præfatæ donationes dicti domini comitis de Glana approbatæ etiam fuerunt & confirmatæ a Rudolpho comite de Grueria, & Petro domino de *Montſalvant* fratre dicti Rudolphi, Uldrico domino de *Arconciel*, & Uldrico comite de Novo-Caſtro nepotibus ſæpedicti comitis de Glana ex ſororibus ejus procreatis, aliiſque conſanguineis, qui quicquid juris habebant & habere poterant in prædictis omnibus quibus eccleſia de Altaripa inveſtita erat ceſſerunt: hæc autem confirmatio & ceſſio facta fuit in manibus Landrici epiſcopi Lauſannenſis, anno Chriſti 1162. quando oſſa ſæpe nominati Guillelmi de Glana tranſlata fuerunt ſolemniter de prima ad ſecundam ſive majorem eccleſiam, & in preſbyterio ad cornu evangelii in ſepulchro elevato decenter collocata.

Hic Landricus epiſcopus hoc monaſterium in ſuam ſingularem protectionem ſuſcepit, decimaſque totius laboris ſui & nutrimenti animaliùm ſuorum confirmavit, fulminans excommunicationem contra quoſcumque qui hujus cœnobii bona & jura diripere aut quovis modo diminuere attentarent.

Aliæ donationes.

Uldricus comes de Novo-Caſtro dedit liberaliter monaſterio de Altaripa omne jus quod habebat ſupra eccleſiam de *Eſcuvillens* & ſupra terram quamdam monaſterio proximam, vulgariter dictam *le Sac*; item terram de *Eſpagniez*, allodium videlicet Cononis de Porta, tenore litterarum datarum anno 1196.

Bertholdus comes de Novo-Caſtro pietatem & munificentiam prædeceſſorum ſuorum ſequi deſiderans, dedit litteras monaſterio Altæripæ, quibus approbat & confirmat quæcumque majorum ſuorum aliquis monaſterio contuliſſet. Concedit inſuper ſubditis ſuis de *Noires-joux* prope S. Sylveſtr. liberam facultatem donationem faciendi dicto monario terrarum, quas propriis manibus excoluiſſent, rogans prætorem Friburgenſem, ut monaſterium in dictis poſſeſſionibus protegere & defendere velit. Anno 1240.

Idem Bertholdus comes tenore litterarum ab ipſo datarum anno 1246. publice profitetur ſe teneri ad protegenda & defendenda jura atque bona a ſuis prædeceſſoribus præſertim Guillelmo de Glana avunculo ſuo huic domui collata, ac proinde de novo confirmat advocatiam ſupra eccleſiam ſancti Petri ſitam prope villam de *Arconciel* cum ſuis juribus & appenditiis, uti monaſterium ab antiquo jam tempore poſſederat.

Aymo filius Thomæ comitis Sabaudiæ aſſignat cœnobio Altaripenſi pro ſuſtentatione perpetua unius religioſi ſex libras annui cenſus, levandas de quatuor molendinis ſitis ſubtus turrim de Milduno. Anno 1233.

Johannes comes Burgundiæ & dominus de *Salin* dedit liberaliter & gratuitò monaſterio Altaripæ centum ſalarios panes de ſalinis ſuis ſitis in *Salin*, mandans & præcipiens adminiſtratoribus ſuis, ut quotannis dictos ſalarios panes prænominato monaſterio tradant. Conceſſit etiam ut dictum ſal per omnes terras ditionis ſuæ libere & ſine pedagio ad monaſterium uſque advehi poſſit, ut conſtat ex litteris datis anno 1248.

Summa privilegiorum pontificum.

Innocentius II. in bulla quæ incipit *Deſiderium quod ad religionis*, monaſterium de Altaripa ſub ſpeciali ſanctæ ſedis apoſtolicæ tutamine ſuſcipit, & confirmat quicquid Guillelmus de Glana fundator ejus pro dotatione contuliſſet, &c. Anno 1141.

Eugenius III in bulla quæ incipit, *Ad hoc univerſalis eccleſiæ*, domum de Altaripa in ſpecialem S. Petri ſuamque protectionem ſuſcipit cum omnibus poſſeſſionibus & pertinentiis ſuis, confirmat omnes donationes factas & faciendas dicto monaſterio, &c. Anno 1146.

Innocentius III. in bulla quæ incipit, *Religioſam vitam eligentibus, &c.* cœnobium Altaripenſe ſub ſpeciali protectione ſanctæ ſedis apoſtolicæ ſuſcipit cum omnibus poſſeſſionibus & pertinentiis ſuis tam præſentibus quam futuris. Concedit præterea de gratia ſpeciali omnibus abbatibus Altaripæ, ut uti poſſint teſtimonio religioſorum ſuorum in propriis cauſis ſive criminalibus ſive civilibus, ne defectu teſtium jura ſui monaſterii depereant, excommunicando quoſcumque qui ſupradictis contravenire aut monaſterii bona invadere præſumſerint. Anno 1198.

Per Innocentium IV. prædicta omnia fuerunt denuo confirmata in bulla quæ incipit, *Religioſam vitam eligentibus, &c.* Anno 1247.

Martinus V. in bulla quæ incipit, *Expoſcit devotionis veſtræ ſinceritas, &c.* Concedit admodum reverendo Petro ab *Affry*, pro tunc abbati & ſucceſſoribus ejus ut poſſit uti mitra, annulo, &c. Datum Gebennis primo ſui pontificatus anno 1416.

Litteræ exemtionum Bertholdi ducis Zeringiæ fundatoris civitatis Friburgenſis apud Nuithonas.

In nomine Domini noſtri Jesu Christi. Notum ſit omnibus tám futuris quam præſentibus, quod ego Bertholdus dux & rector Burgundiæ pro ſalute animæ meæ venera-

bili Girardo abbati Altaripæ, fratribuſque ibidem Deo ſervientibus, eorumque ſucceſſoribus donavi omne genus tributorum per totam terram & dominium meum.

Decrevi igitur & præſentis paginæ ſcripto firmavi, ne quis in tota poteſtate mea ab eis nec ab aliis ejuſdem ordinis fratribus pedagium, occaſione tranſeundi, vel thelonum quod cauſa venundandarum rerum jure ſolet accipi, exigat. Omnia enim hujuſmodi jura eis remiſi, &c. anno 1157.

Ejuſdem ducis ad Friburgenſes pro Altaripa.

Bertholdus dux & rector Burgundiæ H. ſacerdoti, & C. ſculteto, ceteriſque burgenſibus tam majoribus quam minoribus ſalutem & victoriam de inimicis. Nunciatum eſt nobis, quod domum de Altaripa, quam toto cordis affectu diligimus, & in noſtram tuitionem recepimus, injuſtis exactionibus ſive collectis gravetis &c.

Litteræ protectionum principum hic de verbo ad verbum ex originalibus tranſcriptæ.

Hartmanni comitis de Kyburg *ſucceſſoris Bertholdi ducis Zeringiæ fundatoris urbis Friburgenſis.*

Hartmannus comes de *Kyburg* omnibus in ſua amicitia & poteſtate conſtitutis tam eccleſiaſticis quam laicis ſalutem & amorem. Mando vobis & humiliter rogo, quatenus religioſam domum de Altaripa Ciſtercienſis ordinis honoretis & diligatis, & quiſquis mihi ſervire & me amari voluerit, ipſam amet, & nullum gravamen eidem faciat: quoniam ego accipio eam in tuta protectione mea, & quicumque eam offenderit, vel ejus res violenter rapuerit, ſciat, quod ipſe offendet perſonam meam, & ſi ipſi mihi de hoc conqueſti fuerint, de cetero ſciatis pro vero, quod hoc ita graviter accipiam tamquam ſi perſonæ meæ factum fuiſſet: & rogo & præcipio C. Sculteto de *Friburg*, & omnibus civibus noſtris Friburgenſibus, ut quandocumque audierint aut cognoverint quod eis fiat injuria ab aliquo vel damnum rerum ſuarum, ſic faciant contra eum, quicumque injuriam fecerit, tamquam ſi propriæ perſonæ meæ eadem injuria facta fuiſſet, & qui hoc præceptum meum facere noluerit, ſciat pro certo quod amorem meum non habebit, & ego quam citius potero per me, aut per nuntium meum ultionem juſtam faciam de inimicis eorum, &c.

Hartmanni comitis Palatini Burgundiæ filio ſuo Hartmanno juniori comiti de Kyburg *pro monaſterio Altaripæ.*

Viro illuſtri & potenti dilecto filio ſuo Hartmanno comiti juniori de *Kyburg*, H. comes Palatinus Burgundiæ & comitiſſa Palatina ſalutem & amorem in omnibus filiadem. Dominationem & dilectionem veſtram, de qua confidimus, attentius deprecamur quatenus domum Altaripæ quam defendere debetis & etiam cuſtodire, ut ſub veſtro dominio ſecurius Domino valeant famulari, &c. Datum anno Domini 1253.

Hartmanni junioris comitis de Kyburg *ad Friburgenſes pro Altaripa.*

Hartmannus junior comes de *Kyburg* dilectis ſuis ſculteto & burgenſibus de Friburgo majoribus & minoribus amoris plenitudinem cum ſalute. Cum dilectus & familiaris noſter abbas Altaripæ diligens, ſollicitus & fidelis valde fuerit in negotiis noſtris & pro amore noſtro multum laboraverit, quem etiam in protectionem & defenſionem noſtram & domum Altaripæ cum rebus ſuis recepimus; dilectioni veſtræ mandamus, præcipimus, & quantum valemus inſtanter rogamus, quatenus dictum abbatem & domum Altaripæ ſicut perſonam noſtram & res noſtras proprias defendatis & cuſtodiatis pro amore noſtro, &c. Datum anno 1253.

Ludovici comitis Sabaudiæ.

Noverint univerſi præſentem litteram inſpecturi, quod nos Ludovicus de Sabaudia dominus Vaudi, volentes ſpecialem facere prærogativam ſeu gratiam fratri Hugoni abbati monaſterii Altæripæ & conventui ejuſdem loci Ciſtercienſis ordinis diœceſis Lauſannenſis, ipſos cum rebus ſuis mobilibus & immobilibus ſeu ſe moventibus ex parte omnium ballivorum noſtrorum, caſtellanorum, burgenſium, familiarium & auxiliatorum Domini Amadæi comitis Sabaudiæ fratris noſtri in noſtra protectione recepimus totaliter & conductu, mandantes in quantum poſſumus per præſentem litteram ſigillo noſtro, &c. Datum anno Domini 1296.

Situs monaſterii Altaripenſis.

Hoc cœnobium ſitum eſt in valle juxta torrentem Sanam, Gallice *Sarine*; ptæ altis rupibus & collibus undique circumdatam. Olim in Sabaudica ditione erat, nunc eſt in Helvetica, cantonis Friburgenſis in diœceſi Lauſan. a dicta urbe Friburgenſi una ex tredecim confœderatis ſeſqui hora diſſitum. Ejus ſtructura non tam magnifica quam commoda & religioſa eſt, hæc domus paulatim ita reſtauratur tam in diſciplina regulari quam in ædificiis, boniſque fortunæ caducæ, ut nunc in ea viginti & amplius religioſi profeſſi commode & religioſe habitent, ſuſtententur, omnibuſque neceſſariis provideantur.

Inſignia quæ præfert ſunt ipſiſſima quæ fundatoris, ſcilicet ſcutum rubrum aureo leone erecto & coronato impreſſum, crucibus argenteis in area innumeris perſperſis.

Hæc domus mater eſt cujuſdam cœnobii

religioſorum Capella vocati, ſiti prope Tigurum (quod eſt unum ex XIII. confœderatis) in diœceſi Conſtantienſi; quod nunc ab hæreticis illius ditionis occupatur. Item huic monaſterio duo monialium immediate ſubjecta ſunt: videlicet B. V. MARIÆ de Macra Augia, ad mœnia civitatis Friburgenſis ſitum, & Filiæ Dei, ad radicem oppidi Rotundimontis, ambo in diœceſi Lauſannenſi.

Reliquiæ ſacræ præcipuæ.

Lapis S. Stephani protomartyris, tinctus duabus guttis ſanguineis.

Stola ſanctiſſimi P. N. BERNARDI ex groſſiori panno coloris griſei obſcuri, qua ſanctus hic pater ſacrarium noſtrum decoravit, dum eundo & redeundo ex Germania per hoc monaſterium tranſiret.

Duo tibialia groſſioris panni griſei coloris S. Guillelmi ordinis Ciſtercienſis, archiepiſcopi Bituricenſis.

Cilicium ex crinibus equinis S. Petri ordinis noſtri, epiſcopi Tarantaſienſis.

Cranium unius de ſociabus S. Urſulæ, & plurima alia oſſa earumdem.

Varia oſſa de legione Thebeorum, aliorumque martyrum. Et plurimæ aliæ reliquiæ certæ, quorum nomina perdita partim ſunt, partim præ vetuſtate legi non poſſunt.

Et licet in hoc monaſterio nulla certa SS. corpora per miracula manifeſtata habeantur, attamen ſingulariter hic ſub invocatione omnium SS. mirabilia operari dignatur Altiſſimus, dum ab antiquo jam tempore per vinum, quod in honorem omnium SS. in hoc templo benedicitur, multi utentes eo a variis & incurabilibus morbis liberantur. Hinc fit ut templum hoc a multis qui ſe huc ſpe recuperandæ ſalutis devoverunt, paſſim per annum frequentetur, maxime vero in ſolemnitate Omnium-ſanctorum, in qua inſolitus huc fit populi concurſus, aliquibus in gratiarum actionem ob levamen in infirmitatibus ſuis receptum, aliis vero propter antiquam & ſingularem hujus loci in omnes beatos devotionem huc ſeſe conferentibus.

Sepulchra quæ ſunt in Templo.

Immediate ſupra gradus preſbyterii ad cornu evangelii honorifice conditus eſt in ſepulcro elevato dominus Guillelmus de Glana fundator hujus domus, cui tale epitaphium appoſitum eſt.

Anno Dominicæ Incarnationis 1142. 3. Id. Feb. obiit Guill. de Glana, qui fuit fundator domus hujus Altæ-ripæ, & ſepultus eſt in præſenti tumulo. Cujus pater, videlicet Petrus, & frater ſuus Guillelmus de Glana anno Incarnationis Dominicæ 1126. 5. idus Februarii, cum illuſtri viro comite Viennenſi, qui etiam fuit comes Solodorenſis & dominus Salinenſis, & cum multis aliis nobilibus injuſte ab injuſtis in occiſione gladii mortui ſunt apud Paterniacum. Sanguis autem ipſorum videtur ad Dominum clamare de terra cum ſanguine Abel juſti & Innocentum. Vindica, Domine, ſanguinem noſtrum. Dominus autem videtur reſpondere: Vindicavi, & iterum vindicabo.

Dicti autem Petrus & Guillelmus de Glana cum comite Viennenſi ſepulti ſunt in prioratu Cluniacenſi, ſito in inſula quæ eſt in lacu de *Nirvez*.

Barones de Ponte honorificum ſepulturæ locum obtinent in ſacello S. Johannis ab ipſis dotato, ante quod ipſorum inſignia & vexillum viſuntur adhuc hodie.

Nobiles ab Affry monumenta ſua habent in capella S. Nicolai eccleſiæ contigua, quæ ab ipſis fundata & dotata fuit.

Domini de *Corpateur* jacent ante ſacellum undecim millium Virginum.

Domini de *Trois-Vaux* honorifice requieſcunt prope altare S. Annæ extra cancellos.

Domini de *Corbieres* ſuum ſepulturæ locum habent ad latus altaris S. Michaëlis.

Domini de Aventico paululum inferius ſepulti ſunt.

Ante capellam SS. Rochi & Guillelmi jacent corpora baronum de *Blonay*, & dominorum de *Dompierre*, quælibet in ſuis propriis monumentis.

In capitulo honorifice tumulata eſt domina Agnes comitiſſa de Grueria, quæ fuit domina de *Illens* & de *Arconciel* una cum marito ſuo domino Nicolao de *Engelsberg* equite.

In clauſtro prope capitulum ſepultus eſt archiepiſcopus quidam cujus nomen ignoratur; ex antiqua ſolum traditione habetur eum fuiſſe archiepiſcopum Cantuarienſem, qui in perſecutione Anglicana exul ad hoc monaſterium confugit, hicque diem ſuum extremum egit, ejus epitaphium lapidi inciſum præ vetuſtate ferme deletum eſt, ita ut nihil certi ex eo colligi poſſit.

Ad latus ſuperioris introitus in eccleſiam tumbas ſuas habent domini de *Montmacon*, germanice *Makenberg*, & paulo inferius ſepulti ſunt domini *de Villars*.

Liberi barones de *Hanenberg* communiter dicti Divites, ſuum ſepulturæ locum elegerunt in Alta-ripa, & ſepulti ſunt in clauſtro ad inferiorem introitum eccleſiæ. Et paulo inferius jacent domini de *Duens*.

HISTORIA
MONASTERII A KENLOS
ORDINIS CISTERCIENSIS IN SCOTIA
A JOHANNE FERRERIO PEDEMONTANO
ejudem monaſterii monacho ſcripta anno MDXXXVII.

Ex mſ. reginæ Sueciæ eruit Mabillonius.

KEnluſche olim, ut accepimus a linguæ Hibernicæ peritiſſimis, locus fuit planus & herbarum copia refertiſſimus. Factum hinc illi nomen putant Scoticæ linguæ interpretes *Kenluſche*, quaſi dixeris caput herbarum. Poſtera ætas paulo negligentior ad vetuſtatis memoriam retinendam, & idiomatum corruptela per Anglicanas incurſiones introducta, loci vocabulum invertit, & pro *Kenluſche* factum eſt nomen *Kenlos*. Sunt qui Kiſlos dicant, ſed inepte, per quam putant hunc locum deſignari & tantumdem valere, ac ſi quis dixerit Eccleſia florum Hibernice. David Scotorum rex XCI. vir plane divinus, inter alia pleraque ſuæ adminiſtrationis monumenta, oraculo primum per ſomnium admonitus, deinde columbæ niveæ admonitu edoctus, in venerationem pientiſſimæ matris & Virginis Mariæ fundamenta ponit monaſterii a Kenlos Ciſtercienſis familiæ anno MCXLI. Rex hic morte præventus, nihil præterea contulit monaſterio quam baroniam, quam vocant a Kenlos, ſtatim ab initio fundationis, facturus certe majora, ſi ſupervixiſſet.

Ad hujus monaſterii adminiſtrationem fundatoris regis ſtudio primum admotus eſt vir pietate inſignis domnus ANSELMUS primus abbas a Kenlos anno Domini MCXLI. qui vixit ad annum MCLVII. quo mortuus eſt. Sunt qui referant hunc Anſelmum fuiſſe ex Hibernia, quam nunc Irlandiam vocant; ſed a quo monaſterio Hibernico eſt controverſum. Non deſunt qui prædicent e cœnobio Fontanis huc profectum, aliis interim aſſerentibus e primario illo Hibernico cœnobio dicto *Melleſont*. Ego potius crediderim hunc Anſelmum navigaſſe in Gallias, cum floreret divus Bernardus. Sic etiam narrant qui a majoribus acceperunt: a quo ſuſceptus eſt in monachatum. Deinceps ubi accepiſſet regem David in Scotia moliri aliquot novas religioſorum fundationes, impetraſſe ex divo Bernardo, ut cum aliquot Scotis monachis accederet illuc.

Domnus ANDRÆAS abbas a Kenlos ſecundus obiit anno Domini MCLXXXIX. Manum admovit ut ea perficeret, quæ rex David moriens inabſoluta imperfectaque reliquerat, ſcilicet totam faciem cum bona parte navis auguſtiſſimi templi a Kenlos. Hujus etiam opera a fundamentis ipſis excitatum eſt ampliſſimum refectorium, quod & nunc in clauſtro viſitur. Hujus optimi viri oſſa ſepulta jacent inter ſedilia chori ſub lapide prælongo & minime ſignato, proxime ad ſedem ejus religioſi, qui ex officio hebdomadario poſt cœnam ante completorium æſtivo tempore ſumtam, lectionem concinendo perlegit. Cum autem nequiret domnus ANDRÆAS par eſſe tantæ fundationi a Kenlos, non deſtitit MALCOLMUM regem ad id operis ſollicitare. Verum per inteſtinas ſeditiones non licuit Malcolmo multa facere. Extincto autem MALCOLMO ſucceſſit GUILLELMUS rex vir pius, qui domno Andreæ & ſurgenti monaſterio a Kenlos baroniam a *Stralhily* dono dedit. Hic domnus Andreas fornicem ſummæ aræ poſuit, & eam partem columnarum clauſtri, quæ ab angulo veſtiarii uſque ad ſepulcrum ejus nunc etiam viſitur.

Domnus RAYNERIUS abbas a Kenlos tertius, obiit anno Domini MCCXIX. Sub hoc abbate deducta eſt colonia ad Culros. Anno MCCXVII. hoc eſt a fundatione monaſterii a Kenlos anno CXXXVI. facta eſt conventus S. Servani erectio, & profecti ſunt aliquot monachi a Kenlos veluti in coloniam quamdam ad fundationem Culros die ſacra Matthæo apoſtolo. Hujus abbatis opera clauſtrum peractum eſt apud Kenlos.

Domnus RADULFUS abbas a Kenlos IV. obiit VIII. cal. Novembris anno MCCXXXIII. Is accepit terras a *Burgynne*, donante ALEXANDRO Scotorum rege nonageſimo quarto, filio

filio Guillelmi regis anno MCCXXI. Sub initium hujus Radulfi deducta eſt colonia monaſterii a *Deir*. Anno Domini MCCXIX. fuit electio * monaſterii in *Deir* IV. calendas Februarii, & eodem die profecti ſunt monachi aliquot ex Kenlos in *Deir*, tamquam in novam coloniam. Monachorum nomina ſunt hæc, Hugo, Ardorus, & Johannes, qui continua ſucceſſione altero decedente ſubrogati ſunt in ejuſdem loci abbates, ut ſcribit dominus Robertus Stephanus nunc prior a *Deir*. His tribus in *Deir* abbatibus ſucceſſit quartus VALERANTIUS nomine, vir, ut tum ferebat ætas, bene eruditus, & Gallus natione. Valerantio ſuccedit Richardus, qui poſtea nonus abbas a Kenlos fuit.

* f. electio.

Domnus RICHARDUS abbas a Kenlos V. obiit idibus Octobris anno Domini MCCXLI.

Domnus HENRICUS abbas a Kenlos VI. obiit IV. nonas Novembris anno Domini MCCLI. Sub initium hujus abbatis quidam vir magnificus, cui nomen fuit Roberto Auguſtini, dedit anno Domini MCCXLIV. monaſterio a Kenlos terras ab Juverclinis proxime ad defluxum Speæ amnis, quas nunc occupat Jacobus *Grunth*, conſuetudine magis tyrannica majorum ſuorum quam jure aliquo.

Domnus THOMAS abbas a Kenlos VII. obiit III. nonas Februarii anno Domini MCCLVIII. anno vero Domini MCCLV. ROBERTUS epiſcopus Roſſenſis contulit monaſterio a Kenlos eccleſiam nomine *Albatht* in Roſſia.

Domnus SIMON abbas a Kenlos VIII. obiit XII. calendas Maii anno Domini MCCLXIX. Fuit is vita & moribus ornatiſſimus, & ad religionem compoſite factus. Non deſunt qui prædicent ſummam hujus eruditionem. Sub initium iſtius abbatis arſit monaſterium a Kenlos anno Domini MCCLVIII. Hujuſce rei cauſa ignoratur, niſi famam a majoribus in poſteritatem tranſlatam recipimus, quæ docet id contigiſſe per menidulam dum ſuum conſtitueret nidum, & in eum conjeciſſet ardentem feſtucam, & ad inſtaurationem loci *Muriel* contulit ſolidos centum Scoticos ſuper Dundurius. *Muriel* filia Petri de *Polloch* & uxor Wallerii *Murdach* ad opus fabricæ eccleſiæ a Kenlos centum ſolidos annuos ſuper Dundurius contulit, teſtibus domno ANDREA epiſcopo Moravenſi, Felkrino decano, Hugone de *Dufolas* & aliis, anno MCCLVIII.

Domnus RICHARDUS abbas a Kenlos IX. obiit XVIII. calendas Auguſti anno Domini MCCLXXXIX. Hic primum monachus fuit apud *Deir*, & ibidem abbas V. deinde ſelectus eſt ut præeſſet monaſterio a Kenlos, huc venit, & compluſculos annos pie vixit homo plane religioſus.

Domnus N. abbas a Kenlos X. obiit anno Domini MCCCII. Sub finem hujus abbatis X. annos totos EDUARDUS Anglorum rex Scotos multis incommodis afflixit. Regnum ad Fornam fluvium ubi Roſa per vadum eſt, tertio tandem occupat. Hic abbas ſequutus Anglorum judicium, varias extruxit domos ad formam Anglicanam.

Domnus THOMAS abbas a Kenlos XI. obiit anno Domini MCCCXXI. Sub initium hujus abbatis, rex ROBERTUS BRUIS ſemper invictiſſimus, contulit monaſterio a Kenlos piſcationes a *Pepudernen* omnes, inchoando a *Dundaff* uſque mare. Dedit etiam eccleſiam ab Ellone, anno regni ſui IV. hoc eſt anno MCCCX. ſub Abendonenſi epiſcopo Henrico *Chienne*.

Domnus abbas a Kenlos... XII.

Domnus ADAM abbas a Kenlos XIII. Proditum eſt memoriæ hunc fuiſſe a clauſtro *Deir* ſelectum, ut præeſſet monaſterio a Kenlos, quamvis non probe ſciatur quotus fuerit.

Domnus RICHARDUS abbas a Kenlos XIV. obiit anno Domini MCCCLXXI. Pene ſub initium hujus abbatis dominus Guillelmus comes Nothilandiæ contulit monaſterio de Kenlos hoſpitale S. Johannis Baptiſtæ de *Hebuiſden* cum omnibus ſuis quas vocant pertinentiis apud *Elgyn*, XXI. die menſis Maii anno Domini MCCCLXII. ſub ALEXANDRO epiſcopo Moravienſi. Hic locus occupatur ante compluſculos annos tyrannice. Sub hoc abbate RICHARDO vixerunt monachi aliquot percelebres, Adam de *Teras*, poſtea abbas & ſucceſſor David *Foreſt*, Walterus de *Spine*, & domnus Patricius prior, qui imperante Richardo abbate, profectus eſt ad capitulum generale Ciſtercii, & Romam bis in contentione ejus terræ, quam vulgo Tapetum monachi dicunt.

Domnus Adam de *Teras* abbas a Kenlos XV. obiit II. nonas Junii anno MCCCCI. Fama eſt, immo certiſſimum hunc Adam oſcitantia neſcio qua perdidiſſe bonam partem pagi de *Teras*, quem nunc habet Moraviæ comes. Hujus Adami oſſa jacent ſub lapide ſignato ante preſbyterium. Adami etiam opera extructa eſt aula abbatis quæ nunc viſitur. Invexit & pontificalia, ſed tamen ſub pontifice ſchiſmatico, Benedicto XIII. anno pontificatus illius primo, id eſt anno Domini MCCCXCIV. data Avenione IX. cal. Octobris. Eo tempore vixit domnus Guillelmus de Spina, monachus nequaquam contemnendus. Referunt hunc Adamum parum pudice tranſegiſſe vitam, ut qui ex concubinatu proles aliquot ſuſtulerit.

Domnus GUILLELMUS BLAYR abbas a Kenlos XVI. obiit XV. cal. Novembris anno Domini MCCCCXLV. Vixit hic vir a Kenlos ab anno MCCCCI. ad MCCCCXXX. vel circiter. Poſtea in Cuprum Auguſiæ eſt tranſpoſitus, ut illi præeſſet loco, ubi moriens ante ſummam aram ſui monaſterii ſepultus eſt. Fuis is decretorum doctor & monachus apud Cuprum prius quam abbas a Kenlos crearetur, utrumque rexit monaſterium & inſtauravit annis

XLI. Hic abbas anno MCCCCXIX. ſub annum II. Martini pontificis ſummi domnum JOHANNEM a Kulros propter concubinatum in ordinem redegit. Tunc temporis in eo præfuit negotio dominus Johannes *Fogovir* theologus, primum monachus, dein abbas a Melros. Ea contingebant imperante JACOBO Scotorum rege ejus nominis primo. Idem abbas ſub epiſcopo Moraviæ HENRICO litem movit magiſtro Columbæ *Dumbare* de annuo cenſu ſolidorum Scoticorum c. a Dundureus, & vicit anno MCCCCXVII. die XX. Octobris. Hoc tempore abbas Pontiniacenſis Gallus venit [a] in Scotiam, a concilio Ciſtercienſium (a) patrum tranſmiſſus, ut tum forte collapſam religionem inſtauraret.

Domnus JOHANNES FLUTERE abbas a Kenlos XVII. obiit nonis Maii anno MCCCCLX. Is argenteum pedum, quo etiam nunc abbates utuntur ad miſſarum ſolemnia, magno ære coëmit. Vixit in officio X. annos. Anno vero MCCCCXL. ob parum pudicam vitam de gradu ſuo dejectus ſub Johanne *Ellem* XX. annos totos private poſtea vixit. Referunt majores cum fama eſſet hunc abbatem plurimum pecuniæ collegiſſe, nocte quadam vi raptum de domo ſua in porta monaſterii a quodam domino a *Duffuß*, qui fruſtratus opinione ſua, abbatem ſtatim illæſum in monaſterium unde adduxerat, remiſit. Ea de re, ut vulgo creditur, male ceſſit illi domui a *Duffuß* perpetuo, veluti qui ſacroſanctæ B. Mariæ a Kenlos numen in ſuo abbate ad ultionem irritavit; quare abiit in proverbium, futurum ut porta monaſterii a Kenlos dejiciat *Duffuß*. Sub hoc abbate domnus ARTHURUS hujus loci monachus electus eſt in abbatem *Deir*, & illuc profectus X. annos rexit; deinde MC. marcas Scoticas ſuo monaſterio a *Deir* moriens reliquit. In abbatis Johannis *Flutere* magiſtratu dejecti ſunt monachi albi a Pluſchardis, & nigri intromiſſi.

Domnus JOHANNES ELLEM abbas a Kenlos XVIII. obiit IV. idus Februarii anno Domini MCCCCLXVIII. Is tabulam majoris aræ incomparabilem, candelabra duo ad majus altare, tertium ex auricalco ſuper quod legitur Chriſti evangelium, aliquot etiam dalmaticas & caſulas in ſuum monaſterium deportavit.

Domnus JACOBUS GULTURY abbas a Kenlos XIX. homo bene doctus in theologia, obiit XVII. calendas Aprilis anno Domini MCCCCLXXXII. Is quondam fuit cellerarius Cupri. Sepultus eſt in viculo a *Forfayz*. Hic in ſua viſitatione a Culros coëgit illius loci abbatem domnum RICHARDUM *Marſcheell* ob vitæ turpitudinem abire magiſtratu. Ad hujus abbatis electionem præfuit abbas a Cupro domnus David, vir doctus & viſitator tunc ſui ordinis per univerſam Scotiæ provinciam. Fuit is theologiæ baccalaureus, non ſpernendus abbas, videlicet JACOBUS GULTURI. Extruxit turrim campanarum, & alia quæ nequaquam probari poſſunt, & infeliciter periit dolore confectus apud *Forfayz*.

Domnus Guillelmus *Galbreth* abbas a Kenlos XX. obiit X. calendas Octobris anno Domini MCCCCXCI. Sepultus eſt apud Kenlos in ſacello S. Petri. Fuerat is ſuccentor eccleſiæ Moravienſis. Vendente prædeceſſore ſuo emit dignitatem, & tranſmiſſis procul hujus loci a Kenlos diplomatibus, cum antea abbates eligerentur canonice per monachorum ſuffragia & patris abbatis a Melros electionem ſimul & confirmationem. Hunc tamen perhibent fuiſſe probum hominem. Cum profectus eſſet ad eccleſiam *Albath* in Raſciam, ac reverteretur, paucis concomitantibus, a barone de *Killrannyk* & Hugone cognomento *Roſſ*.... ejus qui nunc vivit interceptus eſt. Id cum reſciviſſet domnus Jacobus *Dumbar* eques auratus, vicecomes Moraviæ & baillivus a Kenlos, collectis aliquot armatis militibus ad *Galbreth* abbatem liberandum eſt profectus. Verum Hugo equitis furorem præſentiens, prius quam armis concurrant, abbatem miſſum fecit. Fuit abbas *Galbreth* paulo ſeverior, ut qui in furorem & quamdam inſaniæ ſpeciem per atram bilem frequentius incitaretur.

Domnus GUILLELMUS CULROS abbas a Kenlos XXI. obiit V. calendas Januarii anno Domini MDIV. Sepultus eſt in ſacello ſancti Thomæ. Hic abbas mole gravatus corporea, poſt pauculos ſuæ adminiſtrationis annos domnum THOMAM CRYSTALLI in ſuum ſucceſſorem etiam vivens monaſterio ſuo præfecit. Toto ſuo magiſtratu abbas *Culros* nihil umquam magni effecit, & ut non auxit hujus loci bona, ita nec imminuit. Conſueverat manibus propriis multa facere, plurimum ſcribebat & decenter rituum libros hujus loci. Vir ſatis pius, niſi carnis voluptatibus & veneri ſuccubuiſſet. Hujus tempore magiſter Jacobus *Buuche* abbas Balmerevothenſis vir theologus floruit.

Domnus THOMAS CRYSTALLUS abbas a Kenlos XXII. anno MCCCCXCIX. idibus Januarii a domno Guillelmo *Culros* declaratus eſt abbas monaſterii a Kenlos. Multa bona fecit monaſterio; & cum videret ab ætate ſe in communem mortem properare, ut ſuis in longam ætatem conſuleret laboribus, anno ætatis LX. virum omnibus modis celebratiſſimum eccleſiæ Moravienſis ſubdecanum M. Robertum *Reyd* mœcenatem meum in futurum abbatem delegit. Poſt ſucceſſoris electionem annos plus minus VII. vixit. Obiit *Strathily* IV. calendas Januarii anno MDXXXV. & ſepultus eſt in Kenlos proxime ad ſummam aram.

Anno MDXV. die XXVII. Decembris JOHANNES GORDONIUS comitis ALEXANDRI filius

(a) Vide ea de re decretum capituli generalis ordinis Ciſtercienſis anni 1440. num. 7. tom. 4. Anecdot.

natu major quorumdam nebulonum impulſu irrupit ſub veſperam in adyta monaſterii a Kenlos, ac ſcrinium honeſtæ matronæ dominæ Margaritæ *Molbat*, in quo aſſervabantur aliquot ſcripturæ cum nonnullis pecuniis, confregit, quibus ſuppilatis in Gallias profectus eſt; ſed ob ſcelus patratum numine agitatus apud Gallos diutius vivere non potuit. Ubi rediiſſet, nequivit alicubi conquieſcere niſi apud Kenlos, quo in loco duobus annis poſt ſcelus admiſſum, eodem menſe die ſequenti morbo gravatus vitam morte commutavit.

Domnus Robertus *Reyd* abbas a Kenlos XXIII. De hoc viro quoniam vivit & cum eo agimus familiariter, tantum conſignabimus paucula, quæ contexendo hiſtoriæ aliquando inſervire poſſint. Nobili & honeſto loco natus in *Akinheide* patrem habuit Johannem *Reyd*, qui cum Jacobo hujus nominis quarto apud Floddum vicum in Northumbria occubuit, & Birretam *Schanvvelle* matrem, germanam quondam domni Johannis abbatis a Cupro. Magiſter artium ſub M. Hugone *Spens* theologo clariſſimo, creatus in collegio divi Salvatoris de S. Andrea; tum ſubdecanus Moraviæ, duobus præſulibus Moraviæ, M. Jacobo *Halburne* & domino Roberto *Schalbe* fuit longe gratiſſimus, & ſub his egit officialem, quem vocant, non inepte. Habebat dominus Robertus *Schalbe* in animo hunc deligere ſucceſſorem ſuum, niſi mors immatura illius conatum abrupiſſet. Anno MDXXVI. hunc elegit ſibi ſucceſſorem domnus Thomas *Cryſtall*. Anno MDXXVII. Romam profectus eſt pro diplomatibus monaſterii a Kenlos in pontificatu Clementis ſeptimi, paulo poſt eam cladem quam Borbonius dux urbi intulit. Anno MDXXVIII. Scotiam repetens & Pariſios veniens, ubi magiſtrum liberalium artium nacti eramus, addidi me M. Roberti *Ried* comitatui, & in Scotiam veni, & tandem Kenlos, ubi domni Guarini *Dumbar* Abendoniarum præſulis miniſterio in abbatem inunctus eſt, & apud Kenlos receptus. Anno Domini MDXXX. accepit in commendam monaſterium Belli-loci, in quo multa quotidie digna poſteritate facit. Sub annum MDXXXIII. miſſus eſt ab rege Scotorum Jacobo ejus nominis quinto, una cum Abendoniarum præſule domino Guillelmo *Stewart* legatus ad Henricum ejus nominis octavum Anglorum regem pro pace ineunda inter Scotos & Anglos: quod etiam obtinuit. Miſſus ſolus ad eumdem regem, auſpicatiſſime ſuum munus peregit. Inde ſemel atque iterum ab Henrico rege multis vaſis argenteis donatus ad ſuos rediit. Item bis legatus in Gallias ad Franciscum regem ejus nominis primum pro ſui regis matrimonio, profectus eſt ſub annum MDXXXV. primo, deinde ſub annum MDXXXVI. ante aliquot annos inter Jacobi V. Scotorum regis conſiliarios non infimam partem tenet meritiſſime, cum ob juris peritiam, tum vitæ modeſtiam qua plurimum valet. Inſtituit præterea in Kenlos ſatis copioſam ſelectarum in omni diſciplinarum genere bibliothecam, quam nos alio libello deſignavimus. Nunc de nobis paucula dicamus.

In Italiæ parte Inſubria & Gallia Comata dicta olim, modo vero Pedemontana, oppido Cherium dicto natus, & villa de Rippa prope Cherium anno Domini MD II. parentes habui ex vetere & ſatis nominata familia per univerſam Inſubriam non contemnendos, in primis Martinum Ferrerium patrem & Catharinam Finellam matrem. Avus meus ex patre fuit Guillelmus Ferrerius vir conſularis & probus, qui annos CIII. vixit. Proavus meus ex patre fuit Martinus; avi Guillelmi pater, in re militari ſtrenuus, dux & conneſtaulus quem vocant egregius. Abavus autem meus ex patre fuit Thomas Ferrerius Martini proavi pater, juris utriuſque doctor & vir conſularis. Sed hæc in præſentia de genere noſtro ſatis. Anno MDXXV. ætatis meæ XXIII. veni Pariſios, ubi pene triennium totum exegi ſub Johanne Morando nationè Picardo, nunc doctore theologo in collegio Lexovienſi, ſub Johanne Tartaſio primario, atque tunc, oblata nuſquam occaſione videndæ Scotiæ, cum M. Roberto *Reyd* nunc abbate a Kenlos ſub annum MDXXVIII. in Britanniam tranſmiſi, & cum eo in aula Scotiæ tres annos fere vixi; ſed cum viderem ſic meorum fieri ſtudiorum jacturam, petii vel ut mihi poteſtatem in Kenlos degendi faceret, vel abeundi potius. Ille cum nollet me miſſum facere, non gravate permiſit, ut in Kenlos vitam tranſigerem. Itaque toto hoc quinquennio vel in inſtituendis monachis, vel in ſtudio meo privato, vel in commentariis aliquot novis edendis fui. Nunc autem hoc anno MDXXXVII. quo hæc ſcribo, Italiam identidem, ſi nihil impediat, cogito.

Interea abbas Robertus in monaſterio ſuo optimis ſtructuris locum ipſum ita exornavit, ut poſt fundatores reges nullus umquam prædeceſſorum tanta ac talia fecerit.

Anno MDXL. ædificavit navem templi a Bello-loco magnifice, & eodem anno ſub Jacobo ejus nominis quinto Scotorum rege, declaratus eſt & inunctus epiſcopus Orchadenſis, ubi quotidie multa parat ad veteres reficiendas ſtructuras, & novas item ædificandas. Multis autem ego precibus & litteris ejuſdem abbatis revocatus, ſub annum Domini MDXL. in feſto Paſchatis redii in Scotiam, ubi offendi dominum meum declaratum epiſcopum Orchadenſem, a quo ſum exceptus humaniſſime. Eodem anno ſum eum euntem ad Orchades comitatus, ut propius expectarem quæ a veteribus de illis conſignata ſunt litteris. Anno MCXLI. una cum epiſcopo Abendonenſi miſſus eſt lega-

tus ad Anglorum regem de controverſia quadam limitum utriuſque regni, in quo nihil eſt confectum, ſed ampliatum in aliud tempus negotium.

Anno MDXLII. una cum domino ab *Erſchyne* datus eſt arbiter a JACOBO Scotorum rege in rem præſentem de limitibus Scotiæ cum Anglo. Adfuerunt utrimque multi; ſed poſt longam diſceptationem, cum non ſatis conveniret inter partes, ampliatum eſt negotium ad futurum conventum Anglorum Eboraci, & diſceſſum eſt ab utraque parte. Deinceps una cum domno *Eſthyne* itum eſt ad illud publicum Anglorum concilium, ac iterum producta res eſt, dum clam paratur ab Anglo exercitus in Scotiam, nec permiſerunt qui erant in conſeſſu illo Anglico legatos Scotos vel ſcribere in patriam, vel ad ſuos redire, ne forte ſuo regi narrarent quæ per fraudem illic gerebantur, donec collectis copiis ſimul cum exercitu, Scotiæ fines ad quinque dies ipſi Angli occupaviſſent.

HISTORIA FUNDATIONIS venerabilis eccleſiæ beati Nicolai Oigniacenſis ac ancillæ Chriſti Mariæ Oigniacenſis.

Ex mſ. codice ejuſdem monaſterii.

TEmpore illo quo permiſit Deus ſanctiſſimum regnum Jeroſolymorum cum Chriſtianis ibi habitantibus, peccatis eorum innumerabilibus exigentibus, debellare, & ipſos crudeliter & hoſtiliter trucidare per quemdam Sarracenum regni impium SALHADINUM & crudeliſſimum tyrannum, anno ſcilicet ab incarnatione Domini MCLXXXVII. regnante cum Chriſto ac prædicante humillimo ac ſanctiſſimo viro fratre Franciſco Minoris ordinis fundatore ac patrono, ac etiam ſtudente in ſacra theologia in civitate Pariſienſi reverendiſſimo patre noſtro domino JACOBO DE VITRIACO regis Francorum LUDOVICI confeſſore, erat quidam vir venerabilis in villa de Walcuria Johannes vocitatus, divitiis temporalibus & ſpiritualibus ſufficienter abundans, qui de uxore propria quatuor genuit liberos, qui ſucceſſu temporis promoti ſunt in ſacerdotes, præter unum. Nomina ſacerdotum hæc ſunt: Ægidius, Robertus, & Johannes: alter dictus eſt Hugo, qui fuit in urbe aurifabricæ operator famoſiſſimus. Sciens autem amator hominum benigniſſimus Deus cogitationes fratrum prædictorum, qui a patre & matre a juventute ſua diligenter & devotiſſime inſtructi fuerant in timore Domini, dignatus eſt eos inſpirare ex abundantia caritatis & viſcera miſericordiæ ſuæ & gratia ſpiritus ſui, adeo ut ab adoleſcentia ſua fraternitatis amatores, caritatis mutuæ ſemper foverent unitatem. Unde cum primogenitus eorum Ægidius poſt mortem patris & matris ex magna devotione & ſpontanea voluntate nullam beneficii eccleſiaſtici habens curam, in capella domus domini WERRICI militis de Walecuria, patris domini THEODERICI armis famoſi, ſæpius miſſarum ſolemnia celebraret, ſuis impendiis patrimonialibus domino militando, ipſamque capellam, facto ſibi ingreſſu, frequentaret, quidam de familia dicti militis putantes ſibi proſpera nuntiare in favorem ejus, impie piis actibus invidentes, mentiti ſunt occultaſſe Dei ſacerdotem theſaurum non modicum in quodam ſcriniolo poſito in capella ipſius, clavigero ſacerdote. Impietatis inſtructu probat avaritia domini ſervorum accuſationem mendacem. Fracto enim ſcriniolo, inventa tantum modo ſunt in eodem liber miſſalis cum calice altaris, veſtes ſacerdotales, & cetera quædam altaris ornamenta, unum cilicium, & duæ virgæ diſciplinales. Quo viſo, prædictus miles multa confuſus eſt verecundia, nec indigne: ea propter vir Iſraëlita Pharaonis importuna moleſtatus in curia, non ſibi videns inter Ægyptios locum, ſive facultatem divini cultus ſuppetere, illinc ſecedere animo tenus divina providentia diffinivit, decernens de fratrum ſuorum conſilio Deo ſe tutius ſerviturum ſub profeſſione & habitu regulari, quam ſic ſæcularium inquietudine fatigari: quod & fecit. Venditis enim omnibus jure ſibi hereditario competentibus in Walecuria, & circa partes illas, aſſumens ſecum matrem & fratres ſuos, patre jam mortuo, domini uſus conſilio dicentis: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quæ poſſides, & da pauperibus, & veni ſequere me*; devenit ad partes circa Sambrinas, pedem ſiſtens in quodam tunc deſerto, quod modo Oigniacum nominatur, loco quidem ſpatioſo ad manendum; de quo curaſſe Jacob legitur patriarcha propter aquæ, pratorum & ſilvarum amminiculationem. Ibidem cum ſuis fixit tabernaculum, ædificata pro viribus domo Dei, inveniens in eodem loco capellam lignis parietibus inſtructam, in honore beati Nicolai fundatam, trium gallinarum redditibus dotatam. Et licet, ſecundum quod ait Gregorius in Moralibus, ſoleat inter fratres ſubſtantia gravioris culpæ fieri cauſa, unde legimus de Abraham & Loth, quod cum eſſet ſubſtantia eorum multa, nequibant habitare communiter: dicti tamen fratres fulti ſubſtantia competenti, primogenitum ex eis ſibi priorem præficientes Ægidium, junctis ſibi aliquot fidelibus, quos Spiritu ſancto Dominus inſpiravit, communia propriis, non propria communibus anteponentes, clericorum beati Auguſtini regulam ſunt profeſſi, cœperuntque vehementer religionis efficaci titulo inſigniri, & magnifice divini numinis

gratia irrorari : adeo ut de diverſis mundi partibus in quas religionis eorum fama diffundebatur, multi ad eos magnates & perſonæ graves renuntiantes ſæculo devenerunt, eligentes potius humiliari cum mitibus, quam dividere ſpolia cum ſuperbis. Inter quos præcipuus & venerabilis vir magiſter JOHANNES DE NIVELLA, quamplurimis legitur virtutibus & miraculis effulſiſſe, ut puta vitiorum nobilis extirpator, pius animarum converſor, & verbi Dei egregius prædicator. Florebat diebus illis Oigniaci pretioſiſſima Chriſti margarita MARIA DE NIVELLA, cujus vitam innumeris virtuoſam miraculis poſteris mandaverunt qui ſuo perſæpe patrocinio ſunt gaviſi. In Dei enim nomine infirmos curavit, leproſos mundavit, dæmones ex obſeſſis corporibus effugavit, cujus etiam veſtis inpræſentiarum reverenter apud nos cuſtodiæ mancipata : mulieres a partu laborantes ipſa circumdante de mortis periculo liberantur, felici puerperio gratulantes. In odore præterea boni nominis filiorum Dei de ſemotis accurrens venerabilis & reverendus pater bonæ memoriæ dominus JACOBUS Tuſculanus & Acconenſis epiſcopus ac ſedis apoſtolicæ cardinalis, probaturus ſi quod hominum inſonuerat auribus ſuper devotione noſtri ſtatus primitivi, fides operibus exhiberet : non famæ, quæ quandoque laborat mendacio, credidit, donec ipſe oculis ſuis vidit & probavit quod media pars ſibi non fuerat nuntiata, ſicut olim regina Saba mirata magnificentiam Salomonis. De gremio quidem eccleſiæ noſtræ per gratiam Dei & propriis meritis ſuffragantibus ad apicem tantæ dignitatis eſt aſſumtus. Ob ſpecialem vero gratiam, & debitæ venerationis affectum, in quibus tamquam matri filius divino præcepto ſe teneri cognoſcebat, multis beneficiis temporalibus & ſpiritualibus eamdem eccleſiam noſtram promovit ; primo ſua corporali præſentia, quando eidem eccleſiæ ſe tradidit, qui jam erat doctor in ſacra theologia conſecratus, & contemtis divitiis ſecularibus elegit conſortium paupertatis. Poſtmodum ad ſtatum perveniens fortunæ dignioris, pannis ſericis, ſanctorum reliquiis & aliis eccleſiæ ornamentis, librorum voluminibus, ac ſedis apoſtolicæ privilegiis non paucis ipſam eccleſiam munivit. Ad ultimum Romæ decedens, corpus ſuum in eccleſia Oigniacenſi intumulari, ſpretismundanis vanitatibus illecebris & honoribus, deſtinavit.

Ægidius primus prior prædictus præfuit eccleſiæ Oigniacenſi pluribus annis, qui cum fratribus ſuis devotiſſime Deo ſervivit ſecundum regulam canonicorum beati patris noſtri Auguſtini, cujus regula & ſtatuta ſequuntur, & etiam in vita ipſorum multa bona acquiſierunt & optime laboraverunt, eccleſiam quidem decenti nobis fabrica fundaverunt, poſteris eam relinquentes conſummandam opere quamplurimum ſumtuoſo. Poſtquam autem diu vixiſſet in fervore religionis, dormivit plenus dierum in ſenectute bona cum patribus ſuis anno ab incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo triceſimo tertio nonas Januarii.

Sequuntur capitula regulæ beati Auguſtini.

De proprietate non habenda 1. &c.

Explicit regula, &c.

BREVIS HISTORIA
ORDINIS FRATRUM PRÆDICATORUM
AUCTORE ANONYMO.

Ex mſ. S. Sabinæ anni 1367. *eruit Mabillonius.*

OBSERVATIO PRÆVIA.

TANTA eſt ordinis Prædicatorum præſtantia, tanta ſunt ejus in eccleſiam benemerita, ut quæcumque ipſum tangunt, vel minima antiquitatis monimenta præterire ſit nobis religio. Quamobrem duas hic ejuſdem ordinis hiſtorias, quas Romæ eruit Mabillonius ex manuſcriptis S. Sabinæ, piis & eruditis lectoribus offerimus; unam quidem brevem, alteram paulo fuſiorem, utramque auctoris nomine deſtitutam. Priorem tamen ab aliquo Teutone ſcriptam ex eo conjicimus, quod priores provinciales provinciæ Saxonicæ accurate retulerit, amore, uti videtur, patriæ, atque ut magis notos, quam aliarum nationum priores. Alterius auctor opus Jacobi de Suſato celeberrimi apud Prædicatores ſcriptoris, in epitomen retulit, interpolavit, continuavitque ad annum uſque MDIV. *eumque fuiſſe Albertum caſtellanum exiſtimat Jacobus* Echart *in Bibliotheca Prædicatorum, quem ſi lubet conſule.*

Duabus hiſce hiſtoriis ſubjunximus Bernardi Guidonis epiſcopi Lodovenſis, & ejuſdem ordinis non vulgaris ſcriptoris, libellum de Magiſtris *ſive præpoſitis generalibus fratrum Prædicatorum, & de prioribus provincialibus provinciæ Provinciæ ſeu Toloſanæ, atque etiam hiſtoriam ab eo compoſitam de fundatione conventuum ejuſdem provinciæ, quam ſuppeditavit nobis codex mſ. olim Stephani Baluzii, nunc bibliothecæ regiæ. Eam etiam ſequetur conventus Pariſienſis brevis hiſtoria ex codice Victorino.*

I. *De initio ordinis fratrum Prædicatorum.*

BEatus Dominicus ordinis fiatrum Prædicatorum magiſter & inſtitutor, fuit natione Hiſpanus, de villa quæ dicitur Karaloga Oxonienſis diœceſis, vir ſcientia Dei plenus, vita ſincerus, religione conſpicuus. Incœpit autem ordinem Prædicatorum mente concipere & mente tractare in partibus Toloſanis a primordio computando, quo A primum Toloſam advenit anno Domini MCCII. pontificatus domini Innocentii tertii anno ſexto, qui ſedit XVIII. annis, menſibus IV. diebus XXII. Perſeveravit autem beatus Dominicus ſolus cum paucis ſibi adhærentibus ibidem indefeſſa continuatione prædicationis, redeuntibus ad propria legato ſedis apoſtolicæ & duodecim abbatibus ordinis Ciſtercienſis, domino Didaco Oxonienſi epiſcopo, qui ad prædicandum illuc contra

pravitatem hæreticam missi fuerant, per annos x. videlicet usque ad tempus Lateranensis concilii quod celebratum fuit anno Domini MCCXV. sub eodem Innocentio, mense Novembri. Profectus est itaque B. Dominicus cum domino FULCONE episcopo Tolosano ad concilium, cum quo adiit dominum Innocentium papam, petens ut sibi dignaretur ordinem confirmare, qui Prædicatorum diceretur & esset.

Responsum ut ad fratres suos rediens invocato Spiritu-sancto, aliquam regulam approbatam eligerent, & sic quod peteret impetraret. Convocans igitur apud Prulianum fratres, qui tunc erant numero sexdecim, regulam B. Augustini doctoris & prædicatoris præcipui elegerunt; qua electa, Romam rediens, apud Perusium dominum Innocentium defunctum invenit, & HONORIUM III. in papam electum, a quo ordinis confirmationem impetravit. Anno Domini MCCXVI. IX. cal. Januarii in crastino beati Thomæ apostoli Romæ apud S. Petrum confirmatus est ordo prædicti Honorii papæ anno primo.

II. *De his qui cum beato Dominico regulam elegerunt.*

Hic autem ponere libet nomina de his qui cum beato Dominico regulam elegerunt. Primus frater Matthæus Gallicus, vir doctus, & ad docendum paratus, qui fuit primus postmodum & ultimus in ordine nostro albus. Hunc misit B. Dominicus quando fratres dispersit de Tolosa, cum fratre Bertrammo, cum litteris summi pontificis Parisius ad publicandum ordinem confirmatum. Qui venerunt Parisius circa principium Octobris anno Domini MCCXVII. Secundus frater Bertrammus de Garvia, pervigil, vir sanctitatis magnæ & rigoris circa seipsum, carnisque suæ mortificator acerrimus. Hujus corpus post XXIV. annos de terra levatum integrum & incorruptum est repertum, & in domo quarumdam sanctimonialium honorifice conditum, & usque hodie permanet & servatur incorruptum. Tertius frater Petrus *Celam* civis Tolosanus, vir peroptime personatus, constans & rectus. Hic longo tempore vivens, multum fructum fecit in ordine. Quartus frater Thomas Tolosanus. Hi duo B. Dominico ad concilium proficiscenti se obtulerunt, & frater Petrus insignes domos quas Tolosæ habebat obtulit beato Dominico & ejus sociis. A quo tempore cœperunt primum apud Tolosam in eisdem commorari. Quintus frater Manees Hispanus, uterinus frater sancti Dominici & sanctitatis ipsius puriſſimus imitator. Hic fuit vir contemplativus, qui diu in ordine serviens beato fine quievit. Hic obiit & quiescit in quodam monasterio albo-rum monachorum in Hispania, ubi virtutibus & miraculis claruit. Sextus frater Michaël, vir contemplativus. Septimus frater Dominicus Hispanus, alius a B. Dominico. Hic fuit qui individuus comes B. Dominici in partibus Tolosanis fuit, vir humilitatis eximiæ, parvus scientia, sed virtute magnificus. Hic aliquando a muliere sollicitatus, respondit, Vade & ad tempus revertere, parabo locum ubi convenire possimus. Intrans igitur in cubiculum, duos ignes præparat hinc & inde vicinos ad invicem, & veniente meritricula seipsum prostravit in medio, ipsamque hortatur ut veniat. En, inquit, locus tanto facinori. Quæ videns compuncta recessit, & quod mirabile fuit, ignis materialis, qui fratrem non combussit, ignem libidinis in muliere extinxit. Octavus frater Johannes de Navarra. Nonus frater Laurentius Anglicus. Decimus frater Stephanus Metensis, carnis suæ rigidus macerator. Undecimus frater Odorius Normannus conversus. Duodecimus frater Wilhelmus Clareti. Hic fuit unus de sociis & sequacibus prematuris B. Dominici in prædicationis officio ei adhærentibus: frater Petrus Madicensis, frater Gnomecius, frater Michaël alius a prædicto Michaële. De istis tribus ultimis certum non est quod cum illis qui regulam elegerunt fuerint. Notandum est autem qualiter per mundum universum prædicaturi per B. Dominicum de diversis mundi nationibus sunt collecti.

III. *De causa quare ordo vocatur fratrum Prædicatorum.*

De nomine quoque quare Prædicatorum fratrum ordo dicatur aliquid est dicendum. Siquidem juxta verbum B. Ambrosii, affectus tuus operi tuo nomen imponit. Hi duo affectus & opus matri ejus in catulo facula ardente mundum succendente, sunt ostensa. Celebrato siquidem Lateranensi concilio anno Domini MCCXV. summus pontifex ordinans quædam circa negotium fidei in partibus Tolosanis agenda, decernens super his scribere Dominico & his qui cum eo erant, accito notario dixit ei: Sede, scribe super his *fratri Dominico & sociis ejus* in ista verba. Et stans paululum, Noli, inquit, sic scribere, sed hoc modo, *Fratri Dominico & cum eo Prædicatoribus in partibus Tolosanis.* Statimque aliquamdiu plus considerans, Sic, inquit, scribe: *Magistro Dominico & fratribus Prædicatoribus*, & citius surrexit. Sic dixit Dominus, sic scripsit notarius. Nutu Dei tunc præsens Romæ aderat sanctus pater, qui audito verbo vicarii JESU CHRISTI, gavisus est valde. Nam deinceps in curia & ubique ipse & filii sui cœperunt se Fratres Prædicatores vocare, cœperuntque in curia & ubique ab omnibus sic vocari.

IV. *De habitu ordinis nostri.*

Verum quia habitus ordinis niger videtur cœlitus demonstratus, potius quam hu-

mana induſtria inventus, conſequenter dicendum unde ordini huic hic habitus eſt candidus. Sciendum igitur quod B. Dominicus & alii primitivi fratres aliquamdiu ſuperpelliciis uſi ſunt ad modum reliquorum canonicorum regularium: demum magiſtro Reynaldo decano ſancti Aniani Aurelianenſis ſuper ordinis ingreſſu cum B. Dominico conferente, eodem magiſtro graviter decumbente, deſperantibus medicis, nocte quadam beata Virgo ei apparens, ſalutari unctione perunctum ſanavit, eique habitum ordinis oſtendens, ait: *En habitus ordinis tui.* Qua revelatione pateſacta, fratres ordinis habitu cœlitus deſignato uti cœperunt. Venerabilis etiam abbas JOACHIM Florinenſis ordinis inſtitutor, fratribus ſuis habitum quem dictus magiſter Reynaldus a B. Virgine acceperat, prophetice demonſtrans, in quodam monaſterio ordinis ſui depingi fecit in Calabria, dicens: Cito ſurrecturus eſt in eccleſia Dei ordo novus docentium, cui præerit unus major, & cum eo & ſub eo erunt duodecim præfatum ordinem regentes: quia ſicut patriarcha Jacob cum duodecim filiis ingreſſus eſt Ægyptum, ſic ipſe cum illis duodecim in illo ordine poſt ipſum majoribus ingredietur, & illuminabit mundum. Parcat illi Dominus, qui cauſam & occaſionem dederit ut per provinciarum diviſionem hic propheticus & apoſtolicus numerus tolleretur.

V. *De hoc quod multi etiam prælati ordinem ſunt ingreſſi.*

Divina præterea providentia beatum virum Dominicum, ſecundum quod de beato Job ſcriptum eſt, *Scies quod multiplex erit ſemen tuum, & progenies tua ut herba terræ*, nobili prole fecundavit. Diſpergente namque beato viro fratres ſuos, tamquam quoſdam radios, immo quædam luminaria, ubique terrarum cœperunt ſubmittere corda & corpora ſuavi jugo Chriſti, decani, primates, archidiaconi, abbates, priores, cantores, monachi & canonici regulares, diverſarum facultatum doctores, & aliæ perſonæ vita & ſcientia eminentes, qui intra breve tempus provincias omnes ultra mare & citra fratribus ordinis ordinaverunt, & civitates ac villas magnas eccleſiis & collegiis repleverunt.

VI. *De ſummis pontificibus aſſumtis de ordine.*

Habuit ſacroſancta Romana eccleſia de fœcunditate prolis hujus primo dominum INNOCENTIUM V. creatum apud Aretium Tuſciæ civitatem anno Domini MCCLXXXV. in feſto ſanctæ Agnetis, vita, ſcientia, moribus excellenter ornatum. Hic infra ſex menſes a creatione ſua Romæ obiit. Habuit ſecundo dominum BENEDICTUM, qui prius dictus frater Nicolaus de Terviſio, natione Lombardus. Aſſumtus eſt autem ad papatum anno Domini MCCCIII. XI. cal. Novembris. Sedit autem menſibus VIII. diebus XVII. migravit autem apud Peruſium nonis Julii, ſepultuſque eſt in eccleſia fratrum, cœpitque clarere miraculis.

VII. *De cardinalibus aſſumtis de ordine.*

Habuit hæc etiam ipſa Romana eccleſia de ordine Prædicatorum venerabiles cardinales, qui ſequuntur: Primum omnium dominum fratrem HUGONEM DE CARO diœceſis Viennenſis, magiſtrum in theologia, quem propter vitæ & ſcientiæ famam Innocentius papa IV. aſſumſit de provincialatu Franciæ in preſbyterum cardinalem tituli S. Sabinæ tempore magiſtri ordinis fratris Johannis Theutonici, anno Domini MCCXLIV. Fratrem ANIBALDUM Romanum, magiſtrum in theologia, quem aſſumſit in preſbyterum cardinalem baſilicæ XII. apoſtolorum dominus URBANUS papa IV. anno Domini MCCLXI. Vixit autem cardinalis circiter X. annis. Fratrem PETRUM DE TARENTASIA magiſtrum in theologia, primo priorem provincialem, deinde archiepiſcopum Lugdunenſem, quem deinde aſſumſit in cardinalem epiſcopum Hoſtienſem dominus GREGORIUS papa X. anno Domini MCCLXXIV. infra octavam Pentecoſtes, poſtea papa INNOCENTIUS appellatus eſt. Fratrem ROBERTUM Anglicum magiſtrum in theologia, primo archiepiſcopum Cantuarienſem & primatem Angliæ, quem inde aſſumſit in cardinalem epiſcopum Portuenſem dominus Nicolaus papa III. pontificatus ſui anno I. Fratrem LATINUM Romanum, prudentem & cordatum virum, quem fecit cardinalem epiſcopum Hoſtienſem memoratus dominus Nicolaus anno Domini MCCLXXVIII. hic obiit cardinalatus ſui anno XVII. menſe Novembri. Fratrem HUGONEM de Bilonnio Claromontenſis diœceſis. Hunc fecit cardinalem preſbyterum dominus Nicolaus papa IV. anno Domini MCCLXXXVIII. Hunc poſtmodum fecit epiſcopum Hoſtienſem dominus Cæleſtinus papa V. defuncto prædicto domino Latino. Hic obiit anno cardinalatus ſui VIII. Fratrem NICOLAUM de Tarviſio Lombardum, quem aſſumſit de magiſtro ordinis dominus Bonifacius VIII. in preſbyterum cardinalem tituli S. Sabinæ Reatæ nonis Decembris, anno Domini MCCXCIX. quem poſtmodum tranſtulit & fecit epiſcopum Hoſtienſem, anno Domini MCCCII. poſtmodum ſummus pontifex creatus BENEDICTUS XI. eſt vocatus. Fratrem NICOLAUM DE PRATO epiſcopum Spoletanum aſſumſit & fecit cardinalem epiſcopum Hoſtienſem dominus Benedictus papa XI. in adventu domini anno Domini MCCCII. Fratrem GALTERUM Anglicum confeſſorem domini regis Angliæ. Hunc aſſumſit & fecit cardinalem, idem dominus Benedictus XI. in jejuniis quatuor temporum poſt cineres, anno Domini MCCCII. Hic nondum habens titulum nec annulum,

nulum, nec capellam. Obiit Januæ VI. cal. Septembris, ſepultuſque eſt in eccleſia fratrum. Elegit autem inde transferri & ſepeliri in conventu fratrum in Londinis in Anglia unde fuerat aſſumtus. Fratrem NICOLAUM DE FRAMALA confeſſorem tunc regis Franciæ. Hunc fecit cardinalem tituli S. Euſebii dominus Clemens papa V. in Lugduno anno Domini MCCCV. XVIII. calendas Januarii. Fratrem THOMAM Anglicum, magiſtrum in theologia. Hunc fecit preſbyterum cardinalem tituli ſanctæ Sabinæ idem papa Clemens V. in Lugduno, ubi præſentes erant, anno Domini MCCCV. XVIII. cal. Januarii. Hic frater THOMAS fuit provincialis Angliæ, habuitque ſecum VI. fratres carnales in ordine. Fratrem GUILLELMUM PETRI Baionenſem de provincia Toloſana, magiſtrum in theologia. Hunc aſſumſit de lectoratu cujiæ in cardinalem preſbyterum tituli ſanctæ Ceciliæ idem papa Clemens V. quem poſtea tranſtulit, & fecit epiſcopum cardinalem Sabinenſem dominus Johannes papa anno Domini MCCCXVII. hic fuit multo tempore cardinalis. Matthæum Urſini Romanum creavit preſbyterum cardinalem papa Johannes XXII. Avenione ſub titulo ſanctorum Johannis & Pauli anno MCCCXXVII. erat archiepiſcopus Sipontinenſis, & poſtea fuit epiſcopus Sabinenſis in cardinalatu. Gerardum de Domaro Lemovicenſem Gallicum creavit preſbyterum cardinalem tituli ſanctæ Sabinæ Clemens VI. ejus patruus ex generali magiſtro ordinis anno MCCCXLII. menſe Septembri. JOHANNEM DE MOLENDINIS Gallicum creavit preſbyterum cardinalem tituli ſanctæ Sabinæ idem Clemens VI. Avenione anno jubilæi MCCCL. ex generali magiſtro ordinis. NICOLAUM ROSELLI Cathalanum de provincia Aragoniæ creavit preſbyterum cardinalem tituli ſancti Sixti Innocentius VI. Avenione, anno MCCCLII. ante feſtum Natalis. Fuerat prius in dicto regno inquiſitor hæreticæ pravitatis. GUILLELMUM SUDRE Toloſanum creavit cardinalem epiſcopum Hoſtienſem Urbanus V. Avenione, anno MCCCLXVI. erat epiſcopus Marſiliæ & fuerat prius magiſter ſacri palatii. Poſt hos creati ſunt cardinales diverſis locis & temporibus ſequentes, videlicet, NICOLAUS DE NEAPOLI inquiſitor ſub titulo ſancti Cyriaci, PHILIPPUS Romanus pœnitentiarius Urbis tituli ſanctæ Suſannæ, NICOLAUS de SATURNINO Gallicus tituli ſancti Angeli, JOHANNES DE NOVO-CASTELLO Aragonenſis tituli ſancti Sixti, JOHANNES DOMINICI de Florentia tituli ſancti Sixti, JOHANNES DE CASA-NOVA Cathalanus tituli ſancti Sixti, JOHANNES DE TURRECREMATA Hiſpanus, tituli S. Mariæ trans-Tyberim.

VIII. *De fratribus qui fuerunt interfecti pro fide Chriſtianâ.*

Ut autem ordinate de hac prolis fecunditate dicam, imprimis de hiis qui pro pietate fidei & obedientia ſacro-ſanctæ Romanæ eccleſiæ paſſi ſunt, & ſuo ſanguine ordinem purpuraverunt eſt agendum. In harum ſiquidem acie primum locum obtinuit dignitate ſcilicet, ſed non tempore, frater PETRUS Veronenſis, qui prior Comanus exiſtens, a domino Innocentio papa IV. inquiſitor miſſus eſt contra hæreticam pravitatem. Paſſus eſt autem ab hæreticis anno Domini MCCLII. nonas Aprilis ſabbato in Albis. Fuit autem catalogo ſanctorum ab eodem Innocentio eodem paſſionis ſuæ anno, Dominica prima Quadrageſimæ ſequentis aſcriptus, quæ tunc contigit VIII. idus Martii. Feſtum verò mutatum fuit propter celebritatem Dominicæ Reſurrectionis, quæ ut ſæpius tunc occurrit, & inſtitutum eſt celebrari in III. kalendis Maii, paſſus eſt cum eo ſocius ſuus frater Dominicus, qui ibidem lethaliter vulneratus, quinta die cœlum petivit ſanguine laureatus. Cum ordo Prædicatorum ſit a beato Dominico contra hæreticos & errores ſpecialiter inſtitutus Toloſæ, fratres de partibus illis multis annis in frigore & fame & ſiti & tribulationibus multis impugnaverunt, contra illos & contra tyrannos qui hæreticos defendebant. Tandem Gregorius nonus inquiſitionem contra hæreticos commiſit anno Domini MCCXXXIII. X. kal. Maii, pontificatus ſui anno VII. Hujus rei cauſa multi ſe fratres periculis expoſuerunt. Nam fratres in Toloſa poſt multa quæ paſſi ſunt de civitate, cum injuria expulſi ſunt. Domus fratrum in Narbonia deſtructa eſt, & etiam libri lacerati, & in aliis pluribus locis capti, ſpoliati ſunt. Anno Domini MCCXLII. IV. kal. Junii, apud Avinionem paſſus eſt ab hæreticis frater GUILLELMUS ARNALDI, & ſecum duo fratres, ſcilicet BERNARDUS DE RUPEFORTI, & GARSIAS DE AURA. Eodem tempore paſſus eſt apud Virgellum Cathalaniæ, frater PONCIUS Hiſpanus. Paſſus eſt etiam frater PACANUS anno Domini MCCLXXVII. in natali ſancti Stephani. Paſſi ſunt etiam ſub perſecutione Tartarorum in partibus tranſmarinis circiter XC. quorum alii gladiis, alii ſagittis, alii lanceis interfecti ſunt, alii ignibus concremati. In Antiochia cum caperetur, paſſus eſt STEPHANUS epiſcopus cum aliis IV. fratribus. Ante hanc captivitatem in eiſdem partibus paſſi ſunt frater GUIDO & ſocii ejus. Præter hos numeratos & quorum nomina neſciuntur, paſſi ſunt circiter CVII. fratres.

IX. *De magiſtris ordinis Prædicatorum.*

Primus & præcipuus dominus & magiſter ordinis fratrum Prædicatorum fuit beatus DOMINICUS, cui fuit ordo confirmatus

& ipſe ordini in magiſtrum a domino Honorio papa III. anno Domini MCCXVI. in craſtino ſancti Thomæ apoſtoli. Hic Honorius fratribus plura privilegia dedit, & eccleſias, decimas & caſtra, & poſſeſſiones, quas beato Dominico dominus PETRUS archiepiſcopus Narbonenſis, & dominus FULCO epiſcopus Toloſanus, & dominus SIMON comes Montis-fortis contulerant, confirmavit. Supervixit autem beatus Dominicus a confirmatione ordinis annis IV. menſibus VII. diebus XV. obiit autem apud Bononiam poſt ſecundum capitulum, quod ipſe celebraverat anno Domini MCCXXI. decubuit autem & obiit in lecto fratris Monetæ, quia lectum proprium non habebat & in ejuſdem fratris Monetæ tunica obiit, quia cum qua mutaret illam quam diu portaverat, aliam non habebat. Hunc dominus HUGOLINUS cardinalis epiſcopus Hoſtienſis apoſtolicæ ſedis legatus tradidit ſepulturæ, & poſtea papa factus & Gregorius IX. appellatus, catalogo ſanctorum aſcripſit apud Reatem Tuſciæ civitatem.

Secundus magiſter ordinis fuit frater JORDANUS Theutonicus. Hic electus fuit in tertio capitulo generali Pariſius celebrato anno Domini MCCXXII. erat autem tunc prior provincialis Lombardiæ. Nam hoc magiſtro fuit ordo merito & numero dilatatus. Hic annis fere XV. regens & dirigens ordinem mille fratres & amplius manu ſua fertur recepiſſe & habitum induiſſe. Hic litteras primus ad provincias a capitulo generali miſit. Nam ab ipſo fratres primo ad legendum Pariſius licentiati ſunt & duas ſcolas habuerunt. Hic vir beatus, dum ad terram ſanctam viſitandam tranſiret, ſubmerſus eſt cum ſociis ſuis anno Domini MCCXXXVI. idibus Februarii, & ob hoc non fuit celebratum capitulum generale illo anno. Sepultus eſt autem in Acone ubi multis claret miraculis.

Tertius magiſter fuit frater RAYMUNDUS, Cathalanus Barcinonenſis electus in capitulo generali Bononiæ celebrato anno Domini MCCXXXVIII. ipſe vero in capitulo præſens non erat. Hic conſtitutiones, prædicationes, & capitula ordinavit. Hic cum per biennium rexiſſet ordinem, propter nimiam debilitatem ſuam, ad ſuam magnam inſtantiam fuit a magiſterio abſolutus in capitulo generali Bononiæ celebrato anno Domini MCCXL. ex qua abſolutione tanta ſequuta eſt turbatio, quod ſtatutum fuit, quia magiſtri non amoverentur in poſterum niſi ob impedimenta perpetua. Supervixit autem in conventu Barcinonenſi annis XXXVI. ubi quievit in Domino in die Epiphaniæ anno Domini MCCLXV. multis coruſcans miraculis.

Quartus magiſter ordinis fuit frater JOHANNES Theutonicus, quondam epiſcopus Boſnevenſis in Hungaria. Hic electus fuit in capitulo generali Pariſius celebrato anno Domini MCCXLI. Hic provincialis Hungariæ exiſtens factus epiſcopus ceſſionem impetravit & poſtea provincialis Lombardiæ electus eſt magiſter, qui cum reniteret & ſe epiſcopali exemtione defenderet, per privilegium dñi Gregorii, quod tunc fratres propter hoc ipſum impetraverant, compulſus eſt officium ſuſcipere. Hic vir Deo plenus ac in omni ſanctitate conſpicuus, fertur vivus & mortuus miraculis claruiſſe. Hic cum præfuiſſet annis XII. & dimidio migravit ad Dominum anno Domini MCCLIII. in conventu Argentinenſi pridie nonas Novembris, & ob hoc non fuit generale capitulum celebratum illo anno.

Quintus magiſter ordinis fuit magiſter HUMBERTUS electus apud Budam Hungariæ anno Domini MCCLIV. Fuit autem tunc provincialis Franciæ. Hic vir Dei cunctis aſpicientibus fuit gratioſus & religionis exemplum & imago. Hujus inſtantia diſſenſio quæ Pariſius inter magiſtros & fratres occaſione Guillelmi de ſancto Amore nata eſt, a domino papa IV. eſt ſopita. Revocavit etiam idem Alexander in principio ſuæ promotionis, conſtitutionem gravem contra fratres ab Innocentio editam ad preces ejus. Hic cum præfuiſſet annis IX. ceſſit magiſterio in capitulo Londinis in Anglia celebrato, anno Domini MCCLXIII. ſupervixit autem annis XV. obiitque plenus operibus bonis in conventu Valentino provinciæ Provinciæ, anno Domini MCCLXXVII. pridie idus Julii.

Sextus magiſter ordinis fuit frater JOHANNES de Vercellis electus in capitulo generali Pariſius celebrato anno Domini MCCLXIII. erat autem provincialis Lombardiæ. Hic vir magnæ prudentiæ & experientiæ, fama & opinione præclarus, & optimis moribus notus. Hic fecit transferri corpus beati Dominici in arcam marmoream, in qua nunc quieſcit, quam ipſe fieri procuravit. Facta eſt autem hæc ſecunda tranſlatio in capitulo generali Bononiæ anno Domini MCCLXVII. præfuit autem annis fere XX. obiitque in Monte-Peſſulano anno Domini MCCLXXIII. pridie cal. Decembris, & ideo non fuit illo anno celebratum capitulum generale.

Septimus magiſter ordinis fuit frater MUNIO electus in capitulo generali Bononiæ celebrato anno Domini MCCLXXXV. Erat autem tunc provincialis Hiſpaniæ. Hic præfuit annis VI. & ſeptimo fuit a magiſterio abſolutus per litteras domini Nicolai papæ IV. ſibi & ordini deſtinatas anno Domini MCCXCI. fuitque aſſumtus in epiſcopum Palentinum in Hiſpania. Tandem ad curiam evocatus, fuit ab epiſcopatu abſolutus per Bonifacium papam VIII. denique manens in curia in conventu fratrum, obiit anno Domini MCCXCIX. pridie idus Martii.

Octavus magiſter ordinis fuit frater STEPHANUS in theologia magiſter, electus in ca-

pitulo generali in Colonia assignato, sed A post per papam Romam translato anno Domini MCCXCII. Erat autem prior provincialis Franciæ. Præfuit annis duobus & fere dimidio, obiitque in conventu Lucano Romanæ provinciæ, anno Domini MCCXCIV. in die beatæ Ceciliæ, & ideo non fuit celebratum generale capitulum illo anno.

Nonus magister ordinis fuit frater NICOLAUS de Trevisio, electus in capitulo generali Argentinæ celebrato anno Domini MCCXCVI. Erat autem tunc provincialis Lombardiæ. Hic XIV. ætatis suæ anno venit ad ordinem, XIV. annis studuit, XIV. legit, XIV. præfuit B in prælatione. Post hæc assumtus ad cardinalatum, deinde summus pontifex est assumtus, & BENEDICTUS XI. appellatus. Hic obiit apud Perusium anno Domini MCCCIV. nonis Julii.

Decimus magister ordinis fuit frater ALBERTUS Januensis, baccalaureus in theologia, electus in capitulo generali Marsiliæ celebrato anno Domini MCCC. in vigilia sancti Augustini.

Undecimus magister ordinis fuit frater BERNARDUS electus in capitulo generali Coloniæ celebrato anno Domini MCCCI. Erat C autem prior provincialis Provinciæ. Hic præfuit annis duobus, mensibus IV. obiitque in conventu Trevirensi anno Domini MCCCIII. in die B. Lamberti.

Duodecimus magister ordinis fuit frater AYMERICUS electus in capitulo celebrato Tolosæ anno Domini MCCCIV. Erat autem tunc lector Bononiensis, electus in provincialem Græciæ. Cessit autem magisterio in capitulo generali Neapoli celebrato anno Domini MCCCXL.

Tertius decimus magister ordinis fuit fra- D ter BERENGARIUS, magister in theologia, electus in capitulo generali Carcassonæ celebrato anno Domini MCCCXII. Erat autem tunc prior provincialis Tolosanus. Hunc magistrum misit legatum in Franciam dominus Johannes papa XXII. & propter hoc non fuit in capitulo generali in Pampilonia celebrato anno Domini MCCCXVII. Ei idem dominus Johannes papa eodem anno contulit archiepiscopatum Compostulanum circa festum exaltationis sanctæ Crucis.

Quartus decimus magister ordinis fuit fra- E ter ERVEUS BRITO magister in theologia, qui obiit anno Domini MCCCXXIII.

Quintus decimus magister ordinis fuit frater BARNABAS electus in capitulo generali Burdegalensi, qui mortuus fuit Parisius anno Domini MCCCXXXIII. post festum Michaëlis, & illo anno non fuit capitulum generale.

Sextus decimus magister ordinis fuit frater HUGO Gallicus, magister in theologia, electus in Avenione anno Domini MCCCXXXII. Hic obiit anno Domini MCCCXLI. in Avenione VI. die Aug. hoc est in crastino S. Dominici.

Decimus septimus magister ordinis fuit frater GERALDUS de Domaro, baccalaureus Parisiensis, electus Carcassonæ in capitulo generali anno Domini MCCCXLII. & eodem anno assumtus in cardinalem tituli sanctæ Sabinæ per dominum Clementem papam VI. XX. die Septembris.

Decimus octavus magister ordinis fuit frater PETRUS de Palma, magister in theologia, electus in capitulo Pisensi anno Domini MCCCXLIII. Hic obiit anno Domini MCCCXLV. Parisius, prima die Martii, & propter hoc illo anno non fuit capitulum generale.

Decimus nonus magister ordinis fuit frater GARINUS, magister in theologia & provincialis tunc Franciæ, electus in capitulo Brivensi anno Domini MCCCXLVI. III. die mensis Junii. Hic obiit anno Domini MCCCXLVIII. circa festum Mariæ Magdalenæ in conventu Montis-Miliani.

Vigesimus magister ordinis fuit frater Johannes de Molendinis, magister in theologia, & lector sacri palatii, electus in capitulo Barchinonensi anno Domini MCCCXLIX. Hunc assumsit in cardinalem tituli sanctæ Sabinæ dominus Clemens VI. anno Domini MCCCL.

Vigesimus primus magister ordinis fuit frater Simon Lingonensis, magister in theologia, tunc provincialis Franciæ, electus in conventu Castrensi Tolosanæ provinciæ anno Domini MCCCLX. prædicto magistro in legatione per dominum Innocentium papam ad imperatorem exeunte, per diffinitores capituli generalis in conventu Perpiniani provinciæ Provinciæ celebrati, a magisterio, eo absente, absolutus est: sed cum data sua absolutio ad Romanam curiam esset deducta, per eumdem dominum Innocentium declarata est irrita fuisse & inanis, post lapsum autem temporis dominus papa præfato magistro providit de ecclesia Nivernensi, quam recusavit; deinde de ecclesia Carnotensi, quam consequutus non est, quia deprehensum est episcopum illius ecclesiæ nondum ex hac vita migrasse. Tandem provisum est ei de ecclesia Nannetensi, quam humiliter acceptavit, & ordinis magisterium resignavit anno Domini MCCCLXVI.

Vigesimus secundus magister ordinis fuit frater Helias Raymundi, magister in theologia de provincia Tolosana, electus in conventu Avenionensi provinciæ Provinciæ anno Domini MCCCLXVII. Hic transtulit corpus beati Thomæ de Italia Tolosam.

Vigesimus tertius magister ordinis fuit frater Raymundus de Capua electus Bononiæ, vivente Helia, ob schisma ecclesiæ pro obedientia Urbani VI. anno Domini MCCCLXXX. Hic fuit confessor Catharinæ Senensis, & vix cœpit ordinem reformare.

Vigesimus quartus magister ordinis fuit frater Thomas de Firma Lombardus, electus post Raymundum tertium anno MCCCC.

Vigeſimus quintus fuit frater Leonardus Staci Florentinus, magnus prædicator, electus Florentiæ poſt Thomam MCCCCXIV. Sub hoc facta eſt unio eccleſiæ & ordinis.

Vigeſimus ſextus fuit frater Bartholomæus Fexerri de provincia Provinciæ, electus Bononiæ MCCCCXX. per viam compromiſſi. Hic rexit ordinem annis XXIV.

Vigeſimus ſeptimus fuit frater Petrus Rochini Gallicus, electus Lugduni anno MCCCCL, Obiit infra menſem.

Vigeſimus octavus fuit frater Guido Flamocheti Gallicus, electus Romæ MCCCCLI. Migravit infra annum. Neapoli.

Vigeſimus nonus fuit frater Martialis Auribelli Avenionenſis, electus Nannetis M. CCCC. III. Hic depoſitus fuit a papa Pio II. nono anno generalatus.

Trigeſimus fuit frater Conradus de *Aſti*, Lombardus. Hic poſt tres annos magiſterio ceſſit, & Marſiliæ eſt iterum reaſſumtus Novarræ anno MCCCCLXV.

Trigeſimus primus fuit frater Leonardus de Manſuetis, Peruſinus, electus Romæ ex lectore ſacri palatii anno MCCCCLXXIV.

Trigeſimus ſecundus fuit frater Salutis Caſſeta Siculus, Panormitanus, electus Romæ ex lectore ſacri palatii anno MCCCCLXXXI. Hic fuit legatus in Germania Sixti papæ. Romæ quieſcit.

Catalogus Prædicatorum provincialium provinciæ Saxoniæ.

Anno Domini MCCCXI. in capitulo provinciali apud Erphordiam fuit electus primus provincialis Saxoniæ magiſter Echardus, qui fuit abſolutus apud Neapolim anno Domini MCCCXI. & miſſus Pariſius ad legendum.

Secundus fuit frater Johannes de Buſcho electus in Preſlavia, & quia magiſter Aymericus in capitulo generali magiſterio ceſſavit, quem tres de capitulo antiquiores fratres, videlicet frater Johannes de Tornace, Ludolphus de *Lypſic*, & Conradus de *Eyn* confirmaverunt. Obiit autem in Myſna anno Domini MCCCXV. III. nonas Decembris, & in *Uriberch* in choro fratrum ſepultus.

Tertius fuit frater Annotous de Templum electus apud Mindam, ubi electores convocaverat frater Johannes prior Sundenſis, vicarius provinciæ, anno Domini MCCCXIV. feria VI. ante Dominicam in Paſſione. Hic per litteram abſolutus fuit per capitulum generale immediate apud Montem-Peſſulanum anno Domini MCCCXVI. Retinuit autem litteram uſque ad capitulum Lyptenenſe, ubi lecta fuit in die XI. millium Virginum.

Quartus fuit frater Hartingus ibidem electus anno Domini MCCCXVI. & fuit abſolutus in capitulo generali apud Venetias celebrato anno Domini MCCCXXV.

Quintus fuit frater Henricus de *Lubeke*, electus apud Erphordiam in capitulo provinciali idibus Septembris anno Domini M. CCC. XXXV. & in capitulo apud Brugis celebrato anno Domini MCCCXXXVI. fuit abſolutus.

Sextus fuit frater Johannes *de Meleberch*, baccalaureus in theologia, electus in capitulo *Uribergn.* anno Domini MCCCXXXVI. & fuit abſolutus in capitulo Mediolanenſi anno Domini MCCCXL.

Septimus fuit frater Brochardus *de Wiſenſe*, electus in *Martburch* anno Domini MCCCXL. vigeſima ſecunda menſis Julii, & fuit abſolutus in capitulo Montis-Peſſulani anno Domini MCCCL. XXII. die menſis Maii.

Octavus fuit frater Corardus de *Alberſtat*, magiſter in theologia, electus in capitulo Gotingenſi anno Domini MCCCL. ultima die menſis Octobris. Hic abſolutus fuit in capitulo generali Narbonenſi anno Domini M. CCC. LIV.

Nonus fuit frater Coradus *Herle*, electus in capitulo Tremonienſi anno Domini M. CCC. LIV. VII. die menſis Septembris. Hic obiit provincialis in Soſato, ibidem ſepultus anno Domini MCCCLXIX. die ... menſis Martii.

Decimus fuit frater Waltherius *Herlinger*, magiſter in theologia & inquiſitor hæreticæ pravitatis, electus in capitulo Rupinenſi anno Domini MCCCLXIX. Hic obiit provincialis in Erphordia anno Domini MCCCLXXIII. & ibidem in choro fratrum ſepultus.

Undecimus fuit frater Hermannus *Hetſtede*, inquiſitor hæreticæ pravitatis, electus in capitulo Soſatenſi anno Domini MCCCLXXIV. Mortuus in Avenione in eccleſia fratrum ſepultus anno MCCCLXXVI.

Duodecimus fuit frater Henricus *Halberti* de conventu *Hyvvarden.* hæreticæ pravitatis inquiſitor, & magiſter in theologia creatus in capitulo Hamburgenſi anno Domini M. CCCLXXVI. & in capitulo Tremonienſi anno Domini MCCCLXXXII. per litteram abſolutus. Hic obiit in conventu Gergiis, & in Hywardem tranſlatus ante majus altare ſepultus eſt.

Tertius decimus fuit frater Gerardus *de Buren*, Hywrdenſis, magiſter in theologia. Hic Pariſius legit ſententias.

BREVISSIMA CHRONICA RR. magiſtrorum Generalium ordinis Prædicatorum.

DOminus noſter & Salvator JESUS CHRISTUS verus Samaritanus, infundens miſericordiſſime ſauciato vulneribus pleno vinum & oleum; immo ut verus pater familias, meſſem videns quamplurimam, operarios autem paucos, noviſſime diebus iſtis miſit operarios in meſſem ſuam, poſuit quoque meſſores ad fructus uberes in agro Dominico colligendos, fratres de ordine Prædicatorum, qui prædicando verbo pariter & exemplo, confeſſiones audiendo, ac per alia virtutum

exercitia, hæreticorum propulſarent vitia & exſtirparent, mundum errabundum verbo doctrinæ illuſtrarent, tenebris fugatis. Qui ſupradicti fratres cum adhuc floruit caritas, affuit benignitas, viguit hominum compaſſio, in ſpiritus fervore abjectis ſarcinis mundanarum facultatum, calceati pedes in præparatione evangelii, pro proximorum ſalute, multis laboribus & vigiliis ac periculis non ſolum apud Chriſtianorum nationes, verum in diverſarum regionum partes ſe diſperſerunt, morti ſe pro Chriſto expoſuerunt, & quotidie perſeverant reddere Domino populum acceptabilem in terris infidelium, Sarracenorum, paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Tirorum, Iberorum, Gazarorum, Gothorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Perſarum, Indorum, Tartarorum aliarumque infidelium nationum, ut proteſtantur in ſuis privilegiis Alexander IV. Innocentius IV. Clemens IV. Bonifacius VIII. Johannes XXII. & Gregorius XI. Hi enim, divina gratia cooperante, laudabilibus incrementis ſucceſſive ſanctæ eccleſiæ profuerunt: qui aſſidue flores proferentes copioſius honeſtatis, producunt uberius fructus vitæ. Hæc enim evidens utilitas univerſali eccleſiæ proveniens, beatiſſimis apoſtolicis & ſummis pontificibus nota, promeruit ipſum ordinem Prædicatorum & fratres ſpirituali favore proſequi, defenſare privilegiis, ac communire ſpecialibus ſedis antedictæ multiplicibus gratiis, ut apoſtolicæ gratiæ favoribus quaſi rore irrigati majoribus, ſemper, tribuente Domino, conſurgat & dilatetur ipſorum incrementum. Ne ergo tam glorioſorum virorum noſtri ordinis fratrum laudabilia opera ipſa negligentia, quæ eſt mater ingratitudinis & gratiæ inimica, aboleret, curavi poſt terga metentium cum humili Ruth hinc inde ſpicas, per modum chronicæ ab ordinis noſtri origine, glorioſorum fratrum magis ſtudioſorum ſollicitudinem circa doctrinam & ſcripta plus quam vitam cœpi colligere, quoniam multorum vitæ glorioſæ in vitis fratrum ſunt collectæ, ut legentibus normam & formam ceteris traderem imitandi, atque ea quæ oculi mei minime reperire potuerunt, eiſque nota ſecundum diſcretionem patriarum, nationum atque terrarum ipſi ad hunc tractatum addere atque apponere curent, in laudem & gloriam Domini noſtri Jesu Christi, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus unus in ſæcula ſæculorum. Amen.

I. *De origine B. Dominici Patris noſtri, & inſtitutione ordinis Prædicatorum.*

Anno igitur MCCIII. tempore Innocentii tertii, qui cœpit anno Domini MCXCVIII. & ſedit annis XVIII. menſibus IV. diebus XXIII. & hujus Innocentii pontificatus anno ſexto, B. Dominicus ordinis fratrum Prædicatorum magiſter & inſtitutor primus, natione Hiſpanus, de villa quæ dicitur Calaroga Oxomenſis diœceſis, vir ſcientia Dei plenus, vita ſincerus, religione conſpicuus, incœpit ordinem frarrum Prædicatorum mente concipere, & voto tractare in partibus Toloſanis, primordia computando quo primum Toloſam advenit. Siquidem XII. abbates Ciſtercienſis ordinis cum uno apoſtolicæ ſedis legato mittuntur ab hoc Innocentio papa in terram Albigenſium, ut fidem catholicam prædicarent, & hæretica venena pro viribus propulſarent. Quibus de Hiſpania Didacus Oxomenſis epiſcopus, habens in comitatu ſuo B. Dominicum, pro hæreticis convertendis adjungitur. Poſt biennium autem redeuntibus ad propria legato ſedis apoſtolicæ & XII. abbatibus dictis, & D. Didaco Oxomenſi epiſcopo, beatus Dominicus cum paucis ſibi adhærentibus ſolus permanſit ibidem, in indefeſſa continuatione prædicationis & in impugnatione hæreſis fere per annos decem uſque ad tempus Lateranenſis concilii, quod celebratum fuit anno Domini MCCXV. ſub eodem Innocentio menſe Novembri. Hoc tempore videns B. Dominicus, quod aliqui nobiles in partibus Toloſanis egeſtate compulſi, tradebant filias ſuas hæreticis nutriendas ac erudiendas, immo potius peſtiferis erroribus imbuendas, earum miſeratus calamitatem, inſtituit monaſterium de Pruliano ad earum ſuſceptionem, ubi ancillæ Dei-virtutibus & numero plurimum excreſcentes, devotum Altiſſimo exhibent famulatum: & hoc fuit primum monaſterium ſororum ordinis. Poſtea ſucceſſive beatiſſimus pater Dominicus poſt ordinis confirmationem inſtituit monaſterium S. Sixti de Urbe, ad mandatum Domini papæ Honorii III. in quo centum & quinque ſorores reclusit. Ab his ergo omnia alia monaſteria ſororum ordinis originem habuerunt, & ſic ordo iſte ſororum, qui ſecundus ordo appellari poteſt, originem habuit a B. Dominico. Profectus eſt itaque B. Dominicus cum Fulcone epiſcopo Toloſano ad dictum concilium generale, cum quo adiit Innocentium papam, petens ut ſibi dignaretur confirmare ordinem, qui Prædicatorum diceretur & eſſet. Qui cum ſtatim non acquieſceret, nocte viſum eſt eidem pontifici in ſomnis, quod Lateranenſis eccleſia gravem ſubito minaretur ruinam. Quod dum timens aſpiceret, ex adverſo vir Dei Dominicus occurrebat, humeriſque totam illam caſuram fabricam ſuſtentabat. Evigilans autem & viſionem intelligens, petitionem viri Dei hilariter acceptavit, hortans ut ad fratres ſuos rediens, regulam aliquam approbatam ſibi eligerent, & ad ipſum rediens confirmationem ad libitum reportaret. Eodem tempore cum Innocentius papa

quædam ſcripta dirigere vellet pro negotiis fidei ad partes Toloſanas, deliberavit ſuper his ſcribere B. Dominico, & his qui cum eo erant. Accito autem notario ait: Sede, ſcribe ſuper his *Fratri Dominico & ſociis ejus* in hæc verba; & ſtans paululum, ait: Noli ſcribere ſicut prædixi, ſed ſic: *Fratri Dominico & cum eo prædicantibus in partibus Toloſanis, &c.* Et aliquantulum plus conſiderans dixit, Scribe ſic: *Magiſtro Dominico & fratribus Prædicatoribus, &c.* Et ex tunc cœperunt vocari nomine iſto, quod os domini nominavit, tam in curia quam alibi. Per illud tempus dum B. Dominicus Romæ in eccleſia B. Petri oraret, apparuerunt ei beatiſſimi apoſtoli Dei Petrus & Paulus, quorum beatus Petrus baculum, beatus vero Paulus librum porrigebant dicentes: Vade, prædica, quia ad hoc miniſterium es electus. Reverſus eſt igitur B. Dominicus ad fratres ſuos Toloſæ exiſtentes. Erant autem fratres numero XVI. Quos convocans apud Prulianum, invocato primum Spiritu-ſancto, regulam B. Auguſtini doctoris & prædicatoris egregii, ipſi pariter & nomine prædicatores futuri, unanimiter elegerunt, quaſdam arctioris vitæ conſuetudines, quas ſibi per formam conſtitutionum obſervandas ſtatuerunt, inſuper aſſumentes. Electa autem regula B. Dominicus Romam rediens invenit Innocentium papam apud Peruſium defunctum, & Honorium III. electum, a quo ordinis confirmationem impetravit.

II. *De habitu Fratrum Prædicatorum dato per beatam Virginem, & de prophetia abbatis Joachim, & de inſtitutione fratrum & ſororum tertii habitus.*

ANno itaque Domini MCCXVI. XI. calend. Januarii in craſtino S. Thomæ apoſtoli, Romæ apud S. Sabinam ordo fratrum Prædicatorum eſt confirmatus, pontificatus domini HONORII papæ III. anno primo. Nec eſt prætereundum, quod confirmatione ordinis habita, B. Dominicus, & alii primitivi fratres habitum quem habemus non ſtatim deferre cœperunt, ſed ſuperpelliciis uſi ſunt admodum canonicorum regularium, cujus ordinis fuerat B. Dominicus, uſque ad ingreſſum magiſtri Reginaldi decani Aurelianenſis ad ordinem noſtrum, qui ipſo anno confirmationis ingreſſus eſt. Huic magiſtro Reginaldo graviter decumbenti, & a medicis deſperato, nocte quadam B. Virgo apparens, ſalutari unctione perunxit eum atque ſanavit, eique habitum ordinis oſtendens, ait: En habitus ordinis tui. Qua revelatione facta, fratres habitu ordinis cœlitus ſignato uti cœperunt.

Venerabilis autem abbas JOACHIM Floriacenſis* ordinis inſtitutor, fratribus ſuis habitum, quem dictus magiſter Reginaldus a beata Virgine acceperat, prophetice demonſtrans, in quodam monaſterio ſui ordinis; quod eſt in Calabria, depingi, & etiam in eccleſia S. Marci de Venetiis opere muſivo, ſive fieri fecit, dicens: Cito ſurget in eccleſia Dei novus ordo docentium, cui præerit unus major, & cum eo & ſub eo erunt XII. præfatum ordinem regentes. Quia ſicut Jacob patriarcha cum duodecim filiis ingreſſus eſt Ægyptum, ſic ipſe cum XII. illis in illo ordine poſt ipſum ingredientur & illuminabunt mundum. Stante iſta prophetia, timeo eos peccaſſe, qui cauſam & occaſionem dederunt, ut per provinciarum diviſionem hic propheticus & apoſtolicus numerus ab ordine tolleretur.

Divina propterea providentia B. Dominicum ſecundum quod de B. Job ſcriptum eſt V. cap. *Scieſque quod multiplex erit ſemen tuum, & progenies tua ut herba terræ*, nobili prole fœcundavit. Diſpergente namque B. Dominico fratres ſuos tanquam quoſdam radios, immo quædam luminaria, ubique terrarum, cœperunt in brevi tempore copioſe multiplicari. Eodem tempore dum per totam Italiam & etiam per partes Toloſanas hæreticorum & eorum credentium perfidia in tantum diffuſa eſſet, quod quaſi nullus catholicus eis poſſet reſiſtere; adeo etiam jura eccleſiæ a laïcis fuerant occupata, quod pontifices & clerici mendicare cogebantur. Inſuper & venenoſa hæreticorum veſania adeo multorum & potentium animos ſubverterat, quod ſine magna fidelium multitudine non poterant coërceri, quin ſuos errores publice prædicarent & in ſcholis docerent. Volens igitur ferventiſſimus fidei zelator beatiſſimus pater Dominicus tam bona & jura eccleſiæ defendere, quam hæreticorum venenoſa figmenta detegere, advocatis quibuſdam viris fidelibus ſibi devotis, cœpit cum eis de eccleſiæ defenſione & de hæretica perfidia exſtirpanda tractare. Et ut competentius talia perficere poſſet, inſtinctu Spiritus-ſancti cogitavit novum ordinem catholicorum laïcorum facere in pœnitentia viventium, qui eum adjuvarent ad hæreticorum perfidiam abolendam, & eccleſiam & fidem catholicam defendendam. Et quos voluntarios inveniſſet, faciebat eos jurare, quod omnia bona ſua & vitam corporalem pro his exponerent. Eapropter cum multos tales inveniſſet, eos fratres de militia JESU CHRISTI appellavit. Et ut uxores eorum eos non impedirent, faciebat etiam eas jurare, quod in negotio eccleſiæ & fidei defenſandæ nullum maritis præſtarent impedimentum. Ut autem tales merito ab aliis diſcernerentur, tam viris quam eorum uxoribus habitum album & nigrum contulit, & eis certum numerum orationum indixit, cum quibuſdam jejuniis & aliis abſtinentiis, fratreſque & ſorores de militia JESU CHRISTI appellavit. Igitur cum miniſterio B. Dominici & aliorum fratrum

* *l.* Florienſis.

Prædicatorum, auxilioque & armis militum militiæ Jesu Christi hæretici fuiſſent quamplurimum debellati & deſtructi, in tantum quod in canonizatione B. Dominici probatum fuit, quod plus quam centum millia hæreticorum per doctrinam, merita & miracula B. Dominici fuerant ad fidem converſa; poſt obitum B. Dominici & ejus ſolemnem canonizationem viſum eſt tam patribus ordinis quam ipſis confratribus militiæ Jesu Christi ad honorem B. Dominici ſui inſtitutoris mutare nomen militiæ in nomen pœnitentiæ, & appellari voluerunt fratres & ſorores de pœnitentia B. Dominici. Qui ſub utroque nomine & titulo diverſa privilegia a ſede apoſtolica habuerunt, & noviſſime per dominum Innocentium papam VII. iſte ordo fuit pleniſſime confirmatus, & gaudet omnibus privilegiis quibus gaudent fratres ordinis. Et ſic beatiſſimus pater Dominicus tres ordines inſtituit & fundavit ad laudem Patris & Filii & Spiritus ſancti.

III. *De receptione conventuum Bononienſis & Pariſienſis, & primis capitulis generalibus, & obitu B. Dominici & magiſtri Reginaldi.*

Anno Domini MCCXVIII. fratribus Prædicatoribus data eſt domus S. Jacobi Pariſiis a magiſtro Johanne decano S. Quintini & univerſitate Pariſienſi. Inde miſſus fuit frater Petrus Cellani Lemovicam, ubi factus eſt primus conventus Franciæ; & ſtatim poſt miſſi ſunt fratres Remis & Aurelianis, & eodem anno conventus ibi receperunt. Hoc tempore multi magni & litterati viri, archidiaconi, decani, abbates, priores, doctores omnium facultatum ordinem intraverunt. Inter quos Bononiæ fuerunt magiſter Rolandus Cremonenſis, ſummus philoſophus, qui primus Pariſius ex fratribus in theologia rexit, & ſummam glorioſam compilavit. Magiſter etiam Clarus, qui pœnitentiarius papæ exiſtens, & regens in jure canonico ordinem intravit. Magiſter quoque Moneta famoſiſſimus in toto orbe terrarum, qui ſummam theologiæ contra hæreticos compilavit.

Anno Domini MCCXIX. miſſi ſunt fratres de Roma Bononiam a B. Dominico, quos ipſe poſtea ſubſecutus eſt, & miſit inde fratrem Reginaldum Pariſius, qui Pariſius veniens Jesum Christum & hunc crucifixum prædicabat verbo pariter & exemplo. Ubi paulo poſt obdormiens in Domino, in eccleſia ſanctæ Mariæ (*a*) de Campis ſepultus eſt, quia fratres jus ſepulturæ nondum habebant. Hic vir beatiſſimus fratrem Jordanum Teutonicum eo tempore ad ordinem receperat, qui tunc temporis Pariſius erat ſacræ theologiæ baccalaureus.

(*a*) Cella erat a Majori-Monaſterio dependens, quæ anno 1603. conceſſa eſt religioſis Virginibus de Monte-Carmelo.

Anno Domini 1220. fuit celebratum Bononiæ primum capitulum generale a beato Dominico, & anno ſequenti ſcilicet 1221. beatus Dominicus ſecundum capitulum generale celebravit Bononiæ, in quo capitulo ordinatum eſt, ne poſſeſſiones vel reditus fratres noſtri retinerent; ſed & his quæ habuerunt penitus renuntiaverunt. In eodem capitulo frater Jordanus prædictus, qui nondum in ordine annum compleverat, factus eſt provincialis Lombardiæ, fundatis jam per orbem LX. circiter conventibus, qui in octo provincias erant diſtincti, ſcilicet Hiſpaniam, Franciam, Lombardiam, Romanam, Provinciam, Theotoniam, Poloniam, Ungariam & Angliam. Poſt illud capitulum generale ſtatim a confirmatione ordinis anno V. obiit B. Dominicus V. die menſis Auguſti, pontificatus D. Honorii papæ III. anno V. & Bononiæ ſepultus eſt. Contigit in diebus illis reverendiſſimum virum dominum Ugolinum cardinalem Hoſtienſem apoſtolicæ ſedis legatum in Lombardia, qui poſtea fuit ſummus pontifex, & Gregorius IX. appellatus eſt, Bononiam Domino ordinante adveniſſe. Propter quod multi & magni viri, & eccleſiarum prælati aderant tunc præſentes. Hic cognita beati viri morte, advenit & officium miſſæ perſolvens, corpus ejus ſanctum cum digna devotione ſepulturæ mandavit. Noverat quidem ſanctam ejus converſationem in Domino, & ſpirituali eum dum viveret ſibi aſtrinxerat amoris amplexu; qui etiam præſens extiterat quando idem pater ſanctus Romæ Neapoleonem domini Stephani cardinalis nepotem a mortuis orando ſuſcitavit. Aderat namque cum prædicto legato reverendiſſimus patriarcha Aquilegienſis, pluresque epiſcopi & abbates aliorumque prælatorum multitudo non parva, qui omnes ejus ſacro funeri interfuerunt, & dictus reverendiſſimus cardinalis eum propriis manibus ſepelivit. Quo tempore quidam frater Bernardus Bononienſis dæmoniacus multum fratres vexabat. Cujus gravis vexatio fuit una de cauſis, quibus moti fratres *Salve Regina* poſt completorium decantari inſtituerunt apud Bononiam, & inde per totum orbem illa devotio glorioſiſſimæ Virginis eſt diffuſa.

Eodem anno frater Paulus Hungarus cum quatuor ſociis miſſus fuit ad Hungariam ad prædicandum. Hic actu erat legens in jure canonico quando intravit ordinem. Hi igitur totam provinciam peragrantes, magnum fructum fecerunt in populo, & multiplicatis ibidem fratribus, miſſi ſunt aliqui a dicto fratre Paulo in terram quæ Structium dicitur, quam hæretici & ſchiſmatici incolebant. Ubi poſt multas tribulationes tandem Domino largiente mirabiliter profecerunt. Deinde memores dicti fratres devotionis beati Dominici, qui ire volebat ad prædicandum Cumanis, qui nullam penitus Dei notitiam

habebant, ordinaverunt mittere patres ad dictam terram: quam ingressi, sunt exire compulsi, & denuo regressi ad eam, prædicare cœperunt; & duobus ex ipsis ab infidelibus martyrio coronatis, alii in prædicationis officio perseverantes, converterunt primo ducem unum ex ipsis nomine *Bruchi*, qui in fidei Christianæ confessione decessit. Postea vero alium ducem majorem nomine *Bribrech* cum mille de familia sua, quem rex Hungariæ ANDREAS de sacro fonte levavit, qui similiter susceptis sacramentis ecclesiæ fideliter decessit. Fratres igitur perseverantes ibidem fructum maximum fecerunt, & conventus cœperunt. Cum hæc agerentur, & fervor fratrum magis ad conversionem paganorum accresceret, Dei occulto judicio venerunt Tartarorum exercitus, qui non solum prædicationem prædictam impedierunt, verum etiam circiter nonaginta fratres ad regnum cæleste per coronam martyrii transmiserunt. Post Tartarorum autem expulsionem, missi sunt alii fratres, qui indefesse Dei verbum prædicantes, multa millia ex eis converterunt & baptizaverunt. Item missi fuerunt a domino papa in Bosnia & Dalmatia fratres ad hæreticos convertendos. Qui prædicationi & disputationibus insistentes, multos hæreticos ad fidem converterunt, licet aliqui fratres ab eis martyrio coronati fuerint, & duo conventus ordinis quos ibi habebamus igne cremati sunt. In partibus etiam transmarinis multi fratres missi ad prædicandum, ibidem a Saracenis martyrio coronati sunt. Inter quos passus fuit episcopus ordinis nostri cum quatuor fratribus in captione Antiochiæ. Frater etiam Guido de Longimella vir devotus & sanctus in eisdem partibus cum uno socio passus est martyrium.

IV. *De magistri Jordani secundi ordinis generalatu, & translatione & canonizatione beati Dominici.*

Anno Domini 1222. frater JORDANUS Theutonicus de provincia Saxoniæ, & ipse natione Saxo de villa quæ dicitur *Borterge* diœcesis Maguntinæ, verus Israëlita, electus est in secundum magistrum ordinis in capitulo generali Parisius celebrato. Erat enim tunc provincialis Lombardiæ. Sub hoc magistro fuit ordo merito & numero dilatatus, qui fere annis XV. optime regens & dirigens ordinem, mille fratres & amplius manu sua fertur ad ordinem recepisse & habitu induisse. Migravit autem ad Christum anno Domini 1236. *(a)* XVII. die Februarii multis clarens miraculis.

Anno Domini 1224. mense Augusti in vigilia B. Laurentii venerunt fratres primo in *Magdeburg* civitatem Saxoniæ, missi a capitulo Parisiensi & magistro JORDANE, ad petitionem reverendissimi domini archiepiscopi Magdeburgensis, & quorumdam aliorum episcoporum & nobilium; & secundo anno introitus fratrum primum provinciale capitulum est ibidem celebratum, supervenientibus tantum decem fratribus extraneis; quia in provincia Theutonicæ tantum quatuor conventus erant, scilicet Frisacensis, Colonensis, Argentinensis & Magdeburgensis.

Anno Domini 1227. mortuo D. HONORIO papa D. GREGORIUS nonus, qui antea D. Ugolinus Hostiensis appellabatur, de quo supra dictum est, in pontificali cathedra sublimatus est, & sedit annis XIV.

In eodem anno in generali capitulo tertio Parisiis celebrato sub magistro Jordane erant superadditi provinciis supradictis aliæ quatuor provinciæ, scilicet Polonia, Dacia, Græcia, & Terra-sancta, & sic ordo anno XII. a sua confirmatione, erat divisus in duodecim provincias, scilicet Hispaniam, Franciam, Lombardiam, Romaniam, Provinciam, Theutoniam, Hungariam, Angliam, Poloniam, Daciam, Græciam & Terram-sanctam.

Anno Domini 1233. crebrescentibus per totam Italiam sancti Dominici evidentibus miraculis, fidelium devotio duxit corpus sancti Patris humili loco repositum, ad altiorem locum debito cum honore transferre. Facta est ergo hæc translatio in capitulo generali Bononiæ post annos XIII. a sepultura viri sancti. Ad quam translationem convenerunt de mandato domini papæ Gregorii, viri reverendissimi, videlicet archiepiscopus Ravennas, & episcopus Mutinensis postmodum Sabinensis, Brixiensis & Tornacensis, necnon & magister ordinis dulcis P. Jordanus cum diffinitoribus capituli. Potestas quoque Bononiensis cum civibus multis Bononiensibus aliarumque civitatum non paucis civibus honoratis cum fratribus & clericis laïcisque affuerunt. Ex cujus sanctis ossibus tanta prodiit odoris fragantia, quod non defuncti cadaveris theca, sed pigmentorum & odoramentorum omnium apotheca putasse videretur. Ostendit etiam Dominus multa miracula in eadem translatione ad laudem & honorem sancti sui, anno Domini quo supra pontificatus vero domini Gregorii IX. anno VI. a confirmatione autem ordinis anno XVII. a transitu vero B. Dominici XIII. sit ergo per omnia benedictus Deus.

Eodem anno constitutus Perusii præfatus dominus Gregorius papa, præsentibus archiepiscopis & episcopis aliarumque ecclesiarum prælatis multis, fidelem Christi famulum B. Dominicum sanctorum catalogo

(a) Acta capitulorum generalium a nobis editorum tom. 4. Anecdotorum mortem ejus consignant ad annum 1237. quibus concinit chronicon Erfordiense his verbis: *Hoc anno (1237.) frater Jordanus magister ordinis Predicatorum pridie idus Februarii in mediterraneo mari submersus, in terra sancta honorifice sepultus est.*

solemniter

ſolemniter canonizando aſcripſit, perhibens de eo tale teſtimonium, quod ita dubitabat de ſanctitate ejus ſicut de ſanctitate beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, quia, ut prædictum eſt, magnam familiaritatem ad invicem habuerant. Conſummatum eſt ergo totum canonizationis officium apud Peruſium ſolemniter anno & temporibus præſcriptis, ſub beatiſſimo & ſanctiſſimo patre magiſtro Jordane generali ordinis magiſtro II. & directæ ſunt litteræ apoſtolicæ per omnia regna eccleſiæ hoc atteſtantes, in quibus ipſius vitæ ſinceritas & gloriæ ſublimitas Chriſti fidelibus declaratur. Sub iſto magiſtro Jordane fratres primo fuerunt licentiati Pariſius ad legendum, & ipſe primus fuit qui litteras a capitulo generali ad provincias ordinis mittere cœpit. Scripſit idem pater ſuper Apocalypſim poſt illam gratioſam. Item ſuper Priſcianum minorem. Item quædam grammaticalia dictata. Scripſit præterea libellum de Ordinis initio, qui incipit: *Filiis gratiæ, &c.* Sub iſto patre ordinem intravit vir eximiæ litteraturæ frater Johannes de ſancto Ægidio magiſter in theologia, & multi alii excellentes viri, quorum ſcripta uſque in hodiernum diem eorum ſapientiam & doctrinam demonſtrant. De hoc glorioſo patre & dulciſſimo vide librum qui Vitæ patrum dicitur in tota tertia parte.

V. *De magiſtro Raymundo ordinis noſtri magiſtro generali tertio.*

Anno Domini 1238. poſt tranſitum beati Jordanis electus eſt Bononiæ abſens in capitulo generali in magiſtrum ordinis tertium frater RAYMUNDUS natione Cathalanus, Barchinonenſis. Hic fuit excellentiſſimus doctor in jure canonico, in quo multis annis legit Bononiæ. Tranſeunte autem epiſcopo Barchinonenſe per Bononiam, cum magnis precibus eum ſecum ad patriam reduxit, & canonicum & præpoſitum & eccleſiæ cathedralis eum fecit. Ubi poſtmodum feria ſexta in paraſceve ordinem Prædicatorum eſt ingreſſus. Audita autem fama ſanctitatis & doctrinæ ejus, dñs (*a*) Sabinenſis cardinalis apoſtolicæ ſedis legatus, cum licet renitentem in ſocium legationis aſſumſit, & diu ſecum tenuit. Cumque eum vellet Romam ſecum ducere, nullo modo acquievit. Qui tamen Romam reverſus, multa de eo domino papæ bona narravit. Summus vero pontifex GREGORIUS IX. litteras præceptorias direxit mandans ei, ut ad ſe veniret. Qui obediens apoſtolicis litteris & Romam rediens, ab eodem pontifice factus eſt pœnitentiarius & confeſſor papæ, & advocatus ac expeditor cauſarum pauperum. Nec multo poſt mandavit ei quatenus decretales in uno volumine compilaret, quo in judiciis & ſcholis nunc omnes utuntur. Tandem propter vigilias & labores quos in curia contraxerat, maxime quia numquam carnes comedere voluit, nec cibaria ordinis mutare, in gravem incidit valetudinem & magnam, a qua cum Romæ minime liberari potuiſſet, habita cum magna difficultate licentia, ad conventum Barchinonenſem rediit. In quo exiſtens capitulum generale ipſum abſentem elegit in totius ordinis magiſtrum. Et quia dubitabant eum nolle acceptare magiſterium, diffinitores capituli generalis miſerunt ad eum quatuor magnos viros uſque Barchinonam, qui ei perſuaderent quod ordinis curam acceptaret, inter quos fuit frater HUGO, qui poſtea fuit primus cardinalis ordinis noſtri. Qui timens ordinis ſcandalum, ad preces illorum patrum electionem cum multis lachrymis acceptavit. Hic ſanctus pater multis claruit miraculis in vita & in morte, & ordinem per biennium ſapientiſſime gubernavit. Hic etiam conſtitutiones ordinis in duas partes diviſit ſicut ſunt nunc, cum antea ſatis eſſent confuſæ. Compoſuit etiam Summam de caſibus valde utilem, quæ Summa Raymundi appellatur. Cum autem per biennium ordinem rexiſſet glorioſe, in capitulo generali Pariſius allegans debilitatem ſuam generalatui ceſſit. Quapropter magna turbatio in ordine exorta eſt propter ejus ceſſionem. Unde ſtatutum fuit hoc in conſtitutionibus, quod magiſtri ceſſio nullo modo admitteretur de cetero, niſi propter perpetua impedimenta. Vixit autem in conventu Barchinonenſi per 35. annos poſt hanc ceſſionem, & anno Domini 1275. multis miraculis clarus, in feſto Epiphaniæ Domini migravit ad Chriſtum.

VI. *De magiſtro Johanne Teutonico magiſtro ordinis noſtri quarto, & de Hugone cardinali & B. Petro martyre.*

Anno Domini MCCXLI. poſt renuntiationem magiſtri Raymundi, electus fuit in quartum magiſtrum ordinis noſtri in capitulo generali Pariſius, frater JOHANNES Teutonicus, quondam epiſcopus Boſnenſis in Hungaria, natione Weſtphalus, Bremenſis diœceſis. Hic provincialis Hungariæ exiſtens, factus epiſcopus Boſnenſis, impetravit ab epiſcopatu ceſſionem, nulla ſibi proviſione retenta. Poſtmodum effectus provincialis Lombardiæ eligitur in magiſtrum: cumque renueret, nec vellet acceptare, allegans exceptiones epiſcopatus, e contrario porrecta eſt littera domini papæ Gregorii IX. quam propter ipſum fratres impetraverant, quæ ipſum totali ordinis obedientiæ ſupponebat. Igitur compulſus ordinis magiſtratum ſuſcepit, & tamquam vir Deo plenus ac in omni virtute conſpicuus, XII. annis & dimidio or-

[a] (*a*) Erat tunc magni nominis Gaufridus de Caſtellione Sabinenſis cardinalis a Gregorio IX. creatus & ſedis apoſtolicæ legatus.

dini præfuit, & virtutibus & miraculis tam in vita quam in morte clariſſimus Argentinæ obiit pridie nonas Novembris anno Domini [a] MCCLIII. (a) & illo anno non fuit celebratum generale capitulum.

Anno Domini MCCXLII. apud Avinionetum, Toloſanæ dioceſis, in camera comitis Toloſani, martyrizati fuerunt pro fide Chriſti frater GUILLELMUS ARNOLDI de Monte-Peſſulano inquiſitor hæreticæ pravitatis, & frater BERNARDUS DE RUPE-FORTI, ac frater GARSIAS DE AURA, omnes de ordine Prædicatorum: qui poſtmodum multis claruerunt miraculis.

Anno Domini MCCXLIII. poſt biennalem vacationem ſedis apoſtolicæ, electus eſt in papam INNOCENTIUS IV. natione Januenſis, & ſedit annis XI. & menſibus ſex. Hic primo anno ſui pontificatus fecit primum cardinalem ordinis fratrum Prædicatorum fratrem HUGONEM de S. Theodorico provincialem Franciæ, qui fuit primus poſtillator totius bibliæ, & eam tam excellenter poſtillavit, quod hucuſque parem non habuit. Scripſit etiam ſuper quatuor ſententiarum libros. Item librum quem Speculum eccleſiæ appellavit. Et ſicut primis temporibus cum ſolus Origenes ceteros omnes doctores & ſcriptores vinceret *in ſcribendo*, ipſe *in Canticis* ſcribens, ſeipſum vicit; ſic temporibus his ſolus Hugo cum poſtillatores omnes vinceret & excelleret ſuis poſtillis; ipſe ſeipſum in Pſalterio & Iſaïa & in evangeliis ſuperavit, non tantum extenſive quatuor modis ſenſum quemlibet latius & diffuſius proſequendo, ſed etiam intenſive, de quolibet gratioſius & impermixtius diſſerendo. Legis enim verba per legem explanavit, nec phyſica nec alia quælibet intermiſcens, nec muſas poëticas interponens, ſed legem per legem expoſuit gratioſe.

Fuerunt ab initio naſcentis eccleſiæ in terra ſancta & maxime in Carmelo eremitæ multi, ſicut patet ex chronicis, & ex multis ſanctorum vitis. Horum converſationem videns felicis recordationis D. ALBERTUS patriarcha Jeroſolymitanus, multum eos in Domino ſpiritualiter nutriebat, & in ſcriptis modum vitæ eorum redigens, ſeparatim in cellulis per totum montem Carmeli antea habitantes, ſub cura unius eorum ipſos adunavit, & per profeſſionis vinculum pariter colligavit, & per ſedem apoſtolicam confirmari curavit. Qui poſt multos annos ad papam Innocentium IV. venientes Lugdunum, pro eo quod regula gravis erat, nec eis in civitatibus & villis habitare licebat, obtinuerunt quod negotium totum committeretur venerabilibus patribus, videlicet domino HUGONI de S. Theodorico preſbytero cardinali & fratri GUILLELMO epiſcopo Antaradenſi, qui ambo erant de ordine Prædicatorum. Qui ſpecialem eis regulam ſcripſerunt, quam ex tunc profitentur, & tenent primo per tantos viros ſcriptam, & ſecundo per Innocentium papam IV. bullatam & confirmatam.

Per idem tempus paſſus eſt pro fide Chriſti, & ab hæreticis veneno extinctus frater PONTIUS Hiſpanus, inquiſitor hæreticæ pravitatis, apud Urgellum Cathaloniæ civitatem, & ibidem in eccleſia cathedrali multis clarens miraculis honorifice ſepultus.

Anno Domini MCCLII. frater PETRUS Veronenſis ordinis Prædicatorum, hæreticæ pravitatis inquiſitor, ab hæreticis martyrio coronatus eſt. Hic prior Comenſis exiſtens, a domino Innocentio papa IV. inquiſitor miſſus contra hæreticam pravitatem, ab hæreticis captus, nonis Aprilis, ſabbato in Albis, dum pro exequenda inquiſitione contra eos properaret, occiſus fuit. Hic vir beatiſſimus a teneris annis fidem catholicam defendens, ordinem Prædicatorum ingreſſus, virtutibuſque ac miraculis decoratus, evangelicam prædicationem per totam Italiam cum mirabili gratia & fructu diſſeminans, ac virgo permanens, nulliuſque mortalis peccati macula umquam fœdatus, martyrioque coronatus, tribus decoratus coronis cœlum conſcendit. Hunc dum infinita miracula ad ejus tumulum & per multas mundi partes fierent, dominus INNOCENTIUS papa prædictus, nondum anno elapſo a paſſione ejus, ſanctorum martyrum catalogo aſcripſit, ſtatuitque feſtum ejus tertio calendas Maii ab univerſali eccleſia celebrari, quæ dies paſſionis ejus frequenter inter paſchalia feſta occurrit. Paſſus eſt cum eo frater DOMINICUS ſocius ejus, qui ab eodem lectore quatuor ictibus lethaliter vulneratus quinta poſt die obiit.

VI. *De magiſtro Humberto generali ordinis magiſtro* V. *& beato Thoma Aquinate, & beato Alberto-Magno.*

Anno Domini MCCLV. mortuo magiſtro Johanne Teutonico electus fuit apud Budam provinciæ Hungariæ in capitulo generali in magiſtrum ordinis quintum, magiſter HUMBERTUS natione Burgundus, ex provinciali Franciæ, cunctis exiſtens religionis exemplar & imago.

Hoc tempore quidam canonicus Matiſconenſis, videlicet Guillelmus de Sancto-amore, qui Pariſius legebat ex quibuſdam auctoritatibus ſacræ ſcripturæ & doctorum per eum male intellectis, vel potius maligne ad ſuum propoſitum adductis, magnum libellum domino Innocentio porrexit, in quo probare nitebatur, quod fratres non poterant de eleemoſynis vivere, nec mendicare, niſi cum damnatione animarum ſuarum. Multa inſuper alia hæretica & falſa conflans, ordines mendicantium valde vexavit.

(a) Lege 1252. ut conſtat ex actis capitulorum generalium a nobis editorum tom. 4. Anecdot.

Eodem etiam tempore idem Innocentius fulminavit bullam terribilem contra Mendicantes, præcipiens in virtute Spiritus-ſancti & ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quod nullo modo diebus *Dominicis & feſtivis* parochianos alienos in ſuis eccleſiis reciperent ad divina, nec eorum confeſſiones audirent ſine ſpeciali licentia ſacerdotum parochialium, nec in eccleſiis ſuis ante miſſarum ſolemnia prædicarent, ſed in prima parte diei omnes parochiani ad parochias ſuas ad audiendas miſſas accederent, nec in eccleſiis parochialibus, vel quando epiſcopus prædicaret, vel faceret ſolemniter coram ſe prædicare, minime prædicare poſſent, & quod de funeralibus portionem canonicam (etiam non requiſiti) infra octo dies dare tenerentur ſacerdotibus parochialibus, de quarum parochia eſſent defuncti. Iſtis anguſtiis & tribulationibus ſic fratres nimium vexantibus, ordinatum fuit, quod fratres dicerent poſt matutinas ſeptem pſalmos & letanias cum orationibus beatæ Mariæ & B. Dominici: quæ dum in quodam conventu dicerentur, quidam frater devotus vidit beatam Virginem rogantem dulciſſimum filium ſuum atque dicentem: Fili, exaudi eos, Fili, exaudi eos. Nec mora, & ecce exaudivit eam Dominus. Nam Guillelmus de Sancto-amore prædictus ad inſtantiam magiſtri Humberti citatus, Romæ in publico conſiſtorio coram domino ALEXANDRO papa IV. a beato ALBERTO Magno diſputando confuſus, privatus beneficiis quæ poſſidebat, combuſtoque libro ejuſdem in publico conſiſtorio quem contra Mendicantes dictaverat, e clero expulſus fuit. Contra hunc etiam ad mandatum magiſtri ordinis ſcripſit libellum unum S. THOMAS DE AQUINO, qui prænotatur, Contra impugnantes religionem. Innocentius etiam in ſua ſententia permanens, dum eſſet Neapoli gravi infirmitate percuſſus, advertens quod male egerat religionem moleſtando, ad ſe rediens, dixit: *Propter iniquitatem corripuiſti hominem, & tabeſcere feciſti animam meam.* Et his dictis expiravit. Cui ſuccedens D. ALEXANDER papa IV. bullam Innocentii contra Mendicantes revocavit, & nullius roboris eſſe voluit, & aliam ampliſſimis favoribus refertam ordini gratioſiſſime conceſſit. Ex quo tempore cardinales & prælati dicere ſolebant, in quodam ſolario, Cavete a letaniis Fr. Prædicatorum, quia mirabilia faciunt.

Anno Domini MCCLV. mortuo eodem papa Innocentio, ſucceſſit ei Alexander IV. natione Campanus, & ſedit annis ſeptem. Hic Alexander anno pontificatus ſui primo, ut prædictum eſt, prædictas litteras Innocentii revocavit, & libellum Guillelmi prædicti condemnavit, & publice in eccleſia [illegible] Anagniæ in ſui & omnium prælatorum præſentia comburi fecit. Hic etiam magnus amicus religioſorum fuit, & plura & inſignia eis privilegia conceſſit.

Hoc tempore claruit pater Guillelmus de Peiranta (a) dioceſis Viennenſis, vir devotus & verax, qui ſummam de virtutibus & vitiis, & ſermones de tempore & de ſanctis, ac expoſitionem profeſſionis quæ eſt in regula ſancti Benedicti, & librum de inſtitutione religioſorum, & de regimine principum, & alia multa compoſuit. [a]

Hoc etiam tempore, divina providente clementia, duo magna luminaria ex ordine Prædicatorum mundo apparuere, ſcilicet luminare majus, id eſt beatus THOMAS DE AQUINO, ut præeſſet diei, & luminare minus, id eſt D. ALBERTUS MAGNUS, ut præeſſet nocti. de quibus dici poteſt illud propheticum Zachariæ 4. *Iſti ſunt duæ olivæ*, videlicet duo fundentes oleum & duo filii ſplendoris. Et Apoc. II. *Hi ſunt duæ olivæ & duo candelabra lucentia ante Dominum, ut luceant omnibus qui in domo Domini*, id eſt in ſancta eccleſia ſunt. Verum quia D. Albertus B. Thomam de Aquino præceſſit, primò de eo agetur.

ALBERTUS cognomento Magnus, philoſophorum omnium totius Chriſtianitatis ſol præclariſſimus & generalis, natione Suevus de oppido Louvingenſi prope Auguſtenſem civitatem, ad quatuor milliaria, ex genealogia militarium natus, XVI. ætatis anno ordinem fratrum Prædicatorum propter devotionem & ſtudium Paduæ, vel ut alii dicunt, Coloniæ ingreſſus eſt. Cumque ſtudio intenderet diligenter, forte ad majorem beatiſſimæ Virginis gloriam, cui Albertus maxima devotione aſſiciebatur, & devota mente ſerviebat, adeo labilis memoriæ & hebetis ingenii erat, quod nihil proficere poterat. Proficientibus aut ſociis, cum nihil ipſe proficeret, deliberavit omnino ordinem relinquere. Cum in iſto propoſito inſiſteret, in viſione raptus ſibi videbatur quod apponebat ſcalam ad murum conventûs, ut extra conventum & ordinem recederet, cumque ſcalam aſcendiſſet, vidit in ſummitate ejus quatuor venerandas matronas, quarum una repulit eum & ad terram dejecit, cumque iteratò ſcalam aſcendere vellet, a ſecunda veneranda perſona ſecundo repulſus fuit, & ad terram dejectus. Cum autem tertiò idem attentaret, a tertia veneranda perſona interrogatus fuit de cauſa aſcenſus ſui per illam ſcalam; cui venerando vultu reſpondit: Domina, video quòd ſocii mei in philoſophia proficiunt, & ego nihil addiſcere poſſum, propter hunc igitur ruborem diſcedere ab hoc ordine propono. Cui illa: Illa domina, quam vides hic, eſt Mater Dei, Regina cœli & Mater miſericordiæ, & nos ſumus ejus ancillæ. Recommitte te ei, & nos te adjuvabimus, ut ipſa intercedat pro te ad Filium ſuum pro docili ingenio tibi conce-

(a) Vulgo dicitur Guillelmus Petardi.

dendo. Quo audito, lætatus in his quæ audiebat, dixit: Valde libenter, unde rogo vos ut ſitis mihi adjutrices. Cumque una cum ipſis Reginam gloriæ rogaret, dixit illi beatiſſima Virgo: In qua ſcientia vis docilis fieri, in theologia an in ſcientia naturali? Cui cum reſponderet quod in naturali philoſophia, & annexis ei ſcientiis libentius vellet proficere, & talis fieri qualis numquam fuit aliquis vel futurus eſt in antea. Reſpondit beatiſſima Virgo MARIA: Habebis quod rogaſti, ſed quia non quæſiſti ſcientiam Filii mei, in ultimo vitæ tuæ omnem ſcientiam tuam amittes, & eris obtuſi ingenii ſicut modo exiſtis. Annuente ergo glorioſa Virgine ut orationi, devotioni & ſtudio vacaret, ſic facere promiſit. Recedente viſione ad ſe rediens, mandatum Virginis exequi ſatagens, quidquid legebat pleniſſime intelligebat, & ſi aliquando aliquam difficultatem habebat, orationibus apud beatam Virginem inſtabat, & quæ proprio ingenio non poterat, precibus impetrabat. Frequenter autem rogabat ipſam beatam Virginem, ne permitteret eum philoſophorum rationibus a veritate fidei averti, ſed in fidei ſoliditate ejus animum firmaret. Quæ apparuit ei, & conſolans eum dixit: Eſto fidelis, in ſtudio perſeverans, quia Deus te tanta copia ſapientiæ ditabit, quod per libros doctrinæ tuæ tota eccleſia illuminabitur. Tamen ante mortem tuam a te omnis ſillogiſtica ars auferetur, ne in fide vacillare poſſis, & ut in ſinceritate fidei perſeveres. Hanc viſionem de ſe narravit Albertus magnus prædictus in ultima lectione quam legit, in qua ipſa viſio completa eſt & verificata. Igitur vir iſte ſanctus & præclariſſimus poſt adeptam divinitus ſcientiam, ut prædictum eſt, primò legit ſententias in conventu Hildenſemenſi, provinciæ Saxoniæ, ex cujus conventus refectorio naturali arte muſcarum multitudinem taliter abegit, quod de cetero uſque in præſens nulla muſca potuit ibi viva conſiſtere. Poſtea legit in Vapingo, poſt in Ratiſbona duobus annis, deinde Pariſius. Poſt ſententias glorioſe lectas magiſter factus, ibidem tribus annis reſedit. Deinde Coloniam reverſus, legere cœpit glorioſiſſime. Quo tempore ſanctus THOMAS DE AQUINO ipſum audivit, & ejus diſcipulus fuit. Poſthæc magiſter Albertus fuit provincialis Teutoniæ, & illo tempore monaſterium ſororum de Suſato Colonienſis diœceſis, quod dicitur Paradiſus, inſtituit, & ſorores in eo introducens, ſua benedictione ſtabilivit. Exinde a papa Urbano IV. propter quoſdam errores eliminandos ad curiam vocatus, ad ejus petitionem & dominorum cardinalium, beati Johannis evangelium & epiſtolas canonicas inaudito modo exponendo legit. De quo adverſarii veritatis obſtupeſcentes confuſi ſunt. Frater Guillelmus Corinthienſis auctor libri de Apibus, refert in eodem libro, quod quidam canonicus regularis de Bavaria, vir ſanctus & bonus, qui pro ſuis negotiis ad curiam venerat, una dierum exiſtens in eccleſia ſancti Petri, orans, ad exceſſum mentis raptus, vidit ipſam eccleſiam ſerpentibus totam plenam, quorum horribili ſibilo tota Roma implebatur. Cumque ille miraretur, unus frater ordinis Prædicatorum ſibi incognitus, eccleſiam intravit, qui licet a ſerpentibus multipliciter impediretur, violenter tamen reſtitit, & eos a ſe repellens, aſcendit ambonem, in quo diebus ſolemnibus ſolet legi evangelium, & perfecto ſancti Johannis evangelio uſque ad *Verbum caro factum eſt*, omnis alia multitudo ſerpentium a ſibilo ceſſavit, & a dicta eccleſia effugata eſt. Revelatumque eſt illi divino reſponſo, quod ille erat frater Albertus Teutonicus. Poſt hæreſum igitur expugnationem, URBANUS papa fecit eum epiſcopum Ratiſponenſem. Quam dignitatem cum tribus annis adminiſtraſſet, videns vir ſanctus quod armis & magnis tumultibus ſe implicabat, reſervatis ſibi quibuſdam redditibus, epiſcopali curæ renunciavit, & Coloniæ ad ordinem rediit, ac per annos XVIII. legit gratioſiſſime. Conſtrui autem fecit in conventu Colonienſi chorum quo divinæ laudes perſolvuntur ſuis expenſis, normamque ædificandi ſecundum veram geometriam ædificantibus dedit, totus denique ſtudio intentus & bonis operibus, ſicut oliva fructifera, intentus, ferventer clero & populo prædicabat, conſilia petentibus ſalubertima dulciter & affectuoſe dabat, devotione præcipua vigebat, locum ſepulchri ſui quotidie viſitabat, & officia ibidem pro ſe ac ſi eſſet defunctus, dicebat, & quotidie poſt lectiones factas totum pſalterium recitabat. Ad beatiſſimam vero Virginem multum devotus, ſequentias ejus quæ pro ſabbatis aſſignantur, cum cantu dictavit: & dum componeret ſequentiam de aſſumtione ejuſdem Virginis beatiſſimæ, quæ incipit, *Salve Mater Salvatoris*, & veniſſet ad verſum *Salve Mater pietatis* pariter ſubſtitit, & deliberans quid ſubderet, ſubito ſcripſit *& totius Trinitatis nobile triclinium*. Et ecce beatiſſima Virgo ei apparens, dixit: Gratias tibi ago bone ALBERTE, quia me ſalutaſti tali ſalutatione, quali ab alio numquam prius ſalutata fui. Hic Doctor clariſſimus infinita propemodum ſcripſit quæ vulgatiſſima ſunt. Super Prædicabilia Porphirii prædicamenta ſex, principia Priorum, Poſteriorum, Topicorum, Elenchorum, Phyſicorum, de lineis individualibus, de Cœlo & mundo, de Generatione & corruptione, de Natura loci, de Proprietatibus elementorum metheororum, de Anima, de Senſu & ſenſato; de Memoria & reminiſcentia, de Inſpiratione & reſpiratione, de Somno & vigilia, de Nutrimento & nutribili, de Longitudine & brevitate vitæ, de Morte & vita, de Mineralibus, de vegetali-

bus & plantis, de Animalibus, de Cauſis ſuper libros metaphyſicæ. Omnes iſti ſunt ſupra Ariſtotelis textum. Super libros Ethicorum, Politicorum & Rethoricorum, librum de Animalibus profundiſſimæ intelligentiæ, ſuper Problemata de quatuor coëvis, de Origine animæ, de Potentiis animæ, de Intellectu & intelligibili contra unitatem intellectus, de Unitate formæ, de Homine, de Bono, de Herbis, de Lapidibus, de Alchimia librum, qui dicitur Semita recta, contra Necromanticorum libros, contra Averroiſtas, Quinque determinationes quæſtionum quarumdam ad clerum Pariſienſem, ſupra Spheram & Aſtrolabium. Speculum de partu hominis, de Muliere forti, ſequentias multas, ſuper Job, ſuper Cantica, ſuper Iſaïam, Jeremiam, Ezechielem, Danielem, & XII. prophetas minores, ſuper Mathæum, Marcum, Lucam & Johannem, ſuper omnes epiſtolas Pauli, ſuper Dionyſium de Cœleſti hierarcha, de Divinis nominibus, de Symbolica hierarchia, ſuper quatuor libros ſententiarum, Summam theologiæ, Secretum ſecretorum, expoſitionem Euclidis, perſpectivæ Almageſti, de Perfectione ſpiritualis vitæ. Item, de Myſterio miſſæ, & ſuper evangelium *Miſſus eſt angelus Gabriël*, ad laudem beatiſſimæ Virginis MARIÆ, profundiſſime & copioſiſſime ſcripſit, & in fine vitæ ſuæ libellum de Sacramento altaris compilavit, & infinita pene alia opuſcula compoſuit ad laudem JESU CHRISTI, quæ hic non enumerantur. Tandem per triennium ante mortem ſuam, dum ſemel Coloniæ legeret, omnem memorativam amiſit, & recordatus viſionis & ſponſionis B. Virginis, prædictam viſionem quam adoleſcens habuit omnibus narravit, & ait: Ego, filii, de cetero non legam, ſed confiteor publice coram vobis, me omnes articulos fidei veraciter credere, & de eis nihil penitus dubitare, ſupplicans mihi exhiberi eccleſiaſtica ſacramenta tempore opportuno; & ſi quid dixi vel ſcripſi fidei vel bonis moribus incongruum, ex nunc ipſum revoco, omnem doctrinam meam ſanctæ matris eccleſiæ Romanæ correctioni ſubdens, & ſic de Cathedra magiſtrali deſcendens, omnibus lacrymantibus ac eum oſculantibus, uſque ad mortem in magna ſimplicitate permanſit, nihil de his quæ religionis ſunt prætermittens. De ejus autem mirabili doctrina ſequens metrum compoſitum fuit:

Cunctis luxiſti ſcriptis, præclare legiſti,
Mundo luxiſti, quia totum ſcibile ſciſti.

Anno igitur Domini MCCLXXX. annis ſex & octo menſibus poſt obitum B. Thomæ de Aquino, die V. Novembris, anima illa ſanctiſſima carne ſoluta eſt, & per reverendiſſimum dominum SIFFRIDUM Colonienſem archiepiſcopum, accedentibus omnibus congregationibus collegiorum Colonienſis civitatis, necnon & dominorum omnium in circuitu, & totius civitatis concurſu, in choro conventus Colonienſis ordinis Prædicatorum ante majus altare ſepultus fuit. Cujus ſepulcro tale eſt epitaphium inſculptum.

Phœnix doctorum, paris expers, philoſophorum
Princeps, doctorum vas fundens dogma ſacrorum,
Hic jacet ALBERTUS, *præclarus in orbe, diſſertus*
Præ cunctis, certus aſſertor in arte repertus,
Major Platone, vix inferior Salomone.
Quem tu, Chriſte bone, doctorum junge coronæ.
Annis bis denis minus actis mille tricenis
Chriſti naſcentis, de corporis exit habenis,
Quinta poſt feſtum Martini luce, moleſtum
Omne, petendo Deum, tranſivit, agens jubilæum.
Qui legit hos verſus, mox ad tumulum retroverſus
Inclinans dicat collectam cum requieſcat.

Cum autem poſt aliquot tempus corpus ejus in tumba repoſitum, fuiſſet requiſitum, cum poſitum fuiſſet ſupinum, ut moris eſt, repertum fuit genuflexum, ac in faciem incurvatum, prout orare ſolebat dum viveret. Non ceſſavit autem Deus ejus gloriam revelare poſt mortem, quam felix in patria poſſidebat. Magiſtro ſiquidem Theodorico lectori Trevirenſi in cella ſua ſtudenti quædam ſancta & nobilis mulier, quæ ei in vita ſua confiteri conſueverat, XV. diebus poſt mortem ſuam apparuit, dicens ſe fuiſſe a Deo miſſam, ut eum de tribus certificaret, quorum veritatem ſcire volebat; & cum quæſiiſſet ab ea quomodo ſe haberet, reſpondit: In conſpectu ſum ſanctiſſimæ Trinitatis, quieta gloriæ beatitudine. Cumque ab ea quæſiiſſet quæ ſcire deſiderabat, & illa reſpondiſſet optime ad omnia, ait illi: Cognoſciſne fratrem Albertum Teutonicum qui nuper in Colonia defunctus eſt, qui fuit frater ordinis noſtri. Cui illa, optime. Ubi eſt? inquit; & illa: Gaudet lætitia inenarrabili longe ſuper nos. Fratri etiam Conrado de *Durborgh* ejuſdem domini Alberti ſocio & miniſtro pro ejus anima oranti, poſt matutinas in eccleſia fratrum in Colonia vigilanti, poſt receſſum aliorum fratrum, apparuit dominus Albertus Magnus corporaliter, pretioſiſſimis veſtibus pontificalibus indutus, habens in infula ſuper frontem gemmam pretioſiſſimam, quæ ſolares radios emittens totam eccleſiam illuminabat. Qui ab eo requiſitus qualiter ſibi eſſet, reſpondit: « Humani ſenſus non ſunt capaces gloriæ meæ. « Claritas autem quæ ex gemma frontis meæ « procedit, ſignificat inexplicabilem gloriam « in claritate ſcientiæ quam tradidit mihi Do- « minus, qua totam eccleſiam ſuam dignatus « eſt illuſtrare meo miniſterio ac labore. Et « evanuit ex oculis ejus, ad fruitionem ſanctiſſimæ Trinitatis in nunc & in perpetuum manſurus accedens. Hæc breviſſime de vita beati Alberti Magni dicta ſufficiant. Floruit

etiam hoc tempore frater Vincentius Belvacenſis, ordinis Prædicatorum, qui ſcripſit quatuor magna Specula, ſcilicet Naturale, Doctrinale, Morale, & Hiſtoriale, beato Ludovico Francorum rege ei libros miniſtrante. Scripſit etiam librum gratiæ, & epiſtolam conſolatoriam ad eumdem ſanctum Ludovicum ſuper morte ſui primogeniti. Scripſit etiam libellum de laudibus beatiſſimæ Virginis ex dictis ſanctorum concatenatum, & multa aliæ.

VIII. *De magiſtro Johanne Vercellenſi, & de B. Thoma Aquinate, & inſtitutione feſti Corporis Chriſti, ad ejus inſtantiam & preces impetrati.*

Anno Domini MCCLXII. obiit dominus Alexander papa IV. ſpecialis patronus fratrum Prædicatorum, & ſepultus eſt Viterbii in eccleſia cathedrali. Cui ſucceſſit dominus Urbanus IV. natione Gallus, & ſedit annis tribus, menſe uno & diebus quatuor.

Anno Domini MCCLXIII. magiſter Humbertus quintus ordinis magiſter magiſterio ceſſit. Hic enim religionis exemplar, & ceremoniarum pater totum officium quo ordo utitur, ordinavit: quam ordinationem D. Clemens papa IV. poſtea approbavit & confirmavit. Scripſit etiam hic pater ſanctus ſuper regulam ſancti Auguſtini egregium volumen. Item, libellum de ſeptem gradibus contemplationis. Item, de tribus votis religionis eſſentialibus; librum præterea de omnibus officiis divinis miro ordine dictavit, ut quilibet frater ſciat quid ſua intereſſet, cum ei aliquod officium imponeretur. Scripſit etiam ſuper conſtitutiones, ſed non perfecit morte præventus. Cum igitur hic glorioſus pater annis novem ordinem laudabiliter rexiſſet, magiſtratu ceſſit anno MCCLXIII. in capitulo Lugdunenſi, & ſupervixit annis XI. obiitque plenus bonis operibus anno Domini MCCLXXIV. in conventu Valentino Provinciæ. Hic etiam ordinari fecit librum de vitis fratrum Prædicatorum.

Anno Domini MCCLXIV. in capitulo Pariſienſi electus eſt in magiſtrum ordinis ſextum frater Johannes de Vercellis provincialis Lombardiæ, magnæ prudentiæ & ſapientiæ vir. Hic transferri fecit corpus B. Dominici in arcam de alabaſtro valde pulchram, in qua etiam nunc requieſcit, quam ipſe fieri procuravit. Et hoc anno Domini MCCLXVII. hic reverendus magiſter totum ordinem viſitavit cum baculo ſuo pedeſter ſemper incedendo. Qui ut melius oculata fide mores fratrum exploratos haberet, ſuperveniebat conventibus incognitus, & diligenter obſervabat qualiter religio obſervaretur. Unde cum ſemel ad quemdam conventum valde famoſum Teutoniæ debuiſſet accedere, dimiſſis ſociis extra civitatem, ipſe cum uno fratre hora prandii conventum ingreſſus eſt. Cumque quæreretur ab eis qui eſſent, reſponderunt quod erant fratres Lombardi. Quod prior qui in refectorio prandebat audiens, hoſpitium minime eis præparari juſſit, ſed ſervitori dixit: Vade & præpara illis Lombardis *in ultimo loco illius menſæ*. Quod cum factum fuiſſet, & male fuiſſent procurati, videns magiſter ordinis, quod prior & fratres alii haberent bonos piſces, & eis ſolum ferculum datum fuiſſet, vocato ſervitore dixit: Bone frater, dicatis patri priori quod placeat ei dare nobis etiam modicum de piſcibus, quia laſſi ſumus & jejunamus. Quod cum priori a ſervitore dictum fuiſſet, prior alta voce clamavit: Non habemus piſces pro Lombardis. Magiſter ordinis hoc audito patienter ſuſtinuit. Finito prandio, ſicut magiſter ordinaverat, dum fratres gratiarum actiones peragerent, ſocii magiſtri ad portam conventus pulſaverunt, & intromiſſi, dum peteretur ab eis qui eſſent, reſponderunt: Socii ſumus domini magiſtri ordinis. Et illi: Ubi eſt, inquiunt, magiſter ordinis? Quibus ſocii magiſtri dixerunt: numquid non venit ad vos jamdiu pater unus antiquus cum baculo, & uno ſocio? Conſternati illi & verecundia ac confuſione repleti, quid agerent neſciebant. Tunc magiſter ordinis mandavit pulſari ad capitulum, & ingreſſus capitulum aſſumſit pro themate, *Non habemus piſces pro Lombardis*, & increpata duriſſime inhumanitate prioris & fratrum, facta viſitatione priorem abſolvit, & fratres & conventum in melius reformavit. Hic beatiſſimus pater ordinem rexit annis fere viginti, & ob ejus ſingularem ſapientiam & prudentiam, aliquibus legationibus domini papæ laudabiliter functus eſt, & dum eſſet ultra montes, electus fuit in papam a dominis cardinalibus; ſed antequam electio ei fuiſſet præſentata, apud Montem-peſſulanum ſanctiſſime diem clauſit extremum anno Domini MCCLXXXIV.

Horum præcedentium magiſtrorum Umberti videlicet & Johannis tempore claruit etiam aliud luminare majus, ſcilicet ſanctus Thomas de Aquino, qui genere nobiliſſimo, utpote in linea paterna natus ex genere comitum Aquinorum, qui dicuntur comites de Laureto & Belcaſtro, & antiquitus dicebantur de Frangipanis Romanis, quæ fuit progenies ſanctiſſimi Gregorii papæ primi hujus nominis, & progenies eſt antiquiſſima. Retulit dominus Bernardus comes de Laureto, ſe habere unum inſtrumentum apud ſe pertinens ad progeniem ſuam, in quo Boëtius ſenator ſummus philoſophus & theologus, qui alias ſanctus Severinus appellatur pro teſte inducitur. In quo ipſa domus de Laureto & de Belcaſtro vocatur de Frangipanis, ut reperitur in quadam chronica antiqua in conventu ſanctorum Johannis & Pauli de Venetiis. In linea vero materna ha-

buit matrem Neapolitanam Theodoram nomine, quæ habuit duas carnales ſorores, quarum una mater extitit PETRI ſereniſſimi regis Aragonum, altera autem fuit mater inclyta LUDOVICI regis Siciliæ. Ex hac ergo nobiliſſima primogenie ortus beatiſſimus Thomas ordinem Prædicatorum infra annos pubertatis ingreſſus eſt, a quo nullis parentum blanditiis vel tribulationibus potuit amoveri, ſed poſt plures eorum perſecutiones, miſſus fuit Coloniam ad ſtudendum ſub magiſtro Alberto magno. Quo in loco exiſtens, dum eſſet devotus ſtudioſus & taciturnus, nec die nec nocte chorum neglexit, refectorium & alia communia frequentans, nihil in eis faſtidiebat, quo effectum ut præclariſſimæ ſcientiæ apicem apprehenderit. Unde miſſus Pariſios pro bacalaurio curſum ſuum laudabiliter exercuit, cum tanta omnium admiratione, & præclaro novoque legendi modo, quod ſchola ejus quotidie replebatur. Quo tempore ſcripſit ſuper quatuor ſententiarum libros. Triginta autem annorum exiſtens, factus eſt ſacræ theologiæ magiſter, in quo magiſterio annis fere viginti permanens, multa præclara & magna conſcripſit volumina, videlicet Summam theologiæ IV. magnis voluminibus diſtinctam, quæſtiones multas videlicet de veritate, de anima, de potentia Dei, de malo, de virtutibus. Summam contra Gentiles. Quolibeta XI. Super Job, Iſaiam, & Threnos. Super quinquaginta primos pſalmos pſalterii, ſuper Cantica, ſuper Matthæum, ſuper Johannem, ſuper omnes epiſtolas Pauli. Opus continuum in quatuor evangeliſtas. Opuſcula multa quæ uno magno & inſigni volumine continentur. Dictavit fallacias in Logica. Scripſit ſuper librum Perihermenias, Poſteriorum, Phyſicorum, de Anima, de Cœlo & mundo, de Generatione, & ſuper libros Ethicorum, Politicorum, ac Metaphyſicæ Ariſtotelis. Super Dionyſium de divinis nominibus, & de cæleſti hierarchia. Super Boëtium de Trinitate & de Hebdomadibus. Officium Corporis Chriſti ad mandatum URBANI papæ IV. Hæc & multa alia præclara edidit doctor hic glorioſus, quæ brevitatis cauſa prætermittuntur. Et quia mentio de officio Corporis Chriſti facta eſt, congrue cauſa tanti feſti inſtituendi hic ponetur. Cum enim B. Thomas ad mandatum B. papæ Urbani IV. dictaſſet opus continuum ſuper quatuor evangeliſtas, pro præmio laboris dominus papa ei epiſcopatum obtulit, quem ipſe noluit acceptare. Unde rogavit eumdem, ut pro reverentia ejuſdem Sacramenti feſtum inſtitueret particulare de eo ad laudem Salvatoris, & in recompenſationem ſui laboris: quod papa libentiſſime fecit concurrentibus maxime ad hoc quibuſdam revelationibus (a) factis & miraculis circa hujus ſacratiſſimi Sacramenti venerationem. Ad preces igitur ſancti Thomæ prædictum feſtum inſtituens, ordinavit officium per eumdem dictari, quod per univerſalem eccleſiam tali celebritate dici poſſet, quod & factum eſt. Hoc officium quod per totam eccleſiam celebratur, eſt illud quod ſanctus Thomas dictavit, & ita feſtum Corporis Chriſti eſt quaſi feſtum ſancti Thomæ & fratrum Prædicatorum, quia ad ejus inſtantiam & remunerationem laboris ejus inſtitutum fuit. [a]

Tempore hujus pontificis Urbani IV. apud Urbem-veterem vir ſanctitate & doctrina mirabilis dominus HUGO cardinalis ad Dominum migravit, cujus corpus Lugdunum ad eccleſiam fratrum Prædicatorum cum magna ſolemnitate tranſlatum eſt, & ſepultum cum tali epitaphio. *In hoc ſepulcro jacet vir laudabilis Hugo de ſancto Theodorico, Deo & hominibus gratioſus, tituli ſanctæ Sabinæ quondam presbyter cardinalis. Hic habetur ut luminare magnum eccleſiæ, ordinis Prædicatorum lucerna, Pariſius doctor theologiæ egregius, famoſus divinarum ſcripturarum tractator, & expoſitor lucidus verbi Dei, Prædicator eximius, oliva pietatis, palma juſtitiæ, ſpecies honeſtatis, religionis patronus, veritatis præco, pater pauperum, & ſolatium miſerorum, qui obiit apud Urbem-veterem anno Domini* 1262. XIV. *calendas Aprilis.* Hic D. HUGO fuit cardinalis legatus in Theutonia, & in ea legatione laudatiſſime ſe habuit.

Eodem tempore floruit frater Guhelmus Brabantinus ſacræ theologiæ bacalaureus, qui ad inſtantiam ſancti Thomæ omnes libros naturalis & moralis philoſophiæ & metaphyſicæ Ariſtotelis de græco in latinum tranſtulit, & librum de Apibus & de Naturis rerum compoſuit.

Hic URBANUS fratrem ANIBALDUM Romanum ſecundum cardinalem ordinis fecit. Qui vir doctiſſimus in ſententias præclara commentaria fecit: in quo cardinalatu vixit annis X. & beato fine quievit.

Anno Domini 1266. * Urbano IV. migrante Peruſii, electus eſt in papam D. Clemens IV. natione Provincialis, & ſedit annis tribus menſibus IX. & diebus XXI. Hic pontifex multum ordinem noſtrum dilexit, ac variis privilegiis decoravit. Qui moriens Viterbii in eccleſia fratrum Prædicatorum, quorum vitam & abſtinentiam dudum imitatus fuerat, corpus ſuum ſepeliri juſſit: quod etiam factum eſt. Ab hoc ſanctiſſimo pontifice, cum quidam miles peteret in quo ordine ſibi melius eſſet ingredi, ſcilicet in ordine Prædicatorum vel Minorum, eidem infra ſcriptas litteras direxit: CLEMENS (a) [b]

* l. 1264.

(a) De origine feſti Corporis ſingulare opuſculum edidit Bartholomæus *Eiſen* Societatis Jeſu eruditus presbyter, Leodii impreſſum anno 1628. De eo etiam vide quæ diximus in tom. 4. de antiquis eccleſiæ ritibus.

(b) Hæc epiſtola extat CCLXIX. inter editas a nobis tom. 2. Anecdotorum Clementis quarti epiſtolas; inſcribiturque *Ermengando de Melgorio militi.*

epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilecto filio ſuo P. militi ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Quaris a nobis conſilium quod apud te rectius poteris invenire. Si enim tibi Dominus inſpiravit relicto ſæculo, vitæ frugem appetere melioris, Dei ſpiritum ſicut nec poſſumus ſic nec volumus prohibere, præſertim cum filium habeas bene diſciplinatum (ut credimus) qui tuæ domui ſciet providere. Quod ſi propoſito non mutato ſciſcitaris ulterius, quem tibi ex fratrum Prædicatorum & Minorum ordinibus præeligendum credimus. Id præcipue conſcientiæ tuæ relinquimus. Magis enim tu ſcire poteris utriuſque ordinis obſervantias, quæ non ſunt pares in omnibus, & in diverſis articulis excedentes & exceſſa. Alterius quidem iſtorum ordinum lectus eſt durior, nuditas gravior, & (ut nonnulli judicant) paupertas profundior. Et alterius cibus parcior, longiora jejunia, & (ut quamplures autumant) ſanctior diſciplina. Neutrum ergo neutri præferimus, ſed in arctiſſima paupertate fundatos ad unum tendere credimus, ſalutem ſcilicet animarum. Et ideo ſive hunc ſive illum elegeris, arctam vitam aggredieris & per portam intrabis angustam ad terram melleſluam, & præ ceteris ſpatioſam. Unde hoc apud te pondera, hoc diligenter adverte, quis magis animo tuo placeat, quemque ſperes melius portaturum, & ſic uni converſatione adhæreas, ut amore ab alio non diſcedas. Frater enim Prædicator eſt reprobus, qui Minores non diligit; & execrabilis Frater Minor, qui vel odit Prædicatorum ordinem vel contemnit. Datum Perusii XIII. *kalendas Maii pontificatus noſtri anno ſecundo.* Intravit autem prædictus miles ordinem Prædicatorum & etiam filius ejus poſt eum.

Anno Domini 1271. electus fuit in pontificem D. GREGORIUS X. vir ſanctus & juſtus poſtquam per biennium vel triennium cardinales in contentione fuiſſent, & ſedit annis tribus, menſibus duobus & diebus XV. Hic fecit cardinalem fratrem PETRUM DE THARANTASIO, magiſtrum in theologia, virum doctiſſimum, qui poſtea fuit ſummus pontifex.

Hoc tempore in ordine Prædicatorum fulſerunt præclariſſimæ ſtellæ tam in ſanctitate vitæ, quam doctrinæ amplitudine ultra eos qui ſupra nominati ſunt. Quorum primus fuit PETRUS DE THARANTASIO prædictus, qui ſcripſit poſtillas ſuper Geneſim, Exodum, Leviticum, Numeros, Lucam, ſuper omnes epiſtolas Pauli, ſuper quatuor ſententiæ libros, de unitate formarum, de materia cœli, de æternitate mundi, de intellectu & voluntate. Hujus contemporaneus fuit frater Ægidius de Liſciviis bacalaureus in theologia, qui ſcripſit duos libros de unitate formarum. Item de immediata viſione divinæ eſſentiæ.

Item eodem tempore floruit frater ROBERTUS natione Anglicus archiepiſcopus Cantuarienſis ac cardinalis Portuenſis, qui ſcripſit ſuper Porphyrium prædicamenta, Petihermenias, ſex principia diviſionum, Priorum, Poſteriorum, Topicorum, Elenchorum ſuper Boëtium, ſuper Priſcianum minorem, de natura relationis, ſophiſtriam grammaticalem, ſophiſtriam logicalem. Librum de ortu ſcientiarum, de rebus prædicabilibus, de unitate formarum. Item ſuper libros Phyſicorum, ſuper cœlo & mundo, de generatione & corruptione, ſuper libros meteorum, de anima, ſuper metaphyſicam & omnes parvos naturales, & ſuper quatuor libros ſententiarum.

Frater etiam Ulricus Theutonicus bacalaureus in theologia ſcripſit ſuper librum meteorum ſuper ſententias & Summam theologiæ magnam & ſubtilem.

Frater Gerardus de Mida bacalaureus in teologia, ſcripſit ſuper metaphyſicam & ſuper Eccleſiaſten.

Frater Fridericus *de Vriburg* magiſter in theologia ſcripſit de origine prædicamentorum, de tempore, de iride, de menſuris rerum, de defenſione privilegiorum ordinis, de tribus difficillibus, de quidditatibus rerum, de generatione lucis, de viſione beatifica.

Frater Johannes Pariſienſis magiſter in theologia ſcripſit ſuper quatuor libros ſententiarum, item librum de iride & contra corruptorium ſancti Thomæ. Item libellum de tranſubſtatione panis & vini in ſacramento altaris, de unitate eſſe & eſſentiæ, de adventu Chriſti, & apologeticum.

Frater Jacobus de Voragine archiepiſcopus Januenſis ſcripſit legendam ſanctorum abbreviatam. Item ſermones Dominicales & Quadrageſimales, & de ſanctis per totum annum valde bonos & utiles, & Mariale B. Virginis.

Frater Johannes de Vriburgo lector ſcripſit Summam confeſſorum in caſibus valde notabilem. Item Confeſſionale pro audiendis confeſſionibus.

Frater Hermannus de Minda provincialis Theutoniæ ſcripſit de interdicto & inquiſitionibus criminum, & epiſtolas ſingulares.

Frater Johannes Chriſtophorus de Minda ſcripſit ſuper quatuor evangelia, ſuper Apoſtolum totum, ſuper canonicas epiſtolas, ſuper librum Elenchorum, & ſuper librum de anima.

Frater HUGO (*a*) Gallicus, qui fuit archiepiſcopus Lugdunenſis & cardinalis Hoſtienſis, ſcripſit ſuper quatuor libros ſententiarum. Item de univerſitate formæ. Item, de viſione immediata divinæ eſſentiæ. Item, contra corruptorium B. Thomæ.

(*a*) Nullus hoc nomine fuit tunc temporis archiepiſcopus Lugdunenſis, ſed Petrus Tharentaſienſis, qui fuit etiam ex ordine Prædicatorum & cardinalis Hoſtienſis, ſcripſit in quatuor libros ſententiarum, & de unitate formæ.

Frater

Frater Guillelmus de Altono Anglicus, magiſter in theologia. Hic ſcripſit poſtillam ſuper Mathæum. Item, de x. virginibus. Item ſuper Eccleſiaſten.

Frater Thomas de Suetonia Anglicus, qui ſcripſit ſuper prædicamenta ſex principia. Item, complevit ſcriptum S. Thomæ ſuper librum Perihermenias. Item, ſcripſit ſuper librum Priorum. Item, de unitate formæ. Item, duo quolibeta. Item, de relatione. Item, Summam theologiæ. Item, ſuper pſalterium. Item, Quæſtiones difficiles pro declaratione dictorum S. Thomæ.

Frater Richardus *Clapoel* Anglicus, magiſter in theologia, ſcripſit ſuper quatuor libros ſententiarum. Item, contra Corruptorium S. Thomæ. Item, de unitate formarum. Item, de immediata viſione divinæ eſſentiæ.

Eodem tempore GREGORIUS X. congregavit concilium Lugdunenſe, ad quod vocavit S. THOMAM propter ejus eminentem ſcientiam. Qui dum de Neapoli Romam accederet, in itinere infirmatus, devotiſſime apud monaſterium Foſſæ-novæ Ciſtercienſis ordinis, Terracinenſis diœceſis ad Dominum migravit, ætatis ſuæ anno quinquageſimo inchoante, & ſepultus fuit in illa abbatia ſub depoſito tamen: cujus abbatiæ conſanguinei ejus erant patroni, multis miraculis clariſſimus.

Mortuo Gregorio X. anno Domini M. CC. LXXV. creatus eſt in papam dominus INNOCENTIUS V. cardinalis de ordine Prædicatorum, Petrus de Tharantaſia antea vocatus, de quo ſupra dictum eſt. Qui primo fuit magiſter in theologia, poſtea archiepiſcopus Lugdunenſis & cardinalis Hoſtienſis, & demum Innocentius papa V. appellatus. Hic vita, moribus & ſcientia excellenter decoratus, infra ſex menſes a ſua creatione Romæ obiit, & in eccleſia Lateranenſi ſepultus fuit anno MCCLXXVI.

Mortuo Innocentio V. electus eſt in papam Adrianus V. qui cum ſediſſet menſe uno & diebus XI. obiit in Viterbio, & ibi ſepultus fuit.

Poſt eum ſucceſſit Johannes XXI. Petrus Hiſpanus antea vocatus, qui ſedit menſibus octo, & obiit Viterbii anno Domini M. CC. LXXVII. Nicolaus III. de Urſinis, natione Romanus pontifex creatur, qui ſedit annis tribus. Hic anno pontificatus ſui primo, fratrem Robertum Anglicum prædictum ordinis Prædicatorum fecit cardinalem Portuenſem. Idem papa dominum Latinum de Frangipanis, id eſt de progenie ſancti Gregorii papæ primi, cardinalem Hoſtienſem creavit, virum ſanctum, prudentem & doctum, qui in cardinalatu *vixit annis* XVII. & obiit anno MCCLXXXIV. Item anno MCCLXXX. dominus frater & magiſter Albertus-Magnus, de quo ſupra dictum eſt, migravit a ſæculo. Anno MCCLXXXI. electus eſt in papam Martinus IV. Ante iſtum Martinum reor magiſtrum Johannem Vercellenſem magiſtrum ordinis noſtri ſextum, fuiſſe electum in papam.

IX. *De magiſtro Munione & ejus generalatu ac multis viris excellentibus ſui temporis.*

Anno Domini MCCLXXXV. poſt obitum Martini IV. electus eſt in papam Honorius IV. qui ſedit annis tribus. Eodem anno electus eſt in magiſtrum ordinis VLI. in capitulo generali Bononiæ magiſter Munio prior provincialis Hiſpaniæ, & rexit ordinem annis VI. laudabiliter & prudenter. Hunc Nicolaus papa IV. aſſumtus ex ordine Minorum, abſolvit a generalatu, toto ordine reclamante, qui ſupervivens IX. annis aſſumtus fuit ad epiſcopatum Palantinum in Hiſpania. Et inde ad curiam vocatus, abſolutus eſt ab epiſcopatu per Bonifacium octavum. Tandem pius hic pater inter manus fratrum ad Dominum migravit, ſepultus in conventu ſanctæ Sabinæ Romæ. Fuit autem vir magni animi, & patientiæ ſingularis in adverſis. Hic pater ſanctus regulam fratrum & ſororum de Pœnitentia beati Dominici dictavit, quam nunc habent, cum prius ſub quibuſdam conſuetudinibus a B. Dominico eis traditis viverent, & ordinem illum plurimum auxit, & gratiis communivit.

Anno Domini MCCLXXXXII. poſt Honorium IV. cœpit Nicolaus IV. & ſedit annis VI. menſibus VIII. diebus XVI. Hic fuit de ordine Minorum, & fecit cardinalem dominum Hugonem II. Gallicum, de Baillione, archiepiſcopum Lugdunenſem, de quo ſupra, qui poſt mortem domini Latini factus eſt epiſcopus Hoſtienſis.

Eodem tempore Henricus de Gandavo, qui doctor Solemnis appellatur Pariſius, frater Jacobus de Viterbio ordinis Heremitarum, & magiſter Gofridus de Fontibus multa conſcripſerunt, quibus lucidiſſimam ac veridicam S. Thomæ doctrinam impugnare nixi ſunt. Contra quos ſuſcitavit Dominus ſpiritum glorioſorum doctorum ordinis Prædicatorum, qui doctrinam impugnatam glorioſius defenſarent, fundarent & declararent. Quorum primus fuit Robertus *Orford*, Anglicus, qui contra Henricum de Gandavo ſcripſit in his in quibus vult impugnare ſanctum Thomam. Item contra primum Ægidii, ubi adverſatur doctrinæ S. Thomæ.

Frater Bernardus Claramontenſis epiſcopus & baccalaureus in theologia ſcripſit contra Henricum, item contra Godefridum de Fontibus, & contra Jacobum Viterbienſem Auguſtinenſem in quibus latrant contra ſanctum Thomam. Idem ſcripſit ſuper quatuor libros ſententiarum.

Frater Guillelmus de *Maſſept* Anglicus, magiſter in theologia, ſcripſit contra Henricum de Gandavo, ubi ſanctum Thomam impugnare conatur. Item contra Corrupto-

rium corruptorii. Item quæſtiones de Angelis.

Anno Domini MCCLXXXXII. in capitulo Romæ celebrato electus eſt in magiſtrum ordinis frater Stephanus Biſuntinus, magiſter in theologia, & præfuit duobus annis. Hic obiit anno MCCLXXXXV in conventu Lucano. Scripſit autem ſuper Eccleſiaſten. Item libellum de auctoritatibus ſanctorum & philoſophorum. Item librum exemplorum per alphabetum narrationum. Item poſtillam ſuper Apocalypſim.

Hujus temporibus fuerunt viri litterati multi in ordine Prædicatorum, inter quos fuit frater Bernardus de Trilia Hiſpanus, magiſter ſacræ theologiæ, qui ſcripſit poſtillas ſuper Eccleſiaſten & librum Sapientiæ, tria Quolibeta ſuper Johannem, Quæſtiones de ſpiritualibus creaturis, Quæſtiones de anima conjuncta, Quæſtiones de anima ſeparata, Quæſtiones de differentia eſſe & eſſentiæ, Quæſtiones ſuper totam aſtrologiam, & Quæſtiones de potentia Dei.

Frater Oliverius Brito, magiſter ſacræ theologiæ, ſcripſit ſuper quatuor libros ſententiarum & ſuper librum Elenchorum.

Frater Nicolaus de *Goram* Gallicus, ſcripſit poſtillas ſuper Eccleſiaſticum, ſuper canonicas epiſtolas, ſuper Mathæum & Lucam, ſuper totum Apoſtolum, ſuper Pſalterium, ſuper Apocalypſim. Item Diſtinctiones & Themata.

Anno Domini MCCLXXXXIII. mortuo Nicolao IV. electus fuit Cæleſtinus V. qui ſedit menſibus quinque, quo papatui renuntiante, electus fuit Bonifacius VIII.

Anno Domini MCCLXXXXVI. electus fuit in magiſtrum ordinis IX. frater Nicolaus de Tarviſio, provincialis Lombardiæ, in capitulo Argentinenſi, qui in pace & humilitate ordinem rexit duobus annis, & fuit magnus amator communitatis: ſub cujus magiſterio provinciæ ordinis cum prius eſſent XII. diviſæ fuerunt in XVIII. provincias. Hic ex magiſtro ordinis aſſumtus fuit ad cardinalatum per D. Bonifacium VIII. ut infra dicetur.

Anno Domini MCCC. in capitulo generali Marſiliæ electus fuit in magiſtrum ordinis frater Albertus Januenſis, baccalaureus in theologia, vir religioſus, & præfuit tribus menſibus. Hic obiit in conventu Anagniæ in vigilia ſancti Auguſtini.

Anno Domini MCCCI. electus fuit in magiſtrum ordinis XI. frater Bernardus de Vizico de provincia Toloſana provincialis Provinciæ. Præfuit duobus annis & quatuor menſibus. Obiit autem in conventu Trevirenſi in feſto S. Lamberti.

X. *De domino papa Benedicto XI. ordinis noſtri.*

Anno Domini MCCCIII. mortuo Bonifacio VIII. electus eſt in papam II. calendas Novembris dominus magiſter Nicolaus de Tarviſio olim generalis ordinis, & tunc cardinalis Hoſtienſis, & appellatus fuit Benedictus XI. de quo ex chronica ordinis Fratris Bernardi de Caſtris ſancti Vincentii ſic habetur. Eadem Romana eccleſia geminata lætitia gratulatur ſe habuiſſe præſulem & paſtorem dominum Benedictum XI. qui prædictus eſt frater Nicolaus de Tarviſio, XIV. ætatis ſuæ anno ordinem fratrum Prædicatorum ingreſſus eſt, in quo XIV. annis primis ſtuduit & laudabiliter profecit, & in aliis XIV. annis ſequentibus exercuit officium lectoris, & XIV. annis aliis in prælationis officio in ordine laboravit. Hic prior provincialis Lombardiæ exiſtens factus fuit magiſter ordinis in capitulo generali Argentinæ, anno Domini M. CC. LXXXXVI. Hic præfuit magiſterio annis duobus cum dimidio in pace & humilitate ac æquitate magna, magnus amator communitatis. Deinde creſcentibus ejus meritis, & præconiis claræ famæ, vocatus eſt de magiſterio ad cardinalatus titulum & honorem, per dominum Bonifacium papam octavum, dum eſſet ipſe in provincia Provinciæ, cui per nuntios dominus Bonifacius papa infraſcriptas direxit litteras apoſtolicas videlicet.

BONIFACIUS *epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio fratri* NICOLAO *de Tarviſio quondam magiſtro ordinis fratrum Prædicatorum, in ſacroſanctæ R. E. presbyterum cardinalem aſſumto, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Inter ceteros ordines in agro plantatos Dominico, ſacrum fratrum Prædicatorum ordinem dileximus hactenus, & diligere non ceſſamus, ad ea quæ proſperum ſtatum ejus ſuique honoris incrementa reſpiciunt paternis ſtudiis intendentes. Volentes itaque perſonam tuam quam laudabilis fama refert, ac fide digna clamat aſſertio, claris virtutum inſigniis decoratam, & in te præfatum ordinem multipliciter honorare, te nuper de fratrum noſtrorum conſilio in presbyterum cardinalem ſacro S. R. E. duximus aſſumendum. Quocirca diſcretioni tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi onus a Domino prompta devotione ſuſcipiens, te ſubmoto dilationis obſtaculo præpares ad noſtram præſentiam quantocius acceſſurus. Datum Reate nonis Decembris pontificatus noſtri anno* IV.

Præfatam litteram cum bulla recepit ipſe dominus Nicolaus in Leſinhano prope Narbonam. Et ſequenti mane intravit Narbonam, & in capitulo fratrum præſentibus fratribus, & dominis civitatis & multis ſolemnibus viris fecit legi litteras apoſtolicas, & renunciavit magiſterio ordinis lacrymabiliter, & cardinalatum acceptavit. Hic igitur primo cardinalis preſbyter fuit tituli ſanctæ Sabinæ, & poſtmodum tranſlatus fuit ad epiſcopatum Hoſtienſem, in quibus dignitatibus manſit quaſi annis quinque. Tandem mortuo Bonifacio VIII. factus eſt ſummus pontifex, & BENEDICTUS XI. fuit appellatus. In quo pontificatu vixit menſibus VIII. & diebus XVII.

& migravit apud Perusium Mccxv. nonis Julii, die martis, hora quasi nona, omnibus ecclesiasticis sacris devote susceptis, & sepultus fuit in ecclesia fratrum Prædicatorum Perusii ante altare sub terra sicut ipse mandavit dum adhuc viveret, ne in alto ponerentur, sed sub terra ex magna humilitate quam habebat & licet modico tempore vixerit, multa tamen bona fecit & meliora sperabantur. Nam constitutionem Bonifacii de sepulturis revocavit tamquam nimis rigidam, & aliam fecit quæ incipit. *Inter cunctas*, in favorem religiosorum. Præterea duos cardinales ex Columnensibus reconciliavit, quos Bonifacius acriter fuerat persecutus. Hic etiam fecit successive tres cardinales de ordine Prædicatorum, videlicet dominum NICOLAUM de Prato in titulum Hostiensis, fratrem GUILLELMUM Anglicum. Item fratrem GUALTERUM Anglicum, confessorem regis Angliæ in presbyteros cardinales, concessit etiam privilegia multa religiosis, & eos tenerrime dilexit. De hoc sanctissimo viro legitur, quod cum mater ejus, quæ erat pauperrima, audisset eum pontificem creatum, venit Romam ad videndum eum. Cumque ab amicis pretiosis vestibus sericeis fuisset induta, ad præsentiam pontificis est perducta. Quam cum pontifex ita pompose indutam vidisset, abhorruit factum, & dixit: Quæ est ista domina quam ante me præsentastis. Et illi: Beatissime pater, est mater sanctitatis vestræ. Qui licet optime eam cognosceret, ait: Mater mea est una paupercula, viljbus vestibus induta, & ista est ita bene induta, quod non cognosco eam pro matre mea, unde eam extra ducatis, quia non cognosco eam ut matrem meam. Quæ educta & vestibus viljbus, quibus antea vestiri consueverat, reinduta, ad conspectum pontificis præsentata fuit. Quam pontifex de cathedra descendens amplexatus est, & dixit circumstantibus: Filii, ista est mater mea paupercula, & non illa dives & pretiose induta. De quo multum ædificati fuerunt omnes, attenta ejus maxima humilitate. Ordo fratrum Servorum beatæ MARIÆ, qui dicitur ortum habuisse a beato Petro martyre ordinis nostri, licet alii dicant quod non originem habuit ab eo, sed magnum incrementum receperit, a domino Benedicto papa XI. ordinis fratrum Prædicatorum fuit confirmatus, ob magnam devotionem, quam ad ipsum martyrem gloriosum habebat, & quia, sicut scriptum est, *qui se humiliat exaltabitur*. Quia iste sanctus pontifex se valde humiliaverat, ideo post mortem ejus adjecit eum Dominus magnificare super terram corruscatione miraculorum, ut per hoc ostenderet, quod felix viveret in excelsis. Quædam hic inferius annotavi, prout accepi ex litteris fide dignorum in curia existentium, qui visu vel auditu de eis potuerunt certius informari. Et quædam ex eis post-

A modum audivi relationi plurium confirmari. Quæ quidem breviter & summatim ponam, dimissa omni historiæ longitudine. Ipsa die obitus beati Benedicti papæ, qua sancta illa anima ad cœlum conscendisse creditur est, tanus fuit concursus populorum circa corpus ejus in palatio adhuc positum, venientium ad pedum oscula beatorum, & in crastinum in ecclesia fratrum Prædicatorum dum officium cantaretur, & super sepulchrum ipso etiam tumulato, quod pressura gentium a nomine potuit cohiberi. Cœperuntque variis languoribus laborantes beati Benedicti B papæ suffragium implorare, moxque divinam adesse virtutem percipere & sentire.

Mater cujusdam fratris ordinis Prædicatorum, quæ per xiv. annos continuos dolorem capitis continuum sustinuerat, devote sibi devovens protinus est curata.

Homo quidam filium habens, qui tribus diebus sine cibo & potu fuerat, de vita ipsius pueri quasi desperatus, ad sepulcrum beati Benedicti eumdem attulit: & quia tulit cum reguli ac centurionis fide & devotione, quærens salutem filii, statim B. Benedicti meritis sanitatem recepit, & per se in ecclesia C deambulare cœpit, qui prius fuerat deportatus.

Mulier quædam brachium alterum curvum & quasi aridum habebat, cum quo nihil agere poterat. Quæ benedictionis & salutis ibidem petens auxilium, a benedicto Domini, protinus est curata, ita quod sic cum eo sicut cum altero omnia poterat operari.

Quædam etiam mulier, & quidem puer penitus nihil videntes, ad Benedicti sepulcrum perducti, statim fuerunt ejus meritis ad D lumen pristinum reducti.

Quidam domicellus vice cancellarii impotens factus in uno brachio, audiens tanta miracula beati Benedicti papæ meritis divinitus perpetrari, cum fide & devotione ad ejus sepulcrum veniens, fuit ibidem continuo liberatus.

Quamdam mulierem a fluxu sanguinis quem per annum passa fuerat liberavit.

Puerum unum ad ambulandum penitus impotentem in pedibus & tibiis ex retro jam multis annis, ibidem suis meritis instauravit, E & gressum reddidit, præsente populo & testimonium perhibente.

Quædam mulier dæmoniaca ad sepulcrum Benedicti papæ adducta fuit, in eisdem diebus paulopost ipsius tumulationem, quam diabolus multum vexabat, & torquebat & vociferare præ angustia miserabiliter compellebat. In qua diabolus mulieris utens labiis, latinum congrue admirantibus audientibus loquebatur. Muliere igitur juxta sepulcrum posita, unus frater Prædicator, præsentibus omnibus qui aderant clericis & laicis in multitudine copiosa, & duo-

bus fratribus Minoribus, incipit dæmonem adjurare dicens: Adjuro te ex parte Dei, & » servi ſui papæ Benedicti, ut exeas inde & di- » mittas iſtam mulierem. Tunc reſpondit dæ- » mon verbis latinis: Quomodo credis quod » Benedictus me hinc expellat, cum Franciſ- » cus me non potuerit expellere? Prædicta nam- que mulier prius adducta fuerat apud Aſſi- ſium ad B. Franciſci tumulum. Tunc frater » dixit: Scio quod uterque habet poteſtatem » a Deo expellendi te. Sed Deus poteſt iſtam » gratiam reſervare ſancto papæ Benedicto, » quam non fecit ſancto Franciſco hac vice. » Tunc dixit demum: Rogo te, ut non me » vexes amplius, nec infeſtes, quia per XVI. an- » nos in hac muliere manſi. Et iterato cœpit eum frater adjurare ex parte beati papæ Be- nedicti, ut prius, & dicere evangelium ſe- cundum Johannem: *In principio erat Verbum.* Cumque perveniſſet ad finem & dixiſſet: *Et Verbum caro factum eſt*, continuo exivit dia- bolus, & dimiſit mulierem ita conquaſſa- tam & vexatam, quod multo tempore nihil potuit loqui. Poſtquam autem reſpiravit, vi- ribus aliqualiter jam reſumtis, devote lau- des & gratias egit Deo & S. Benedicto, nec ulterius locuta eſt latinum, quod non didi- cerat, nec ſciebat, nec recordata eſt quod umquam taliter fuerit locuta, ſed cum ſibi dicebatur, de hoc plurimum mirabatur.

Oratio.

Deus qui beatum Benedictum pontificem tuum benedictionis tuæ gratia ſublevaſti ad cœlum, populum tuum, quæſumus, nova benedictione gratiæ tuæ ſanctifica, & a cunctis malis imminentibus ejus meritis & precibus tua nos virtute defende, per Chriſtum.

Anno Domini 1304. Clemens papa V. eligitur in papam poſt longam contentio- nem cardinalium, & ſedit annis VIII. hic tranſtulit curiam ultra montes, quæ conti- nue ibidem manſit uſque ad Gregorii XI. pontificatum. Qui divina revelatione per bea- tam Catharinam Senenſem ordinis de Pœ- nitentia beati Dominici ſibi facta, curiam ad urbem Romanam reduxit. Hic Clemens fecit concilium generale apud Viennam Gal- liæ, & multas conſtitutiones, præſertim con- tra religioſos. Ex ordine autem Prædicato- rum ſucceſſive tres cardinales creavit, quo- rum primus fuit dominus Nicolaus de Fa- rinula, qui tunc erat confeſſor regis Fran- ciæ. Hunc conſtituit preſbyterum cardina- lem tituli S. Euſebii. Secundus fuit dominus Thomas Anglicus magiſter in theologia, quem fecit preſbyterum cardinalem tituli S. Sabinæ. Tertius fuit frater Guillelmus Petri Barbarienſis magiſter in theologia, quem ex lectore ſacri palatii fecit preſbyte- rum cardinalem S. Ceciliæ. Poſtmodum au- tem per dominum Johannem XXII. factus eſt cardinalis epiſcopus Sabinenſis.

Anno Domini 1308. (a) electus fuit in magiſtrum ordinis XII. frater Aymericus Placentinus, Lombardus, tunc lector Bono- nienſis, in capitulo generali Toloſano. Hic legerat in ordine annis XXIII. tam in philo- ſophia quam in theologia, & ordinem gu- bernavit annis VII. Hic etiam in capitulo Neapolitano ceſſit magiſtratui, & pluribus annis ſupervivens, tandem Bononiæ die VII. Junii 1327. diem clauſit extremum, ibidem ſepultus. [a]

Anno Domini 1312. electus fuit in ca- pitulo generali Carcaſſonæ in magiſtrum or- dinis XIII. frater Berengarius de provincia Toloſana. Hunc papa Johannes XXII. miſit legatum in Franciam, & poſtea conceſſit ei archiepiſcopatum Compoſtellanum.

XI. *De infamia ordini impoſita per quendam monachum Ciſtercienſem & fratres Minores, dicentes quod frater Bernardus de Monte-Politiano veneno in hoſtia conſecrata extinxerat ſereniſſimum dominum Henricum* Lucellemburch *imperatorem Romanum.*

Anno Domini 1314. ſereniſſimus domi- nus Henricus *Lucellemburch* Romanorum im- perator exiſtens in Tuſcia, in civitate Piſa- rum, & volens cum exercitu verſus reliquas partes Tuſciæ adire, per magiſtrum Bartho- lomæum de Vagenaria fuit diſſuaſus, ne illo tempore exponeret ſe itineri propter æſtum, quia erat diſpoſitus ad magnam infirmita- tem. Cumque ille nullo modo acquieſcere voluiſſet, tandem poſt in Bonconventu in- firmatus, die nona diem clauſit extremum. Quidam autem monachus Johannes nomi- ne ordinis Ciſtercienſis, qui erat capellanus imperatoris, ſperans effici confeſſor ejus prop- ter diſceſſum cancellarii & epiſcopi Boton- tini, qui imperatorem aliquando in con- feſſione audiebant, & videns Johannes quod frater Bernardus de Monte-Politiano ordinis Prædicatorum effectus eſſet ejus confeſſor, invidia motus ipſum fratrem Bernardum in- famavit, quod imperatorem in hoſtia con- ſecrata veneno extinxiſſet. Unde propterea magna tribulatio excitata fuit ordini Prædi- catorum per Alemanniam, & provincias quæ erant ſub imperatore prædicto. Verum com- perta veritate, quod imperator ex naturali infirmitate obierat & non ex veneno, plures cardinales & epiſcopi teſtimonium innocen- tiæ fratris Bernardi qui culpabatur & famæ ordinis Prædicatorum per ſuas litteras ad prælatos illarum partium tranſmiſerunt, & ipſe frater Bernardus obtulit ſe cujuſcumque recte ſentientis judicio & examini, ſicut per litteras ſuas evidentius ſe purgat, & etiam teſtimonia de vita laudabili ipſius fratris Ber- nardi, quam ſemper tenuit in ordine ipſum.

(a) Lege 1304. quo anno celebratum eſt capitulum ge- nerale Toloſæ.

immunem declarant. Nam ſemper fuit bonæ famæ & honoratus in officiis ordinis, & propter bonitatem ſuam in multis negotiis ordinis fuit expoſitus. Infraſcripta autem ſunt indicia quibus frater Bernardus ab hoc ſcelere purgatur clariſſime & evidentiſſime. Primo, quia ipſe frater Bernardus probatus fuit ſemper innocentiſſimæ vitæ & laudabilis famæ in ordine, nec tantum flagitium in tantum dominum & cum vivifico ſacramento admiſiſſet. Secundo, omnes conſanguinei ejus (nam erat nobilis genere) erant de parte imperatoris, & ei valde favorabiles, nec eis tantam injuriam, infamiam, & damnum feciſſet. Tertio, per dominum NICOLAUM de Prato cardinalem Hoſtienſem, qui erat amiciſſimus dicti imperatoris ipſe F. Bernardus datus fuerat in ſervitium & familiarem dicti imperatoris. Quarto, ſumme honorabatur ab imperatore. Nam confeſſor ejus factus fuerat, & imperator plus in eo quam in aliquo confidebat, & ejus principibus æquabatur. Quinto, quia poſt mortem imperatoris non fugit ad inimicos imperatoris, ſed ad ejus amicos acceſſit, & judicio cujuſlibet recte ſentientis ſe expoſuit. Sexto, quia medicus imperatoris antequam Piſis recederet, ei ſuum receſſum diſſuaſit, aſſerens quod diſpoſitus erat ad magnam ægritudinem, de qua re ipſe medicus publicum fieri fecit inſtrumentum. Septimo, quod in vigilia aſſumtionis Dominæ noſtræ habuit unum paroſiſmum tertianæ, de quo non curavit, & in die Dominæ noſtræ præſentibus multis baronibus communicavit, & diem illum cum illis in magno convivio & lætitia expendit, & poſtea die ſequenti omnino voluit equitare, & caſtra movit, & ex labore itineris & æſtu habuit alium paroſiſmum, qui numquam eum deſeruit. Octavo, ipſe erat in loco valde infirmo, quia locus ille ſuos habitatores devorat, ſicut dicunt ipſi habitatores ejuſdem loci. Nono, quia medici dederunt ei quotitidie tres & aliquando quatuor ciatos vini nigri potentis, cum tantumdem de aqua, & offa panis calefacti & tergia, volentes ſubvenire debilitati, & non conſiderantes æſtivum tempus, & febrem acutam quam habebat, & ex his tantum febris ardor crevit, quod non inveniebat requiem ullam, donec nono die poſt ſecundum paroſiſmum diem clauſit extremum. Decimo, quia poſt mortem nullus tumor aut depilatio ſecuti ſunt; ſed ſicut erat quando obiit, ita perſeveravit cadaver ejus. Undecimo, quia ſereniſſimus rex JOHANNES rex Bohemiæ filius prædicti imperatoris ſereniſſimi, & reverendiſſimus dominus BALDUINUS archiepiſcopus Treverenſis & alii principes, & omnes imperii electores, item epiſcopi nobiles quamplurimi Theutoniæ & Italiæ, imperio fideliſſimi, diſcuſſione diligentiſſima ſuper hoc fideliter habita, vivis ſuis vocibus litteriſque

A ſigillis corroboratis, fuiſſe falſum & confictum hujuſmodi ſcelus contra prædictum fratrem Bernardum demonſtraverunt univerſis, & ſuper omnes CAROLUS IV. imperator, filius ſupradicti Johannis regis Bohemiorum, filii Henrici imperatoris, ſuo ſermone ad ordinem noſtrum oſtendit eſſe falſum. Inſuper poſt aliquot annos fecit celebrare capitulum generale fratrum Prædicatorum in Praga civitate Bohemiæ; in cujus capituli ſolemni celebratione in die Pentecoſtes imperator erat præſens, ſtans in miſſa, in loco ſuo, imperia-
B libus inſignis & corona inſignitus in dextro choro; & eodem modo imperatrix in choro ſiniſtro, in excuſationem fratrum & ordinis & infamiæ factæ ratione mortis avi ſui. Fratres enim Minores famaverant per totam Thuringiam & Myſiam, quod ideo convocaſſet fratres Prædicatores in Pragam ad capitulum, ut vindicaret mortem avi ſui. Quod imperator intelligens, omnem honorem excogitabilem & decentem in ſui excuſationem & ordinis, ordini & fratribus exhibuit. Primo enim fecit deaurari turrim noſtri con-
C ventus. Poſt in die Pentecoſtes ſtetit in choro imperialibus inſignitus, & fecit exhiberi & offerri fratribus duas bullas aureas ad altare, quarum una eſt de exemptione ab omnibus principibus Chriſtianis ſæcularibus, & quod ſolum ſumus ſub imperio; ſecunda eſt de ſucceſſione & hæreditate paterna. In ſecunda feria Pentecoſtes invitavit totum capitulum ad aulam ſuam in caſtro Pragenſi, & glorioſis pavit ferculis, miniſtrantibus ibidem proceribus ſuis. Poſt prandium duxit omnes fratres ad cathedralem eccleſiam quæ
D in caſtro eſt, & oſtendit ibidem reliquias imperii & omnem ornatum domus ſuæ, & cum ſolemnitate reduxit fratres in propria perſona ad conventum, ut fratres Minores mendacium dixiſſe omnibus patenter oſtenderet. Nec obſtat quod aliqui objiciebant, quod in prædicta infirmitate corpus imperatoris effectum eſt nigrum, quia pleureticus erat. Et ſi medici uſi fuiſſent diligentia, & non ita calidis eum refeciſſent, forte mortuus non fuiſſet. Extant autem copiæ litterarum plurium reverendiſſimorum dominorum cardinalium & domini epiſcopi Aretini ad prælatos Alemanniæ ſuper aſſertione innocentiæ
E fratris Bernardi prædicti. Extat & epiſtola ipſius fratris Bernardi omnem rei ſeriem narrans, quas ſi quis videre deſiderat ad longum, legat chronicam præfati magiſtri Jacobi de Suſato. Hic autem brevitatis cauſa omiſſa ſunt. Non obſtantibus ſupradictis defenſionibus, & probationibus veritatis innocentiæ fratrum Prædicatorum, & falſitatis Minorum, adhuc rabido dente rabiem ſuam rodentes, quidam fratres Minores nobis inſultare non ceſſant, & præſertim quidam frater Minor, qui anno Domini MCCCCX. Lubicenſibus chronicam ſcribens, mentiendo

in ipſa hanc hiſtoriam interſerit, dicens quod ob hoc flagitium in pœnam datum eſt ordini noſtro, quod omnes fratres quando celebramus, communicemus nos cum manu ſiniſtra, quod quam falſiſſimum ſit ex his apparet. Primo quia nemo debet gravari onere alieno ex regulis juris. Unuſquiſque enim onus ſuum portabit Gal. 6. ca. & 24. q. 4. ca. *Si quis catholica.* Malus portat cauſam ſuam, nec præjudicabit alteri quem in conſenſu mali operis ſocium non habet criminis, dicente Domino Ezech. xviii. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater portabit iniquitatem filii.* Quanto minus fratres unius religionis. Eſto quod verum eſſet id quod fratres Minores falſe compoſuerunt, quia ex dicto ipſorum ſequeretur quod B. Petrus traxiſſet noxam ex Juda traditore ejus coapoſtolo, cujus contrarium cau. 24. q. 1. *Non turbatur*, dicens: Non turbatur navis quæ Petrum habet, ſed turbatur quæ Judam habet. Secundo, quia ordinarius, id eſt rubrica ordinis fratrum Prædicatorum in principio ordinis confirmatus, habet ſic de diviſione hoſtiæ dans modum & formam, quod ſacerdos dividat hoſtiam primo in duas partes, deinde partem quæ tenetur in dextera ſuperponat in tranſverſum parti reliquæ in ſiniſtra, & dividat illam in alias duas, ita quod digiti fracturam non tangant ſi fieri poteſt, in ſiniſtra retinens duas partes uſque ad perceptionem, & hæc littera in nullo libro ordinis noſtri eſt mutata, nec per modum additionis appoſita, ſed ſicut erat in principio ſcriptura ordinata, ita etiam perſeverat. Et eſt quatruplex ratio quare ſacerdotes ordinis fratrum Prædicatorum communicant cum ſiniſtra. Prima trahitur ex dictis B. Gregorii papæ in homelia dici Paſchæ. Quid per lævam niſi præſens vita ſignificatur? Cum igitur fratres Prædicatores communicant cum ſiniſtra, ſignificare volunt quod per virtutem ſacramenti & Paſſionis Chriſti de præſenti miſeria transferuntur ad gaudia ſempiterna. Secunda ratio, quia omnes nos, ſcilicet gentiles ex quibus conſtituitur eccleſia, fuimus filii iræ & per conſequens per ſiniſtram deſignati; filii vero Iſrael fuerunt filii dilecti & filii dextræ, ſed vice mutata tranſlatum eſt regnum ad eos qui fuerunt filii ſiniſtræ. Nobis igitur filiis quondam iræ, nunc dilectionis, ſacramentum in quo eſt virtus regni, datum eſt ſolum. Judæis numquam; ſed eſt figura & umbra, nobis autem veritas & res. Nec transferetur ad Judæos, ſed apud eccleſiam ex gentibus conſtitutam durabit in æternum, ad quod ſignificandum communicant cum ſiniſtra. Tertia ratio eſt poſtquam ſacerdos ſe transfert in miſſa ad ſiniſtrum cornu altaris, tractatur Chriſti Paſſio, & illa recordantur tunc quæ Dominus noſter geſſit hic in ſua humilitate benedicta pro omnium noſtrum ſalute. Quod evangelium regni videtur annuere, quod tunc primo legitur. Idcirco in diviniſſimo ſacramento memorantes dulciſſimam Paſſionem Chriſti, quam pro humani generis ſalute hic in ſiniſtra, ſcilicet in præſenti vita, paſſus eſt, cum ſiniſtra communicant. Quarta ratio eſt ex nomine ordinis fratrum Prædicatorum; nam Innocentius III. dedit ordini nomen fratrum Prædicatorum, quia prædicaturi erant JESUM CHRISTUM crucifixum, & ideo dedit ordini, ſcilicet generali fratrum Prædicatorum, crucifixum pro ſigno ſigilli. Qui quidem generalis magiſter habet crucifixum in ordinis & officii ſui ſigillo. Cum ergo hic in ſiniſtra, ſcilicet præſenti vita, Dominus ſit crucifixus, quem verbo crucifixum prædicamus, in ſigillo pro ſigno habemus, manu ſiniſtra paſſum crucifixumque in humanitate in officio miſſæ cum manu ſiniſtra communicando demonſtramus. Inſidioſe igitur & malitioſe fratres Minores aſſeruerunt nobis ob prætenſum veneficii imperatoris flagitium in pœnam impoſitum fuiſſe ſiniſtra manu communicare, & falſo crimine honorem ordinis Prædicatorum male & falſe diffamaverunt. Quæ falſitas ex præmiſſis poteſt deprehendi evidenter. Hæc autem hic poſita ſunt, ut veritas facti fratribus ignorantibus eam manifeſtetur. Hæc omnia habentur in chronica prælati reverendi patris fratris Jacobi de Suſato ordinis Prædicatorum. Alias rationes quare communicamus cum manu ſiniſtra ponit magiſter Leonardus de Utino in quadrageſimali ſuo, ſermone 42. de dignitate animæ humanæ, in ſecunda parte ejuſdem ſermonis, & in teſtimonio legis canonicæ, ubi ſic dicit: Propterea nos fratres Prædicatores communicamus cum manu ſiniſtra, quia in ea parte eſt cor, etiam quia manipulus qui deſignat indiſſolubilem colligationem cordis noſtri cum JESU CHRISTO ponitur in manu ſiniſtra ob ſerventem & cordialem caritatem noſtri ad Chriſtum, ut declaravi in Sermonario aureo de Sanctis, in ſermone de beato Dominico patre noſtro. Præterea uxor in ſignum illibatæ fidei & cordialis amoris geſtat annulum in manu ſiniſtra. Nobiles etiam & magni principes inſignia ſua, quæ vulgariter dicuntur *Deviſe*, deferunt ex parte ſiniſtra. Milites inſigne ſuum aureum ferunt in latere ſiniſtro. Ad abolenda ergo peccata quæ regnant in corde noſtro, Matthæi XII. *De corde exeunt cogitationes malæ, &c.* medicina ſuperponenda eſt cordi. Cantic. 8. *Pone me ſicut ſignaculum ſuper cor tuum.* Ratio autem litteralis eſt iſta. In principio ordinis noſtri inſurrexit quædam hæreſis, aſſerens non eſſe verum corpus Chriſti in altari, niſi quamdiu elevatur: cujus opinionis fuit magiſter Johannes *Wiclef*. Ordo autem noſter prævaluit contra hanc hæreſim miro modo eam con-

futando, in cujus ſignum datum eſt ordini noſtro, ut in miſſa poſt *Agnus Dei*, ante communionem tenerent fratres hoſtiam elevatam ſuper calicem, ut ſic adoraretur ab univerſo populo tamquam verum Corpus & Sanguis Chriſti, & ne deponeretur uſque ad communionem inclusive. Quia vero cum manu dextra habet ſacerdos tundere pectus ſuum, tamquam verum Deum adorans hoſtiam, oportuit ut cum manu ſiniſtra teneret, & ſic communicaret. Propter hanc cauſam plures fratres noſtri martyrio coronati ſunt ab hæreticis; & dum eſſem in concilio Ferrarienſi tempore domini Eugenii papæ IV. relatum eſt plures conventus noſtri ordinis funditus everſos ab Huſſitis in Bohemia, & plures trucidatos fratres ab eiſdem. Ordo enim noſter valde inſudavit contra hæreſes ad earum exſtirpationem, & præcipue circa hoc ſacramentum Corporis Chriſti. Hæc magiſter Leonardus prædictus.

Claruit his temporibus Fr. Albertus de Brixia doctor præcipuus, cui revelata fuit a beato Auguſtino gloria S. Thomæ. Hic cum eſſet apprime doctus, ſummam de officio ſacerdotis valde utilem & bonam compilavit, & dies ſuos in ſanctitate vitæ & commendatione B. Thomæ complevit.

Hoc tempore floruerunt doctores inſignes in ordine, videlicet magiſter Robertus *Olchot* Anglicus, qui ſcripſit ſuper librum Sapientiæ elegantiſſime. Item ſuper ſeptem prima capitula Eccleſiaſtici. Item moralitates pulchras. Item floruit Johannes de ſancto Geminiano, qui ſermones perpulchros conſcripſit de tempore, Dominicales & quadrageſimales, de Sanctis & pro defunctis ad omnem ſtatum. Item librum de Similitudinibus. Item Fr. Hugo de Prato, qui ſermones dominicales & quadrageſimales ac communes ſolemnes compoſuit. Item F. Henricus de Arimino, qui ſummam de quatuor virtutibus compilavit egregie. Frater etiam Grandeus de Aſculo, qui in logica & philoſophia multa compoſuit. Item frater Dominicus Toloſanus qui in divina ſcriptura commentaria magna dictavit. Floruit quoque eodem tempore frater Bartholomæus de Piſis compilator Summæ Piſanæ, & nonnullorum aliorum voluminum. Frater quoque Raynerius Piſanus, qui ſummam magnam theologicam compilavit, circa iſta tempora fuit.

XII. *De beato Jacobo de Venetiis, qui jacet Forlivii, & de canonizatione S. Thomæ de Aquinis.*

Anno Domini MCCCXIV. obiit Forlivii beatus frater Jacobus de Venetiis LXXXIII. annorum exiſtens. Hic enim multis virtutibus & gratiis adornatus, omnibus ſanctitatis exemplar fuit. Poſt mortem vero magnis continue miraculis coruſcavit & coruſcat.

Anno Domini MCCCXVI. Johannes XXII. papa conſecratur in Avinione, & ſedit annis XIX. Hujus tempore factus eſt generalis ordinis noſtri magiſter HERVEUS natione Brito, electus in capitulo generali Lugduni celebrato anno Domini MCCCXVIII. Hic ordinem gubernavit annis V. & plus, & ſepultus fuit in Narbona.

Anno Domini *MCCCXXXIII. tempore iſtius magiſtri Hervei canonizatus fuit S. THOMAS DE AQUINO ordinis noſtri, per prædictum dominum papam Johannem XXII. XV. cal. Auguſti in Avinione. Hic magiſter Herveus fuit ſolemnis magiſter in theologia, & multa ſcripſit, videlicet contra Henricum de Gandavo XV. quolibeta, & contra Durandum, ubi ipſe Durandus impugnat S. Thomam. Scripſit ſuper quatuor libros Sententiarum, & octo quolibeta. Item de Verbo. Item quæſtiones de peccato originali: de æternitate mundi, de cognitione primi principii, de beatitudine, de virtutibus moralibus, de ordine ſecundæ intentionis ad primam, de ſecundis intentionibus tractatus duos, de paupertate Chriſti & apoſtolorum, de Sacramentis, de poteſtate papæ. Plura etiam ejus opera habentur, quæ hic brevitatis gratia dimittuntur. *1323.

Scripſit eodem tempore F. Durandus ſenior ſcripta diverſa, duo ſuper Sententias, & duo quolibeta. Item tractatum contra Johannem XXII. de viſione divinæ eſſentiæ.

Scripſit etiam F. Durandus de ſancto Porciano ſuper quatuor libros Sententiarum, & duo quolibeta.

Item F. Nicolaus *Traveth* (a) Anglicus ſcripſit ſuper Boëtium de conſolatione, ſuper declamationes Senecæ, & ſuper Auguſtinum de Civitate Dei. [a]

Item frater Paganus ſcripſit poſtillas ſuper Pentateucum, ſuper Joſue, Judicum, Ruth, Regum, Paralipomenon, Eſdram, & Neemiam, Tobiam, Job, Parabolas, Eccleſiaſten, Cantica, librum Sapientiæ, Pſalterium, quatuor prophetas majores, ſuper Evangelia, ſuper Apocalypſim.

Hoc tempore facta eſt canonizatio ſancti Thomæ de Aquino a domino papa Johanne in eccleſia cathedrali Avenionenſi. Nam D. papa audita fama miraculorum & doctrinæ, & vitæ ejus, deputavit ſolemnes inquiſitores, qui inquirerent de prædictorum veritate: & probatis omnibus canonice, de omnium prælatorum tunc in curia exiſtentium conſilio, & aſſenſu, ſanctorum confeſſorum catalogo eſt adſcriptus. In die canonizationis ipſius prædicavit primo dominus papa Joan. XXII. in palatio ſuo, ſumto themate: *Scitote quoniam mirificavit dominus ſanctum ſuum*, & in eo mirabiles commendationes dixit, tam de ordine, quam de ſancto, & in-

(a) Ejuſdem auctoris non ſpernendum habes Chronicon in Spicilegii tom. 2.

ter alia quod ſanctus Thomas in hoc ordine geſſerat vitam apoſtolorum, quæ ordo nihil habet in proprio, licet habeat, & vivat in communi. Item dixit quod credebat iſtam eſſe vitam apoſtolorum. Addidit etiam quod nullus haberet pro malo, quod iſte glorioſus doctor poſt apoſtolos & doctores primos plus illuminavit eccleſiam Dei. Poſt modum prædicavit F. Petrus Graterei. Tertio loco prædicavit rex Siciliæ. Quarto loco prædicavit archiepiſcopus Capuanus excellentiſſimus. Quinto loco prædicavit alius quidam epiſcopus. Sexto loco prædicavit archiepiſcopus Arelatenſis. Septimo epiſcopus Vintonienſis. Octavo loco prædicavit epiſcopus Londonienſis de ordine Minorum. Hi ſermones facti fuerunt idibus Julii. Poſtea D. papa XV. kalend. Auguſti in feſto ſancti Alexii cantavit miſſam, & iterum ſermonem habuit de eodem ſumto themate: *Magnus es tu & faciens mirabilia.* Poſtea per regem & reginam & comitem ſancti Severini, & prælatos diverſorum ordinum facta ſunt magna feſta in conventu, ad quos venerunt domini cardinales cum magna lætitia.

Anno ſequenti D. STEPHANUS epiſcopus Pariſienſis de conſilio epiſcoporum & archiepiſcoporum, ac viginti trium magiſtrorum in theologia & triginta novem bacalaureorum quoſdam articulos qui videbantur tangere doctrinam ſancti Thomæ, condemnatos per univerſitatem Pariſienſem per litteras ſuas revocavit: (a) quæ littera Pariſiis in feſto S. Thomæ coram univerſitate poſt ſermonem publicata fuit, cum omnium gaudio & lætitia ad laudem Salvatoris.

Eodem tempore floruit F. Robertus domus Avenionenſis, genere nobilis, ſed ſanctitate nobilior, qui prædixit peſtilentiam futuram ante annos triginta quam cœperit: quæ ſecuta eſt infallibiliter ſicut prædixit. Prædixit etiam prophetice multa alia quæ completa ſunt ex magna parte. Claruit autem multis miraculis in vita & in morte. Inter cetera autem cum ſacrum corpus ejus ad ſepulcrum deferretur, divina virtute ita in altum elevatum eſt, quod ſubdiaconus cum cruce non potuit ipſum tangere & ſic elevatum divinitus delatum eſt uſque ad ſepulcrum.

Anno Domini 1324. electus eſt in capitulo generali Burdegalenſi provinciæ Toloſanæ in magiſtrum ordinis XV. F. BARNABAS Vercellenſis, qui doctor exiſtens in jure canonico, ordinem intravit, & in magiſterio vixit annis VIII. & obiit Pariſiis.

Anno Domini 1333. in capitulo generali Divionenſi electus eſt in magiſtrum ordinis XVI. F. Hugo Campanus, provincialis Franciæ, magiſter in theologia, & rexit ordinem annis XII. qui obiit in curia die VI. Auguſti.

Anno Domini 1334. papa Johan. XXII. jam moriturus, ſe & doctrinam ſuam in omnibus ſubjecit correctioni ſanctæ Romanæ eccleſiæ & ſic mortuus eſt.

Hoc tempore floruit in Tuſcia apud caſtrum Montis Politiani beata AGNES de eodem caſtro: Quæ ſanctimonialis de ordine Prædicatorum effecta, mirabili vita & miraculis quampluribus claruit. Hujus corpus venerabile aliquando liquorem ſudat valentem ad multorum ſalutem, qui devote ad eam accedunt. Corpus ejus numquam ſepultum fuit, ſed nec humanitus perunctum, ſed ſolo liquore ex ſeſe defluente ita eſt conſervatum, ut in integrum adhuc per omnia perſeveret. Hujus admirabilem vitam magiſter Raymundus de Capua diligenter conſcripſit.

Beata ſoror HELENA de Hungaria, quæ habuit quinque ſtigmata Chriſti, & magnæ perfectionis mulier, in Hungaria ſanctimonialis ordinis Prædicatorum fuit. Hujus diſcipula B. Margarita regis Hungariæ filia, ſimiliter ſanctimonialis mirabilibus virtutibus reſulſit.

Anno Domini 1340. corpus B. Petri martyris transfertur ad tumbam pretioſam præſentibus domino archiepiſcopo Mediolanenſi Johanne de Vicecomitibus, magiſtro ordinis HUGONE, & diffinitoribus capituli generalis, ac multis nobilibus. Quo tempore miracula glorioſa quamplura facta ſunt.

Anno Domini 1334. dominus BENEDICTUS papa XII. Ciſtercienſis creatus & ſedit annis VIII. Hujus tempore floruit beatus F. Venturinus de Bergomo prædicator excellentiſſimus, qui mirabilem fructum per totam Italiam fecit, adeo ut innumeras paces fecerit inter capitales inimicos, & licet injuſte multas tribulationes ſuſpicionibus dicti Benedicti papæ paſſus fuerit, tamen omnia patienter ſuſtinuit. Tandem conſolatus per dominum Clementem VI. ſanctiſſime obiit in Nigroponte ſeu Euboca inſula, in eccleſiaſtico & Chriſtiano exercitu contra Turcos. Hujus vita habetur plena omni ſuavitate, quæ hominem ſanctiſſimum luce clarius oſtendit.

Defuncto Benedicto XII. paucis mortem ſuam flentibus, CLEMENS VI. in papam conſecratur, & ſedit annis X. & menſibus VII.

Eodem tempore ſcilicet 1342. in capitulo generali Carcaſſonenſi electus eſt in magiſtrum ordinis XVII. frater GERARDUS DE SANCTO-ADOMARO, de provincia Toloſana, magiſter in theologia, abſens, & eodem anno aſſumtus eſt in cardinalem tituli ſanctæ Sabinæ, per D. dominum Clementem VI.

Anno ſequenti electus fuit in magiſtrum generalem ordinis XVIII. frater PETRUS DE PALMA

(a) Hanc revocationem habes tom. I. Anecdotorum pag. 1372.

PALMA magiſter in theologia [provinciæ] Franciæ, conventus Biſuntini, & obiit in officio poſt annum unum.

Anno Domini 1346. in capitulo generali Brivenſi provinciæ Toloſanæ electus fuit in magiſtrum ordinis XIX. frater GUARINUS provinciæ Franciæ magiſter in theologia, qui rexit ordinem duobus annis, & obiit in conventu Gratianopolitano.

Anno Domini 1347. electus eſt in magiſtrum ordinis XX. in capitulo Barchinonenſi F. JOHANNES DE MOLENDINO magiſter in theologia, lector ſacri palatii, & infra biennium aſſumtus fuit in cardinalem per dominum Clementem VI.

Anno Domini 1348. peſtis graſſata eſt per totam Europam & ita deſævit in homines, quod vix decimus remanſerit. Et fuit impleta prophetia fratris Roberti ſupra poſita.

Anno Domini 1352. in capitulo generali Caſtrenſi provinciæ Provinciæ electus fuit in magiſtrum ordinis. F. SIMON conventus Ligonenſis provinciæ Franciæ, ſacræ theologiæ magiſter, & præfuit ordini annis XIII.

*l. 1352. Anno Domini 1355. * mortuo Clemente, electus fuit in papam INNOCENTIUS VI. ſeditque annis IX. diebus XV.

Hoc tempore frater Henricus de Erfordia Mindenſis, provinciæ Saxoniæ ſcripſit, Chronicam glorioſam ab origine mundi uſque ad annum 1355. in quatuor magnis voluminibus. Item Catenam auream in pulchro volumine. Item tractatum de conceptione Virginis glorioſæ & alia multa.

Anno Domini MCCCLXII. cœpit Urbanus V. natione Provincialis, & ſedit annis VIII. menſe I. diebus XX. Iſte URBANUS mandavit corpus B. Thomæ, quod LXXV. annis ſub depoſito in monaſterio Foſſæ novæ jacuerat, ad conventum Toloſanum ordinis Prædicatorum tranſferri. Quod quidem magnis & multiplicibus coruſcans miraculis, cum magna ſolemnitate tranſlatum fuit.

Anno Domini MCCCLXVII. electus fuit in magiſtrum ordinis XXII. frater HELIAS de Toloſana, magiſter in theologia, qui tranſtulit corpus B. Thomæ de Italia Toloſam in conventu ſuo, ut dictum eſt. Hujus tempore floruit ſacratiſſima & admirabilis virgo Catharina de Senis tertii ordinis de pœnitentia B. Dominici, cujus excellentiſſima vita & doctrina profundiſſima eam mirabiliter commendant. Obiit autem anno MCCCLXXX. & ſanctorum catalogo aſcripta fuit anno MCCCCLXI. per Pium II. pontificem maximum, cujus vitam virtutibus admirandam magiſter RAYMUNDUS DE CAPUA, ordinis generalis magiſter deſcripſit. Hujus ordinis fuere plures ſorores Deo devotiſſimæ diverſis temporibus, quæ miraculis claruere. In primis in civitate Urbe-vetana fuere duæ virgines glorioſæ & innocentes, videlicet beata VANNA & beata DANIELA hujus ſtatus & ordinis, quæ in vita & morte miraculis claruere.

In civitate Caſtelli fuit alia B. ſoror MARGARETA nomine, quæ etiam in vita & poſt mirabilibus & inuſitatis miraculis coruſcavit. Cujus corpus adhuc integrum in eadem civitate apud fratres Prædicatores cunctis videre volentibus patenter oſtenditur.

In civitate Florentiæ fuit ſoror JOHANNA nuncupata, continentis vitæ, quæ etiam miraculis coruſcavit.

In civitate Piſana fuit ſoror PINA eximiæ pietatis & converſationis ſanctæ.

In civitate Venetiarum fuit ſoror MARIA, quæ ſingulariſſimæ & admirabilis vitæ fuit.

Item in civitate Senarum eſt alia ſoror CATHARINA magnæ virtutis adoleſcentula, quæ jacet in eccleſia Campi-regii in capella S. Dominici.

Anno Domini MCCCLXX. GREGORIUS XI. natione Provincialis creatur in papam, & ſedit annis IV. Hic divina relatione per beatam virginem Catharinam Senenſem facta curiam ad proprium locum reduxit, quæ per annos LXXIV. fuerat per diverſos pontifices ultra montes detenta. Hujus tempore Florentini ſuis machinationibus peſſimis fecerunt rebellare omnes terras eccleſiæ ab obedientia pontificis, & bona omnia eccleſiarum ſui potentatus immobilia abſtulerunt & vendiderunt, ut contra eccleſiam dimicarent. Propter quod gravi anathemate a papa Gregorio fuerunt innodati, & divinis interdicti fuere.

Anno Domini MCCCLXXVIII. electus fuit Romæ URBANUS VI. qui ſedit annis XII. menſibus XI. diebus XXII. Hic cum cardinales Gallos & Ultramontanos malis moribus aſſuetos corriperet, ab eis derelictus eſt. Unde elegerunt alium apoſtaticum, quem CLEMENTEM VII. appellaverunt, & ſic factum fuit ſchiſma in eccleſia Dei omnium peſſimum, quod duravit XL. annis. Nam Italia, Germania, Anglia, Portugallia, Hibernia, Dacia, Polonia, Bohemia, Hungaria Urbano: Francia vero, & Hiſpania Clementi obediebant. Hic Urbanus fecit duos cardinales de ordine noſtro aſſumtos, videlicet fratrem NICOLAUM de Neapoli, qui fuit doctor ſacræ theologiæ & inquiſitor hæreticæ pravitatis, quem creavit preſbyterum cardinalem S. Cyriaci, & D. MATHÆUM DE URSINIS Romanum, qui requieſcit in conventu Minervæ Romæ, & ex teſtamento ſuo reliquit bonam eleemoſynam capitulo generali & multis conventibus & monaſteriis ordinis. Unde ordo Prædicatorum ſicut & alii ordines diviſus fuit in duos generales. Magiſter HELIAS adhæſit Clementi VII. & vixit in generalatu annis XXXII. & magiſter RAYMUNDUS adhæſit Urbano & ſucceſſoribus.

XIII. *De generalatu magiſtri Raymundi de Capua & de beato Vincentio Valentino & aliis incidentibus illorum temporum.*

Anno Domini MCCCLXXX. electus fuit Bononiæ in magiſtrum generalem ordinis XXIII. pro obedientia Urbani VI. frater Raymundus de Capua, magiſter in theologia, vir ſanctus & doctus, qui fuit confeſſor ſanctæ Catharinæ de Senis. Hic pater cœpit ordinem reformare in conventu S. Dominici de Venetiis, a quo poſtea & Lombardia & Tuſcia, & Sicilia & Trinacria, & Hollandia, Hungaria, & Alemannia, Hiſpania & Francia pro magna parte reformatæ ſunt. Hic ordinem rexit annis XIX. & in conventu Nurembergenſi provinciæ Theutoniæ totus contractus ad Dominum migravit anno Domini MCCCLXXXX.

Poſt Urbanum VI. anno MCCCXC. electus eſt in pontificem Bonifacius IX. qui ſedit annis XIV. menſibus IX. Hujus anno II. ſcilicet anno Domini MCCCCI. electus fuit Utini in capitulo generali magiſter THOMAS DE FIRMO ſacræ theologiæ doctor in XXIV. generalem ordinis. Hic vir fuit magnæ prudentiæ & multa privilegia ordini obtinuit. Hic etiam ordinavit, quod provincia Lombardiæ *inferioris* vocaretur provincia S. Dominici, & per tria capitula generalia fuit probatum. Hic rexit ordinem annis X. & Januæ mortuus requieſcit. Hoc tempore claruit ſanctiſſimus pater beatus VINCENTIUS Valentinus ordinis Prædicatorum, vir in primis eximiæ ſcientiæ, vitæ ſinceriſſimæ ac in apoſtolorum gratiis multum ditatus. Hic enim per annos XL. quotidie prædicavit, celebravit, & alia opera præclariſſima fecit. Cujus prædicatione veriſſime comprobatum fuit, quod pluſquam viginti quinque millia Judæorum & octo millia Saracenorum ad fidem catholicam ſunt converſa, & ultra centum millia hominum perverſorum & deſperatorum, ac publicorum peccatorum ad vitam bonam venerunt. Hic plures mortuos vivens adhuc in corpore, & multo plures poſt mortem ſuſcitavit, & alia ſigna innumerabilia fecit. Inter cetera dona apoſtolorum quæ habuit, linguarum gratiam habere promeruit. Nam prædicans in ſuo idiomate Cathalano, ab omnibus quarumcumque linguarum intelligebatur. Hic plenus virtutibus anno ætatis ſuæ LXX. in Britannia, civitate Venetenſi, ad Dominum migravit anno MCCCCXVIII. & a Calixto III. canonizatus fuit.

Anno Domini MCCCCIV. electus eſt in papam dominus INNOCENTIUS VII. Hic ſummus pontifex confirmavit ordinem fratrum & ſororum de pœnitentia ſancti Dominici, ad inſtantiam fratris Thomæ de Senis viri ſanctiſſimi. Hic pontifex ſedit annis II. Hoc tempore claruit Forlivii beatus frater MARCOLINUS vir eximiæ ſanctitatis & miraculorum gratia inſignis.

Anno Domini MCCCCVI. electus fuit in papam dominus GREGORIUS XII. natione Venetus, vir ſanctitatis eximiæ, & ſedit annis III. Hic fecit cardinalem JOHANNEM DOMINICUM de Florentia, & miſit eum legatum ad imperatorem SIGISMUNDUM pro unione eccleſiæ procuranda, qui tandem obiit legatus in Hungaria tempore Martini V. Hic dominus GREGORIUS papatui ſponte renunciavit in concilio Conſtantienſi propter unionem faciendam.

Anno Domini MCCCCIX. convenerunt cardinales duorum pontificum Gregorii ſiliicet & Benedicti XIII. qui in ſua obedientia ſucceſſerat Clementi VII. & facto concilio Piſis, elegerunt dominum PETRUM DE CANDIA magiſtrum in theologia famoſiſſimum tunc cardinalem, & archiepiſcopum Mediolanenſem in papam, & ALEXANDRUM V. appellaverunt. Hic glorioſum privilegium fratribus mendicantibus conceſſit, quod incipit *Regnans in excelſis*, quod nimio zelo Pariſienſes & alii in concilio Conſtantienſi impugnare voluerunt, ſed minime potuerunt. Hic obiit Bononiæ & ſepultus eſt in conventu ſancti Franciſci. Huic ſucceſſit dominus JOHANNES XXIII. BALTHAZAR COSSA antea vocatus, & ſedit annis VI. Hic convocavit concilium in Conſtantia civitate Alemanniæ, ubi depoſitus fuit, & in caſtro recluſus. Tandem liberatus & cardinalis effectus, Florentiæ obiit.

Anno Domini MCCCCXV. electus fuit in generalem ordinis magiſtrum XXV. frater Leonardus de Florentia magiſter theologiæ in capitulo generali Florentiæ, qui fuit unus de electoribus papæ, electus in concilio Conſtantienſi. Hic multum laboravit in dicto concilio pro privilegiis ordinis contra Pariſienſes & alios. Hic ordinem rexit annis X. & menſibus VII.

Hujus tempore claruit doctiſſimus frater Johannes Capreoli Toloſanus, qui ſcripſit ſuper quatuor libros Sententiarum egregie in defenſionem doctrinæ ſancti Thomæ contra eam impugnantes. Frater etiam Franciſcus de Rethſa in univerſitate Viennenſi, qui legendo in ſcholis proverbia continuavit annis XII. & amplius, iſtud thema ſemper reiterando *primi & puriſſimi fructus ejus*, applicando ſemper ad beatam Virginem, & multa volumina pulchra & magna de eadem ſcribendo. Scripſit etiam ſuper *Salve Regina* integrum volumen, & multa alia.

Eodem tempore claruit magiſter Jacobus de Suſato conventus Colonienſis, qui fuit inquiſitor contra hæreticos, & ſcripſit ſuper quatuor libros Sententiarum ad litteram, ſuper librum Sapientiæ, ſuper epiſtolam ad Hebræos. Item ſuper Mathæum tria magna volumina, ſuper epiſtolam ad Titum duo magna volumina, ſuper miſſam unum volumen, tractatum de veritate conceptionis

beatæ Virginis. Item de origine & unitate ecclesiæ. Item tractatum de hora mortis Christi. Item chronicam unam. Item mappam mundi. Item ordinavit privilegia ordinis cum defensione eorumdem. Item collationes breves & latinos sermones. Item distinctiones breves & longas pro arte colligendi. Item chronicam brevem ordinis ex qua pro majori parte ista excerpta est. Hoc tempore facta est divisio provinciarum aliquarum ordinis, scilicet Hispaniæ in provinciam S. Jacobi & Portugalliæ. Item provinciam Regni in provinciam Siciliæ & Trinacriæ, & sic factæ sunt xx. Provinciæ.

Anno Domini MCCCCXV. renuntiante Gregorio XII. & legato Marchiæ declarato, absolutisque per concilium Johanne XXIII. & Benedicto XIII. tamquam scandalizantibus Dei ecclesiam, Martinus V. natione Romanus de Columnensium nobilissima familia unanimiter ab omnibus cardinalibus & aliis electoribus ad hoc constitutis electus fuit, vir tanto dignus magistratu, qui multa & præclara in dicto concilio ordinavit.

Anno Domini MCCCCXXVI. electus fuit in magistrum ordinis XXVI. per viam compromissi magister BARTHOLOMÆUS TEXERII provincialis provinciæ Provinciæ. Hic vir Deo acceptissimus, qui provinciam illam sanctissime per septem annos rexerat, valde doctus erat, & sanctæ vitæ, & absens a capitulo generali. Hic susceptо generalatu, ipsum annis XXIV. rexit, & conventum Bononiensem & alios multos in Italia conventus reformavit, privilegia multa impetravit, & dispensationem qua fratres habere possent possessiones obtinuit. Hic pater in senectute bona migravit ad Dominum anno Domini MCCCCXLV.

XIV. *De magisterio magistri Martialis, & viris illustribus sui temporis.*

Anno Domini MCCCCXXX. creatus est summus pontifex dominus Eugenius IV. natione Venetus, homo singularis prudentiæ & religiosissimæ vitæ, qui sedit annis XVI. Hic ordinem plurimum dilexit, & fratrem JOHANNEM DE TURRE-CREMATA Hispanum, sacræ theologiæ doctorem, ac sacri Palatii magistrum, cardinalem tituli S. Sixti creavit. Qui homo doctissimus infinita quasi scripsit. In primis super totum Decretorum librum plura ingentia volumina, per modum quæstionum modo theologico: quem etiam librum Gratiani parum distinctum ipse in distinctiorem formam redegit. Item de Potestate papæ insigne ac magnum volumen. Item de Conceptione B. Virginis magnum volumen; de Sacramento altaris; super Psalterium quæstiones, super evangelia occurrentia, expositionem Regulæ S. Benedicti, & multa alia. Sepultusque est ad Minervam Romæ, quam ecclesiam ipse multum ornavit, & primum claustrum construxit, & pingi fecit cum quibusdam contemplationibus a se editis.

Hoc tempore claruit doctissimus vir magister Johannes de Monte-nigro, qui publice in concilio disputavit contra Græcos & eos superavit. Hic multa composuit, & præcipue tractatum de Conceptione beatæ Virginis.

Magister quoque Leonardus de Utino, vir excellentis doctrinæ, hoc tempore claruit. Hic composuit sermones dominicales & quadragesimales valde notabiles, & sermones aureos de Sanctis. Fecit etiam alia quamplura opuscula, tam in philosophia quam in logica, quæ in suo conventu habentur.

Floruit etiam hoc tempore frater Petrus Hieremiæ Siculus, qui Bononiæ ad ordinem receptus, postmodum ad Siciliam profectus, magnam partem illorum conventuum reformavit. Hic sanctus pater multos doctos & pulchros sermones compilavit, & sancte in Domino obdormivit.

Frater quoque Manfredus excellentissimus ac fructuosissimus prædicator & hæreticæ pravitatis inquisitor, vir bonus & sanctus, qui magnum fructum prædicando fecit, & postmodum Romæ sancto fine quievit.

Hoc tempore etiam floruit dominus frater ANTONINUS archiepiscopus Florentinus, vir doctus & sanctus, qui Summam in quatuor partes distinctam compilavit. Insuper Confessionalia tria, unum litterale & duo vulgaria. Item sermones plurimos ac novissime chronicam ab initio mundi usque ad tempora sua. Ciaruit post mortem miraculis pluribus, utpote qui sanctus ac pater pauperum in vita sua fuerat.

Anno Domini MCCCCLI. electus est in magistrum ordinis XXVII. frater PETRUS ROCHIM, & infra XV. dies obiit.

Anno Domini MCCCCLII. electus fuit Romæ in capitulo generali in magistrum ordinis XXVIII. frater GUIDO FLAMOCHETI, qui infra annum suæ electionis obiit.

Anno Domini MCCCCLIII. electus fuit canonice in magistrum ordinis XXIX. frater MARTIALIS AURIBELLI de Avinione provinciæ Provinciæ, sacræ theologiæ magister, tenacissimæ memoriæ, & prudentissimus ac doctissimus. Hic animo constans, multas perpessus est persecutiones injustas. Hujus generalis tempore canonizatus fuit B. VINCENTIUS cum maxima solemnitate, & tanta fuit multitudo virtutum & miraculorum ejus recitata, quod omnibus versum est in stuporem. Inter alia autem probatum est, quod post mortem XXVIII. mortuos suscitaverat. Hic etiam multos conventus in Italia, Flandria, Hollandia, & aliis provinciis reformavit, & postquam IX. annis ordinem feliciter rexerat, quibusdam id quærentibus, a Pio pontifice a generalatu absolvitur.

Anno Domini MCCCCXLVII. dominus Nicolaus papa V. electus, ſedit annis octo. Hic vir doctiſſimus fuit, & ordinis amicus ſatis, utpote a quo ſapientiam hauſerat Bononiæ conſtitutus. Quo defuncto, anno Domini MCCCCLV. creatus fuit pontifex Calixtus III. & ſedit annis tribus & menſibus III. Hic canonizavit beatum Vincentium, ut prædictum eſt.

Anno Domini MCCCCLVIII. electus fuit in papam Pius II. Senenſis, qui contra Turcas multa facere tentavit; ſed morte præventus non perfecit. Sedit autem annis V. menſibus XI. diebus XXVI. Hic poſt diligentem inquiſitionem, ut moris eſt, factam, B. Catharinam Senenſem ſanctorum catalogo aſcripſit cum magna ſolemnitate.

Anno hujus pontificis IV. ſcilicet MCCCCLII. magiſter Conradus de Aſt, provinciæ Lombardiæ, electus fuit in magiſtrum XXX. ordinis, poſt abſolutionem magiſtri Martialis, qui ordinem rexit annis tribus, & poſtea ceſſit generalatui in capitulo Novarienſi MCCCCLXV. in quo magiſter Martialis iterum eſt concorditer reaſſumtus ad generalatum. In eo vixit uſque ad annum Domini MCCCCLXXIII. C & in conventu ſuo Avinionenſi ad Dominum migravit.

Tempore hujus pontificis ſurrexit magna altercatio inter fratres Prædicatores & Minores de materia Sanguinis Chriſti, an videlicet divinitas fuerit ſeparata a Sanguine Chriſti in cruce effuſo, fratribus Prædicatoribus aſſerentibus pro parte negativa, & adducentibus rationes & auctoritates ſanctorum doctorum, & etiam contrariæ opinionis condemnationem factam in eccleſia cathedrali D Barchinonenſi, de mandato Domini Clementis papæ VI. fratribus autem Minoribus deducentibus pro parte affirmativa opinionem Franciſci Mayronis. Tandem poſt longas diſputationes concluſum & ſententiatum eſt pro opinione fratrum Prædicatorum; ſed ad ſcandalum evitandum utrique parti ſilentium impoſitum fuit.

Hoc tempore claruit doctiſſimus vir frater Gabriël de Barchinona magiſter theologiæ, qui in dicta materia Sanguinis Chriſti publice coram pontifice diſputando palmam & vi- E ctoriam eſt conſecutus. Floruerunt etiam cum eo ibidem frater Jacobus ſacræ theologiæ doctor, inquiſitor hæreticæ pravitatis ſtrenuiſſimus, ac magiſter Vercellinus de Vercellis, vir apprime doctus & eruditus, & hi omnes erant ex parte conventus Bononienſis ad iſtam diſputationem tranſmiſſi. Floruerunt etiam eo tempore magiſter Johannes de Neapoli, prædicator excellentiſſimus, & frater Johannes de Piſtorio in tota Italia famoſiſſimus, quorum prior beatæ Catharinæ Senenſis præconia, poſterior vero beati Vincentii miracula prædicando magnum fructum fecerunt in populis.

Anno Domini MCCCCLXIV. dominus Paulus II. Venetus in papam eligitur, & ſedit annis VI. & menſibus X. Hujus tempore magiſter Martialis reaſſumtus eſt ad generalatum de ejus mandato.

Anno Domini MCCCCLXXI. electus eſt in pontificem dominus Sixtus papa IV. ordinis Minorum, & ſedit annis XIII. Hic privilegia ordinis ampliavit, & gratias multas dedit.

Anno Domini MCCCCLXXIV. electus fuit Romæ in capitulo generali ex lectore ſacri palatii magiſter Leonardus de Perusio in generalem XXXII. & rexit ordinem annis VII. & Romæ obiit cum ſpe pilei, quod non habuit. Hic valde remiſſus fuit, & maxime in cauſa ſtigmatum beatæ Catharinæ.

Anno Domini MCCCCLXXX. electus fuit in generalem magiſtrum XXXIII. procurante Sixto pontifice, magiſter Salvus Caseta Siculus, & rexit ordinem duobus annis & tribus menſibus. Hic juſſu pontificis in Teutoniam legatus directus, corpus beati Alberti Magni transferri fecit: quod quidem ita integrum eſt repertum, ac ſi de novo fuiſſet poſitum, licet ducenti anni ab ejus obitu eſſent decurſi. Cujus brachium ipſe inde ad pontificem detulit, quod nunc eſt in conventu Bononienſi. Regreſſus autem cum pileum ſe habere ſperaret, in ſepulcro moriens collocatus eſt Romæ in conventu Minervæ.

Anno Domini MCCCCLXXXIV. electus eſt in magiſtrum ordinis XXXIV. cum magna ordinis altercatione & violentia frater Bartholomæus Comacius Bononienſis, magiſter theologiæ, & IX. menſibus ordinem rexit.

Anno Domini MCCCCLXXXIV. electus eſt in papam dominus Innocentius papa VIII. & ſedit annis VII. & menſibus XI. Hoc tempore in ordine Prædicatorum claruit magiſter Alanus Brito, vir doctiſſimus & devotiſſimus, cui beatiſſima Virgo roſarium prædicandum revelavit. Item magiſter Jacobus *Spenger* Teutoniæ provincialis, qui prædictum roſarium plurimum dilatavit. Item frater Dominicus de Flandria, vir doctiſſimus, qui ſuper metaphyſicam Ariſtotelis magnum volumen compoſuit. Item ſuper libros Poſteriorum & libros de Anima, & multa alia præclare & ſubtiliter ſcripſit. Claruit etiam magiſter Petrus de Bergomo, vir inter omnes ſui temporis doctiſſimus, qui multis annis regens Bononiæ, tabulam ſuper omnia opera ſancti Thomæ compoſuit, & multos præclaros diſcipulos reliquit, præſertim autem reverendiſſimum patrem fratrem Vincentium Bandellum olim generalem noſtri ordinis, & magiſtrum Thomam Brixienſem, virum ſanctum & integerrimum ac doctiſſimum, & alios plures. Sub eo etiam ſtuduit magiſter Paulus de Soncino, qui quæſtiones acutiſſimas in libros metaphyſicæ compoſuit, ac multa alia eleganter dictavit.

Hoc tempore etiam Paduæ claruit ſapien-

tissimus & doctissimus vir magister Franciscus de Neritono, qui multos insignes discipulos reliquit, præsertim autem reverendissimum dominum D. Dominicum Grimanum cardinalem, virum omnium doctrinarum genere eruditissimum; reverendum quoque dominum Antonium Pisamanum Feltrensem episcopum, virum doctissimum, & omnium virtutum splendore clarissimum, & alios archiepiscopos & episcopos, & doctores plurimos, cujus fama in æternum manebit. Magister etiam Valentinus *Camers* magnæ scientiæ hoc tempore floruit & floret.

Anno Domini MCCCCLXXXV. electus est in capitulo generali Venetiis in magistrum ordinis XXXV. magister Barnabas de Neapoli, vir bonus, qui vixit in generalatu mense uno.

Anno Domini MCCCCLXXXVI. electus est in magistrum ordinis XXXVI. magister Joachim Turrianus Venetus in capitulo generali Venetiis, & rexit ordinem annis XIII. & mensibus II. Hic pater dulcissimus & humanissimus in benignitate & charitate ordinem gubernavit, nulli molestus nisi malis omnibus, bonis bonus, & licet multas injustas persecutiones habuerit, victor tamen de omnibus, omnes adversantes sibi humiliatos vidit. Tempore hujus patris reverendissimi multa in officio divino sunt addita, & quatuor octavæ solemnes institutæ, & memoriæ sanctorum quæ erant in calendario in festa trium lectionum sunt permutatæ. Hic etiam multa bona reliquit officio generalatus, & conventui suo multos libros græcos & latinos magni precii, & in ornatum ecclesiæ pulchros pannos & pretiosos. Obiit anno jubilei MD. Romæ cum magna ordinis mœstitia, qui patrem fratrum se amisisse dolebat, & ibidem sepultus quievit.

Hujus tempore floruit magister Vincentius Merlinus Venetus, præclaræ scientiæ vir, qui annis pluribus in universitate Patavina summa cum laude metaphysicam docuit.

Anno Dominini MCCCCXCII. Alexander VI. electus fuit in papam, & sedit annis XI. hoc etiam tempore floruit frater Thomas Donatus Venetus origine, & ejusdem civitatis patriarcha, qui laudabiliter in ordine annos XLIV. percurrens in officio prædicationum, & prioratuum ac multorum aliorum laborum exercitiis, tandem per annos XII. patriarchatu non sine magnis curis & corporis languoribus ac diuturna cœcitate laudabiliter administrato, migravit a sæculo septuagenarius, toti clero & civitati optimam suæ administrationis famam relinquens.

Claruit quoque hoc tempore reverendus pater frater Antonius de Brixia Brixiensis inquisitor, magnæ prudentiæ vir, qui præclaros sermones a se editos posteritati reliquit. Hic pater prædicationis tuba per totam Italiam per multos annos gratiose intonuit, & multorum conventuum prior extitit.

Floruit hoc tempore etiam vir præclarissimus & doctissimus magister Paulus de Monelia Januensis, qui post provincialatum Lombardiæ superioris, sacri palatii magister effectus, plures annos in dicto officio magna cum gloria & omnium prælatorum curiæ gratia peregisset, per dominum Alexandrum VI. episcopus Chii effectus, in legatione ejusdem pontificis in Buda Hungariæ ad Dominum devotissime migravit.

Hoc etiam tempore floruit sanctissima virgo Colomba apud Perusium ordinis de pœnitentia B. Dominici, cujus miti actus leguntur. Anno MCCCCLXXXVIII. non minori apud multos sanctitatis & doctrinæ apud omnes opinione floruit frater Hieronymus Savonarola Ferrariensis, qui e congregatione Lombardiæ congregationem Tusciæ seu sanctæ Mariæ de Florentia erexerat, ac regularem observantiam promoverat. Hic post reformatos mores & regimen civitatis Florentiæ, facinorosorum rabie cum duobus, Dominico videlicet & Sylvestro nostri ordinis fratribus, in publica platea (sicut ipse prædixerat) crematur, sparsis postea in Arnum amnem eorum cineribus. Multa prædixit futura, complura ad catholice fidei confirmationem & morum reformationem doctissime ac religiose scripsit. Conciones ejus, quæ vel ex ore prædicantis exceptæ, vel ex annotatis ab ipso summatim & per capita, per alios extensæ fuerunt, apud multos adhuc habentur in pretio, quæ contra tepidos quemdam ad amorem Dei & contemptum sui vitalem spiritum spirare videantur. Rationalem ac naturalem philosophiam ad compendium exacte clarissimeque reduxit. Hujus opus est liber de triumpho crucis, seu Christianæ fidei. Item de simplicitate christiana & alia complura.

Apud Ferrariam celebris habita est soror Lucia Narniensis, cujus obtentu illustrissimus dux Ferrariæ monasterium solemnissimum construxit.

Anno Domini MDI. in capitulo generali Romæ celebrato electus fuit unanimiter & concorditer nemine discrepante reverendissimus pater frater Vincentius Bandellus de Castro novo, Terdonensis diœcesis, Lombardus, in magistrum ordinis XXXVII. & ordinem rexit annis V. & mensibus tribus. Hic in adolescentia sua Prædicatorum ordinem ingressus, religiosissime vixit, ac litteris intentus, magnum sapientiæ & doctrinæ culmen conscendit: quam cum per XX. annos & ultra glorioſissime per multos conventus legendo, disputando & scribendo, charitative & sine invidia communicasset, & in capitulis tam ordinis quam aliarum religionum, & publicorum studiorum universitatibus, publice disputando cum magna omnium laude ostendisset, & per omnes gradus scholasticos successive ascendisset, cathedram magistra-

lem ſumma cum laude Bononiæ eſt conſecutus ibidem per plures annos regens exiſtens. Quo tempore multos egregios apprime eruditos reliquit: inter quos eſt ordinis noſtri monile præcipuum dominus frater PASCHASIUS Hiſpanus epiſcopus Burgenſis Hiſpaniæ, vir doctus, ſanctus, eleemoſynarius & omni virtute adornatus. Scripſit autem prædictus reverendus pater generalis de conceptione beatiſſimæ Mariæ Virginis tria volumina ſucceſſive, & tractatum de poteſtate papæ, & quædam alia, quæ adhuc non ſunt divulgata, quæ quidem omnia ſapientiam ejus oſtendunt. Idem fecit declarationem ſuper conſtitutiones ordinis ex actis capitulorum generalium excerptam, quæ per capitulum Mediolanenſe MDV. fuit acceptata & approbata. Dictavit quoque, ut beatiſſimæ Virginis devotiſſimus, officia ejuſdem de feſto Sanctificationis & de Viſitatione ejuſdem. Dehinc prior Bononiæ bis & totidem vicibus generalis vicarius congregationis Lombardiæ ſumma cum laude exiſtens, omnium admiratione adminiſtrationem ſuam complevit. Poſtea vero prior Mediolani factus, ac principi & omnibus curialibus gratiſſimus, talia non requirens, divino nutu generalis ordinis ſummum magiſtratum, omnibus unanimiter conſentientibus electoribus, adeptus eſt. Quo in magiſtratu quanta juſtitia, rectitudine, humanitate, ſe exhibuerit, nullus eſt qui ignoret. Nemo ad eum tribulatus vel triſtis acceſſit, qui non ab eo conſolatus receſſerit. Habebat enim quamdam in vultu & verbis gratioſiſſimam venuſtatem, & innatam humanitatem, ut omnes ad ſui amorem & reverentiam excitaret. Nulli enim crudelem, immitem ſe præbebat; ſed omnes paterna caritate ſuſcipiens, quantum in ſe erat conſolabatur, & a ſe bene ſatisfactos emittebat. Hic igitur piiſſimus, dulciſſimus & ſanctiſſimus pater, poſt labores diuturnos in ordine tam in ſtudendo quam in legendo & gubernando toleratos, poſt viſitationem provinciarum Romanæ provinciæ, Lombardiæ, Sabaudiæ, Franciæ, Hollandiæ, Flandriæ, Hiſpaniæ, provinciæ Provinciæ & noviſſime regni Siciliæ in vigilia ſancti Auguſtini MDVI. in conventu Montis-Alti Calabriæ ſeptuagenarius migravit ad Dominum, corpus ſuum Neapoli in conventu S. Dominici mandans tumulari. Fecit hic pater dulciſſimus duo capitula generalia, quibus ſanctiſſimas ordinationes pro utili ordinis reformatione ſtatuit, ad quam opere complendam enixius laboravit. Nam conventum Pariſienſem & alios multos, præcipue autem in provinciis ultramontanis reformavit. Sub ejus etiam generalatu emanavit bulla a domino Julio papa II. de temporalitate prælatorum ordinis. Hujus viri præclariſſimi memoria in benedictione erit, & laudem ejus narrabit omnis eccleſia ſanctorum. Floruit hoc tempore vir doctiſſimus magiſter Dominicus de Mortario ordinis, & præfati reverendiſſimi patris generalis ſocius, qui poſtea quam per XV. annos & ultra generoſiſſime in ordine legiſſet, & multos excellentes diſcipulos inſtituiſſet, Bononiæ plenus virtutibus & bonis operibus beato fine quievit. Amen.

BERNARDI GUIDONIS LIBELLUS SEU TRACTATUS MAGISTRORUM ORDINIS PRÆDICATORUM, NECNON ET PRIORUM PROVINCIALIUM provinciæ Provinciæ seu Tolosanæ.

Ex mſ. olim Stephani Baluzii nunc bibliothecæ regiæ.

INCIPIT TRACTATUS de tribus (a) gradibus prælatorum in ordine Prædicatorum, ubi primo agitur de magistris.

[1] QUONIAM funiculus triplex difficile rumpitur, ordinavit beatus Dominicus, quod religio Prædicatorum, quam ipse instituit, regatur per tres ordines prælatorum, scilicet per magistros, priores provinciales & priores conventuales, qui omnes in ea canonice eliguntur.

Magistri ordinis fratrum Prædicatorum fuerunt hi successive.

Primus ac præcipuus dominus & magister ordinis fratrum Prædicatorum fuit B. DOMINICUS, natione Hispanus, de villa quæ dicitur Calaroga, diœcesis Oxomensis, vir scientia Dei plenus, vita sincerus, religione conspicuus; qui fuit primo canonicus regularis ac subprior regulatus & regulans in ecclesia Oxomensi provinciæ Toletanæ, qui subprioratus habebat in eadem ecclesia personatum.

Incepit autem ordinem Prædicatorum mente concipere & tractare in partibus Tolosanis, a primordio computando quo Tolosam advenit, anno Domini MCCII. pontificatus domini Innocentii papæ tertii anno sexto, qui sedit annis octodecim, mensibus quatuor, diebus viginti tribus.

Anno siquidem Domini MCCII. B. Dominicus cum felicis memoriæ DIDACO suo episcopo Oxomensi in Marchias sive in Daciam proficiscens, exigente matrimoniali negotio ab ALPHONSO rege Castellæ sibi commisso, transiens per Tolosam, prima nocte, qua ibidem hospitio sunt recepti, hospitem suum hæretica pravitate, quæ multum in illis partibus invaluerat, infectum esse deprehendit, & cum eo multa disputatione & & persuasione fortiter & ferventer agens, cum non posset hæreticus resistere sapientiæ & Spiritui qui loquebatur, eadem nocte ipsum hæreticum ad veritatem fidei catholicæ, Deo cooperante, convertit; & ex tunc concepit infidelium conversioni operam dare, ac statum religiosum instituere, & ipsum prædicationi evangelicæ dedicare. Per annum autem in dicto negotio regis Castellæ moram contrahens, cum præfato episcopo Romam adiit, & notitiam sibi, immo & gratiam summi pontificis ac ejus collateralium vindicavit.

Anno Domini MCCV. in fine quarti istius anni deliberavit præfatus episcopus cum S. Dominico redire in Hispaniam. Transeuntes autem per Montempessulanum, invenerunt ibi quemdam apostolicæ sedis legatum, cum duodecim abbatibus Cistercienſis ordinis, qui convocatis & præsentibus archiepiscopis & episcopis ac aliis ecclesiarum prælatis, super cruce prædicanda in terra Albigensi, & prædicatione infidelium concilium celebrabant. Accersitis ergo DIDACO episcopo & B. DOMINICO, a legato, inquisivit quonam modo commodius id cujus gratia missus erat executioni mandaret; quorum extitit, Spiritu suggerente, consilium, ut dicti abbates & ceteri ad prædicationis officium deputati, abjecta pompa superflui apparatus in equitaturis & vestibus & expensis, pedites Christum pauperem in paupertate voluntaria prædicarent, & remissis Oxomam

(a) Tertium gradum, de prioribus scilicet conventualibus, tanti non duximus, ut hic locum ei daremus. In historia tamen fundationum, quæ de nonnullis eorum memoratu digna judicavimus, referre curabimus.

ſuis clericis cum evectionibus & ſupellectili, & diverſo quem ſecum tulerant apparatu, primi hoc facere pollicentur. Proſequentes itaque hoc modo prædicationis officium, ipſum dicti abbates & ceteri ad hoc ſunt ſequuti. Per continuum autem biennium ſunt omnes in dicto prædicationis officio demorati, multum fructum in populo facientes. Poſt biennium vero præfatus DIDACUS epiſcopus Oxomenſis, ne forte negligentiæ poſſet argui circa ſibi commiſſam eccleſiam Oxomenſem, in Hiſpaniam redire decrevit: qui cum Caſtellam intraſſet, poſt paucos dies vitam præſentem in magna ſanctitate complevit, bonorum laborum fructum glorioſum accepturus in abundantia, ſepulcrum ingrediens in requiem opulentam, anno Domini MCCVII. Fertur autem poſt mortem miraculis claruiſſe.

Anno Domini MCCVI. S. DOMINICUS monaſterium quoddam inſtituit, quod dicitur Pruilianum, in diœceſi Toloſana, ad ſuſceptionem monialium, ſub clauſura perpetua propriis manibus laborantium; & ex tunc fortius cœpit de ordinis inſtitutione tractare. Cujus propoſitum dominus PETRUS AMELII archiepiſcopus Narbonenſis, & dominus FULCO epiſcopus Toloſanus Ciſtercienſis ordinis, & vir inclytus dominus SIMON comes Montis-fortis, ducti zelo fidei, fovere cœperunt, decimaſque & eccleſias atque caſtra ſibi & ejus ſequacibus ad eorum ſuſtentationem dederunt; & ideo plures ſcientia præditi & ſermone facundi ſibi ad prædicationis officium adhæſerunt.

Anno Domini MCCVII. audito obitu præfati epiſcopi Oxomenſis, prædictus legatus apoſtolicus & abbates duodecim præſcripti, & ceteri qui in partibus Toloſanis & Albigenſibus cauſa prædicationis remanſerant, ad propria ſunt reverſi. Solus autem beatus Dominicus cum paucis ſibi adhærentibus in prædicatione, indefeſſa continuatione permanſit. Nec aliquis ſociorum in aliquo ſibi voti vinculo tenebatur, ſed gratis eum propter ſuæ ſanctitatis meritum ſequebantur. Poſt obitum vero præfati domini Didaci, manſit B. Dominicus quaſi per decem annos in provincia Narbonenſi, maxime in partibus Toloſanis, & Carcaſſeſii, & Albigeſii, in quibus peſtis hæretica amplius ſæviebat, confundens hæreticos & confirmans catholicos verbis pariter & exemplis, annuntians Dominum JESUM CHRISTUM ſequentibus ſignis & miraculis glorioſis, videlicet uſque ad tempus Lateranenſis concilii, quod celebratum fuit ſub præfato Innocentio papa tertio, anno Domini MCCXV. menſe Novembri.

Circa annum Domini MCCXIV. ingruente tempore quo ad Lateranenſe concilium Romam adire cœperunt epiſcopi, obtulerunt ſe S. Dominico duo probi viri & idonei de Toloſa, quorum unus fuit frater Petrus Cellani, qui fuit poſtmodum primus prior Lemovicenſis; alter vero frater Thomas, vir admodum gratioſus & ſermone facundus. Horum primus nobiles & inſignes quas Toloſæ circa caſtrum Narbonenſe domos poſſederat, obtulit & dedit S. Dominico & ejus ſociis; a quo tempore cœperunt primum apud Toloſam in eiſdem domibus commorari, atque ex tunc omnes qui cum ipſo aderant magis ac magis ad humilitatem deſcendere, & religioſorum ſe moribus conformare. Præfatus frater Petrus poſtmodum ludendo ſæpius dicebat, quod ipſe ordinem in ſuis videlicet domibus, non ordo ipſum recepiſſet. In eiſdem vero domibus inquiſitores pravitatis hæreticæ poſtmodum habitaverunt Toloſæ uſque in præſentem diem.

Anno Domini MCCXV. profectus eſt ſanctus DOMINICUS cum præfato domino FULCONE epiſcopo Toloſano, ad prædictum concilium generale, cum quo adiit præfatum dominum Innocentium papam tertium, petens ut digitaretur ſibi ordinem confirmare, qui Prædicatorum diceretur & eſſet. Cujus petitioni difficilem ſe exhibens, pro eo quod prædicationis officium majorum eſſet Dei in eccleſia prælatorum, vidit ſummus pontifex in ipſa nocte, quod eccleſia Lateranenſis caput omnium eccleſiarum, gravem minaretur ruinam; ſed vir Dei DOMINICUS eam ſuis humeris ſuſtentabat. Cujus intellectum altius percipiens vicarius JESU CHRISTI, tandem ſancto viro reſpondit, ut ad fratres ſuos rediens, invocato Spiritu ſancto aliquam eligerent regulam approbatam, & ſic confirmationem ad libitum reportaret. Qui obtemperans vicario JESU CHRISTI ad fratres rediit, & verbum ſummi pontificis patefecit, & juxta ipſum omnes in Pruliano pariter congregati, qui erant numero circiter ſexdecim, quorum nomina quæ reperire potui ſuperius ſunt notata, regulam beati Auguſtini doctoris & prædicatoris egregii, ipſi Prædicatores futuri re & nomine confirmandi, unanimiter elegerunt. Poſt aliquot autem menſes regreſſus Romam B. DOMINICUS memoratum Innocentium papam defunctum apud Peruſium invenit; ſed Peruſinis artantibus cardinales, Honorium III. reperit in honorem apoſtolicum ſublimatum, a quo quod a prædeceſſore ejus poſtulaverat pleniſſime impetravit.

Anno Domini MCCXVI. æſtatis tempore data eſt B. Dominico & fratribus ſuis a bonæ memoriæ FULCONE epiſcopo Toloſano cum aſſenſu totius capituli, una eccleſia in civitate Toloſana, in honore B. Romani martyris fundata; circa quam protinus ædificatum eſt clauſtrum, cellas habens ad ſtudendum & dormiendum, deſuper ſatis apertas, (erant autem ut dictum eſt ſupra, fratres numero circiter ſexdecim,) & alia eccleſia in villa Apamienſi:

pamienſi : tertia vero eccleſia inter Soricinium & Podium Laurentii, quæ vocatur eccleſia beatæ Mariæ de Leſcura, in quarum qualibet conventus & prioratus eſſe debebat; in his vero duabus ultimis nullum umquam fratrum contigit habitare.

Interfuerunt autem præfato Lateranenſi concilio in menſe Novembri celebrato Romæ, in baſilica Lateranenſi quæ Conſtantiniana vocatur, mille ducenti viginti quinque eccleſiarum prælati.

Anno Domini MCCXVI. XI. calendas Januarii craſtino B. Thomæ Apoſtoli, indictione quinta Romæ apud S. Petrum fuit confirmatus ordo Prædicatorum, & B. DOMINICUS quem Deus elegerat ab æterno, & Innocentius papa tertius approbaverat præcedenti anno, fuit inſtitutus & confirmatus magiſter & dominus ordinis ab Honorio papa tertio præfati Innocentii ſucceſſore, pontificatus ipſius domini Honorii anno primo. Hic Honorius papa S. Dominico & fratribus ſuis plura privilegia & libertates contulit, & eccleſias ac decimas atque caſtra & poſſeſſiones datas S. Dominico confirmavit, ſicut in privilegio de confirmatione ordinis continetur.

Anno Domini MCCXVII. S. DOMINICUS Romam rediit, per ſe & fratres ſuos multiplicationi fratrum & dilatationi ordinis dando operam efficacem; qui cum in baſilica S. Petri pernoctaret, & in conſpectu Dei orationem ſuam pro conſervatione & dilatatione ordinis, quem per ipſum Deus propagaverat, effunderet, facta manu Domini ſuper eum, apparuerunt ei Petrus & Paulus, quorum primus baculum, ſecundus vero librum tradere videbantur, addebantque: Vade & prædica, quoniam a Deo ad hoc miniſterium es electus. Moxque videbat fratres ſuos licet paucos per orbem diſperſos, incedentes binos & binos, verbum Dei populis prædicantes. Quapropter Toloſam rediens, Spiritu ſancto invocato, fratres diſperſit, & quoſdam quidem in Hiſpaniam, quoſdam vero Pariſius, alios vero Bononiam deſtinavit, & fratrem MATTHÆUM Gallicum ab omnibus electum in abbatem eis præfecit: ipſe vero Romam iterum eſt reverſus.

Anno Domini MCCXVIII. data eſt fratribus Prædicatoribus domus S. Jacobi Pariſius a magiſtro Johanne decano B. Quintini, & ab univerſitate Pariſienſi, ad inſtantiam precum præfati domini Honorii papæ tertii, quam intraverunt ad habitandum VIII. idus Auguſti.

Anno eodem Domini MCCXVIII. circa principium per B. Dominicum miſſi fuerunt fratres a Roma Bononiam, videlicet Johannes de Navarra, & quidam frater Bertrandus, poſtmodum vero frater Chriſtianus cum fratre converſo, qui moram facientes Bononiæ, magnam perpeſſi ſunt ibidem anguſtiam paupertatis.

Anno Domini MCCXVIII. cum B. Dominicus eſſet Romæ, magiſter Reginaldus ſancti Aniani Aurelianenſis decanus, a Regina cœli junctus eſt Romæ, oſtenſo ſibi cœlitus per B. Virginem habitu Prædicatorum: En, inquit Virgo Maria, iſte eſt habitus ordinis tui, ſcapulare quale deferimus, omnemque hujus ordinis habitum ſibi demonſtrans; & ex tunc tam B. Dominicus quam ceteri fratres, habitum quem Virgo demonſtraverat aſſumſerunt, nam antea ſupelliciis utebantur; ipſumque habitum Reginaldus a B. Dominico tam feliciter quam perſeveranter accepit, miſſuſque eſt per B. Dominicum Bononiam, quo pervenit XII. cal. Januarii, ſcilicet in feſto B. Thomæ apoſtoli, ibique ædificationi populorum & multiplicationi fratrum dedit operam efficacem.

Anno eodem Domini MCCXVIII. poſt receptionem fratris Reginaldi ad ordinem, B. DOMINICUS in Hiſpaniam profectus eſt, ubi duas domos inſtituit, unam ſcilicet apud Majoricum, quæ modo eſt monialium ſororum ordinis noſtri; & alteram apud Segobiam, quæ domus fratrum Prædicatorum in Hiſpania prima fuit.

Anno Domini MCCXIX. B. Dominicus de Hiſpania venit Pariſius, & in domo S. Jacobi præfata conventum triginta fratrum invenit, & inde miſit Lemovicas ad conventum accipiendum ibidem fratrem Petrum Cellani, Toloſanum ſuperius memoratum; qui cum ignorantiam & librorum penuriam allegaret, nam unum ſolum quaternum de Homeliis B. Gregorii tantum habebat, reſpondit pius pater, cujus cor erat fiduciam habens in Domino: Vade, inquit, fili, & confidenter vade, omni die bis habebo te coram Deo, & ne dubites, multos acquires Domino, & afferes multum fructum; creſces & multiplicabis, & Dominus erit tecum. Et ſic ipſe frater Petrus poſt modum ſuis familiaribus enarravit. Cum intus vel extra anguſtia arctabatur, invocabat Dominum & Dominicum, reducens ad memoriam promiſſum ſuum, & omnia ei proſpere ſuccedebant.

Anno Domini MCCXIX. beatus Dominicus de Pariſius profectus eſt Bononiam, & apud S. Nicolaum magnum invenit fratrum collegium, quos ſub diſciplina Chriſti fratris Reginaldi cura & diligentia nutriebat. Tranſmiſit autem inde Pariſius memoratum fratrem Reginaldum, qui ſemper & ubique indefeſſo mentis fervore CHRISTUM JESUM & hunc crucifixum verbo prædicabat & opere: ſed cito de terra ſuſtulit illum Deus, & conſummatus in brevi, explevit tempora multa; ſepultus eſt autem Pariſius in eccleſia beatæ Mariæ de Campis, eo quod nondum fratres ſepulturam haberent.

Anno Domini MCCXX. ſanctus Dominicus primum generale capitulum Bononiæ cele-

bravit: in quo capitulo per conſtitutionem perpetuam, omnibus temporalibus abdicatis, reſignando tam præſentibus redditibus quam futuris, ordo Prædicatorum paupertatem voluntariam eſt profeſſus: in quo etiam fuit ſtatutum, ut capitulum generale uno anno Pariſius, alio anno Bononiæ celebretur, ita tamen quod ſequens immediate capitulum deberet propter ſolemnitatem numeroſi tunc conventus apud Bononiam celebrari, ſicut & factum fuit. Multa etiam fuerunt ſtatuta ibidem, quæ uſque hodie in ordine obſervantur. Huic capitulo interfuit frater Jordanis, ſucceſſor B. Dominici, ſicut ipſemet in ſuo libello deſcribit.

Anno Domini MCCXXI. fuit a beato Dominico ſecundum generale capitulum Bononiæ celebratum; in quo capitulo vel in præcedenti, quod magis æſtimo, ſed certitudinem plenariam non inveni, fundatis jam per orbem conventibus circiter ſexaginta, dicti conventus per octo provincias ſunt diſtincti, ſcilicet Hiſpaniam, Provinciam, Theutonicam, Lombardiam, Romanam provinciam, Franciam, Hungariam, Angliam.

Vide tom. 4. Anecdot. p. 1670.

Priores provinciales primi inſtituti ſunt hi qui ſequuntur.

Primus prior provincialis in provincia Provinciæ, frater Bertrandus de Garriga ſupra commemoratus & inferius memorandus.

Primus provincialis in provincia Hiſpaniæ, frater Suggerus.

Primus prior provincialis in provincia Franciæ, frater Matthæus ſupra memoratus, qui fuit primus & noviſſimus ordinis noſtri abbas.

Primus prior provincialis in provincia Lombardiæ, frater ac pater Jordanis, ſicut ipſemet in ſuo libello deſcripſit.

Primus prior provincialis in provincia Angliæ, frater Gilibertus.

De Theutonica, Hungaria & Romana provincia nondum potui certitudinem invenire.

Anno Domini MCCXXI. frater Paulus Hungarus, qui quando intravit ordinem erat actu legens in jure canonico Bononiæ, cum aliis quatuor fratribus miſſus eſt in Hungariam per beatum Dominicum. Hunc æſtimo primum priorem provincialem fuiſſe illius provinciæ, non tamen aſſero, quia aliter non inveni.

Eodem anno octavo idus Auguſti poſt ſecundum capitulum generale, quod eodem anno fuerat Bononiæ celebratum, B. Dominicus apud Bononiam, ſecundum quod ipſe prædixerat, tranſivit ex hoc mundo ad Patrem Deum cui ſervierat in ſpiritu & humilitate, quem dominus HUGOLINUS cardinalis epiſcopus Oſtienſis, tunc apoſtolicæ ſedis legatus, per ſemetipſum in eccleſia S. Nicolai tradidit ſepulturæ, & ei familiariter ſibi noto ſolemnes exequias celebravit: quæ quidem eccleſia ſancti Nicolai data fuerat fratribus miſſis de Roma per beatum Dominicum anno Domini MCCXVIII.

Supervixit autem B. Dominicus a confirmatione ſui ordinis annis quatuor, menſibus ſeptem, diebus quindecim; ab exordio vero primo, quo de ordinis inſtitutione tractare concepit & incepit, uſque ad diem ſui felicis tranſitus, fluxerunt anni circiter octodecim, quibus in officio prædicationis ſalubriter excurſis, quievit feliciter plenus miraculis pluſquam annis.

Anno Domini MCCXXIII. tranſlatum fuit primo corpus B. DOMINICI ab archiepiſcopo Ravennate & quatuor epiſcopis, & magiſtro Jordane ſuo digniſſimo ſucceſſore, levatum a terra in arcam primam marmoream, ſicut in hiſtoria de tranſlatione ejus plenius continetur, in capitulo generali Bononiæ celebrato, congregatis ibidem pluſquam trecentis fratribus. Videbatur enim & hoc beati viri ſarcophagum acclamare; nam cleri & populi ad ipſum devotione creſcente, monumentum elevabatur a terra, quaſi virtute interiori exterius pelleretur. In prima autem apertione ſepulchri tanta odoris ſuavitate repleti ſunt omnes, ac ſi cœleſtium cella aromatum patuiſſet; & multi compuncti, & plures a diverſis infirmitatibus ſunt ſanati.

Hunc beatum patrem Dominicum præfatus dominus Hugolinus epiſcopus Oſtienſis poſt mortem Honorii III. factus papa, & Gregorius IX. appellatus, canonizavit, & ſanctorum catalogo annotavit apud Reatam civitatem Tuſciæ v. nonas Julii, anno Domini MCCXXXIV. pontificatus ipſius Gregorii papæ noni anno VIII. & a felici ejus tranſitu anno XIII.

Geſta præclara B. Dominici conſcripſerunt qui ſequuntur fratres viri præclari.

Primo omnium venerabilis frater ac pater magiſter Jordanis dignus ejus ſucceſſor in libello ſeu tractatu ſuo quem intitulavit *De principio ordinis fratrum Prædicatorum ante canonizationem ipſius*, & generale capitulum approbavit; qui libellus incipit in prologo hoc modo: *Filiis gratiæ coheredibus gloriæ fratribus univerſis.* Vita autem ſeu legenda (*a*) incipit ibidem in ſecundo capitulo hoc modo: *Hujus temporibus fuit quidam adoleſcens nomine Dominicus.* [a]

Secundo ſcripſit frater Petrus (*b*) Ferrandi Hiſpanus natione de Galexia, poſt canonizationem S. Dominici, & generale capitulum ſimiliter approbavit: hæc legenda incipit, ut æſtimo: *Beatus Dominicus adhuc puerulus ſub nutricis cuſtodia conſtitutus.* [b]

Tertio ſcripſit frater CONSTANTINUS, qui fuit

(*a*) De iſta legenda fuerunt amota quædam, ſicut patet in actis capituli generalis Bononiæ celebrati anno Domini MCCXLII. Item in actis capituli Valencenis celebrati ex. MCCLIX.

(*b*) De iſto fratre Petro Ferrandi habetur in vitis fratrum lib. 5. cap. 3.

epiſcopus Uibe-vetanus, de mandato venerabilis patris magiſtri ordinis fratris Johannis Theutonici, ſicut patet in epiſtola ipſius fratris Conſtantini, quæ incipit: *Reverendo in Chriſto Patri.* Prologus vero incipit conſequenter hoc modo: *Multifarie multiſque modis.* Legenda vero incipit hoc modo: *Venerabilis quidem pater beatus Dominicus;* & hanc legendam ſimiliter generale capitulum approbavit.

Scripſit etiam dilectus Deo & hominibus frater Geraldus de Fracheto Lemovicenſis diœceſis, prior provincialis Provinciæ, quaſi colligens ſpicas quæ manus metentium evaſerunt, ſicut ipſemet teſtatur ibidem, multa quæ omiſſa vel ignorata ab aliis ſcriptoribus videbantur recolligens & componens in ſecundo libro, qui Vitas fratrum inſcribitur, quem ipſe compoſuit & quinque libellis diſtinxit, qui ſecundus liber incipit: *Non debet videri ſuperfluum.*

Scripſit nihilominus venerabilis pater frater Hymbertus magiſter ordinis quintus, omnia bene dicta & poſita a præcedentibus recolligens & compingens, conflans unam compilationem ex legenda præfati fratris Ferrandi & fratris Conſtantini, minus neceſſaria reſecans, bene poſita altius repetens, ſtylo fideli, pulchro & venuſto, ordine quoque valde rationabili & congruo, quæ in pluribus ceteris anteſertur, ſicut patet diligenter examinanti & conferenti, idem aſſumens principium quod & fr. Conſtantinus in ſuo prologo, ſcilicet in ſequentibus, in locis ſuis etiam in ipſo prologo ſuperaddens & immutans convenienter & apte. Prologus incipit ſic: *Multifarie multiſque modis.* Legenda vero incipit conſequenter hoc modo: *Beatus Dominicus fratrum Prædicatorum dux & pater inclytus.*

Frater Jacobus de Voragine Lombardus, poſtmodum archiepiſcopus Januenſis, ſuam conflavit compilationem more ſuo in vitis ſanctorum novis, ſicut & de aliis ſanctis fecit, prout ibidem patet.

Frater Thedericus de Appoldia Theutonicus, de conventu Erfordenſi, provinciæ Saxoniæ, tempore & juſſu venerabilis patris fratris Munionis magiſtri ordinis noſtri ſeptimi, librum novum quem intitulavit *De vita & miraculis S. Dominici, & de ordine Prædicatorum quem inſtituit*, compilavit circa annum Domini MCCXC. per capitula & rubricas. Primus liber poſt omnes prologos incipit in hunc modum: *Dominicus humilis ſervus* JESU CHISTI.

Secundus magiſter ordinis dignus ſucceſſor ac præcipuus imitator S. Dominici, fuit frater JORDANIS Theutonicus, verus Iſraëlita Dei. Hic electus fuit in magiſtrum in tertio capitulo generali ordinis, quod fuit Pariſius celebratum anno Domini MCCXXII. erat autem tunc temporis prior provincialis Lombardiæ. Sub iſto autem magiſtro maxime fuit ordo & merito & numero dilatatus: hic namque annis fere quindecim optime regens & dirigens ordinem, mille fratres & amplius manu ſua fertur ad ordinem recepiſſe, & ſanctum habitum induiſſe. Tempore quoque ipſius anno Domini MCCXXVIII. in primo capitulo generaliſſimo ordinis, quod fuit Pariſius celebratum, primis octo provinciis per B. Dominicum inſtitutis fuerunt quatuor ſuperadditæ, ſcilicet Polonia, Dacia, Græcia, Terra ſancta, ſicut notatum inveni. Scilicet in notulis cujuſdam antiqui fratris, qui fuit circa hujuſmodi ſtudioſus, & ab ejus ore ipſe audivi. Qualis autem & quantus extiterit pater & magiſter iſte in libro tertio qui *Vitas fratrum* inſcribitur, plenius eſt deſcriptum. Hic conſuetudinem de cantando *Salve regina* induxit, duo capitula generaliſſima celebravit, litteras de capitulo generali ad provincias primus miſit. Sub ipſo fratres ad legendum Pariſius primo licentiati fuerunt, & duas ſcholas habuerunt. Hic beatus pater dum ad terram ſanctam ad viſitandum loca ſancta & fratres tranſiret, pertranſivit ad terram viventium beatorum idibus Februarii anno Domini MCCXXXVI. non fuit autem celebratum generale capitulum in ſequenti feſto Pentecoſtes illo anno. Locus autem ubi ſancta corpora ipſius patris ac fratris Jordanis, & duorum ſociorum ejus, ſcilicet unius fratris clerici Geraldi nomine, & unius fratris converſi vocati Albiſii, in littore civitatis quæ vocatur Sathaliæ, quæ dicitur Perſilenæ, uſquequo fratres de Acon venerunt, & cum barcha eos in ſuam eccleſiam tranſtulerunt, ubi dictus pater quieſcit in Domino, & multa multis præſtitit beneficia ſalutis.

Tertius magiſter ordinis ſucceſſor fratris ac patris Jordanis fuit frater RAYMUNDUS de Penna-forti Cathalaunus, natione Barchinonenſis, electus in magiſtrum in capitulo generali Bononiæ celebrato anno Domini MCCXXXVIII. Cumque eligeretur, incluſis electoribus, ut moris eſt, orantibus fratribus ceteris ante ſacrum corpus S. Dominici, vidit in viſione imaginaria quidam frater devotus illic orans, omnes electores de camera exeuntes, & in medio eccleſiæ maximam unam columnam erigentes, quæ erat guttis ſanguineis purpurata, attingens a ſummo uſque deorſum: quod cum intuens lætaretur, ecce facto ſigno ad capitulum omnes electores venerunt, & electum concorditer ab omnibus in primo ſcrutinio eum nominaverunt; ipſe vero præſens in capitulo non erat, ſed in conventu Barchinonenſi exiſtebat. Miſſi ſunt autem ad eum apud Barchinonem pro magiſterio præſentando & ſuſcipiendo, frater Hugo prior provincialis Franciæ, frater Pontius de Sparra prior provincialis Provinciæ, frater Philippus, qui prior

fuerat Syriæ, ſed in eodem capitulo fuerat abſolutus; frater Stephanus Hiſpanus, qui in eodem capitulo fuerat abſolutus a priorata Lombardiæ quem diu rexerat, & alii multi clerici fratres. Præfatus frater Raymundus fuit doctor in decretis B[ononiæ], & domini papæ capellanus & pœnitentiarius, qui mandante domino Gregorio papa IX. compilaverat decretales. Fecit etiam ſummam perutilem de caſibus ſive de pœnitentia. Item conſtitutiones noſtras per diſtinctiones & capitula ordinavit. Hic cum per biennium rexiſſet ordinem, propter nimiam debilitatem ſui corporis ad ſuam magnam inſtantiam fuit a magiſterio abſolutus in capitulo generali Bononiæ celebrato anno Domini MCCXL. ex cujus abſolutione ſecuta eſt tanta turbatio, quod ſtatutum fuit quod magiſtri ceſſio non admitteretur in poſterum, niſi ob impedimenta perpetua. Supervixit autem vir humilitatis eximiæ & ſanctitatis magnæ annis triginta quinque in conventu Barchinonenſi, ubi quievit in Domino, in die epiphaniæ, octavo idus Januarii, anno Domini MCCLXXV. ubi multam & magnam ipſius ſanctitatem crebra miracula proteſtantur.

Quartus magiſter ordinis ſucceſſor fratris Raymundi fuit frater JOHANNES Teutonicus, epiſcopus quidem Boſnenſis in Hungaria, electus in magiſtrum in capitulo generali Pariſius celebrato anno Domini MCCXLI. Hic prius fuit prior provincialis Hungariæ, ibique factus epiſcopus, tandem ceſſionem impetravit, & poſt factus eſt prior provincialis Lombardiæ, & in magiſtrum ordinis aſſumtus: quem renitentem & ſe pontificali exemtione defendentem, littera domini Gregorii papæ ſtatim deducta in medium compulit, quæ dicebat, quod hoc ipſo quod eum ab onere epiſcopali abſolverat, obedientiæ ordinis & laboribus & officiis ſupponebat. Hic cum Pariſius ab incluſis electoribus, ut moris eſt, eligererur, orans quidam frater religioſus & aliquantulum dormiens, videbat quod idem frater Johannes in curru igneo ferebatur per clauſtrum, & evigilans conſocio dixit, Talis erit magiſter. Hic fuit vir in omni bonitate conſpicuus, in aſpectu & affatu gratioſus, qui vivens & moriens fertur & ſcribitur miraculis claruiſſe. Hic bene rexit ordinem annis duodecim, migravitque ad Dominum pridie nonas Novembris, anno Dñi MCCLII. in conventu Argentinenſi, provinciæ Teutonicæ, ubi in Domino requieſcit: nec fuit celebratum generale capitulum in feſto Pentecoſtes ſubſequenti.

Quintus magiſter ordinis ſucceſſor fratris Johannis Teutonici fuit frater HYMBERTUS, oriundus de villa quæ dicitur de Romanis, diœceſis Viennenſis prope Valentiam. Hujus patris electionem quædam ſoror ordinis apud Argentinam in Teutonia, ubi præfatus magiſter Johannes obiit & quieſcit, in viſu notis hoc modo prævidit. Videbatur enim quod magiſter Johannes ſtans in ſcapulari ad portam ſororum dicebat: Ego autem iturus ſum in regionem longinquam, & huc amplius non revertar; non autem oportet contriſtari ſorores de meo receſſu, quia prior provincialis Franciæ poſt me fiet magiſter, qui multa faciet bona. Eodem die magiſter Johannes bono fine quievit, & in ſequenti capitulo generali apud Budam in Hungaria celebrato, anno Domini MCCLIV. dictus prior Franciæ frater HYMBERTUS in magiſtrum ordinis eſt electus. Hic fuerat Pariſius magiſter in artibus, & cum audiſſet jus canonicum, intravit ordinem in feſto S. Andreæ, & in ſequenti quadrageſima traxit ad ordinem magiſtrum ſuum, ſcilicet magiſtrum Hugonem. Hic in ordine fuerat lector Lugdunenſis & prior, ac prior provincialis Tuſciæ, & poſtmodum Franciæ. Hic compilavit & ordinavit officium ordinis eccleſiaſticum, & librum de omnibus officiis ordinis, & de prædicatione Crucis. Et diverſis infirmitatibus & laboribus plurimis excoctus, religionis fuit ſpeculum & imago cunctis aſpicientibus. Vir diſcretus, cautus & litteratus, & præ cunctis generationis hujus gratia Dei plenus, quæ vere in eo lucebat. Dicti autem magiſtri Hymberti inſtantia, domino ALEXANDRO papa IV. favente, & Chriſtianiſſimo Francorum rege LUDOVICO juvante, diſſenſio grandis & gravis, quæ inter magiſtros Pariſienſes & fratres orta fuerat, machinante magiſtro Guillermo de Sancto amore, finaliter & feliciter ad honorem Dei & ordinis eſt ſopita. Littera etiam quædam, quæ a domino Innocentio papa IV. data fuerat contra ordinem, ipſo infra paucos dies defuncto, a domino Alexandro papa in principio ſui regiminis revocatur. Cum enim dictus magiſter ad B. Virginem ordinis noſtri patronam devotiſſime confugiſſet, ipſa expedivit velociter quod hominibus impoſſibile videbatur. Hic cum ordinem rexiſſet & direxiſſet annis novem, ceſſit magiſterio, & ejus ceſſio fuit admiſſa a diffinitoribus capituli generalis Londoniis in Anglia celebrati, anno Domini MCCLXIII. Supervixit autem in honore & religione annis multis, plenuſque dierum & operibus bonis ingreſſus eſt in abundantia ſepulcrum in conventu Valentino in provincia Provinciæ, pridie idus Julii anno MCCLXXVIII. *

*al. 1277.

Sextus magiſter ordinis ſucceſſor fratris Hymberti fuit frater JOHANNES de Vercellis provinciæ Lombardiæ, electus ad magiſterium in capitulo generali Pariſius anno Domini MCCLXIV. Erat autem tunc prior provincialis Lombardiæ. Hic rexerat Pariſius in jure canonico, fuitque vir magnæ prudentiæ & experientiæ, fama & opinione ubique præclarus, in optimis notus omnibus, omnium vultus & nomina quos ſemel noverat

quaſi memoriter recolebat: inſtinctu quoque prudentiæ naturalis qua præditus erat, perſonarum conditiones & merita ex propriis moribus ſingulorum mirabiliter & ſubtiliter diſcernebat, ſua unicuique tribuens & impendens. Hic fecit transferri ſecundo corpus B. Dominici in arcam marmoream, in qua nunc eſt, quam ipſe fieri procuravit; quæ tranſlatio facta fuit per archiepiſcopum Ravennatem & alios epiſcopos in capitulo generali Bononiæ, anno Domini MCCLXVII. Hic patriarchatum Jeroſolymitanum a domino NICOLAO papa III. ſibi tranſmiſſum, accipere recuſavit anno Domini MCCLXXVIII. Præfuit autem in magiſterio annis fere viginti, in quo poſt multos labores decumbens in conventu Montiſpeſſulani, diem clauſit extremum pridie calendas Decembris, anno Domini MCCLXXXIII. ſepultus in eccleſia fratrum ad lævam altaris majoris, juxta parietem, in tumulo honorabili; ideoque juxta conſtitutionem non fuit anno ſequenti generale capitulum celebratum.

Septimus magiſter ordinis, ſucceſſor fratris Johannis Vercellenſis, fuit frater MUNIO Hiſpanus, electus in magiſtrum ordinis in capitulo generali Bononiæ celebrato anno Domini MCCLXXXV. Erat autem tunc prior provincialis Hiſpaniæ. Hic fuit perſona venerabilis, nec frangebatur adverſitate quacumque, cum tamen multas perpeſſus fuerit. Hic præfuit magiſterio annis ſex, & ſeptimus agebatur. Fuit autem a magiſterio abſolutus per litteram domini Nicolai (a) papæ IV. ſibi & ordini deſtinatam paulo poſt generale capitulum Palentiæ, anno Domini MCCXCI. Supervixit autem annis novem poſtquam fuit a magiſterio abſolutus, fuitque aſſumtus in epiſcopum Palentinum in Hiſpania: tandem ad curiam evocatus, fuit ab onere epiſcopali abſolutus per Bonifacium papam VIII. anno Domini MCCXCV. Manſit autem in curia diu, ibique manens in conventu fratrum diem clauſit extremum coram poſitis fratribus & orantibus, pridie idus Martii anno Domini MCCXCIX. ſepultuſque fuit in habitu ſolo fratris, & non in pontificalibus, ſicut ipſe vivens ita fieri petiit & ordinavit.

Octavus magiſter ordinis, ſucceſſor fratris Munionis, fuit frater STEPHANUS de Biſuntio, magiſter in theologia Pariſius, vir facundus & gratioſus admodum prædicator. Hic fuit electus in magiſtrum in capitulo generali Romæ celebrato, quod prius fuerat apud Coloniam aſſignatum; ſed auctoritate & mandato papæ fuit tranſlatum de Colonia apud Romam anno Domini MCCXCII. Erat autem tunc prior provincialis Franciæ, præfuitque in magiſterio annis duobus & dimidio fere: cumque proficiſceretur ad curiam, in conventu Lucano Romanæ provinciæ poſitus, in feſto S. Ceciliæ ante horam nonam debitum noſtræ mortalitatis exſolvens, ſpiritum reddidit creatori; in feſto vero ſancti Clementis ad majoris altaris ſiniſtrum cornu fuit traditus honorificæ ſepulturæ anno Domini MCCXCIV. ideoque juxta conſtitutionem non fuit illo anno generale capitulum celebratum.

Nonus magiſter ordinis, ſucceſſor fratris Stephani, fuit frater ac beatiſſimus pater NICOLAUS de Triviſio. (a) Hic fuit electus in magiſtrum in capitulo generali in Argentina in provincia Teutoniæ celebrato anno Domini MCCXCVI. Erat tunc prior provincialis Lombardiæ. Hic in pace & humilitate rexit ordinem annis duobus & dimidio, magnus amator & ſectator communitatis. Hic venerabilis pater, dominus & magiſter, quandoque retulit de ſeipſo, qui noverat plenius veritatem, quod quartodecimo ætatis ſuæ anno Prædicatorum ordinem eſt ingreſſus, in quo quatuordecim annis primis ſtuduit & profecit; in aliis quatuordecim annis ſequentibus exercuit officium lectoriæ, & quatuordecim annis aliis in prælationis officio in ordine laboravit. Poſt hæc autem de officio magiſterii aſſumtus fuit ad cardinalatus titulum & honorem anno Domini MCCXCVIII. in prima hebdomada adventus Domini.

BONIFACIUS epiſcopus ſervus ſervorum « Dei, dilecto filio fratri NICOLAO de Triviſio « quondam magiſtro ordinis fratrum Prædi- « catorum, in ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ « preſbyterum cardinalem aſſumto, ſalutem & « apoſtolicam benedictionem. «

Inter ceteros ordines in agro plantatos « Dominico, ſacrum fratrum Prædicatorum « ordinem dileximus hactenus & diligere non « ceſſamus, ad ea quæ proſperum ſtatum ejus « ſuique honoris incrementa reſpiciunt pater- « nis ſtudiis intendentes. Volentes itaque per- « ſonam tuam, quam laudabilis fama refert, ac « fide digna clamat aſſertio claris virtutum in- « ſigniis decoratam, & in te præfatum ordi- « nem multipliciter honorari, te nuper de fra- « trum noſtrorum conſilio in preſbyterum car- « dinalem ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ du- « ximus aſſumendum. Quocirca diſcretioni « tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, qua- « tenus impoſitum a Domino tibi onus promtâ « devotione ſuſcipiens, te ſubmoto dilationis « obſtaculo præpares ad noſtram præſentiam « quam citius acceſſurus. Datum Reatæ nonis « Decembris, pontificatus noſtri anno quarto. «

Præfatam litteram cum bulla per deſtinatos a papa nuntios accepit ipſe dominus Nicolaus in Leſinhano prope Narbonam XIX. cal. Februarii in feſto S. Felicis preſbyteri & confeſſoris, anno Dñi prætaxato MCCXCVIII. indeque ſequenti mane conſurgens, Narbonam intravit feria ſexta in feſto S. Mauri ab-

(a) *Nicolaus iſte, qui noſtrum abſolvit magiſtrum, fuit frater Minor, dictus Hieronymus, qui mortuus eſt infra annum in hebdomada ſanctâ*, inquit Bernardus Guidonis in margine.

(b) Vide tom. 4. Anecdotorum pag. 1863.

batis, ubi in capitulo fratrum noſtrorum, præſentibus fratribus & multis ſolemnibus viris civitatis & eccleſiæ Narbonenſis, lecta papali littera coram omnibus, ceſſit totaliter officio magiſtratus, & ibidem in conſpectu omnium ſigillum officii fecit frangi, & præfatæ ordinationi & mandato ſummi pontificis ſuum præbens aſſenſum, eam cum lacrymis acceptavit. Frater Raymundus Hunaudi, tunc prior provincialis Provinciæ, aſſidue fuit ſecum, & qui vidit & audivit teſtimonium perhibuit veritati. Poſtmodum ex cardinali in ſummum pontificem eſt levatus, & BENEDICTUS XI. appellatus, de quo plura ſuperius ſunt notata, ubi ponuntur Romani pontifices aſſumti de ordine Prædicatorum. Hic obiit apud Peruſium nonis Julii, feria tertia, hora quaſi nona, anno Domini MCCCIV. ſepultus die Mercurii conſequenti, ſcilicet VIII. idus Julii in eccleſia fratrum Prædicatorum Peruſii, ubi multis miraculis claret, & ſpecialiter in dæmoniacis ſanandis & dæmonibus expellendis, quorum quædam ſuperius litterarum memoriæ ſunt mandata.

Decimus magiſter ordinis ſucceſſor fratris Nicolai fuit frater ALBERTUS Januenſis, baccalaureus in theologia Pariſius, vir magnæ religionis & obſervantiæ regularis, factor operis non ſermonis. Hic fuit electus in magiſtrum in capitulo generali Maſſiliæ celebrato, anno Domini MCCC. ſabbato ſancto Pentecoſtes, ſcilicet V. cal. Junii, in fine menſis Maii, quarta die, ubi incluſis, ut moris eſt, electoribus in conclavi, numero viginti novem in univerſo, inter quos erant novem priores provinciales, ſcilicet frater Guillermus Franciæ, frater B. de Juzico Provinciæ, frater Hugo Lombardiæ, frater Ægidius alias Staniſlaus Poloniæ, frater Thomas magiſter in theologia Angliæ, frater Oliverius Daciæ & Græciæ ac regni Siciliæ. In ſero * ſcrutinio viginti quatuor electores in ipſum fratrem Albertum tunc temporis lectorem conventus Montis-peſſulani, qui unus de electoribus præſens erat, vota ſua direxerunt, & ipſum rite & canonice in magiſtrum ordinis elegerunt, aliis omnibus conſentientibus in eumdem. Qui inde capitulo celebrato verſus Romanam curiam arripiens iter ſuum, cum eſſet Anagniæ in conventu fratrum poſitus, infirmatus in fine menſis Auguſti quinta die quæ fuit ſabbatum, ſcilicet in vigilia vel in die B. Auguſtini traditus eſt eccleſiaſticæ ſepulturæ. Tribus menſibus tantum præfuit ordini; ſabbato ſancto electus ad laborem magiſterii, ſabbato quoque a laboribus in Domino requievit anno magnæ indulgentiæ Domini prætaxato MCCC.

Undecimus magiſter ordinis ſucceſſor fratris Alberti fuit frater BERNARDUS de Juzico, de villa quæ appellatur Landarro, Vaſatenſis diœceſis oriundus, de prædicatione conventus Burdegalenſis, vir litteratus & diſcretus. Hic fuit electus in magiſtrum ordinis in capitulo generali Colonienſi anno Domini MCCCI. ſabbato ſancto Pentecoſtes, ſcilicet XIII. cal. Junii per viam ſcrutinii. Cum eſſent viginti novem numero electores, ab octodecim electoribus nominatus, ceteriſque omnibus conſentientibus in eumdem, factus eſt magiſter concorditer & in pace. Erat autem tunc prior provincialis Provinciæ, fueratque prius lector & prior Burdegalenſis jam ſemel & iterum, & prior Toloſanus. Hic præfuit magiſterio annis duobus, menſibus quatuor, obiitque in conventu Trevirenſi provinciæ Teutoniæ XV. cal. Octobris, in feſto S. Lamberti, in die Martis, fuitque ſepultus in craſtino anno Domini MCCCIII.

Duodecimus magiſter ordinis ſucceſſor fratris Bernardi fuit frater AYMERICUS Placentinus, natione Lombardus. Hic fuit electus ad magiſterium in capitulo generali Toloſæ ſabbato ſancto Pentecoſtes, ſcilicet XVII. cal. Junii anno Domini MCCCIV. Cum enim eſſent triginta ſex numero electores, a majori parte medietate eligentium in tertio ſcrutinio nominatur, ceteris conſentientibus in eumdem, electus eſt in pace & canonice in magiſtrum. Erat autem tunc lector conventus Bononienſis & electus in priorem provincialem Græciæ, non tamen elector magiſtri; ſed præſens aderat in conventu Toloſano, habens tunc in ordine triginta ſeptem annos, quia puer adoleſcentulus eſt ingreſſus. (a) Hic legerat in ordine tam in theologia quam in philoſophia viginti quatuor annis, fueratque prior Bononiæ. Hic præfuit in magiſterio annis ſeptem; ceſſit autem officio magiſterii, & ejus ceſſio fuit admiſſa a diffinitoribus in capitulo generali apud Neapolim celebrato anno Domini MCCCXI.

Tertius decimus magiſter ordinis fuit frater BERENGARIUS de Landorra, magiſter in theologia, oriundus de diœceſi Ruthenenſi, de provincia Toloſana, qui ſucceſſit memorato fratri Aymerico, fuitque electus in generali capitulo Carcaſſonæ in vigilia Pentecoſtes tertio idus Maii anno Domini MCCCXII. Congregatis ſiquidem ex more electoribus & incluſis, inter quos erant ſeptemdecim priores provinciales, cum eſſent quadraginta quinque numero electores, in primo ſcrutinio triginta ſex ipſum in magiſtrum ordinis nominarunt, ceteriſque omnibus accedentibus & conſentientibus in eumdem, electus eſt unanimiter & concorditer & in pace. Erat autem tunc prior provincialis provinciæ Toloſanæ, & vicarius ordinis generalis, compleveratque triginta annos in ordine, & præcedenti tertia die electionis ſuæ inchoaverat trigeſimum primum annum, quia Toloſæ in adoleſcentia eſt ingreſſus ſub anno

* f. ſexto.

(a) Anno Domini MCCLXVII. pridie cal. Aug. Bononiæ.

Domini MCCLXXXII. menſe Maii, in feſto ſanctorum Gordiani & Epimachi martyrum. Hic præfuit in magiſterio ordinis annis quinque, menſibus quaſi tribus, fuitque factus archiepiſcopus Compoſtellanus per proviſionem domini JOHANNIS papæ XXII. cui proviſioni conſenſum præbuit in conventu Pariſienſi, XIV calendas Octobris, anno Domini MCCCXVIII. & ſic fuit a magiſterio abſolutus. Capitulum vero generale ſequens quod aſſignatum fuerat apud Viennam in provincia Teutoniæ celebrandum, idem papa tranſtulit & decrevit ut fieret in provincia Franciæ in Lugduno.

Quartus decimus magiſter ordinis fuit frater HERVEUS, magiſter in theologia Pariſius, natione Brito, de Monte-Relaxi, diœceſis Trecorenſis, de provincia Franciæ; fuitque in capitulo generali Lugduni in vigilia Pentecoſtes, vigilia S. Barnabæ apoſtoli concurrente, IV. idus Junii anno Domini MCCCXVIII. ab omnibus & ſingulis electoribus ex more conſtitutionis in conclavi incluſis, in primo ſcrutinio nominatus pariter & electus. Erat autem tunc prior provincialis Franciæ & vicarius ex vigore conſtitutionis ordinis generalis; ab ingreſſu ordinis anno quadrageſimo ſecundo jam completo: quem ordinem intravit in feſto B. Petri martyris anno Domini MCCLXXVI. Hic præfuit in officio magiſterii annis quinque & menſibus quaſi tribus. Obiit autem in conventu Narbonenſi provinciæ Provinciæ anno Domini MCCCXIII. octava die menſis Auguſti. In iſto claruit eminenter ſcientia & intelligentia veritatis, in quibus fuit ſolidus & profundus, ut probant dogmata clara, ſtudioſaque pretioſa quæ in ſcriptis ſuis poſterioribus dereliquit. Vir fuit ſimplicitatis & innocentiæ columbinæ, celebris fama & opinione ſuper omnes ſuos coætaneos in ſcientia & doctrina.

Quintus decimus magiſter ordinis fuit frater BARNABAS natione Lombardus de Vercellis (a) de provincia Lombardiæ ſuperioris. Succeſſit prædicto fratri Herveo, fuitque electus in capitulo generali Burdegalenſi anno Domini MCCCXIV. in vigilia Pentecoſtes, ubi ab omnibus electoribus ex more incluſis fuit electus concorditer & in pace. Erat autem tunc prior provincialis Lombardiæ ſuperioris. Hic præfuit in officio magiſterii annis ſeptem cum dimidio. Obiit autem in conventu Pariſienſi in feſto B. Pauli eremitæ, & ibidem in choro honorifice tumulatus anno Domini MCCCXXXI. Illo autem anno non fuit capitulum celebratum, ſed ſecundum conſtitutiones uſque ad alium annum in feſto Pentecoſtes prolongatum. (b) [b]

Sextus decimus magiſter ordinis fuit frater HUGO *de Vaiſſaman*, natione Gallicus (c) [c] ac magiſter in theologia de provincia Franciæ: ſucceſſit prædicto fratri Barnabæ, fuitque electus in capitulo generali apud Divionem celebrato anno Domini MCCCXXXII. (d) [d] in vigilia Pentecoſtes. Erat autem tunc prior provincialis provinciæ Franciæ. Hic præfuit in officio magiſterii (e) . . . . . [e]

Decimus ſeptimus magiſter ordinis fuit frater Geraldus de Daumato magiſter in theologia Toloſæ, natione Lemovicenſis, & de conventu Brivenſi. Hic actu legebat ſententias Pariſius, necdum erat formatus bacalaureus, quando in vigilia Pentecoſtes electus fuit abſens a capitulo generali, celebrato apud Carcaſſonam anno Domini MCCCXLII. dominus autem papa Clemens ſextus, cujus prædictus frater Geraldus erat conſanguineus, audita electione ipſius mandavit immediate per bullam cancellario Pariſienſi, ut prædictum fratrem Geraldum magiſtrum ordinis licentiaret ad magiſterium in theologia, nonobſtante quod curſum ſuum nondum terminaſſet; & ſic ante feſtum Johannis Baptiſtæ factus eſt magiſter in theologia, & in feſto Pentecoſtes immediate præcedente, factus erat magiſter ordinis, ut eſt dictum. Poſt feſtum autem Johannis de Pariſius apud Avinionem, ubi erat papa convenit, & in ſequentibus jejuniis quatuor temporum, ſcilicet IV. calendas Octobris anno Domini MCCCXLII. dominus papa Clemens aſſumſit eum in preſbyterum cardinalem. Hic fuit vir innocens, gratus & humilis, pallidus facie, & totus mortificatus in membris.

Decimus octavus magiſter ordinis fuit frater Petrus de Palma, magiſter in theologia de provincia Franciæ, natione Burgundus, de conventu Biſuntino. Hic pluribus annis præfuit in officio provincialatus. Electus autem fuit concorditer in magiſtrum ordinis per omnes electores, in capitulo generali celebrato Pariſius anno Domini MCCCXLIII. excepto fratre Pariſio tunc provinciali Provinciæ, qui votum ſuum direxit in fratrem Garinum provincialem Franciæ, libere tamen & ſponte acceſſit ad alium. Præfuit autem in magiſterio anno uno & menſibus decem XIV. diebus minus. Migravit autem Pariſius pri-

(a) Alter codex addit: *Vir utique pulcher & prudens, fueratque bis prior provincialis Lombardiæ ſuperioris.*

(b) Codex alius addit: *Perpeſſus autem fuit multas tribulationes & adverſitates, accuſatus coram papa Johanne XXII. per multos magnos de ordine quamquam ipſe ſicut vir conſtans talibus adverſitatibus minime frangeretur.*

(c) al. *Natione Campanus, magiſter in theologia, vir magnæ prudentiæ & experientiæ, fama & opinione ubique præclarus, omnibus notus in optimis, inſtinctu quoque prudentiæ naturalis conditiones mirabiliter diſcernebat.* (d) al. XXXIII.

(e) Al. addit: VIII. *annis & ultra, quantum eſt a feſto Pentecoſtes uſque feſtum B. Dominici. Poſt multos autem labores, quos quatuor annis continuis in Avenione, ubi tunc erat curia, ſuſtinuerat, occaſione immutationis multarum novitatum, quas papa Benedictus XII. motu proprio contra voluntatem ordinis volebat in ordine introducere. Secunda die Auguſti incepit graviter infirmari de febre acuta, & in craſtinum B. Dominici, ſcilicet* VIII. *idus Auguſti, receptis prius devotiſſime eccleſiaſticis ſacramentis, debitum mortalitatis exſolvens, impollutum ſpiritum tradidit Creatori.* VII. *autem die Auguſti, ſcilicet in craſtinum obitus ſui, convenientibus omnibus cardinalibus de mane, & aliis prælatis curiæ, & populo mirabili confluente, cum magna cleri & religioſorum frequentia, ſepultus fuit in eccleſia ante majus altare.*

ma die Martii, anno Domini MCCCXLV. & ob hoc anno illo non fuit celebratum capitulum generale. Fuerat autem electus ſabbato ſancto Pentecoſtes, ſcilicet idibus Maii, XV. die ipſius menſis.

Decimus nonus magiſter ordinis ſucceſſor magiſtri Petri de Palma fuit frater Garinus de Giaco, de provincia Franciæ, natione Campanus, de conventu Autiſſiodorenſi, magiſter in theologia. Hic erat provincialis Franciæ, quando electus fuit in magiſtrum per viam ſcrutinii in capitulo celebrato Brivæ, in provincia Toloſana, anno Domini MCCCXLVI. cum eſſent enim numero XLIV. electores incluſi, ut moris eſt, ſabbato ſancto Pentecoſtes, tertio nonas Jun. in primo ſcrutinio XXV. electores vota ſua direxerunt in eum, & recte ac canonice ipſum magiſtrum ordinis elegerunt, omnibus aliis electoribus accedentibus & conſentientibus in eum. *Altera manu additur*: Hic obiit in conventu S. Miliani poſt capitulum generale celebratum Lugduni, anno Domini MCCCXLVIII. in provincia Franciæ.

Vigeſimus magiſter ordinis fuit frater Johannes de Molendinis magiſter in theologia, de provincia Toloſana, natione Lemovicenſis, ac magiſter ſacri palatii in curia, electus concorditer ab omnibus electoribus incluſis, ut moris eſt, in conclavi, in capitulo generali celebrato Barchinonæ, in provincia Arragoniæ, ſabbato ſancto Pentecoſtes, per viam ſcrutinii anno MCCCXLIX. anno integro & ultra, quantum eſt a feſto Pentecoſtes ad feſtum Nativitatis Domini, & tunc in jejuniis quatuor temporum aſſumtus fuit in Avinione, ubi erat curia Romana, per dominum papam Clementem VI. in preſbyterium cardinalem titulo S. Sabinæ, & illo anno ſuperſedit ordo a capitulo generali celebrando in conventu Caſtrenſi provinciæ Toloſanæ.

In codice mſ. conventus Carcaſſonenſis ſequentia habentur.

Decimus quartus magiſter ordinis frater Herveus, magiſter in theologia Pariſienſ. qui fuit nobilior clericus temporibus ſuis totius mundi, electus ad magiſterium in capitulo Lugdunenſi unanimiter MCCCXVIII. Præfuit annis quinque. Qui cum rediret e capitulo generali apud Barchinonam celebrato MCCCXXIII. poſt nimios labores, eundo ad curiam Romanam, in conventu Narbonenſi in magna devotione poſt magnam infirmitatem ſpiritum Deo reddidit, præſentibus multis magiſtris in theologia.

Decimus quintus frater Barnabas Vercellenſis, Lombardus natione, qui fuit electus in magiſtrum in capitulo Burdigalenſi anno MCCCXXIV. ſepultus Pariſius anno MCCCXXXI. Extat alibi de ejus obitu egregia epiſtola. Præfuit annis ſeptem.

Decimus ſextus frater Hugo de *Varſamun*, electus Divione MCCCXXXII. & obiit Avinione, ubi erat ex ſolemnioribus FF. ordinis reformantibus ordinem. Ipſe erat magiſter in theologia ſolemnis, vir magnæ diſcretionis, ſicut apparuit in reformatione prædicta. Nam papa BENEDICTUS, qui aliqua circa noſtrum ordinem voluit immutare, minime obtinere potuit. Præfuit annis novem.

Decimus ſeptimus frater GERARDUS DE DAUMAR, conventus Brivenſis, electus Carcaſſonæ in vigilia Pentecoſtes MCCCXLII. Iſte fuit vir magnæ devotionis. Non fuit præſens in capitulo, ſed erat tunc Pariſius, ubi legebat ſententias, & in ſequenti feſto S. Johannis Baptiſtæ factus fuit magiſter in theologia; & in ſequenti feſto Michaëlis aſſumtus fuit ad cardinalatum; & anno revoluto migravit ad Dominum, & credo quod aſſumtus eſt ad cœlum. Non præfuit in magiſterio per annum, ut ex prædictis apparet. Sepultus eſt in conventu Brivenſi.

Decimus octavus frater PETRUS de Palma, magiſter in theologia Pariſius, ibidem electus. Præfuit tribus annis, & migravit ad Dominum.

Decimus nonus frater GARINUS de Giaco, magiſter in theologia, de provincia Franciæ, electus apud Brivam provinciæ Toloſanæ MCCCXLVI. Iſte fuit valde gratioſus, magnus clericus & egregius prædicator. Præfuit annis tribus, & migravit ad Dominum.

Vigeſimus frater JOHANNES de Molendinis de conventu Brivenſi, magiſter in theologia, electus Barchinonæ provinciæ Aragoniæ anno MCCCXLIX. Non fuit in capitulo, ſed erat Avinioni magiſter ſacri palatii. Ipſe fuerat inquiſitor Toloſanus. Poſt dum magiſterio fungeretur & viſitaret provinciam Franciæ, aſſumtus eſt ad cardinalatum. Iſte fuit magnus clericus & egregius prædicator, nobilis genere, ſed nobilior moribus. Præfuerat magiſterio per annum cum dimidio quando aſſumtus eſt ad cardinalatum, & ſucceſſus fuit in capitulo generali.

Vigeſimus primus frater SIMON de Lingonis electus in conventu Caſtrenſi provinciæ Toloſanæ MCCCLII. Iſte erat magiſter in theologia, prior provincialis Franciæ. Hic fuit ſcientia præditus & conſilio providus, papæ ac cardinalibus ac domino imperatori ceteriſque principibus mirabiliter acceptus. Hic legatus per dominum papam factus pro pace reformanda inter dominos reges Franciæ & Angliæ, Spiritu ſancto cooperante inter eos pacem reſtituit. Hic epiſcopatum Nivernenſem per dominum Innocentium papam ſibi collatum, recipere humilitatis cauſa recuſavit. Hic fere totum ordinem viſitavit. Hic anno MCCCLXVII. magiſterii vero ſui anno XIV. in hebdomada per octavas Paſchæ in conventu Pariſienſi magiſterio ceſſit, obediens factus domino Urbano papæ, qui eum epiſcopum

epiſcopum Nannetenſem in Britannia fecit, & ut epiſcopatum acceptaret ei mandavit.

Vigeſimus ſecundus frater ELIAS RAYMUNDI, de conventu Brageriacenſi provinciæ Toloſanæ, electus in conventu Avinionenſi anno MCCCLXVII. Iſte prius ſacræ theologiæ profeſſor & pœnitentiarius domini papæ, factus fuit per dominum URBANUM papam ordinis vicarius generalis, deinde unanimiter in magiſtrum ordinis electus. Hic magiſterii ſui anno primo cauſam cœpit ducere in monachos albos ſuper recuperatione corporis S. Thomæ, & infra annum ad finem perduxit. Nam de mandato Urbani papæ V. corpus ſanctum una cum capite ordini fuit reſtitutum, & in magna ſolemnitate in conventu Toloſano collocatum MCCCLXVIII. in feſto Agnetis ſecundo.

SEQUITUR DE SECUNDO GRADU, ſcilicet de prioribus provincialibus.

Præambulum ad ſequentia.

ANno Domini MCCXIX. vel MCCXX. cœpit ordo Prædicatorum habere priores provinciales. Priores autem provinciales in provincia Provinciæ non diviſa, & in provincia Toloſana, ac in provincia jam diviſa; priores quoque conventuales Toloſanæ provinciæ quos potui reperire inferius continentur: ea vero quæ deſunt, ſupplerí, & ſi qua minus bene poſita ſunt, emendari poterunt locis ſuis ab his qui noverint plenius & certius veritatem, præcipue circa priores conventuum antiquorum vel a me diſtantium, de quorum aliquibus nondum potui plene ſicut volui invenire certitudinem veritatis. Hoc autem ſcire & in ſingulis conventibus habere non erit inutile; ſed inſpecta veritate in multis expediens & devotum, ut filii qui naſcentur pro patribus & exurgent in viros perfectos in provincia Toloſana, non ignorent primordia & progreſſus ſui ſtatus, ſuorumque conventuum & locorum, & ſub quibus rectoribus & prioribus profeceruntſ; vivatque memoria juſtorum cum laudibus in terris, qui dum hic viverent in Domino, vitam perpetuam in cæleſtibus meruerunt. Quod ſi inter iſtos, caſus alius occurrerit, (nam de angelorum ordinibus aliqui ceciderunt,) non ſit in lapidem offenſionis & petram ſcandali, ſed timorem potius generet & cautelam, ut qui ſtat videat ne cadat pro ſui conſervatione, gratias agens de præterito, & ſibi præcavens in futurum. Sunt etiam nonnulla æterna memoria digna, quæ nullo illorum qui ſciverunt ſuperſtite, nullaque ſcriptura teſte, dabuntur oblivioni perpetuæ, curſu temporis prælabente; & tunc fruſtra ſcire deſiderabunt poſteri, cum nullus ſit qui eis valeat enarrare. Inquiſivi autem veritatem de præteritis & antiquis quæ fuerunt ante nos, partim ab antiquioribus qui viderunt vel audierunt; partim autem recollegi quædam ab aliis, quaſi in memorialibus prænotata, & quædam ex Vitis fratrum & geſtis B. Dominici, & ex actis capitulorum aliqua. De his vero quæ noſtris temporibus evenerunt, plura potui ego ſcire quæ vidi vel audivi ab anno Domini MCCLXXIX. quo Prædicatorum ordinem intravi, uſque ad annum Domini MCCCXI. quo hæc ſcripſi: plura quoque ab aliis inquiſivi & didici, & iſta malui utcumque ſemiplene ſcribi a me quam a nemine. Sunt etiam nonnulla de primitivis quæ nunc ſcire deſidero, nec invenire valeo a quo poſſim expetere veritatem, quia primitivi mortui ſunt qui viderunt; & propter lapſum temporis a quorumdam ſeniorum, qui nunc ſuperſunt, memoria exciderunt, aut quaſi per ſolam velut ſomnii nebulam recordantur. Incepi autem ad hoc maxime ſtudium applicare anno magnæ indulgentiæ Domini Jeſu Chriſti MCCC. paulo ante.

Nota ætatem auctoris.

Priores provinciales in provincia Provinciæ ordinis Prædicatorum non diviſa.

Primus prior provincialis in provincia Provinciæ fuit frater Bertrandus *(a)* de Garriga, a villa ſeu loco ſuæ originis prope Aleſtum in Provincia ſic cognominatus. Hic fuit a beato Dominico inſtitutus, cujus fuit ſocius & comes ſæpius itineris & laboris. Hic fuit vir magnæ ſanctitatis & rigoris, circa ſeipſum inexorabilis, carniſque ſuæ mortificator acerrimus ac imitator præcipuus beati patris ſui Dominici, in vigiliis, jejuniis, diſciplinis, aliiſque multis formam ſanctitatis ejus ſibi imprimens & imbibens. Unde legitur in Vitis fratrum libro II. cap. XIX. quod attendens B. Dominicus quod frater Bertrandus pro peccatis ſuis ſe nimis affligebat, eique compatiens, interdixit aliquando ne ſuas a modo, ſed aliorum culpas deſleret; & tantæ virtutis verba fuerunt, quod ex tunc pro aliis abundanter fleret, pro ſe autem flere non poſſet. In eodem libro quinto capitulo VII. legitur de eodem fratre Bertrando, quod qualibet die fere miſſam pro peccatis dicebat. Cum igitur in conventu Montis-Peſſulani frater Benedictus vir bonus & prudens hoc advertiſſet, quæſivit ab eo cur raro pro defunctis, & pro peccatis ſæpius celebrabat. Qui reſpondit; quia defuncti pro quibus orat eccleſia in tuto ſunt, & certum eſt, quod pervenient ad ſalutem: nos autem peccatores in multiplici periculo & pendulo converſamur. Cui frater ait: Dicatis mihi, prior cariſſime, ſi hic eſſent duo medici æqualiter pauperes, ſed alter omnia membra corporis ſalva haberet, alter vero omnibus careret, cui prius

[a]

(a) Frater Bertrandus erat prior provincialis anno Domini 1233, ſicut inveni in quadam littera Prulliani, ut dicit in margine Bernardus Guidonis, qui laudat eum tamquam virum mitæ abſtinentiæ.

ſubveniretis? Qui reſpondit ei: Qui minus juvare ſe poſſet. Tunc frater Benedictus ait: Sic ſunt defuncti, qui nec os habent ad confitendum, nec aures ad audiendum, nec oculos ad flendum, nec manus ad operandum, nec pedes ad peregrinandum, ſed noſtra ſolum expetunt ſuffragia & expectant: peccatores autem præter noſtra ſuffragia prædictis omnibus juvare ſe poſſunt. Cum autem ne ſic acquieſceret prior, ſequenti nocte quidam terribilis defunctus ei apparuit, cum tumulo ligneo eum graviter premens, qui pluſquam decies eum in illa nocte excitavit, & terruit, & vexavit; unde in aurora dictum fratrem Benedictum vocans, & ad altare cum lacrymis accedens devote, ex tunc pro mortuis ſæpius celebravit.

Hic, ut in eodem libro ſecundo cap. VI. legitur, erat ſocius & comes itineris B. Dominici de Toloſa proficiſcentis Pariſius, quando Theutonicos peregrinos obvios & comites itineris, & proviſores in neceſſariis de Rupe-amatoris uſque Aurelianis habuerunt, & fuſa ad Deum oratione flexis genibus, ut intellectum linguæ ipſorum pariter & loquelam Deus eis tribueret, ut eis poſſent annuntiare JESUM CHRISTUM, & ſpiritualia pro temporalibus jam ſuſceptis ſubſidiis miniſtrare, dono Dei intelligibiliter ſtupentibus illis Theutonice ſunt locuti. Hujus corpus ſanctum, quod ſepultum fuit in domo ſanctimonialium *del Beſquet*, ubi & obiit prope Auraſicam in Provincia, poſt viginti tres annos levatum, integrum & incorruptum eſt repertum, & ibidem cum honore & devotione congrua cuſtoditur, ubi multi conſecuti ſunt remedia ſanitatum: conveniens Dei donum incorruptionem quam ſervavit & prædicavit vivus, conſervat & prædicat jam defunctus, multiſque miraculis ibi claret.

Secundus prior provincialis fuit frater Raymundus (a) de Convenis Vaſco, vir admodum mitis & pius. Hic fuit poſitus in officio a capitulo generali, quievitque in officio, ſepultus apud fratres Baionenſes anno Domini.....

Tertius prior provincialis fuit frater Guillelmus *de Syſſac* de Burdigalis oriundus, vir religioſus & verax & affluens viſceribus pietatis. Hic cum apud Burdegalam in Domino quieviſſet, & corpus ejus ſepeliretur, quædam religioſæ feminæ familiares fratrum, quæ de ejus morte multum dolebant, luminaria viderunt deſcendentia ſuper foſſam, & ex hoc multum conſolatæ, fratribus retulerunt.

Magiſter quoque Petrus, qui erat rector ſcholarum Burdegalis, audita morte viri Dei, & confidens de ejus ſanctitate, quam noverat, cum pateretur dolorem dentium, altera die acceſſit ad ejus ſepulcrum, & fauces cum terra ſepulcri ejus fricavit, & ſtatim fuit a dolore dentium liberatus, qui audientibus multis ſuis ſcholaribus hoc narravit.

Præmiſſa duo ſcripta ſunt in Vitis fratrum lib. VI. cap. IX. Hic quievit in Domino in conventu Burdegalenſi, ut dictum eſt, X. cal. Junii, anno Domini MCCXXXVIII.

Quartus prior provincialis fuit frater Raymundus (b) de Falgario, de Miromonte caſtro, diœceſis Toloſanæ, vir ſenſatus & in verbo Domini gratioſus, qui de officio provincialatus aſſumtus fuit ad epiſcopatum Toloſanum, electus in epiſcopum in feſto beati Benedicti abbatis, anno Domini MCCXXXI. Hic multa bona fecit fratribus, & redditus epiſcopales multum auxit. Migravit ad Chriſtum XV. cal. Novembris media nocte, Dominica in craſtino S. Lucæ, anno Domini MCCLXX. epiſcopatus vero ſui anno XXXIX. ſepultus eſt in conventu fratrum Toloſæ, in fine chori, in cujus tumulo inſculpti verſus habentur.

Præſul Raymundus jacet hic quem flet modo mundus,
Cujus erat fundus Mirus-mons, hinc oriundus,
Verbis facundus, paucis probitate ſecundus:
Factis fecundus magnis, ſenſuque profundus.
Ordo facit fratrem, fratrum Provincia patrem,
Mons-Peſſulanus ipſum de fratre priorat,
Sed Toloſanus cathedralis clerus honorat.
Virgo Maria Dei præſentet eum faciei;
Ut ſic fiat ei, dic miſerere mei.

Quintus prior provincialis fuit frater Romeus (c) Catalanus natione, ſed cæleſtis converſatione, oriundus de Levya caſtro prope Podium-Cerdanum. Succeſſit fratri Raymundo de Falgario memorato, anno Domini MCCXXXII. per proviſionem magiſtri ordinis, ut audivi referri a quodam de ſenioribus. Præfuit in provincialatu annis IV. (d) vir inter devotos devotior, inter mites mitior, qui vivens & moriens miraculis coruſcavit. Hujus viri fuit ſimplex habitus, ſupplex vultus, gratioſus aſpectus, ſermo melliſluus, pius ad Deum & homines affectus, ſpecialis ad B. Virginem Mariam devotio, cujus ſalutatione dulciſſima non poterat ſatiari, quam ſingulis diebus milleſies ſalutabat. Myſterium divinæ Incarnationis jugiter in corde gerebat, ore promebat, & omnem ſuum ſermonem ex ipſo condiebat in principio vel in medio, vel in fine vel in toto: humilitatem cordis & corporis pio venerabatur affectu. Ad illud verſiculum pſalmi: *Cum dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hereditas Domini filii merces fructus ventris*, tanta devotione ferebatur, tantoque cordis jubilo jocundabatur

(a) *In iſto enituit patientia dulcis & amabilis*, inquit in margine Bernardus Guidonis.
(b) *In iſto floruit facunda eloquentia & gratia ſermonis*, ut in margine addit Bernardus Guidonis.
(c) *In iſto exarſit fervor devotionis ad Matrem Dei Virginem & Jeſum prolem*, ait in margine Bernardus Guidonis.
(d) *Anno Domini 1235. erat prior provincialis frater R. ſicut inveni in primo libro inquiſitionis Toloſæ*, inquit in margine Bernardus Guidonis.

in eo, ut ipsum semper in ore vellet habere. Unde contigit ei sæpe quod de ore sui socii, cum quo divinum dicebat officium, specialiter versus de beata Virgine, ipsum versiculum rapiebat, si forsitan contigisset quod ad partem suam versiculus ille non venisset; quod tamen diligentius observabat, & dulcissime ipso quasi fruebatur in ore, & multo profundius in corde. Hic cum Lugduni & Burdigalis prior conventualis, & in provincia Provinciæ prior provincialis fuisset, & multo tempore Domino in ordine deservisset in mira cordis munditia, odorem sanctitatis & famæ suæ, ubicumque esset, Deo volente, longe lateque diffundens, tandem apud Carcassonam decumbens, in mirabili patientia infirmitatem sustinens, & cum gratia servitia fratrum suscipiens, puerum JESUM & dominam MARIAM ejus matrem & Virginem tuminans & fratribus inculcans, obdormivit in Domino, cordulam cum nodulis quibus mille *Ave Maria* in die numerare solitus erat firmiter manu tenens, anno Domini MCCLXI. calendas Decembris. (*a*)

[*d*] Eademque hora defunctionis ejus frater Guillermus de Grazanis, conventus Carcassonensis, vir religiosus & verax, audivit in dormitorio claram vocem resonantem (*b*) & dicentem præfatum versiculum psalmi, *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini filii merces fructus ventris*; & statim dixit in corde suo, quod dilectus Deo & hominibus frater Romeus somnum mortis capiens, ad hereditatem Domini possidendam intrabat, & fructum ventris B. MARIÆ semper Virginis, quam totiens dulcissime salutaverat, revelata facie jam visurus, & de laboribus tam utilibus mercedem, tam felicem quam fertilem, percepturus abibat. Statimque præfatus frater Guillermus consurgens, & ad infirmitorium currens, sicut audiverat sic invenit. Multa quoque alia laude & memoria digna, & præstantiora perfectionis opera viderunt in viro Dei Romeo, qui ejus meruerunt dulci consortio frui. Hujus viri corpus sanctum, cum plusquam viginti annis sub terra jacuisset humatum, & sub divo in præfato conventu Carcassonensi ad honorabiliorem locum, sicut dignum erat, scilicet ante altare B. MARIÆ Virginis, digno cum honore translatum, inventum fuit integrum & penitus incorruptum circa annum Domini MCCLXXXV. sicut compertum est per illos qui præsentes interfuerunt, perspexerunt oculis, & manibus contrectaverunt: inter quos subprior qui adfuit, viva voce mihi sæpius enarravit. Alia quoque multa devotione plena, de eodem sancto amico audivi referri sæpius à plerisque.

Hæc sunt in fossa fratris venerabilis ossa
Dicti Romei qui fuit arca Dei.
Hic Jesumque piam dilexit valde Mariam.

Sextus prior provincialis fuit frater Pontius de Sparra Burdegalensis diœcesis, Vasco natione, leo virtute, agnus mansuetudine. Successit fratri Romeo anno Domini M. CC. XXXVII. Fuit autem absolutus in capitulo generali Bononiæ, anno Domini MCCXLII. sicut & omnes alii, qui in absolutionem magistri ordinis fratris Raymundi de Pennaforti consenserant; sed immediate fuit reelectus in capitulo provinciali Montispessulani, anno Domini MCCXLII. Hic sicut alter Judas Machabæus, similis factus est leoni in operibus suis. Hic siquidem in diebus suis non pertimuit principes, in favorem hæreticalium contra ipsum & contra inquisitores pravitatis hæreticæ insurgentes. Hunc non superaverunt verba subdola prælatorum quorumdam, qui Tolosano principi applaudebant, inter constantes constantissime imperterritus; semper stans infatigabiliter verbis & factis, palam & publice: etiam quosdam qui videbantur esse columnæ ecclesiæ, rationibus inrefragabilibus refrangebat. Cum hac cordis constantia lacrymis in prædicationibus & orationibus affluebat, & valde misericors miseris & pius erat. Provincialis extitit annis duodecim: fuit autem absolutus a provincialatu in capitulo generali apud Treverim celebrato, anno Domini MCCXLIX. Tandem fractus laboribus & ætate, apud Burdegalam obdormiens in Domino resurrectionem expectat v. cal. Martii, anno Domini MCCLIV.

Septimus prior provincialis fuit frater Stephanus (*c*) dictus de *Alvernhatz*, qui successit fratri Pontio de Sparra, electus in priorem provincialem in capitulo provinciali Tolosano, anno Domini MCCXLIX. Erat tunc lector Montispessulani & absens a capitulo illo; sequens vero provinciale capitulum ipse tenuit in Narbona anno Domini MCCL. Inde vero post terminationem capituli veniens Carcassonam, dum esset in loco qui dicitur *Escalas*, inopinato casu cecidit, & fuit læsus graviter in brachio & in crure; ideo transmisit fratrem Petrum Hispani cum fratre Stephano Benedicti ad magistrum ordinis fratrem Johannem Theutonicum, qui in partibus Theutoniæ tunc agebat, pro absolutione (*d*) à provincialatus labore & onere obtinenda; fuitque absolutus per litteram ante capitulum generale. Præfuit anno uno & dimidio. Hic fuit vir sanctus & humillimus. Vocatus enim Parisius & diutius expectatus & quæsitus, ut cathedram ascenderet magistralem, renuit ex sua humilitate, & abscondit se & latuit illa die. Hic cum

[*c*]

[*d*]

(*a*) *In calendario vero domus de Glanderio ordinis Cartusiæ, inveni intitulatum ejus obitum X. cal. Novembris*, addit in margine Bernardus Guidonis.

(*b*) *Non enim audiverat sonitum tabulæ cum aliis*, ut addit in margine Bernardus Guidonis.

(*c*) De quo Bernardus Guidonis in margine: *In isto profuit litteratura facti canonis, vera humilitas cordis, mira innocentia operis.*

(*d*) Vide codicem capitulorum provincialium.

pluſquam quadraginta annis in diverſis conventibus & ſolemnibus locis utiliter & honorabiliter docuiſſet in lege divina, vir ſimplicitatis rectæ & innocentiæ columbinæ, reverentiæ ac opinionis præclaræ, dormivit in conventu Biterrenſi, ubi quieſcit in eccleſia, anno Domini ....

[a] Octavus prior provincialis fuit frater Geraldus (a) de Fracheto, Lemovicenſis diœceſis, de Caſtro Luceti prope Lemovicam oriundus, qui ſucceſſit fratri Stephano Alverno, electus in capitulo provinciali in Podio B. Mariæ celebrato anno Domini MCCLI. erat tunc prior Maſſilienſis. Hic in pace & æquitate rexit Provinciam annis octo; fuit autem abſolutus in capitulo generali Valencenenſi, anno Domini MCCLIX. Hic fuit homo dilectus Deo & hominibus, prædicator ad clerum & populum gratioſus, facundus & fœcundus, & in omnibus quæ religionis ſunt ad plenum inſtructus, & a primævis annis jugiter enutritus: gratia, facundia, genere & opinione præclarus, verbo ædificationis ſemper & ubique affluens; geſta quoque ſanctorum & virorum illuſtrium & antiquitates memorabiles gerens in pectore, & C promens in tempore opportuno; vir ubique in optimis notus. Hic librum qui *Vitas fratrum* inſcribitur, de mandato venerabilis patris fratris Hymberti magiſtri ordinis compilavit, in quo ſuæ religionis viventem imaginem legentibus poſteris dereliquit. Dormivit autem cum patribus ſuis in conventu Lemovicenſi IV. nonas Octobris, in feſto beati Franciſci, anno Domini MCCLXXI. cujus corpus ornat & honorat clauſtrum fratrum Lemoviçenſium prope oſtium eccleſiæ, unde verſus iſti ibidem habentur inſculpti.

Frater Geralde de Fracheto, pie valde,
Tertius hic a te capitur locus immediate.
Ordo, genus, vita, diſcretio, lingua polita,
Fama, pudor, pietas, te laudant, pax, amor, ætas.

[b] Nonus prior provincialis fuit frater Pontius (b) de S. Ægidio, ſic cognominatus, qui ſucceſſit fratri Geraldo de Fracheto, electus in priorem provincialem in capitulo provinciali Montiſpeſſulani anno Domini M. CC. LIX. Erat autem prior Toloſanus. Hic fuit vir longe lateque in optimis notus principibus & prælatis, domino Clemente papæ IV. & glorioſo principi ſancto Ludovico Francorum regi, quibus gratia magna, favore E ac notitia familiari junctus fuit ex ſuæ meritis probitatis. Hic ſi non fuit ſcientia præcminens, fuit tamen virtute animi & converſationis fervore præcellens, communis boni ac communitatis amator, magnus & ardentiſſimus æmulator. Juvenes aptos & dociles, A undecumque eſſent, *pro viribus* in ſtudiis generalibus nutriebat, eiſque quantum poterat in neceſſariis providebat, quos poſtea tractos ad ordinem quanta ſollicitudine promoverit non poſſet de facili explicari. Hic multos magnos viros ad ordinem recepit; hic pro fide & fidei inquiſitionis negotio conſtanter ſtetit coram principibus & prælatis. Tunica una contentus fuit hieme & æſtate, ab omni pitancia multo tempore abſtinens. Provinciam optime rexit & direxit B annis quatuor: tandem cum pluſquam triginta annis in multis officiis ordinis Deo & fratribus humiliter & utiliter deſerviſſet, apud Brivam, Lemovicenſis diœceſis villam, ad quam viſitaturus fratres, qui de novo ibi erant, advenerat, quorum tunc prior provincialis erat, confectus ſenio, laboribus & vigiliis & jejuniis multis attritus, in mirabili fervore ſpiritus Deo & hominibus gratus diem clauſit extremum XV. calendas Julii, anno Domini MCCLXIII. locumque novellum fratrum ſuo ſancto corpore dedicavit: ad cujus tumulum multa fiunt miracula; & præſtantur beneficia ſalutis devote poſcentibus, C virtute Dei, meritis ſancti amici & dilecti ſui; quorum quædam alibi ſunt notata.

Decimus prior provincialis fuit frater Petrus de Valetica Vaſco, bis; prima vice ſucceſſit fratri Pontio memorato, electus hac vice in capitulo provinciali Toloſæ anno Domini MCCLXIII. Præfuit iſta vice annis tribus, fuitque abſolutus in capitulo generali Treviris celebrato anno Domini MCCLXVI. de quo adhuc.

Undecimus prior provincialis fuit frater Bernardus Geraldi de Monte-Albano, diœceſis Caturcenſis, tribus vicibus. Prima vice ſucceſſit fratri Petro de Valetica, electus in D capitulo provinciali Lemovicenſi, in nativitate B. Mariæ Virginis celebrato, anno Domini MCCLXVI. fuitque ibidem antequam de capitulo fratres diſcederent confirmatus per litteram magiſtri ordinis fratris Johannis Vercellenſis, tunc in Burdigala exiſtentis. Præfuit autem hac vice annis tribus, fuitque abſolutus in capitulo generali Pariſius anno Domini MCCLXIX. & lector Montis-peſſulani ibidem aſſignatus. De iſto adhuc infra.

[c] Frater Petrus (c) de Valetica præfatus ſecunda vice ſucceſſit fratri Bernardo Geraldi, fuitque electus in capitulo provinciali Biterrenſi anno Domini MCCLXIX. & confirmatus ibidem a tribus antiquioribus electoribus, ex conceſſione & commiſſione magiſtri ordinis ſpeciali, præfuitque hac ultima vice annis ſeptem, & ſic in univerſo præfuit annis decem. Fuit autem abſolutus hac vice per litteram magiſtri ordinis, quam ipſemet, ſicut

(a) Quem in codicis margine ſic laudat Bernardus Guidonis. *In iſto vernavit benignitas manſuetudinis, largitas quitationis, cum ſuavitate converſationis & dulcedine ſermonis.*

(b) *In iſto ferbuit zelus religionis & promotio & amor communitatis*, inquit Bernardus Guidonis in margine.

(c) *In iſto viguit virtus diſcretionis in magnis & arduis præcipue.* Ex eodem auctore.

audivi referri, fecit legi in capitulo fratribus convocatis in conventu Petragoricensi sabbato sancto Pentecostes, ad terram ibidem lecta littera humiliter se prosternens, anno Domini MCCLXXVI. Hic fuit vir modestus atque sensatus, consilio providus & promtus; brevis staturæ, sed virtutis magnæ; lucerna montium Vasconiæ in confinio prædicationis conventus Morlanensis & S. Severi, ardens devotionis ad Deum, ut protendunt sua dictamina & carmina devota, in quibus non tam præmeditata cecinit, quam saporata primitus & gustata; lucensque præclaro ingenio intellectus, ut declarat inter cetera promtuarium ab ipso editum, & tractatus quidam ejusdem devotus & brevis de gradibus contemplationis, qui incipit: *Notam fac mihi viam in qua ambulem, &c.* Hic senex & plenus dierum dormivit & quiescit in conventu Burdegalensi, in festo S. Luciæ, anno Domini MCCLXXVIII.

Frater Bernardus Geraldi præfatus secunda vice successit fratri Petro de Valetica antedicto. Fuit autem electus in capitulo provinciali Agennensi anno Domini MCCLXXVI. confirmatusque ibidem a tribus antiquioribus electoribus (a) ex concessione magistri ordinis speciali; erat autem tunc lector Tolosanus. Præfuit hac vice annis quinque; fuit autem absolutus in capitulo generali Florentiæ celebrato anno Domini MCCLXXXI. quo absoluto, vacavit provincialatus anno uno integro, quia ipse bis fuit reelectus in anno illo, & bis cassata electio a magistro; primo siquidem fuit reelectus in capitulo provinciali Massiliæ anno Domini MCCLXXXI. & missa electio ad magistrum ordinis & cassata. Secundo vero fuit reelectus eodem anno, assignata die ad eligendum feria quarta ante festum purificationis B. MARIÆ in conventu Biterrensi, anno Domini prætaxato, & missa per fratres electio ad sequens capitulum generale apud Viennam in Teutonia ad magistrum, & ab eodem magistro cassata anno Domini MCCLXXXII. De isto adhuc infra.

Duodecimus prior provincialis fuit frater Berengarius (b) Otarii Arelatensis, magister in theologia Parisius. Successit fratri Bernardo Geraldi, electus in capitulo provinciali Carcassonensi, anno Domini MCCLXXXII. Præfuit annis tribus, fuitque absolutus in capitulo generali Bononiæ, anno Domini MCCLXXXV. Hic fuit vir bonæ & magnæ apparentiæ; bene personatus, prædicator gratiosus. Diu servivit in officio lectionis; legit enim theologiam annis triginta quinque, multumque consenuit. Obiit vero in conventu Montis-pessulani tertio nonas Julii, sepultus in ecclesia ante altare B. Dominici anno Domini MCCXCVI.

Frater Bernardus (c) Geraldi præfatus tertia & ultima vice successit fratri Berengario Otarii memorato, electus in capitulo provinciali Condomii, in festo S. Dionysii celebrato anno Domini MCCLXXXV. & a magistro ordinis confirmatus. Præfuit hac vice annis sex, & sic in universo præfuit annis fere quatuordecim. Hic fuit vir magni consilii, magnæ experientiæ, expertæ prudentiæ, religionis probatæ. Non libenter monebat subditos facere cum ipse non faceret cum eisdem: plenusque dierum & operibus ac laboribus bonis in senectute bona quievit in officio provincialatus, ingressus in abundantia sepulcrum in conventu Tolosano, in festo Dominicæ annuntiationis octavo cal. Aprilis, inchoante anno Domini MCCXCI. qua die ordinem intraverat Prædicatorum, intrasse creditur chorum & ordinem angelorum. Sepultus est in medio chori fratrum.

Tertius decimus prior fuit frater Bernardus (d) de Trilia Nemausensis, qui successit fratri Bernardo Geraldi, electus in conventu Biterrensi, in die ad eligendum electoribus assignata, circa quindenam Paschæ, anno Domini MCCXCII. fuitque confirmatus a magistro ordinis fratre Munione in sequenti capitulo generali Palentiæ, terminata diffinitione immediate in conspectu omnium ibidem, ubi erat ipse pro provincia diffinitor. Præfuit autem anno uno integro, fuitque absolutus in sequenti capitulo generali Romano anno Domini MCCXCII. Hic fuit magister in theologia solidus & famosus, vir sensatus, naturali prudentia præditus, ingenio præpollens, clarus intellectu ad intelligentiam sublimium & subtilium veritatum, clausus labiis, animo circumspectus, dogmatis nectare ac doctrinæ fratris Thomæ excellenter imbutus, qui in sacris litteris præeminens & præcellens prædecessores suos singulos præcessit in eisdem. Hic dogmata clara studiosisque pretiosa in scriptis successoribus posteris dereliquit, scientia, fama ac persona insignis & celebris in toto ordine; ejus dulcis memoria cum laudibus vivit & præconiis gloriosis. Hic cum rediret de præfato Romano capitulo generali, in conventu Avenionensi decumbens, feliciter & imperceptibiliter in Domino obdormivit in vigilia B. Dominici, anno Domini MCCXCII. Sepultus fuit ibidem, sed postmodum apud Nemausum civitatem nativitatis suæ translatum est corpus ejus.

Frater BERNARDUS *jacet hîc, cui Trilia nomen.*
Nominis est omen quod signat mystica nardus.

[a] (a) *Inter quos electores antiquior fuit unus frater Stephanus de Salanhaco Lemovicensis, qui confirmationem pronuntievit.* Ex Bernardo Guidonis.

[b] (b) *In isto fuit gratia prædicationis.*

[c] (c) *In isto præfulsit exemplar religionis & norma rectitudinis in judiciis.*

[d] (d) *In isto claruit eminenter scientia & intelligentia veritatis.*

Nitens candore, fragrans virtutis odore;
Conſtans ac humilis, cum nemine nulla ſibi lis.
Iſte pater patriæ fuit hujus & arce ſophiæ.
Munda fuit vita, mens celica, lingua polita.
Doctor, lux veri, vox cœli, regula cleri,
Æterni regis reſeravit dogmata legis.

Quartus decimus prior provincialis fuit
[a] frater Petrus (a) de Mulceone-Lemovicenſis diœceſis, qui ſucceſſit fratri Bernardo de Trilia, electus in capitulo provinciali Brivenſi, in aſſumtione B. Mariæ ſemper Virginis, anno Domini MCCXCII. Erat autem tunc inquiſitor Toloſanus hæreticæ pravitatis. Hunc abſolvit a provincialatu per litteram frater Stephanus Biſuntinus magiſter ordinis pridie quam obiret, anno Domini MCCXCIV. ſed reelectus fuit unanimiter in ſequenti feſto beati Matthiæ apoſtoli, in conventu Carcaſſonenſi ad eligendum aſſignato electoribus convocatis, & ibidem fuit a tribus antiquioribus electoribus confirmatus, cum ordo magiſtrum non haberet; qui fuerunt frater Berengarius Otarii magiſter in theologia, frater Galterus prior Valentinus, frater Helias de Briva Lemovicenſis diœceſis. Hic fuit vir mulcedine pietatis & gratiæ plenus, miſeris & peccatoribus benignus & pius; nobilis genere, ſed nobilior profunda humilitate & gratiſſima converſationis ſocietate. Præfuit annis fere tribus, priorque provincialis exiſtens obiit in conventu Montis-Albani VI. calendas Auguſti, in feſto B. Marthæ, anno Domini MCCXCV. ubi primo ſepultus jacuit, deinde ad conventum Brivenſem tranſlatum fuit corpus ejus in capitulo provinciali Caturcenſi, anno Domini MCCXCVIII.

Quintus decimus prior provincialis fuit
[b] frater Raymundus (b) Hunaudi de Lantario Toloſanus, qui ſucceſſit fratri Petro de Mulceone, electus in conventu Narbonenſi, in feſto S. Martini ad eligendum convocatis electoribus aſſignato, anno Domini MCCXCV. & ibidem fuit a tribus antiquioribus electoribus confirmatus, quia ordo magiſtrum non habebat; qui fuerunt frater Helias de Briva, quinquagenarius in ordine & amplius; frater Bernardus Gauteri Toloſanus quinquagenarius, & frater Johannes de Veyreriis Caturcenſis ſimiliter quinquagenarius. Erat autem tunc prior Burdegalenſis, unde fuit ad provincialatum aſſumtus. Hic ex monacho Electenſi factus eſt Prædicator bonus, vir magnæ conſtantiæ, gratiſſimæ converſationis & ſocietatis; tantæ quoque diſcretionis & prudentiæ, quod optime novit diſcernere, & ſecundum juſtitiæ æquitatem reddere ſecundum merita, cui honorem honorem, cui tributum tributum obedientiæ & correctionis & debitæ diſciplinæ, ſuperioribus quidem ſuis cum multa reverentia obediens; in regimine vero ſubditorum oculatus, vigil & ſollicitus; conſtans in arduis, amator bonorum, caſtigator inſolentium; ſola pœnitentis humilitate, & ſpe correctionis ad indulgentiam veniæ flectebatur. Prælatos & magnates optime noverat revereri, amicis & familiaribus ordinis regratiari prudenter & gratioſe, & recolligere dulciter & decenter. Humiles humilem valde, elati vero ſublimem experiebantur. Gratus fuit ad ſocietatem, amoris tam optimi quam ſinceri; fidus amicus omni tempore. Nobilis ipſe genere, incultum tamen venerabatur monachum; curioſum vero & faſtuoſum deteſtabatur religioſum. Præfuit in pace provinciæ & virtute magna annis quatuor & dimidio, priorque provincialis exiſtens, ac totius ordinis vicarius generalis, obiit in devotione & recollectione mirabili & devota in conventu Toloſano, ubi optaverat, tertio idus Maii, feria quarta poſt feſtum S. Johannis ante portam Latinam, anno Domini MCCXCIX. ſepultuſque eſt in medio chori fratrum poſt fratrem Bernardum Geraldi.

Sextus decimus prior provincialis fuit frater Bernardus de Juzico diœceſis Bazatenſis, de prædicatione conventus Burdegalenſis, qui ſucceſſit fratri Raymundo Hunaudi, electus in capitulo provinciali Perpiniani, XV. cal. Auguſti, ſabbato poſt octavas apoſtolorum Petri & Pauli, anno Domini MCCXCIX. fuitque ibidem a tribus antiquioribus electoribus confirmatus, quia ordo magiſtro carebat, qui fuerunt iſti: frater Raymundus Severi, habens in ordine quinquaginta unum annum; frater Johannes de Geneſteto quinquagenarius in ordine, & frater Johannes Vigoroſi prior S. Maximini, habens in ordine quadraginta novem annos. Hi tres pertinebant ad prædicationem conventus Montis-peſſulani. Fuit autem prior provincialis annis fere duobus, & de provincialatu aſſumtus eſt ad magiſterium ordinis in capitulo generali Colonienſi anno Domini MCCCI. Hic in labore magiſterii deſudans, obiit in provincia Teutoniæ in conventu Trevirenſi, in feſto S. Lamberti martyris, anno Domini MCCCIII. Vide tom. 4. Anecdot. p. 1272.

Decimus ſeptimus prior provincialis fuit frater Guillermus Petri de Godino Baionenſis, qui ſucceſſit fratri Bernardo de Juzico, electus in capitulo provinciali Agennenſi, in vigilia B. Mariæ Magdalenæ, anno Domini MCCCI. fuitque a magiſtro ordinis fratre Bernardo prædeceſſore ſuo in provincialatu confirmatus paulo poſt feſtum S. Michaëlis. Fuit autem prior provincialis hac vice annis fere duobus. Fuit abſolutus in capitulo generali Biſuntino anno Domini MCCCIII. diviſa provincia tunc in duas provincias, & factus ibidem in actis ejuſdem capituli vicarius in provincia Toloſana: erat autem baccalaureus in theologia. Hic fuit ultimus prior provin-

(a) *Hunc ſibi vindicavit mulcedo dulcis pietatis & compaſſionis erga miſeros & afflictos.*
(b) *In iſto reſulſit gemma curialitatis & reverentia.*

cialis in provincia Provinciæ nondum divisa; de quo adhuc infra.

Præambulum ad sequentia.

Anno Domini MCCCIII. in generali capitulo Bisuntino, fuit divisa provincia Provinciæ ordinis Prædicatorum in duas provincias. Inferiori vero parti provinciæ impositum est nomen novum, & vocata est Provincia Tolosana; & in sinistro choro ratione antiquitatis majoris, primum locum retinuit sicut prius, quia in ea ordo Prædicatorum originem noscitur accepisse; ordo enim exordium habuit in Tolosa. Pars vero superior provincia Provinciæ retinuit vetus nomen, & sigillum cum angelo, quod & prius ratione inscripti nominis in eodem, & in dextro choro post provinciam Aragoniæ ex ordinatione capituli, prævia ratione, sortita est locum suum.

Priores provinciales in provincia Tolosana ordinis Prædicatorum.

Primus prior in provincia Tolosana fuit frater Guillermus Petri de Godino Baionensis, baccalaureus theologiæ. Hic fuit electus in capitulo provinciali in Monte-Albano, in vigilia S. Michaëlis, anno Domini MCCCII. & confirmatus ibidem a fratre Arnoldo Johannis Caturcensi, priore Pruliani, auctoritate confirmandi a magistro ordinis commissa sibi per litteram in hac parte. Erat autem tunc vicarius provinciæ Tolosanæ in actis præcedentis capituli generalis institutus. Hic sicut præmissum est supra, fuit novissimus prior in provincia Provinciæ non divisa, & primus in provincia Tolosana. Præfuit hac vice in provincia Tolosana a festo S. Michaëlis usque ad sequens festum Trinitatis, fuitque absolutus in sequenti generali capitulo Tolosano in crastino Trinitatis, scilicet VIII. calendas Junii, in festo S. Urbani papæ, anno Domini MCCCIV. & missus inde fuit Parisius paulo post capitulum generale, pro magisterio theologiæ præsentatus. Hic postmodum factus fuit tituli S. Ceciliæ presbyter cardinalis, sabbato in jejuniis quatuor temporum adventus, anno Domini MCCCXII. & ejus corpus requiescit in conventu Tolosano.

Secundus prior provincialis frater Bertrandus de Claro-monte, Brageriacensis, Petragoricensis diœcesis, successit fratri Guillermo Petri de Godino, electus concorditer & in pace a capitulo provinciali Tolosano post generale ibidem immediate; fuitque confirmatus ipsa die electionis suæ a magistro ordinis fratre Aymerico, qui ibidem præsens erat, videlicet VII. calendas Junii; moxque ibidem incœpit suum provinciale capitulum celebrare. Erat autem tunc prior Carcassonensis, & ibidem fuerat elector magistri ordinis, & generalis capituli diffinitor, A anno Domini MCCCIV. Præfuit in provincialatu annis duobus, mensibus fere duobus. Fuit autem absolutus per litteram magistri ordinis, quam ipsemet in conspectu fratrum qui ad provinciale capitulum Figiaci convenerant, in capitulo fecit legi, ibidem ad terram humiliter se prosternens, in festo B. Margaritæ XIII. calendas Augusti, anno Domini MCCCVI. Hic obiit in senectute bona in conventu Brageriaci, Dominica infra octavas omnium Sanctorum, nonis Novembris, anno Domini MCCCXII. ab ingressu vero ordinis anno LVI.

B Tertius prior provincialis frater Berengarius de Landorra diœcesis Ruthenensis, successit fratri Bertrando præfato, electus a capitulo provinciali in vigilia B. Mariæ Magdalenæ in Figiaco congregato, & in sequenti mense Augusti a magistro ordinis fratre Aymerico confirmatus. Erat autem bacalaureus in theologia, in conventu Parisiensi tunc positus existens, ubi recepit litteram suæ confirmationis sequenti mense Septembris anno Domini MCCCVI. Prior provincialis fuit annis quasi duobus, fuitque absolutus propter C magisterium theologiæ in generali capitulo Paduano, in festo SS. Primi & Feliciani V. nonas Junii anno Domini MCCCVIII.

Quartus prior provincialis frater Guillermus de Anhanis, diœcesis Tolosanæ, successit fratri Berengario memorato, electus in capitulo provinciali Rivensi, in vigilia Magdalenæ in Dominica die; litteram vero confirmationis recepit in festo B. Bernardi in monasterio Pruliani, anno Domini MCCCVIII. Erat autem tunc prior Tolosanus & vicarius provinciæ Tolosanæ; prior provincialis fuit annis duobus integris: fuit autem absolutus per litteram magistri ordinis fratris Aymerici in capitulo provinciali Appamiensi, in festo B. Mariæ Magdalenæ celebrato, lecta sibi littera absolutionis ultima die capituli, scilicet in octavis B. Mariæ Magdalenæ anno Domini MCCCX.

Frater Berengarius de Landorra præfatus secunda vice successit fratri Guillermo de Anhanis prædicto, electus in capitulo provinciali Appamiensi prædicto ultima die capituli, scilicet in octavis B. Mariæ Magdalenæ, anno Domini MCCCX. Prior provincialis fuit hac vice annis fere duobus. Fuit autem assumtus de provincialatu in magistrum E ordinis in vigilia Pentecostes, tertio idus Maii, anno Domini MCCCXII.

Frater Guillermus de Anhanis prædictus secunda vice successit fratri Berengario memorato, electus in capitulo provinciali Carcassonensi, post generale ibidem: fuitque confirmatus ibidem per magistrum ordinis fratrem Berengarium ipsa die electionis suæ, scilicet in vigilia translationis S. Dominici, X. calendas Junii, anno Domini MCCCXII. Prior provincialis fuit hac vice annis duo-

bus, fuitque absolutus in capitulo generali Londoniis celebrato anno Domini MCCCXIV. Hic obiit in monasterio Pruliani IV. idus Junii *in vigilia S. Barnabæ*; sepultus vero fuit in festo ejusdem anno Domini MCCCXV.

Quintus prior provincialis frater Johannes de Falbeto Condomensis, successit fratri Guillermo de Anhanis, electus in capitulo provinciali in Altovillari celebrato in vigilia B. Mariæ Magdalenæ in Dominica die, fuitque confirmatus a magistro ordinis fratre Berengario, recepta confirmationis littera Tolosæ, tertio idus Augusti in Dominica die, anno Domini MCCCXIV. Prior provincialis fuit annis tribus; fuit autem absolutus in capitulo generali Pampiloniæ celebrato anno Domini MCCCXVII.

Sextus prior provincialis frater Berengarius de Maloduno de Terminis conventus Brivensis, successit fratri Johanni de Falbeto, electus in capitulo *provinciali Brageriaci* celebrato anno Domini MCCCXVII. Erat autem tunc lector Lemovicensis, priorque provincialis existens, fuit vocatus ad Romanam curiam, & factus pœnitentiarius domini papæ. In provincialatu vero præfuit anno quasi uno, fuitque propter officium pœnitentiæ absolutus ob officio *prioratus* per magistrum ordinis post generale capitulum Lugdani celebratum, anno Domini MCCCXVIII. & ibidem paulo post infirmatus, migravit ad Dominum, fuitque sepultus in ecclesia fratrum exteriori V. calendas Junii.

Septimus prior provincialis frater Hugo de Marciaco diœcesis Albiensis; successit fratri * Bernardo prædicto, fuitque electus in capitulo provinciali Brivæ celebrato VIII. idus Julii, anno Domini MCCCXVIII. Erat autem lector Tolosanus. Prior fuit annis quasi tribus, fuitque absolutus in capitulo generali Florentiæ celebrato, anno Dñi MCCCXXI. & ad legendum sententias Parisius assignatus. Hic factus magister in theologia, & repositus ad honorandam lectionem & cathedram Tolosanam, tandem migravit ad Dominum anno Domini MCCCXXVII. Vir fuit magnæ veritatis & laudabilis simplicitatis.

* f. Berengario.

Octavus prior provincialis frater Guillelmus Dulcini, de villa & conventu Montis-Albani; successit prædicto fratri Hugoni, electus in capitulo provinciali S. Gerontii, anno Domini MCCCXXI. Erat autem tunc prior Burdegalensis & vicarius provinciæ per provisionem capituli generalis; fuitque confirmatus per magistrum ordinis fratrem Herveum. Provincialis fuit cum vicariatu annis tribus, fuitque absolutus in capitulo generali Burdegalensi anno Domini MCCCXXIV. & paulo post factus procurator totius ordinis in curia Romana, tandem legatus missus ad partes Tusciæ per dominum papam, per eumdem in Lucanum episcopum est assumtus.

Nonus prior provincialis frater Helias de Ferretiis de Salanhaco, conventus Caturcensis, successit prædicto fratri Guillermo, electus in capitulo provinciali Burdegalensi, post capitulum generale ibidem; fuitque confirmatus ibidem per magistrum ordinis fratrem Barnabam, qui in eodem capitulo generali electus fuerat in magistrum. Erat autem tunc prædictus frater Helias lector Caturcensis. Prior fuit provincialis quindecim annis continuis; tandem absolutus per litteram anno Domini MCCCXXXVI. factus est prior Pruliani, ubi obiit in anno mortalitatis, quæ fuit anno Domini MCCCXLVIII.

Decimus prior provincialis frater Petrus Guidonis conventus Lemovicensis, oriundus de loco qui dicitur Roheria, qui cum esset prior Carcassonensis, electus est in conventu Montis-Albani circa medium Quadragesimæ, anno Domini MCCCXXXVII. confirmatus fuit per magistrum Hugonem *de Bayssanis*, rexitque provinciam quasi septem annis, & tandem absolutus per litteram, & factus inquisitor Tolosanus, migravit ad Dominum.

Undecimus prior provincialis frater Raymundus de Duroforti conventus Tolosani, oriundus de Villari de Savairico juxta Prulianum, qui cum esset inquisitor Majoricarum, electus est in capitulo provinciali Albiæ celebrato, anno Domini MCCCXLIII. fuitque confirmatus per fratrem Petrum de Palma magistrum ordinis. Rexit provinciam fere quinque annis, & tandem absolutus in capitulo generali Lugdunensi anno Domini MCCCXLVIII. post modicum tempus factus est prior Pruliani, & consequenter magister in theologia, ubi post aliquos annos emptis redditibus pro capitulo provinciali *in manso* sanctarum puellarum & circa, datis sibi quatuor missis perpetuis super quemlibet fratrem sacerdotem provinciæ in singulis capitulis, obiit *in dicto monasterio*, & sepultus est ibidem.

Duodecimus prior provincialis electus & non confirmatus frater Bertrandus Nigri, alias de S. Michaële, conventus Tolosani, oriundus de S. Michaële de Lanesio, qui fuit electus unanimiter in capitulo *provinciali* celebrato in sancto Gaudentio, anno Domini MCCCXLVIII. ubi durante capitulo post tres vel quatuor dies migravit ad Dominum & sepultus est in medio chori.

Tertius decimus prior provincialis frater Guillermus *Sudre*, conventus Brivensis, oriundus de Laguena, qui cum esset lector Carcassonæ, electus est in eodem capitulo sancti Gaudentii anno quo supra, scilicet MCCCXLVIII. infra octavas apostolorum Petri & Pauli. Fuit confirmatus per fratrem Johannem de Molendinis magistrum, rexitque provinciam duobus annis, post quos absolutus per litteram, factus magister sacri palatii, ubi legit ad honorem Dei & ordinis multis annis; & tandem cum esset episcopus Massilienſis, per dominum

dominum papam Urbanum V. assumtus est in presbyterum cardinalem tituli SS. Johannis & Pauli, deinde promotus est in episcopum Ostiensem & Velletrensem.

Quartus decimus prior provincialis frater Petrus de Maricalmo, conventus Ruthenensis, oriundus de Cammasio, quod dicitur Maricalmum, in pertinentiam Cambolasii; qui cum esset bacalaureus Parisiensis, electus est in capitulo provinciali in Rivis, celebrato Dominica infra octavas apostolorum Petri & Pauli, anno Domini MCCCL. confirmatus per fratrem Johannem de Molendinis magistrum ordinis; rexitque provinciam quatuordecim annis, ex quibus duobus annis & ultra fuit simul provincialis & inquisitor Tolosanus. Tandem absolutus in capitulo generali Magdeburgensi, celebrato anno Domini MCCCLXIII. nondum auditis rumoribus de capitulo, circa festum apostolorum Petri & Pauli migravit ad Dominum: sepultus est in conventu suo in capitulo.

Quintus decimus prior provincialis frater Sancius de Ficola, conventus Marciaci, oriundus de Salvaterra, diœcesis Tarbiensis; qui cum esset confessor illustris principis domini comitis Armaniaci, & assignatus pro anno sequenti ad legendum sententias Parisius per acta capituli Ferreriensis, electus est in capitulo S. Severi, Dominica post festum B. Mariæ Magdalenæ, anno Domini MCCCLXIII. Confirmatus fuit per magistrum Simonem de Lingoniis; & tandem factus magister in theologia. Rexit provinciam quasi sex annis, & fuit absolutus in capitulo Brugensi anno Domini MCCCLXIX. & occasio fuit quod appellaverat cum multis aliis a magistro ordinis & ejus vicario: sed appellationis causa per dominum papam Urbanum V. fuit commissa capitulo generali, & judicatum injuste appellasse; & ideo & ipse & alii graviter puniti fuerunt. Sed pepertum fuit appellantibus quam incurrerant propter ordinationem quæ currebat anno illo.

Sextus decimus prior provincialis frater Hugo de Verduno conventus Figiaci, magister in theologia, electus anno Domini MCCCLXIX. Fuit provincialis per unum annum.

Decimus septimus fuit frater Bartholomæus de Riparia, conventus Baionensis, magister in theologia, electus in capitulo provinciali Carcassonensi, anno Domini MCCCLXX. circa festum omnium Sanctorum. Fuit provincialis per septem annos cum dimidio, absolutus in capitulo generali Carcassonæ anno Domini MCCCLXXVIII. Hic postmodum tempore schismatis dimissa fide & unione omnium dominorum cardinalium & magistri ordinis & provinciæ Tolosanæ, errore schismatis irretitus, ad urbem Romam accessit semicæcus, & post aliquos annos rediit ab antipapa Baionensis episcopus ordinatus.

Decimus octavus prior provincialis fuit frater Stephanus de Cumba, conventus Bellundæ, magister in theologia, oriundus de Dunnio castro de Vigna rupe, prope Bellumvidere, de manso vocato Lacumba; electus in dicto capitulo generali Carcassonæ, anno Domini MCCCLXXVIII. unanimiter & in pace. Hic idem fuerat procurator ordinis in Romana curia, residente in Roma & in Avinione, illud officium procuratoriæ regens per annos septem. Fuit iste idem frater Stephanus, dum esset procurator ordinis, electus unanimiter in priorem provincialem provinciæ Romanæ, & confirmatus; & provincialatum & procuratoriam ordinis, quia erat in eadem provincia, tenuit, scilicet per annum cum dimidio. Hic idem frater Stephanus fuit factus vicarius, & missus ad provinciam Lombardiæ inferioris auctoritate apostolica, per dominum cardinalem Albanensem, tunc vicarium apostolicum, ad reformandum dictam provinciam; & in eadem provincia idem factus est vicarius magistri ordinis. Qui dictus frater Stephanus dictam provinciam, existens procurator ordinis & vicarius jure duplici, ut præfertur, visitavit, incipiens in Bononiam; & demum provincialem dictæ provinciæ absolvit, quia sibi in reformatione & correctionibus obsistebat; & multas correctiones & reformationes tam in conventibus quam in monasteriis fecit in eadem. Et postmodum pro electione provincialis facienda totam provinciam congregavit in civitate Ravennas, in mense Februarii anno Domini MCCCLXX. & quamquam multos propter correctiones & punitiones offendisset, sicut mos est delinquentium cum tanguntur; tamen dictus frater Stephanus procurator ordinis existens & vicarius, actu visitans præfatam provinciam Lombardiæ inferioris, electus est unanimiter & in pace in magno gaudio ab omnibus electoribus & prioribus & prædicatoribus generalibus dictæ provinciæ in priorem provincialem; & decretum missum est ad magistrum ordinis dictum magistrum Heliam Raymundi, qui tunc in Romana curia residebat, Sed ipse magister ordinis videns multa ardua negotia in Romana curia agitari, dictum fratrem Stephanum procuratorem ordinis a dicto vicariatu revocavit, & ad curiam festinare mandavit, de nutu Gregorii papæ XI. & electio præfata cessavit; & dictus magister ordinis ex commissione domini papæ de priore provinciali sine nova electione providit dictæ provinciæ, dicto fratre Stephano in procuratoris ordinis officio remanente in Romana curia sæpedicta.

Decimus nonus prior provincialis fuit frater Petrus Aldeberti, magister in theologia conventus Ruthenæ, qui postea fuit prior Pruliani, deinde confessor domini Bernardi comitis Armaniaci. Iste fuit excellens præ-

dicator & gratioſus : iſte compoſuit ſermones ſolemnes, dominicales & ſanctorales : iſte multa ædificia fecit fieri in conventu Ruthenæ, & inibi in pace prædeterminavit dies ſuos.

Vigeſimus fuit frater Johannes de Merula, ſpectabilis perſona & zelator religionis, de conventu Petragoricenſi. Verum quia erat extirpator vitiorum, habuit æmulos, & habuit competitorem magiſtrum Petrum de Laroſſa ; qui in proſecutione provincialatus mortuus eſt Pariſius, & inibi terminavit dies ſuos.

Vigeſimus primus fuit frater Petrus de Mommaſio de conventu Morlanenſi, valens magiſter in theologia, qui fuit provincialis per quatuor annos, & in pace rexit provinciam. Erat valde devotus Virgini Mariæ,

Vigeſimus ſecundus fuit magiſter Johannes Dignati, de conventu Rivenſi, magiſter in theologia ; & fuit factus provincialis anno Domini MCCCCXVII. Toloſæ, & fuit provincialis per quatuordecim annos ; & fuit abſolutus ab officio per magiſtrum Bartholomæum Texerum magiſtrum generalem ordinis.

Vigeſimus tertius fuit frater Raymundus de Tillio, magiſter egregius in theologia, de conventu Carcaſſonenſi, qui fuit factus provincialis Toloſæ anno Domini MCCCCXXXI. Fuit provincialis per novem annos, & ad ſui requiſitionem fuit abſolutus per prædictum magiſtrum ordinis, & fuit factus prior monaſterii Pruliani : deinde factus eſt epiſcopus Bazatenſis. Fuit etiam inquiſitor Carcaſſonæ, deinde Toloſanus, ſed dimiſit.

Vigeſimus quartus fuit frater Johannes *Vayſſeric*, magiſter egregius, de Capella eccleſiæ novæ diœceſis Ruthenenſis, vir ſanctus & in verbo Domini gratioſus, conventus Ruthenæ : & fuit electus in capitulo Revelli, in feſto B. Mariæ Magdalenæ, anno Domini MCCCCXL. & rexit provinciam per triginta & unum annum, quod non reperitur de quocumque alio. Hic rexit provinciam in pace, & valde laboravit ne conventus gravarentur in expenſis, & contradicentibus fratribus, ad ſui preces importunas impetravit abſolutionem ſuam, quam reverendiſſimus magiſter ordinis Martialis Auribelli voluit concedere : ſed quia erat amicus ſuus, noluit ſibi diſplicere, & tandem conceſſit eam ad ſui nutum, ut ſi vellet eam legere, quod legeret, & ſi non, quod dimitteret.

Vigeſimus quintus prior provincialis fuit frater Guillermus de Abbatia, conventus Morlanis, electus via Sancti-Spiritus in conventu Condomienſi anno MCCCC....

Vigeſimus ſextus fuit frater Petrus de Brocario conventus S. Severi, electus a tota provincia concorditer in capitulo provinciali in conventu Horteſii celebrato, anno Domini MCCCCLXXIX. Dominica infra octavas apoſtolorum Petri & Pauli. Hic monaſterium Pruliani, quod ad magnam devenerat paupertatem, ſua induſtria relevavit, provinciamque per annos circiter quindecim cum magna manſuetudine rexit. Ab hac luce in monaſterio Montis-Albani migravit anno MCCCC.....

Vigeſimus ſeptimus prior provincialis fuit frater Antonius de Cleda, conventus Toloſæ, in conventu Agenni a tota provincia unanimiter electus, anno Domini MCCCCXCII. in die S. Martini epiſcopi. Hic ratione congregationis Obſervantinorum, ſuo tempore introductæ in iſta provincia, labores & moleſtias graves pertulit ; & tandem in generali capitulo Mediolani celebrato anno Domini MDV. in feſto Pentecoſtes, non obſtante quod a provincia retineretur, una cum ceteris provincialibus totius ordinis, qui annos quatuor tunc temporis in provincialatu compleverant, fuit abſolutus, & ſic fuit in provincialatu per tredecim annos fere.

HISTORIA
FUNDATIONUM CONVENTUUM ORDINIS PRÆDICATORUM TOLOSANÆ ET PROVINCIÆ PROVINCIARUM

AUCTORE BERNARDO GUIDONIS EJUSDEM ORDINIS.

Ex mſ. bibliotheca regiâ quod fuit olim Stephani Baluzii.

FUNDATIO MONASTERII Pruliani.

ANno Domini MCCVI. beatus Dominicus, opitulante ſibi viro Dei DIDACO epiſcopo Oxomenſi, eo ſcilicet tempore quaſi biennio quo in partibus manſerat Toloſanis, necnon patrocinante viro per omnia memorando domino FULCONE epiſcopo Toloſano, cujus ope & patrocinio in hac parte, præcipue in ſua diœceſi, opus erat, monaſterium quoddam inſtituit quod dicitur Prulianum, ſitum inter Fanum-Jovis & Montem-Regalem, in diœceſi Toloſana, ad ſuſceptionem quarumdam nobilium feminarum, quas parentes earum ratione paupertatis egeſtate compulſi tradebant hæreticis, qui illo in tempore in eiſdem partibus & locis circumvicinis plurimi habitabant, erudiendas & nutriendas ab eis, imo & revera erroribus potius deludendas & in anima perimendas, ſicut de tempore & de cauſa inſtitutionis ſatis colligitur & habetur ex libello venerabilis patris fratris Jordanis magiſtri ordinis, quem fecit & intitulavit: *De principio ordinis Prædicatorum.* Partim quoque probantur & extrahuntur quædam ex quibuſdam litteris & chartis antiquis & privilegiis multis ejuſdem monaſterii ab apoſtolica ſede conceſſis. Habebat autem S. DOMINICUS ad ſuſ ſuorumque ſuſtentationem eccleſiam Fani-Jovis & S. Martini de Limoſo, & quædam alia, caſtrum quoque inſigne quod dicitur Caſſanis, in diœceſi Agennenſi, ſibi a domino SIMONE comite Montisfortis collatum; cujus comitis erga ipſum fervebat dilectio ſpecialis; nondum enim ordo Prædicatorum fuerat inſtitutus: quæ vero de eiſdem ſibi poterant ſubtrahere, impendebant ſororibus monaſterii Pruliani, cujus in principio redditus & proventus fuerunt tenues, ædificia vero non multa, & ipſa humilia. Deus autem incrementum dedit, beato ſemper Dominico fundatore meritis & precibus adjuvante, cooperante quoque induſtria & fideli diſpenſatione & cuſtodia miniſtrorum ejus, necnon gratia & meritis habitantium & laudantium Deum ibidem nocte ac die; ubi uſque in hodiernum diem ancillæ Chriſti ſub obſervantiis mirabilibus, ſub arcto ſilentio, ſub clauſura perpetua, contra otii deſidiam propriis manibus laborantes, & operantes ſalutem ſuam, grata exhibent ſuo creatori ſervitia in magno ſanctitatis vigore, cum conſcientiarum puritate præclaram vitam agentes, ſalutarem ſibi, hominibus exemplarem, jocundam angelis, gratam Deo. Quæ cum numero & merito creverunt, in immenſum odorem ſuum longe lateque diffundentes, multas Deo devotas ad imitationem ſui ſanctam feminas provocarunt ad ſimilia cœnobia conſtruenda.

I. *Eccleſia S. Martini de Limoſo per dominum Berengarium archiepiſcopum Narbonenſem confertur ſororibus Pruliani.*

Anno Domini MCCVII. XV. calendas Maii dominus Berengarius Narbonenſis archiepiſcopus, de conſenſu & voluntate canonicorum ſuorum dedit & libere conceſſit pro ſe & ſucceſſoribus ſuis, prioriſſæ & monialibus noviter converſis, monitis & exemplis fratris Dominici Oxomenſis ſociorumque ejus, habitantibus & in perpetuum habitaturis in caſtro de Fano-Jovis, & in eccleſia B. Mariæ de Pruliano Toloſanæ diœceſis, eccleſiam B. Martini de Limoſo, Narbonenſis diœceſis, in Redeſio, cum omnibus decimis & primitiis territorii B. Martini de Limoſo, & territorii de Taxo eidem contigui, cum oblationibus & cum omnibus juribus ſuis & per-

tinentiis, jure perpetuo integre poſſidendam, & nomine ipſarum fratrem Dominicum & fratrem Guillermum Clareti cum traditione inſtrumenti in poſſeſſionem introduxit & miſit, ſalvo jure epiſcopali in cathedratico, in procurationibus & viſitationibus, & in commiſſione curæ animarum illi ſacerdoti, qui a dictis monialibus, vel aliquo fratre loco earum, ſibi & ſuis ſucceſſoribus fuerit præſentatus. Actum fuit hoc anno & die quibus ſupra, Carcaſſonæ in domo epiſcopi. Extat inde littera præfati domini archiepiſcopi ſigillata.

II. *Poſſeſſio dictæ eccleſiæ de Limoſo traditur ſororibus memoratis Pruliani.*

Anno Domini MCCVIII. feria quinta, XIV. cal. Aprilis, rege PHILIPPO regnante, Yſarnus de Aragone, mandato & auctoritate domini Berengarii archiepiſcopi Narbonenſis, tradidit prioriſſæ & monialibus converſis, monitis & exemplis fratris Dominici ſociorumque ejus, commorantibus & in perpetuum commoraturis in caſtro Fani-Jovis & in eccleſia B. Mariæ de Pruliano, Toloſanæ diœceſis, eccleſiam S. Martini de Limoſo, Narbonenſis diœceſis, quæ eſt in Redeſio, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis ac decimis, primitiis totius territorii B. Martini de Limoſo, & territorii de Taxo eidem contigui, & oblationibus, & omnibus obventionibus. Et nomine dictarum monialium, fratrem Guillermum Clareti in corporalem poſſeſſionem miſit, ut dictam eccleſiam habeant & poſſideant in perpetuum. Actum fuit hoc anno & die quibus ſupra, in præſentia domini BERNARDI RAYMUNDI electi ſedis eccleſiæ ſancti Nazarii Carcaſſonenſis, & Arnaldi capellani de villa Florano, & Raymundi Seguini, & Bernardi de Pulchro-facto, & Guillermi Ferreoli, & Bertrandi Gayraldi, & Raymundi Arnaldi, & Raymundi clerici in Redeſio archipreſbyteri, & Raymundi de Calhavo notarii publici Carcaſſonenſis, qui chartam & inſtrumentum inde recepit, quod fuit ſigillo magiſtri Yſarni de *Conchis*, qui præſens interfuit, ſigillatum, de voluntate præfati Yſarni de Aragone, qui ſigillum ſuum non habebat.

III. *Commiſſio fit domino Bernardo Carcaſſonenſi epiſcopo, ab archiepiſcopo Narbonenſi.*

Anno Domini MCCVIII. VI. cal. Decembris, frater A. Narbonenſis archiepiſcopus, ſcribendo mandavit & commiſit domino BERNARDO Carcaſſonenſi epiſcopo, ad querelam factam per fratrem Guillermum Clareti, priorem monaſterii Pruliani, quatinus ad locum ſeu eccleſiam de Limoſo accederet; & convocatis abbate & monachis ſancti Hilarii Carcaſſonenſis diœceſis, & præfato fratre Guillermo Clareti priore Pruliani, veritatem inquireret de hoc quod prior conquerendo monſtravit, videlicet quod cum prioriſſa & moniales de Pruliano eſſent in poſſeſſione eccleſiæ B. Martini de Limoſo, præfati abbas & monachi prædictam eccleſiam violenter invaſerunt, & fratres qui prædictam eccleſiam nomine prædictarum prioriſſæ & monialium tenebant & poſſidebant, per violentiam de eadem eccleſia expulerunt: & ſi ita inveniret, præfatis prioriſſæ & monialibus poſſeſſionem dictæ eccleſiæ reſtitueret. Extat inde littera archiepiſcopi ſigillata, data Maſſiliæ.

IV. *Reſtitutio poſſeſſionis eccleſiæ B. Martini de Limoſo, facta ſororibus Pruliani.*

Anno Domini MCCXIX. idus Aprilis, præfatus dominus Bernardus Carcaſſonenſis epiſcopus, de mandato & auctoritate præfati domini A. archiepiſcopi Narbonenſis, reſtituit eccleſiam B. Martini de Limoſo cum omnibus juribus ſuis, fratri Guillermo Clareti, priori & procuratori monaſterii B. Mariæ de Pruliano Toloſanæ diœceſis, nomine prædictæ prioriſſæ & conventus ejuſdem monaſterii: quam poſſeſſionem dominus ALBOYNUS abbas & monachi monaſterii memorati S. Hilarii per violentiam occupaverant, & fratres qui nomine dictarum prioriſſæ & conventus dictam eccleſiam poſſidebant, de eadem per violentiam expulerant. Actum fuit in villa de Limoſo in capella, anno & die ut ſupra, in præſentia præfati abbatis ALBOYNI & domini Yſarni de Aragone archidiaconi Carcaſſonenſis, & domini Yſarni de Conchis archidiaconi Narbonenſis in Redeſio, Bernardi de Flacciano, Peregrini de Flacciano, Arnaldi Sancii de Lauraco, Guillermi Grimaudi de Fano-Jovis. Extat ſuper hoc littera ſigillata præfati domini epiſcopi Carcaſſonenſis.

V. *Iterum reſtituitur poſſeſſio eccleſiæ B. Martini de Limoſo ſororibus Pruliani, per diffinitivam ſententiam domini Amelii archiepiſcopi Narbonenſis.*

Anno Domini MCCXXII. pridie nonas Octobris, dominus A. archiepiſcopus Narbonenſis diffinitivam tulit ſententiam in cauſa quæ coram ipſo ventilabatur, per fratrem Guillermum Clareti, priorem monaſterii B. Mariæ de Pruliano Toloſanæ diœceſis, nomine prioriſſæ & conventus præfati monaſterii ex una parte, & per abbatem & conventum monaſterii S. Hilarii Carcaſſonenſis diœceſis ex altera, ſuper eccleſia B. Martini de Limoſo, & domibus & rebus ejuſdem eccleſiæ; quas cum prioriſſa & moniales prædictæ pacifice poſſiderent, præfati abbas & monachi monaſterii S. Hilarii violenter invaſerant, & de poſſeſſione dictarum eccleſiæ & domorum & ſupellectilium præfatas prioriſſam & moniales temere ſpoliarunt, non ſine juris injuria in præjudicium prædictarum: quam poſſeſſionem præfatus frater

Guillermus Clareti prior, nomine dictarum prioriſſæ & monialium ſibi reſtitui petebat, & cum inſtantia ſupplicabat. Verum abbas prædictus monaſterii S. Hilarii, procurator ejuſdem conventus conſtitutus ad cauſam prædictam ex adverſo dicebat, quod cum prædictum, monaſterium S. Hilarii in dictarum eccleſiæ & domorum & rerum poſſeſſione fuiſſet, quando hoſtium incurſione & hæreticorum & inimicorum fidei & pacis fuit diſſipatum, & dicta eccleſia S. Martini de Limoſo ad ipſum monaſterium de jure pertineat, ſibi nomine monaſterii S. Hilarii reſtitutio potius, vel ipſa poſſeſſio de jure adjudicari debeat. Quibus omnibus & aliis quæ pars utraque propoſuit auditis & intellectis, juris ordine obſervato, facta concluſione juris & facti, præhabito prudentum virorum conſilio, præfatus frater A. archiepiſcopus Narbonenſis, cum ſibi conſtaret ad plenum per confeſſionem dicti abbatis monaſterii S. Hilarii, præfatum fratrem Guillermum Clareti priorem & procuratorem monaſterii B. Mariæ de Pruliano, dictas eccleſiam B. Martini de Limoſo, & domos & res ejuſdem tunc nomine prioriſſæ & conventus dicti monaſterii B. Mariæ de Pruliano poſſedisſe, quando a dictis abbate & conventu S. Hilarii fuerat ſpoliatus, reſtitutionem omnium præmiſſorum, de quibus actum fuit coram ipſo, per diffinitivam ſententiam pronuntiavit faciendam præfato fratri Guillermo Clareti priori, nomine prædictarum prioriſſæ & conventus; dictis abbati & conventui monaſterii S. Hilarii ſuper præmiſſis omnibus ſilentium imponens. Lata fuit hæc ſententia apud Limoſum anno & die quibus ſupra, in eccleſia S. Martini, in præſentia abbatis ſancti Pauli Narbonenſis, domini Yſarni de Conchis archidiaconi in Redeſio, domini Yſarni de Aragone archidiaconi Carcaſſonenſis, Bernardi de Flacciano, Yſarni de Taxo, Petri de Taxo, Raymundi de Calhavo notarii publici, qui de præmiſſis inſtrumentum recepit. Extat inde littera ipſius A. archiepiſcopi ſigilli munimine roborata; in qua etiam ipſe confirmat prædictam donationem dictæ eccleſiæ B. Martini, quam memoratus prædeceſſor ſuus dominus Berengarius archiepiſcopus, fecerat præfatis prioriſſæ & monialibus Pruliani jure perpetuo poſſidendam.

VI. *Dominus Conradus legatus donationem eccleſiæ B. Martini de Limoſo factam ſororibus Pruliani confirmat.*

Anno Domini MCCXXIII. v. cal. Aprilis dominus Conradus Portuenſis & S. Rufinæ epiſcopus cardinalis, apoſtolicæ ſedis legatus, præfatam donationem eccleſiæ B. Martini de Limoſo, factam a domino Berengario archiepiſcopo Narbonenſi prioriſſæ & monialibus Pruliani, prout ſuperius plenius continetur, præſentatam per fratrem Bertrandum priorem fratrum Prædicatorum in Provincia, auctoritate legationis ſuæ confirmavit, & dictam eccleſiam dictis monialibus in perpetuum poſſidendam integre conceſſit; tenorem & litteram donationis ipſius domini Berengarii archiepiſcopi Narbonenſis in ſuis inſertum litteris ſigilli ſui munimine roboravit. Actum fuit Biterris in aula domini epiſcopi anno & die ut ſupra.

VII. *Finalis & univerſalis determinatio quæſtionum & controverſiarum inter monaſterium S. Hilarii & monaſterium Pruliani per viam compromiſſi.*

Anno Domini MCCXXIV. VI. cal. Aprilis, cum controverſiæ eſſent inter dominum ALBOYNUM abbatem & conventum monaſterii S. Hilarii Carcaſſonenſis diœceſis ex una parte, & fratrem Guillermum Clareti priorem, & B. prioriſſam & conventum monaſterii de Pruliano diœceſis Toloſanæ ex altera, tam ſuper monaſterio S. Hilarii & membris ejus, quam ſuper eccleſia de Limoſo & decimis ejuſdem, quam etiam ſuper omnibus quæſtionibus & querelis quæ inter partes eaſdem motæ ſunt vel moveri poſſent uſque in præſentem diem; de omnibus compromiſerunt dictæ partes in dominum R. abbatem ſancti Polycarpi Narbonenſis diœceſis, & Yſarnum de Aragone archidiaconum Carcaſſonenſem, tenentem locum domini archiepiſcopi Narbonenſis in Redeſio; promittentes ſub pœna centum marcarum argenti, ſe tenere & ſervare quidquid per eos ordinatum vel concordatum fuerit quocumque modo. Præfati vero domini R. abbas S. Polycarpi & Yſarnus de Aragone archidiaconus memoratus, viſis, auditis & intellectis petitionibus, reſponſionibus, juribus & rationibus utriuſque partis, prædictas controverſias terminarunt hoc modo. In primis de voluntate & conſenſu utriuſque partis ordinantes & diffinientes, quod dictus ALBOYNUS abbas & conventus dicti monaſterii S. Hilarii, tam ipſi quam ſucceſſores ſui habeant in perpetuum monaſterium S. Hilarii cum pertinentiis ſuis. Item ordinaverunt de voluntate & conſenſu utriuſque partis, quod dictus frater Guillermus Clareti prior & procurator & B. prioriſſa & conventus monaſterii de Pruliano, tam ipſe quam ſucceſſores earumdem, habeant eccleſiam S. Martini de Limoſo cum omnibus pertinentiis ſuis in perpetuum: ita quod deinceps prædictæ partes ſuper præmiſſis nullam altera alteri moveat quæſtionem; ſed ſopitis omnibus quæſtionibus & querelis, quæ uſque in hodiernum diem oriri poſſent, præſens compoſitio & ordinatio perpetuam obtineat firmitatem. Actum fuit hoc in villa de Limoſo, in capella B. Martini, in præſentia domini Yſarni de Conchis archidiaconi Narbonenſis in Redeſio, Bernardi de Flacciano, Yſarni de Taxo, Peregrini de Flacciano,

Petri de Capella, Pagani Corona, Bernardi Mamella, Guillermi Grimaudi de Fano-Jovis, Arnaldi de Juliano notarii publici Fani-Jovis, qui inde inſtrumentum recepit & ſcripſit anno & die ut ſupra : & præfati duo arbitri ſigillis ſuis roboraverunt.

VIII. *Dominus Romanus cardinalis legatus confirmat donationem eccleſiæ S. Martini de Limoſo ſororibus Pruliani.*

Anno Domini MCCXXIX. pridie cal. Decembris dominus Romanus ſancti Angeli diaconus cardinalis, apoſtolicæ ſedis legatus, donationem & litteram domini Berengarii archiepiſcopi Narbonenſis de eccleſia S. Martini de Limoſo memorata, præſentatam ſibi per fratrem Raymundum priorem monaſterii monialium B. M. de Pruliano Toloſanæ diœceſis, auctoritate legationis ſuæ confirmavit, & eccleſiam conceſſit eiſdem in perpetuum integre poſſidendam. Actum fuit hoc in præſentia venerabilium patrum Petri Narbonenſis archiepiſcopi, & Clarini epiſcopi, & Guillermi archidiaconi majoris, & Bernardi archidiaconi minoris Carcaſſonenſis, anno & die quibus ſupra. Extat inde littera legati, ſigilli ſui munimine roborata.

IX. *Gregorius papa confirmat compoſitionem factam inter monaſterium S. Hilarii & monaſterium Pruliani.*

GREGORIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus prioriſſæ & conventui monaſterii de Pruliano, ordinis S. Auguſtini Toloſanæ diœceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Exhibita nobis veſtra petitio continebat, quod cum inter vos ex parte una, & abbatem & conventum S. Hilarii ordinis S. Benedicti Carcaſſonenſis diœceſis ex altera, ſuper eccleſia de Limoſo Narbonenſis diœceſis ſuborta fuiſſet materia quæſtionis : tandem, mediantibus bonis viris, amicabilis inter partes compoſitio intervenit : quare fuit ex parte veſtra nobis humiliter ſupplicatum, ut eam apoſtolico curaremus munimine roborare. Nos igitur veſtris devotis precibus inclinati, compoſitionem præfatam, ſicut ſine pravitate provide facta eſt, & ab utraque parte ſponte recepta & hactenus pacifice obſervata, auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Lateranis VIII. cal. Junii, pontificatus noſtri anno V.

X. *Dominus P. Amelii archiepiſcopus Narbonenſis confirmavit donationem eccleſiæ de Limoſo factam prius a domino Berengario prædeceſſore ſuo ſororibus Pruliani.*

Anno Domini MCCXXXI. V. calendas Maii frater P. de Aleſto, prior monialium beatæ Mariæ de Pruliano, præſentavit domino PETRO AMELII archiepiſcopo Narbonenſi, litteras domini Berengarii archiepiſcopi Narbonenſis prædeceſſoris ejuſdem, continentes donationem factam ab eodem domino Berengario de eccleſia B. Martini de Limoſo, prioriſſæ & monialibus Pruliani, ſicut ſuperius continetur : quam donationem memoratus dominus PETRUS archiepiſcopus gratam & ratam habens, libere confirmavit, & præfatam eccleſiam cum ſuis juribus, ſicut in donatione ipſa plenius continetur, conceſſit præfatis monialibus in perpetuum integre poſſidendam. Actum fuit Carcaſſonæ in domo domini epiſcopi anno & die ut ſupra. Extat inde littera ſigillata.

XI. *Dominus G. archiepiſcopus Narbonenſis confirmavit donationem & confirmationes omnes præcedentes factas de eccleſia de Limoſo per prædeceſſores ſuos, vel etiam per legatos, ſororibus Pruliani ; & teſtatur ſe vidiſſe litteras omnium bonas & integras.*

Anno Domini MCCLII. XI. cal. Julii dominus G. archiepiſcopus Narbonenſis ſcripſit prioriſſæ & conventui monaſterii B. Mariæ de Pruliano, ordinis S. Auguſtini (a) diœceſis Toloſanæ, ſe vidiſſe bonas & integras litteras præſentatas ex parte ipſarum domini Petri & domini Berengarii, prædeceſſorum ſuorum, de donatione & confirmatione præfatæ eccleſiæ B. Martini de Limoſo cum omnibus juribus ſuis, facta eiſdem prioriſſæ & monialibus. Item ſe recepiſſe & vidiſſe ſimiliter litteras domini C. Portuenſis & S. Rufinæ epiſcopi cardinalis & apoſtolicæ ſedis legati ſuper eodem. Item litteras domini Romani ſancti Angeli diaconi cardinalis & apoſtolicæ ſedis legati ſuper eodem. Item litteras domini A. bonæ memoriæ archiepiſcopi Narbonenſis prædeceſſoris ſui ſuper eodem, non vitiatas, non cancellatas; quibus in ſcriptis donationes & conceſſiones ac confirmationes factas tam a prædeceſſoribus quam etiam a dominis legatis gratas habens & ratas, pariter confirmavit, & ſui ſigilli munimine roboravit, prout in eiſdem litteris plenius continetur. Actum fuit Narbonæ in palatio domini archiepiſcopi anno & die ut ſupra.

XII. *Dominus Raymundus epiſcopus Toloſanus & dominus Guillermus epiſcopus Carcaſſonenſis teſtantur ſe vidiſſe litteras omnium prædictorum bonas & integras ſub ſigillis ſuis exemplatas.*

Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo, quarto calendas Aprilis dominus RAYMUNDUS epiſcopus Toloſanus, & dominus

(a) Ordinis S. Auguſtini dicuntur propter B. Auguſtini regulam quam ſervant & profitentur ſicut & fratres Prædicatorum.

GUILLERMUS epiſcopus Carcaſſonenſis omnes litteras ſuperius contentas viderunt integras, non vitiatas nec cancellatas, & ſub ſigillis ſuis fecerunt exemplari, a quibus extracta fuerunt omnia præmiſſa per modum abbreviationis & compilationis compendioſæ diligenter & ſtudioſe anno Domini MCCCVIII. pridie calendas Aprilis in Pruliano.

XIII. *Alexander papa indulget privilegium & gratiam ſororibus Pruliani, quod capellano de Limoſo non teneantur certam portionem de proventibus eccleſiæ aſſignare.*

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus prioribus & conventui monaſterii monialium incluſarum B. Mariæ de Pruliano, ordinis S. Auguſtini, ſecundum inſtituta & etiam ſub cura fratrum ordinis Prædicatorum viventibus, Toloſanæ diœceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Meritis veſtræ religionis inducimur, ut vos favore benivolo proſequamur, ſed in his præcipue quæ vos & monaſterium veſtrum poſſint a diſpendio præſervare. Lecta ſiquidem coram nobis veſtra petitio continebat, quod in eccleſia parrochiali S. Martini de Limoſo, quam legitime in uſus pro- C prios obtinetis, & per quadraginta annos & amplius poſſediſtis, capellanus habetur, qui licet diœceſano præſentatus a vobis, gerat curam animarum annexam eccleſiæ memoratæ, nulla tamen certa portio de proventibus ſeu bonis ejus fuit ei medio tempore aſſignata; quia ſemper vos ſibi decenter & congrue in vitæ neceſſariis providiſtis. Quare humiliter petebatur a nobis, ut quieti veſtræ in hac parte conſulere paterna ſollicitudine curaremus. Nos itaque obtentu dilecti filii noſtri HUGONIS tituli S. Sabinæ preſbyteri car- D dinalis, qui pro vobis ſuper hoc apoſtolicam gratiam imploravit, veſtris ſupplicationibus annuentes, ut capellano, qui pro tempore fuerit in prædicta eccleſia, non teneamini de proventibus ſeu quibuſcumque bonis ipſius eccleſiæ certam & determinatam portionem, contra conſuetudinem ſuper hoc hactenus obſervatam, uſque ad noſtrum beneplacitum aſſignare; nec ad id per diœceſanum loci vel quemcumque alium compelli poſſitis, vobis auctoritate præſentium indulgemus. Sententias vero ſuſpenſionis vel interdicti aut ex- E communicationis, ſi quas in vos vel in eamdem eccleſiam propter hoc promulgari contigerit, decernimus irritas & inanes. Ita tamen quod capellano præfato de hujuſmodi neceſſariis providere decenter more ſolito ſtudeatis. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & confirmationis infringere. Datum Anagniæ XIII. cal. Junii, pontificatus noſtri anno V. Verbi autem incarnati anno MCCLIX.

XIV *Sanctus Dominicus & ejus ſocii inſtituuntur prædicatores in Toloſano, & de neceſſariis in decimis per Fulconem epiſcopum eis providetur.*

Anno Verbi incarnati MCCXV. in nomine Domini noſtri JESU CHRISTI. Notum ſit omnibus præſentibus & futuris, quod nos FULCO Dei gratia Toloſanæ eccleſiæ miniſter humilis, ad extirpandam hæreticam pravitatem, & & vitia expellenda, & fidei regulam edocendam, & homines ſanis moribus imbuendos, inſtituimus prædicatores in epiſcopatu noſtro fratrem DOMINICUM & ſocios ejus, qui in paupertate evangelica pedites religioſe propoſuerunt incedere, & veritatis evangelicæ verbum prædicare. Et quia dignus eſt operarius mercede ſua, & os bovis triturantis non eſt obturandum, immo qui evangelium prædicat de evangelio debet vivere: volumus ut cum prædicando inceſſerint, de epiſcopatu habeant neceſſaria, & de conſenſu capituli eccleſiæ B. Stephani, & cleri Toloſanæ diœceſis, aſſignamus in perpetuum prædictis prædicatoribus, & aliis quos zelus Domini & amor ſalutis animarum eodem modo ad idem prædicationis officium accinxerit, medietatem tertiæ partis decimæ, quæ aſſignata eſt ornamentis & fabricæ eccleſiarum, omnium parochialium eccleſiarum, quæ in noſtra poteſtate ſunt, ad indumenta & cetera neceſſaria in infirmitatibus ſuis, & cum quieſcere aliquando voluerint. Si quid vero poſt annum ſuperfuerit, volumus & ſtatuimus, ut ad eaſdem parochiales eccleſias refundatur adornandas, & ad uſus pauperum; ſecundum quod epiſcopus viderit expedire. Cum enim jure cautum ſit, quod aliquanta pars decimarum debeat ſemper pauperibus aſſignari & erogari, conſtat illis pauperibus nos teneri partem aliquam decimarum potius aſſignare, qui pro Chriſto evangelicam paupertatem eligentes, univerſos & ſingulos exemplo & doctrina, donis cæleſtibus nituntur & elaborant ditare, & a quibus nos metimus temporalia, per nos & per alios poſſimus congruenter & opportune ſpiritualia ſeminare. Datum anno Verbi incarnati.... regnante PHILIPPO rege Francorum, & SIMONE comite Montis-fortis principatum Toloſæ tenente, & eodem FULCONE Toloſano epiſcopo.

XV. *Quæſtio decimarum cito ſuboritur, ſed per Fulconem epiſcopum & Dominicum, viros pacis, citius terminatur.*

Anno Verbi Incarnati MCCXVII. cum inter nuncios reverendi patris FULCONIS Dei gratia Toloſani epiſcopi & fratrum Prædicatorum controverſia moveretur ſuper ſexta portione decimarum ab eodem domino epiſcopo fratribus Prædicatoribus collata in eccleſiis quæ ad ipſum ſpectare videntur in diœceſi

Toloſana, dicentibus nunciis fratrum Prædicatorum dictam ſextam portionem ipſos fratres debere percipere in omnibus eccleſiis parochialibus diœceſis prænotatæ, licet non haberent niſi ſeptem parochianos: nunciis autem domini epiſcopi reclamantibus, & dicentibus nullam eccleſiam debere parochialem appellari ſeu intelligi, niſi ad minus haberet decem parochianos. Quæſtione hujuſmodi ad aures domini epiſcopi & fratris Dominici demum relata, placuit domino epiſcopo & fratri Dominico eam in hunc modum, præſentibus archidiaconis Lezatenſi & Villamurenſi, & conſenſum præſtantibus, amicabiliter terminari. Placuit eis in omnibus eccleſiis ad dominum epiſcopum ſpectantibus, in quibus decem domus parochianorum fuerint vel amplius, modo & in poſterum, quæ divina ibidem percipiant ſacramenta, licet etiam alibi domicilium habuerint, fratres Prædicatores ſextam partem percipere decimarum, in quibus decem domus parochianorum fuerint, ut ſuperius eſt notatum. Si aliqua eccleſia propter inſufficientiam alii eccleſiæ adjuncta fuerit, quæ capellanum habeat, in qua etiam divina percipiant ſacramenta; in aliis vero nullam prorſus percipiant portionem. Placuit etiam eis ad cautelam, ut omnis via calumniæ in poſterum præcludatur & materia altercationis, pro ut eſt poſſibile, amputetur, ut ſi forte ſuper dicta ſexta portione circa hunc vel alium articulum aliquam inter eos vel eorum procuratores quæſtionem deinceps contigerit exoriri, per arbitrium Petri de Parlevivi Lezatenſis archidiaconi, & Petri Donati cauſidici, & Arnaldi Saucii capellani decidatur, omni dilatione penitus amputata. Si autem unus eorum vel omnes adeſſe non poterunt, vel noluerint, vel forte deceſſerint, ad cognitionem utriuſque partis & electionem aliæ tres perſonæ idoneæ illico ſubrogentur. Ut autem hæc inconcuſſa permaneant, nos Fulco Dei gratia Toloſanus epiſcopus & frater Dominicus ſigillorum noſtrorum ea munimine confirmamus. Factum fuit hoc in Caſtro-novo tertio idus Septembris, & feria ſecunda anno Domini prætaxato.

Extat inde littera amborum per alphabetum partita, cujus ego ipſum originale vidi & tenui, & ex ea de verbo ad verbum extraxi, tamen amota erant inde ſigilla, ipſorum locis in quibus appenſa fuerant, apparentibus manifeſte, anno Domini MCCXXI. menſe Julii.

XVI. *Eccleſia Fani-Jovis datur S. Dominico & ejus ordini, & ab eodem decimæ Toloſano epiſcopo reſignantur.*

Anno Domini MCCXXI. indictione IX. XV. calendas Maii. In nomine Domini. Notum ſit omnibus præſentem paginam inſpecturis, quod nos Fulco Toloſanæ eccleſiæ gratia Dei epiſcopus donamus, & libere concedimus per nos & per ſucceſſores noſtros in remiſſionem animæ noſtræ, & ob tuitionem fidei catholicæ, & ad utilitatem totius diœceſis Toloſanæ, tibi dilecto noſtro Dominico magiſtro Prædicationis, & per te tuis ſucceſſoribus & fratribus ejuſdem ordinis, eccleſiam B. Mariæ Fani-Jovis, quam eidem ordini Prædicationis cum decimis, ſive ad nos, ſive ad fabricam eccleſiæ, ſive ad capellanum ibidem inſtituendum, quondam pertinentibus, primitiis, oblationibus, & cum omnibus juribus ſuis pertinentibus, jure perpetuo & poſſidendam integre aſſignamus, te & per te fratres ejuſdem ordinis cum traditione præſentis cartæ in poſſeſſionem inducentes, ſalvo tamen jure epiſcopali nobis & ſucceſſoribus noſtris tam in cathedratico, quam in procurationibus & viſitationibus, & in commiſſione curæ animarum illi ſacerdoti, qui a magiſtro & priore in dicta eccleſia a dicto magiſtro inſtituto, vel a fratribus jam dicti ordinis nobis vel noſtris ſucceſſoribus fuerit præſentatus. Et nos ſupradictus magiſter Prædicationis per nos & ſucceſſores & fratres ipſius ordinis vobis, domine Fulco epiſcope, veſtriſque ſucceſſoribus ſextam partem decimarum eccleſiarum parochialium totius Toloſanæ diœceſis, quam nobis & ordini prædicto de conſenſu canonicorum S. Stephani Toloſani retroactis temporibus libere conceſſiſtis, ſicut in inſtrumento publico plenius continetur, ſolvimus & deſamparamus in perpetuum: ita quod dictum inſtrumentum ſit penitus irritum & inane: renuntiantes omni legum & canonum auxilio, quod nobis & ordini antedicto ex donatione veſtra, vel alio modo ſuper prædicta parte decimarum poſſet competere vel valere. Ut autem omnia ſupradicta omni firmitate ſubnixa permaneant, ſigillorum noſtri & Dominici magiſtri Prædicationis præfati munimine fecimus roborari. Actum in urbe Romæ anno & die prætaxatis, præſentibus ad hoc vocatis Aymerico & Petro monachis Ciſtercienſis ordinis, & fratre Bertrando ejuſdem ordinis, & magiſtro Arnaldo de Compragnano, & Guillelmo Calveto, & me Guillelmo Gayraudo, qui hæc rogatus ſcripſi, domino Amico Arelatenſi archidiacono dictante.

XVII. *Eccleſia Fani-Jovis jam prius collata ſororibus ab ordine, conſequenter per dominum Fulconem Toloſanum epiſcopum confirmatur.*

Anno gratiæ Chriſti MCCXXVII. menſe Septembris. Noverint univerſi præſentes litteras inſpecturi, quod nos Fulco Dei gratia Toloſanæ ſedis epiſcopus, conſiderantes neceſſitatem & indigentiam ſanctimonialium monaſterii nomine Pruliani ordinis Prædicatorum, ſiti juxta caſtrum Fani-Jovis noſtræ diœceſis, illam collationem eccleſiæ Fani-

Jovis

Jovis, quam eis fratres Prædicatores de communi ordinis & magiſtrorum ſuorum fecerant conſilio & aſſenſu, volumus & concedimus, & præſenti pagina confirmamus, ſicut ipſi a nobis per commutationem ſextæ partis decimarum, quam collatam ſibi a nobis prius, poſtmodum reſignarunt, dictam eccleſiam habuerunt. Ut autem ſupradicta confirmatio robur perennis & incommutabilis firmitatis obtineat, præſentes litteras cum ſigillo noſtro duximus eidem monaſterio concedendas. Actum eſt hoc anno & menſe ut ſupra.

XVIII. *Præfata eccleſia Fani-Jovis alio donationis jure & genere a memorato Fulcone epiſcopo Toloſano conceditur monaſterio Pruliani.*

Anno Domini MCCXXX. menſe Decembris, noverint univerſi præſentes litteras inſpecturi, quod nos FULCO Dei gratia Toloſanæ ſedis epiſcopus, conſiderantes neceſſitatem & indigentiam monialium monaſterii nomine Pruliani, quod a nobis ædificatum fuit (a) & conſtructum, eidem monaſterio & monialibus ibidem commorantibus de parte proventuum ad menſam noſtram pertinentium, quam jura & ſtatuta canonum concedunt epiſcopis poſſe dare monaſteriis ab eiſdem epiſcopis ædificatis, paululum conceſſimus in perpetuum poſſidendum: videlicet eccleſiam B. Mariæ Fani-Jovis, quæ ſita eſt in noſtra diœceſi, & quaſi juncta monaſterio memorato; ita ſcilicet ut eamdem eccleſiam cum ſuis decimis, primitiis, oblationibus & aliis obventionibus ad ipſam pertinentibus, in perpetuum pacifice poſſideant & quiete, jure epiſcopali nobis ſervato, quod in cathedratico & viſitationibus conſiſtit. Ut autem ſupradicta donatio ſive conceſſio robur perennis & incommutabilis firmitatis obtineat, præſentes litteras cum ſigillo noſtro duximus eidem monaſterio concedendas. Actum eſt hoc anno & menſe, ut ſupra.

[a]

XIX. *Prefata eccleſia Fani-Jovis a Domino Raymundo epiſcopo Toloſano, ſucceſſore memorati D. Fulconis, cum approbatione donationis primæ ſororibus Pruliani amplius & gratioſius confirmatur.*

Anno Domini MCCLXI. VI. nonas Octobris, noverint univerſi præſentes litteras inſpecturi, quod nos frater RAYMUNDUS permiſſione divina Toloſanus epiſcopus, vidimus & inſpeximus litteram infra ſcriptam, ſigilli reverendi patris in Chriſto domini FULCONIS ſanctæ memoriæ prædeceſſoris noſtri, quondam epiſcopi Toloſani, munimine roboratam, non vitiatam, non cancellatam, nec in aliqua parte ſui abolitam, cujus tenor talis eſt: Noverint univerſi præſentes litteras inſpecturi, quod nos Fulco Dei gratia Toloſanæ ſedis epiſcopus, conſiderantes neceſſitatem, &c. *ut ſupra.* Igitur nos frater Raymundus epiſcopus antedictus, conſiderantes donationem antedictam rite & canonice eſſe factam; attendentes nihilominus quod prædictæ moniales prædictam eccleſiam B. Mariæ de Fano-Jovis cum juribus ad eam ſpectantibus, juxta donationem prædictam quadraginta annis & amplius poſſederunt pacifice & quiete; volentes inſuper dicti prædeceſſoris noſtri piis veſtigiis inhærere, donationem prædictam & poſſeſſionem diu, ut dictum eſt, obtentam, ratam & firmam habentes, auctoritate præſentium approbamus, ratificamus & etiam acceptamus. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigilli noſtri munimine roboramus. Datum Toloſæ VI. nonas Octobris anno Domini MCCLXI.

A B C D

XX. *Honorius papa eccleſiam Fani-Jovis collatam primo fratribus & ordini a Fulcone epiſcopo Toloſano, confirmat eiſdem.*

HONORIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis magiſtro & fratribus ordinis Prædicatorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Cum a nobis petitur quod juſtum eſt & honeſtum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii noſtri ad debitum perducatur effectum. Eapropter dilecti in Domino filii veſtris juſtis precibus inclinati, eccleſiam S. Mariæ Fani-Jovis cum omnibus pertinentiis ſuis, quam venerabilis frater noſter epiſcopus Toloſanus pia vobis liberalitate donavit, ſicut eam juſte & pacifice poſſidetis, auctoritate vobis apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani IV. cal. Maii, pontificatus noſtri anno V.

XXI. *Gregorius papa confirmat eccleſiam Fani-Jovis, datam a Fulcone epiſcopo Toloſano ſororibus Pruliani.*

GREGORIUS epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis in Chriſto filiabus prioriſſæ & conventui monaſterii S. Mariæ de Pruliano ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Inter alia quæ Chriſto præſtantur obſequia, illud eſt præcipue commendandum, cum mulieres fragilitatem ſuam in ſtabilitatem perpetuam voluntarie convertentes, mundanas ſpernunt illecebras, & ut cum perenni ſponſo

E

(a) *Hoc ſane intelligendum eſt ita; ſcilicet prabendo aſſenſum, opemque ac patrocinium infevendo B. Dominico primo & præcipuo fundatori ipſius monaſterii Pruliani, quia aſſenſu epiſcopi in hoc & ad hoc in ſua diœceſi, necnon & patrocinio opus erat, & ipſe libenter impendebat, quia bonus & ſpiritualis vir erat.* Ita in margine Bernardus Guidonis.

vivant perenniter, habitaculum ipſi dignum corpora ſua parant, & accenſis lampadibus eidem obviam exire feſtinant; ac pro hoc merito gratis ſunt attolendæ favoribus, & congruis præſidiis muniendæ, ut eo devotius quo quietius Domino famulantes, ſibi per vitæ meritum & aliis proficiant per exemplum. Hinc eſt quod veſtris precibus benignum impertientes aſſenſum, eccleſiam B. Mariæ Fani-Jovis, quam venerabilis frater noſter FULCO epiſcopus Toloſanus, utpote ad menſam ſuam ſpectantem, monaſterio veſtro quod ipſe conſtruxerat pia & provida liberalitate conceſſit, prout ſuper hoc confectum publicum indicat inſtrumentum, & in ejuſdem epiſcopi litteris inſpeximus plenius contineri, vobis & per vos ipſi monaſterio auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Sequitur ejuſdem tenoris bulla Innocentii IV. data Lugduni idibus octobris, pontificatus ſui anno VIII.

XXII. *Alexander papa confirmat eamdem eccleſiam Fani-Jovis ſororibus Pruliani.*

ALEXANDER epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus prioriſſæ & conventui monaſterii S. Mariæ de Pruliano, ordinis S. Auguſtini Toloſanæ diœceſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Inter alias perſonas quæ ſe Chriſti obſequiis dedicarunt, mulieres Deo devotæ, quæ fragilitatem ſuam ſtabili religionis propoſito fulcientes, mundanas ſpernunt illecebras, ſanctificando in corporibus mundam S. Spiritui manſionem, apoſtolici ſunt favoris præſidio muniendæ. Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod bonæ memoriæ FULCO epiſcopus Toloſanus, eccleſiam S. Mariæ Fani-Jovis tunc ad menſam ſuam ſpectantem monaſterio veſtro, quod ipſe conſtruxerat pia & provida liberalitate conceſſit, prout in ſuis litteris inde confectis plenius dicitur contineri: & felicis recordationis Gregorius papa prædeceſſor noſter vobis eccleſiam hujuſmodi confirmavit, quam ſicut proponitis ſine lite & pacifice poſſidetis. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, quod per eumdem epiſcopum in hac parte provide factum eſt, ratum ac gratum habentes, illud, nonobſtante quod in his capituli Toloſani non intervenit aſſenſus, auctoritate apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Laterani XII. cal. Aprilis, pontificatus noſtri anno III. Verbi autem incarnati anno MCCLVII.

XXIII. *Dominus Raymundus epiſcopus Toloſanus & dominus Guillermus epiſcopus Carcaſſonenſis viderunt omnes litteras præcedentes non vitiatas, non corruptas, & eas ſub ſigillis ſuis exemplari fecerunt.*

Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quarto calendas Aprilis dominus Raymundus epiſcopus Toloſanus & dominus Guillermus epiſcopus Carcaſſonenſis litteras omnes contentas ſuperius viderunt integras, non vitiatas, non cancellatas, & ab ipſis originalibus litteris exemplari fecerunt ſub ſigillis ſuis, a quibus exemplaribus extracta fuerunt iſta anno Domini MCCCVII. pridie calendas Aprilis in Pruliano; excepto dumtaxat illo inſtrumento ſeu illa littera quæ de controverſia decimarum ſuborta, & per dominum Fulconem & S. Dominicum terminata expreſſam continet mentionem, quia ipſam alibi & ex ſuo originali extraxi.

Sequitur ſeries priorum ex quia ſingularia quædam tantum excerpſimus.

Primus prior tempore, dignitate & ordine, utpote inſtitutor, fundator & gubernator monaſterii ſororum B. MARIÆ de Pruliano, fuit B. DOMINICUS natione Hiſpanus, nunc & ſemper ante Deum ſororum & loci defenſor & patronus. Hic monaſterium rexit & direxit (*a*) ab exordio ut principalis per ſeipſum annis aliquibus, quamvis non ibi aſſidue reſidens, ſed ad diverſas partes pro multorum ſalute diſcurrens, & ob hanc cauſam alios inſtituit loco ſui, ſcilicet fratrem Natalem & fratrem Guillelmum Clareti. A confirmatione vero ordinis, cœpit non Pruliani, ſed S. Romani prior & magiſter ordinis appellari, & per priores alios ſub ipſo tamen monaſterium gubernari. De ordine vero priorum qui poſt beatum Dominicum ſucceſſerunt, non totalem & plenam certitudinem quam ad primitivos potui invenire. Quæ autem inveni inferius annotantur, &c.

Frater Guillelmus Clareti Apamienſis erat prior Pruliani anno Domini MCCXVIII. Item MCCXIX. item MCCXXII. item MCCXXIV. item MCCXXIX. ſicut patet in quibuſdam litteris ipſius monaſterii, in quibus nominatur & ſcribitur prior. Hic tranſtulit ſeipſum ad monachos albos Ciſtercienſis ordinis in abbatia de Borbona (*b*) Apamienſis diœceſis, ut audivi dici, & ad eos transferre monaſterium voluit, ſed nolente Deo, minime valuit. De quo fratre Guillelmo habetur etiam ſupra

(*a*) In margine mſ. hæc ſcripſit Bernardus Guidonis: *Anno Domini* MCCVII. *B. Dominicus vocabatur prior Pruliani. Sic enim inveni eum nominatum in quodam antiquo publico inſtrumento in monaſterio Pruliani.*

(*b*) Vulgo Bolbona, nunc in diœceſi Mirapicenſi in comitatu Fuxenſi.

inter fratres qui cum B. Dominico regulam elegerunt, inter quos fuit unus.

Sextus prior frater Raymundus Catalani, qui erat prior anno MCCXXIX. &c. Hic sorores prius inclusas inclusit amplius & arctius, præfuit & profuit monasterio annis circiter XXXII. Fuit autem absolutus propter senectutem suam per fratrem Geraldum de Fracheto priorem provincialem paulo post capitulum generale Tolosanum, ibidem Tolosæ anno Domini MCCLVII. Hic fuit vir venerabilis sanctitate & virtute, discretus & devotus, qui cum quadraginta annis & amplius in ordine Domino deserviſſet, in sancta confessione B decessit in monasterio Pruliani XVII. calend. Februarii, anno Domini MCCLXIII. tumulatus nunc jacet in ecclesia ante fenestram sororum, quia prius fuit alibi tumulatus, cujus ossa & fratris Natalis simul collecta ibidem infra vas unum lapideum continentur. Nota de fratre Raymundo Catalani miracula & opera laude digna in Vitis fratrum in fine.

Nonus prior frater Arnaldus Seguerii Appamiensis, successit fratri Petro Regis, institutus per priorem provincialem fratrem Bernardum Geraldi, paulo post provinciale C capitulum Carcassonense, ubi fuerat a prioratu Narbonensi absolutus anno Domini MCCLXVII. Hic in diebus suis ædificavit insignem ecclesiam sororum. Anno siquidem Domini M. CCLXVII. in crastino B. Francisci, III. nonas Octobris, fuit in monasterio B. Mariæ de Pruliano incepta ecclesia, & lapis primarius positus in eadem ad honorem gloriosæ Virginis matris Dei, per ipsum fratrem Arnaldum Seguerii priorem, & per nobilem virum dominum Guidonem de *Levis*, mareschallum Mirapicis. Post hæc divina gratia assistente, meritis ejusdem Virginis gloriosæ, & B. Dominici patris nostri, prosecutum est opus & usque ad finem completum & peractum per eumdem priorem & fratres anno Domini MCCLXXXV. in festo Epiphaniæ, quo die festo prænominatus prior in eadem ecclesia in majori altari primam missam solemniter celebravit. Ædificavit quoque capellam fratrum S. Martini. Hic reditus monasterii adauxit plurimum. Clausuram etiam E monasterii de muro lapideo inchoaverat, quam successor ejus quasi complevit. In grangiis quoque ædificia multa fecit. Præfuit monasterio annis XXIX. priorque existens senex & plenus dierum obiit in Pruliano XV. cal. Maii, anno Domini MCCXCVI. Sepultus est in ecclesia ante fenestram fratrum in eodem tumulo cum fratre Raymundo Catalani.

Decimus prior frater Bernardus de Turnis diœcesis Nemausensis, de prædicatione conventus Amiliani, successit fratri Arnaldo Sequerii prædicto, institutus per priorem provincialem fratrem Raymundum Hunaudi paulo ante festum S. Michaëlis, in capitulo

A Pruliani fratribus congregatis, ubi ipse præsens aderat, anno Domini MCCXCVI. Hic fuit vir magnæ devotionis & sanctitatis ac fervoris in Deum, zelator magnus pro salute hominum, maxime grandium peccatorum, prædicator maxime gratiosus & famosus, & multo amplius fructuosus, virtutibus & Deo plenus. Hic procuravit & obtinuit tempore sui prioratus a domino rege Philippo universalem & plenariam amortizationem omnium bonorum temporalium acquisitorum usque tunc monasterii Pruliani, scilicet anno Domini MCCXCVIII. consummavitque clausuram insignem de muro lapideo usque ad portam majorem exclusive. Hic Dei amicus cum triginta sex annis in ordine Domino deserviſſet in laboribus plurimis, in jejuniis multis, in vigiliis abundantius, in puritate mentis & corporis, in fervore dilectionis Dei & proximi, transivit ex hoc mundo ad Patrem, cui servierat in spiritu & veritate, feliciter ac confidenter valde, sicut ipse nobis, qui ibidem aderamus, patris exitum expectantes, aperuit in extremis, pleno sensu suo, & ratione utens, ita inquiens. Cum enim sacram eucharistiam hora matutinali, prout ipsemet ordinaverat, coram positis fratribus & orantibus, in sancta confessione devotissime suscepisset, interrogatusque ex more de fide sacramenti Dominici Corporis, pectore pleno fide, clara voce confessus est, quod nihil verius, nihil certius in hac vita credebat. Et post pauca subjunxit: En, inquit, carissimi fratres, pulsatus sum, ut aliqua vobis loquar, & hæc erunt novissima verba mea: quamvis, inquit, ad illorum celsitudinem & gloriæ sublimitatem, de quibus scribitur Apocalypsis VII. *Ex tribu* N. vel tali N. &c. *duodecim millia signati*, mea parvitas & paupertas meritorum minime pertingere mereatur, securus tamen & confidenter expecto, & de misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui servivi, non dubito quin istum pauperem Christianum salvum faciat, & suscipiat in collegio saltem illorum, de quibus ibidem scribitur: *Vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat, &c.* Hæc verba dulcissime & sapidissime ingeminans, modoque ineffabili nobis exprimens & imprimens piissimo vultu, voce lacrymosa, complosis & ad Deum utcumque poterat manibus elevatis, ex facundia oris sui, & gratia in labiis ejus diffusa, de fonte fidei cordis sui, devotionis rivulos uberius emanantes effundebat, fontemque ipsum nobis amplius aperiens, ait voce sonora, humili & devota: Nec dubitetis, fratres mei carissimi, quin apud Deum vobis & loco huic teneam bonum locum. Et deinceps pauca vobis loquar, commendansque nos gratiæ Dei, ... Præfuit & profuit monasterio annis tribus & amplius. Dormivit autem in Domino in festo B. Francisci, illu-

ceſcente aurora diei Dominicæ anno Domini MCCXCIX. Cujus corpus ſanctum ego frater BERNARDUS GUIDONIS tunc prior Carcaſſonæ indignus miniſter, eodem die tradidi eccleſiaſticæ ſepulturæ, non ſine fratrum & ſororum gemitu & ploratu, ſepultuſque eſt in eccleſia ſororum ante feneſtram, in proprio tumulo prope prædeceſſores ſuos, de quo mentionem in ſcriptis feci alibi latiorem. Super tumbam ejus lapideam ſunt hi verſus:

Frater Bernardus de Turnis, myſtica nardus,
Arſit amore Dei vivens, carniſque nitore
Canduit, & docuit ſic vivere ſicque nitere.

Anno Domini MCCCV. dominus CLEMENS papa V. prius dictus dominus Bertrandus *Del Got* de Burdigala, unde archiepiſcopus exiſtens aſſumtus & creatus fuerat in papam in vigilia Pentecoſten præcedenti, ſcilicet nonis Junii, verſus Lugdunum dirigens greſſus ſuos, tranſivit per monaſterium Pruliani, ubi hoſpitatus eſt ſumtibus monaſterii cum comitiva ſua, & uno cardinali, ſcilicet domino PETRO HISPANO epiſcopo Sabinenſi, ſecunda die Octobris in ſabbato. Sequenti vero die Dominica mane intravit clauſtrum & capitulum ſororum, ſuſceptus proceſſionaliter ab eiſdem, cum præfato cardinali & domino BERTRANDO epiſcopo Agennenſi avunculo ipſius papæ, & domino Raymundo *Del Got* nepote ſuo, & abbate S. Crucis Burdigalenſis, & domino Guillelmo Arrufati, quos tres in ſequenti adventu fecit cardinales, & cum priore provinciali fratre Bertrando, cum aliquibus fratribus; & collatione verbi Dei præmiſſa, petivit orationum munera ab eiſdem humiliter & devote: quibus conceſſit & ipſe quod confeſſores ipſarum poſſent eas abſolvere auctoritate ſua ab omnibus, quantum ſe extendit auctoritas B. Petri vicarii domini JESU CHRISTI.

Tempore prioratus fratris Arnaldi prædicti conſummata clauſura monaſterii lapidea, factum fuit magnum illud portale cum turri deſuper camerata anno Domini MCCCI. Itemque facta fuit magna illa domus lapidea ex parte eccleſiæ ſororum, in qua ſunt ſuperius dormitorium cum cellis pro fratribus hoſpitibus & converſis, inferius vero magnum cellarium cum teſtudine & torcular, cujus domus ex parte orientali fuit ædificium inchoatum anno Domini MCCCII. in æſtate, & ad finem uſque perductum anno Domini MCCCVII. Item anno MCCCVIII. quarto cal. Februarii die Mercurii, dominus CLEMENS papa V. vadens apud Avenionem, locum curiæ deſtinatum, ſecunda vice fuit in monaſterio Pruliani, & ſequenti die Jovis intravit clauſtrum & capitulum ſororum cum quinque cardinalibus, inter quos erat dominus frater NICOLAUS DE PRATO epiſcopus Oſtienſis, item archiepiſcopus Rothomagenſis & epiſcopus Toloſanus, ambo nepotes papæ. Tempore præfati prioris fuit facta domus lapidea pro dormitorio & infirmitorio ſororum valde pulchra, quæ conſummata fuit anno Domini MCCCXV. Item facta fuit domus furni lapidea cum ipſo furno, ſub anno MCCCXV.

FUNDATIO CONVENTUS TOLOSANI.

SIcut in libello ſeu tractatu venerabilis patris fratris Jordanis magiſtri ordinis, quem fecit de principio ordinis Prædicatorum, partim quoque ex quibuſdam aliis geſtis beati Dominici, colligitur evidenter, a tempore obitus dignæ memoriæ domini DIDACI epiſcopi Oximenſis, qui obiit anno Domini MCCVII. uſque ad Lateranenſe concilium, quod celebratum eſt ab Innocentio papa III. Romæ anno Domini MCCXV. in Novembri, fluxerunt fere anni decem, quo decennio B. DOMINICUS qui ſolus permanſit, jugiter inſiſtens officio prædicationis verbi Dei in partibus Toloſanis, Albigenſibus & Carcaſſonenſibus, annuntians Dominum JESUM CHRISTUM, confundens hæreticos & catholicos erudiens & confirmans, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis & miraculis glorioſis, cum aliquibus paucis ſequacibus ſuis, qui ei tamquam ſocii, nondum tamen per aliquam obedientiam ſubditi, adhærebant propter ſuæ merita ſanctitatis. Ex his autem ſuis ſequacibus erant quidam Guillelmus Clareti, & frater quidam Dominicus Hiſpanus, qui poſtmodum in Hiſpania prior extitit in Madrito.

Ingruente autem tempore quo ad Lateranenſe concilium Romam adire cœperunt epiſcopi, videlicet circa annum Domini MCCXIV. obtulerunt ſe S. Dominico duo probi viri de Toloſa, quorum unus fuit frater Petrus Cellani, qui fuit poſtmodum primus prior Lemovicenſis, alter vero frater Thomas, vir admodum gratioſus & ſermone facundus. Horum primus nobiles & inſignes, quas Toloſæ circa caſtrum Narbonenſe domos poſſederat, obtulit & dedit S. Dominico & ejus ſociis; a quo tempore cœperunt primum apud Toloſam in eiſdem domibus pariter commorari, atque ex tunc omnes qui cum ipſo aderant, magis ac magis ad humilitatem deſcendere, & religioſorum moribus ſe conformare: in quibus domibus poſtmodum inquiſitores hæreticorum habitaverunt & habitant uſque in præſens.

At vero felicis & Deo dignæ memoriæ dominus FULCO epiſcopus Toloſanus, qui B. DOMINICUM dilectum Deo & hominibus tenerrime diligebat, videns eorumdem fratrum religionem & gratiam, atque in prædicatione fervorem, de conſenſu totius ſui capituli contulit eis ſuæ diœceſis ſextam partem decimarum, cujus emolumenti ſubſidio ſibi & ſuis ad libros atque ad ſuſtentationem neceſſaria providerent.

Poſt præfatum vero Lateranenſe concilium epiſcopus memoratus cum conſenſu capituli aſſignavit eis tres eccleſias, unam ſcilicet infra terminos civitatis; aliam in villa Appamienſi, quæ eo tempore ad Toloſanam diœceſim pertinebat; tertiam vero inter Soricinium & Podium-Laurentii, ſcilicet eccleſiam S. MARIÆ de la Eſcura, in quarum qualibet conventus eſſe debebat.

Anno Domini MCCXVI. ætatis tempore data eſt fratribus prima eccleſia in civitate Toloſana, quæ in honorem beati Romani martyris eſt fundata. In reliquis autem duabus eccleſiis nullum umquam fratrum contigit habitare. At vero in prædicta eccleſia ſancti Romani protinus ædificatum eſt clauſtrum, cellas habens ad ſtudendum & dormiendum deſuper ſatis aptas. Erant autem tunc fratres numero circiter ſexdecim, quorum nomina quæ potui reperire breviter hic perſtrinxi, quia alibi ſuperius diffuſius ſunt conſcripta. Frater MATTHÆUS Gallicus, vir doctus & ad docendum paratus, qui fuit poſtmodum primus & noviſſimus in ordine noſtro abbas. Frater Bertrandus de Garriga prope Aleſtum oriundus, qui fuit poſtmodum primus prior provincialis hujus provinciæ. Frater Petrus Cellani, qui fuit primus prior Lemovicenſis. Frater Thomas Toloſanus, vir admodum gratioſus & ſermone facundus. Frater Mames Hiſpanus, carnalis frater S. Dominici, & ſanctitatis ejus puriſſimus imitator. Frater Michaël Hiſpanus, vir contemplativus. Frater Dominicus Hiſpanus, alius a S. Dominico, vir humilitatis eximiæ, parvus quidem ſcientia, ſed virtute magnificus. Frater Johannes de Navarra, de villa S. Johannis de Pede-portus diœceſis Baionenſis. Frater Laurentius Anglicus. Frater Stephanus Metenſis, carnis ſuæ rigidus macerator. Frater Odorius converſus Normannus. Frater Guillelmus Clareti Appamienſis. Frater Petrus Madritum. Frater Gometius. Frater Michaël de Uzeco, alius a prædicto Michaële. De iſtis tribus ultimis plenam certitudinem non inveni, ſed habeo opinionem veriſimilem ex his quæ circa hoc legi.

Anno Domini MCCXVI. nona die exitus menſis Octobris feria prima, regnante PHILIPPO Francorum rege, & SIMONE comite Toloſano, & FULCONE epiſcopo, frater Raymundus Vitalis & domina Brunqueldis uxor ejus, ſua ſpontanea voluntate, amore Dei & intuita pietatis, dederunt Deo & beatæ Virgini MARIÆ, & domno Dominico & fratri Bertrando, priori domus & eccleſiæ ſancti Romani, qui hoc donum recepit pro eodem Dominico & omnibus habitatoribus dictæ domus præſentibus & futuris, omnem illam domum & honorem, cum omnibus ædificiis & baſtimentis ibidem exiſtentibus vel pertinentibus, quæ inter domum Petri Vitalis fratris dicti Raymundi Vitalis, & domum Raymundi Squivolli qui fuit, & totum illud medium arpentum maiolis cum terra quæ eſt, & plus ſi ibi eſt, quod eſt inter maiolem comitalem & maiolem de *Guifres*, & tenet de maiole Guillelmi Bruneti uſque ad plateam publicam, ad omnem eorum voluntatem faciendam ſine ulla retentione. Hujus rei teſtes fuerunt frater Guillelmus de Lezato, &c. Et Petrus Raymundi notarius, qui inde ſcripſit cartam. Extat adhuc inſtrumentum.

Anno Domini MCCXVI. quarta die exitus Octobris, feria VI. regnante PHILIPPO rege Francorum, SIMONE Toloſano comite, & FULCONE epiſcopo, Vitalis Autardus cum conſenſu & voluntate Magnæ uxoris ſuæ, vendidit & abſolvit domno fratri Dominico & fratri Bertrando priori domus & eccleſiæ S. Romani, & omnibus habitatoribus ejuſdem domus præſentibus & futuris, omnem illam domum & caſalem, & alias domos cum omnibus ædificiis & baſtimentis ibi exiſtentibus & pertinentibus, quod eſt totum ex una parte inter domum Arnaldi Petri de Deveſa, & domum Vitalis Autardi majoris, & domum Raymundi Arnaldi de Pozanis; & ex altera parte inter alium honorem ipſorum emtorum, & honorem Guillelmi Mercerii, & domum Raymundi Trenerii, & tenet uſque ad carreriam publicam, ad omnem eorum voluntatem inde faciendam libere ſine omni cenſu & uſu & ſervitio. Hujus rei teſtes fuerunt frater Guillelmus de Lezato, & Arnaldus de Ranavilla, & Petrus Raymundi notarius, qui cartam inde ſcripſit. Extat adhuc inſtrumentum.

Anno Domini MCCXVI. eadem quarta die exitus menſis Octobris, feria VI. regnante PHILIPPO Francorum rege, & SIMONE Toloſano comite, & FULCONE epiſcopo, præfatus frater Bertrandus prior domus & eccleſiæ S. Romani, vendidit Vitali Autardi prædicto illum maiolem, quem Raymundus Vitalis filius Petri Vitalis eis dederat, qui eſt in condamina, & octavam partem unius molendini terteni, qui eſt in capitio B. MARIÆ Deauratæ, quam Thomas de inter ambabus aquis eis dederat. Teſtes fuerunt proxime nominati. Hæc venditio videtur fuiſſe facta in recompenſationem ſeu in ſolutionem præfato Vitali Autardi pro prædictis ab eo emtis.

Anno Domini MCCXVI. ſequenti menſe Decembri, ſcilicet XI. calendas Januarii in craſtino S. Thomæ apoſtoli, Romæ apud ſanctum Petrum confirmatus eſt ordo Prædicatorum ab HONORIO papa III. pontificatus ipſius anno primo, ipſi B. Dominico tunc præſenti ſub nomine prioris S. Romani eccleſiæ prælibatæ & ejus ſucceſſoribus & fratribus, cum poſſeſſionibus & decimis & reditibus univerſis datis a præfatis domino FULCONE epiſcopo Toloſano & capitulo & magnifico principe domino SIMONE comite

Montis-fortis & quibuſdam aliis, ſicut in privilegio confirmationis ejuſdem plenius continetur, quibus poſſeſſionibus & reditibus gratis poſtmodum reſignarunt, retentis quibuſdam pro ſororibus monaſterii Pruliani.

In præfata eccleſia S. Romani Toloſani manſerunt fratres conventualiter annis circiter XV. Poſtmodum autem propter loci arctitudinem & dilatandi quaſi impoſſibilitatem, quia carreriis publicis cingitur hinc inde, tranſtulerunt ſe fratres ad locum quem nunc inhabitant: præfatam eccleſiam patri noſtro gratis collatam & confirmatam filii improvide penitus deſerentes anno Domini MCCXXX.

Anno ſiquidem Domini MCCXXIX. emtus eſt hortus qui dicebatur de Garrigiis, mille ducentis ſolidis Toloſanis pro conventu inibi transferendo; in quo horto nunc eſt eccleſia fratrum ex parte clauſtri & totum clauſtrum & ſacriſtia, & capitulum, & magna pars dormitorii ex parte clauſtri quaſi in quadro, fortiter id agente fratre Raymundo de Miromonte priore provinciali tunc, cum fratre Johanne de Johannia priore conventuali: quem hortum & locum dominus Pontius de Capite denario de Toloſa emit & ſolvit, & dedit fratribus tamquam patronus loci & fratrum cum conjuge ſua domina Aurimanda, & filia ſua domina Stephana anno Domini MCCXXIX. in Septembri. Emit etiam idem quædam alia, quæ pariter dedit fratribus ut patronus. Dominium vero horti cum obliis dederunt fratribus Bertrandus de Garigiis & fratres ejus Johannes, Bernardus & Brunus.

Hic quoque notandum eſt, quod felicis recordationis dominus FULCO epiſcopus Toloſanus, introduxit fratres in locum iſtum, qui dicebatur antea Hortus de Garrigiis juxta planum de Bretoneriis in parochia Deauratæ, & ipſe benedixit fratribus cimiterium, & in capite eccleſiæ primæ primarium lapidem manibus ſuis poſuit, multis aſtantibus clericis & laïcis, & ipſe idem in oratorio primo fratrum primam miſſam primus celebravit, & eodem die populo qui convenerat prædicavit, priore conventuali tunc exiſtente fratre Johanne de Johannia. Ad iſtum vero locum mutaverunt ſe fratres de S. Romano Dominica die in natali Domini anno MCCXXX. & ſequenti anno MCCXXXI. in die natali Domini obiit Fulco epiſcopus Toloſanus, ſepultus fuit in monaſterio Grandis-Silvæ.

Dominus quoque frater Raymundus de Miromonte tunc prior provincialis, qui ſucceſſit in epiſcopatu præfato Fulconi, quot & quanta bona conventui & fratribus fecerit, & quanto ſtudio & ſolicitudine locum promoverit, & quam largiter manum porrexerit adjutricem, præcipue in emtione domorum & locorum ad dilatationem conventus & in ædificatione ipſius, longum eſſet hic per ſingula enarrare, ſed in quodam quaterno, (a) quem de ipſius loci acquiſitione & promotione frater Guillelmus *Peliſſo* conſcripſit, ſicut videbat & audierat, plurima legi, & multa alia fecit quæ ibi ſcripta non fuerunt. Hic obiit Toloſæ in conventu fratrum XIV. calendas Novembris media nocte Dominica, in craſtino S. Lucæ, anno Domini MCCLXX. epiſcopatus vero XXXIX. ſepultus eſt in eccleſia fratrum.

Locum iſtum ſecundum acquiſiverunt ſucceſſive per partes, cooperante Deo qui incrementum dedit, primitivi priores; ſupra quos omnes abundantius egit frater Raymundus de Miramonte provincialis, deinde epiſcopus Toloſanus, & cum ejus ope & virtute frater Johannes de Johannia primus, dehinc frater Pontius de S. Ægidio, frater Raymundus de Fuxo, frater Stephanus de Salanhaco, frater Guillelmus Bernardi, unuſquiſque in diebus ſui regiminis plurima addiderunt, quæ ſcripta & conſignata ſunt in præfato quaterno per fratrem Guillelmum *Peliſſo*, qui multum utiliter laboravit & apoſuit partem ſuam. [4]

Sequitur ſeries priorum, ubi de Pontio de S. Ægidio hæc leguntur.

Frater Pontius de S. Ægidio bis, prima vice ſucceſſit fratri Petro de Aleſto, erat prior anno MCCXXXIII. quo canonizatus eſt S. Dominicus. Item erat prior eo tempore quo fratres Prædicatores de Toloſa edicto publico principis & conſulum ſunt expulſi anno Domini MCCXXXV. nonis Novembris vel octavo idus Novembris. Anno ſiquidem Domini prætaxato nonis Novembris, Petrus de Toloſa vicarius RAYMUNDI comitis Toloſani de mandato ipſius comitis, & conſules Toloſæ qui tunc erant, ſcilicet Bernardus de Miramonte, Arnaldus Barravi, Grifus de Roaxio, Arnaldus Guillelmi de S. Barcio, Curvus de Turre, Pontius *de Sioilh*, Bernardus Signarii, Raymundus Rotgerii, Raymundus Borelli, Audricus Maurandi, Maurandus de Bello-podio juvenis, ejecerunt de Toloſa fratrem Guillelmum Arnaldi de ordine Prædicatorum, inquiſitorem hæreticæ pravitatis auctoritate apoſtolica deputatum, quia coram ſe Toloſæ quoſdam credentes hæreticorum ipſe citaverat, & quia inquiſitionis officium in Toloſa contra hæreticos exercebat. Idcirco præfatus inquiſitor de Toloſa

(a) Eo in quaterno hæc leguntur: *Ad perpetuam rei memoriam noſcant filii qui naſcentur & exſurgent in conventu Toloſano, quod dominus frater Raymundus de Miramonte epiſcopus Toloſanus, prater illa qua ſuperius ſcripta ſunt, ædificavit in domo iſta fratribus capitulum, quod conſtitit ſolidos Toloſanos. Item, clauſtrum quod conſtitit quatuor millia ſolidos Toloſanos. Item, dormitorium & cellas ſimul, quod conſtitit quatuor millia quadringentos ſolidos Toloſanos. Item, debat quolibet anno pannos pro XX. tunicis fratrum ad minus. Item, pro opere eccleſia dedit quatuor millia ſolidos Toloſanos in univerſo, prater elemoſynas panis & vini, & procurationum & pittantiarum frequenter.*

expulsus abiit Carcassonam, & inde citatos peremtorie excommunicavit eos omnes prædictos, tamquam fautores & defensores hæreticorum lata sententia IV. idus Novembris, sicut in libro inquisitionis vidi plenius contineri. In diebus illis memoratus inquisitor citaverat quosdam credentes hæreticorum per priorem S. Stephani, scilicet Vitalem Aureoli & Guillelmum Vaquerii; & per capellanos parochiales, ut certa die comparerent coram ipso Carcassonæ, responsuri de fide: qui comparere noluerunt, & ob hoc dicti consules omnes citatores ejecerunt de villa Tolosæ violenter, comminantes, quod si sequentem citationem aliquis faceret, non tantum ejiceretur, quin immo interficeretur, quicumque ille esset. Tunc dictus inquisitor citavit eos peremtorie per fratres ordinis Prædicatorum, scilicet Raymundum de Fuxo, Guidonem Navarra Lemovicensem, Johannem de S. Michaële, Guillelmum *Pelisso*. Fecerant enim jam ante dicti consules & vicarius tubicinari per villam sub pœna rerum & corporum, ne aliquod commercium aliquis haberet cum fratribus, nec eis aliquid venderet neque daret, & ad omnes portas domus fratrum positi sunt custodes de die ac nocte per tres fere hebdomadas, ne victualium aliquid inferretur, nec etiam aquam de Garona aliquis audebat eis intus deferre. Verumtamen multi dolentes de eis, & compatientes, multa bona plus solito dabant eis, occulte tamen per hortum, propter metum credentium hæreticorum, panes & caseos per parietes intus projicientes: quod intelligentes dicti consules, ejecerunt omnes fratres de domo & de villa Tolosæ, cum magna multitudine, publice eos trahentes. Verum aliqui cum aliqua reverentia tantam irreverentiam faciebant; cumque omnes fratres confessi ad martyrium pro fide & obedientia ecclesiæ Romanæ paratos se offerrent, & jam cum multo desiderio expectarent, præcepto principis de civitate exire compulsi sunt omnes. Ibant ergo gaudentes a conspectu concilii, digni pro fide Christi contumeliam pati. Processionaliter autem bini & bini euntes, alta voce *Credo in unum Deum*, dehinc *Salve regina* devotissime decantabant. Actum est hoc, ut præmissum est supra, anno Domini MCCXXXV. nonis Novembris vel sequenti die, scilicet VIII. idus Novembris.

Frater Bernardus Geraldi de Monte-Albano successit fratri Raymundo Mansi, qui prior Tolosanus existens, infra annum electus est & assumtus ad provincialatum tertia vice in capitulo provinciali Condomensi in festo B. Dionysii celebrato anno Domini MCCLXXXV. Hic fuit vir magnarum virtutum, prælatus multum religiosus, religionisque custos, sensatus in verbis & factis, justus judex, factor operis. Non libentet monebat subditos facere quod ipse prius non faceret cum eisdem, litteratus multum famosus in toto ordine. Hic confectus senio & laboribus ordinis, tertio in provincialatu deserviens, in conventu Tolosano, ubi optaverat, positus & decumbens in festo Dominicæ Annunciationis die videlicet qua intraverat ordinem Prædicatorum, pie creditur intrasse chorum & ordinem angelorum, intrante jam anno Dominicæ Incarnationis MCCXCI. ubi in medio fratrum cum justis resurrectionem expectat.

Frater Raymundus Hunaudi successit præfato fratri Bernardo Geraldi, translatus de prioratu Appamiensi ad prioratum Tolosanum anno Domini MCCLXXXV. paulo ante natale, ubi præfuit annis octo & amplius, ubi tempore prioratus fuit caput ecclesiæ consummatum cum columnis de lapidibus molaribus tam decorum, & prima missa fuit ibidem in altari B. MARIÆ Virginis solemniter celebrata per venerabilem virum abbatem Moysiacensem dominum BERTRANDUM de Monte-Acuto, in festo Purificationis B. Mariæ anno Domini MCCXCI. Tempore quoque sui prioratus fuit originaliter inchoata illa magna domus multicamerata cum capella & hospitio desubtus cum aliis annexis. Hic fuit zelator bonus & amator magnus veritatis religionis, sincerus amicus amicorum Dei, optimi amoris, & gratissimæ societatis, nobilis & humilis. Fuit autem absolutus in capitulo generali Montis-Pessulani anno Domini MCCXCIV. ubi fuit ipse provinciæ definitor. Paulo post factus fuit prior Burdegalensis, & inde assumtus est ad provincialatum, priorque provincialis existens, ac totius ordinis, cum ordo magistro careret, vicarius generalis obiit valde devote in conventu Tolosano, ubi & optaverat, dum vivebat III. idus Maii anno Domini MCCXCIX. sepultus in choro fratrum juxta fratrem Bernardum Geraldi.

Frater Bernardus de Juzico de Landaro diœcesis Basatensis successit fratri Raymundo Hunaudi, præfuit annis IV. Fuit autem absolutus per litteram magistri ordinis, quam ipsemet procuravit, & legit coram omnibus, data definitione in capitulo provinciali Caturcensi anno Domini MCCXCVIII. Tempore sui prioratus fuit consummatum atque perfectum ædificium illius magnæ domus episcopalis, de qua facta est mentio, cum annexis; pro cujus constructione dominus Hugo de Mascharo episcopus Tolosanus contulit mille libras Turonenses. Item, fuit pinnaculum quantum est supra parietem ecclesiæ præeminens elevatum & pariter consummatum. Item, facta fuit illa magna campana pro universitate studii Tolosani. Item, una pars novi dormitorii facta fuit. Hic postmodum fuit prior provincialis hujus provinciæ, & de provincialatu ad ma-

gisterium est assumtus in capitulo generali Coloniæ anno Domini MCCCI. decimo tertio calendas Junii, magisterque ordinis existens obiit in conventu Trevirensi in provincia Teutoniæ XV. calendas Octobris anno Domini MCCCIII.

Frater Arnaldus de Prato, de prædicatione Condomiensi, successit fratri Bernardo de Juzico. Tempore sui prioratus facta fuit illa pars novi dormitorii, quæ a meridie protenditur versus aquilonem, scilicet brachium unum crucis ex parte scholarum: præfuit anno I. Fuit autem absolutus in capitulo provinciali Perpiniani anno Domini MCCXCIX. Hic fuit lector Tolosanus annis XIV. & tam in Tolosa quam in Monte-Pessulano, quam etiam in multis aliis conventibus, plusquam XXX. annis in theologia exercuit officium lectionis, dictator & inventor carminum valde bonus. Hic officium sancti Ludovici regis nocturnum & diurnum dictavit & composuit eleganter, quod in curia regis Philippi præ omnibus aliis prælectum extitit, pariter & acceptum. Hic factus fuit inquisitor Tolosanus hæreticæ pravitatis anno Domini MCCCIV. in principio mensis Martii. Hic inquisitor existens prope Burdigalam, ubi in curia ratione & causa summi Pontificis domini CLEMENTIS V. papæ, cui notus & acceptus erat plurimum, tunc temporis morabatur. Obiit apud Cadilacum feria VI. in festo B. Euphemiæ virginis, XVI. calendas Octobris anno Domini MCCCVI, ab ingressu vero ordinis LI. portatus fuit apud Condomium; & sepultus in ecclesia fratrum.

FUNDATIO CONVENTUS LEMOVICENSIS.

ANno Domini MCCXIX. paulo ante quadragesimam, venit primo frater Petrus Cellani Tolosanus apud Lemovicas, de Parisius cum sociis sibi datis missus a B. Dominico, ut acciperet ibi domum, fuitque paterne & benigne receptus a venerabili episcopo Lemovicensi BERNARDO DE SAVENA & a capitulo ejusdem ecclesiæ sedis Lemovicensis. Paulo post dictus frater rediit Parisius, & interim locus idoneus pro fratribus quærebatur & disponebatur. Hunc locum quæsitum & inventum, scilicet extra villam ultra Vigennam fluvium, juxta pontem qui dicitur S. Martialis, emit pro fratribus & dedit patronus vir venerabilis dominus Guido de Clausello archidiaconus in ecclesia memorata, postmodum vero episcopus in eadem.

Anno Domini MCCXX. præfatus frater Petrus Cellani adjunctis sibi sociis rediit de Parisius Lemovicas, locumque præfatum paulo post Natale Domini acceptavit, in quo loco fundata fuit ecclesia in honore sanctæ Dei genitricis MARIÆ, de voluntate & assensu præfati Bernardi episcopi Lemovicensis, & præfatus dominus GUIDO patronus primarium lapidem posuit in eadem, præsente clero & populo multo, in sequenti festo annuntiationis, inchoante jam anno Domini MCCXXI. Interim vero fratres manebant in domo S. Geraldi in una domo ad partem, & in loco præfato ad habitandum ædificia parabantur.

Anno Domini MCCXXI. in festo nativitatis B. MARIÆ perpetuæ Virginis, mutaverunt se fratres de domo prædicta S. Geraldi ad locum suum novum ultra pontem S. Martialis, quem tunc primitus inhabitare cœperunt. In sequenti autem festo epiphaniæ, constructo jam capite ecclesiæ, celebrata fuit missa solemniter a præfato domino archidiacono & patrono. In hoc autem primo loco manserunt fratres annis XX. nec plus nec minus amplius una die.

Postmodum namque propter mutam ineptitudinem & inconvenientiam dicti loci, quia notabiliter ab utraque villa remotus & distans, & in seipso nimis erectus erat, & ad sermones & ad alia salutis consilia populus confluere non valeret; disposuerunt se fratres, Deo pro eis melius disponente, mutare ad locum secundum, in quo nunc habitant; de cujus loci emtione, & miraculosa solutione, quæ tunc impossibilis fratribus videbatur, necnon & de multis aliis contingentibus circa ipsum, de primo quoque loco plenius & diffusius est notatum in libello de fundatione conventus Lemovicensis, qui ibidem habetur.

Anno Domini MCCXL. in crastino beati Bartholomæi apostoli, in isto secundo loco fuit benedictum cimiterium liberum & absque omni conditione, a venerabili patre domino PHILIPPO Bituricensi archiepiscopo, de mandato domini Penestrini cardinalis, tunc apostolicæ sedis legati in Francia, in præsentia cleri & populi, vacante tunc sede Lemovicensi.

Anno Domini MCCXLI. IV. nonas Aprilis fuit fundata ecclesia fratrum in isto secundo loco a domino DURANDO Lemovicensi episcopo, tunc noviter præsulante.

Anno Domini MCCXLI. in festo nativitatis B. Dei genitricis MARIÆ, mutaverunt se fratres de primo loco ad secundum, solemniter & devote processionaliter incedentes, cum toto provinciali capitulo, quod ibidem tunc extitit celebratum, comitante clero & populo multo, necnon & religiosis viris, cum canticis & laudibus, sicut in præfato libello continetur.

Primus prior in conventu fratrum Prædicatorum Lemovicensi fuit frater Petrus Cellani præfatus, qui post B. Dominicum fuit primus frater ordinis Prædicatorum, sicut notatum inveni a fratre Stephano de Salanhaco viro antiquo, qui ibidem in ejus manibus est professus. Hunc fratrem Petrum Cellani B. Dominicus suscepit ad ordinem

in

in ſocium & in fratrem. Ipſe vero ſuſcepit B. Dominicum & totum, qui tunc in uno incipiebat, ordinem Prædicatorum, ſecum in hoſpitio proprio Toloſæ, in quo hoſpitio fratres primitus habitarunt. Cumque beatus pater Dominicus poſt obitum glorioſi principis domini SIMONIS comitis Montis-fortis, fratres pro dilatatione ordinis diſpergeret, hunc fratrem Petrum Cellani Lemovicas, ut locum & conventum ibidem, ſicut prætactum eſt, acciperet, deſtinavit. Cum vero ignorantiam & librorum penuriam allegaret, (nam unum ſolum quaternum de homeliis B. Gregorii tantum habebat) Vade, inquit, fili, & confidenter vade, omni die bis habbo te coram Deo, & ne dubites, multos acquires Deo, & afferes multum fructum, creſces & multiplicaberis, & Dominus erit tecum. Et ſicut poſtmodum familiaribus ſuis ſæpius enarravit, cum intus & extra anguſtia arâabatur, invocabat domnum Dominicum, reducens ad memoriam promiſſum ſuum, & omnia proſpere ſuccedebant. Hic frater Petrus multis habitum ſanctum dedit, & in terra ſicut unus de prophetis antiquis, apud clerum & populum in magna reverentia & C honore conſenuit optime perſonatus, conſtans & rectus. Prior fuit Lemovicenſis annis XIII. Circa finem vero dierum ſuorum rediit Toloſam, unde extitit oriundus, ubi primus cum fratre Guillelmo Arnaldi viro conſtantiſſimo, deputatus fuit ad inquiſitionis officium contra pravitatem hæreticam coërcendam in partibus Toloſanis, & per totam terram comitis Toloſani, anno MCCXXXIII. ſicut habetur & legitur in chronica magiſtri Guillelmi de Podio Laurentii. Hic tandem poſt multos bonos labores, in conventu Toloſano ſancte in Domino diem extremum clauſit, D fructus quietis & pacis æternæ a Domino percepturus, VIII. cal. Martii anno Domini MCCLVII. ut æſtimo de anno ex auditis.

Secundus prior frater Gerardus de Fracheto, de caſtro Luceti Lemovicenſis diœceſis, ſucceſſit fratri Petro Cellani anno Domini MCCXXXIII. Præfuit autem annis XII. gratioſus Deo & hominibus, perſona cunctis ſpectabilis, prædicator facundus & fœcundus. Hic locum primum conſulte dimiſit, incommoda plura & ineptitudines ejus prudenter conſiderans & attendens, & locum ſecun- E dum ubi habitamus diſcrete & ſollicite emit, & beata Virgo MARIA cum Filio ſuo, immo filius meritis & precibus piæ matris ſuæ per ſervum ſuum dominum AYMERICUM *Palmutz* canonicum Dauratenſem miraculoſe perſolvit. De hoc habetur in Vitis fratrum lib. I. cap. VI. *Cum fratres Lemovicenſes, &c.* de quo loco fuerat viſio cœlitus præmonſtrata, ſicut habetur in eodem lib. I. cap. IV. *Narravit mihi quidam honeſtus civis Lemovicenſis, &c.* Hunc locum & ordinem honoravit multipliciter & promovit. Hic fuit prior

A provincialis hujus provinciæ octavus. Librum quoque, qui Vitas fratrum inſcribitur, ipſe compilavit & ſtudioſe recollegit, quinque libellis ipſum diſtinguens, ad mandatum venerabilis patris fratris HYMBERTI magiſtri ordinis. Tandem plenus dierum & operibus bonis in ſenectute bona migravit ad Dominum in conventu Lemovicenſi, in feſto B. Franciſci, IV. nonas Octobris, anno Domini MCCLXXI. ætatis ſuæ anno LXVI. ab ingreſſu vero ordinis anno XLVI. quem intravit Pariſius, in feſto B. Martini anno Domini MCCXXV. ſub fratre MATTHÆO priore, B & in ſequenti feſto Annunciationis Dominicæ, in manu magiſtri Jordanis profeſſionem fecit, ſicut ſcriptum inveni de manu ſua in quodam libro ſuo. Sepultus eſt in clauſtro prope oſtium eccleſiæ, ubi habentur ſculpti in lapide ſequentes verſus.

Frater Geralde de Fracheto pie valde.
Tertius hic a te capitur locus immediate
Ordo, genus, vita, diſcretio, lingua polita,
Fama, pudor, pietas te laudant, pax, amor, ætas.

Tertius prior frater Hugo de Mala-morte Lemovicenſis diœceſis, ſucceſſit fratri Geraldo de Fracheto anno Domini MCCXLV. vel XLVI. præfuitque annis quinque. Hic fuit nobilis genere & animi virtute, vir magni rigoris & bonæ diſcretionis. Fuit etiam prior Burdigalenſis, ubi fuit in archiepiſcopum nominatus opinionis & famæ præclaræ. Hic obiit in conventu Lemovicenſi IV. cal. Januarii anno Domini MCCLXIII. Tandem poſt aliquot annos ad inſtantiam venerabilis viri domini Eliæ de Mala-morte decani Lemovicenſis, & aliorum parentum ſuorum nobilium, tranſlatum eſt corpus ejus ad fratres Brivenſes, ubi avunculus & nepos in Domino requieſcunt.

Quartus prior Stephanus de Salanhaco Lemovicenſis diœceſis bis, prima vice ſucceſſit fratri Hugoni de Mala-morte anno Domini MCCL. fuitque inde tranſlatus in priorem Toloſanum anno Domini MCCLIX. Hic frater Stephanus fuit in omni ſtatu & geſtu ſuo religionis ſpeculum aſpicientibus, gratia prædicationis & ſermonis benedictus in verbo audientibus, prudentia & ſapientia præditus in regimine, facundia & eloquentia redimitus, experientia multa edoctus, in his quæ religionis ſunt optime inſtructus, enarrator geſtorum & antiquitatum, ac exemplorum notabilium gratioſus & copioſus, morum ac geſtuum maturitate compoſitus, famoſus in tota patria, de quo adhuc infra.

Quintus frater Elias Navarra, Lemovicenſis diœceſis, ſucceſſit fratri Stephano, præfuitque anno I. Hic fuit vir ſanctus & devotus, veræ religionis ſpeculum & imago, veneranda valde perſona, fervens & gratioſus prædicator, in correctione rectus & conſtans, zelo ſalutis aliorum, velut alter Elias

ſuccenſus. Hic fuit ſubprior Toloſanus, & prior Narbonenſis & Carcaſſonenſis & Figiacenſis. Tandem in ſenectute bona obiit in conventu Brivenſi in calendis Septembris anno Domini MCCLXX. Sepultus jacet in clauſtro, prope oſtium capituli ad lævam introeuntibus.

Sextus prior frater Geraldus de S. Valerico, Lemovicenſis diœceſis, ſucceſſit fratri Eliæ Navarra anno Domini MCCLX. prior fuit annis V. Fuit autem abſolutus in capitulo generali Montis-Peſſulani anno Domini MCCLXV. Hic de monacho S. Martialis factus eſt Prædicator devotus & fructuoſus, gratus, & lætus & largus, & perſona venerabilis, tandem in ſenectute bona in conventu Lemovicenſi, in die Natalis qua Chriſtus natus eſt mundo, natus eſt ipſe, ut pie creditur, in cœlo: illuceſcente ſiquidem aurora illius dici ſancti, voluit & petiit, ut fratres ſervitores qui ei infirmo aſſiſtebant, coram ſe ſibi dicerent officium miſſæ matutinalis, quæ dicitur in aurora, ſcilicet, *Lux fulgebit hodie ſuper nos, &c.* quo devote & attente audito & expleto, gratias agens Deo, ait: Cariſſimi fratres, officium miſſæ majoris, ſcilicet, *Puer natus eſt nobis, &c.* audiam in cœlo cum angelis. Et poſt paululum in Domino obdormivit, & in miſſa conventuali corpus ejus fuit in choro fratrum anno ejuſdem Domini benedicti MCCLXXX. Sepultus eſt in clauſtro ante limen eccleſiæ, ubi epitaphium ejus ſequentes continet verſus.

Hic ſitus eſt frater Geraldus de S. Valerico,
Subveniat mater Chriſti pietatis amico.
Gratus, amans, hilaris, Chriſto florem juvenilis
Obtulit ætatis, ſuſceptus in ordine gratis.
In matutino, medio placuit quoque trino
Ac uni Domino tempore ſerotino.
Sic ubi complevit annos ter in ordine quinos
Et decies trinos, moriens in pace quievit.

Frater Stephanus de Salanhaco prædictus ſecunda vice ſucceſſit fratri Geraldo de ſancto Valerico anno Domini MCCLXV. Tempore prioratus ſui hac ultima vice, intravit ordinem & ſuſcepit habitum de manu ipſius in conventu Lemovicenſi venerabilis pater dominus PETRUS DE S. ASTERIO epiſcopus Petracoricenſis anno MCCLXVII. qui annis triginta tribus epiſcopatum digne & laudabiliter gubernarat. In ordine vero annis octo, menſibus quatuor cum dimidio vixit Lemovicis laudabiliter & honorabiliter, obiitque feliciter pridie idus Julii, Dominica die, anno Domini MCCLXXV. Sepultus eſt in medio chori fratrum. Tempore quoque prioratus fratris Stephani hac ſecunda vice anno Domini MCCLXIX. fuit inchoatum & fundatum dormitorium ex parte inferiori verſus hortum, & memoratus dominus PETRUS Petragoricenſis epiſcopus primarium lapidem poſuit in eodem, de cujus bonis tam in vita ipſius, quam poſt mortem, fuit quaſi perfectum & conſummatum. Hic frater Stephanus inchoavit tractatum brevem & devotum devotis, de quatuor in quibus Deus Prædicatorum ordinem inſignivit: quem ego in notulis ſcriptum de manu ſua ſemi-imperfectum reperiens diligentius recollegi, ipſum compingens noviter reformavi, pleraque ſuperaddidi in locis ſuis ſecundum exigentiam materiæ, quam invenecram in eodem. Prior fuit Lemovicis tam prima quam ſecunda vice, in univerſo annis XVI. fuitque abſolutus hac vice in capitulo generali Montis-Peſſulani anno Domini MCCLXXI. Hic fuit prior Podienſis & Toloſanus. Tandem plenus dierum quaſi ſexagenarius in ordine obiit Lemovicis VI. idus Januarii, anno Domini MCCXC. ſepultus in clauſtro ante oſtium eccleſiæ.

Septimus prior frater Nicolaus de Monte Maurilii, (ſic cognominatus erat) Lemovicenſis diœceſis origine, ſucceſſit fratri Stephano de Salanhaco, vir ſuavis moribus, & optime litteratus. Fuit prior anno quaſi dimidio. Fuit autem abſolutus ibidem a priore provinciali fratre Petro de Valetica anno Domini MCCLXXI. poſt natale Domini. Hic multis annis rexit & tenuit ſtudium generale in Monte-Peſſulano, ac ſtudium Toloſanum ſolemniter & honorabiliter utrobique, & in Burdegalis. In conventu vero Lemovicenſi legit & docuit pluſquam quindecim annis. Tandem legens canonicis in ſede cathedralis eccleſiæ Narbonenſis, in cathedra more doctoris ſedens, & cum mirabili fervore & devotione exponens illud Eccli. XXIII. *Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano, &c.* de ſapientia increata & de natura humana in Chriſto, & de Virgine beata, dulciter & quaſi imperceptibiliter, cunctis aſtantibus ſibi, feliciter in Domino obdormivit feria VI. ante aſcenſionem Domini de mane, quod fuit III. idus Maii, anno Domini MCCLXXIX. Et ſic aſſumſit eum Deus in officio in quo placuerat ei, ſicut ſæpe audivi a pleriſque, & ſpecialiter a fratre Hugone de Roſiniaco de conventu Brivenſi, qui ſocius ejus erat, & vidit & audivit. Sepultus eſt Narbonæ in clauſtro fratrum ante oſtium capituli.

Decimus nonus prior omnium minimus ſucceſſi ego frater Bernardus Guidonis fratri Stephano Laurelli in vigilia B. Bartholomæi apoſtoli, Burdigalis confirmatus, anno Domini MCCCV. In ſequenti vero tempore Paſchali, anno Domini MCCCVI. in feſto B. Georgii martyris, quod fuit in ſabbato, dominus CLEMENS papa V. cum octo cardinalibus venit Lemovicam, & ad domum fratrum Prædicatorum declinavit, ſine diverticulo ad manendum, ubi conceſſit priori præſenti, agenti gratias & petenti, quod confeſſor quem ſibi eligeret & ipſe prior ſuper fratres, & confeſſores quos ipſe prior fratribus deputaret, pro una vice eamdem & tantam haberent

in omnibus poteſtatem in foro pœnitentiali & abſolvendi & diſpenſandi ab omnibus culpis & pœnis citra purgatorium, quantam ipſe papa. In craſtino vero in quo fuit dies Dominica, littera dominicali B. idem papa viſitato prius corpore S. Martialis, & benedictione data, populo congregato in platea S. Geraldi, receſſit apud Solemniacum verſus Burdigalam dirigens greſſus ſuos. Hoc eodem anno Domini MCCCVI. facta fuit libraria pretio centum librarum & amplius. Prior fui anno uno & dimidio. Fui autem abſolutus per litteram magiſtri ordinis, & factus inquiſitor Toloſanus per litteram prioris provincialis Franciæ, receptis inde litteris utriuſque Lemovicis in feſto beati Marcelli papæ XVII. calendas Februarii anno Domini M. CCCVI.

FUNDATIO CONVENTUS BAYONENSIS.

ANno Domini MCCXXI. vel XXII. incœpit fundari conventus fratrum Prædicatorum in Bayona. Conventum Bayonenſem recepit frater Pontius de Samatano, qui fuit de primitivis fratribus & ſociis B. Dominici, ut audivi ſerioſe referri a quodam ſeniore fratre illarum partium, ſcilicet fratre Petro de Fabrica. Hunc æſtimo fuiſſe primum priorem ibidem, ſed aliter non inveni.

Frater Geraldus Bermundi Petragoricenſis diœceſis, ſucceſſit fratri Johanni de Palagrua. Tempore ſui prioratus contigit illud magnum incendium in Bayona, quo totus fere conventus noſter igne devorante conſumtus eſt, anno Domini MCCXC. Hic autem ad conſolationem & ædificationem legentium notandum eſt & ſcribendum miraculum, quod ibidem apparuit, nulla oblivione delendum. Siquidem Corpus Chriſti in hoſtia conſecrata, quod in quadam parvula capſula lignea de Ebeno, & infra capſulam in vaſe argenteo ſervabatur, fuit tunc in quodam armario lapideo infra ſacriſtiam tranſpoſitum & repoſitum cum calicibus & aliis vaſis argenteis pretioſis & reliquiis ſacroſanctis, ubi credebatur poſſe ab ignis incendio præſervari; ſed circum flagrantibus flammis, & igne invaleſcente, nedum eccleſia, ſed tota etiam ſacriſtia lapidea & teſtudinata conſumta eſt, & quæcumque erant in illo armario aut redacta fuerunt in favillam & cinerem, aut liquefacta penitus quæ erant in materia metallorum, & ipſa etiam capſula memorata, præter Corpus Chriſti, quod remanſit ſua ſola virtute penitus incombuſtum, quod poſtera die inter cineres ipſius incendii inventum eſt integraliter conſervatum, tam mirabiliter quam potenter. Panni vero qui intra vaſculum argenteum erant ex more, redacti fuerant in cinerem circumquaque, præter illas partes, quæ conſecratæ hoſtiæ ſubtus & ſupra immediatius adhærebant, quæ conſervatæ fuerunt, quantum rotunditas hoſtiæ capiebat, ut ſic veritas ſacramenti & divinitatis virtus ibi manifeſtius monſtraretur. Solus autem color hoſtiæ exterior fuit in rufum paululum immutatus, ut eſſet indicium manifeſtum, quod ignis affuerat, ſed non potuerat amplius agere, prohibente creatore domino JESU CHRISTO, qui in ſacramento Euchariſtiæ realiter & veraciter continetur. Aliter enim inſpecta fideliter veritate, fuit impoſſibile illam ſacram hoſtiam in tali articulo ſic conſervari illæſam. Qui vidit oculis & manibus contrectavit, ſingula mihi ſerioſius enarravit, & perhibuit teſtimonium veritati, frater Guillelmus Petri teſtis fidelis & verax, poſtmodum cardinalis epiſcopus Sabinenſis. Prior fuit annis tribus, fuitque abſolutus in capitulo provinciali Biterrenſi anno Domini MCCXCII. Hic frater Geraldus obiit in conventu Petragoricenſi, anno Domini MCCCIX. circa feſtum ſancti Martini.

FUNDATIO CONVENTUS CATURCENSIS.

ANno Domini MCCXXVI. fratres ordinis Prædicatorum Petrus Cellani Toloſanus, prior tunc in conventu Lemovicenſi, & Pontius de Montibus, vocati a venerabilibus patribus domino GUILLERMO epiſcopo Caturcenſi, & Pontio tunc ſacriſta, poſtea vero epiſcopo Caturcenſi, ad recipiendum locum in civitate Caturcenſi, ubi fratres Prædicatores manerent, ibidem Domino ſervituri. Raymundus vero Benedicti burgenſis de Caturco, infirmus corpore & morti propinquus, de medici ſui, videlicet magiſtri Arnaldi de Segis conſilio, dictos fratres, tunc in domo dominæ de Conconi reſidentes, eo quod adhuc ordo fratrum Prædicatorum locum non habebat proprium in Caturco, fecit vocari de nocte: qui ad dictum venerabilem ſacriſtam confeſtim accedentes, ad dictum infirmum una cum domino ſacriſta & medico ſupradictis venerunt, & donationem horti ſui, quem habebat juxta eccleſiam S. Deſiderii in carreria, quæ vulgariter dicitur *La Ferdana*, ab eodem infirmo receperunt: quam ſcilicet donationem dominus Guillelmus de Gordonio, tunc prior eccleſiæ cathedralis Caturci, totumque capitulum dictæ eccleſiæ approbaverunt liberaliter ac etiam conceſſerunt, quia erat in feodo ipſorum dictus hortus. Et recepit fratres venerabilis pater præfatus dominus GUILLELMUS DE CARDALHACO epiſcopus Caturcenſis, de totius ſui capituli & cleri conſilio & aſſenſu. Intraveruntque memorati fratres in poſſeſſionem dicti horti per manum domini Pontii de Autejano ſacriſta, in vigilia S. Thomæ apoſtoli anno prætaxato, & dominus Amalwinus de *Cabraretz* archidiaconus Figiacenſis, qui tunc tenebat eccleſiam prædictam ſancti

Vide Cruceū hiſt. epiſcop. Caturcenſiū pag. 93.

Deſiderii, tradidit fratribus dictam eccleſiam & domos eccleſiæ ad manendum ibi donec ædificaſſent in loco ſibi dato, ibique poſſent ſe mutare, & fuerunt fratres fere per annum in eccleſia memorata. Poſtmodum vero anno Domini MCCXXVII. fratres tranſtulerunt ſe ad locum qui fuerat eis datus, ubi fecerunt aliquot ædificia ad manendum, ubi longo poſt tempore fuit conventus fratrum, ædificata ibi eccleſia teſtudinata, & capella pro infirmis, ædificatoque clauſtro, dormitorio, infirmitorio, & omnibus aliis officiis; fueruntque ibi fratres uſque ad tempus domini Arnaldi Beralli, qui ex affectione ſpeciali motus, quam habebat ad ordinem, ipſos videns extra muros civitatis ſolitarios commorantes; nam tunc temporis paucæ domus extra muros habebantur, ipſos fratres arbitrans ibi indecenter commorari, rogavit eos ut ad locum honeſtiorem & villæ proximum ſe mutarent, deditque eis terram quam habebat ultra fluvium, prope eccleſiam S. Petri *de la Orta*, & centum libras Turonenſes, cum quibus ſua ædificia inchoarent. Ipſe quoque dominus Arnaldus Beralli poſtmodum ſepultus eſt in loco prædicto anno Domini MCCLXI. antequam fratres ſe mutarent de loco antiquo ad iſtum per tres annos, capitulumque ſuper eum fecit ædificari Arnaldus Beralli, heres prædicti domini Arnaldi, & ad inſtantiam domini PHILIPPI archiepiſcopi Bituricenſis, dominus BARTHOLOMÆUS epiſcopus Caturcenſis dedit monialibus Deauratæ, de conſenſu domini archiepiſcopi prædicti & totius capituli Caturcenſis, eccleſiam S. Georgii ſupra Caturcum ad duas leucas in ripa Olti, pro recompenſatione redituum, quos habebant dictæ moniales in hortis & terris prope eccleſiam S. Petri *de la Orta*, quos reditus & eccleſiam S. Petri *de la Orta* cum ſuo cimiterio & reditibus omnibus quos habebant dictæ moniales in prædicto cimiterio, prout vadit via de Caturco verſus *Blanetes* ex una parte, uſque ad crucem quæ vocatur de *Blanotes*; & ex alia parte prout vadit via ab eccleſia S. Petri verſus podium de *Miule*, & infra illos terminos nihil penitus retinuerunt, exceptis decimis ſuis. Domina vero prioriſſa Deauratæ de voluntate & aſſenſu conventus, domino BARTHOLOMÆO epiſcopo Caturcenſi dederunt, prout per inſtrumenta ſuper hoc confecta, & ſigillis prioriſſæ & conventus ſigillata apparet: quam eccleſiam prædictus epiſcopus Bartholomæus, de aſſenſu domini PHILIPPI archiepiſcopi Bituricenſis, ac aſſenſu ſui capituli Caturcenſis, priori & conventui fratrum Prædicatorum dedit modo & forma quibus ſupra. Per prioriſſam & conventum monialium B. Mariæ Deauratæ Caturci ſibi epiſcopo fuerunt data, ut fratres poſſent ſe dilatare circa locum, quem dominus Arnaldus Beralli eis dederat; & ex tunc cœperunt fratres ibi ædificare. Manſerunt autem fratres in primo loco veteri annis circiter XXXVI. Anno vero Domini MCCLXIV. in feſto cathedræ S. Petri, quod fuit in Dominica prima quadrageſimæ illo anno, mutaverunt ſe fratres de primo loco veteri ad iſtum ſecundum, & apportaverunt oſſa fratrum & aliorum ſepultorum in primo loco.

FUNDATIO CONVENTUS BURDIGALENSIS.

ANno Domini MCCXXX. paulo ante archipræſule Burdegalenſi exiſtente viro venerabili in Chriſto patre domino GIRALDO DE MALA-MORTE Lemovicenſis diœceſis, magno fratrum & ordinis amatore & promotore, dominus Amantius Columbi Burdegalenſis civis inſignis & famoſus, ſtudioſe & affectuoſe cum multo deſiderio optabat & laborabat, quod fratres Prædicatores apud Burdegalam advenirent, & conventum ibidem acciperent & haberent. Verum paulo ante quam completum eſſet deſiderium boni viri, morte media ſubtractus eſt ab hac luce: ideoque ſepeliri elegit apud S. Andræam, (*a*) conventu Prædicatorum nondum poſito in Burdegala civitate: renuntians prius omnibus quæ habebat, in manibus præfati archiepiſcopi, in quibus poſuit ſe & ſua, ut pro ipſo ſalubriter ordinaret, tam de anima ſicut pater ſpiritualis, quam de rebus tamquam diſpenſator fidelis & prudens: bonus quippe vir erat: qui de bonis ipſius domini Amantii magna ex parte, ut creditur, aut ſuis propriis fecit fratrum eccleſiam fabricari, & feciſſet cum teſtudine lapidea, ſi fratres illius temporis voluiſſent; fecit etiam refectorium infirmitorii cum camera ſibi adhærente. Memoratus vero dominus archiepiſcopus obiit anno Domini MCCLXI. vel LXII. Sepultus eſt in monaſterio de Corona (*b*) Engoliſmenſis diœceſis, cujus anniverſaria dies a fratribus Burdigalenſibus recolitur VIII. idus Februarii annuatim. Cui ſucceſſit per proviſionem domini papæ venerabilis dominus PETRUS Vaſculus natione, domino rege Navarræ, cujus erat clericus, id fieri procurante.

Dominus vero Gahaldus Columbi, filius & heres præfati Amantii loco patris ipſius ſequens veſtigia in amore, fratribus ſe exhibuit in patronum, qui loco & fratribus plurima bona fecit, & facit ejus poſteritas conſequenter. Hic vero obiit quinto idus Januarii anno Domini MCCLXXVIII. Sepultus eſt in eccleſia in loco ubi miniſtri altaris reſident ad dextram, & juxta ipſum condita jacet fidelis & devota conjux ſua nobilis domina *Tremcalem*, magna fratrum domina & amica, quæ obiit pridie calendas Septembris anno

(*a*) Eccleſiam ſcilicet cathedralem, quæ ſancto Andreæ ſacra eſt.

(*b*) Canonicorum regularium ordinis S. Auguſtini.

Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo octavo.

Anno Domini MCCXXX. dominus Gregorius papa IX. præcipiendo mandavit archiepiſcopo Burdigalenſi, ut benediceret cimiterium fratribus Prædicatoribus in parochia S. Severini Burdigalenſis; quod niſi fieret, mandabat epiſcopo Convenarum quod ipſe benediceret. Extat inde littera bullata in depoſito, pontificatus ipſius anno IV.

Anno Domini MCCLXIII. vel IV. fuit conſecrata eccleſia fratrum Prædicatorum Burdigalenſis per venerabilem virum dominum Petrum archiepiſcopum Burdegalenſem natione Vaſculum memoratum, qui fuit bonus amicus & beneficus fratrum. Hic obiit anno Domini MCCLXX. Sepultus jacet in eadem eccleſia in medio chori fratrum.

Nobilis vir dominus Simon de Monteforti fecit fieri propriis ſumtibus dormitorium infirmitorii valde pulchrum; cujus una filia parvula condita jacet in capella S. Petri apoſtoli, ad ſiniſtram.

Dominus Guillelmus Columbi miles magnificus, fecit fieri refectorium fratrum & capellam infirmitorii ſuis ſumtibus. Hic jacet in eccleſia prope introitum ſacriſtiæ.

Frater Julianus fuit prior Burdegalenſis, vir ſanctus & bonus, de quo legitur in Vitis fratrum, quod cum iturus eſſet ad capitulum generale in Angliam apud Londonias, pro provincia diffinitor, multis honeſtis perſonis obitum ſuum prædixit, ſalutans eas quaſi amplius non viſurus. Cum igitur in conventu Belvacenſi provinciæ Franciæ infirmus ad mortem veniſſet, viſum eſt eadem die cuidam religioſæ perſonæ oranti in eccleſia fratrum Prædicatorum Burdigalenſium, quæ diſtat per duodecim diætas a Belvaco, quod appareret ei in nube lucida elevari a terra ſolus; cumque quæreret ab eo quo iret, & quare ſolus erat, reſpondit: Ego vado ad Dominum. Non timeas autem quia ſolus ſum, quia in brevi integrum conventum adducam mecum. Perſona autem quæ hoc viderat, ſubpriori domus, viro valde religioſo, cum multo fletu dictam retulit viſionem, & obitum prioris prædixit, qui diem & horam notans, invenit eadem die & hora dictum priorem migraſſe, videlicet V. nonas Maii anno Domini MCCL. Viſionem autem rei poſtmodum comprobavit eventus. Nam infra illam ætatem lector & undecim fratres obierunt in conventu Burdigalenſi.

Frater Hugo de Malamorte Lemovicenſis diœceſis, ſucceſſit fratri Romæo, fuitque abſolutus in capitulo provinciali Narbonenſi anno Domini MCCLXII. Hic eo tempore quo erat prior Burdigalenſis fuit electus in archiepiſcopum ab una & majori parte capituli, non tamen acceptavit, ſed nec intromittere ſe voluit. Hic fuit vir nobilis genere & animi virtute. Fuerat autem prior Lemovicenſis tertius, ubi poſtmodum obiit IV. calendas Januarii anno Domini MCCLXIII. Tranſlatus inde quieſcit in conventu Brivenſi.

FUNDATIO CONVENTUS Petragoricenſis.

Sicut colligere potui ex auditu unius potiſſime ſenioris temporis primitivi, anno Domini MCCXLI. vel circa fratres Prædinatores venerunt apud Petragoram civitatem, ut ibidem locum & domum acciperent ad manendum: inter quos fuit unus frater Johannes Baliſtarii Lemovicenſis, præſulante inibi tunc temporis viro dignæ ſemper memoriæ domino PETRO DE S. ASTERIO, a quo fratres paterne & benigne fuerunt recollecti. Hic enim cum ſuo capitulo canonicorum, in quo plures perſonæ reverendæ & magnæ probitatis florebant, dedit fratribus & locum & eccleſiam S. Martini extra mœnia villæ, cum ſuis pertinentiis & ædificiis, ubi erat eo in tempore prioratus quidam pertinens ad monaſterium canonicorum S. Johannis de Cola, & unus canonicus ſub nuncupatione prioris inibi morabatur; data prius ab ipſo epiſcopo & capitulo recompenſatione condigna monaſterio & canonicis memoratis. Primo ſiquidem habuerunt canonici in recompenſationem ab epiſcopo eccleſiam *Dentolon*, qua eccleſia poſtmodum dimiſſa, habuerunt & habent uſque hodie loco ejus pacifice & quiete eccleſiam S. Martini, quæ eſt infra villam. De præfata vero eccleſia S. Martini, quam fratres Prædicatores acceperunt, fecerunt ipſi fratres dirui caput quod rotundum erat, & reſiduum eccleſiæ quod remanſit, eſt uſque hodie capella infirmitorii. Dedit etiam fratribus dominus epiſcopus memoratus bonam ſummam pecuniæ, pro fratrum ædificiis conſtruendis, & aliam ſummam canonicis S. Johannis de Cola memoratis, pro antiquis ædificiis, quæ in loco fratribus remanſerunt. Unde non immerito ipſe dominus epiſcopus fuit conventus & fratrum Prædicatorum in Petragora vere pater & patronus, tandemque in ordine in conventu Lemovicenſi verus frater, ubi ſuſcepit habitum ordinis, epiſcopatus ſui anno XXXIII. feliciter & ſtrenue conſummato, anno Domini MCCLXVII. in quo quidem ordine laudabiliter & honorabiliter vixit annis VIII. menſibus IV. & dimidio, ſicque ibidem feliciter diem clauſit extremum pridie idus Julii Dominica die, anno Domini MCCLXXV.

Notandum autem quod ſicut fidelis tradit antiquitas & narratio ſeniorum, in præfato loco, qui nunc eſt Prædicatorum, fuit abbatia in qua S. Eparchius de nobili proſapia comitum Petragoræ trahens originem, monachus & pater extitit monachorum, quæ ut fertur, deſtructa & deſolata fuit, quando

Petragoricenſis fuit civitas devaſtata circa annum Domini DCCCXL.

FUNDATIO CONVENTUS Carcaſſonenſis.

ANno Domini MCCXLVII. menſe Septembri piiſſimus rex Francorum S. LUDOVICUS mandavit per ſuas litteras *(a)* ſeneſcallo ſuo Carcaſſonenſi, quatenus in burgo novo Carcaſſonenſi aſſignaret fratribus Prædicatoribus plateam unam, in qua poſſent ædificare ſibi congruam manſionem, quod & factum extitit in primo loco in quo primitus habitarunt annis circiter quinque, nondum tamen cum priore, ſed cum vicario, ſicut moris eſt ordinis in locis novis fieri, ad loci ipſius promotionem & diſpoſitionem.

Anno Domini MCCLII. in actis capituli provincialis Montis-Peſſulani fuit conventus in Carcaſſona regulariter poſitus & receptus. Et primus prior inſtitutus frater Ferrarius Catalanus, & primus lector aſſignatus frater Petrus Regis de Fano-Jovis, & fuerunt aſſignati fratres Lucas Figiacenſis dictus Amans-Deum, Johannes de Carcaſſona, ſic dictus, erat tamen Gallicus natione, nepoſque domini CLARINI epiſcopi Carcaſſonenſis, Petrus de Lodova, Ferrarius de Podio-Richardi, Raymundus de Oliva, Raymundus de Hertio, Raymundus de Malo-leone, Raymundus Sicredi Carcaſſonenſis, Geraldus de Podio Sutor, Geraldus de Agriſolio, Petrus *de Labatut*.

Anno Domini MCCLV. II. die Octobris memoratus rex dominus LUDOVICUS inter cetera beneficia regiæ pietatis, quæ prius contulerat fratribus dicti loci, contulit & providit, ut pius patronus, regia munificentia ampliori quindecim ſolidos Turonenſes pro pittantia ſingulis ſeptimanis, & duodecim libras Turonenſes, pro habendis tunicis annuatim, quam eleemoſynam ex tunc & deinceps uſque in præſentem diem fratres liberaliter percipiunt, completis jam circiter ſexaginta annis, calendis Octobris, quo hæc ſcripſi anno Domini MCCXV.

Anno Dñi MCCLV. in feſto apoſtolorum Simonis & Judæ, Atace fluvio nimium inundante, & proprii alvei ripas exeunte, hunc locum primum aqua fluminis toraliter occupavit: ideoque fratres locum primum dimittere ſunt compulſi, & exierunt inde in feſto SS. omnium ſubſequenti, & in civitate ſuperius in domo epiſcopali a domino GUILLELMO RADULPHI tunc temporis præſulante fuerunt caritative ſuſcepti, ubi anno uno integro revoluto & amplius, quantum eſt a feſto omnium Sanctorum uſque ad primam Dominicam Quadrageſimæ ſubſequentis permanſerunt. Erat tunc prior frater Raymundus de Foro-Julio. Manſerunt autem fratres in primo loco annis circiter octo.

Notandum incidenter quod conventus Carcaſſonenſis & Agennenſis fuerunt in uno eodemque provinciali capitulo in Monte-Peſſulano celebrato regulariter inſtituri, ſicut patet infra. Tamen quia fratres prius fuerunt in Carcaſſona quam in Agenno, ut patet infra, & quia conventus Carcaſſonenſis in actis ejuſdem capituli prius fuit pronunciatus & ordinatus quam Agennenſis, ſicut in Actis ejuſdem capituli vidi plenius contineri; ideo conventus Carcaſſonenſis locum & gradum prioritatis in ordine jure meruit obtinere. Simile habetur de provinciis diviſis in capitulo generali Colonienſi anno Domini MCCCI. Item, in capitulo generali Biſuntino anno Domini MCCCIII.

Anno Domini MCCLVI. VII. calendas Februarii venerabilis pater memoratus dominus GUILLELMUS RADULPHI Carcaſſonenſis epiſcopus, de aſſenſu & voluntate capituli S. Nazarii, voluit & conceſſit fratri Ferrario & fratri Guillelmo Raymundi priori fratrum Prædicatorum tunc temporis in Narbona, & fratri Garino præſentibus volentibus & petentibus pro ordine, locum habere in territorio nuncupato de Aquis-mortuis, quod tunc erat de juriſdictione & dominio epiſcopi & capituli memorati, in quo poſſent fratres ædificare manſiones, hortum, eccleſiam, quantum neceſſe foret conventui conſtruendo, ſub pacto & conventione, quod fratres darent & penitus aſſignarent alibi domino epiſcopo recompenſationem condignam, pinguiorem & utiliorem pro omnibus quæ idem epiſcopus in dicto loco pleno jure tanſquam dominus poſſidebat: quod pro fratribus ſanctus LUDOVICUS pius rex Franciæ, ipſorum fratrum in Carcaſſona ab initio ſpecialis dominus & patronus, infra annum penitus adimplevit.

Anno Domini MCCLVII. præfatus rex & dominus LUDOVICUS emit & redemit pro fratribus hunc locum ſecundum, in quo nunc habitant Carcaſſonæ, qui de Aquis-mortuis nuncupatur, a domino Carcaſſonenſi epiſcopo, ad cujus juriſdictionem & dominium pertinebat, dato ab eodem domino rege præfatis epiſcopo & capitulo excambio pinguiori tam in cenſibus & reditibus, quam in aliis juribus quibuſcumque, cum pleno dominio apud Corbonacum, Sobroaunciacum, & Mouzanum, & in terminis eorumdem, prout in cartamentis & litteris inde confectis plenius continetur. Hunc locum ſic emtum & redemtum rex pius, dominus &

(a) Ex regis litteræ ex ſchedis Baluzii

LODOVICUS, *Dei gratia Francorum rex, dilecto & fideli ſuo* J. de Setard *ſeneſcallo Carcaſſonenſi, ſalutem & benedictionem. Mandamus vobis quatenus fratribus Prædicatoribus latoribus præſentium, ſine dilatione aſſignetis in novo burgo Carcaſſonæ quamdam plateam inter alias plateas quas civibus ejuſdem villæ vobis commiſimus aſſignandas, in qua poſſint ſibi ædificare congruam manſionem. Actum apud Vicenas anno Domini* MCCXLVII. *menſe Septembri.*

patronus dedit fratribus & ordini, & amplius ducentas libras Turonenſes pro ædificiis conſtruendis. Hunc locum intraverunt primitus fratres ad habitandum conventualiter Dominica prima Quadrageſimæ, anno Domini MCCLXVI.

De eleemoſyna conventus.

Dominus rex Franciæ dat conventui fratrum Prædicatorum Carcaſſonenſi eleemoſynam annualem quinquaginta unius librarum, decem ſolidos Turonenſes, quam recipiunt fratres a theſaurario Carcaſſonenſi domini regis annuatim liberaliter & de plano, in feſto S. Johannis Baptiſtæ annus incipit computari. Solebant autem olim multo tempore recipere in Salino Carcaſſonenſi domini regis ſolutionem dictæ eleemoſynæ, viginti ſolidos qualibet hebdomada, ſed poſtea ſic fuit mutatum. Incœpit autem iſta eleemoſyna dari a S. LUDOVICO, ſicut ſuperius eſt expreſſum, & ex tunc ſemper continuatum extitit amore Dei a regia pietate.

Venerabile quoque capitulum eccleſiæ cathedralis S. Nazarii Carcaſſonenſis cibum & potum, ſcilicet panem & vinum conventui porrigit una die ſingulis ſeptimanis. Solebant autem fratres recipere panem ſine numero, & vinum ſine menſura, prout & quantum neceſſe erat omnibus fratribus, quot fuiſſent in conventu ad ſufficientiam una die qualibet ſeptimana; ſed poſt modum extitit ordinatum, quod pro una die unum plenum barale vini, quod ſex migerias continet, & ſexaginta panes minores vel triginta magnos æquivalentes fratres reciperent in cellario S. Nazarii, ſicut ipſi canonici comedunt valde bonos.

Dominus vero epiſcopus Carcaſſonenſis ſimilem eleemoſynam in pane & vino dat conventui duobus diebus ſingulis ſeptimanis, ſicque fecerunt ab exordio præcedentes epiſcopi ſucceſſive, etiam ſede vacante, hoc idem procuratore capituli pro epiſcopo faciente. Retribuat eis Deus.

Ad marginem codicis legitur: Summa in blado quatuor modii tritici & undecim ſextaria. In vino autem ſeptem modii cum dimidio, id eſt triginta ſaumatæ vini pro epiſcopo tantum.

Quartus decimus prior frater Odo de Cauſentiaco, &c.

Notandum hic poſteris incidenter, quod tempore prioratus fratris Odonis anno Domini MCCXCV. Guillelmus Garrici, & Guillelmus Bruneti legum profeſſores de Carcaſſona, & quidam alii confeſſi prius de hæreſi & convicti, cum ſuis complicibus inſurgentes contra officium inquiſitionis & contra fratres, contumaciter & procaciter rebellarunt, & ſeditionem magnam in populo concitaverunt, & multa mala officio inquiſitionis & fratribus & amicis intulerunt, & multiplicata ſunt mala in terra ab eis, & plures additi ſunt ad eos, quod non eſt facile nec fas ſcribere per ſingula. Finis autem illorum confuſio & ignominia, & ſententia condemnationis ad murum, juſtitia exigente.

Quintus decimus prior nomine, ſed præcedentibus poſterior meritis & virtute ſucceſſi fratri & patri Odoni de Cauſentiaco memorato, ego frater BERNARDUS GUIDONIS Lemovicenſis diœceſis. Fui autem tranſlatus de prioratu Albienſi, in quo quartum tunc agebam annum, ad prioratum Carcaſſonenſem ſabbato poſt feſtum B. Dionyſii, confirmatus in monaſterio Pruliani anno Dñi MCCXCVII. Servivi autem in Carcaſſona IV. annis, a cujus pœna, utinam magis a culpa fui abſolutus in capitulo provinciali Agennenſi, in feſto beatæ Mariæ Magdalenæ celebrato, data definitione in feſto SS. Felicis & Adaucti martyrum anno Domini MCCCI. quo præmiſſa collegi & conſcripſi.

Notandum hic poſteris incidenter, quod etiam tempore meo rabies Carcaſſonenſis adhuc graviter ſæviebat: mala vero quæ faciebant & inferebant inquiſitioni & fratribus & amicis melius puto hic reticere, quam ſingula ſcribere, propter honorem multitudinis, quæ tamen omnino non poterat excuſari, licet in ea fuerint aliqui qui non conſentiebant actibus malignantium contra fratres: qui fratres verbis & ſignis diridebantur & deshoneſtabantur ſæpiſſime & verberibus interdum, & tamquam excommunicatos ipſos fratres a ſua communione & partipatione penitus effecerant alienos, alia pudet dicere. Tandem poſtquam in utraque curia, ſcilicet Romana & Franciæ decidiſſent, expenſis prius non parvis pecuniis & theſauris, venerunt ad obedientiam inquiſitoris fratris Nicolai de Abbatis-villa, & congregata univerſitate Carcaſſonenſi voce præconia coram ipſo inquiſitore, die ad hoc aſſignata, in publico ſermone, in clauſtro fratrum Prædicatorum Carcaſſonæ, præſente ſeneſcallo cum curia regali & terrariis, recognoverunt reatum ſuum, & petierunt abſolvi ab inquiſitore & reconciliari, & obtinuerunt ibidem, jurantes elevatis ad librum evangeliorum manibus ſingulorum, fueruntque condemnati per inquiſitorem ad faciendam capellam unam in honore S. Ludovici in conventu fratrum Prædicatorum Carcaſſonæ. Actum fuit anno Domini MCCXCIX. menſe Octobri, capella vero fuit conſtructa anno ſequenti MCCC. pro qua facienda & ornanda ſolvit villa Carcaſſonenſis nonaginta libras Turonenſes.

Sextus decimus prior ſucceſſit mihi, qui me præcedebat ætate, gratia & ſapientia frater Bertrandus de Claromonte, &c. Notandum hic incidenter quod tempore pra-

tus ſui rabies Carcaſſonenſis, quæ olim diu ſæviebat contra officium inquiſitionis & fratres, ut prætactum eſt, & tunc extincta, vel ſaltem ſopita videbatur & credebatur, fuit iterum excitata ſub Johanne de Pinquonio vicedomino Ambianenſi, confœderatis in malum Albienſibus & Corducnſibus cum Carcaſſonenſibus, incentore malorum fr. Bernardo Delitioſi de ordine Minorum, duce & vexillario iniqui exercitus contra fratres & officium inquiſitionis Elia Patricii de Carcaſſona, qui regulus Carcaſſonenſis videbatur, proditore veri regis. In tantumque aſcendit ſuperbia & deſævit malitia prædictorum, quod hæreticales & eorum complices fratribus Prædicatoribus in perſonis & rebus ipſorum verbis & verberibus plures injurias irrogarunt, & damna plurima intulerunt, & domos ac hoſpitia plurium hominum de burgo Carcaſſonæ uſque ad quindecim in odium inquiſitionis & fratrum, quibus ipſos adhærere credebant, diruerunt, & ſpoliaverunt publice & de die, turba coadunata irruentes & clamantes ad proditores maſcaratos in feſto ſancti Laurentii, quod fuit in ſabbato anno Domini MCCCIII. ſed ultore Deo tandem non tulerunt impune.

Decimus ſeptimus prior frater Pontius de Torellis, &c.

Notandum hic incidenter, quod anno Domini MCCCIV. in vigilia S. Andreæ fuerunt ſuſpenſi Carcaſſonæ quadraginta homines de Limoſo, propter proditionem in quam conſenſerant contra regem Franciæ, ut terram redderent regi alteri, & alii plurimi aufugerunt, & poſtmodum fuit villa Limoſi condemnata in magna pecuniæ quantitate, & privata conſulatu.

Decimus octavus frater Geraldus de Blumaco ſucceſſit fratri Pontio prædicto. Hoc tempore fuit coopertura illius pulchræ porticus ante ingreſſum eccleſiæ Paſchali tempore conſummata, cujus opus lapideum prius fuerat inchoatum, & uſque ad cooperturam perductum, anno Domini MCCC. Bernardus Manifacerii ſolvit majorem partem expenſarum ab initio. Prior fuit annis duobus & dimidio, fuit autem abſolutus in capitulo Rivenſi anno MCCCVIII.

Notandum ad perpetuam rei memoriam, quod anno MCCCV. revelata fuit proditio & iniquitas proditorum de Carcaſſona contra regem Franciæ, cujus complex & conſcius & tractator fuit frater Bernardus Delitioſi de ordine Minorum, & Elias Patricii, & Aymericus Caſtelli cum pluribus aliis de Carcaſſona, de Limoſo, & detecto proditionis tractatu, & veritate comperta per inquiſitionem curiæ, comprehenſi fuerunt in malis ſuis proditores plures in vigilia B. Bartholomæi apoſtoli, dictuſque Elias Patricii & quatuordecim alii proditores ſimul tracti per villam & ſuſpenſi fuerunt ad ſolem in patibulis de novo & ſolemniter erectis juxta viam publicam, juſtitia exigente, in vigilia S. Michaëlis, anno Domini MCCCV. Et qui prius inſaniendo contra fratres Prædicatores voce corvina crocitabant, corvis fuerunt expoſiti crocitandi. Nam poſtea in patibulo corvi viſi fuerunt picantes & crocitantes in cervicibus eorumdem, ſicut teſtati ſunt qui viderunt, pluresque alii ſimiles in culpa fuiſſent ad pœnam ſimilem condemnati, niſi domini CLEMENTIS papæ V. apud regem clementia & compaſſio interveniſſet. Aymericus vero Caſtelli fugæ præſidio evadens, tandem captus fuit in Petra Buſeria Lemovicenſis diœceſis, & diu in carcere regis tentus, procibuſque multorum & pecunia multa ereptus a mortis ſupplicio. Pius autem rex PHILIPPUS interventu papæ pepercit multitudini a morte & exilio, non tamen a mulcta: unde communitas Carcaſſonæ privata fuit conſulatu, & condemnata in maxima pecuniæ quantitate.

Decimus nonus prior frater Stephanus Laurelli Lemovicenſis diœceſis, ſucceſſit fratri Geraldo de Blumaco, confirmatus in priorem infra octavas aſſumtionis B. MARIÆ. Anno Domini MCCCVIII. dominica in quinquageſima, v. idus Februarii, frater GARINUS Cenomanenſis natione, epiſcopus Sagonenſis in Corſica, conſecravit tria altaria in eccleſia fratrum Prædicatorum Carcaſſonæ, ſcilicet altare B. Virginis Mariæ, & altare S. Annæ matris ejuſdem Virginis benedictæ, & altare S. Ludovici confeſſoris. Item ſequenti feria IV. in die cinerum, pridie idus Februarii, conſecravit altare S. Martini in capella ſacriſtiæ. Item anno Domini MCCCX. fuit conſummata illa pars clauſtri & capituli converſorum in ingreſſu conventus. Anno vero Domini MCCCXI. fuit facta altera pars clauſtri, quæ eſt ex parte dormitorii antiqui. Præfatus frater Stephanus fuit prior tribus annis. Fuit autem abſolutus in capitulo provinciali Burdegalenſi, in feſto aſſumtionis beatæ Mariæ, celebrato anno Domini MCCCXI.

Trigeſimus prior frater Petrus Guidonis Lemovicenſis diœceſis, tranſlatus de prioratu Petragoricenſi, ubi ſecundum agebat annum. Fuit confirmatus in priorem Carcaſſonenſem circa feſtum B. Michaëlis anno Domini MCCCXXV. Tempore hujus fuit emendata prima camera de camino in retrocamera. Hic etiam fecit ſcribi de bonis conventus in duobus voluminibus Vitas Sanctorum, a domino Lodovenſi patruo ſuo compilatas. Hic etiam obtinuit a domino rege PHILIPPO ſub anno eodem cum tranſiſſet per Carcaſſonam, in feſto videlicet Purificationis, mediante & promovente fratre Henrico de Chamayo inquiſitore tunc Carcaſſonenſi, quod in molendino regio, quod eſt juxta civitatem in fluvio Atacis, perpetuis temporibus

bus molatur totum bladum pro fratribus & familia ipſorum neceſſarium libere & abſque quacumque rediventia ſive cuſtu. Et de hoc extat littera regia cum ſigillo viridi, quæ in majori depoſito conſervatur.

FUNDATIO CONVENTUS AGENENSIS.

ANno Domini MCCXLIX. circa feſtum S. Catharinæ venerunt primitus fratres apud Agenum, ut ibidem acciperent ſibi locum, ſicut ibidem didici & audivi a fratre Guillelmo Fabri Agenenſi, qui illo anno Toloſæ intraverat ordinem in principio quadrageſimæ præcedentis.

Anno Domini MCCLII. in actis capituli provincialis Montiſpeſſulani fuit in civitate Ageni conventus fratrum ordinis Prædicatorum ex more regulariter poſitus & receptus, & primus prior inſtitutus Guillelmus de Blavia, & primus lector aſſignatus frater Galhardus *Dorſaut* vel de Urſi-ſaltu.

Frater Bernardus de Caucio inquiſitor & perſecutor ac malleus hæreticorum, vir ſanctus & Deo plenus, fuit fundator præcipuus & promotor conventus Agenenſis dum vivebat, ipſumque locum ſuo corpore dedicavit, qui poſt XXVI. annos & ampliùs elevatum a terra, & in eccleſiam ubi nunc jacet tranſlatum, totum integrum eſt inventum divino munere ſpecialis gratiæ tanto tempore conſervatum. Cujus tranſlationis ſeries & ordo & tempus in tenore ſequentis litteræ plenius continetur, quam ſcripſit ille qui præſens fuit & vidit ſingula ſeriatim, cujus tenor talis eſt:

In Chriſto ſibi cariſſimo patri & fratri N. frater BERNARDUS GUIDONIS ſinceræ caritatis plenitudinem cum ſalute.

Pius zelus quem habetis pro ordine, & ea dilectio quam ad conventum Agenenſem hactenus habuiſtis, & antiqua nec interrupta amicitia, quæ adhuc inter nos inviolabilis perſeverat, me inſtingant tranſlationem venerabilium patrum fratris Bernardi de Caucio, & fratris Bertrandi de Bello-Caſtro, & domini Arnaldi Belengarii vobis ſub brevis ſtili officio intimare. Igitur anno Domini M. CC. LXXXI. in craſtino S. Marci evangeliſtæ, frater Raymundus Chriſtiani & frater Nicolaus de Egodis, qui huic venerandæ tranſlationi jamdudum deſideraverant intereſſe, ſpeciali devotione ſanctorum virorum exhumationi & tranſlationi dabant operam efficacem. Cumque diſcooperto fratris Bertrandi de Bello-Caſtro corpore, inveniſſent, exceptis ſolummodo oſſibus, totum corpus conſumtum, & corpus domini Arnaldi Belengarii modo ſimili reperiſſent, corpus reverendi ac ſanctiſſimi patris fratris Bernardi de Caucio, quod exhumaverunt ultimo, abſque totius exhalatione fetoris integrum repercrunt. Et hoc quidem ſtupendum factum, hoc inſigne miraculum, divinæ non immerito providentiæ adſcribimus & virtuti, qui per XXVIII. annos, &, ut dicunt, amplius, voluit ſic ſervare integrum corpuſculum ſancti viri, maxime cum prædictorum duorum virorum corpora, nulla ea præſervante virtute, brevi in tempore corruptioni ſolitæ ſint ſubjecta; ſed mirum in modum mox ut exhumatum eſt corpus, & in loco collocatum decenti; factus eſt repente concurſus adeo vehemens & intolerabilis populorum, quod fratres aliqui cuſtodientes corpus, vix poterant confluentem populi multitudinem ſuſtinere: unde tandem gravati præ laſſitudine, preſſuram irruentium abrumpentes, ſine conventu & abſque ſolemnitate debita corpus ad eccleſiam tranſtulerunt, ubi etiam fere pondus ſe ingerentium non valentes ſuſtinere, corpus in ſacriſtiam tranſtulerunt. Ideoque populus ex ſubtracto ſibi corpore concitatus in verba in ordinata offenſam animorum oſtendentia prorumpebat, ſic quod corpus eſt in craſtinum cum veneratione debita conſervatum. Nos vero interim, ne vanitatis vel cupiditatis poſſemus notam incurrere, deliberatione provida decrevimus conſulere ſapientes, utrum oſtendendum corpus populo, an ſubtrahendum eorum aſpectibus foret. Quocirca facto mane, venerabilis prior S. Capraſii & officialis locum tenens domini epiſcopi Agenenſis, & dominus Raymundus *de Granhol* magiſter in decretis, plerique alii ſapientes de utroque capitulo (a) Agenenſi, necnon & quidam procores de conſulibus villæ in noſtro capitulo pariter convenerunt, ibique recitatis quibuſdam miraculis quæ geſſit, dum adhuc viveret, & vita ejus multipliciter commendata, diverſas ſententias proferebant. Quidam namque dicebant ſatisfaciendum populo, qui multus aderat, & quaſi continue veniebat. Alii autem dicebant ipſum potius occultandum. Ceterum cum in his immoraretur diutius, & hinc & inde in ſententia vacillarent, voluntas finalis & ſtabilis fuit fratrum, ut in miſſa quæ debebat a venerabili domino priore S. Capraſii ſolemniter celebrari, palam oſtenderetur populo, qui multus utriuſque ſexus in clauſtro & eccleſia expectabant. Sane tandem deputati ſunt fratres cuſtodes, nihilominus adhibiti ſæculares, qui dati, ut videtur mihi, erant nobis a bajulo & conſulibus, qui & corpori in miſſa aſſiſterent, & cum virgis & baculis interdum populum abigerent confluentem. Veniebant quippe homines hoc ſtupendum miraculum cernere cupientes, veniebant etiam mulieres, ad hoc biennes & triennes parvulos adducentes, ſtupor enim immenſus circumdederat omnes, quia ſanctum corpus tamdiu integrum fuerat ſic compertum. Facies quoque integra erat, ex-

(a) Eccleſiæ cathedralis ſcilicet & S. Capraſii.

cepto quod in naſo in principio erat valde modicum diminutus. Frons autem & mentum & os cum dentibus in ſua integritate manebant. Caput vero per collum medium ſine interruptione ipſi corpori inhærebat. Collum quidem ita groſſum erat, & guttur ſub mento, ſic etiam prominebat, quod non videbatur a die qua ſepultus fuerat diminutionem aliquam recepiſſe, pectus, brachia, manus, ventrem & latera mira integritas conſervabat. Pellis enim integra per totum mirabiliter ſcilicet ſuarum ſitum partium contegebat omnia ſupradicta. Unde ungues & rugæ ita diſtincte in pelle manuum apparebant, ſicut apparebant in eo ipſa die qua fuerat eccleſiaſticæ traditus ſepulturæ: ſed non minus mirabile eſt, quia virilia omnino integra erant, ſicut dicebant, qui hæc curioſius inſpexerunt. Unus tamen pes ſolutus inventus fuit a tibia. Et hoc, ut videbatur, contigit propter tumuli brevitatem. Sic quoque omnipotens Deus, cujus judicia incomprehenſibilia, cujus inveſtigabiles viæ, cujus conſilia *non mutantur, non ſolum antiquis temporibus* ad errores a cordibus fidelium exſtirpandos, & fidem in mentibus radicandam voluit in ſanctis ſuis ſe mirabilem exhibere; ſed & noſtris quidem temporibus ad ſpem proficientium ſublevandam, ad fidem catholicam roborandam, ad doctrinam evangelicam & apoſtolicam approbandam in ſancto iſto, qui & mirabilis in vita, mirabilis in doctrina, mirabilis in pravitate hæretica exſtirpanda, diſpoſuit poſt ipſius felicem obitum mirabilis apparere, eo quod a ceterorum communi corporum incineratione corpus ejus tam mirabiliter quam potenter integrum perſeveravit. Unde extollendus præconiis & laudibus venerandus, & gratiarum actione multiplici jugiter recolendus. Denique autem divino officio expleto, circa reliquias ſacroſanctas fratrem Bertrandum de Bello-Caſtro & dominum Arnaldum Belengarii, in præparatis ſibi infra eccleſiam tumulis poſuerunt. Sed fratrem Bernardum de Caucio non valuerunt in loco ſuo reponere, populo irruente, donec populus penitus de eccleſia receſſiſſet. Et tunc poſt receſſum populi fuit traditus ſepulturæ. Fuit autem frater Bertrandus de Bello-Caſtro poſitus in tumulo ſuperiori ad orientem verſus caput eccleſiæ. Dominus vero Arnaldus Belengarii fuit poſitus in inferiori ad occidentem verſus Garumnam. Sed ſanctæ memoriæ reverendus pater frater Bernardus de Caucio fuit in medio prædictorum duorum venerabiliter collocatus, qui obiit in craſtino ſanctæ Catharinæ, VI. calendas Decembris, anno Domini MCCLII. Memoratus dominus Arnaldus Belengarii ædificavit eccleſiam fratribus in Agenno, & plura bona alia fecit fratribus dum vivebat.

FUNDATIO CONVENTUS ORTHESIENSIS.

ANno Domini MCCL. in actis capituli provincialis Narbonæ celebrati fuit receptus locus fratrum Prædicatorum apud Ortheſium.

Anno Domini MCCLIII. in actis capituli provincialis Lemovicis in nativitate B. Mariæ ſemper Virginis celebrati, fuit in villa Ortheſienſi conventus fratrum Prædicatorum regulariter poſitus & receptus. Et primus prior inſtitutus frater Raymundus *Deſparros.*

FUNDATIO CONVENTUS Montis-Albani.

ANno Domini MCCLI. venerunt fratres Prædicatores apud Montem-Albanum, Caturcenſis diœceſis, primitus ad manendum, & elegerunt ſibi locum juxta Teſconem, in illa parte quæ eſt in diœceſi Toloſana.

Anno Domini MCCLIII. in actis capituli provincialis Lemovicenſis in nativitate B. Mariæ ſemper Virginis celebrati, fuit in villa Montis-Albani conventus fratrum regulariter poſitus & receptus. Et primus prior inſtitutus frater Pontius de Montibus Toloſanus, qui fuit ſocius domini RAYMUNDI epiſcopi Toloſani. Primus lector fuit frater Bernardus Geraldi de Monte-Albano, qui prius fuerat lector Caturci annis duobus.

Octavus prior frater Ermengaudus Leuterii de prædicatione Caſtrenſi, bis, prima vice ſucceſſit fratri Raymundo de Cauboſio. Tempore ſui prioratus hac vice inundavit Tarnus fluvius in tantum, quod fratres de loco ſuo, qui erat juxta Teſconem, exire fuerunt compulſi anno Domini MCCLXXII. cal. Decembris, & tunc tractaverunt de loco alio habendo, ad quem ſe mutaverunt. Et emerunt locum alium, qui dicitur de Foſſato, fratre Ermengaudo prædicto tunc priore prudenter & viriliter id agente. In quo loco, ſcilicet de Foſſato, celebraverunt primam miſſam pridie nonas Februarii anno Domini MCCLXXII. Nondum tamen mutavit ſe conventus tunc de primo loco ad ſecundum, donec ſecundus locus fuit melius, ſicut oportuit, præparatus. Prior fuit hac vice annis tribus, fuitque abſolutus in capitulo provinciali Toloſano anno Domini MCCLXXIV.

Decimus prior frater Bernardus Stephani ſucceſſit fratri Raymundo de Cauboſio. Tempore prioratus ſui fuit fundata eccleſia fratrum, in ſecundo loco appellato vulgariter de Foſſato, in qua primarium lapidem poſuit nobilis vir dominus BERTRANDUS vicecomes Bruniquelli, feria III. poſt feſtum B. Mathiæ apoſtoli, anno Domini MCCLXXVIII. Prior fuit annis tribus, fuitque abſolutus in capitulo provinciali Maſſilienſi anno Domini

MCCLXXXI. Hic ſenex & plenus dierum obiit Caturci in capitulo provinciali ibidem celebrato, feria VI. hora quaſi VI. anno Domini MCCXCVIII. ut peroptaverat.

FUNDATIO CONVENTUS FIGIACENSIS.

ANno Domini MCCLI. vel LII. venerunt fratres Prædicatores apud Figiacum diœceſis Caturcenſis, ut acciperent ibi locum ordinis ad manendum, fueruntque fratres ibidem ad loci diſpoſitionem & præparationem cum vicario, ſicut moris eſt, annis duobus aut tribus ab exordio computando.

Primus vicarius in conventu Figiacenſi & promotor loci illius ſollicitus, fuit frater Johannes de Johannia, ut audivi a ſenioribus enarrari. Hic fuit Figiacenſis ex origine parentali, ſed de Monte-Peſſulano ex origine ſuæ nativitatis.

Anno Domini MCCLIV. in capitulo provinciali Toloſano, in nativitate B. Mariæ Virginis celebrato, fuit in villa Figiaci conventus fratrum Prædicatorum ex more regulariter poſitus & receptus, & primus prior inſtitutus frater Johannes de Johannia præfatus.

FUNDATIO CONVENTUS CASTRENSIS.

Preuves de l'Hiſt. de la Maiſon d'Auvergne, pag. 177.

ANno Domini MCCLVIII. in actis capituli generalis Toloſæ celebrati, fuit conceſſus locus ſeu conventus fratrum Prædicatorum S. Vincentii in Caſtris, diœceſis Albienſis, ad preces & inſtantiam nobilis ac præclari viri domini PHILIPPI DE MONTE-FORTI junioris, qui fuit filius PHILIPPI de Monte-Forti ſenioris domini terræ Albigeſii & Tyri & *Deltoro* ultra mare. Hic Philippus junior fuit fratrum & loci ibidem bonus dominus & patronus, cujus eleemoſyna annualis quotidie ibidem percipitur & habetur.

Vitæ rom. 4. Innocent. p. 792.

Anno Domini MCCLVII. v. cal. Junii felicis recordationis venerabilis pater dominus BERNARDUS DE COMBRETO epiſcopus Albienſis dedit & conceſſit perpetuo fratribus Prædicatoribus, præſente & recipiente pro ordine fratre Guillelmo Raymundi Burdegalenſi, ad hoc ſpecialiter deſtinato, eccleſiam S. Vincentii de Caſtris, cum corpore ejuſdem martyris glorioſi, quod ibidem a tempore Caroli-magni principis allatum de Valentia requieſcit, prout in hiſtoria de hoc ſcripta famo[illegible] authentica habetur plenius & ſerioſius eſt [illegible]ſcriptum; & cum omnibus reliquiis ſanctorum, & libris omnibus & ornamentis ipſius eccleſiæ, necnon cum cimiterio, plateis, hortis ad eamdem eccleſiam pertinentibus, & cum omnibus aliis juribus & pertinentiis infra villam de Caſtris exiſtentibus, prout melius olim canonici ſæculares ibidem inſtituti tenuerunt & poſſederunt, ſeu tenere & poſſidere debuerunt, jure patronatus in dicta eccleſia ſibi & ſuis ſucceſſoribus reſervato, ſalva etiam reverentia epiſcopali, ſpecialiter de ſententiis ſuis & curiæ Albienſis denunciandis ibidem populo pro tempore congregando per capellanum dictæ villæ de Caſtris, ſeu per alium de mandato epiſcopi, ſalvis tamen in omnibus conſtitutionibus ordinis fratrum Prædicatorum, & privilegiis & indulgentiis a ſede apoſtolica ordini conceſſis & in poſterum concedendis. Hanc donationem fecit epiſcopus memoratus de voluntate & aſſenſu canonicorum ipſorum dictæ eccleſiæ, qui tunc pauci valde ſuperſtiſtes erant, & in ſocietate ejuſdem epiſcopi commanebant, nec tamen ipſi canonici, ſed monachi S. Benedicti tunc temporis de facto eccleſiam poſſidebant. Inter quos canonicos erat dominus Raymundus de Rocozello, qui fuit poſtmodum epiſcopus Lodovenſis. Memoratus autem dominus epiſcopus Albienſis in corporalem poſſeſſionem miſit & poſuit, & cum ſuo epiſcopali annulo inveſtivit præfatum fratrem Guillelmum Raimundi, in præſentia dictorum canonicorum ſociorum ſuorum, necnon & plurium aliorum virorum teſtium vocatorum. Erant etiam præſentes & recipientes cum eodem fratre Guillelmo Raymundi alii fratres noſtri, ſcilicet frater Petrus Parvi, ſive *Petit* ſic dictus, frater Bernardus de Rocozello, qui fuit frater præfati domini Raymundi de Rocozello, & frater Petrus de Villa-magna. Acta fuerunt hæc Albiæ in camera epiſcopali domini epiſcopi ſupradicti, anno & die ut ſupra. Extat inde publicum inſtrumentum per manum Iſarni Garengarii publici notarii Albienſis, qui fuit poſtmodum frater noſter, cum ſigillo pendenti ejuſdem domini epiſcopi Albienſis.

Anno Domini MCCLVIII. tertio nonas Junii dominus GUILLERMUS de Biterris venerabilis abbas monaſterii S. Vincentii de Caſtris pro ſe & monaſterio ſuo Caſtrenſi, ad inſtantiam & preces nobilis viri domini PHILIPPI DE MONTE-FORTI dedit & contulit in perpetuum ordini fratrum Prædicatorum & memorato fratri Petro Parvi ſeu Periti, præſenti & recipienti vice & nomine ordinis antedicti, totum jus quod habebat, vel habere debebat in eccleſia B. Vincentii memorata cum cimiterio & cum oblationibus ad dictam eccleſiam pertinentibus, aliquibus conditionibus reſervatis, videlicet quod ſi aliquo caſu contingeret dictos fratres Prædicatores deſerere prædictam eccleſiam, & ab ea recedere, illud jus & illa poſſeſſio quam habebant monachi eo tempore, quo fratres auctoritate epiſcopi Albienſis intraverunt poſſeſſionem eccleſiæ memoratæ, ad monaſterium redeat monachorum, & ſit eis ſalva poſſeſſio quam habebant. Item retinuit pro ſe & monaſterio, quod fratres occaſione donationis ſibi factæ ab epiſcopo Albienſi vel

quacumque alia ratione non exigant, nec petant, nec possint petere umquam reditus aliquos ad dictam ecclesiam spectantes, nisi hoc solum quod superius est expressum. Item, retinuit dictus abbas quod ipse & successores sui ac monachi præfati monasterii in tribus anni festivitatibus, videlicet in duobus festis B. Vincentii & in festo purificationis B. Mariæ semper Virginis, possint venire processionaliter ad ipsam ecclesiam, & ibidem ipse abbas & successores sui missas celebrare, & in prædicto festo Purificationis candelas benedicere, si sibi visum fuerit expedire. Item, retinuit quod de illis quæ relinquerentur fratribus ab illis qui de villa Castrensi & de villa *Goder* in cimiterio fratrum eligerent sepulturam, monasterium prædictum quartam partem haberet ratione canonicæ portionis, exceptis illis quæ relinquerentur fabricæ corporis ecclesiæ & in ornamentis & in luminaribus & in aliis de quibus non deducitur canonica portio secundum canonicas sanctiones, & cum hoc licitum esset cuilibet de prædictis in dicto cimiterio fratrum eligere sepulturam, omnes vero alii extra duas parochias possint in eodem cimiterio absque canonica portione eligere sepulturam. Item retinuit pro monasterio suo vestes & lectos secundum morem solitum defunctorum prædictarum duarum parochiarum, scilicet villæ de Castris & de villa *Godor*, ubicumque sive in cimiterio fratrum, sive alibi eligerent sepulturam. Item, retinuit sibi & monasterio duos cereos de quatuor cereis defunctorum, qui in cimiterio fratrum se facerent sepeliri. Alii vero duo cerei fratribus remanerent pacifice & quiete. Promisit insuper bona fide se facturum & curaturum, quod donationi hujusmodi conventus sui monasterii consentirent. Præfatus vero frater Petrus Parvi recepit vice & nomine ordinis a præfato abbate, sub forma superius expressata, omnia supradicta, donationem scilicet ecclesiæ supradictæ, & omnium prædictorum, promittens se facturum & curaturum pro posse suo, quod magister ordinis vel prior provincialis supradicta omnia acceptaret, approbaret & confirmaret. Acta fuerunt hæc apud Castras in cimiterio ecclesiæ supradictæ, anno & die immediate superius expressatis, in præsentia & testimonio præfati viri nobilis domini Philippi de Monte-Forti, & fratris Bernardi de Capite-stagni de ordine Prædicatorum, & magistri Sicardi Sabbaterii, archidiaconi Lauteranensis in diœcesi Tolosana, qui postmodum in fine habitum ordinis induit & recepit, & sepultus est in capitulo fratrum x. cal Martii, anno Domini MCCLXXIV. & Petri Bertrandi de Castris judicis domini Philippi, qui fuit postmodum frater noster. Extat inde publicum instrumentum per manum Amelii Sicardi notarii publici villæ de Castris.

Alexander papa IV. ad petitionem & supplicationem prioris provincialis & fratrum, præcipue ad instantiam & preces supplices viri domini Philippi de Montefortii, qui ad summum pontificem procuratorem specialem fratrum Petrum Bertrandi de Castris jurisperitum cum suis litteris supplicatoriis celeriter super hoc destinavit, suis sumtibus & expensis, implorans & obsecrans, ut præfatam S. Vincentii ecclesiam, cum sancto ejusdem corpore, pro fratribus Prædicatoribus sibi daret, in recompensationem totius effusi sanguinis Montifortis, pro Romanæ ecclesiæ obedientia & honore. Quo verbo audito & altius intellecto, summus antistes præfatam collationem & donationem fratribus Prædicatoribus factam ab episcopo Albiensi & abbate Castrensi auctoritate apostolica ratificans confirmavit, supplens de plenitudine apostolicæ potestatis defectum, qui ex eo in his affuit, quod ad hoc assensus capituli Albiensis & conventus præfati monasterii Castrensis non accessit. Id non obstante quod inter eosdem episcopum & abbatem quæstio super dicta ecclesia tunc temporis vertebatur. Nonobstante etiam contradictione monachorum præfati monasterii, quam super præmissis interposuisse dicebantur. Datum Viterbii VIII. idus Augusti pontificatus ipsius Alexandri anno IV. Verbi autem incarnati anno Domini MCCLVIII.

Alexander papa præfatus in voto gerens, ut de collatione seu donatione prædicta dictorum episcopi & abbatis, ac supplicatione & confirmatione sua apostolica subsecuta fructus proveniret fratribus, per apostolica scripta præcipiendo mandavit episcopo Anicienſi, qui tunc erat dominus Guido Fulcodii, qui fuit postmodum Clemens IV. quatinus fratres Prædicatores in corporalem possessionem prædictæ ecclesiæ & omnium prædictorum per se vel per alium, auctoritate apostolica induceret, & inductos defenderet, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc, si necesse fuerit, auxilio brachii sæcularis. Datum Viterbii XII. calendas Septembris pontificatus anno IV. Verbi autem incarnati anno MCCLVIII.

Anno Domini MCCLVIII. XVIII. calendas Octobris dominus Guido Fulcodii memoratus venerabilis Anicienſis episcopus juxta mandatum apostolicum sibi factum, præcipiendo mandavit domino Guillelmo majori archidiacono ecclesiæ Narbonensis, & domino Guillelmo capellano de Pippionibus, vel alteri eorumdem, altero impedito seu nolente exequi aut non valente, in hujusmodi executione negotii interesse, vel alias absente minime expectato, quatenus ad villam de Castris personaliter accedentes, fratres Prædicatores, quos ad recipiendum deputatos invenirent, in possessionem corpo-

Vide tom. 6. Anecdot. p. 1724.

ralem ecclesiæ supradictæ cum domibus & horto inducerent, & contradictores aut rebelles, in quos ex tunc in scriptis excommunicationis sententiam ferebat, excommunicatos publice nuntiarent, & singulis diebus Dominicis & festivis facerent in civitatibus & diœcesibus Narbonensi & Albiensi publice nuntiari, pulsatis campanis, & extinctis candelis, expressis nominibus singulorum. Et si qui forte contentis ecclesiæ clavibus, in sua rebellione persisterent, nobilium virorum senescalli Carcassonensis & domini PHILIPPI DE MONTEFORTE, quibus super hoc speciales scripsit litteras, auxilium invocarent. Datum apud Montem-Pessulanum ut supra.

Anno & die Domini immediatis prætaxatis, idem dominus GUIDO scripsit nobilibus viris senescallo Carcassonensi, & domino PHILIPPO de Monteforti, requirens & rogans eosdem auctoritate apostolica obsecrando, quatenus hujusmodi, si qui forent, præsumtuosam audaciam militari manu & brachii sui potentia compescerent, & eosdem FF. Prædicatores facerent possessione pacifica congaudere. Datum in Monte-Pessulano, ut supra.

Anno Domini MCCLVIII. VII. idus Decembris monachi præfati monasterii S. Benedicti Castrensis numero XIX. videlicet Bernardus de Podio Soriguerio prior claustralis, Ermengaudus de Florenciaco camerarius, Jacobus sacrista, Guillelmus Nigri prior de Murassano, Raymundus Berengarii prior de Ganubrio, Raymundus de sancto Privato prior S. Pauli, Bernardus de sancto Privato prior de Burlato, Raymundus *de Palhairols* prior de Guitatenis, Guillelmus Johannis prior de Assoale, Ermengaudus de Olargio, magister Gauterius, Gregorius de Nogareto, Petrus Vairati, Guillelmus Delgati, Pontius de Gordone, Petrus Nigri, Guillelmus de Albia & de Quiteriis, & Jordanus de Guideriis pro se & successoribus suis, ac toto conventu suo de voluntate & assensu præfati domini GUILLELMI abbatis sui, ad instantiam & preces memorati nobilis viri domini PHILIPPI DE MONTEFORTI dederunt, & concesserunt donatione inter vivos, ecclesiam sancti Vincentii memoratam, cum cimiterio ad eam spectante, fratribus Prædicatoribus & eorum ordini, sub modo & forma & conventionibus quibus prædictus abbas eisdem fratribus primitus contulerat & donarat, prout in instrumento inde confecto eisdem monachis lecto & expresso plenius continetur. Retento quod fratres vel alii nomine eorumdem corpus S. Vincentii a dicta ecclesia non exraherent aut mutarent, nec quærerent ubi jam in dicta ecclesia quiescebat sine præsentia eorumdem. Retinuerunt etiam libros qui in eadem ecclesia habebantur. Retinuerunt etiam quod postquam FF. Prædicatores in villa de Castris venissent, & conventus ibidem existeret deputatus, si ipsos abesse contingeret, si dictam ecclesiam delererent, non possent per sæculares clericos vel religiosos alterius ordinis prædictam ecclesiam retinere, vel etiam possidere; prædicto modo ecclesiam cum cimiterio donaverunt; promittentes, quod contra donationem hujusmodi per se vel per aliam personam non venirent, quamdiu fratres formam, modum & conventiones appositas observarent; promiserunt insuper bona fide in manu prædicti abbatis sui, omnia & singula superius expressata, & in instrumento confecto super donatione abbatis contenta, rata & illibata habere, & in contrarium non venire. Approbantes nihilominus & rectificantes donationem factam prius ab eodem abbate suo de prædictis ecclesia & cimiterio; necnon & confirmationem & supplétionem de eisdem a sede apostolica subsecutam. Dictus quoque abbas ibidem approbavit & laudavit donationem hujusmodi factam per monachos & conventum, necnon confirmationem & supplétionem a sede apostolica memoratam. Acta fuerunt hæc apud Castras in capitulo monasterii antedicti anno & die supra, in præsentia & testimonio domini Johannis de Burlato, domini Johannis de Manuçuria militum, Petri Bertrandi de Castris jurisperiti judicis domini Philippi, qui fuit postmodum frater noster, domini Hugonis capellani de Assoale, & plurium aliorum testium vocatorum. Sicardus Magoti publicus villæ Castrensis notarius recepit & confecit de præmissis publicum instrumentum.

Anno Domini MCCLVIII. VII. idus Decembris præfatus vir nobilis dominus PHILIPPUS DE MONTEFORTI junior filius senioris, pius & bonus dominus & patronus, pietatis & amoris fratrum intuitu, quos plurimum diligebat, ut pacem cum monachis compararet fratribus necessariam & oblatam, in recompensationem oblationum & proventuum ad ecclesiam S. Vincentii spectantium, quas abbas & conventus monachorum Castrensis ad ipsius preces & instantiam, prout plenius tactum est, fratribus Prædicatoribus contulerat, dedit & concessit abbati & conventui monasterii sæpedicti & successoribus eorumdem, decem libras Melgorienses vel Turonenses in reditibus annuatim, quas assignavit eisdem in duobus molendinis positis in flumine de Durantia, cum juribus, proventibus & reditibus & pertinentiis in aquis & paxeriis eorumdem. Promisitque præfatus vir nobilis bona fide abbati & conventui antedictis, quod conventiones, formas, & modos positas & contentas in instrumentis confectis super donationibus de ecclesia S. Vincentii per ipsum abbatem & conventum, pro posse suo a fratribus Prædicatoribus in perpetuum faceret observari, & quod a magistro ordinis & diffinitoribus capituli generalis, cum primum ipsum contin-

geret celebrari, prædicta faceret approbari & ratificari, quæ videlicet Prædicatorum ordinem contingebant. Ad arbitrium & cognitionem domini abbatis Galliacenſis & magiſtri Sicardi Sabbaterii Caſtrenſis, & Petri Bertrandi judicis ſui præfati, aliquis prædictos fratres non manu teneret contra prædictum monaſterium in facto memoratæ eccleſiæ. Promiſit inſuper, ut magis ipſos monachos alliceret ad amorem fratrum, quod dictum monaſterium tam in capite quam in membris in jure ſuo defenderet & juvaret. Abbas vero & conventus præfati acceptavetunt ab eodem domino PHILIPPO omnia ſupradicta. Acta fuerunt hæc apud Caſtras in capitulo monachorum monaſterii antedicti, anno & die quibus ſupra, præſentibus domino PHILIPPO abbate & conventu, in præſentia & teſtimonio domini Johannis de Barlato, domini Johannis de Manucuria militum, Petri Bertrandi præfati judicis domini Philippi, domini Hugonis capellani de *Aſſoale*, & plurium aliorum teſtium vocatorum. Sicardus Magoti publicus notarius villæ de Caſtris recepit & confecit inde publicum inſtrumentum, cui appenderunt ſigilla ſua præfati dominus abbas & conventus in teſtimonium & munimen.

Anno Domini MCCLVIII. IV. calendas Februarii dominus GUILLELMUS de Biterris, præfatus abbas Caſtrenſis monaſterii memorati ordinis S. Benedicti, & conventus ejuſdem monaſterii, videlicet monachi infra ſcripti: Guillelmus Nigri prior de Muraſſone, Raymundus Berengarii prior de Ganubrio, Raymundus de S. Privato, prior ſancti Pauli, magiſter Galterius, Ermengaudus de Olargio, & Ermengaudus de Florentiaco camerarius, Raymundus de *Palhairols*, Jacobus ſacriſta, Bernardus Delgori, Petrus Nigri, Arnaldus *Olut*, Pontius de *Maſſet*, Guillelmus de Albia, & de Guideriis, Gregorius, Petrus Vairati, Bernardus Fortis, & Jordanus de Guideriis pro ſe & ſucceſſoribus ſuis præſentibus & futuris ad inſtantiam & preces nobilis viri PHILIPPI DE MONTEFORTI præfati, dederunt & conceſſerunt donatione inter vivos in perpetuum valitura, fratribus Prædicatoribus & eorum ordini cimiterium, quod adhæret eccleſiæ B. Vincentii memoratæ, habendum in perpetuum, prout confrontatum hodie ab eiſdem fratribus poſſidetur, cum juribus, reditibus & proventibus ad ipſum ſpectantibus; quod cimiterium ſejungitur & dividitur a cimiterio quod remanſit monachis de conſenſu fratrum, ut pacem ſibi acquirerent, & haberetur via media, qua itur verſus Agotum fluvium, & utrumque cimiterium parietibus cingitur hinc inde. Retinuerunt tamen, quod nullam perſonam fratres ſepelirent in eodem, niſi ſibi eligerent ſepulturam: veſtes quoque defunctorum de villa Caſtrenſi, more ſolito, ſicut prius in donatione prima, qui ſe ibi facerent ſepeliri. Dederunt inſuper ac remiſerunt fratribus illam canonicam penſionem & cereos & lectos, quam & quos dictum monaſterium recipere debebat de relictis & legatis illorum qui in dicto cimiterio fratrum ſepulturam eligerent, quocumque jure conſuetudinario vel communi, ſeu pacto, & conventionibus quibuſcumque prædicta competerent monaſterio memorato. Iſta namque prius ſibi retinuerant abbas & conventus in prima donatione facta fratribus per eoſdem, ſicut in ea plenius continetur. Memoratus autem vir nobilis dominus PHILIPPUS, qui ibidem præſens aderat, bona fide ſua promiſit abbati & monachis, quod ſuper hoc faceret fratres Prædicatores & eorum ordinem remanere & eſſe contentos jam dicta eccleſia & cimiterio ſuperius confrontato & aliis ſuperius expreſſatis, & quod prædicti fratres & ordo eorum a modo nec in domibus, nec in hortis, nec in aliis extra eccleſiam exiſtentibus ad eccleſiam S. Vincentii ſpectantibus, vel ad cimiterium antedictum contra præfatum monaſterium non moverent quæſtionem in præſenti vel etiam in futuro, niſi de his in præſenti inſtrumento & in aliis inſtrumentis contentis; & quod præſens inſtrumentum cum aliis inſtrumentis inter monachos ipſos & dictos fratres Prædicatores confectis, & omnia in eis contenta confirmari diceret a magiſtro ordinis in primo quod celebraretur capitulo generali. Acta fuerunt apud Caſtras in capitulo monachorum monaſterii antedicti, anno & die ut ſupra, in præſentia & teſtimonio domini Guillelmi Peluti, domini Johannis de Paſticio, alias de Burlato militum, & Petri Bertrandi juriſperiti, judicis domini PHILIPPI, qui fuit, ſicut tactum eſt; poſtmodum frater noſter, & multorum aliorum teſtium vocatorum. Amelius Sicardi publicus villæ Caſtrenſis notarius, de mandato domini PHILIPPI & abbatis & conventus Caſtrenſis monaſterii prædictorum, recepit & confecit de præmiſſis publicum inſtrumentum, quod fuit ſigillis ipſorum D. Philippi, abbatis, & conventus ſigillatum ad majoris roboris firmitatem.

Fratres vero præmiſſis omnibus conſenſerunt, ut in pace cum monachis poſſent vivere & quiete, a quibus antea fuerant de loco ſemel excluſi, & pluries in pluribus infeſtati, & infeſtari amplius formidabant, niſi in manu forti generis Montis-fortis ſorti præſidio tuererentur.

Anno Domini MCCLIX. frater Pontius de S. Ægidio prior provincialis, & frater Raymundus *Tropacen* prior Montis-peſſulani, frater Bernardus de Eſſartis prior Petragoricenſis, frater Raymundus de Venaſca, & frater Bertrandus de Caſtro-novo Caturcenſis, quatuor definitores capituli provincialis de Monte-peſſulano in feſto B. Dominici ce-

lebrati, donationes prædictas, compoſitiones & conventiones & pacta in ipſis inſtrumentis contenta expreſſis & deſignatis ſigillatim & ſpecialiter inſtrumentis ad inſtantiam domini PHILIPPI & omnium fratrum in dicto loco de Caſtris tunc exiſtentium ex parte fratrum ordinis, & auctoritate ſibi in hac parte commiſſa a venerabili patre fratre HYMBERTO magiſtro ordinis approbaverunt, & ratificantes omnia acceptaverunt, & per litteram cum ſigillis propriis munierunt. Datum in Monte-peſſulano, anno Domini prætaxato menſe Septembri, poſt provinciale capitulum memoratum.

Frater Bernardus de Bociacis, vir religioſus & bonus, fuit vicarius fratrum & loci Caſtrenſis, datus antequam eſſet ibi conventus, ex more regulariter inſtitutus, ſicut ab ore ipſius ſæpius & a pluribus aliis didici & audivi.

Sequitur hiſtoria de inventione ſacri corporis B. Vincentii martyris & levitæ, in eccleſia fratrum Prædicatorum de Caſtris.

Tempore quo fratres Prædicatores, Deo diſponente, nobili viro domino PHILIPPO DE MONTE-FORTI fortiter procurante & agente, eccleſiam B. Vincentii levitæ & martyris, ſicut præmiſſum eſt, primitus habuerunt, ignotum erat omnibus incolis hujus terræ ubinam ſacroſanctum corpus almi martyris in eadem eccleſia requieſceret: omnibus tamen fideliter certum erat, quod in dicta eccleſia alicubi quieſcebat, allatum de Valentia [a] apud Caſtras a tempore Caroli-Magni (a) principis & glorioſi regis, ſicut fidelis & verax tradit hiſtoria, clamant patrata miracula, & teſtatur inſignis eccleſia illic a fidelibus populis ob honorem martyris fabricata. Hoc autem divina providentia factum eſſe reor, ut incognitus eſſet locus, ut in eo theſaurus incognitus vel abſconditus ſervaretur in poſterum, ne inde tolleretur, & auferretur propter guerrarum diſcrimina, & perfidorum hæreticorum pericula, quæ omnia in partibus iſtis præteritis temporibus, peccatis hominum exigentibus, abundabant, ſicut fidelis & verax, laudeque ac memoria dignus æterna præ cunctis generationis hujus magiſter Guillelmus rector eccleſiæ de Podio Laurentii, origine tamen civis Toloſanus, in ſuis chronicis proſequitur luculenter, & in geſtis inſignibus domini SIMONIS comitis Montis-fortis plenius eſt deſcriptum. A nonnullis tamen fertur, quod locus pauciſſimis quibuſdam monachis notus erat, qui virtute juramenti conſtricti pandere non audebant, & cum quis ex eis morti propinquus fieret, ille alteri monacho ex ſecretiſſimis electo, & ſic deinceps ſucceſſive ſub eadem juramenti conſtrictione pandebat, ſed hoc nulla majori auctoritate vel ſcriptura teſte fulcitur, eademque facilitate non recipitur qua narratur.

Fuerat autem præfata eccleſia aliquando ſub manu & regimine canonicorum ſæcularium, qui inibi aliquo tempore fuerunt cum præbendis duodecim deputati, ſicut aſtruit evidenter antiqua ſcriptura publica ſeniorum, fama fidelis & certa aſſertio quorumdam ex eiſdem, qui tempore quo fratres eam habuerunt ſuperſtites erant. Aliquando vero fuit ſub cuſtodia monachorum ordinis S. Benedicti, qui e vicino in ſua abbatia commorantur, & illo in tempore de facto, non tamen cum pace epiſcopi Albienſis poſſidebant. Fuit etiam parochialis eccleſia appellata, ſicut multa ſigna & inſignia proteſtantur, quæ cauſa brevitatis obmitto. Extat etiam una antiqua valde littera (a) domini [b] GUILLELMI PETRI *de Berenes* quondam epiſcopi Albienſis, quæ de parochia S. Vincentii de Caſtris expreſſam continet mentionem. Hoc etiam proteſtantur uſque hodie plura dicta fidelium ſeniorum, quod longum eſſet per ſingula enarrare, & tam iſtorum quam illorum erat incuria & negligentia circa cuſtodiam ſacrorum pignorum nimis magna, ſicut rerum prædictarum illo in tempore evidentia probat, & teſtantur adhuc plurimi ſeniores, & in promtu eſt exemplum & irreparabile nobis damnum de ſacro capite martyris Vincentii perdito & ſublato.

Cumque fratres Prædicatores in prædicta eccleſia ad ſerviendum Deo & ſancto martyri collocati jam fuiſſent, poſt unam expulſionem & multiplicem monachorum infeſtationem confirmati in loco virtute ex alto, quæſtione monachorum terminata; pace data anno Domini MCCLIX. tempore quo adhuc præfatus frater Bernardus de Bociacis vicariam fratrum & loci regebat, ſollicitari cœperunt, vehementius ſcire cupientes, ubi corpus ſanctum abſconditum ſervabatur, ut certi fierent de theſauro, & eo devotius ipſum colerent jam inventum, quo oculata fide ſcirent, ubi eidem martyri reverentiæ cultum dignum & debitum exhiberent, colloquentes & conquirentes ſæpius ad invicem quid poſſent aut deberent agere ſuper iſtis. Diſpoſitio autem loci in quo ſanctum corpus repoſitum ſervabatur, talis exiſtebat. In capite namque majoris eccleſiæ conſtructa erat per modum teſtudinis tribuna quædam, ſic dicta juxta vulgare loci, ſicque diſpoſita & aptata, quod ſubtus eam libere tranſire & ſupra ipſam ſpatioſe ſtare, ſedere, & deambulare poterant qui volebant, ſicut adhuc tranſeunt ſubtus corpus ſanctum parte illa, quæ remanſit, cujus formæ & ſimilitudinis erat pars alia, quæ diruta fuit a fratri-

(a) Non ſub Carolo Magno, ſed tempore Caroli Calvi anno DCCCLV. facta eſt corporis S. Vincentii tranſlatio, cujus acta habes apud Mabillonium ſæculo IV. Benedictino tom. I.

(b) De hac in mſ. margine hæc lego: *Litteram hanc habui a domino Johanne Molineri archipresbytero Caſtrenſi & in majori depoſito poſui conſervandam anno Domini* MCCCII. XIV. *cal. Octobris.*

bus ad disponendum locum in melius, sicut hodie cernitur. Protendebatur dicta tribuna testudinata usque ad chorum fratrum, qui nunc est, & ibi ubi terminabatur, inferius ante ipsam, ubi nunc est chorus, erat altare majus ecclesiæ in honore S. Salvii confessoris. Supra vero ipsam in alto erat aliud altare in honore sanctæ Trinitatis parvum quantitate, & adhærens parieti capiti ipsius ecclesiæ. In circuitu autem illius altaris superioris a dextris & a sinistris, & ante ipsum erat spatium aliquod satis conveniens ad recipiendum plures personas, ad quem locum ascendebatur per scalares gradus lapideos a dextris & a sinistris inferioris altaris.

Fratres autem volentes coaptare sibi locum & augmentare spatium pro choro prout poterant, diruerunt altare inferius, & magnam partem præfatæ tribunæ testudinatæ, & cum in diruendo appropinquassent quasi ad altare quod erat superius, animadverterunt diruentes, lapidem tumuli esse subtus ipsum altare: habito consilio substiterunt, studiosiusque explorantes, cognito extrinsecus quod tumulus ibi erat, significaverunt hoc ipsum PHILIPPO DE MONTE-FORTI principi terræ, & patrono fratrum & loci, qui tunc ibi præsens non erat, sed in remotis agebat, ut venire ac videre deberet & omnibus interesse. Statuto itaque tempore opportuno, diruerunt ipsum altare, & invenerunt unum tumulum lapideum, seu vas uno lapide coopertum, a quo levantes lapidem ipsum vacuum invenerunt, amotoque illo primo tumulo seu vase, subtus ipsum immediate invenerunt alium tumulum lapideum, seu vas in quo in capsa quædam lignea vetustissima, & præ nimia antiquitate temporis quasi penitus putrefacta, invenerunt repositum corpus sanctum sindone munda sed vetustissima involutum. Clavi autem ferrei ipsius præ antiquitate sic consumti & corrosi rubigine apparebant, quod levi motu faciliter cum digitis extrahi de locis suis poterant & moveri, sicut mihi ipse Bernardus frater retulit qui probavit. Ab his autem qui ad hoc electi fuerunt viris autenticis & probatis secrete conditum fuerat ad invicem & firmatum, ut ipsi prius efficerentur certi de veritate rei antequam panderetur populo. Et ut secretius ac quietius sine tumultu fieret, nocte quadam media, dum medium silentium tenerent omnia, convenerunt qui ad hoc explorandum & sciendum fuerant electi, & veritate comperta, gavisi sunt gaudio magno valde, reponentesque lapidem cum custodibus, ibidem tumulum concluserunt usque ad claram & perfectam diem.

Die autem statuta affuit præfatus vir nobilis dominus PHILIPPUS cum suis nobilibus, & domnus GUILLELMUS de Biterris abbas monasterii Castrensis, ordinis S. Benedicti, cum electis ad hoc paucis viris, convenitque multitudo copiosa plebis utriusque sexus in ecclesia S. Vincentii, congaudentes ac tripudiantes, thesaurum inventum certatim videre cupientes: ita quod expediens fuit armatos curiæ statuere & astare, qui concursum ingentem populorum & impetum subitum cohiberent. Tunc præfatus frater Bernardus de Bociacis vir fidelis & verax, religiosus & timens Deum, qui fratrum & loci ex more ordinis, ut præmissum est, vicarius existebat, quia prior nondum fuerat aliquis institutus, cum præfato domino Philippo & paucis ex nobilibus suis, & memorato abbate cum paucis monachis, & cum aliquibus fratribus nostris, ceteris omnibus clericis & laïcis inferius remanentibus, ad locum præfati tumuli superius ascenderunt, ipsoque discooperto, corpus S. Vincentii manifestis signis & indiciis cognoscentes, intuentes diligentius clara luce arsuras corporis & costarum distincte conspexerunt, & devote adoraverunt, scriptamque cedulam testificantem de corpore & tempore, & Audaldo monacho portitore, ut reor, quam & cum perlegi potuit, repertam ibidem reliquerunt. Ipse vero frater Bernardus de Bociacis, qui ossa & membra martyris dinumerans & contrectans in conspectu & in præsentia prædictorum, oculis suis vidit & manibus palpavit, & ipsas arsuras corporis & costarum studiosius de propinquo conspexit, devotione exinde sensibili generata, quasi virtus quædam sensibilis spiritualibus sensibus infunderetur, quæ ex sacro corpore emanabat, mihi fratri Bernardo Guidonis, sicut & pluribus aliis facere solitus erat sæpius, singula quæ circa corpus maxime visa sunt, & superius posita, mihi retulit devote, & mecum contulit pluries de eisdem, cum in conventu Albiensi pariter maneremus. Ipsumque audivi pluries publice & ferventer præmissa populo prædicantem, & fideliter contestantem, quod corpus S. Vincentii martyris, ut præmittitur, veraciter tenuerat, contrectaverat, & conspexerat diligenter, a quo plenius pro majori parte quæ superius scripta sunt didici & audivi; partim quoque ab aliis fide dignis, qui adhuc superstites sunt, qui viderunt & audierunt, studiosius inquisivi, & ex omnibus ut fidelius scivi & potui recollegi & scripturæ mandavi. Factum est autem in diebus illis gaudium magnum & exultatio ac tripudium populorum de repertione sacri corporis, ardentibus cereis & luminaribus, multis circumstantibus armatis & observantibus custodibus deputatis, ne quid de sacro corpore tolleretur, & in eodem loco repositum est sacrum corpus, & superius, prout hodie cernitur, fuit tumulus de fectis & cæmento conjunctis lapidibus coopertus, donec in capsa argentea pretiosa, prout præfatus vir magnificus dominus PHILIPPUS optaverat & mente conceperat, le-

varetur;

varetur; ſed arduis & quaſi continuis diſtractus negotiis, & tandem morte in exercitu Chriſtiano contra Sarracenos apud Tunicium præventus, non potuit quod diſpoſuerat adimplere.

Caput autem martyris almi non eſt inventum cum corpore, quod, ut fidelis tradit antiquitas, olim antequam fratres Prædicatores haberent eccleſiam memoratam, & modo ipſam canonici, modo vero monachi poſſiderent, caput in theca argentea ſervabatur, & diebus præcipuis & feſtivis ex more adorandum oſtendebatur populis Chriſtianis. Et vidi ego & audivi quemdam antiquum plus quam octogenarium ſeniorem de villa Caſtrenſi conſtanter aſſeverantem, facundeque ac devote mihi & aliis duobus probis fratribus in die feſto ſancto Paſchæ diſſerentem, ſe a patre ſuo ſæpius audiviſſe ipſum caput in dicta eccleſia in vaſe argenteo poſitum vidiſſe ſæpius & adoraſſe, ſicut ſacræ ſanctorum reliquiæ adorantur; ipſum caput criſpum fuiſſe aſſerebat, & plures alii ſe illos qui viderint vidiſſe & audiſſe teſtantur.

Quid autem factum fuerit de capite, quo devenerit, vel ubinam habeatur & ſit, apud nos neſcitur, apud omnes communiter dubitatur, licet varii varia aſſeverent; quidam namque quod apud Claram-vallem Ciſtercienſis ordinis abbatiam per quemdam cardinalem ejuſdem ordinis in partibus iſtis legatum, fuerit deportatum: quidam autem quod a monachis S. Benedicti de Caſtris fuit impignoratum: quidam vero quod non ipſum verum caput tradiderunt, ſed loco ejus aliud ſimulatum. Alii autem quod adhuc in ipſa eccleſia ſua, tamquam in aula propria, ſit alicubi abſconditum aſſeverant. Veritas autem hujus rei nota eſt ipſi infallibili Veritati.

Supra ipſum autem altare ſub quo corpus ſanctum, quemadmodum dictum eſt, olim conditum ſervabatur in capite eccleſiæ, in circuitu interiori erant, ſicut & adhuc ſunt, columnæ rotundæ lapideæ quinque parieti adhærentes, quæ fuerunt poſitæ, quando fuit eccleſia fabricata, & in capitellis columnarum ſunt inſculptæ quinque hiſtoriæ martyrii ipſius B. Vincentii ſubtiliter & diſtincte, & in circulo unius ipſarum ſequens verſus litteris lapideis eſt inſcriptus, quaſi directe reſpiciens verſus corpus: *Coſtitiis ferri macantur membra Beati.* Sunt autem ſupra iſtam hiſtoriam columnæ hujus angeli duo lapidei parvi inſculpti, quorum unus oſtendit digito ſuo verſus corpus ſuum inferius eſſe cernendum, quaſi digito loquatur, dicens ibi eſſe corpus ſanctum ubi & repertum fuit.

Et ſicut hodie ſubtus ſacrum corpus almi martyris & levitæ eſt tranſitus liber, ita erat & tunc, quia iſta pars præfata tribunæ teſtudinatæ penitus remanſit, & alia pars admodum iſtius teſtudinata erat, quæ, ut præmiſſum eſt, ex cauſis prælibatis diruta fuit.

Claruit autem in prædicta eccleſia miraculis glorioſis martyr admirabilis, non tantum dum apportabatur de Valentia apud Caſtras, ſicut hiſtoria de hoc proſequitur luculenter; verum etiam poſtmodum devote & fideliter ſe invocantibus opitulari non ceſſat, quorum quamplurima, quæ ſcripta non fuerunt per incuriam & negligentiam miniſtrorum, ab humana memoria exciderunt; pauca vero quæ reperi, prout ad meam notitiam pervenerunt, rudi ſed fideli ſtilo ſcripturæ tradidi ad memoriam poſterorum, quæ alibi ſunt notata.

Anno Domini MCCLXX. IV. cal. Octobris ſæpe memoratus, ſemper autem memorandus Prædicatoribus, præclaræ memoriæ PHILIPPUS DE MONTE-FORTI junior, filius PHILIPPI ſenioris, flos militiæ, & totius ſignifer probitatis, devotus ac munificus patronus loci & conventus Prædicatorum Caſtrenſium, ac præcipuus totius ordinis noſtri zelator, obiit in caſtris exercitus Chriſtiani ante Tunicium, qui carnibus ſuis honorifice prius ſepultis ibidem, mandavit, dum adhuc viveret, de oſſibus ſuis ac corde, ut huc deferrentur ad fratres Caſtrenſes, ſepelienda ab ipſis. Fuerunt inde allata per dominum Germundum de Burlato, anno Domini MCCLXXI. & eodem die quo allata, videlicet in craſtino nativitatis B. MARIÆ Dei genitricis ſemper Virginis, in præſentia dominæ JOHANNÆ quondam uxoris ſuæ ac fere omnium nobilium terræ fuerunt valde honorifice & ſolemniter tumulata in eccleſia B. Vincentii memorata, ubi condita jacent proprio tumulo ad lævam martyris almi, ex parte videlicet ſacriſtiæ. Vid. tom. 4. Anecdot. p. 1724.

In cœlum recipi de Forti Monte PHILIPPI
Fac animam, Chriſte. Flos militiæ fuit iſte,
Largus, formoſus, humilis, ſapiens, animoſus.
Militiæ rector Carolinæ pugnat ut Hector.
Ordinis inventus fundator & ædificator
Hujus conventus non eſt ita verus amator.
Tunicii moritur, ſolemniter hic ſepelitur.
Continet hæc foſſa tanti domini cor & oſſa.

Anno Domini MCCLXXV. IX. cal. Februarii obiit dominus SIMON DE MONTE-FORTI miles, filius præfati domini PHILIPPI patroni noſtri in partibus Apuliæ, qui inde per fratrem Bernardum de Bociacis allatus fuit; & in eadem eccleſia S. Vincentii ad pedes genitoris ſui in proprio tumulo requieſcit.

Anno Domini MCCLXXXIV. III. calendas Junii obiit nobilis & magnifica domina JOHANNA, uxor quondam præfati domini PHILIPPI, & mater ejuſdem domini Simonis, quæ fuit filia domini Mirapicis. Hæc condita jacet in eccleſia e regione viri ſui, in proprio tumulo, in fine chori dextri.

Anno magnæ indulgentiæ Domini MCCC. calendis Decembris, obiit præclaræ memoriæ

Hiſt. di Napoli del Summonte, pag. 350.

dominus JOHANNES DE MONTE-FORTI comes Squillaci & Montis-caveoſi ac camerarius regni Siciliæ, dominus terræ Albigeſii, qua ſe extendit dominium Montis-fortis. Hic elegit in eadem S. Vincentii eccleſia ſepeliri, ad pedes præfatæ dominæ Johannæ ſuæ nobilis genitricis. Fuit autem allatum corpus ejus integrum de Fogia, ubi obierat, & ſepultum fuerat in eccleſia Fogitana, quod inde levatum anno a ſuo obitu, incorruptum & integrum eſt repertum, & apportatum per fratres illuc ad hoc ſpecialiter deſtinatos, anno Domini MCCCIV. depoſitumque fuit ad cuſtodiendum ad tempus in monaſterio Pruliani ex cauſa, ut ſcilicet interius exequialis ſolemnitas pararetur circa feſtum Omnium-ſanctorum. Undè poſtmodum allatum eſt ad conventum Caſtrenſem in feſto apoſtolorum Petri & Pauli in crepuſculo noctis, & in capella ſanctæ Trinitatis illa nocte a fratribus pernoctatum, & in craſtino apoſtolorum nonis Julii in die Mercurii proceſſionaliter cum conventu noſtro & fratrum noſtrorum, & monachorum ſancti Benedicti Caſtrenſium, & monachorum alborum Candelii & Adorelli Ciſtercienſis ordinis, & aliis religioſis multis, & cum toto clero, & nobilibus totius terræ, & domino mareſcallo de Mirapice cum conjuge ſua domina Conſtantia, filia quondam comitis Fuxi, cum fratribus ſuis conſanguineis germanis ipſius domini Johannis de Monteforti, deportatum eſt corpus integrum & incorruptum ad eccleſiam S. Vincentii fratrum Prædicatorum, & ibidem in medio chori ſolemniter ac honorifice tumulatum, donec tumulus nobilior præparatus eſſet ad pedes ſuæ nobilis genitricis. In omnibus iſtis præſens fuit in Caſtris nobilis domina HELYONORDA de Monte-forti, inclyta comitiſſa Vindocinenſis, cum tribus filiis ſuis, ſoror & heres præfati domini Johannis, quæ corpus ipſum ſecreto videre voluit ipſa nocte. Quo viſo, ſtatim in facie ipſum agnovit, & cicatricem quam in facie habuerat a pueritia, manifeſte & diſtincte digito demonſtravit, nec dubium fuit alicui, qui ipſum vivum viderit, ipſum fore. Actum die quo ſupra, anno Domini MCCCV.

Memoires du Languedoc, pag. 689.

Eſt hic donatus J. de Monfort *requiei,*
Defenſor fidei, vir in armis valde probatus,
Juſtum plange virum, largum, ſenſuque profundum,
In vita mundum, probat hoc unum bene virum,
Corpus quod jacuit annis multis tumulatum,
Abſque fœtore fuit ſolidum, non incineratum,
Caſtris tranſlatum jacet hic in honore locatum
Ad plantas matris, e regione patris.

Anno Domini MCCLX. in capitulo provinciali Maſſiliæ in feſto B. M. Magdalenæ celebrato fuit in villa Caſtrenſi, diœceſis Albienſis, conventus fratrum Prædicatorum regulariter poſitus & receptus, & primus prior ibidem inſtitutus frater Petrus Hiſpani, de villa Lemovicenſi oriundus, & ex more ordinis fuerunt lector & alii fratres aſſignati.

Conventus vero cum præfato priore noviter inſtituto, fuit valde honorabiliter cum proceſſione ſolemni receptus a venerabili patre domino BERNARDO DE COMBRETO epiſcopo Albienſi, & nobili viro domino Philippo de Monteforti, cum multis nobilibus terræ & clero ac populo copioſo Caſtrenſi, in craſtino S. Auguſtini epiſcopi & doctoris, anno Domini prætaxato.

Poſt aliquantum vero temporis a conventu ſic recepto æterna dignus memoria dominus GUIDO FULCODII de S. Ægidio, tunc archiepiſcopus Narbonenſis, qui paulo ante fuerat epiſcopus Anicienſis, alias Podienſis, poſtmodum epiſcopus Sabinenſis & ad ultimum papa CLEMENS, de licentia domini BERNARDI DE COMBRETO, epiſcopi Albienſis, plateam illam in qua modo eſt clauſtrum & capitulum in cimiterium conſecravit.

CLEMENS (*a*) memoratus papa IV. ad petitionem & ſupplicationem prioris provincialis & fratrum, auctoritate apoſtolica ratificavit & confirmavit præfatam collationem ſeu donationem factam ab epiſcopo Albienſi & abbate Caſtrenſi, de majoris partis monachorum monaſterii aſſenſu, de eccleſia S. Vincentii memorata, cum aliis expreſſatis, id non obſtante, quod tunc temporis inter eoſdem epiſcopum & abbatem ſuper dicta eccleſia quæſtio vertebatur, ſupplens defectum, ſi quis ex eo in his extitit, quod ad id aſſenſus capituli eccleſiæ Albienſis & minoris partis monachorum dicti monaſterii non acceſſit, de plenitudine apoſtolicæ poteſtatis. Datum Peruſiæ X. calend. Februarii, pontificatus ſui anno I. Verbi autem Incarnati anno MCCLXV. [a]

Decimus octavus nomine prior ſucceſſi ego frater Bernardus Guidonis Lemovicenſis dioceſis, fratri Pontio de Caërcino prædicto, confirmatus in priorem in craſtino aſſumtionis B. MARIÆ ſemper Virginis, anno Domini MCCCI. qui præmiſſa conſcripſi in conventu Caſtrenſi. Tempore quoque iſto factæ fuerunt capellæ duæ in eccleſia B. Vincentii, in latere dextro a parte meridiei, quarum primam in honore B. Dominici patris noſtri Berengarius Amblardi de Caſtris, ſecundam vero in honore B. Petri martyris fratris noſtri domina Fina ſoror ſua devota, fratrum amica, ex devotione conſtruere ac

(*a*) In mſ. margine legitur : *Notandum incidenter quod dominus Guido Fulcodii, conſiliarius regis Franciæ, factus eſt archiepiſcopus Podienſis anno Domini* 1258. *inde factus eſt archiepiſcopus Narbonenſis, poſtmodum cardinalis Sabinenſis a papa Urbano, anno Domini* 1261. *cui ſucceſſit in papatu anno* 1264.

perficere ſuis ſumtibus elegerunt. Anno ſiquidem Domini MCCCIII. prima die Julii menſis, feria II. apertum eſt fundamentum pro utraque, & ſequenti feria VI. III. nonas Julii, filii Berengarii Amblardi, Amblardus ſcilicet & Petrus, pueri innocentes poſuerunt duos primarios lapides prp eiſdem. Finaliter in capella B. Petri martyris fuit poſita clavis teſtudinis in vigilia ejuſdem martyris, & tam illius capellæ quam alterius fuit teſtudinatio conſumta in craſtino tranſlationis B. Dominici patris noſtri, anno Domini MCCCV. quo hæc ſcripſi. In conventu Caſtrenſi ſervivi annis quaſi IV. Fui autem abſolutus in capitulo provinciali Lemovicis in feſto beatæ Mariæ Magdalenæ anno Domini MCCCV.

FUNDATIO CONVENTUS CONDOMENSIS.

ANno Domini MCCLXI. venerunt primitus fratres quidam apud Condomium accipere ſibi locum & domum ad habitandum: quo invento & accepto, fuit prima miſſa ibidem ſolemniter celebrata Dominica in ſexageſima ſubſequenti per venerabilem patrem dominum GUILLELMUM epiſcopum Agenenſem, qui fuit poſtmodum patriarcha Jeroſolymitanus, qui erat Sanctonenſis natione. Hic fuit vir miſericordiæ, magnus eleemoſynarius, pater pauperum, & amicus Dei & fratrum.

Primus vicarius loci & fratrum frater Raymundus Guillelmi de Altovillari. Manſerunt autem ibi cum vicario, ut eſt moris, per annum & dimidium, locum & ædificia præparantes.

Bona patrona & matrona fratrum & loci extitit domina Viana, quæ ut ſibi ſoli vendicaret nomen & jus patronatus, totum locum ipſa ſola pro fratribus emit & dedit. Hæc quoque ædificavit fratribus eccleſiam valde pulchram, ſacriſtiam, & capitulum, & domum ſuper utraque. Item, clauſtrum decorum & quædam alia ædificia bene utilia in conventu. Hæc obiit in conventu in domo quam ſibi ibidem ædificaverat ad manendum, IX. cal. Martii, anno Domini M. CC. LXXX. Hæc condita jacet in capite eccleſiæ interius, in decenti tumulo una cum patre ſuo.

Anno Domini MCCLXIII. in capitulo provinciali Toloſæ in feſto B. Dominici celebrato, fuit conventus fratrum Prædicatorum in Condomio regulariter poſitus & receptus, & primus prior inſtitutus fuit frater Raymundus Guillelmi præfatus, & lector & fratres alii aſſignati.

FUNDATIO CONVENTUS BRIVENSIS.

ANno Domini MCCLXI. Dominica I. adventus Domini, advenerunt primitus fratres Prædicatores apud Brivam Lemovicenſis diœceſis villam, ut ibidem locum & domum ſibi acciperent ad manendum, fortiter id agente & procurante fratre Hugone de Malamorte, viro nobili & potente in terra illa, qui ad hoc diu ante totis conatibus anhelarat, nec tamen, multis fratribus id nolentibus & retardantibus, potuerat hoc feciſſe. Manſerunt autem fratres in villa in domo de *la Raynaudia*, & in domo abbatis Tutelenſis multis diebus, interim de loco apto & idoneo tractantes & procurantes, celebrabant in villa in eccleſiis alienis.

Anno Domini MCCLXII. in actis capituli provincialis Narbonæ celebrati, reperitur locus Brivenſis annumeratus inter alia loca, per viſitatores ex more ordinis viſitanda.

Anno Domini MCCLXIII. XV. calend. Julii, celebratæ fuerunt duæ primæ miſſæ in loco fratrum Prædicatorum Brivenſi in tentoriis, quia ibidem alia ædificia nondum erant; quarum primam celebravit frater Hugo de Malamorte de beata Virgine MARIA, ſecundam vero celebravit dominus GERALDUS abbas Obazinæ de mortuis, ſicut officium funeris exigebat. Defunctus enim eſt ibi tunc venerabilis pater frater Pontius de S. Ægidio prior provincialis, qui illuc ad viſitandum locum & fratres advenerat, & ibidem in horto ſub tentorio fuit honorifice tumulatus, & ex tunc fratres a loco illo, quem prius elegerant minime diſceſſerunt, more filiorum Iſraël in tabernaculis habitantes, & interim ædificia præparabant. Deus autem incrementum dedit tempore ſuccedente.

Anno Domini MCCLXIII. in actis capituli provincialis Toloſæ in feſto B. Dominici celebrati, fuit aſſignatus loco Brivenſi frater Bernardus de Cella, & cura fratrum & loci fuit ſibi tamquam vicario commiſſa ex more ordinis, fueruntque illuc aſſignati fratres, &c.

Anno Domini MCCLXIV. in actis capituli provincialis in Avinione in feſto B. Mariæ Magdalenæ celebrati, fuit in præfata villa Brivenſi conventus fratrum Prædicatorum regulariter poſitus & receptus, & primus prior inſtitutus frater Petrus de Planis, Lemovicenſis diœceſis, & lector aſſignatus frater Johannes de Monte-acuto, qui tamen non venit, nec legit, & fuerunt aſſignati infraſcripti, frater Johannes Rigaudi de Raynhaco, Guillelmus Golferii, Guillelmus de Planis, Geraldus de Montibus, Galhardus, Pontius de Melgorio, Galterus, Guillelmus Galhardi, Petrus Bertrandi, Petrus de S. Amando, Johannes de Traynhaco, Bernardus Labeſſa de S. Amantio, converſi fratres Bernardus de Colongis, Johannes de Vernholio de Anexonio, Aymericus de Ambaſaco, Stephanus Carpentarii, Helias de Riparia, qui fuerat Templarius Petragoricenſis diœceſis.

Notandum, quod licet conventus Briven-

ſis & Brageriacenſis fuerint in eodem provinciali capitulo Avinionenſi, ſicut patet hic & inferius, regulariter inſtituti: tamen quia conventus Brivenſis in actis ejuſdem capituli prius fuit pronunciatus & inſtitutus, quam Brageriacenſis, ſicut in ipſis actis evidentius continetur, ideo locum & gradum prioritatis in ordine jure meruit obtinere. Simile habetur & ſervatur de provinciis diviſis in capitulo generali Colonienſi anno Domini MCCCI. Item in capitulo generali Biſuntino MCCCIII.

Hic quoque præmittere libet, quod circa ipſius loci primordia primitiva anno incarnati Verbi MCCLXV. vel LXVI. præoſtenſum eſſe fertur jocundum tale ſignum & præſagium futurorum. Dum enim prima majorque domus in dormitorium ſuperius & refectorium inferius cum pluribus aliis officinis ſub eodem tecto & ædificio pariter connectuntur, ipſo in loco fundari deberet, in capite domus quod partem reſpicit occidentis, die ad hoc ſtatuta advenerunt rogati & vocati fratrum familiares, benefici & amici, præcipui & majores, aliique quam plures pariter cum eiſdem, ut viderent & fratribus congauderent, juvarent etiam devotis donariis & beneficiis opportunis: inter quos ceteris præeminebant vir religioſus domnus GERALDUS DE CARDAILHACO abbas Obazinæ Ciſtercienſis ordinis, magnus fratrum amator, ac venerabilis decanus Lemovicenſis dominus Elias de Mala-morte, qui cum ſuo magno & nobili genere fuit loci ejuſdem magnus beneficus & promotor, & primarium lapidem poſuit ut patronus, multi quoque nobiles de illa vicinia ac Burgenſes, cum plebis utriuſque ſexus multitudine copioſa, ad videndum & mirandum tam jocundum principium, tam devotum. Affuit & conventus totus proceſſionaliter cum cruce & miniſtris ſacris, indutis veſtibus, lætis & devotis cantibus laudans Deum. Cumque ſic eſſent omnes in unum in Dei nomine congregati, & a præfatis primoribus viris in fundamento primitus præparato primarii lapides jacerentur, ecce ſubito, videntibus ac mirantibus cunctis qui aderant, deſuper examen apum deſcendens, dulciter amicabiliterque ac ſocialiter aſtantibus ſe conjungens, depoſitis aculeis, vel oblitis, nullum lædens, quæ intrepide abſque ullo timore, tamquam domeſticæ inhærebant, nunc manibus, nunc capitibus, aliiſque partibus corporis iſtorum & illorum aſtantium & operantium in eodem, quaſi & ipſæ congaudentibus congauderent, præcipue ipſum primarium lapidem circumdantes, & collocantes eumdem manibus, applaudentes, aculeus, ut dictum eſt, nullus ibi ſentiebatur, quia ad mulcendum venerant, non pungendum, crucem quoque, quam ibi frater tenebat elevatam, circumdantes, in eadem aliquanto tempore pariter quieverunt. Tandem ſuo præſagio ac officio jam peracto, ſicut cum venientibus advenerant, ſic quoque cum diſcedentibus diſceſſerunt, & quo abierunt ſolus ille plane novit qui eas creavit & miſit. Erat autem hoc verno tempore in Aprili in feſto beati Petri martyris, quo nuſquam alias naturali curſu & ordine conſueto apum examina viſa ſunt diſcurrere nec oriri. Nondum ſiquidem examinandi tempus advenerat, quod dominus temporis jam prævenit. Erant apes oblongæ aliquantulum amplius ceteris in figura, mites & manſuetæ, depoſito punctionis aculeo in natura. Sic mihi eas deſcripſit, qui eas vidit & præſens fuit, frater Johannes de Villa-nova Lemovicenſis dioceſis. Multitudinem etiam hominum, quam apes communiter & naturali inſtinctu fugiunt, non verentes, non infeſtæ cuicumque, ſed officioſæ potius & jocoſæ. Præmiſſa didici & collegi ex ore fratrum plurium narrantium, qui præſentes affuerunt, & eas viſibiliter ſuis oculis conſpexerunt, vel ex eis qui affuerant audierunt: ſpecialius tamen & ſerioſius a præfato fratre Johanne de Villa-nova, qui præſens affuit, & poſtmodum ſæpius enarravit. In quo ſigno præter ſpeciem quam ſenſibus ingerebat, quamvis pulcre & apte multiplex poſſit alia ſpiritualis intelligentia figurari, mihi tamen videtur non incongrue deſignari, ſalvo in hoc altiori alterius intellectu & judicio meliori, ut apis argumentoſa, cujus fructus favus cum melle, teſte ſcriptura, dulcoris habet initium, fundationi habitaculi fratrum, ſervorum & miniſtrorum Dei ſedule affuerit & devote, qui de favorum cellulis ſcripturarum ſanctarum mella dulcedinis cum devotionis ſapore in prædicatione verbi Dei debebant populis eliquare, ipſoſque favos in cibum ſalutis frangere & partiri, odoris ſanctæ opinionis & famæ fragrantia comitante, & tamquam alterum examen apum ſpiritualium congregatum mellificando in tota patria ferre fructus uberes & ſalubres. Suntque nonnulla alia ſapida & devota ſub ſpirituali figura clauſa & ſignata, quæ tam rerum experientia apertius docet & aperit, quam devota perſcrutatio & ſtudioſa meditatio dulcius ſugit, ſi tamen ſedulum & devotum habuerint interpretem, qui pie noverit ſugere mel de petra.

Nec ſilendum hic arbitror, quod nequaquam debet in conventu Brivenſi oblivio ſepelire; in clauſtro ſcilicet fratrum juxta oſtium ſacriſtiæ introeuntibus ad ſiniſtram, ſub lapide humili theſaurus conditur pretioſus, corpus dignæ ſemper memoriæ dominæ Huguæ de Caſtris, quæ femina Deo devota extitit, intenta eleemoſynis & operibus pietatis, cujus cor ardens erat in amore Dei, & vita aſpicientibus luminoſa, fratrum Prædicatorum devota hoſpita, magna benefica, & amica, in cujus tranſitu ex hoc

mundo circa illam horam in qua ſancta ejus anima erat de corpore egreſſura, globus igneus & claritas luminis apparuit ſuper domum illam, in qua jacebat. Erat autem nox, cujus noctis tenebras immenſa claritas illuſtravit, quam plures qui ibidem vigiles aſſiſtebant, corporalibus oculis diutius conſpexerunt, videbaturque aſpicientibus in cœlum paulatim illa claritas elevari, ſicque anima ejus de præſenti vita egreditur, ut pie credendum eſt, ad patriam claritatis æternæ procedens cum jocundo ſigno luminis præeunte. Unus ex illis qui affuerunt adhuc hodie ſupervivit, ſcilicet anno Domini MCCCV. menſe Januarii quo hæc ſcripſi, annis pluribus ab ejus tranſitu jam elapſis, teſtis fidelis, virque tam religionis canonicus, quam morum gravitate & antiquitate temporis jam grandævus, omni procul dubio dignus fide. Hic mihi devote retulit, & ſingula ſerioſius aſſeruit ſe vidiſſe, & a pluribus aliis ſæpius audieram diu, ante quod etiam in diebus illis vulgatum fuit, & publice prædictum, & per totam illam viciniam vox inſonuit tantæ & inſolitæ novitatis. Obiit autem anno Domini MCCLXVI. in feſto undecim millium Virginum in ſancto Bonito, & corpus ejus portatum eſt apud Brivam in conventum fratrum Prædicatorum, ſicut optaverat & elegerat adhuc vivens.

Tertius prior frater Elias de Briva dictus *de la Piſſoria*, ſucceſſit fratri Aymerico de Barrio: prior fuit annis quatuor, fuitque abſolutus in capitulo provinciali Caturci anno MCCLXXIV. Tempore prioris fratris Eliæ fuit inchoatum refectorium & dormitorium, quod eſt ſupra ipſum & totum reſiduum, prout protenditur verſus infirmitorium ad orientem, antequam iter arriperet ad provinciale capitulum Ciſtercienſe anno MCCLXX. & proſperatum eſt opus in manu fratris Arnaldi de Caneto, tunc lectoris, quem pro ſe vicarium dereliquit, qui non ſegniter agens, opus proſecutus eſt diligenter, implens illud proverbiorum 6. *Diſcurre, feſtina, ſuſcita amicum tuum.* Unde actore Deo cooperantibus amicis domno GERALDO DE CARDALHACO abbate Obazinæ, & domino Aymerico capellano Douzenſiaci, & quibuſdam aliis devotis perſonis, infra breve tempus fuerunt tam magni parietes non mediocriter elevati. Mortuo vero AYMERICO Lemovicenſi epiſcopo anno Domini MCCLXXII. qui legavit fratribus quatuor millia ſolidorum, fuit exinde quaſi totum ædificium, quod magnum eſt, coopertum. Hic frater Elias ſenex & plenus dierum & operibus bonis, pluſquam quinquagenarius in ordine obiit in conventu Montis-Albani, circa feſtum apoſtolorum Simonis & Judæ anno Domini MCCXCVI. Fuit inde tranſlatum corpus ejus Brivam.

Quintus prior fuit Johannes *de Chaſtane* Lemovicenſis diœceſis, ſucceſſit fratri Ademaro Seguini. Prior fuit anno I. fuitque abſolutus in capitulo provinciali Narbonenſi anno Domini MCCLXXX. Tempore prioratus ſui fuit fundata magna illa domus infirmitorii, quaſi in principio ſui regiminis anno Domini MCCLXXIX. Item, eodem anno fuit inchoata eccleſia & fundata, & in capite ipſius eccleſiæ poſitus primus lapis per dominum Petrum de Mala-morte cum D. Bertranda ſua nobili genitrice, jure & devotione patronatus. Hic fuit vir devotus & lætus, & promtus admodum prædicator. Senex gratus, vigilator & orator indefeſſus, ſubprior Lemovicenſis exiſtens obiit apud Haentum in prædicationis officio, in Quadrageſima IV. calend. Aprilis, inchoato an. Domini MCCLXXXI. ſepultus eſt in clauſtro Lemovicenſi.

FUNDATIO CONVENTUS Brageriacenſis.

ANno Domini MCCLX. vel circa venerunt primitus fratres Prædicatores apud Brageriacum Petragoricenſis diœceſis, ad habendum & præparandum & diſponendum ſibi locum, inter quos frater Bernardus de Porcheriis fuit promotor magnus & ſollicitus. Manſerunt autem fratres multo tempore in villa, in hoſpitio *de Foleran*, & locus fratrum interim parabatur. Dominus Elias Bruneti Burgenſis fuit patronus fratrum, qui locum pro fratribus emit & eis dedit, & dormitorium eis ædificavit, & multa bona fecit. Geraldus Rotgerii ædificavit capitulum fratrum, in quo fratres primitus miſſam celebraverunt.

Anno Domini MCCLXII. in actis capituli provincialis Narbonæ in feſto B. Mariæ Magdalenæ aſſignati, fuit receptus locus apud Brageriacum, & vicarius poſitus frater Bernardus de Garriga Petragoricenſis, fueruntque fratres XII. aſſignati.

Anno Domini MCCLXIV. in actis capituli provincialis in Avenione in feſto B. Mariæ Magdalenæ celebrati, fuit in præfata villa Brageriacenſi conventus fratrum regulariter poſitus & receptus, & primus prior inſtitutus frater Guillelmus de S. Aſterio Petragoricenſis diœceſis, &c.

FUNDATIO CONVENTUS S. EMILIANI.

ANno Domini MCCLXII. in actis capituli provincialis Narbonæ in feſto B. Mariæ Magdalenæ aſſignati, fuit receptus locus apud S. Emilianum Burdigalenſis diœceſis, & vicarius aſſignatus.

Anno Domini MCCLXV. in actis capituli provincialis in Monte-Peſſulano poſt generale ibidem immediate celebrati, fuit in villa S. Emiliani conventus fratrum Prædicatorum regulariter poſitus & receptus, & primus prior inſtitutus frater Geraldus *Darſis*, &c.

A

FUNDATIO CONVENTUS APPAMIENSIS.

ANno Domini MCCLXIX. in actis capituli provincialis Biterris die ante feſtum B. Mariæ Magdalenæ celebrati, fuerunt aſſignati frater Peregrinus & frater Guillelmus Blanchi loco Appamienſi providendo, qui operarentur & procederent in ipſius loci promotione de prioris Toloſani conſilio & aſſenſu. De aliis autem fratribus neceſſariis prior provincialis provideret, vel faceret provideri.

Anno Domini prætaxato MCCLXIX. in feſto omnium Sanctorum dominus frater RAYMUNDUS epiſcopus Toloſanus in præfato loco fratrum Appamienſi miſſam ſolemniter celebravit, & cimiterium fratribus benedixit, & prædicavit clero & populo convocato; & ex tunc cœperunt fratres ibidem divinum officium ſolemniter peragere & pariter habitare. Frater Bernardus Gauterius Toloſanus fuit vicarius inſtitutus.

Anno Domini MCCLXX. in actis capituli Siſtaricæ in feſto apoſtolorum Petri & Pauli celebrato, fuit in villa Appamienſi, quæ tunc C erat diœceſis Toloſanæ, conventus fratrum Prædicatorum regulariter poſitus & receptus. Et primus prior inſtitutus frater Guillelmus Garini de Fano-Jovis, &c.

FUNDATIO CONVENTUS MORLANENSIS.

ANno Domini MCCLXVIII. in actis capituli generalis apud Viterbium celebrati, fuit conceſſa domus ponenda in Morlanis, ſi priori provinciali & diffinitoribus expediens videretur.

Anno Domini MCCLXIX in actis capituli provincialis Biterris Dominica ante feſtum B. Mariæ Magdalenæ celebrati, fuit in Morlanis locus poſitus & receptus, & vicarius inſtitutus.

Anno Domini MCCLXXI. in actis capituli provincialis Narbonenſis in feſto B. Dominici celebrati, fuit ordinatum quod prior Ortheſii teneret continuo duos fratres in loco de Morlanis, & mutaret eos per vices de quindena in quindenam, & illi manerent ſine briga cum monachis, ſed ſervarent poſſeſſionem loci, donec prior provincialis aliter ordinaret. Fratres vero de Morlanis fuerunt aſſignati conventui Ortheſienſi quibuſdam exceptis, qui fuerunt nominatim aliis conventibus aſſignati.

Anno Domini MCCLXXII. in actis capituli provincialis Caturci celebrati, fuit in villa de Morlanis conventus fratrum Prædicatorum regulariter poſitus & receptus, & primus prior inſtitutus frater Bernardus de Villa, &c.

FUNDATIO CONVENTUS RIVENSIS.

ANno Domini MCCLXXII. in actis capituli provincialis Narbonæ in feſto B. Dominici celebrati, fuit aſſignatus & vicarius poſitus ad promovendum locum de Rivis F. Raymundus de Ponte, & fuerunt aſſignati fratres Raymundus Amelii, Bernardus de Boſco, Vitalis de Fabrica, Petrus Lemovicenſis, Petrus de Tilbone.

B Anno Domini MCCLXXIII. in actis capituli provincialis Caturci celebrati fuerunt deputati & miſſi prior Anicienſis, & prior Pruliani, frater Arnaldus Sequerii ad inquirendum de loco Rivenſi & Vallis capriariæ, & de conditionibus ipſorum locorum, & ut de præmiſſis diligenter inquirerent & viderent, cum poteſtate quod poſſent alterum locum dimittere, ſi eis expediens videretur, & de retinendo altero ſpem donare.

Anno Domini MCCLXXIV. in actis capituli provincialis Toloſæ in feſto B. Mariæ Magdalenæ celebrati; fuit pro loco Rivenſi diœceſis Toloſanæ conventus fratrum Prædicarum regulariter poſitus & receptus. Et primus prior inſtitutus frater Raymundus de Ponte Toloſanus, & lector aſſignatus frater Raymundus Hunaudi, & fuerunt aſſignati fratres.

FUNDATIO CONVENTUS ALTOVILLARIS.

ANno Domini MCCLXXV. in actis capituli provincialis Perpiniani in feſto B. Dominici celebrati, fuit receptus primus locus in Altovillari diœceſis Agenenſis. Fuit quoque ſimul conventus ibidem regulariter poſitus & receptus, & primus prior inſtitutus frater Arnaldus de Pontiaco Condomienſis & lector aſſignatus frater Raymundus Guillermi de Villa-Franca & fuerunt aſſignati fratres.

FUNDATIO CONVENTUS ALBIENSIS.

ANno Domini MCCLXXV. in actis capituli provincialis Perpiniani in feſto B. Dominici celebrati, ad promovendum locum Albienſem fuerunt deputati & aſſignati fratres Guillelmus Vitalis, qui fuit vicarius ibidem, Hugo de Marciaco, Guillelmus de Coya, Guillelmus de Ampiaco, Iſarnus Garengavi, Johannes Gaventi Albienſis, Bernardus Mileti, converſi vero Petrus de Curvalha & Germanus.

Anno Domini MCCLXXVI. in actis capituli generalis Pariſius celebrati, fuit conceſſa domus nominatim ponenda in civitate Albienſi, ſi priori provinciali & diffinitoribus expediens videretur.

Anno Domini MCCLXXVI. in actis capituli provincialis in Ageno, in feſto aſſumtionis

B. Mariæ celebrati, fuit in civitate Albienſi conventus fratrum Prædicatorum regulariter poſitus & receptus, & primus prior inſtitutus frater Bernardus de Bociacis, &c. Tempore prioratus ſui fuit inchoatum & magna ex parte conſummatum dormitorium bonum. Prior fuit annis IV. fuitque abſolutus in capitulo provinciali Narbonenſi anno Domini MCCLXXX. Hic fuit parvæ ſtaturæ & virtutis magnæ, vir bonus, devotus & ſtudioſus, otium ſemper vitans, & ad prædicandum verbum Dei ſpontaneus. Vixit autem diu in ſenectute bona & honorabili. Hic fuit prior Caſtrenſis & Figiacenſis. Obiit autem in conventu Albienſi in feſto vel craſtino S. Martini anno Domini MCCXCVII. ab ingreſſu vero ordinis anno XLIX. completo.

Sextus prior Guillelmus Bernardi Galliacenſis ſucceſſit fratri Raymundo Rotgerii. Tempore prioratus ſui fuit fundata eccleſia fratrum, anno MCCXCIII. Dominica infra octavas apoſtolorum Petri & Pauli, qua die Dominica venerabilis pater dominus Bernardus de Caſtaneto epiſcopus Albienſis indutus pontificalibus, cum miniſtris indutis ſacris, proceſſionaliter acceſſit ad caput quod nunc eſt eccleſiæ, cum conventu fratrum, [a] cum canonicis multis utriuſque eccleſiæ (a) Albienſis, ac multitudine copioſa plebis, cum officio ſolemni pſalmorum, & cantus, ſecundum rubricam ordinarii epiſcoporum, ibique devote flexis genibus in terra, poſuit in fundamento primarium lapidem politum prius & conſignatum; ipſum lapidem ipſe ſituans & cementans, manu artificis dirigente. Ego frater Bernardus Guidonis lector eo tempore in conventu, & diaconus in ipſo officio ſacris indutus, qui vidi & aſtiti, præmiſſa ſcripſi, ut qui non viderunt poſteri qui futuri ſunt, ita credant. Epiſcopus memoratus tunc nihil obtulit, ſed tempore ſuccedente in poſterum dedit pro opere ipſius eccleſiæ partem bonorum ſibi incurſorum, [b] quæ ad epiſcopum pertinebat, duorum (b) civium de Albia, qui fuerunt pro crimine hæreſis ſententialiter condemnati, jam defuncti, ad valorem mille librarum Turonenſium & amplius. Prædictus frater Guillelmus Bernardi fuit prior annis quaſi duobus. Fuit autem abſolutus in capitulo generali Montispeſſulani, anno Domini MCCXCIV. Hic frater Guillelmus, vir magnæ auſteritatis & abſtinentiæ in victu extitit, zeloque prædicationis evangelii Domini Jesu Christi, & deſiderio ſalutis gentium ſuccenſus pertranſiit in Græciam, pervenitque cum ſociis Conſtantinopolim, ubi locum ad habitandum accepit, profecitque ſic in lingua Græca, quod eam plane ſcivit, & libros Latinos fratris Thomæ in Græcum tranſtulit; ſicut A audivi a ſociis ſuis, qui ibidem cum ipſo fuerunt converſati, quos ego poſtmodum vidi, qui ſibi perhibebant teſtimonium ſanctitatis. De Conſtantinopoli vero tranſivit ultra in villam quæ vocatur Pera, ubi ſimiliter locum habuit ad habitandum cum fratribus duodecim conventualiter verbum Domini prædicans, & diſputans contra errores Græcorum, & in aliis ſalutis operibus jugiter ſe exercens. Arripuit autem iter verſus Romam de Toloſa, anno Domini MCCXCVIII. paulo poſt feſtum ſancti Michaëlis: de Roma vero in Græciam anno ſequenti profectus eſt. B Hic fuit prior Montis-Albani & Ruthenenſis, & lector in multis conventibus.

Septimus nomine prior, minor omnium ſucceſſi ego frater Bernardus Guidonis Lemovicenſis, fratri Guillelmo Bernardi. Fui autem confirmatus in priorem in craſtino B. Mariæ Magdalenæ anno Domini MCCXCIV. Hoc in tempore facta fuit magna campana eccleſiæ, & murus latericius horti ex parte foſſati. Fueram autem ibidem prius in officio lectoris annis duobus præcedentibus, & ſub nuncupatione prioris ſequentibus annis tribus, & in quarto anno qui tunc agebatur, C fui inde tranſlatus ad prioratum Carcaſſonenſem, ſabbato poſt feſtum S. Dionyſii, confirmatus anno MCCXCVII. qui præmiſſa omnia recollegi & ſcripſi.

Decimus prior frater Falco de S. Georgio ſucceſſit fratri Bono mancipio. Tempore prioratus ſui fuit facta illa magna domus, quæ eſt inter capitulum & dormitorium, cum libraria teſtudinata, quæ eſt de ſubtus, fuitque capitulum inalbatum, & ſacriſtia pulchra valde conſummata, præter ornatum interiorem, quæ tamen prius fuerat inchoata; D pro qua ſacriſtia legaverat Johannes de Solemniaco civis Albiæ centum libras, fuitque paries eccleſiæ ex parte clauſtri, elevatus uſque ad tectum clauſtri fere, & pars illa clauſtri, quæ eſt ex parte capituli fuit facta; fueruntque in Albia per epiſcopum & inquiſitores plures pro crimine hæreſis condemnati, uſque ad viginti quinque. Prior fuit anno uno & menſibus tribus, priorque exiſtens factus fuit inquiſitor Toloſanus circa feſtum ſancti Michaëlis anno Domini MCCC. Fuit autem abſolutus a prioratu Albienſi paulo poſt ſequens Natale Domini in Toloſa. Hic obiit E Carcaſſonæ die Mercurii infra octavas epiphaniæ quarto idus Januarii anno Domini MCCCVII.

Undecimus prior frater Guillelmus de Moreriis Toloſanus, de ſubprioratu Toloſano aſſumtus, ſucceſſit fratri Falconi in prioratu Albienſi paulo poſt epiphaniam Domini, factus prior anno Domini MCCC. Prior fuit anno uno & dimidio, fuitque inde prior exiſtens factus inquiſitor Toloſanus Pariſius, ubi erat anno Domini MCCCII. in feſto B. Petri martyris, fratre Falcone ab inquiſitionis offi-

(a) Cathedralis ſcilicet S. Ceciliæ & collegiatæ S. Salvii.
(b) In margine legitur: *iſti duo fuerunt Guillelmus Aymerici, Johannes de Caſtaneto.*

cio abſoluto. Fuitque abſolutus a prioratu Albienſi in ſequenti provinciali capitulo Carcaſſonenſi anno Domini MCCCII. Hic inquiſitor exiſtens obiit apud Peruſium in curia, ubi agebat pro officio & negotio inquiſitionis contra vice-dominum Ambianenſem, & alios qui ſe opponebant inquiſitoribus, IV. nonas Julii anno Domini MCCCIV.

Notandum autem eſt hic præſentibus & poſteris incidenter, ne abhorreſcant propter adverſos caſus, quod temporibus & annis iſtis inſurrexerunt multi hæreticales, aut de genere hæreticalium de Albia & de Cordua, confœderati cum Carcaſſonenſibus in malum. Convenerunteque in unum contra officium inquiſitionis & contra inquiſitores hæreticæ pravitatis, necnon contra dominum BERNARDUM DE CASTANETO epiſcopum Albienſem, occaſione & cauſa, quia condemnaverant quoſdam de Albia & de Cordua, & de quibuſdam locis aliis diœceſis Albienſis pro crimine hæreſis, de quo confeſſi fuerant & convicti: calumniantes & impugnantes multipliciter ſententias & judicium eorumdem, opponenteſque difficultates & obſtacula, ne procederent amplius contra quoſdam alios de dictis locis, qui reſtabant, & erant accuſati & ſuſpecti de hæreſi: vehementer totis conatibus inhiantes, ut proceſſus inquiſitorum & epiſcopi inficiarent & diffamarent, totamque patriam contra ipſos inquiſitores & epiſcopum cum multis falſis ſuggeſtionibus & diffamationibus concitarunt, quoſdamque falſos rotulos nomine inquiſitorum & epiſcopi confictos divulgaverunt per villas & caſtella, in quibus dicebantur multorum vivorum ac defunctorum nomina contineri, qui erant innocentes & innoxii in multitudine incredibili, & alias inaudita, ut ſic corda plurium concitarunt, feceruntque in populo ſeditionem maximam, conatique fuerunt dominum regem Franciæ ac reginam, totumque regis conſilium ac ejus curiam concitare, ſub ſpecie pietatis, prætendentes iniquitatem inquiſitorum & epiſcopi, ac proceſſuum eorumdem: condemnatos vero juſtificantes & catholicos aſſerentes; ſed mentita eſt iniquitas ſibi, & veritas non defecit in finem, miſſique fuerunt a domino PHILIPPO rege Franciæ, ad procurationem ipſorum, ad partes iſtas cum regia poteſtate dominus JOHANNES DE PINQUONIO vicedominus Ambianenſis miles Picardus, & Richardus Nepotis Normannus, archidiaconus Algiæ in eccleſia Lexovienſi, qui reformatores patriæ in ſuis litteris ſe dicebant: ſub quibus multiplicata ſunt mala in terra contra officium inquiſitionis, & inquiſitores & epiſcopum; & plures additi ſunt ad eos, & ipſi facti ſunt illis firmamentum malitiæ & nequitiæ, cœperuntque ex tunc hæreticales cornua erigere ac ſævire gravius & amplius inſanire, fuitque ab eis inquiſitionis officium multipliciter perturbatum & impeditum, fueruntque capti aliqui miniſtri inquiſitionis de mandato vicedomini, & carceres inquiſitorum invaſi per eum. Fuerunt etiam plures comminationes ac minæ multiplices inquiſitoribus ac miniſtris inquiſitionis & amicis & epiſcopo Albienſi ſæpius intentatæ in partibus Albienſibus & Carcaſſonenſibus & etiam Toloſanis, clamabantque contra eos, Ad proditores, ad proditores. Bona quoque temporalia epiſcopi, procurantibus hæreticalibus, fuerunt occupata, & decimæ per quoſdam, qui ſe dicebant nobiles, uſurpatæ, & contra epiſcopum memoratum, de Toloſa, quo iverat hac de cauſa, redeuntem ad ſuam ſedem Albienſem, cum appropinquaret civitatem, exiverunt de civitate homines & mulieres, turba coadunata & colligata in malum, clamantes ad eum: Ad mortem, ad mortem; moriatur proditor, moriatur; fuitque invaſus ab eis, & ignominioſe verbis & vituperiis ſaturatus. Quibus e contrario paſtor bonus benedicebat more epiſcopali, exemplo Salvatoris, qui cum malediceretur non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur; patienterque ac conſtanter omnia toleravit, nullius poſtmodum ultionem aut vindictam requirens, ſed magis ipſorum errori compatiens & condolens ex animo clementer indulſit, ſciens quod beati ſunt qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Prius autem ſuos qui in ſua comitiva erant, animaverat ad patientiam ſermonibus valde bonis, & eis inhibuerat ſub pœna ſui amoris & anathematis, ne ipſum in caſu illo defenderent vi armorum aut vindicarent, aut alias alicui vim inferrent, ſed cum eum interfici aut trucidari cernerent, ad Deum clamarent: *Te Deum laudamus*, aſſerens ſe ſpontaneum mori pro juſtitia fidei quam tenebat; feceratque omnes domicellos deponere enſes & gladios coram ipſo ante ipſum introitum civitatis, eratque videre hinc gaudium, hinc lamentum. Actum eſt hoc anno Domini MCCCI. tertio idus Februarii. Inter quæ mala apoſuerunt adverſarios & fratres Prædicatores eadem de cauſa ubique perſequi & moleſtare, & vituperiis ac injuriis laceſſere ac publice diffamare, & verbum Domini in ore ipſorum impedire, in tantum quod in ipſa civitate Albiæ fratres Prædicatores, qui iverant quadam die Dominica prima in adventu Domini anno MCCCII. ad eccleſiam S. Salvii & S. Martianæ & alibi, ad prædicandum verbum Domini, fuerunt ejecti turpiter & publice de eccleſiis & de locis in quibus ad proponendum verbum Dei ſe præparabant, depoſiti & dimiſſi: & quidam ipſorum qui actu prædicabat, fuit violenter tractus, & impulſus, & ejectus de eccleſia Caſtri-veteris. Frater Dominicus Lauterii & ſocius ejus novitius per iniquos omnino extraneos

tranеos ſibi tentatus ad exitum ordinis, qui ex hoc ſpiritus fervore concepto, non conſenſit miniſtris ſatanæ, verum ipſos viriliter repulit & confudit, & in ordine conſtantior eſt effectus. Clamabaturque contra eos: Ad proditores, ad proditores; moriantur & moriantur; & ita cum vituperiis & contumeliis vix permiſſi fuerunt ad conventum redire: nec ex tunc permiſſi fuerunt in eccleſiis per quinque aut ſex annos verbum Domini prædicare, nec fratres bene audebant ire per civitatem, quia maledicta & vituperia contra ſe audiebant. Subtraxeruntque Albienſes fratribus Prædicatoribus omnes eleemoſynas & ſepulturas, & alia beneficia & obſequia pietatis & ſubſidia caritatis, nec veniebant ad eccleſiam fratrum ad videndum etiam Corpus Chriſti. Ad hæc ad ſuæ dementiæ cumulum ampliorem, & notam cauſæ ſuæ perfidiæ quam defendebant, fecerunt ſacrilegi deleri imagines & ſcripturam S. Dominici confeſſoris, & S. Petri martyris a latere imaginis crucifixi de portali civitatis Albiæ, quod eſt juxta fratres, feceruntque ibidem loco ipſorum ſanctorum depingi imagines & nomina ſuperſcribi præfati vicedomini & archidiaconi mortalium peccatorum, cum duobus hinc inde peccatoribus advocatis, ſcilicet Petro Probi de Caſtris, & Arnaldo Garſia de Albia: in quo facto evidenter cunctorum aſpicientium oculis ſuam inſaniam demonſtrarunt; reprobantes ſanctos per ſanctam eccleſiam approbatos, & approbantes & autenticantes inanes & devios peccatores. Sed tandem ſtare non permiſit veritas falſas imagines & ſcripturas; fuerunt namque poſt aliquot annos inde abolitæ & deletæ, & reparari coëgit æquitatis auctoritas & cenſura ſanctorum imagines, quorum nomina in libro vitæ indelebiliter ſunt conſcripta. Conventum quoque fratrum pluries invaſerunt, & hortos intraverunt & ſpoliaverunt, & multas moleſtias & damna fratribus intulerunt, & vituperiis affecerunt, quæ longum eſſet hic per ſingula enarrare, & alibi latius ſunt notata. Sed fratres egentes & anguſtiati & afflicti cum multa patientia, quæ ipſis neceſſaria valde fuit, æquanimiter portaverunt, nec eis defuit, qui deeſſe non poteſt Deus adjutor in opportunitatibus in tribulatione quæ ſupervenit eis nimis. Fuerunt autem inter actores malorum, incentores & cooperatores, & complices prædictorum præcipui, & majores in publico, Arnaldus Garſiæ, Johannes *Donadieu* juriſperitus, Raymundus Bauderii junior cives Albienſes; Galhardus Stephani de Cordua, juriſperitus & judex tunc Albiæ, Guillelmus de Peſinchis habitator de Monte-Guiſcardo, vicarius Albiæ, & Petrus Nicolai ſubvicarius. Iſti tres ultimi qui compeſcere poterant & debebant, amplius incendebant, & qui ex incumbenti officio publico tenebantur defendere & tueri inquiſitionis officium, gravius impugnabant. Petrus Probi de Caſtris, juriſperitus, advocatus pro eiſdem, ubique contra inquiſitores & epiſcopum ſeipſum exhibuit defenſorem, non veritus mentiri contra veritatem & juſtitiam impudenter. Frater Bernardus Delitioſi de Monte-peſſulano de ordine fratrum Minorum, ſtipendiarius Carcaſſonenſium & Albienſium & Corduenſium in hac cauſa, pro eiſdem publice & privatim ſe oppoſuit inquiſitoribus & epiſcopo Albienſi & proceſſibus eorumdem, ubique diſcurrens per patriam & in Franciam perſequens inquiſitores & epiſcopum, & concitans populos in publicis prædicationibus contra eos, condemnatos pro hæreſi defendens, eoſque aſſerens catholicos & devotos. Taceo de nominibus plurium aliorum religionis ejuſdem, propter religionis honorem, qui in plurimis nocuerunt, & male ſe habuerunt, & plures perſonas contra inquiſitionis officium concitarunt, & corda gentium commoverunt. Sub hac perſecutione inquiſitorum & perturbatione officii convenerunt hæretici plures, & multiplicati cœperunt & hæreſes pullulare, & infecerunt plures in diœceſi Appamienſi, & Carcaſſonenſi, & Toloſana, & in confinio Albigeſii, ſicut per inquiſitionem legitimam & deprehenſionem ipſorum hæreticorum & credentium eorumdem poſtea patuit evidenter, talemque fructum talia ſemina protulerunt. Cœperunt autem prædicta mala publice apparere anno Domini MCCCI. proceſſeruntque in pejus per ſeptem vel octo fere annos continuos ſubſequentes, quibus perſecutio perduravit; finis vero perſecutorum confuſio & ignominia fuit. Nam vicedominus Ambianenſis præfatus eadem die qua excommunicationis ſententia contra ipſum fuerat publicata anno revoluto, ſic percuſſus anathemate, tamquam officii notorius impeditor, interiit in terra aliena, ſcilicet in Abrucio in regno Siciliæ, * ſine clerico & ſine ſacerdote, & ſine perceptione ſacramentorum eccleſiæ, anno Domini MCCCIV. in feſto ſancti Michaëlis. Archidiaconus poſtmodum factus epiſcopus Biterrenſis, lepra percuſſus ut Giezi, cum tali opprobrio obiit ſic leproſus, anno Domini MCCCIX. ante Pentecoſten. Frater Bernardus Delitioſi conſentiens & tractator proditionis contra regem Franciæ, poſtmodum per inquiſitionem regalis curiæ Carcaſſonæ inventus eſt & punitus, ſed non plene. Rotulos vero de quibus facta eſt mentio ſupra, dicitur confinxiſſe Ramundus Bauderii monachus de Candelio, diœceſis Albienſis, qui finaliter duabus vicibus laqueo ſe ſuſpendit, & ultima vice cum Juda proditore interiit deſperatus in hebdomada Paſchæ. Finis vero & conſummatio afflictorum pro defenſione fidei Domini JESU CHRISTI, laus & honor & victoria cum corona.

* In proceſſu Bernardi Delitioſi dicitur mortuus in curia Romana.

FUNDATIO CONVENTUS S. SEVERI.

ANno Domini MCCLXXVIII. priore provinciale existente fratre Bernardo Geraldi, fuerunt missi fratres ad inquirendum de loco S. Severi, & de conditionibus ejus pro ordine, videlicet frater Guillelmus de Prato, Stephanus Vitalis Agenensis, Pontius de Moreriis Tolosanus, & quidam alius qui fuit subprior Rivensis; ad quorum laudabile testimonium facta relatione, consequenter missi sunt illuc fratres ad manendum: qui manserunt primitus in quadam domo, scilicet Bernardi *de Paros*. Vicarius fratrum & loci fuit frater Arnaldus Navarri Ortheſienſis, qui ibidem postea mortuus est & sepultus.

Abbas verò S. Severi, qui primo cum sua littera assensum præbuerat, postmodum cum suis monachis se opposuit fratribus multipliciter & in multis, & specialiter ratione sepulturarum: sed actore Deo volentibus & instanter petentibus burgensibus & aliis probis viris ejusdem villæ, favente domino EDOARDO rege Angliæ, qui ex utraque parte fuit interpellatus, fratres inibi remanserunt, quorum patronus fuit dominus Bidomius, qui dedit magnam partem loci, & ducentas libras Morlanenses, pro ecclesia construenda. Processu vero temporis fratres composuerunt cum monachis, domina regina devota fratrum amica faciente, quæ sedule interposuit partes suas, sicut in littera inde confecta plenius continetur.

Anno Domini MCCLXXXII. in actis capituli Carcassonæ in festo S. Jacobi, assignatus fuit in villa S. Severi conventus fratrum Prædicatorum regulariter positus & receptus. Et primus prior institutus frater Petrus de Salvaterra Ortheſienſis, & lector assignatus frater Odo de S. Martino.

FUNDATIO CONVENTUS RUTHENENSIS.

ANno Domini MCCLXXXII. venerunt primitus fratres apud Ruthenam pro loco ordinis ibidem habendo, ad præparandum & disponendum quonam modo melius posset & citius expediri. Inter quos præcipuus promotor & ferventior apparebat frater Bernardus de Jaollo de Amiliano, qui ad hoc multo desiderio ferebatur.

Anno Domini MCCLXXXIII. in actis capituli provincialis Montis-Pessulani post generale, ibidem immediate fuit pro loco Ruthenensi vicarius assignatus frater Bernardus de Turre Aleſtensis, & fuerunt assignati fratres Bernardus de Jaollo præfatus, Bernardus Magistri de Monte-Pessulano, & alii usque ad sex, quos prior provincialis frater Berengarius Notarii duceret assignandos, qui in actis non fuerunt aliter nominati.

Anno Domini MCCLXXXIV. in actis capituli provincialis Perpiniani celebrati, fuit in civitate Ruthenensi conventus fratrum Prædicatorum regulariter positus & receptus, & primus prior institutus frater Johannes de Veyreriis Caturcensis, & lector assignatus frater Guillelmus Aymerici Tolosanus, qui parum remansit ibi, quia ante Natale Domini iter inde arripuit versus Parisius ad studendum, &c.

Primus prior in conventu fratrum Prædicatorum Ruthenensium fuit frater de Veyreriis Caturcensis institutus in capitulo provinciali Perpiniani anno Domini MCCLXXXV. Prior fuit annis v. Fuit autem absolutus in capitulo provinciali Narbonensi anno Domini MCCLXXXIX. Hic fuit vir sanctus & devotus, luminare clarum in monte illo, plenusque dierum & operibus bonis in fervore spiritus serviens Deo, plusquam quinquagenarius in ordine ingressus est in abundantia sepulcrum in conventu Ruthenensi, in die Annunciationis Dominicæ inchoante jam anno MCCCI. In hora autem ejus transitus, quædam sancta & nobilis domina, nomine domina Longabruna de Calvo-monte, quæ post sacræ Eucharistiæ susceptionem per tres vel quatuor horas in extasi & insensibilis effecta continue rapiebatur, in raptu posita vidit ejus spiritum per angelos ad cœlum deferri, ac inter doctores eumdem situari: quæ eadem hora advocans quamdam aliam dominam suam consociam, indicavit ei quod frater Johannes præfatus migrasset ex hoc mundo, eidem referens quomodo vidisset in spiritu constituta, præfatum fratrem Johannem in paradiso inter doctores collocatum. Dubitante autem præfata socia & dicente; quod ejus infirmitas nondum erat audita, misso nuncio ad conventum fratrum, qui distabat a castro illo per duas leucas, repertum est quod exequiebatur corpus ejus in ecclesia, & quod eadem hora qua domina illa dixerat, sancta anima illa transierat ex hac vita. Hic frater Johannes vocatus semel per dominum HENRICUM comitem Ruthenensem, qui tertianis febribus gravissime vexabatur, infirmo conquerenti de gravitate accessionis, & cum fide & devotione ejus suffragium imploranti compatiens, in nomine Domini anathematizando imperavit febri, ut eumdem comitem de cetero non vexaret; sicque factum est, ut ab eadem die & hora in antea omnino reliquerit eum febris: siquidem & istud in tantum vulgatum est, ut per incolas illius nationis ubique ad digitum ostenderetur: Hic est frater qui excommunicavit febrem comitis, &c.

Tertius prior frater Guillelmus Bernardi Galliacensis, Albiensis diœcesis, succeſſit fratri Durando prædicto. Prior fuit annis quasi duobus. Fuit autem absolutus in capitulo provinciali Narbonensi, anno Domini MCCXCVI. Hic transivit in Græciam, & per-

venit Conſtantinopolim, ubi domum accepit ad prædicandum gentibus verbum crucis: paulo poſt feſtum S. Michaëlis verſus Romam iter arripuit de Toloſa, anno Domini MCCXCVIII.

FUNDATIO CONVENTUS LECTORENSIS.

ANno Domini MCCLXXVI. frater Arnaldus de Pontiaco prior Altivillaris, accepit locum in Lectora, altare erexit & tenuit ibi fratres: quia tamen ſine auctoritate capituli fratrum fecerat inconſulte; ideo in ſequenti provinciali capitulo Agenenſi in feſto B. Dominici celebrato extitit revocatum, & ipſe fuit punitus, & in pœnam a prioratus officio abſolutus anno Domini MCCLXXVI.

Anno Domini MCCLXXXV. in actis capituli provincialis Condomii, in feſto B. Dionyſii celebrati, fuerunt deputati frater Bertrandus de Caſtro-novo Caturcenſis & frater Petrus Raymundi Baranſio Toloſanus, ut ad locum accederent Lectorenſem, & inquirerent diligenter, ſi ingreſſus poſſet haberi pacificus, & locus pro fratribus & ordine opportunus; & ſi poſſent haberi beneficia, per quæ ſecundum exigentiam ſtatus noſtri fratres poſſent ibi locum conſtruere, vivere & manere: quod ſi ita invenirent, locum ibi reciperent, & ex tunc prior provincialis vel ejus vicarius de fratribus mittendis idoneis proviſerent, ad loci promotionem, ut eſt moris, quod & factum extitit per omnia conſequenter.

Anno Domini MCCLXXXVII. in actis capituli provincialis Burdigalis celebrati poſt generale ibidem immediate celebratum, fuit in Lectora conventus fratrum Prædicatorum regulariter poſitus & receptus, & primus prior inſtitutus frater Petrus de Tapia Agennenſis, &c.

Quintus prior frater Arnaldus de Morlanis ſucceſſit fratri Nicolao prædicto, prior fuit ſex annis. Hic mutavit primum locum, & poſuit conventum infra villam nimis in arcto anno Domini MCCXCVI. Fuit autem abſolutus in capitulo provinciali Caturcenſi anno MCCXCVIII. Hic fuit tam lector quam prior viciſſim in ordine pluſquam XXX. annis, ſicut audivi ab eodem. Tandem ſenex pluſquam quinquagenarius in ordine obiit in Monte-Martiano, in domo Minoriſſarum, circa principium quadrageſimæ anno Domini MCCC III. inde portatus fuit & ſepultus in Morlanis.

Nonus prior frater Raymundus Bernardi de Roſeto Caturcenſis ſucceſſit fratri Eſio in feſto B. Bartholomæi Burdigalis confirmatus. Tempore prioratus ſui redierunt fratres cum conventu de ſecundo loco ad primum, Dominica in Ramis Palmarum, quæ contigit VI. calendas Aprilis, inchoato jam anno Dominicæ Incarnationis MCCCVI. Fuerant enim in iſto ſecundo loco arctati & infeſtati multipliciter annis decem. Prior fuit tribus annis completis. Fuit autem abſolutus, conceſſa abſolutionis littera in craſtino S. Lucæ Toloſæ, qua lecta in conventu Lectorenſi eſſet penitus abſolutus, anno Domini MCCCVIII.

FUNDATIO CONVENTUS S. Gaudentii.

ANno Domini MCCXC. ætatis tempore venerunt primitus fratres apud S. Gaudentium diœceſis Convenarum, ut acciperent ibi domum, ibique prævenientes licentiam & auctoritatem capituli conſuetam, erexerunt altare & celebraverunt ſub ratihabitione & confidentia bonæ mentis: inter quos frater Ademarius de S. Paulo promotor ferventior videbatur, qui inde fuit in ſequenti provinciali capitulo Appamienſi a vicario provinciæ fratre Bernardo de Trilia coram omnibus duriter redargutus. Remanſerunt tamen fratres ibidem pro loci promotione plurimum laborantes a paucis adjuti, & ab aliquibus maxime a canonicis S. Gaudentii impediti. Fuit tamen Deus cum eis.

Anno Domini MCCXCI. in capitulo provinciali Brivæ in feſto aſſumtionis B. Mariæ S. Virginis celebrato, frater Bernardus de Trilia memoratus, jam prior provincialis effectus, conceſſit de novo litteram & licentiam ampliorem fratribus remanendi ibidem ad loci promotionem.

Anno Domini MCCXCII. in actis capituli provincialis Brivæ in feſto aſſumtionis beatæ MARIÆ ſemper Virginis celebrati, fuit receptus locus pro ordine in villa S. Gaudentii, & vicarius aſſignatus frater Arnaldus de Morlanis, & fuerunt aſſignati fratres Ademarius de S. Paulo memoratus, Bernardus Guillelmi, Bonus homo, Petrus de Lertio, Johannes Deodati, Vitalis de Abbatia.

Anno Domini MCCXCIII. in actis provincialis capituli Carcaſſonæ in feſto beatæ Mariæ Magdalenæ celebrati, fuit in villa S. Gaudentii conventus fratrum Prædicatorum regulariter poſitus & receptus, & primus prior inſtitutus frater Bernardus de Campo-Bernardi Toloſanus, &c.

FUNDATIO CONVENTUS S. Juniani.

ANno Domini MCCXC. fuit tractatus habitus & conatus, quod conventus fratrum Prædicatorum reciperetur, & eſſet in villa S. Juniani Lemovicenſis diœceſis, quem tractatum pariter & conatum frater Petrus Virolis & frater Jordanis *Paute*, ambo de Rupe Cavardi, promovebant & præcipue faciebant: ſed fratres alii non pauci de conventu Lemovicenſi conantes in contrarium reſiſtebant & impediebant, prætendentes maxime quod conventum Lemovicenſem, ab

antiquo venerabilem & famoſum in fratribus & perſonis, oporteret tunc diminui & artari: quorum aliqui poſtmodum finaliter deſtiterunt reſiſtere, & pœnituerunt ſe reſtitiſſe. Præfati vero duo fratres procuraverunt interim litteras mitti ad ſequens provinciale capitulum, quæ ſequuntur.

Littera canonicorum S. Juniani.

Religioſis viris & in Dei filio cariſſimis priori provinciali Provinciæ & diffinitoribus capituli provincialis apud Biterrim celebrandi, Bartholomæus capellanus, Petrus Seguini, Bernardus de Monte-Peſſulano, Petrus Garati, Petrus Grilli, Guillelmus Seguini, Bernardus de Auriaco, Aymericus *Chaynes* & Junianus *Chaynes* ejus frater, Elias Baorelli, Petrus de Monte-Peſſulano, Petrus de Auriaco, Johannes de Vayraco, Johannes Boniti, Yterius Capreoli, Guillelmus de Azao, & Geraldus Galteri canonici eccleſiæ S. Juniani, Lemovicenſis diœceſis, volentes vobis ſuper his complacere, ſalutem cum recommendatione humili & devota.

Certis indiciis cognovimus, quod civitates & villæ ad quas veſtri gratia pro inhabitando ibidem feliciter declinaſtis, meliorate ſunt viſibiliter, tam in ſpiritualibus quam in temporalibus, tamquam a viris pacem portantibus, illuminantibus patriam & liberantibus Dei populum de vinculis peccatorum; propter quod veſtrarum orationum & aliorum bonorum veſtrorum volentes familiarius eſſe participes, viſum eſt nobis & utile, ut ſupplicemus veſtræ prudentiæ & etiam caritati, ut dum tempus pro vobis habetis, & noſtra devotio hoc requirit, ad villam S. Juniani prædictæ diœceſis, devotiſſimam veſtro ordini & beneficam, vobis placeat declinare, quia cum gaudio & lætitia nos & populus & clerus, ut conſtat nobis, vos recipiet & honore afficiet. Nam ſi differre volueritis, nociva erit vobis dilatio, ut credimus, & damnoſa. Nam frequenter dictum eſt, quod qui facere noluerit, dum potuerit, cum voluerit adimplere nequibit; & cum fratres ordinis S. Auguſtini de novo Lemovicis venerint, & villa noſtra noſtro judicio prævaleat aliis villis dictæ diœceſis, ut poteritis audire, cum reverendo patre fratre Petro de Mulceone quondam priore Lemovicenſi, ne dicti fratres vel alii vos præveniant, caveatis. Terra autem circum adjacens bona eſt & fertilis, in victualibus ſcilicet & frumento, vino & oleo, & populus humilis & devotus. Hoc etiam eſt timendum, ne per veſtram negligentiam iſtud negotium quamplurimum fructuoſum, impedimentum habeat, ſi per aliquorum negligentiam, vel per aliquorum de veſtris opinionem indiſcretam, tantum bonum & tam utile differatur; & ut prædictum negotium bonum finem habeat, nos bona fide in ſecreto & palam promittimus illud noſtris viribus juvaturos, ſi in prædicto capitulo optata gratia concedatur. Datum & ſigillis noſtris appoſitis die Veneris ante feſtum beatæ Mariæ Magdalenæ, apud S. Junianum in teſtimonium præmiſſorum, anno Domini MCCXCI.

Littera beneficiatorum in eccleſia S. Juniani.

Religioſis viris & in Dei filio cariſſimis priori provinciali & diffinitoribus capituli provincialis apud Biterrim celebrandi Petrus *Vezelay*, Petrus Seguini, Elias de Barreto, Petrus Paſſoti, Michaël Fabri, Johannes de Bello-loco, vicecapellanus eccleſiæ S. Petri de S. Juniano, Michaël de Montibus, Gaufridus de Clauſtro, Aymericus de Clauſtro, Guillelmus Gunteri, capellanus de Britannia, Petrus *Lobiſſene*, Johannes Tornerii, Petrus Larva, Johannes Sutoris, Elias Prati, Petrus Darra, Bartholomæus Portapica, Bartholomæus *Chaynes*, Geraldus Pictavini, Petrus Groſſi, Petrus Podio, Bartholomæus Almeoti, beneficiati in eccleſia S. Juniani, Lemovicenſis diœceſis, ſalutem, cum recommendatione humili & devota.

Certis indiciis cognovimus, &c. *ut ſupra*, datum anno, die, loco quibus ſupra.

Sequitur epiſtola prebendariorum & quorumdam aliorum numero octo ejuſdem tenoris. Tum littera burgenſium & quorumdam aliorum numero 24. ejuſdem etiam tenoris.

Prædictæ litteræ fuerunt præſentatæ per fratrem Raymundum Extranei Brivenſem priorem, provinciali fratri Bernardo de Trillia, & diffinitoribus capituli provincialis Biterrenſis, qui fuerunt frater Berengarius Notarii, magiſter in theologia, frater Petrus de Mulceone, inquiſitor Toloſanus, frater Bernardus de Juzico, lector Burdigalenſis, & frater ..... in capitulo provinciali Biterrenſi in feſto aſſumtionis B. Mariæ celebrato, anno Domini MCCXCI. Quibus intellectis, voluerunt & concordaverunt prior provincialis & diffinitores præfati, fuitque inter ipſos quaſi concluſum, locum recipere in villa prædicta S. Juniani. Sed finaliter incidit eis ibidem conſilium, quod uſque ad ſequens provinciale capitulum, quod ipſi aſſignaverunt in conventu Brivenſi celebrandum, receptionis hujuſmodi negotium differretur. Fuitque tunc receptio ſic dilata. Interim vero frater Vitalis & frater Jordanus *Paute* præfati cum domino Aymerico Roderii, qui erat hoſpes fratrum in S. Juniano, & multum hoc optabat, & promovebat quantum poterat, ſagaciter procuraverunt fieri donationem ordini de domibus Johannis & Yterii *Comtarau* fratrum de S. Juniano, ubi pro tempore reciperetur conventus fratrum Prædicatorum & eſſet; cujus donationis tenor & forma ſequitur in hæc verba:

Sequitur littera donationis loci pro conventu in S. Juniano.

Univerſis præſentes litteras inſpecturis, offi- A cialis Lemovicenſis ſalutem in Domino. Noverint univerſi, quod in noſtra præſentia conſtitutis in jure Johanne *Comtarau* de S. Juniano diacono ex una parte; & Petro Bovis procuratore religioſorum virorum fratrum Prædicatorum, quoad ſubſequentia audienda & recipienda ex altera, dictus diaconus pro ſe & nomine procuratorio Yiherii *Comtarau* fratris ſui, a quo aſſeruit quoad ſubſequentia facienda, fide data, habuiſſe ſpeciale mandatum gratis & ſcienter, penſatis meritis ipſorum fratrum Prædicatorum, & ſalubri devotione, & affectu dilectionis, B quam idem diaconus & ejus frater habent erga ipſos fratres Prædicatores & ordinem ſuum, donatione pura & ſimplici & irrevocabili habita inter vivos pro ſe & dicto fratre ſuo & heredibus ſuis, donavit in perpetuum, conceſſit, irrevocabiliterque quittavit Deo & dictis fratribus Prædicatoribus & ordini ſuo domos ſuas, ſitas apud S. Junianum, in barrio ſive vico *de Salern*, cum viridariis & villaribus ſitis trans dictas domos, & cum omnibus juribus & pertinentiis præmiſſorum, exceptis torculari, & cuvis, & doliis, & aliis C lignis, quæ in dictis domibus non ſunt infixa, & quidquid juris, dominii, poſſeſſionis, & proprietatis ipſi diaconus & ejus frater habebant & habere poterant quoquo modo in præmiſſis donatis, & de præmiſſis donatis idem diaconus pro ſe & dicto fratre ſuo & heredibus ſuis ſe deveſtivit in jure, & dictum procuratorem fratrum Prædicatorum nomine & ad opus ipſorum & ordinis ſui prædicti inveſtivit perpetuo de eiſdem: promittens pro ſe & pro dicto fratre ſuo & here- D dibus ſuis, quod dictos fratres Prædicatores poneret & induceret in corporalem, liberam & vacuam poſſeſſionem de præmiſſis donatis. Volens nihilominus & concedens, quod ipſi auctoritate propria poſſeſſionem præmiſſorum nanciſcantur & apprehendant, conſtituens ſe & dictum fratrem ſuum præmiſſa donata ipſorum donatoriorum nomine, ex nunc in antea poſſidere, donec ipſi donatarii poſſeſſionem nacti fuerint corporalem, & eiſdem ceſſit & tranſtulit pleno jure omnes actiones & jura ſibi competentes in præmiſſis donatis, & ratione ipſorum contra E quaſcumque perſonas. Retinuit tamen idem diaconus ad opus ſui & dicti fratris ſui, & parentum ſuorum in præmiſſis donatis ſepulturam ſuam in loco competenti. Et licet donator de evictione non teneatur, idem diaconus pro ſe & dicto fratre ſuo & heredibus ſuis promiſit, quod ipſis donatariis ſuis præmiſſa donata garentient & defendent, & quieta & libera ad pacem tenebunt ab omni evictione & ab omni homine in judicio & extra judicium, ut jus erit, & quod contenta omnia & ſingula in litteris iſtis tenebunt & attendent, & contra præmiſſa vel aliqua præmiſſorum per ſe vel per alium non venient tacite vel expreſſe. Et promiſit idem diaconus ſe facturum & curaturum quod dictus frater ſuus præmiſſa ratificet & approbet cum effectu, & ad præmiſſorum obſervantiam per nos voluit ſe compelli; ad quæ obſervanda nos ipſum diaconum volentem, inſtante dicto procuratore dictorum donatariorum, in ſcriptis ſententialiter condemnamus. In cujus rei teſtimonium ſigillum Lemovicenſis curiæ duximus apponendum. Datum VIII. calendas Novembris, anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſecundo.

Anno Domini MCCXCIII. die tertia menſis Novembris, poſt capitulum provinciale, quod fuit in conventu Brivenſi illo anno, in feſto Aſſumtionis B. MARIÆ Virginis celebratum, frater Gerardus *Paute* prædictus, de licentia & auctoritate fratris Raymundi Extranei prioris fratrum Prædicatorum conventus Brivenſis, ac vicarii tunc provinciæ, acceſſit ad villam S. Juniani, & celebravit miſſam in domo prædicta, & locum ibidem quantum in ipſo fuit, pro ordine acceptavit.

Sequitur inſtrumentum publicum de celebratione primæ miſſæ.

In nomine Domini. Amen. Anno ejuſdem MCCXCII. apoſtolica ſede penes nos vacante, indictione ſexta, menſis Novembris die tertia, in præſentia mei Aymerici infraſcripti notarii & teſtium ſubſcriptorum ad hoc vocatorum ſpecialiter & rogatorum, religioſus vir frater Jordanus Pauta ordinis fratrum Prædicatorum, celebravit miſſam de B. Virgine MARIA apud S. Junianum Lemovicenſis diœceſis, in domo quæ quondam fuit Johannis *Comtarau* diaconi extra portam villæ, in vico qui vulgariter appellatur *de Salern*, præſente fratre Geraldo Guillelmi ejuſdem ordinis, de conventu Petragoricenſi: qui, inquam, diaconus dedit dictam domum ſuam cum hortis & aliis pertinentiis ad dictam domum, prout in quibuſdam litteris ſigillatis ſigillo curiæ Lemovicenſis plenius continetur, Deo & beatæ Mariæ & beato Dominico, & ordini fratrum Prædicatorum, ad ædificandum ibidem oratorium aut eccleſiam, & cetera ædificia & officinas, ſicut ordo requirit, ad conventum ibidem recipiendum, & Deo & ejus beatiſſimæ Genitrici & B. Dominico primo patri ordinis prædicti perpetuo ſerviendum. Hæc autem omnia de voluntate & aſſenſu capituli & canonicorum & præbendariorum eccleſiæ S. Juniani facta ſunt, prout in litteris ſigillis eorum ſigillatis plenius continetur; & etiam de voluntate burgenſium, cleri & populi ejuſdem villæ, ut ipſi aſſeruerunt, & prima facie apparebat. Actum apud S. Junianum, anno, die, menſe, & indictione prædictis, præſentibus & audientibus dicto diacono, & Aymerico *Eſtanhac* clerico, Arnaldo *Lo Gaſco*,

& Blancha *Flors* ejus uxore, Johanne *Comtarau*, & Beatrice Pozeta laïcis ad hoc vocatis teſtibus ſpecialiter & rogatis. Et ego Aymericus Roderii de villa S. Juniani Lemovicenſis diœceſis, auctoritate apoſtolica publicus notarius, qui præmiſſis una cum dictis teſtibus præſens interfui, ea prout ſuperius leguntur fideliter ſcripſi, & in publicam formam redegi, & meo ſigno ſignavi rogatus.

Sequitur littera teſtimonialis de conceſſione licentiæ recipiendi locum.

Univerſis præſentes litteras inſpecturis, frater Raymundus Extranei ordinis Prædicatorum, ſalutem in Domino. Noverit ſit omnibus, quod olim tempore quo fuit ultimo celebratum provinciale capitulum in conventu Brivenſi fratrum noſtrorum, me exiſtente priore in dicto conventu & vicario ejuſdem provinciæ, de voluntate & aſſenſu diffinitorum prædicti capituli, dedi & conceſſi licentiam & auctoritatem quibuſdam fratribus recipiendi & acceptandi locum pro ordine in villa S. Juniani de prædicatione Lemovicenſi, & in eodem loco miſſas & alia divina officia tamquam in loco ordinis celebrandi. Et hæc omnibus quorum intereſt vel intereſſe poteſt, ſignifico per præſentes litteras ſigillo meo ſigillatas. Datum Brivæ die Mercurii infra octavas Aſſumtionis beatæ Mariæ, anno MCCCVIII.

Præmiſſis ſic peractis, fuit per aliquot annos a fratribus noſtris, quibus tunc temporis non placebat, dicti loci receptio & promotio retardata, ſic quod promotio ejus ulterior non parvo tempore dormitavit, videlicet annis XVIII.

Anno Domini MCCCVIII. in actis capituli provincialis in Rivis celebrati in feſto beatæ Mariæ Magdalenæ, fuit de loco S. Juniani per priorem provincialem & diffinitores taliter ordinatum: « Committimus fratri Ber» nardo inquiſitori Toloſano, quod de loco » S. Juniani, quem fratres noſtri olim dicun» tur recepiſſe, & divina officia celebraſſe ibi» dem, diligenter inquirat; & ſi invenerit quod » ad reponendum ibi fratres aliquid canoni» cum non obſtat, eidem concedimus aucto» ritatem in prædicto loco fratres, ut & unde » expedire viderit, & vicarium aſſignandi.

Ego vero præfatus frater Guidonis qui hæc ſcripſi, non potui vacare circa præmiſſa, tam in inquiſitione & inveſtigatione hæreticorum & credentium eorumdem, quam in punitione ipſorum in partibus Toloſanis totaliter occupatus; ideo per me circa prædictam commiſſionem nihil actum eſt illo anno.

Anno Domini MCCCIX. in actis capituli provincialis Petragoris in feſto S. Barnabæ celebrati, fuit de prædicto loco S. Juniani per priorem provincialem & diffinitores taliter ordinatum: « Volumus & imponimus « fratribus Guidoni Eliæ, & Hugoni de *Monterant*, quod ad locum S. Juniani ſine dilatione accedant & inquirant an fratres noſtri « ibi locum receperint, & divina celebraverint, & quod circa hoc invenerint, priori « provinciali denuntient, cui committimus, « quod ſi ita eſſe invenerit, fratres ibidem « ponat idoneos, qui de loco prædicto ordinent & diſponant. «

Conſequenter vero præfati duo fratres Guido Eliæ & Hugo de *Monterant* inquiſiverunt, & ſicut invenerunt, priori provinciali fratri Guillelmo de Anhanis retulerunt; qui relatione audita, & invento cum juriſperitis quod prædicta receptio, quæ fuerat ante conſtitutionem domini Bonifacii papæ VIII. de locis novis non recipiendis a nobis nec a fratribus Minoribus ſine ſedis apoſtolicæ licentia ſpeciali, tenebat & valebat de jure, vicarium inſtituit in dicto loco ſancti Juniani, & de fratribus ibidem ponendis providit & ordinavit.

Sequitur littera de inſtitutione vicarii ſancti Juniani.

In Dei filio ſibi cariſſimo fratri Hugoni de *Monterant* ordinis fratrum Prædicatorum, frater Guillelmus fratrum ejuſdem ordinis in provincia Toloſana ſervus indignus, ſalutem & augmentum continuum cœleſtium gratiarum. Cum in villa S. Juniani dudum pro ordine noſtro locus receptus fuerit; ſicut conſtat per dicta plurium, & fidem faciunt publica inſtrumenta; & in noſtro provinciali capitulo Petragoris proxime celebrato extiterit ordinatum, quod ſi contingeret ita eſſe, ibidem de vicario & fratribus idoneis providerem. Vos de cujus religione ac diſcretione certam gero fiduciam, in dicto loco vicarium pono & inſtituo per præſentes, curam ejuſdem loci & fratrum, qui eidem fuerint deputati, vobis in ſpiritualibus & temporalibus committendo. Volo autem & in remiſſionem peccatorum vobis injungo, quatinus ad præfatum locum vos quam citius conferatis, & intendatis promotioni ejuſdem cura pervigili & ſtudio diligenti, taliter ſuper his vos habentes, quod laudetur Altiſſimus, ædificetur proximus, honoretur etiam noſter ſtatus, & conventus ibi ponendus ſuo tempore proſperetur, ex veſtro veſtrorumque ſubditorum novo adventu pariter & pro . . . . . .

Primus prior frater Hugo *de Monterant* prædictus, inſtitutus in capitulo provinciali Appamienſi, in feſto S. Mariæ Magdalenæ celebrato anno MCCCX.

Primus ſubprior fuit frater Petrus de Viridario de Axia. Venerabilis pater dominus Reginaldus Lemovicenſis epiſcopus introduxit conventum in locum ſuum conventualiter cum ſolemnitate qua decuit & devotione, cum proceſſione canonicorum & fratrum Minorum, præſente clero & populo in multitudine copioſa, & ibidem ſo-

lemniter celebravit, & coram se prædicare fecit verbum Christi Dominica infra octavas S. Martini, videlicet XVII. calendas Decembris, anno Domini prætaxato MCCCX. dedirque fratribus quinquaginta libras Turonenses.

FUNDATIO CONVENTUS S. GERUNTII.

ANno Domini MCCCVI. in actis capituli provincialis Figiaci in festo B. Mariæ Magdalenæ celebrati, fuit per vicarium provinciæ fratrem Guillelmum *Aurelie* priorem Figiacensem, & per diffinitores de loco recipiendo in villa S. Geruntii Coseranensis diœcesis, ad instantiam nobilis viri domini ARNALDI DE YSPANIA, qui cum instantia & devotione conventum fratrum ibi habere petebat & volebat, prout sequitur ordinatum: « Committimus fratri Guillelmo de » Anhanis & fratri Arnaldo Guillelmi de Lor» dato, quod ipsi ad villam S. Geruntii acce» dant, inquirant, & videant, & inspiciant » diligenter locum oblatum, ordini, & alia » quæ dominus Arnaldus de Yspania duxit & » duxerit offerenda, & ipsi juxta tenorem lit» terarum reverendi patris magistri ordinis, » supposita licentia summi pontificis recipiendi » locum ibidem, & fratres ad hoc utiles de » aliis conventibus advocandi & compellendi, » auctoritate nostra habeant potestatem.

Prædicti fratres Guillelmus de Anhanis & Arnaldus Guillelmi de Lordato post præfatum provinciale capitulum juxta commissionem sibi factam ad villam S. Geruntii accesserunt, locumque & alia viderunt, considerarunt & inspexerunt; ad recipiendum locum ibidem tunc minime processerunt. Nondum enim licentia sedis apostolicæ habita fuerat seu concessa. Ad quam procurandam & habendam præfatus dominus Arnaldus promisit se daturum opem & operam efficacem, sicut postmodum adimplevit, & ipse a domino papa CLEMENTE V. petiit & obtinuit licentiam antedictam.

Anno Domini MCCCIX. in actis capituli provincialis Petragoris in festo B. Barnabæ celebrati, circa receptionem prædicti loci de S. Geruntio fuit per priorem provincialem & diffinitores prout sequitur ordinatum: « Volumus quod prior provincialis ad locum » S. Geruntii accedat, & diligenter inquirat, » si summus pontifex dedit licentiam reci» piendi locum ibidem. Quod si sibi de hoc » facta fuerit plena fides, & sibi visum fuerit » ordini expedire, committimus eidem quod » locum ibidem recipiat, & fratres idoneos » ponat ad loci promotionem, cum ad hoc » data fuerit per generale capitulum concessio » specialis. Post prædictum provinciale capitulum Petragoricense prior provincialis fratres Guillelmus de Anhanis cum fratre Arnaldo Johannis priore Pruliani accessit ad villam S. Geruntii, & compertо quod summus pontifex CLEMENS papa V. cum sua littera bullata licentiam concesserat specialem, quod fratres Prædicatores possent ibi locum recipere & habere; acceptavit locum oblatum pro ordine in villa prædicta S. Geruntii Coseranensis diœcesis cum solemnitate qua decuit, in vigilia S. Matthæi apostoli & evangelistæ, quæ contigit in sabbato quatuor temporum in Septembri anno Domini prætaxato MCCCIX. Præfatus vero prior Pruliani celebravit tunc in loco recepto primam missam de B. MARIA Virgine, fueruntque præsentes præfatus dominus Arnaldus cum sua nobili conjuge domina PHILIPPA sorore comitis tunc Fuxensis, cum sua nobili comitiva, necnon cum multitudine populi copiosa. Memoratus vero dominus Arnaldus emit totum locum pro conventu fratrum juxta juxta aquam quingentis libris Turonensibus, & dedit eisdem sicut dominus & patronus; elegitque ibidem suam, cum de ipso contingeret humanitus, sepulturam; & ad ædificia facienda, ac ad alias fratrum necessitates juvit in posterum larga manu. Prior autem provincialis instituit ibidem vicarium fratrem Petrum Arnaldi Tolosanum, qui præsens ibidem aderat, assignavitque fratres Guillelmum de Cera, Arnaldum Barravi ejusdem Prædicationis, & Bernardum de Fagia ad loci promotionem ibidem, cœperuntque ibidem ex tunc fratres secundum morem ordinis habitare.

Anno Domini prætaxato MCCCIX. XI. calendas Decembris in vigilia S. Ceciliæ, feria VI. reverendus pater dominus Bosonis episcopus Convenarum de consensu vicariorum episcopi Coseranensis, in præfato loco fratrum S. Geruntii cimiterium cum solemnitate qua decuit benedixit.

Anno Domini MCCCX. in actis capituli provincialis Appamiensis in festo B. Mariæ Magdalenæ celebrati, fuit in villa sancti Geruntii Coseranensis diœcesis, ad instantiam nobilis & potentis viri domini Arnaldi de Hispania vicecomitis Coseranensis, conventus fratrum Prædicatorum regulariter positus & receptus, & primus prior institutus frater Petrus Arnaldi Tolosanus, &c.

FUNDATIO MONASTERII SORORUM Pontis-viridis.

ANno Dñi MCCLXXX. paulo ante cœpit locus seu monasterium sororum Pontis-viridis juxta Condomium construi & fundari á nobili domina BIANA (a) magna amica ordinis fratrum Prædicatorum, multumque benefica & devota, quæ inter cetera magna loca quæ fecit, pro salute animæ suæ locum construxit pro sororibus ordinis memoratum,

(a) De ea vide supra in fundatione conventus Condomiensis. [a]

ubi ſemper Deum colerent & laudarent, fundavitque ac dotavit ipſum reditibus, & obtulit & contulit ipſum ordini pro monaſterio ſororum, ſub cura & regimine ordinis, ſecundum morem & conſuetudinem monaſterii Pruliani, & hoc fecit dum adhuc viveret: ſed antequam ſorores fuiſſent ibi poſitæ, ipſa ſubtracta fuit morte media ab hac luce. Obiit vero in conventu fratrum Condomienſi, ubi in domo quam ædificaverat morabatur IX. calendas Martii anno Domini MCCLXXX.

Anno Domini MCCLXXXIII. circa feſtum S. Michaëlis poſt mortem præfatæ dominæ Vianæ, fuerunt adductæ ſorores XIII. de monaſterio Pruliani pro inſtituendo monaſterio Pontis-viridis memorato, & introductæ in eodem auctoritate & conſenſu magiſtri ordinis fratris Johannis de Verzellis, qui in Provincia præſens erat, & obiit ipſo anno. Frater Berengarius Notarii magiſter in theologia erat prior provincialis, qui primitus inſtituerat fratrem Petrum *Baulenes* Condomienſem, ut præeſſet loco & ſororibus, ſed antequam ſorores eſſent adductæ & introductæ laboravit & obtinuit quod abſolveretur, prout ab ipſo didici & audivi. Nomina autem ſororum XIII. quæ fuerunt adductæ de Pruliano ſunt hæc: Soror Blancha de Burdigalis quæ fuit prioriſſa, ſoror Peirona Teulyera, ſoror Agnes Aymeriga, ſoror Stephana de Ulmo Viennenſis, ſoror Valenſa Bequiyera, ſoror Alembort de Labranda, ſoror Serena *de Scayrac*, Caturcenſis, ſoror Johanna Troſſeta, ſoror Roſa Troſſeta, ſoror Arnalda *Dorſaut*, ſoror Guiranda de S. Severo, ſoror Flos filia ejuſdem, ſoror Azemara Fromenta de Martello.

FUNDATIO SORORUM MONASTERII S. Pardulfi.

NObiliſſima domina MARGARETA vicecomitiſſa Lemovicenſis, filia ducis Burgundiæ, relicta nobilis viri domini GUIDONIS vicecomitis Lemovicenſis, fecit conſtrui & ædificari ſuis ſumtibus & expenſis locum S. Pardulfi in Petragoricenſi diœceſi, in confinio Lemovicenſi, ut eſſet monaſterium ſanctimonialium feminarum.

Magiſter vero Geraldus de Malo-monte, de Caſtro-Lucii oriundus, vir totius prudentiæ naturalis, in diebus ſuis potens in opere & ſermone, qui fuit rector & gubernator ipſius dominæ MARGARITÆ ac totius vicecomitatus Lemovicenſis multo tempore pro eadem, quamdiu ſcilicet ipſa vixit, & non modico tempore poſt mortem ejus, & teſtamenti præfatæ dominæ major & præcipuus executor, poſt mortem ipſius dominæ ordinavit & diſpoſuit, ac ſtudioſe procuravit & promovit, necnon penitus ipſe fecit, ut ponerentur ibi ſorores de monaſterio Pruliani, & eſſet ibi monaſterium ſororum ſub cura & regimine ordinis fratrum Prædicatorum, ſecundum modum & ritum & conſuetudines monaſterii Pruliani, & locum ipſum conſtructum & ædificatum & reditibus dotatum cum pleno & alto dominio villæ S. Pardulfi, quam ad hoc emerat, ut eſſet ſororum, ipſis ſororibus & ordini pro eiſdem contulit & obtulit Pariſius, coram illuſtri domino rege Franciæ PHILIPPO, præſente & recipiente pro ſororibus & ordine ibidem fratre Guillelmo *Aurelie* cum ſocio ſuo fratre Bernardo Bertrandi anno Domini MCCXCI. circa feſtum S. Agnetis virginis & martyris; & tunc fuit conceſſum & datum a præfato domino PHILIPPO privilegium ſpeciale bonum prædicto loco & monaſterio, dictante & ordinante ipſum magiſtro Geraldo. Prædicta autem collatio dicti loci ſancti Pardulfi fuit acceptata & approbata in ſequenti provinciali capitulo Brivenſi in feſto aſſumtionis B. MARIÆ celebrato per vicarium provinciæ fratrem Raymundum Extranei priorem Brivenſem, provincia tunc vacante, & per quatuor diffinitores capituli provincialis, qui fuerunt frater Raymundus Hunaldi prior Toloſanus, & frater Odo de Cauſencio prior Montis-Peſſulani, & frater Guirannus prior Maſſilienſis, & frater Johannes Vigoroſi, quantum in eis erat & ad ipſos pertinebat anno Domini MCCXCII. ſuper quo confecta fuit littera vicarii & diffinitorum, & ut in poſterum eſſet firmior, & in nullo dicta collocatio & acceptatio claudicaret, ad majoris roboris firmitatem præfatam donationem dicti loci innovavit, ac denuo fecit præfatus magiſter Geraldus, qui poteſtatem habebat ex tenore & clauſula ſpeciali teſtamenti præfatæ dominæ MARGARITÆ, magiſtro ordinis fratre STEPHANO Biſuntino recipienti & acceptanti pro ordine & ſororibus dictum locum S. Pardulfi Dominica in Ramis Palmarum, inchoante anno Domini MCCXCII. in domo fratrum Prædicatorum Pariſius, in præſentia plurium fratrum, inter quos erant quinque magiſtri in theologia & & bacalaurei novem, alii quoque fratres electi non pauci: aderant etiam tunc præſentes Pariſius frater Guillelmus *Aurelie* præfatus, & frater Geraldus Bremundi de conventu Petragoricenſi, qui illuc iverant hac de cauſa, ut dictum negotium cum præfato magiſtro ordinis & aliis promoverent. Et tunc ibidem præfatus magiſter ordinis de voluntate & conſilio omnium prædictorum, inſtante & inquirente opportune & importune præfato magiſtro Geraldo, voluit & ordinavit atque mandavit, quod ſorores mitterentur de Pruliano pro inſtituendo monaſterio S. Pardulfi, ex qua ordinatione & mandato adductæ fuerunt de Pruliano ſorores ſex, & poſitæ & introductæ in monaſterium S. Pardulfi in ſequenti feſto Trinitatis, cum quo concurrit

concurrit illo anno feſtum tranſlationis ſancti Dominici, ſcilicet IX. cal. Junii, anno Domini MCCXCIII. multum ſolemniter & devote, præſente ibidem magiſtro Geraldo, & flente ubertim præ gaudio, cum multitudine copioſa virorum nobilium totius patriæ, & religioſorum ac plebis, cum canticis & laudibus & jubilo multo, quarum ſororum nomina ſunt hæc: Soror Fina de Aragone, quæ fuit prima ibi prioriſſa, ſoror Agnes de Arnovilla, ſoror Eliſabeth *de Saves*, ſoror Agnes de Bechevena, ſoror Beatrix *de Betheſi*, ſoror Clara Davina, quæ inde poſtmodum rediit Prulianum.

Poſtmodum vero ut merito & numero augerentur ad Dei cultum & ſervitium exhibendum aſſumtæ fuerunt & perductæ aliæ ſorores quatuor de præfato monaſterio Pruliani, necnon duæ aliæ de monaſterio Pontisviridis, quæ etiam primitus fuerant educatæ in religione probata monaſterii Pruliani, quarum nomina ſunt hæc, de Pruliano quidem ſoror Margarita Dardina, ſoror Elizabeth Vezina, ſoror Agnes *de Betheſi*, ſoror Bertranda *Deſcayrac*. Poſtmodum vero fuerunt adductæ duæ de Ponte-viridi, ut tactum eſt, ſcilicet ſoror Serena *Deſcayrac* amita dictæ Bertrandæ, quæ fuit ibidem poſtea prioriſſa, ſoror Azema Fromenta de Martello.

Notandum incidenter quod magiſter Geraldus de Malo-monte de Caſtro-Lucii, ea die qua obiit dominus dicti caſtri, elegit ſepeliri in monaſterio ſororum ſancti Pardulfi. Obiit autem in caſtro Luceti anno Domini MCCXCIX. in vigilia nativitatis B. Mariæ, & delatum eſt inde corpus ejus ad præfatum monaſterium, & ſepultum ibidem honorifice die tertia ſubſequente.

Magiſter Elias Germanus frater ipſius, decanus S. Aredii, obierat Pariſius ante ipſum feriæ tertiæ vel quarta ante Ramos Palmarum, anno Domini MCCXCIV. quem fecit idem magiſter Geraldus ſepeliri in domo fratrum noſtrorum Pariſius in eccleſia, ut inde ſuo tempore portarentur ejus oſſa ad monaſterium S. Pardulfi.

MONASTERIA PROVINCIÆ PROVINCIÆ.

FUNDATIO CONVENTUS Montis-Peſſulani.

ANno Domini MCCXX. cœpit fundari locus & conventus fratrum Prædicatorum in villa Montis-Peſſulani.

FUNDATIO CONVENTUS NARBONENSIS.

NOtandum quod, ſicut a ſenioribus dicti & audivi, fratres Prædicatores venerunt & fuerunt prius in Narbona, & locum ibidem acceperunt ad manendum, quam in Monte-Peſſulano, ſed permittente Deo, quadam ſæviente rabie hominum impiorum ad tempus expulſi ſunt de Narbona, & tandem accepto tempore gratiæ redierunt, & ſic propter moram temporis quo a Narbona abſentes fuerunt, fratres Montis-Peſſulani gradum prioritatis ſibimet attribuerunt, & Narbonenſes ita pro modico perdiderunt. De annis autem Dominicæ Incarnationis tunc currentibus nondum potui plenam certitudinem invenire.

Anno Domini MCCXX. ſicut exiſtimo ex auditis, fuit receptus locus fratrum Prædicatorum in Narbona.

FUNDATIO CONVENTUS CISTARICENSIS.

ANno Domini MCCXLVII. menſe Auguſti, nobilis & æterna memoria ac laude digna domina BEATRIX, filia comitis Sabaudiæ & comitiſſa ac marchioniſſa Provinciæ, & comitiſſa Forcalquerii, dedit fratribus Prædicatoribus in Ciſtarico tamquam domina & patrona locum & ambitum magnum & ſpatioſum ſubtus caſtrum appellatum de Balma, ſuper Durentiam fluvium, ad faciendum ibidem conventum ſicut eſt hodie; eſt autem dictus locus & conventus in diœceſi Vapincenſi, quia ibidem terminantur Ciſtaricenſis & Vapincenſis diœceſes ſupra pontem.

In ſequenti vero feſto S. Andreæ apoſtoli, venerabilis vir dominus ROBERTUS epiſcopus Vapincenſis accedens ad memoratum locum fratrum, conſecravit eiſdem ibidem cimiterium, & tamquam diœceſanus primarium lapidem poſuit in fundamento ad eccleſiam, in honore beatæ Mariæ ſemper Virginis & B. Dominici conſtruendam. Fuerant autem fratres modico tempore in Ciſtarico in loco alio minus apto.

Præfatus autem dominus ROBERTUS Vapincenſis epiſcopus, obiit in habitu ordinis, in feſto B. Valentini, anno Domini MCCLI.

Memorata vero domina & patrona fratrum Ciſtaricenſium valde magnifica & devota, miniſtravit ſumtus & expenſas hilariter & abunde, ad conſtruendam eccleſiam & alias officinas, tempore quoad vixit, & dona plurima contulit in vaſis pretioſis & pannis ſericis, ad cultum Dei ibidem reverentius peragendum; & ſi obiret in Provincia, ibidem elegit & voluit ſepeliri. Obiit autem alibi quam in Provincia, fuitque alibi tumulata.

Notandum hic incidenter, quod præfata domina BEATRIX ſuſcepit quatuor filias a nobili viro ſuo domino RAYMUNDO BERENGARII comite Provinciæ, viro per omnia magnifico, quæ poſtmodum fuerunt quatuor regibus deſponſatæ, ſcilicet domino LUDOVICO regi Franciæ domina MARGARITA, & domino CALOLO regi Siciliæ, fratri præ-

fati Ludovici, domina BEATRIX ultimo genita, quæ remansit heres comitatus Provinciæ, mortuo patre suo. Aliæ vero duæ, una domino regi Angliæ ODOARDO, scilicet domina ELYONOR; altera vero, scilicet domina SANCHIA regi Teutoniæ RICHARDO, fratri regis Angliæ, vivente adhuc præfato domino Raymundo patre ipsarum.

Anno Domini MCCLII. in festo B. Mariæ semper Virginis, frater HYMBERTUS ordinis nostri Lugdunensis, episcopus Cistaricensis, celebravit primam missam in ecclesia fratrum Prædicatorum Cistaricensi, capite ipsius ecclesiæ jam perfecto.

Anno Domini MCCLXX. fuit dedicata prædicta ecclesia in capitulo provinciali ibidem celebrato.

FUNDATIO CONVENTUS BITERRENSIS.

CIrca annum Domini MCCXLVII. incœpit fundari conventus fratrum Prædicatorum in Biterri, sicut colligere potui ex auditis a senioribus temporis illius.

FUNDATIO CONVENTUS AMILIANI.

ANno Domini MCCLXXIX. in actis capituli provincialis in Castris S. Vincentii, Dominica infra octavas apostolorum Petri & Pauli celebrati, fuit receptus locus pro ordine fratrum Prædicatorum apud Amilianum, diœcesis Ruthenensis, & vicarius loci & fratrum institutus frater Guillelmus de Rupe de Monte-Pessulano, qui tunc erat supprior Montis-Pessulani, & propter hoc fuit a supprioratus officio absolutus. Et fuit ibi assignatus ad legendum frater Petrus de Fraisseneto.

Prævenerant autem aliqui fratres aliquanto tempore prius apud Amilianum, ad promotionem & dispositionem loci, ut est moris.

Anno Domini MCCLXXX. in actis capituli provincialis Narbonæ celebrati, in festo exaltationis S. Crucis, fuit assignatus pro vicario in loco Amiliani frater Bernardus Garini Narbonensis, & pro lectore frater Petrus de Veyraco Alestensis.

Anno Domini MCCLXXXII. in actis capituli provincialis Carcassonæ in festo S. Jacobi celebrati, fuit conventus fratrum Prædicatorum regulariter positus & receptus in præfata villa Amiliani, & primus prior institutus frater Bernardus Garini Narbonensis, &c.

FUNDATIO CONVENTUS CAUQUILIBERI.

ANno Domini MCCXC. dominus JACOBUS rex Majoricarum misit fratrem Petrum Missæ, & fratrem Petrum de Arulis Catalanos, cum suis litteris regiis ad provinciale capitulum, quod fuit in festo exaltationis S. Crucis in Appamiis celebratum, petens & instans, ut duo conventus nostri ordinis reciperentur in terra sua in Catalania, unus apud Cauquaumliberum, alter vero apud Cerdanum, fuit per vicarium prioris provincialis fratrem Bernardum de Trilia, priori provinciali absente in Romana curia tunc agente, & per diffinitores capituli provincialis pro reverentia regia protinus exauditus super receptione conventus Cauquiliberi, nullo dilationis obstaculo concurrente. Dominus vero Guillelmus *Poyt* Dorfila burgensis magnificus & solemnis in Cauquolibero, patronum fratrum & loci se obtulit, & domos suas insignes statim contulit, quas fratres acceperunt, & sibi habilitaverunt, domino rege ferente auxilium, & memorato patrono opportunum patrocinium impendente: unde in actis ipsius capituli memorati fuit conventus fratrum Prædicatorum in villa Cauquiliberi regulariter positus & receptus, & primus prior institutus præfatus frater Petrus Missæ, &c.

FUNDATIO CONVENTUS PODII CERDANI.

ANno Domini MCCXC. dominus JACOBUS rex Majoricarum misit fratrem Petrum Missæ, &c. *ut supra usque ad illa verba*, unus apud Cauquumliberum, alter vero apud Podium-Cerdanum. Super receptione vero loci Podii-Cerdani unius anni dilatio interceſſit, donec habita fuisset auctoritas magistri ordinis & diffinitorum capituli generalis, quia an villa Podii-Cerdani ad terminos hujus provinciæ pertineret, & an per vicarium & diffinitores ipsius provincialis capituli hoc fieri posset, ex causa rationabili in dubium vertebatur, fueruntque super hoc missæ litteræ a vicario fratre Bernardo de Tilia & a diffinitoribus, & per fratres delatæ ad sequens generale capitulum Palentinum, fuitque super hoc petitio exaudita, & de recipiendo locum habita auctoritas & concessa.

Anno Domini MCCXCI. in actis provincialis capituli Biterris in festo assumtionis beatæ Mariæ celebrati, fuit conventus fratrum Prædicatorum regulariter positus & receptus in villa Podii-Cerdani, diœcesis Urgellensis, & primus prior institutus frater Bernardus Guillelmi de Villafranca, &c.

FUNDATIO CONVENTUS S. MAXIMINI.

ANno Domini MCCXCV. circa Pascha, procurante & agente devoto & orthodoxo domino CAROLO rege Siciliæ, dominus BONIFACIUS papa VIII. pontificatus sui anno I. dedit & contulit de plenitudine apostolicæ potestatis ordini fratrum Prædicatorum locum S. Maximini in diœcesi Aquensi, cum sacrosanctis reliquiis omnibus sanctorum ibi existentium, scilicet divæ Magdalenæ, quæ

ibi non tantum fuiſſe, ſed & nunc eſſe veraciter dignoſcitur, & ſignis & prodigiis atque evidentibus miraculis declaratur, & glorioſi confeſſoris protopræſulis Aquenſis S. Maximini, diſcipuli Domini noſtri JESU-CHRISTI, & Sidonii evangelici cæci nati, & Marcellæ ancillæ S. Marthæ, & aliorum plurimorum ſanctorum, quorum nomina non fuerunt inventa; ſed in libro vitæ conſcripta ſervantur. Dedit etiam pariter locum de Balma beatæ Mariæ Magdalenæ, ad tres leucas inde ſic vulgariter a terræ incolis appellatum. Hæc eſt illa devota ſpelunca, ſub excelſa rupe, in qua eadem ſancta Magdalena triginta annis & amplius incognita latuit huic mundo, locus, ſi fas eſt dicere, in terra cœleſtis, ubi ad cultum Dei peragendum, & tam ſanctum & devotum locum illibate & devote cuſtodiendum quatuor fratres manent. Præfatus autem locus S. Maximini erat prioratus monachorum nigrorum S. Victoris Maſſilienſis, ordinis S. Benedicti, ubi, ſicut præfatus pius rex voluit & petiit ab eodem ſummo pontifice, poſitus eſt conventus fratrum Prædicatorum, & per eumdem ſummum pontificem primus prior inſtitutus ibidem frater Guillelmus *de Tonenes*, diœceſis Agennenſis, qui tunc in Romana curia præſens erat; adjecitque ſummus pontifex in ſuis litteris, ut in poſterum nullus prior ſine conſenſu regis poſſet ibidem poni ſeu inſtitui, nec poſitus amoveri. Mandavit autem & commiſit venerabili epiſcopo Ciſtaricenſi fratri PETRO de Alamannone de ordine Prædicatorum, ut de ſubpriore idoneo & de electis & bonis fratribus auctoritate fretus apoſtolica eidem loco in ſufficienti numero provideret: quod ipſe cum deliberatione provida & ſolerti habita cum diſcretis ſollicite ſtuduit adimplere. De præmiſſis rumores certos per litteras & nuntium accepimus, cum eſſemus pariter congregati in capitulo provinciali in Caſtris S. Vincentii, in feſto S. Johannis-Baptiſtæ celebrato, anno Domini prætaxato MCCXCV. Sane in præfato loco S. Maximini memoratus rex dominus & patronus ex munificentia regia ordinavit provideri annuatim de ſumtibus regiis tria millia librarum pro ædificiis conſtruendis, præter magnifica jocalia in pannis aureis & ſericis, & vaſis argenteis & aureis, cum lapidibus pretioſis, & ornamentis eccleſiaſticis, quæ omnia multa & magna munere regio ultro obtulit & contulit dicto loco. Inſuper nolens ipſe fratres inibi morantes propter loci & terræ penuriam publice mendicari fore ſubjectos, de regio peculio, fecit provideri pro fratre quolibet decem libras, videlicet quingentas inſimul annuatim.

Primus prior in conventu fratrum Prædicatorum S. Maximini, fuit frater Guillelmus *Tonenes* memoratus per ſummum pontificem, ut præmiſſum eſt, inſtitutus. Hic tamen non pervenit ad locum, ſed antequam recederet de Romana curia fuit abſolutus, & alius ſubſtitutus, dimidio anno circiter jam elapſo a tempore ſuæ inſtitutionis. Interim vero ipſo fratre Guillelmo abſoluto, frater Radulphus de Fonte ſenior Ciſtaricenſis, fuit loco prioris vicarius ſubſtitutus, donec de priore inſtituendo conſenſus regius haberetur, ſine quo prior inſtitui non poterat ex ordinatione ſummi pontificis memorati. Præfatus frater Guillelmus multis dotibus & gratiis a Deo fuerat jam dotatus. Hic ſenex & debilis & decrepitæ jam ætatis obiit in conventu Maſſilienſi anno Domini MCCXCIX. Præfatus vero frater Radulphus de Fonte, Prædicator gratioſus & famoſus in patria prior Maſſilienſis effectus, obiit in Ciſtarico, anno Dñi MCCXCV. in Quadrageſima.

FUNDATIO CONVENTUS DE GENOLHACO.

CIrca annum MCCXCVIII. cœpit primordialiter promoveri locus fratrum Prædicatorum de Genolhaco in diœceſi Utiçenſi, cujus fundator extitit & patronus vir nobilis dominus Guillelmus de Randone. Hic ſiquidem a ſummo pontifice domino Bonifacio papa VIII. licentiam recipiendi & ponendi locum pro fratribus Prædicatoribus perſonaliter impetravit & obtinuit ſuis ſumtibus & expenſis anno magnæ indulgentiæ Domini MCCC. quam licentiam felicis recordationis dominus BENEDICTUS papa XI. ſucceſſor Bonifacii memorati pariter confirmavit, & amplius roboravit anno Domini MCCCIV.

Anno Domini MCCCIV. in actis capituli provincialis in Aquis, Dominica poſt feſtum B. Mariæ Magdalenæ celebrati, fr. Johannes Ardentii Valentinus, fuit abſolutus a prioratu Narbonenſi, & factus vicarius & promotor loci de Genolhaco, & frater Fulco de Marologio coadjutor in promotione datus, & poſitus pariter cum eodem, fueruntque fratres alii pauci ad promotionem loci miſſi, & poſiti, ut eſt moris. Præfatus frater Johannes Ardentii fuit ab initio dicti loci promotor primus & præcipuus & ardentior procurator. Euerunt tamen fratres aliqualiter per epiſcopum & canonicos Uticenſis eccleſiæ aliquanto tempore non modicum retardati, & locum ad tempus de facto, non tamen animo dimiſerunt, donec opportunitate temporis optata & oblata, ad eumdem quantocius redierunt, id agente ferventius diligentia & inſtantia præfati viri nobilis domini & patroni.

Anno Domini MCCCV. obiit memoratus vir nobilis Guillelmus dominus de Randone, fuitque ſepultus honorifice in choro fratrum Prædicatorum de Genolhaco, ſicut elegerat, tamquam loci dominus & patronus, primitiæ dormientium in eodem, nondum ibi-

dem cimiterio benedicto. Et ex tunc fuerunt fratres magis inibi confirmati. Hic dominus & patronus præfatum locum, dum adhuc viveret, & ſeipſum in morte, cum aliis multis bonis dedit ordini, quæ poſteri qui naſcentur & exurgent in viros perfectos in conventu de Genolhaco enarrabunt filiis ſuis, ipſi quoque ſentient & percipient in futurum temporibus opportunis, ut ejus memoria apud fratres perpetuo vivat, & vitam beatam obtineat cum electis, ſiquidem annuatim per decennium centum libras, item quadraginta ſolidos in perpetuum ſingulis ſeptimanis.

Anno Domini MCCCV. in actis capituli provincialis Marologii Dominica poſt octavas apoſtolorum Petri & Pauli celebrati, fuit conventus fratrum Prædicatorum regulariter poſitus & receptus in præfata villa de Genolhaco, & primus prior inſtitutus frater Fulco de Marologio ſupradictus, qui & ipſe prius poſt memoratum fratrem Johannem Ardentii vicarius fuerat in eodem. Primus lector aſſignatus fuit frater Johannes de Maſſilaco Podienſis.

FUNDATIO CONVENTUS Draguiniani.

ANno Domini MCCLXXXV. in actis capituli provincialis Condomii in feſto B. Dionyſii celebrati, fuit ordinatum quod frater Radulphus de Fonte Ciſtarcienſis, prior Montis-Peſſulani, & prior Arelatenſis, & prior Graſſenſis accederent ad locum Draguiniani, & cum domino epiſcopo Forojulienſi viderent & tractarent ſi locum Saccatorum poſſemus habere pacifice & quiete, & aliæ conditiones exiſterent, quæ eſſent pro honeſtate ordinis opportunæ; & ſi ita invenirent, commiſſa fuit eis auctoritas & poteſtas recipiendi locum ibidem, & ex tunc prior provincialis vel ejus vicarius ad promotionem loci de fratribus idoneis provideret. Non fuit autem proceſſum ad receptionem loci tunc quomodolibet contingente.

Anno Domini MCCCIV. in actis capituli provincialis Aquis Dominica poſt feſtum B. Mariæ Magdalenæ celebrati, fuit ſic ordinatum: Cum ſanctiſſimus pater dominus BENEDICTUS papa XI. ad inſtantiam ſereniſſimi principis CAROLI II. domini regis Siciliæ, conceſſerit eidem duo loca, quæ fuerunt fratrum de Pœnitentia Saccatorum, videlicet locum de Draguiniano & locum de Tolono, pro conventibus ordinis noſtri inibi ponendis, ponimus vicarium in loco de Draguiniano fratrem Bernardum Aycelini Auraſicenſis, & aſſignamus ibi fratres Petrum Rovellii, Pontium Maſſani, Roſtagnum de Cellone. Ad quem locum poſſidendum venerunt & primitus intraverunt in primo ſabbato Quadrageſimæ ſubſequentis præfati duo fratres Bernardus Aycelini, & Petrus Revelli, cooperatore ſtrenuo & ferventi pro fratribus domino JACOBO, tunc epiſcopo Forojulienſi.

Anno Domini MCCCV. in actis capituli provincialis Marologii celebrati Dominica poſt octavas apoſtolorum Petri & Pauli, fuit conventus fratrum Prædicatorum regulariter poſitus & receptus apud Draguinianum, in loco qui fuerat Saccatorum, & primus prior inſtitutus præfatus frater Bernardus Aycelini Auraſicenſis, &c.

FUNDATIO CONVENTUS DE BUXO.

ANno Domini MCCXCIV. in capitulo provinciali Montis-Peſſulani celebrato poſt generale ibidem, extitit ordinatum per priorem provincialem fratrem Petrum de Mulceone & diffinitores, ad inſtantiam domini fratris Raymundi de Medullione archiepiſcopi Ebredunenſis, & Raymundi domini de Medullione domicelli nepotis ſui, quod mitterentur fratres apud Buxum, ad recipiendum locum ibidem pro ordine; & poſtmodum conſequenter fuerunt miſſi fratres Johannes de Geneſto de Monte-Peſſulano, & frater Radulfus de Fonte ſenior Ciſtaricenſis; veneruntque ad locum cum aliis fratribus ſibi ſociatis, & ſteterunt ibi in domo Raymundi domini de Medullione domicelli præfati fratres, aliquanto tempore tractantes de loco recipiendo ibidem; ſed tunc non fuit conſummatum, & fratres poſtmodum ad propria redierunt: verumtamen ibi remanſerunt & ſteterunt diu frater Bertrandus de Autana, & frater Guillelmus Relhonis de Buxo cum ſociis ſuis.

Anno Domini MCCCX. Dominica in Paſſione Domini, quæ contigit nonis Aprilis, fuit receptus locus & poſitus conventus fratrum Prædicatorum in villa de Buxo Vazionenſis diœceſis, cum priore & lectore, ut moris eſt in ordine, auctoritate & licentia conceſſa ſub bulla CLEMENTIS papæ V. procurante id & agente præfato domino Raimundo domino de Medullione, domino dictæ villæ de Buxo, qui fuit patronus fratrum & loci, qui a multis retro jam annis hoc ab ordine petierat & optarat, locumque emit pro fratribus, & dedit & ædificavit, & multa bona contulit eiſdem.

FUNDATIO MONASTERII SORORUM de Aquis.

ANno Domini MCCLXXXVI. vel VII. cœpit locus pro ſororibus ordinis Prædicatorum in Maſſilia primitus promoveri, ubi dominus Hugo Bony Lombardus cum conjuge ſua domina Aurimunda emit & dedit locum pro ſororibus juxta fratres; fuitque ibi patronus ſororum, fueruntque illuc adductæ

sorores quatuor de monasterio Pruliani, scilicet soror Mathendis de Folcalquerio, quæ fuit prima ibidem priorissa, soror Nicolaa Gasca, soror Maria Estaudarda, soror Maria de S. Hilario, ubi annis aliquibus humiliter in paupertate permanserunt. Frater Raimundus Botini fuit ibidem rector & gubernator earum.

Deinde dominus CAROLUS II. rex Siciliæ, comesque Provinciæ, postquam a captione, qua a Siculis tentus fuerat, expeditus, rediens de Aragonia, transivit per monasterium Pruliani anno Domini MCCXC. paschali tempore, ubi audito & percepto altius, quam devote & quam sancte sorores ibidem Christo Domino famulantur sub regularibus institutis, allectus rex pius earum sanctitatis odore, mox concœpit & decrevit in Provincia terra sua fundare sororum monasterium & dotare. Et veniens in Provinciam, locum de Duranna prope Aquis sororibus procuravit & donavit, & eas de Massilia illuc transferri fecit, & ipse rex præsentialiter & personaliter in locum de Duranna introduxit paulo ante festum S. Andreæ anno Domini MCCXC.

Demum memoratus rex pro sororibus amplius sollicitus, ut melius locarentur, easdem transferri fecit de loco Durannæ in Aquis Provinciæ civitate, ubi extra, sed prope civitatem, eisdem locum valde bonum obtinuit & contulit, qui olim fuerat fratrum Saccatorum, quem tunc abbas Massilienſis, qui prius emerat, possidebat, & in illum locum rex ipse sorores personaliter & solemniter introduxit, præsente archiepiscopo Aquensi, & episcopo Cistaricensi fratre PETRO DE ALAMANNONE, cum comitiva regali, XX. die mensis Julii, in festo S. Margaritæ Virginis & martyris, scilicet XIII. cal. Augusti, anno Domini MCCXCII. ibidem instituens monasterium sororum B. MARIÆ de Nazareth de Aquis ordinis Prædicatorum, eisdem sororibus hoc nomen & titulum imponendo, ipsasque ac monasterium donis magnificis decorando, gratiis & privilegiis muniendo, & centenum numerum ibidem instituendo, de quibus decem esse conversas voluit pro servitio earumdem, ac eleemosynam ibidem omni die perpetuo faciendam omnibus pauperibus advenientibus ordinavit: quod licet antea temporibus aliquibus fieret in Duranna, interdum tamen interrumpebatur, & quasi totaliter dimittebatur, propter patriæ egestatem, & tenentium locum paupertatem. Nunc autem favente Deo & regiis beneficiis, perpetuo observatur: cumque pius rex sorores ancillas Christi in Christo Domino dilexisset, in finem dilexit eas, & ibidem elegit tumuluatiam sepulturam.

Primus prior sororum de Aquis fuit frater Pontius de Aquetia de Tarascone, institutus anno MCCXCII. prior fuit ibidem anno quasi dimidio. Hic obiit in conventu Arelatensi anno Domini MCCCX. in fine mensis Februarii.

Secundus prior frater Berengarius Alphandi de Tarascone successit fratri Pontio de Aquetia, institutus ibidem auctoritate magistri ordinis fratris STEPHANI Bisuntini, procurante rege anno MCCXCIII. Tempore vero prioratus fratris Berengarii, actore Deo, & memorato rege CAROLO faciente, per ipsius prioris sollicitudinem & industriam diligentem, ædificatum fuit monasterium & prosperatum valde, tam in ædificiis insignibus & clausura, quam in reditibus & proventibus acquirendis.

Anno Domini MCCXCVII. die septima Septembris, scilicet in festo nativitatis B. MARIÆ Virginis, memoratus rex CAROLUS cum summa humilitate, devotione, ac reverentia peditando de palatio suo Aquensi, stipatus venerabilibus patribus ROSTAGNO Aquensi, & JACOBO Ydruntino archiepiscopis, ac DURANDO Massilienſi, PETRO Vencienſi, HUGONE Dignensi, & PETRO Regensi episcopis, ac religioso viro fratre GUILLELMO DE VILLARETO magistro Hospitalis S. Johannis Hierosolymitani, ac proceſſionibus clericorum suæ capellæ, ac venerabilis capituli S. Salvatoris, & omnium aliorum religiosorum in dicta civitate commorantium, & universitate militum ac civium Aquensium, ac plurium aliorum, sacrosanctas reliquias quas habebat, ad prædictum monasterium apportavit, & ipsas in loco ad hoc dispositio fecit omnibus præsentari, & tandem intra chorum sororum eas cum multa reverentia collocari. Ob quarum devotionem obtulit postmodum & dedit crucem auream & calicem aureum, pannos pretiosos in magna copia, tam de serico quam de auro: capellas etiam pretiosas diversorum colorum pro ministrantibus in altari donavit.

Anno Domini MCCXCVIII. die X. Novembris, venerabilis pater dominus ROSTAGNUS Dei gratia Aquensis archiepiscopus, cimiterium prædicti monasterii, præsentibus venerabili patre domino fratre PETRO Cistaricensi episcopo, fratre Berengario Alphanti priore prædicti monasterii, cum suis fratribus & multitudine cleri, militum & civium dictæ civitatis, benedixit & consecravit. Hic frater Berengarius Alphanti prior obiit in monasterio III. nonas Maii, feria sexta, anno MCCCXVIII. prioratus sui XXVI. ab ingressu vero ordinis LVI. vir virtutis, nominis & valoris, cujus tempore & industria prosperatum est monasterium.

FUNDATIO MONASTERII SORORUM Pruliani Montis-Peſſulani.

ANno Domini MCCLXXXVIII. cœpit locus monaſterii ſororum Pruliani Montis-Peſſulani primitus promoveri in capitulo provinciali Avenionenſi, in feſto B. Mariæ Magdalenæ celebrato: ad cujus promotionem frater Bernardus Grandis Caturcenſis fuit poſitus & inſtitutus procurator, per fratrem Bernardum Geraldi priorem provincialem, collaboraveruntque cum eodem fratre Bernardo Grandis frater Deodatus Fabri, & frater Galterius *Agulo* de Monte-Peſſulano, emtuſque eſt locus in territorio prope fratres, cœperuntque emi aliqui pauci reditus pro eodem, necnon ibidem ædificia inchoari de pecunia majoris alterius Pruliani, ſic quod per incrementa lente procedendo protelatum eſt negotium annis multis.

Anno Domini MCCXCIII. in actis capituli provincialis Carcaſſonæ in feſto B. Mariæ Magdalenæ celebrati, frater Bernardus Grandis præfatus fuit abſolutus a prioratu fratrum Caturcenſi, & conventui Montis-Peſſulani aſſignatus ad promovendum præfatum locum Pruliani Montis-Peſſulani, & in diſpoſitione loci & ædificiorum fuit proceſſum amplius, ut ſorores ponerentur.

Anno Domini MCCXCV. Dominica infra octavas Aſcenſionis Domini, fuerunt ſorores XI. adductæ de majori monaſterio Pruliani, & ad Prulianum Montis-Peſſulani perductæ, & in monaſterium primitus introductæ, & frater Bernardus Grandis præfatus inſtitutus primus prior per priorem provincialem fratrem Petrum de Mulceone.

NUMERUS
MONASTERIORUM MONIALIUM
ORDINIS FRATRUM PRÆDICATORUM.

Ex mſ. bibliothecæ Regiæ.

In provincia Toloſana.

MOnaſterium Pruliani in diœceſi Toloſana, quod incœpit fundari a B. Dominico anno Domini MCCVI.

Monaſterium Pontis-viridis in Condomio, diœceſis Agennenſis, quod incœpit fundari primitus anno Domini MCCLXXX. ſorores vero XIII. de monaſterio Pruliano fuerunt illuc adductæ & poſitæ anno Domini MCCLXXXIII. circa feſtum ſancti Michaëlis. Prima ibidem prioriſſa fuit ſoror Blanca de Burdigalis. Patrona & fundatrix monaſterii fuit domina Viana.

Monaſterium S. Pardulfi in diœceſi Petragoricenſi, cujus locus ædificatur prius, ut poneretur & eſſet ibi conventus ſanctimonialium feminarum de bonis dominæ MARGARITÆ vicecomitiſſæ Lemovicenſis, filiæ ducis Burgundiæ, datus fuit pro ſororibus Pruliani, actore magiſtro Geraldo de Malomonte anno Dñi MCCXCI. ab exordio computando. Sorores vero VI. de monaſterio Pruliano fuerunt illuc adductæ & poſitæ in feſto tranſlationis S. Dominici, quod illo anno ſimul in eodem die concurrit cum feſto Trinitatis, anno Domini MCCXCIII. Prima ibidem prioriſſa fuit ſoror Fina de Aragone.

Monaſterium de Aquis Provinciæ civitate, quod olim primo fuit in Maſſilia prope fratres, & illuc primo fuerunt perductæ ſorores quatuor de monaſterio Pruliani circa annum MCCLXXXVII. & annis paucis permanſerunt. Deinde in Duranna prope Aquis anno quaſi uno. Demum dominus CAROLUS rex Siciliæ inde tranſtulit eas in melius in Aquis, in loco qui fuerat Saccatorum, anno Domini MCCXCII. ubi fundavit, ædificavit & dotavit regaliter. Prima iſtarum ſororum prioriſſa, dum adhuc erant in Maſſilia, fuit ſoror Machendis *de Folcalquier*.

In Monte-Peſſulano eſt alterum, ſed longe diſſimile monaſterium Pruliani, ubi cœpit locus primitus promoveri in capitulo provinciali Avinionenſi, in feſto B. Mariæ Magdalenæ celebrato, anno Domini MCCLXXVIII. ſorores autem XI. de majori Pruliano fuerunt illuc adductæ & poſitæ anno Domini MCCXCV, infra octavam Aſcenſionis Domini, & frater Bernardus Grandis fuit per fratrem P. de Mulceone priorem provincialem prior inſtitutus. Prima ibidem prioriſſa ſoror Pros Renardina.

Aliud monaſterium eſt in eadem provincia juxta Avinionem quod vocatur S. Praxedis, cujus fundator fuit Petrus cardinalis Hiſpaniæ.

In provincia Hiſpaniæ.

Monaſterium ſororum apud Majoricum, ubi fuit a principio locus fratrum per B. Dominicum reſtitutus, ſicut ex geſtis ejus colligitur evidenter.

Monaſterium ſororum apud Calarogam in loco nativitatis S. Dominici patris omnium.

Monaſterium apud Achellas.

Monaſterium apud Uliſbonam.

Monaſterium Zdanoram.

Monaſterium apud Segobiam.

Monaſterium Sancti-Spiritus in civitate Taurenſi.

Monaſterium de Alveita ſancti Alfonſi,

Monaſterium S. Cypriani diœceſis Legionenſis.

In provincia Aragoniæ.

Monaſterium apud Valentiam.

Monaſterium apud Cæſar-auguſtam, quod domina BLANCA regina Aragoniæ, filia CAROLI regis Siciliæ, ibi eſſe voluit & fundavit, & in eccleſia primarium lapidem poſuit. Domina vero SANCIA Petri *de Aguilar* nobilis baroniſſa, dedit omnia ſua magna & multa pro monaſterio ſororum conſtruendo & fundando. Hæc ſepulta jacet apud fratres Cæſar-auguſtæ. Sorores vero ſex de Pruliano antiquo fuerunt illuc perductæ & poſitæ, in in feſto Aſſumtionis beatæ ſemper Virginis Mariæ, & a præfata regina ſuſceptæ anno Domini MCCC. prima fuit ibidem prioriſſa ex prædictis ſex, ſoror Johanna de Sinhas Taraſconenſis.

Monaſterium apud Barchinonam.

In provincia Franciæ.

Monaſterium de Monte-Argivo juxta Senonas.

Monaſterium ſancti Matthæi juxta Rothomagum.

Monaſterium *Mechim.*

Monaſterium apud Vivarium juxta *Sarbore.*

Monaſterium apud Inſulam.

Monaſterium apud Lauſannam.

Monaſterium de Pyſſiaco prope Pariſius, quod incœpit fundari in honore glorioſiſſimi confeſſoris B. LUDOVICI regis piiſſimi quondam regis Francorum, a domino rege PHILIPPO, tam inſigniter quam regaliter & potenter, anno Domini MCCXCVII. audita canonizatione S. Ludovici piiſſimi regis Francorum quondam avi ſui, qui apud Pyſſiacum natus eſt in hoc mundo, & ſacrum baptiſma ſuſcepit. Natus eſt vero in feſto B. Marci evangeliſtæ anno Domini MCCXIV. Coronatus autem fuit in regem Dominica prima adventus, anno Domini MCCXXVI. ætatis vero ſuæ anno XIII. quem completurus erat in ſequenti feſto S. Marci evangeliſtæ. Crucem autem aſſumſit pro primo paſſagio tranſmarino anno Domini MCCXLIV. ætatis vero ſuæ anno XXX. jam completo. Transfretavit autem prima vice anno Domini MCCXLVIII. cum jam XXXIV. annum attigiſſet ætatis. Rediit autem inde exacto jam ſeptennio inter moras anno Domini MCCLIV. transfretavit autem ſecunda vice anno Domini MCCLXX. ubi & pertranſiit mare præſentis ſæculi in exercitu Domini, in caſtris apud Tunicium VIII. calendas Septembris, anno Dñi prætaxato, ætatis vero ſuæ anno LVII. Fuit autem canonizatus & ſanctorum confeſſorum catalogo annotatus per Bonifacium papam VIII. III. idus Auguſti, dicto die, in Urbe-veteri, pontificatus ſui anno ſecundo, anno Domini MCCXCVII.

PHILIPPUS Dei gratia Francorum rex, dilecto nobis in Chriſto fratri Guillelmo priori provinciali in Francia, ac totius ordinis vicario generali, ſalutem.

Cum nos in honore glorioſiſſimi confeſſoris B. LUDOVICI avi noſtri regis Francorum, quoddam monaſterium ſororum incluſarum ordinis veſtri apud Pyſſiacum conſtrui faciamus, bonis regalibus fundandum juxta munificentiam regiam & dotandum; cujus monaſterii curam venerabilis pater frater NICOLAUS tunc magiſter ordinis, nunc vero ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ preſbyter cardinalis, de conſilio & conſenſu definitorum ac totius capituli generalis anno Domini MCCXCVIII. Metis celebrati, precibus noſtris humiliter annuens devote ſuſcepit, eo modo quo alia monaſteria talium ſororum veſtro ordini ſunt annexa. Et cum oporteat, maxime in principio, tales eligere perſonas, quæ ſciant legere & cantare, & quæ talem habeant corporis valitudinem, quod poſſint onera religionis portare, ac ſervare obſervantias conſuetas, & quæ in poſterum recipiendas in moribus & ſcientia & debito religionis verbo & exemplo efficaciter doceant & informent. Et quia prædictæ perſonæ de facili haberi non poſſent, niſi inquiſitione præhabita diligenti ac probatione ſequenti, quod non credimus melius nec convenientius fieri, quam per fratres ordinis, qui ad hoc debent ſpecialiter adhibere diligentiam efficacem; diſcretionem veſtram requirimus & rogamus attente, quatenus ad inquirendum perſonas prædicto modo idoneas centum vel circa, infra clauſuram competentem probandas per annum in habitu ſæculari, de diſcretorum fratrum conſilio fratres maturos religioſos & diſcretos per obedientiam deputetis, & illas quas invenerint idoneas redigant in ſcriptis, & nobis & vobis aſportare curent, cum certitudine relaturi de conditionibus perſonarum. Datum Pontiſaræ, die Dominica in craſtino B. Johannis, anno

Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo nono.

Prædictus autem modus non fuit taliter obſervatus, ſed ad ædificia ibidem regaliter ac magnifice conſtruenda & promovenda interim eſt proceſſum.

Anno Domini MCCCIV. fuerunt ſorores de aliis monaſteriis Franciæ noſtri ordinis aſſumtæ, & illuc adductæ & poſitæ, ac incluſæ de mandato magiſtri ordinis fratris AYMERICI, ad inſtantiam devotam præfati domini regis PHILIPPI, qui magiſtro ac generali capitulo Toloſano ſpeciales ſuper hoc literas deſtinavit. Primus prior ſororum fuit poſitus frater Reginaldus de Albiniaco paulo poſt generale capitulum Toloſanum, anno Domini prætaxato.

In provincia Romana.

Monaſterium S. Sixti Romæ fundatum a B. Dominico, ubi prius fuit conventus fratrum, ſicut patet in geſtis S. Dominici.

Monaſterium de Foſſa Baudi in civitate Piſana.

Monaſterium S. Mariæ de Angelis in Luca civitate.

Monaſterium de Ripolis in Florentia.

Monaſterium S. Dominici, ibidem Florentiæ.

Monaſterium S. Mariæ de Virginibus in Peruſio.

Monaſterium S. Georgii in Peruſio.

Monaſterium S. Petri apoſtoli in Urbeveteri.

Monaſterium S. Pauli apoſtoli ibidem in Urbe-veteri, ubi fuerunt olim moniales ſub cura monachorum ordinis S. Benedicti, a quibus reſilierunt, & habitum S. Dominici ſub regimine fratrum eſſe elegerunt tempore domini fr. LATINI cardinalis, quod poſtmodum extitit confirmatum per BENEDICTUM papam XI. cum omnibus privilegiis conceſſis ſororibus anno Domini MCCCIII.

Monaſterium S. Agnetis in Reate.

Monaſterium de Fulgineo in ducatu Spoletano.

Monaſterium S. Dominici in Benevento.

Monaſterium S. Silveſtri in civitate Piſana.

Monaſterium S. Nicolai de Prato.

Monaſterium S. Dominici de Narnia.

Monaſterium S. Catharinæ de Senis.

In provincia regni Siciliæ.

Monaſterium S. Annæ Interamnis conventus de Salerno in terra Laboris, quod quaſi in nemore poſitum eſt.

Monaſterium S. Petri apoſtoli ad caſtellum in civitate Neapoli, in monaſterio ubi erant prius monachi nigri, quibus inde depulſis, fundatum extitit & dotatum a domino CAROLO rege Siciliæ conſenſu & auctoritate Bonifacii papæ VIII. ad inſtantiam ipſius regis, & magis ac principaliter ſupplicantis, anno Domini MCCC. ubi rex & regina poſuerunt ſororem Elizabeth germanam ipſius reginæ, filiamque regis Hungariæ, quæ alias fuerat ſoror in monaſterio de Inſula ſororum ordinis in Hungaria.

Monaſterium S. Luciæ de Barulo in Apulia in dioeceſi Tranenſi.

Monaſterium ſanctæ Mariæ Magdalenæ de Muſcuſo in terminis conventus Aquilani.

Monaſterium S. Mariæ Annunciatæ in ipſa civitate Aquilæ.

Monaſterium S. Catharinæ in Sulmona.

Monaſterium S. Catharinæ in Panormo.

Monaſterium S. Euchariſtiæ in Aquila.

In provincia Lombardiæ inferioris.

Monaſterium ſanctæ Agnetis in Bononia, quod prius fuit in loco alio a B. Dominico inſtitutum.

Monaſterium S. Dominici de Ymola.

Monaſterium S. Mariæ de Caritate ibidem.

Ex his duobus monaſteriis eſt factum unum monaſterium S. Dominici de Caritate de Ymola.

Monaſterium S. Dominici de Vincentia.

Monaſterium S. Annæ de Padua.

Monaſterium S. Mariæ de Cella in civitate.

Monaſterium S. Dominici in Parma.

Monaſterium S. Pauli de Triviſio.

Monaſterium S. Petri martyris de Regio.

Monaſterium S. Dominici de Forlivio.

Monaſterium S. Mauri de Fano.

Monaſterium S. Catharinæ de Ferraria.

In provincia Lombardiæ ſuperioris.

Monaſterium in civitate Januenſi.

Monaſterium S. Mariæ de *Nazareth* in civitate Papienſi, in loco quo fratres Prædicatores primo ibidem habitaverant.

Monaſterium S. Mariæ de Renella, ſub conventu Samlianenſi fundatum, & dotatum a nobili viro domino THOMA marchione Saluciarum, in quo quatuor filias nobiles Chriſto Domino deſponſavit, ubi cœperunt eſſe primo ſorores, anno Domini MCCXC.

Monaſterium S. Catharinæ in Alba civitate fundatum & dotatum a domino BONIFACIO epiſcopo Albanenſi, ubi fuerunt introductæ ſorores anno Domini MCCCV. in adventu Domini.

In Mediolano civitate ſunt IX. monaſteria mulierum, quæ ſub Auguſtini regula & conſtitutionibus ſororum ordinis S. Dominici vivunt incluſæ, & ſe regunt ac diriguntur fratrum prædictorum conſilio, qui earum confeſſiones audiunt, & celebrant eis miſſas, non tamen ſunt incorporatæ ordini quoad obedientiam & regimen earumdem, quin immo Mediolanenſi archiepiſcopo ſunt ſubjectæ, quarum nomina ſunt hæc.

Monaſterium

Monaſterium de Vinea prope fratres, in honore S. Petri apoſtoli, cujus monaſterii diſpoſitor & inſtitutor fuit a principio ſui S. Petrus martyr de ordine Prædicatorum, dum adhuc viveret; cujus capſa lignea in qua corpus ejus ſacrum primo fuit recondi-tum, habetur in dicto monaſterio, & ſupra quoddam altare cum devotione congrue cu-ſtoditur.

Monaſterium de Veteribus.

Monaſterium de Virginibus.

Monaſterium de Supra-muro in honore B. Mariæ.

Monaſterium S. Dominici.

Monaſterium S. Petri martyris.

Monaſterium S. Auguſtini.

Monaſterium S. Agnetis.

Monaſterium S. Mariæ-novæ.

In provincia Hungariæ.

Monaſterium apud Inſulam fundatum a rege Hungariæ, ubi pro theſauro habetur pretioſa ſoror MARGARITA virgo electa, & ſancta filia regis Hungariæ, nomine BELÆ. In vita ſua virtutibus & miraculis multis ef-fulſit, & poſt mortem vivere cum Deo mi-raculis demonſtratur.

Monaſterium apud Veprinum in valle in honore S. Catharinæ.

Monaſterium apud *Jadre.*

In provincia Poloniæ.

Monaſterium Poſnanienſe in Poſna civi-tate.

Monaſterium Wratiſlavienſe in Wratiſla-via civitate.

Monaſterium Artibonienſe in Artibor.

In provincia Bohemiæ.

Monaſterium Brivenſe ad beatam Virgi-nem.

Monaſterium Gradicenſe.

Monaſterium Olonicenſe.

Monaſterium in Praga civitate.

Monaſterium Salucicenſe.

Monaſterium Brunenſe ad S. Annam.

In provincia Daciæ.

Monaſterium Roskindenſe.

Monaſterium Skemungenſe.

In provincia Theutoniæ.

Monaſterium apud *Luenz* in terminis con-ventus Frizacenſis.

Monaſterium apud *Mervibert* in terminis ejuſdem conventus Frizacenſis.

Monaſterium apud *Studuns* in terminis conventus Bothonienſis.

Monaſterium in nova civitate ad Spiram in clauſura.

Monaſterium in Vienna ad S. Laurentium.

Monaſterium in Ripa amoris in termi-nis conventus Cremenſis, quod vocatur Umba.

Monaſterium Tulrenſe.

Monaſterium S. Crucis in Ratiſpona.

Monaſterium *Betendorf*, id eſt villa Ora-tionum.

Monaſterium apud *Vulvep* in terminis con-ventus Laudeſudenſis.

Monaſterium apud *Hohenobre* in terminis conventus ejuſdem.

Monaſterium S. Catharinæ. In Auguſta ſunt duo monaſteria, prædictum & ſequens mona-ſterium S. Margaritæ.

In terminis conventus Auguſtæ ſunt duo monaſteria ſequentia.

Monaſterium in *Meding.*

Monaſterium *Medling.*

Monaſterium Ulmenſe.

Monaſterium apud . . . . . in terminis ejuſdem conventus Ulmenſis.

Monaſterium apud *Leontal*, id eſt Vallis-Leonis, in terminis Conſtantiæ.

Monaſterium apud *Tiezenhovez* in termi-nis ejuſdem conventus Conſtantienſis.

Monaſterium in *Otenbach.*

Monaſterium apud *Tueze* in terminis con-ventus Turicenſis.

Monaſterium apud *Fvviz* in terminis ejuſ-dem conventus Turicenſis.

In terminis conventus Ezclingenſis ſunt ſex monaſteria ſequentia.

Monaſterium S. Crucis.

Monaſterium in Villerio-magno.

Monaſterim in *Stuynheym.*

Monaſterium in *Buricheym.*

Monaſterium *Offenhuſen.*

Monaſterium

Monaſterium apud *Kirikirperch*, id eſt in monte eccleſiæ, in terminis conventus Roc-villenſis.

Monaſterium apud

Monaſterium in Baſilea *Nichilugendal.*

Item ad Lapides monaſterium apud *Gevvilr.*

In civitate Uriburgenſi ſunt tria monaſteria ſequentia.

Monaſterium *Adelhuſen.*

Monaſterium S. Agnetis.

Monaſterium S. Catharinæ.

In Columbaria ſunt tria monaſteria ſequentia.

Monaſterium ſub Tilia magnum & opu-lentum.

Monaſterium *Amerſivilr.*

Monaſterium

Monaſterium in civitate Slecceadenſi, quod vocatur in *Syl.*

In circuitu civitatis Argentinenſis ſunt ſeptem monaſteria ſequentia.

Monaſterium S. Nicolai.

Monaſterium S. Elizabeth.

Monaſterium S. Marci evangeliſtæ.

Monaſterium S. Johannis evangeliſtæ, ubi etiam ſunt quamplures filiæ S. Johannis liberæ, quæ ſancta quadam æmulatione ipſum ut patronum ſuum devotius & jocundius in Domino venerantur.

Monaſterium S. Agnetis.

Monaſterium S. Catharinæ.

Monaſterium S. Margaritæ.

In civitate Wormatienſi ſunt duo monaſteria ſequentia.

Monaſterium in *Hocheins.*

Monaſterium in Columbario.

In civitate Trevirenſi ſunt duo monaſteria ſequentia.

Monaſterium S. Catharinæ.

Monaſterium S. Barbaræ.

Monaſterium apud Vallem S. Mariæ in terminis conventus Luczemburgenſis.

Monaſterium in Confluentia.

Monaſterium ſanctæ Gertrudis in Colonia.

Monaſterium in Valle-Ducis in terminis conventus Lovanienſis.

Monaſterium apud Herbipolim.

Monaſterium . . . . . in terminis conventus ejuſdem Herbipolenſis.

Monaſterium in civitate Spirenſi in *Leſenphuel.*

Monaſterium apud S. Lambertum in terminis conventus Spirenſis.

Monaſterium apud *Rotenburch* in terminis conventus Mergentenuenſis.

In civitate Wireburgenſi ſunt duo monaſteria ſequentia.

Monaſterium in *Engeldal*, id eſt Vallis Anglorum.

Monaſterium in *Urach.*

Monaſterium Unipenenſe in *Lauffen*, id eſt in Curſu.

In villa Piborgenenſi ſunt duo monaſteria.

Mon.

Mon.

In provincia Saxoniæ ſunt monaſteria ſequentia.

Monaſterium apud *Corbie*, in terminis conventus Magdeburgenſis.

Monaſterium Halberſtadenſe in civitate *Halberſtat.*

Monaſterium *Wederſtede* in terminis conventus Halberſtadenſis, ubi ſunt ſorores communiter pluſquam centum.

Monaſterium *Lode* in terminis conventus Mindenſis.

Monaſterium quod dicitur Paradiſus juxta Sozacum civitatem.

In civitate Plawenſi ſunt duo monſteria ſequentia.

Monaſterium.

Monaſterium.

Monaſterium quod vocatur *Rede* prope *Set*, tamen extra civitatem Vincenienſem.

Monaſterium *Blankeborch*, in terminis conventus Bremenſis.

In Famaguſta provinciæ Terræ-ſanctæ monaſterium ſanctiſſimæ Trinitatis.

BREVIS HISTORIA
CONVENTUS PARISIENSIS
FRATRUM PRÆDICATORUM.

Ex mſ. ſancti Victoris.

CHRONOGRAPHIA DE FUNDATIONE conventus Pariſienſis.

POſt confirmationem ordinis fratrum Prædicatorum, fidelis diſpenſator & prudens beatus Dominicus ſpiritu Dei afflatus, diſperſit fratres ſuos per mundum, velut quædam ſemina ſalutis, animarum fructus uberrimos productura, & anno Domini MCCXVII. miſit aliquos Pariſius, & fratres primo receperunt domum ad manendum inter domum epiſcopi & domum Dei. Et eodem anno data eſt eis domus S. Jacobi, & modicum poſt venit B. Dominicus Pariſius, & ibidem fere XXX. fratres invenit. Et illis domum regularem diſpoſuit, ordinando clauſtrum, dormitorium, refectorium, cellaſque ad ſtudendum. Iſtum autem conventum, quem ſanctus pater fundavit, inter omnes conventus ordinis ſpeciali amore & affectu dilexit, Spiritu divino prævidens, quales & quantos fratres in futurum nutriret & educaret, qui vita & doctrina totam illuminarent eccleſiam. Nam quando receſſit de Pariſius, & ivit Bononiam, ſtatim miſit conventui Pariſienſi probatiſſimum fratrem REGINALDUM, qui poſt beatum Dominicum in vita & doctrina ſecundus habebatur, & rexerat Pariſius in jure canonico annis quinque. Qui ſanctus pater, in iſto conventu diem clauſit extremum. Fuit autem in conventu prior longo tempore frater MATTHÆUS, qui canonice in ordine Prædicatorum electus eſt in abbatem, fuitque primus & noviſſimus abbas vocatus, & ſepultus eſt in capite chori dextri iſtius conventus prope ſedes inferiores.

Quod in iſto conventu habuit ortum quod cantaretur Salve regina *poſt completorium.*

Bonorum æmulus diabolus, qui univerſorum Dominum non timuit aggredi, in iſto conventu Pariſienſi, ubi eum fratres maxime impugnabant, ipſos ab initio ordinis per ſe & per ſuos ſatellites eſt aggreſſus. Nam huic formam ardentem ſuper ſe cadentem A monſtrabat; illi formam delicatæ mulieris amplectentis ſe prætendebat. Huic aſinum cornutum, illi ſerpentem ignitum offerebat. Aliis alia ludibria & verbera inferebat: in tantum ut propter noctium phantaſmata, & dæmonum illuſiones viciſſim cogerentur fratres cuſtodire vigilias noctis ſuper alios quieſcentes. Inſuper aliqui in freneſim cadebant & multis aliis modis horribiliter vexabantur. Ad ſingularem igitur ſpem, MARIAM videlicet, & potentiſſimam, & piiſſimam confugientes fratres iſtius conventus Pariſienſis, B ut ſcribitur in libro 2. de Apibus cap. XI. & in Vitis fratrum Prædicatorum, part 1. cap. VII. ordinaverunt, ut poſt completorium omni die cum proceſſione & ſolemnitate cereorum *Salve regina miſericordiæ* in initio flexis genibus in laudem & honorem glorioſiſſimæ matris Dei fundatricis & conſervatricis ordinis Prædicatorum cantaretur. Quo dicto, ſtatim fuere fugata phantaſmata, & qui prius vexabantur, curati ſunt. Unde quidam frater filius regis qui in iſto conventu erat inſanus, cauſa prædicta liberatus C eſt pleniſſime, & ex tunc omnia ordini proſpere ſucceſſerunt. Nam multi viderunt, fratribus ad altare Virginis egredientibus, ipſam Virginem cum multitudine civium ſupernorum, a ſummo cœli progredi, & dum ad iſtud verbum, *o dulcis Maria* inclinarent, ipſam illis benedicentem pariter inclinare, & ipſis regredientibus ipſam ad cœlum reverti. Viſum etiam fuit alii, ut fratres dicebant, *Spes noſtra ſalve*, ipſam Reginam miſericor- D diæ ipſos dulciter reſalutantem. Et ut dixerunt, *Eia ergo advocata noſtra*, ipſam ante filium pro fratribus procidentem & exorantem. Et cum ſubjunxerunt, *Illos tuos miſericordes oculos ad nos converte*, ipſa læto ac columbino vultu & intuitu fratres reſpicientem. Et ut cantaverunt, *Et* JESUM *benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende*, ipſam in ætate tenera filium geſtantem, & ipſum omnibus & ſingulis cum multo gaudio protendentem. Viſum eſt etiam frequenter globum lucidiſſimæ caritatis de cœlo

ſuper capita fratrum deſcendere, quod & devotiſſimæ perſonæ, cum ad eccleſiam cauſa audiendi completorium adveniſſet, & fratres *Salve regina* cantarent, Regina cœli viſibiliter apparuit, monens ut ab ejus pedibus non recederet. Vidit ipſam utramque partem chori luſtrantem, ſingulis inclinare cantantibus, & juxta acolythos & ceroferarios uſque ad finem orationis ſtare. Vidit & pro ipſius ordinis prædicti dilatatione, conſervatione devotiſſime ſupplicantem: ideo ordinatum eſt in quodam capitulo generali, ut pro conſervatione & proſperitate ordinis, iſta laudabilis proceſſio in conventu iſto incœpta per totum ordinem fieret, ad quam fratres omnes cum devotione inſimul convenirent; & in hoc poſtea multi imitati ſunt fratres, *Salve regina* eorum modo cantantes.

In tertio capitulo generali celebrato, in iſto conventu, fuit electus in magiſtrum ordinis Prædicatorum ſanctus pater, frater Jordanus, licet nondum in ordine compleſſet duos annos & dimidium. Hic fuit Teutonicus de Saxonia, villa quæ dicitur *Borgerge*, in diœceſi quæ dicitur Maguntia oriundus, qui cum jam eſſet bacalaureus in theologia Pariſius, receptus eſt ad ordinem in iſto conventu a bonæ memoriæ fratre Reginaldo: in cujus felici obitu viſio mirabilis cuidam religioſo viro apparuit. Videbat enim in ſomnis in clauſtro S. Jacobi fontem limpidiſſimum ſubito arefieri, & poſt unum rivum magnum in eodem loco oriri, qui diſcurrens per prælaturas urbis & inde per totam patriam lavabat, potabat, & lætificabat omnes, & ſemper creſcens uſque ad mare currebat. Revera poſt obitum B. Reginaldi dictus pater ſurrexit, qui primo fratribus Pariſius legendo, & poſt prædicando diſcurrens per orbem fere xx. annis citra mare & ultra annuncians Jesum Christum, pluſquam mille fratres ad ordinem traxit. Sub eo introducta eſt conſuetudo cantandi *Salve regina* poſt completorium. Sub eo fuerunt prius licentiati fratres Prædicatores ad legendum ſententias Pariſius, & habuerunt duas ſcholas, in quibus primo legerunt frater Rollandus Cremonenſis Cenomanenſis, & frater Elias Gallicus, frater Albertus Teutonicus, qui poſtea propter ſuam incomparabilem ſapientiam cognominatus eſt Magnus. Ipſe etiam eſt qui induxit conſuetudinem de faciendis collationibus Pariſius ſcholaribus. Sub eo etiam intraverunt Pariſius ordinem Prædicatorum tot magiſtri in theologia, doctores in jure, bacalaurei & magiſtri in artibus, & alii innumerabiles, quod propter eorum gratiam prædicationis, & alia miranda quæ faciebant, totus mundus ex auditu ſtupebat. Conſueverat enim de duabus quadrageſimis, unam Pariſius tenere, qui conventus eo præſente apum alveare videbatur. Hic pater cum in choro iſtius conventus, in nocte Circumciſionis Dominicæ, in matutinis nonam legeret lectionem, eidem beata Maria cum angelis aſtitit, & ipſum legentem intentiſſime reſpiciebat. In clauſtro iſtius conventus frater Johannes Teutonicus magiſter ordinis Prædicatorum in curru igneo ſplendidiſſimus viſus eſt & apparuit.

In feſto Purificationis B. Virginis cum fratres in iſto conventu in matutinis inciperent invitatorium *Ecce venit*, beatiſſima mater Dei proceſſit cum filio ad altare, ubi ſuper thronum paratum ſedit dulciſſime, reſpiciens fratres ad altare juxta morem converſos, cum autem ad *Gloria Patri* inclinarent, ipſa apprehenſa filii dextra, eos & totum chorum ſignavit.

Anno ab incarnatione Domini MCCXXVIII. convenerunt in iſto conventu omnes priores provinciales ordinis prædicti, una cum ſancto patre fratre Jordano magiſtro ordinis, ſinguli cum duobus diffinitoribus, ſibi a capitulis provincialibus deputatis, in quos omnes priores ſua vota unanimiter tranſtulerunt, eiſdem plenariam poteſtatem concedentes, ut quicquid ab eis fieret de cetero, perfirmum & ſtabile permaneret. Qui Spiritus ſancti gratia invocata, conſtitutiones ad honeſtatem & vitam ordinis fratrum Prædicatorum pertinentes unanimiter & concorditer ediderunt.

Quod in iſto conventu compoſitæ ſunt concordantiæ.

In iſto etiam conventu concordantiæ ſuper totam bibliam completæ ſunt, quas totus ordo Prædicatorum, quia breves erant dilatavit poſtea, & hic uno volumine redegit, fratribus inſimul congregatis in quodam capitulo generali, & ideo vocantur concordantiæ ſancti Jacobi, ut ponitur in prologo concordantiarum. Eſt autem conventus Pariſienſis in toto ordine Prædicatorum ſecundus, ſicut Toloſanus primus, ſed dignitate honoris & eminentia in toto ordine primatum tenet atque principatum, nec enim eſt alius aut fuit in toto orbe conventus aut domus, quæ tales ac tantos viros in virtutibus & doctrina eminentes & coruſcantes produxit, ſicut venerabilis domus iſta, in quo plurima ſanctorum Prædicatorum corpora in pace & ſpe futuræ reſurrectionis requieſcunt.

Explicit de conventu Pariſienſi.

De ſancto Thoma Aquinate.

Beatus Thomas de Aquino ordinis fratrum Prædicatorum egregius, totius eccleſiæ lumen præfulgidum, almæ univerſitatis Pariſienſis ſpeculum clariſſimum, de illuſtri proſapia comitum Aquinorum in confinibus Campaniæ regni Siciliæ, claram ducens originem, priuſquam naſceretur ex ute-

ro præmonſtratus divinitus, anno ætatis ſuæ xiv. in conventu Neapolitano Prædicatorum ordinem eſt ingreſſus. Naturalis autem diſpoſitio corporis B. Thomæ erat talis. Fuit ſiquidem magnus in corpore proceræ & rectæ ſtaturæ, quæ rectitudini animæ reſponderet, coloris attemperatæ complexionis indicium magnum, caput habens ſicut perfectiones virtutum animalium quæ rationi deſerviunt, organa perfecta requirunt, fuitque aliquantulum calvus, tenerrimæ complexionis in carne ad indicium aptitudinis intelligentiæ ejus in mente, fuitque virilis robore, cum aliquos actus virtutis corporeæ exerceret, ut videtur Deus tam nobile corpus & organum præparaſſe, quo ad actus virtutum deſerviret obediens, quod numquam rationis judicio eſſet contradicens.

Anno autem ætatis ſuæ xxvii. ad perſuaſionem magiſtri ſui Alberti magni miſſus eſt Pariſius ad legendum ſententias in iſto laudabili conventu anno Domini MCCLII. paulo plus minuſve. Cumque cœpiſſet legendo diffundere, quæ tacendo prius abunde collegerat, tantam ſibi Deus infudit gratiam in doctrina, ut omnes homines ipſum audientes adduceret in ſtuporem. Unde & beatiſſimus rex Francorum LUDOVICUS frequentiſſime eum audiebat, multi etiam viri litterati de remotis partibus, audita fama ſapientiæ ſuæ, ad ejus doctrinam mirabilem capiendam declinabant. Quotieſcumque autem legere, ſcribere, diſputare aut dictare voluit, prius orationis ſecretum acceſſit, & inde ſurgens ſic inveniebat in promtu quod dictaret, ac ſi in libro aliquo didiciſſet. Nam ut ſocio fratri Reginaldo revelavit, ſcientiam ſuam non tam humano naturalique ingenio ac ſtudio divinitus impetravit. In contemplando autem tanto ejus mens replebatur gaudio, quod pluries, dum oraret, viſus eſt ſtare elevatus a terra, nullo prorſus innixus corporeo fulcimento, ut ſic liber in Deum elevatione mentis conſcenderet, quaſi nullum pondus carnis contrarium ſuſtineret. Tanta autem intellectus & ingenii ſubtilitate pollebat, ut numquam librum legeret, quem ad plenum non intelligeret, & ad profundum libri ſcripti myſterium non veniret. Cujus ingenii ſubtilitate & acumine intelligentiæ ac rectitudine judicii evidenter oſtenditur multitudo librorum quos edidit, & ſententiarum novitas quas adinvenit, ſenſuſque ſcripturarum abſconditi quos in lucem produxit. Fuit quoque idem doctor tanta memoriæ capacitate & retentione, ut hoc quod ſemel legendo caperet, perpetuo retineret, ut videtur in ejus anima continue fieri habitus ſcientiæ, quem ſic collectum habebat in animo, quaſi exemplatum haberet in libro: quod evidenter patuit in primo opere mirabili, quod ad præceptum domini URBANI papæ ſuper quatuor evangelia de ſanctorum dictis compoſuit & contexuit, quæ ipſe perlegens in diverſorum monaſteriorum libris, ita memoriæ commendavit, quaſi doctorum dicta haberet præ oculis, quæ prius legerat in libris. In ſignum autem évidens, quod idem doctor in theſauro memoriæ quaſi collectam ſcientiam poſſideret, de diverſis materiis tribus ſcriptoribus, interdum quatuor, ſimul eodem tempore dictabat: aliquando etiam, cum feſſus ſe pro labore dictandi repauſationis gratia poneret ad quietem, dormiendo dictabat: de cujus ore dormientis ſcriptor quæ audiebat redigebat in ſcriptis continuando materiam, de qua antea ſcripſerat, cum vigilando dictabat, ut videretur Deus ſimul ejus infundere intellectui diverſas virtutes, quas ſimul poſſet non abſque ſpecialis gratiæ dono pluribus referare, ut non videretur ignota diſcurrendo perquirere, ſed quaſi collecta in memoria, de ſcientiæ thalamo, & dormiens modo mirabili effundendo dictare.

Anno autem Domini MCCLIV. ætatis vero ſuæ xxx. anno inchoante, cum ad theologiæ magiſterium Pariſius deberet aſſumi, Deo ſe in oratione humiliter recommendans, apparuit ſibi in iſto conventu frater quidam ordinis Prædicatorum canitie venerandus, dixitque ei: Ne formides, frater Thoma, onus magiſterii ſuſcipere, quia Deus tecum erit, & hoc in collatione pro themate propones, *Rigans montes de ſuperioribus ſuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra.* Quo dicto, ſenex ille diſparuit: quod & doctor ſanctus fecit. De divinis enim & ſuperioribus ſibi immiſſionibus, montes, videlicet futurorum doctorum ingenia irrigavit; de fructibus vero operum ſuorum terræ plenitudinem fœcundavit. Nec enim ullus inhæſit ſcripturæ ejus doctus, qui non fuerit ſcientiæ & ſapientiæ ejus fructibus ſatiatus. Per ejus ſiquidem doctrinam doctus quilibet quaſi cœleſti irrigatus imbre, doctior redditur, & minus doctus cœli pabulo ſatiatur. Vixit autem, poſtquam ad magiſterium theologiæ aſſumtus fuit, annos circiter xx. in quibus quantum utilis eccleſiæ Dei & admirabilis fuerit, ejus ſcientia & doctrina & opera ejus in tam breviſſimo confecta tempore, teſtimonium perhibent veritati. Ejus namque doctrina, quam totus orbis amplectitur & miratur, quaſi lux ſplendens procedit & creſcit uſque ad perfectum diem. Quos enim ſtudioſos non docuit? quos protervos non corripuit? quos devios non direxit? Sic enim divina docuit ut humana decentiſſime, quantum fuit expediens ad ſalutem hominum, ſufficientiſſime pertractavit. Et ideo doctor communis & rectiſſime nominatur. Nam ejus doctrina eſt ſal condiens ſcripturam aliam qualemcumque, quæ ſicut myſteriis ſapientes exercet, ſic in ſuperficie ſimplices refovet. Habet enim in publico unde parvulos nutriat &

ſerviat, in ſecreto unde mentes ſublimium in ammiratione ſuſpendat. In ipſa enim ſunt brevis ſtilus, grata facundia, firma, clara, celſaque ſententia. Unde quaſi alter Moyſes congrue & merito dici poteſt, qui ſub duplici columna nubis & ignis fideles de Ægypti tenebris duplicis ſcientiæ luce doctus eduxit, ut in columna nubea, quæ de terra oritur, ſcientia ſæcularium ſcientiarum intelligatur, humanis ſenſibus acquiſita. In columna vero ignis lex illa ignea deſignatur, quam ex dextera ſedentis ſuper thronum, Deo ſibi inſpirante, ſuſcepit, toti mundo reſeravit. Hic eſt alter Thomas, non Didymus, alius dubius, ſed in omni ſcibili firmus & certus, qui dictus eſt abyſſus propter profunditatem ingenii, qui ad ipſum Chriſti latus invitatus ingreditur, & ad divinorum ſecreta ſcrutanda admiſſus, tam certa notitia inſpirata ſcripſit in libris, quaſi manu ipſa contingeret, quæ intelligentiæ digito indicantur. Obiit ſanctus doctor nonis Martii in anno Domini MCCLXXIV. ætatis vero ſuæ anno XLIX. terminante, & quaſi quinquageſimo inchoante, ab ingreſſu ſuo in ordine Prædicatorum quaſi XXXVI. magiſterii ſui anno XX. & canonizatus eſt per dominum Johannem papam XXII. apud Avenionem, pontificatus ſui anno VII. XV. cal. Auguſti, anno Domini MCCCXXIII. a felici vero tranſitu ejuſdem doctoris de hac vita anno quinquageſimo decurrente.

Sequitur numerus omnium librorum quos B. Thomas compoſuit & dictavit de diverſis ſcientiis, divinis ſcilicet & humanis.

Donum autem ſcientiæ & intelligentiæ collatum divinitus S. Thomæ evidentius declaratur in multiplici opere ſcripturarum, qui ut ſcriba doctiſſimus, de theſauro cordis ſui protulit nova & vetera, de novo ſcilicet & veteri teſtamento, & abſcondita produxit in lucem diverſarum ſcripturarũ. Numerus autem & nomina librorum quos ad Dei laudem & fidei dilatationem, eruditionemque ſtudentium ipſe conſcripſit in ſequentibus conſcribuntur.

Scripſit enim ſuper quatuor libros Sententiarum quatuor volumina, opus ſiquidem ſtilo diſertum, intellectu profundum, intelligentia clarum, & novis articulis dilatatum.

Primum incipit, *Ego ſapientiæ effudi flumina.*

Secundum incipit: *Spiritus ejus ornavit cœlos.*

Tertium incipit: *Ad locum unde exeunt flumina revertentur.*

Quartum incipit: *Miſit verbum ſuum & ſanavit eos.*

Cumque poſt tres annos ſui magiſterii rediiſſet in Italiam, exiſtens Romæ ſcripſit iterum ſuper primum ſententiarum, ſicut teſtatur in chronica ſua frater Bartholomæus epiſcopus Corſulanus, qui diutius auditor ejus fuit, aſſerens ſe vidiſſe in conventu Lucano, quod nunc non invenitur, quia clam ſublatum fuiſſe creditur, & ideo non fuit multiplicatum.

De Summa theologiæ.

Scripſit & admirabilem Summam totius theologiæ, quam pluribus materiis, & articulis ampliavit, & aliter quam in ſcriptis ſuis ſecundum exigentiam materiæ prioribus miro & convenienti ordine per quæſtiones & articulos diſtinxit, ſubtilioribus rationibus ipſos determinans & declarans, quos ſanctorum doctorum auctoritatibus roboravit, & philoſophorum dictis ornavit, fundavit & communivit. In quo opere cunctis theologiam ad plenum ſcire deſiderantibus ſic utiliter laboravit, quod viam ſciendi & comprehendendi facilem, modumque compendioſum prius ignotum adinvenit & tradidit, non abſque infuſione doni gratiæ ſpecialis. Summam autem prædictam in tres partes diſtinxit, ſcilicet in naturalem, moralem & ſacramentalem. In prima agit & definit de naturis rerum; primo de divinis, ſecundo autem de rebus creatis, & intitulatur *Prima pars Summæ.* Secundam autem partem moralem diviſit in duo volumina, in quorum primo agit & diffinit de virtutibus & vitiis & aliis ad moralem materiam pertinentibus in communi, & intitulatur *Prima ſecundæ.* In ſecundo vero volumine deſcendit ad materias virtutum & vitiorum, & diverſorum hominum ſtatum, & intitulatur *Secunda Secundæ* reſpectu ejuſdem materiæ. Tertia autem pars Summæ eſt quartum volumen ejuſdem, quæ ideo Sacramentalis vocatur, quia in ea agitur de ſacramentis Chriſti & eccleſiæ, & de toto myſterio Incarnationis Filii Dei, & intitulatur *Ultima pars Summæ*, quia finis eſt aliarum, & ultimo facta fuit. Quam cum ſcriberet in conventu Neapolitano, & in capella S. Nicolai ejuſdem conventus oraret, frater Dominicus ſacriſta vidit ipſum in oratione poſitum quaſi duobus a terra cubitis in aëre elevatum. Super quo frater ille diu admirans, ſubito audivit ab imagine crucifixi, ad quam converſus ſanctus doctor orabat, prolatam clarius iſtam vocem: *Bene ſcripſiſti de me, Thoma, quam ergo recipies pro tuo labore mercedem.* Scripſerat enim de Chriſti Incarnatione, Nativitate, Paſſione, Reſurrectione & Aſcenſione. Et reſpondit Thomas: *Non aliam mercedem accipiam niſi teipſum.* Et quia a Domino facta eſt de mercede quæſtio, dabatur intelligi de propinquo labore ſuo fore terminum imponendum. Nam revera poſtea pauca ſcripſit, & ſcribendi & vitæ ſuæ cito finem fecit. Ideo præventus morte dictam tertiam partem incompletam reliquit. Unde certe vera & fide digna doctoris hujus approbata doctrina, quæ divina revelatione ſuſcipitur, & veritatis verbo approbatur.

Prima pars Summæ incipit: *Quia catholicæ veritatis doctor.*

Prima Secundæ incipit: *Quia ſicut dicit Damaſcenus.*

Secunda Secundæ incipit: *Poſt communem conſiderationem.*

Ultima pars incipit: *Quia Salvator noſter.*

De Summa contra gentiles.

Scripſit etiam Summam quæ intitulatur Contra gentiles, in qua ſic hæreticorum errores ſcripturarum ſua falce acutiſſima exſtirpavit, ſic contra paganorum & gentilium ſtultitiam arcu & gladio doctrinæ ſuæ prævaluit, quod de tali conflictu ſibi hactenus nullus fuit ſimilis. Geſſit enim typum luciferi ſplendens in cœtu nubium plus quam doctores ceteri, purgans dogma gentilium. Eſt autem opus illud ſtilo diſertiſſimo & rationum novitate & ſubtilitate profundiſſimo. In quo præcipue opere cum ipſum ſcriberet, frequenter derentus eſt, a ſenſibus exterioribus ſic abſtractus, ut videretur totaliter divinis intentus. Unde invitatus Pariſius a beatiſſimo rege Francorum Ludovico, recedenſque de ſtudio ſuo, cum imaginatione quam contra hæreſim Manichæi præconceperat, quam tunc temporis impugnabat, ſedenſque in menſa regis juxta eum, ſubito virtute ſibi divinitus inſpirata, ſuper menſa manu percutiens dixit: *Modo concluſum eſt contra hæreſim Manichæi*, vocanſque ſocium ſuum ex nomine ait: *Surge & ſcribe*, quaſi eſſet in ſtudio cellæ ſuæ. Prior autem iſtius conventus, qui ipſum ſociaverat, tangens eum manu, dixit: *Animadvertatis, magiſter, quia nunc eſtis in regis Franciæ menſa, & non in cella;* qui ad ſe rediens, & advertens ubi erat, inclinans ſe ad regem humiliter ait: *Parcatis mihi, domine mi rex, quia credebam me eſſe in ſtudio, ubi contra Manichæi hæreſim incæperam cogitare.* De quo ſanctus rex fuit plurimum admiratus & ædificatus, quod in homine fieret tantus per Spiritum raptus mentis, quem non impediret in aliquo ſenſus carnis. Tunc ſanctus rex, vocato ſcriptore, mandavit ei quod ſtatim ſcriberet quæ doctori ſancto fuerant divinitus revelata. Iſtam autem Summam in quatuor libros diſtinxit qui incipiunt:

Primus liber, *Veritatem meditabitur.*

Secundus, *Meditatus ſum in omnibus operibus tuis.*

Tertius, *Deus magnus Dominus.*

Quartus, *Ecce hæc ex parte dicta ſunt.*

De quæſtionibus diſputatis.

Scripſit etiam idem doctor non parva volumina quæſtionum theologicarum de diverſis materiis, per diverſos articulos diſtinguens & proſequens & elucidans veritatem, quas in ſeptem partes diſtinxit, & vocantur Quæſtiones diſputatæ, ſcilicet:

Quæſtiones de potentia Dei.

Quæſtiones de unione Verbi Incarnati.

Quæſtiones de veritate.

Quæſtiones de malo.

Quæſtiones de ſpiritualibus creaturis.

Quæſtiones de anima.

Quæſtiones de virtutibus.

Item ſcripſit XI. quolibeta.

De ſacramento Corporis Chriſti.

Item, ad mandatum Domini Urbani papæ dictavit & ordinavit totum officium eccleſiaſticum de feſto & octavis Corporis Chriſti.

Item, ſcripſit librum de ſacramento Euchariſtiæ, & dimenſionibus & accidentibus ſine ſubjecto exiſtentibus, ad rogatum magiſtrorum Pariſienſium. Cum autem de Corpore Chriſti ſcripſit quæ ſibi divinus Spiritus revelavit, in eccleſia iſtius conventus, cum quaterno ad altare oraturus acceſſit, & ſuper altare coram Chriſto, tamquam ſummo magiſtro, quaterno ipſo appoſito, flexis genibus oravit: mira res! mox ibidem Chriſtus viſibiliter apparens, a ſocio ſancti doctoris & aliquibus aliis fratribus ipſum devotionis gratia obſervantibus, ſuper quaternum ſtans in altari conſpicitur, taliter alloquens ſanctum ſuum: *Bene de hoc Corporis mei ſacramento ſcripſiſti, Thoma, & determinaſti, ſicut ab homine in mortali vita degente poteſt intelligi, & humanitus definiri.* Quo diutius in oratione perſiſtente, viſus eſt doctor prædictus, quaſi per unum cubitum a terra in aëre elevatus. Ad quod prodigium intuendum prior conventus & alii plures fratres convocati venientes, corporalibus oculis aſpexerunt.

De libris Biblia.

Scripſit & ad mandatum Urbani papæ ſuper quatuor evangelia opus inſigne, miro contextum ordine ex dictis & auctoritatibus ſanctorum, in quibus ſic uniuſcujuſque evangeliſtarum quatuor eſt continuata hiſtoria, quaſi unius doctoris videatur eſſe lectura.

Opus ſuper Matthæum incipit: *Sanctiſſimo ac reverendiſſimo domino.*

Super Marcum: *Reverendo in Chriſto patri domino Ambaldo.*

Super Lucam: *Inter cetera Incarnationis myſteria.*

Super Johannem: *Diem viſionis ſubtilitate illuſtratus.*

Item ſcripſit Poſtillam ſuper Johannem. Incipit: *Vidi Dominum ſedentem*, & hoc per modum lecturæ.

Item ſcripſit Poſtillam ſuper Matthæum eodem modo.

Item Expoſitionem ſuper evangelia totius anni.

Item ſcripſit ſuper epiſtolas Pauli ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Theſſalonicenſes, ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos.

Super quas epiſtolas cum Pariſius ſcriberet, & quippiam ſibi obſcurius occurrebat, emiſſis ſcriptoribus, in oratione ſe proſternebat, & tunc clarum illi erat quod obſcurum antea fuerat. Frater Paulus de Aquila vidit S. Thomam in ſcriptis legentem & Paulum apoſtolum ad eum venientem, & ſcholas ejus intrantem: cui cum S. Thomas de cathedra deſcendens ei vellet occurrere, Paulus mandavit, quod legeret & proſequeretur quam incœperat lectionem. Quem S. Thomas rogavit, ut ei diceret, an in epiſtolis ſuis verum habuiſſet intellectum. Cui Paulus reſpondit: Plenum habuiſti de illis intellectum, ſicut poteſt quis vivens in corpore habere.

Item ſcripſit ſuper Job ad litteram, in quem nullus doctor ante eum litteraliter, ſic ſicut ipſe exponere attentavit.

Item incœpit ſcribere ſuper Pſalterium, & ſcripſit ſuper tres primos nocturnos, & præventus morte opus remanſit incompletum. Incipit: *In omni opere ſuo dedit confeſſionem ſancto.*

Item ſcripſit ſuper Iſaiam prophetam, & cum ſcriberet prophetiæ ejus myſteria exponendo, pervenit ad quemdam libri textum ſibi difficilem: quem cum non poſſet intelligere, nec profunditatem ſenſus ſcripturæ propheticæ penetrare, orationi ſe contulit, & ſanctis apoſtolis Petro & Paulo recommendavit: qui eidem viſibiliter apparentes, de textu dubio pleniſſime inſtruxerunt. O vere felix doctor! cui divinæ ſcripturæ cœli clavicularius aperuit oſtium, & aſcenſor cœli Paulus doctor ille mirabilis docuit in veritate ſecretum. O felix doctor! hoſpes mundi & civis cœli, qui cum cœleſtibus civibus loquitur, dum adhuc in corpore peregrinatur.

Item ſcripſit ſuper Jeremiam.

Item ſcripſit ſuper librum Threnorum.

Item ſuper Cantica Canticorum.

De expoſitione aliquorum ſcriptorum.

Item, ſuper librum Dionyſii de Cœleſti Hierarchia.

Item, de Eccleſiaſtica Hierarchia.

Item, de Divinis nominibus.

Item, de Myſtica theologia.

Item, ſuper omnes epiſtolas ejuſdem.

Item, ſcripſit ſuper librum Boëtii de Hebdomadibus. Incipit: *Præcurrit prior in domum tuam.*

Item, ſcripſit ſuper librum Boëtii de veritate & incipit: *Ab initio nativitatis meæ inveſtigabo.* Cumque librum iſtum exponeret, candelam accenſam in manu tenens, ſic in contemplatione eſt abſtractus, quod candela ardens conſumta eſt uſque ad digitos manus ejus, quibus ignem candelæ diutius inhærentem non ſenſit. Sed ipſum ſine aliquo motu digitorum ſuſtinuit, donec defecit. Inhibuerat enim ſcriptori ſuo, ut ipſum nullatenus vocaret quicquid in ipſo videretur. Simile de ipſo Pariſius ſæpius viſum eſt. Erat enim mirabile videre hominem, ſenſibus utentem, & cum ſenſibilibus converſantem, ſubito rapi, & mente abſtrahi, & quaſi ab hominibus ſeparari & ad cœleſtia elevari, quaſi non eſſet ubi corporaliter ſiſteret, ſed ubi mentaliter inhæreret.

De aliquibus aliis expoſitionibus.

Item, ſcripſit ſuper Salutationem Angelicam, ſcilicet *Ave Maria.* Incipit: *In iſta ſalutatione tria continentur.*

Item, ſcripſit Expoſitionem orationis Dominicæ, ſcilicet *Pater noſter.* Incipit: *Inter alias orationes Dominica oratio principaliter invenitur.*

Item, ſcripſit ſuper primam decretalem *de Summa Trinitate, Firmiter tenemus.* Incipit: *Salvator noſter.*

Item, ſcripſit ſuper decretalem *Damnamus & reprobamus.* Incipit: *Expoſita forma catholicæ fidei.*

De aliquibus aliis libris.

Item, ſcripſit librum qui intitulatur *Compendium theologiæ* ad fratrem Reginaldum, qui incipit: *Æterni Patris Filius.* Et quia morte præventus eſt, opus remanſit incompletum.

Item, librum de perfectione religionis Chriſtianæ. Incipit: *Chriſtianæ religionis propoſitum.*

Item, librum de perfectione vitæ ſpiritualis. Incipit: *Quoniam quidam perfectionis ignari.*

Item, librum de præceptis & neceſſitate legis amoris. Incipit: *Tria ſunt neceſſaria.*

Item, librum contra impugnantes religioſos. Incipit: *Ecce inimici tui ſonuerunt.*

Item, librum contra errores Græcorum ad Urbanum papam. Incipit: *Libellum ab excellentia veſtra modo exhibitum.*

Item, de articulis fidei & eccleſiæ ſacramentis ad archiepiſcopum Parnomitanum. Incipit: *Poſtulavit a me veſtra dilectio, ut de articulis fidei & eccleſiæ ſacramentis.*

Item, librum de articulis fidei contra Græcos, Armenos & Saracenos, ad Cantorem Antiochenum. Incipit: *Beatus Petrus apoſtolus.*

Item, librum de forma abſolutionis ſacramentalis ad magiſtrum ordinis Prædicatorum. Incipit: *Perlecto libello.*

Item, librum quadraginta trium quæſtionum ad lectorem Venetum. Incipit: *Lectis litteris veſtris inveni.*

Item, librum ubi continetur reſponſio ad multos articulos, ad fratrem Gerardum lectorem Biſuntinum. Incipit: *Cariſſimo ſibi in Chriſto.*

Item, librum de ſubſtantiis ſeparatis, ſcilicet angelis, ad fratrem Raynaldum. Incipit:

pit: *Quia ſacris angelorum ſolemniis.*

Item, librum de regimine principum ad regem Cypri. Incipit: *Cogitanti mihi quid offerre regiæ celſitudini dignum.*

Item, librum de regimine Judæorum ad ducisſam Brabantiæ. Incipit: *Excellentiæ veſtræ recepi litteras.*

Item, librum de origine & perpetuitate mundi. Incipit: *Suppoſito ſecundum fidem.*

Item, librum de Sortibus, ubi ſcilicet illis utendum, ad dominum Jacobum de Burgo. Incipit: *Poſtulavit a me veſtra dilectio.*

Et cum ab eodem divino intellectu omnium ſcientiarum ſecreta prodeant, a quo divinæ ſapientiæ veritates emanant, cui omnes ſcientiæ jure ſubſerviunt, ut ancillæ, ſanctus doctor ſcripſit multa de ſcientiis philoſophicis & habemus videlicet.

De Logica, Philoſophia & Metaphyſica.

Super librum Perihermenias.

Item, ſuper librum Poſteriorum.

Item, ſuper octo libros Phyſicorum.

Item, ſuper tres libros de cœlo & mundo, quia morte præventus non ſcripſit ſuper quartum.

Item, ſuper duos libros de generatione & corruptione.

Item, ſuper duos libros meteorum ſolum, quia morte præventus non ſcripſit ſuper tertium & quartum.

Item, ſuper tres libros de anima.

Item, ſuper librum de ſenſu & ſenſato.

Item, ſuper librum de memoria & reminiſcentia.

Item, ſuper librum de ſomno & vigilia.

Item, librum de morte & vita, & ſuper alia parva naturalia.

Item, ſuper XII. libros Mathematicæ.

Item, ſuper librum cauſarum.

Item, libros quatuor Ethicorum.

Item, ſuper libros Politicorum quatuor, quia præventus eſt morte & alios non complevit.

In exponendo autem litteraliter Ariſtotelem non habuit æqualem, unde a philoſophis *Expoſitor* per excellentiam nominatur.

Item, ſcripſit librum de quatuor oppoſitis, qui incipit: *Quatuor ſunt oppoſitiones.*

Item, librum de modalibus propoſitionibus, incipitque: *Propoſitio modalis.*

Item, de ſallaciis ad quoſdam artiſtas, incipitque *Logica eſt rationalis ſcientia.*

Item, de demonſtratione. Incipit: *Ad habendam cognitionem.*

Item, librum de principiis naturæ ad fratrem Silveſtrum. Incipit: *Quia aliud poteſt eſſe, nec ſit.*

Item, librum de natura materiæ. Incipit: *Quoniam de principiis ſermo habitus eſt.*

Item, librum de natura inſtantis. Incipit: *Quoniam omnem durationem comitatur inſtans.*

Item, librum de fato. Incipit: *Quæritur de fato quid ſit.*

Item, librum de actionibus & operationibus occultis naturæ ad quemdam militem. Incipit: *Quoniam in quibuſdam naturalibus.*

Item, librum de motu cordis ad magiſtrum Philippum de Caſtiscœli: Incipit: *Quoniam omne quod movetur.*

Item, librum de Verbo. Incipit: *Ad intellectum hujus nominis quod dicitur Verbum.*

Item, librum de natura verbi Intellectus. Incipit: *Quoniam circa naturam intellectus.*

Item, librum contra Averroiſtas, de unitate intellectus. Incipit: *Omnes homines naturaliter ſcire deſiderant.*

Item, de mixtione elementorum in mixto ad magiſtrum Philippum. Incipit: *Dubium apud multos eſſe ſolet.*

Item, librum de Judiciis aſtrorum ad fratrem Raynaldum. Incipit: *Quia petiſti ut tibi ſcriberem.*

Item, librum de principio individuationis. Incipit: *Quoniam quæ ſunt potentiæ cognoſcitivæ in homine.*

Item, librum de quidditate entium, ſicut de eſſe & eſſentia. Incipit: *Quoniam parvus error in principio.*

Aliqua alia opera appropriantur ſancto doctori, quæ ipſe non fecit. Sed aliqui doctores ſui ſequaces ex ejus dictis, & ideo beati Thomæ opera nominantur.

Sequuntur ſpeciales orationes nimis devotæ a B. Thoma compoſitæ & dictatæ, quas certis temporibus Deo offerebat.

Quandocumque celebrabat, antequam indueretur orabat.

Omnipotens & miſericors Deus, ecce accedo ad Sacramentum Filii tui Domini noſtri JESU CHRISTI, *accedo, inquam, infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem miſericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, egenus ad Dominum cœli & terræ, nudus ad regem gloriæ. Rogo ergo immenſæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam digneris ſanare infirmitatem, lavare fœditatem, ut panem Angelorum, Regem regum, & Dominum dominantium, tanta reverentia & tremore, tanta ſuſcipiam contritione & amore, tanta fide & puritate, tali propoſito & humilitate, ſicut expedit ſaluti animæ meæ. Da mihi, quæſo, illius Dominici corporis non ſolum ſuſcipere Sacramentum, ſed & virtutem Sacramenti. O mitiſſime Deus, da mihi ſuſcipere corpus unigeniti Filii tui Domini noſtri* JESU CHRISTI *quod traxit de Virgine* MARIA, *ut merear corpori ſuo myſtico incorporari, ac inter ejus membra ſalubriter numerari. O pater amantiſſime, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum aſpicio, ſuſcipere in via, revelata tandem facie in patria contemplari, qui tecum vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.*

Ante communionem cum Corpus Chriſti

dum celebrabat tenebat in manibus, ſic orabat.

Adoro te digne latens Deitas, quæ ſub his figuris vere latitas, &c.

Quando audiebat miſſam, in elevatione Corporis Chriſti orabat.

Tu rex gloriæ Chriſte, tu Patris ſempiternus es Filius, & cetera uſque in finem.

In ſecreta contemplatione flexis genibus ſic orabat.

Concede mihi, miſericors Deus, quæ tibi ſunt placita ardenter concupiſcere, prudenter inveſtigare, veraciter agnoſcere, & perfecte implere ad gloriam & laudem nominis tui. Ordina ſtatum meum, & quod a me requiris ut faciam, tribue ut ſciam, & da exequi ut oportet & expedit ſaluti animæ meæ. Via mihi ad te tuta ſit, recta, grata, & confirmata, non deficiens inter proſpera & adverſa: ut & in proſperis tibi gratias referam, & in adverſis tibi ſervem patientiam, ut in illis non extollar, & in iſtis non deprimar; de nullo gaudeam aut doleam, niſi quod promoveat ad te, vel abducat a te. Nulli placere appetam, nec diſplicere timeam, niſi tibi. Vileſcant mihi omnia tranſitoria propter te, Domine; & cara mihi ſint omnia tua, & tu Domine, pluſquam omnia. Tædeat gaudii quod eſt ſine te, nec cupiam aliquid quod ſit extra te. Delectet me labor qui eſt pro te, tædioſa ſit mihi omnis quies quæ non eſt in te. Frequenter da cor meum ad te dirigere, & in defectione mea cum emendationis propoſito dolendo penſare. Fac me, Domine Deus meus, humilem ſine fictione, hilarem ſine diſſolutione, triſtem ſine dejectione, maturum ſine gravitate, agilem ſine levitate, veracem ſine duplicitate, te timentem ſine deſperatione, in te ſperantem ſine præſumtione, proximum corrigere ſine ſimulatione, ipſum ædificare verbo & exemplo ſine elevatione, obedientem ſine contradictione, patientem ſine murmuratione. Da mihi, dulciſſime Deus, cor pervigil, quod nulla a te abducat curioſa cogitatio. Da nobile, quod nulla trahat deorſum indigna affectio. Da rectum, quod nulla ſeorſum obliquet ſiniſtra intentio. Da firmum, quod nulla frangat tribulatio. Da liberum, quod nulla ſibi vindicet violenta affectio. Largire mihi, Domine Deus meus, intellectum te cognoſcentem, diligentiam te quærentem, ſapientiam te invenientem, converſationem tibi placentem, perſeverantiam fideliter te expectantem, & fiduciam te finaliter amplectentem; tuis pœnis hic affigi per pœnitentiam, tuis beneficiis in via uti per gratiam, tuis gaudiis inprimis in patria perfrui per gloriam, qui vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Antequam prædicaret, ſtuderet, legeret, vel dictaret, ſic orabat.

Creator ineffabilis, qui de theſauris ſapientiæ tuæ novem angelorum hierarchias advocaſti, & eas ſuper cœlum empyreum miro ordine collocaſti, atque elegantiſſime partes univerſi diſpoſuiſti. Tu, inquam, qui verus fons lucis & ſapientiæ diceris, atque ſupereminens principium, infundere digneris ſuper intellectus mei tenebras tuæ radium claritatis, duplicem in qua natus ſum removens privationem & tenebram, peccatum ſcilicet & ignorantiam. Qui linguas infantium facis diſertas, linguam meam erudias, atque in labiis gratiam tuæ benedictionis infundas. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi ſubtilitatem, abjiciendi facilitatem, loquendi gratiam copioſam; ingreſſum inſtruas, progreſſum dirigas, egreſſum compleas. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus laudabilis & glorioſus, & benedictus in infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Contra coruſcationes tempeſtates, & tonitrua ſic dicebat. In terroribus autem aëris & tonitrui & tempeſtatis, quaſi pro ſcuto, ſe muniens ſigno Crucis, dicebat: *Deus in carne venit, Deus pro nobis mortuus eſt & reſurrexit.*

Littera quam miſit Univerſitas Pariſienſis capitulo generali fratrum Prædicatorum de obitu B. Thomæ de Aquino, ubi petit corpus ſuum & aliquos libros ejuſdem doctoris.

Venerabilibus in Chriſto patribus, magiſtris & provincialibus ordinis fratrum Prædicatorum, ac univerſis fratribus aggregatis in capitulo generali Lugduni, rector Univerſitatis Pariſienſis, & procuratores ceteriique magiſtri Pariſius actu regentes in artibus, ſalutem in eo qui ſalubriter univerſa diſponit, & ſapienter toti providet univerſo.

Singultuoſo clamore totius eccleſiæ univerſale diſpendium, necnon & Pariſienſis ſtudii manifeſtam deſolationem lacrymabiliter deplangimus, & his diebus prælegimus in communi non immerito deplorare. Heu! heu! quis det nobis ut repræſentare poſſimus Jeremiæ lamentum, qui ſupra ſolitum modum in mentes deinceps ſingulorum inauditam extaſim cauſans & inæſtimabilem ſtuporem adducens, demum viſcerum noſtrorum interiora transfodit, & quaſi lethaliter cordium intima penetravit? Fatemur, vix valemus exprimere, amor noſter trahit, ſed dolor & vehemens anguſtia dicere nos compellit ex communi relatu & certo rumore multorum nos ſcire doctorem venerabilem fratrem THOMAM DE AQUINO *ab hoc ſæculo fuiſſe vocatum. Quis poſſet æſtimare divinam providentiam permiſiſſe ſtellam matutinam præeminentem in mundo, jubar in lucem ſæculi, immo, ut verius dicamus, luminare majus, quod præerat diei, ſuos radios retraxiſſe? Plane non inutiliter judicamus ſolem ſuum revocaſſe fulgorem & paſſum fuiſſe umbroſam eclipſim, dum toti eccleſiæ tanti ſplendoris radius eſt ſubtractus. Et licet non ignoramus conditorem noſtrum ipſum toti mundo ad tempus ſpeciali privilegio conceſſiſſe: nihilo minus ſi antiquorum philoſophorum auctoritatibus vellemus inniti, cum*

videbatur ſimpliciter poſuiſſe ad ipſius occulta elusidanda. Et cur fruſtra nunc verbis talibus immoremur? Cum eum a veſtro collegio
[a] *generali capitulo veſtro Florentiæ* (a) *celebrato, licet requiſitum inſtantius, proh dolor! non potuimus obtinere; tum ad tanti clerici, tanti patris, tanti doctoris perſonam non exiſtentes ingrati, devotum habentes affectum, quem vivum non potuimus retrahere, ipſius jam defuncti oſſa a vobis humiliter pro maximo munere poſtulamus. Quoniam omnino eſt indecens & indignum, ut altera ratio aut locus, quam omnium ſtudiorum nobiliſſima Pariſienſis civitas, quæ* B *ipſum prius educavit, nutrivit & fovit, & poſtmodum ab eo doctrinæ documenta & ineffabilia fomenta ſuſcepit, oſſa inhumata habeat & ſepulta. Si enim merito etiam oſſa & reliquias ſanctorum honorat, nobis non ſine cauſa videtur honeſtum & ſanctum tanti doctoris corpus in perpetuum penes nos haberi in honorem, ut cujus famam apud nos ſcripta perpetuant, ejuſdem perſeverans memoria ſepulturæ ipſorum in cordibus ſucceſſorum noſtrorum ſtabiliat ſine fine. Ceterum ſperantes quod obtemperetis nobis cum effectu in petitione devota, humiliter ſupplicamus, ut cum quædam ſcripta ad philoſophiam* C *ſpectantia Pariſius inchoata ab eo in ſuo receſſu reliquerit imperfecta, & ipſum credamus ubi tranſlatus fuerat compleviſſe, nobis benivolentia veſtra cito communicari procuretis, & ſpecialiter ſuper librum Simplicii, ſuper librum de Cœlo & Mundo & expoſitionem Timæi Platonis & de Aquarum conductibus, & ingeniis*
[b] *rigendis,* (b) *de quibus nobis mittendis ſpeciali promiſſione fecerat mentionem. Si qua ſimiliter ad logicam pertinentia compoſuit, ſicut quando receſſit a nobis humiliter petivimus ab eodem, veſtra benignitas noſtro communicare collegio* D *dignetur, & ſicut melius veſtra diſcretio novit, in hoc nequam ſæculo periculis multis ſumus expoſiti, fraternaliter precibus devotis expoſcimus, ut in hoc veſtro capitulo ſpeciali affectu, nos orationum veſtrarum ſuffragio ſupporteris. Hanc autem litteram ſigillis rectoris & procuratorum volumus ſigillari. Datum Pariſius anno Domini* MCCLXXIV. *die Mercurii ante inventionem S. Crucis.*

Iſta ſunt nomina fratrum primo legentium ſententias Pariſius in duabus ſcholis theologiæ ordini prædicto conceſſis, qui & poſt fuerunt in theologia doctores ſolemnes & E *magiſtri, & legerunt ordine ſubſcripto.*

Frater Rolandus Cremonenſis.

Frater Helias, Gallicus.

Frater Albertus, Teutonicus, qui propter incomparabilem ſui ſapientiam, poſtea cognominatus eſt Magnus.

Frater Gaufridus de Blanello, Gallicus. A

Frater Hugo, Metenſis.

Frater Johannes Pungens-aſinum, Pariſienſis.

Frater Stephanus de Barneſa, Autiſſiodorenſis.

Frater Bonus-Homo, Brito.

Frater Guerricus, Picardus.

Frater Hugo de S. Carro, Burgundus.

Frater Florentius de Hedino.

Frater Thomas de Aquino, Apulus, Sanctus.

Frater Guillelmus de Altona, Anglicus. B

Frater Bambaldus, Romanus.

Frater Baldewinus de Maſtis, Picardus.

Frater Petrus de Tarentaſia papa.

Frater Bartholomæus, Turonenſis.

Frater Guillelmus de Stampis.

Frater Petrus de Conflero, Burgundus.

Frater Guillelmus de Quintiano.

Frater Johannes de Allodio, Aurelianenſis.

Frater Johannes de Verziaco, Autiſſiodorenſis.

Frater Ferrarius, Arragonenſis.

Frater Guillelmus de Tornaco, Picardus.

Frater Johannes de Turno, Normannus. C

Frater Berengarius, provinciæ Toloſanæ.

Frater Guillelmus de *Hodon*, Anglicus.

Frater Guillelmus de Lexovio, Burgundus.

Frater Guillelmus de Magno Salu, Brito.

Frater Thomas de Lucido, de Monte-Cathino.

Frater Hugo de Bilionio, Alvernus.

Frater Gillebertus de Honis, Flammingus.

Frater Bernardus de Tralia, Vermanſenſis.

Frater Dominicus, Hiſpanus.

Frater Theodericus, Teutonicus.

Frater Bertrandus de S. Floro. D

Frater Stephanus de Biſuntio.

Frater Oliverius, Trecorienſis Brito.

Frater Remundus *Guille* de Teraſconia.

Frater Romanus de Roma.

In codice S. Victoris, unde hæc deſcripſimus, ſequitur vita Alberti-Magni, tum libellus de ſcriptoribus ordinis fratrum Prædicatorum, ex quibus prætermiſſi ab erudito viro Jacobo Eſchard *in bibliotheca fratrum Prædicatorum memorantur* AMBALDUS Romanus cardinalis, & LATINUS cardinalis epiſcopus Oſtienſis, *ſcripſiſſe in ſententias. Tum ad calcem hæc leguntur:*

Compilatum eſt hoc opus per fratrem Ludovicum de Valle-Oleti, regni Caſtellæ provinciæ Hiſpaniæ, & ſcripſit hæc frater Petrus Girardi, Flammingus. *Codex eſt annorum circiter* 300. E

(a) Celebratum fuit hoc generale capitulum anno 1272. biennio antequam e vivis excederet S. Thomas.

(b) Ex his libris ſoli comparent hodie libri de cœlo & mundo, at nihil prorſus de opere ſuper librum Simplicii, de expoſitione Timæi Platonis, de Aquæductibus & ingeniis erigendis.

PAULI FLORENTINI DIALOGUS DE ORIGINE ORDINIS SERVITARUM.

Eruit Mabillonius ex bibliotheca Laurentiana.

ADMONITIO MABILLONII IN DIALOGUM SEQUENTEM.

ORDINIS Servorum beatæ Mariæ, quos Servitas *vulgus appellat, primordia describit, atque ad annum* MCCXXVIII. *revocat Paulus ejusdem ordinis in Dialogo sequente, quem Petro Mediceo, Cosmi senioris filio, inscripsit. Interlocutores Petrus ipse, atque Marianus ex præfecto cœnobii, quod ab Annuntiata Florentini vocant, episcopus Cortonensis ab anno* MCCCCLV. *Ordinis prædicti cunabula per Philippum Benitium in eadem æde fuere, cujus nova basilica ab ipsomet Petro Mediceo eleganti opere condita est. Caput ordinis nihilo minus in Senaro seu Senario monte, decimo a Florentia milliari, ubi hactenus viget illa religio. In æde Annunciatæ celebratur imago beatissimæ Virginis, quæ a Bartholomæo pictore incœpta, angelica manu perfecta dicitur a Paulo hujusce Dialogi scriptore. Johannem pictorem vocat Johannes alter ordinis Prædicatorum, qui tres libros de vita Deiparæ, quartum de Florentinis ecclesiis eidem nuncupatis metrice scripsit. Ex quarto libro ea subjiciemus hoc loco, quæ tum ad commendandam Annuntiatæ celebrem basilicam, tum ad illustranda Servorum beatæ Mariæ primordia possunt conducere. Gianius scripsit Servitarum Annales, quos lector consulere potest.*

DIALOGUS FRATRIS PAULI Florentini de origine ordinis Servorum ad Petrum Cosmæ, incipit.

CUm ad Petrum Cosmæ, virum quippe aspectu jucundum, & multarum rerum periculo gravem, Marianus antistes fama & gloria celebris, aliquando venisset, ejusque A comitandi causa Leonardus eodem perveniſſet; inauditam inusitatamque omnium rerum cognitionem, & denique incredibilem ac pene divinam ejusdem Cortonensis episcopi sapientiam suis auribus intonasse exploratæ scientiæ est, ut nullius ingenii tantum sit officium, nulla dicendi aut scribendi auctoritas, quæ pro rei hominumque dignitate laudem dignam exornare posset. Mutua enim in divâ Virginē quadam Petrus caritate

flagrans prior Marianum affari cœpit. Quæ non humana, ſed divina ultro citroque protulerunt, narrando digeram. At præceptor noſter Leonardus rediens, & talium verborum dulcedine captus, hæc admiratione digniſſima commemoraus, ait: Velleſne, ô Paule, id litteris mandare, quod maximum religionis noſtræ decus & jubar immortale ſit? Ego vero te docebo omnia hæc, quæ a clariſſimis viris effuſa fuere. Cum vero infinita in me officia contulerit, ut redditam haud umquam gratiam putem: ei plane reſiſtere inhumanitatis apparebat. In his ipſis quæ relata ſunt, par rebus ingenium mihi dari vellem, cujus gratia tantorum virorum doctrinam mortalibus cognoſcendam traderem. Quare humanarum divinarumque rerum auctor, pariterque mortalium omnium Genitrix, ferte opem: non ut ſingula divinum ingenium exigentia narrem; ſed incredibilium partem conſequi poſſim, tum præceptori Leonardo obtemperandi gratia, tum vel maxime divæ Virgini ſui viduitatem geſtantes extollendo morem geram. Rem igitur dilucidam ante oculos ponere feſtino, ſi unum illud admonuero, ob novarum præclariſſimarumque rerum varietatem. Rem jam ut aggrediar, hoc iterum iterumque legendum.

A

B

C

Libri principium.

M. Efflagitaſti ex me ſæpenumero, Petre, quod noſtri ordinis exordium, quæ dignitas & approbatio ſit, cum ceteris longe inferiores eſſe cenſeamur. Quare non parva diligentia, & vetuſtarum rerum eximia cura, ſi quid antiquitatis ordinis reperi, tibi notum facere curo. Quod poſtquam intellexi, tametſi antea ſponte mea ſatis accurate ſtudio viſendi cuncta luſtraverim: tamen cognito deſiderio tuo, omnia perſcrutatus ſum, & quam diligentiſſime potui, ſingula quæque proſpexi, ut tuæ quam accumulatiſſime ſatisfacerem voluntati. Ideo nunc reſpondendum videtur. Nam ambo ocioſi hic cum tranquillitate verſamur, ſi eadem apud te ſententia manet.

D

P. Nihil, inquit ille, acceptius aut gratius accidere poterat, quam eorum laudes accipere, quos me non modo dilexiſſe, verum & amaſſe conſtat. Tanta eſt enim magnitudo gaudii & deſiderii, ut ſingula jam audiſſe peroptarem: hucuſque fruendæ lætitiæ voluntate vehementer ardeo.

E

M. Tunc Marianus ſic loqui cœpit: Mihi quidem perſpicue videtur, ô Petre, ordinem noſtrum celeberrimum conſtare divæ Virginis numine, ſanctorum virorum laude, & rerum geſtarum ab antiquis ſplendore.

P. Ad hoc reſpondens Petrus: Et quidem, inquit, ô Mariane, nil aliud reperiri poſſe puto, præter quod a te commemoratum eſt, unde magis ordines augeantur roborentur-

que. Verum nil adhuc compertum eſt, cur vos ceteros eodem obedientiæ jugo detentos antecellatis. Animadverti enim reliquos Dei cultores ſingulare quoddam refugium; morum, virtutum & ſanctimoniæ exemplum habuiſſe, velut firmiſſimam columnam, & totius ordinis fundamentum: quo plerumque magnificari, & ad ſidera uſque tolli ſolent ob præclaram rerum geſtarum memoriam, laudemque indicibilem conſecutam. Vobis autem qui ſanctorum virorum celeberrimus adſit, penitus ignoro.

M. Hic arridens Marianus: Quid narras, inquit? Nam ſi ita eſt, cur mortales longe majora a diva Virgine quam ab alio quovis ſanctorum exorarunt? Cur gratiæ & pietatis fons merito nuncupatur, ad quam omnes velut ad ſingulare ſolatium & cœleſtis vitæ fruendæ deſiderium affectant? cujus nos cultores electi non ſecus aliorum reſiduum anteimus, atque ſanctorum choris ipſa Genitrix Dei ſuperſit. Sed vulgus nequaquam mirum eſt ſi decipiatur, cum vos ſapientes in hoc plerumque errare admiter. Ego plane doctus experientia rerum, hoc tibi affirmare poſſum, qui Virginis fervore & caritate tepidi ſunt, eum vitæ curſum tenuiſſe, ut numquam ad felicem patriam abſque purgatione pervenire valeant. In hoc enim, ut mihi videtur, ceteris maxime præſumus, quod humanarum divinarumque rerum & immortalis Dei Genitrice parentis loco fruimur, nobis celeberrimi ſanctitate viri favent, ex quibus cuncta miraculorum genera effuſa ſunt. Ac proinde eorum gratia inſignia templa, magnificæque ædes, non parva cum religioſorum corona, ea inſuper potentia, ut facile flagitioſos ſubvertere, & bonis prodeſſe poſſimus.

P. Hæc cum audiſſet Petrus, probe mihi videris, inquit, ô Mariane, iſta commemoraſſe. Nam nulla perfectior, nullave ſalubrior gratia eſt, quam quæ ex emanante officiorum fonte procedit. Ea quippe aperiens arcana, omnium rerum auctorem ad mortalium veniam provocat. Ideo animi eſt, quod aſſeris, & unum illud obſecro, ut talium virorum egregiam vitam & ſanctimoniam aperire velis, ut ſi quæ in oculis tenebræ fuere, deleantur: quippe qui eorum jam amore & ingenti caritate flagro.

M. Tunc Marianus. Principio virginum Virgo ſuæ viduitatis memoriam deſerere nolens, ſeptem miræ ſanctitatis viros & totidem Spiritus-ſancti donis repletos, tamquam ſidera per univerſum terrarum orbem, virtutum & ſanctimoniæ radium effundentia, ex omni civitate Florentia elegit, a quibus præclaram & egregiam originem ducimus; quorum memoria, vita, ſplendor, & ſanctitatis laus, uti ſingulare ab omnibus exemplum imitandum relicta ſunt; qui religionem hanc ita celebrem, ita decoram nobis vin-

Servitarum ordo a ſeptē viris exordiū duxit.

dicarunt, qui hunc ordinem futuris nobis miro amore, mira providentia ſervaverunt, qui tantam ordinis gloriam in patrimonium reliquerunt, a quibus nondum nati, nondum viſi, nondum creati unice dilecti ſumus.

P. Fueruntne, inquit Petrus, hi ſeptem viri ante religionis ingreſſum tanta reverentia & celebratione digni, ut tam vehementer accendaris. Intueor enim talium verborum perſuaſione, dulcedine, atque deſiderio ante oculos meos aſtare fulgentiſſimam ſeptem luminum coronam, non modo veſtrum celeberrimum ordinem illuſtrantem, ſed univerſum fere terrarum circuitum obumbrantem. Videor, inquam, ejus ſanctitatis radiis obrui, ut mei ipſius neſcius fiam.

M. In hoc quidem, inquit Marianus, tecum, ô Petre, facillime ſentio, quod præ nimio gaudio, & narrantis aviditate, quæ dicuntur nonnumquam apud percipientium conſpectum aſtare videntur. Aut ex ipſorum virorum ſanctitate, cum eos in memoriam reducimus, hoc procreatur, quoniam non humana, ſed divina laude digni comperti ſunt; aut ex audientium deſiderio. Hi itaque ſeptem viri tanta in diva Virgine reverentia, ceremoniis, morum modeſtia, virtutum ſplendore, & ſinceritate ornati fuerunt, quod totius civitatis firmiſſimas columnas mortales arbitrarentur. Hi ante MARIÆ Matris in animæ & corporis ſalute aſſumtam viduitatem, cujuſdam divæ Virginis conſecratæ domus duces erant, a quibus ducenti viri & eo plus in celeberrima ſocietate, admirandaque caritate rectam vivendi formam capere ſoliti erant, quo feſtis diebus major civium pars convenerat, objurgatiſque ibidem culpis delictorum quiſque ſuorum atrox punitor efficiebatur, cœleſtis vitæ deſiderio ducti.

P. At profecto vera eſſe cenſeo, quæ, ô Mariane profers, ubi præſertim per divinam ſpirationem loqui videaris. Sed qua voluntate ordinem iſtum exordiri decreverunt ſcire animo eſt, quippe qui hujus admirandæ rei gratia a ſomno & cibo deſiſterem.

Qui ad templum S. Petri de Caſagio veniunt.

M. Cui reſpondit Marianus: Nonne celeberrimum hoc omnium auribus intonuit, glorioſam Dei Genitricem ordinis noſtri principium, medium quoque extitiſſe & finem fore, atque ejus voluntate commemoranda quæque geſta fuiſſe? Demùm hæc ſeptem ſidera, nunc huc ob populi multitudinem & impetum, nunc illuc migrabant. Denique ad templum S. Petri in Caſagio, quod paraverat eis Virgo, devenerunt, ubi & nunc celeberrimum altare Annuntiatæ collocatum eſt, quod plurimum tua ope, tuaque induſtria extuliſti. At paulo poſt, cum fama divulgaretur, Florentinam civitatem ſeptem præclariſſimos cives amiſiſſe, cum præſertim major hominum pars eorum conſilio & rerum geſtarum proba auctoritate regeretur, non parva cordis anxietate angebatur, ejus vitæ ductores repente deſeruiſſe.

P. Ex Florentiane oriundi, inquit Petrus, fuerunt hi viri?

M. Immo haud ex obſcuro loco, reſpondit ille. His enim ob variarum & præclariſſimarum rerum cognitionem, ſanctique Spiritus eſſationem non parva adhibebatur fides. Idcirco eximia ſanctimonia mortales freti diligenter eos inquirebant. Denique ut immortali Deo viſum eſt, quantum inventibus ſuperabundaverit gaudii, tibi, ô Petre, excogitandum relinquo. Nam quanta delectatio ſit, re inveſtigata potiri, tibi opinor notum eſſe, quippe qui talium rerum periculum crebro feceris. Sed ad eos ut revertamur, cum cognitus eſſet locus, ubi verſarentur, tam frequens virorum ac mulierum multitudo erat, quod præ nimio hominum ſermone atque impetu, orandi locus minime daretur, ceteroſque ætate primus alloquitur: « Gratiarum & pietatis fons uberrimus exorandus eſt, ſi quid ſalute dignum « Virginique gratum peragere volumus, cariſſimi fratres. Equidem videre videor haud « locum hunc acquirendæ ſaluti congruum « fore. Huic ſumma rerum omnium opulen- « tia eſt dulciſſima & tranquilla, ut fœdetur « paupertas. Neque tamen pauperum numero « congluti nandi ſunt, qui ſine injuria ſuæ ne- « ceſſitati ire obviam poſſunt. Non ædes, non « agros, non equos, non ulterius mancipium « cupiamus, quæ adipiſci difficilius & periculoſius eſt, quam animam pretioſiſſimam re- « rum omnium geminam, ea mortalium ſa- « luti obnoxia, continuam ruinam minari videntur. Hæc divitibus relinquenda: amplectenda eſt tutiſſima paupertas, totiſque viribus conſervanda: hominum confuſionem « deſeramus. Non hic ſalutis exordium. Operæ « pretium eſt antra deſerti ad ſalutem facien- « tia diligenter quamprimum adire. Illic enim « pax & quies æterna: illic cœleſtis vitæ fruendæ deſiderium aderit, & omne bonum pro « voluntate effundetur. Denique humanarum « voluptatiſque fertilium rerum nos habebit « oblivio. » Ac paulo poſt ſpecioſiſſima cœli regina eis in ſomnis affuit, quam intueri pro claritate vultus minime dabatur: ſicque magnopere queſti ſunt. Heu miſerum calamitoſumque mundum, aiunt! Flagitia pro adipiſcendis voluptatibus ſectabamur, quod expedit relinquendo, ſectando quod obeſt. Quos tanto mœrore & anxietate Virgo vexatos animadvertens, ſic allocuta eſt: Quæ cauſa afflictionis eſt, cultores mei? Veſtri enim conſulendi gratia huc adventavi: quos ob meæ futuræ viduitatis memoriam diligo, dilexi, diligamque ſemper, atque indice *Senarum montem oſtendens, illic quietis & beatitudinis locus eſt, evaneſcens inquit.

Florentium deferendam conſilium & ad Montem Senarum feminarum mora a B. Virgine.

* *Le Mont Senaire.*

P. Volo etiam, ô Mariane, ſi illic umquam verſatus es, loci amœnitatem narres, jam

enim jucundiorem nullum ad acquirendum cœleſtis regni iter arbitror.

Montis Senarum ſitus. M. Eſt mons, ô Petre, a Florentina urbe octo millia paſſuum diſtans, in cacumine planiciem in gyrum habens, unde fons pulcherrimus oritur, ex quo non parvam voluptatem caperes. Illuc igitur feſtinantes poſt debitam Virgini gratiarum actionem, beatitudinis deſiderio adducti, nullum corporis aut animi laborem fugiunt, nullum periculum ſubire recuſant; & tugurium quoddam ſuis manibus erexerunt: ubi cibo & ſomno parci, nonnumquam ad ipſa arcana contemplanda ſpiritus accendebantur: illic cœleſtium rerum dulcedine fruebantur.

P. Vellem, ô Mariane, mihi habitus aſſumtionem narrari, an a Virgine, an a ſemet receperint. Videntur enim omnia, quæ a te commemorata fuere, nutu quodam divino geſta fuiſſe. Hoc quoque Matris MARIÆ præcepto perfectum arbitror.

Habitus formâm Deipara assignat. M. Cum immortali Deo, ô Petre, ejuſque Genitrici viſum eſt, hi ſeptem viri Florentiam redierunt, crebriſque vigiliis, jejuniis, & orationibus operam navant, ſui corporis habitum, vitæ modum & regulam peroptantes. Quibus Virgo Dei, velut ſidus aureum omnes illuminans, apparuit, & ſuaviſſimum ſomni ſoporem infundens: Demum peroptata, inquit, attuli, electi filii. Duo ſcilicet, ô Petre, munera: alterum ſuæ viduitatis habitum; alterum litteris aureis in ſiniſtra imponendum nomen ſcriptum.

P. Idemne, ait Petrus, quo nunc Virginis ſervi vocamini?

Et regulam S. Augustini. M. Id ipſum, reſpondit Marianus. Et angelorum alter ad dexteram ductoris noſtri almi Auguſtini ad patriam, regulam aperiens. Ante omnia, inquit, fratres cariſſimi, Deus diligendus eſt; ex cujus Spiritus-ſancti fervore cetera ad ſalutem facientia comparantur. Alter ad ſiniſtram victricem contra humani generis hoſtem palmam erigebat. Denique Virgo, Accipite, inquit, hujus inſtar habitum, & divi Auguſtini regulam imitandam percipite, ut ſervorum meorum nomine nuncupati, reipſa hanc vitæ æternæ palmam conſequamini. Qui ſingula ſerie in memoriam redigentes, in beatæ Virginis laudem miſſam celebrari fecerunt: in præceptamque formam pannis redactis, exultantes MARIÆ viduitatem aſſumſerunt, anno a ſalutifera [a] Chriſti Incarnatione MCCXXXIII. (a) Gregorii noni pontificatus anno XIV.

P. Tum Petrus: Excellentior, ô Mariane, ordinis veſtri origo eſt, atque jubar; quare Virginis numen tanta mentis meæ obſcuritate iratum vereor.

M. Abſit hoc, ô Petre, quis enim ex omni multitudine Mariæ templum tanta beneficentia, & admirandis rebus electus ornavit? Etenim ſæpe accidit, ut magna alicujus rei ignorantia quippiam nos facere cogat, quod alioquin minus feciſſemus. Nam ſane, ô Petre, quorum benevolentia magis accendimur, quam eorum qui ordinem noſtrum illuſtrem, & ſplendidum redderent? Hoc templum, ô Petre, numine matris Dei latas per oras celebre, opera tua plurimum extuliſti. Neque enim major benevolentia eſt, quam in eam partem manum adjutricem convertere, quæ digna ſit, & indigere videatur, præmiumque afferre poſſit. Quare piiſſimæ Matri non modo moleſtam civitatem hanc, ſed ſumme jucundam extitiſſe cenſeo: ut ex tenebris in lucem ereptus, ardentior caritate in celeberrimum ordinem noſtrum accendaris. Ceterum, ô Petre, quam ex dicendis rebus admirationem capies, cum hac tantula re ingenti mœrore & anxietate agiteris?

P. Ad hæc reſpondens Petrus, ſic inquit: Mihi quidem, ô Mariane, tuo lacteo ſermone triſtitia in gaudium converſa eſt. Sed aliquid veſtrorum patrum narres velim, quorum tuba, & prædicator fieri cupio, ne eodem ceteri teneantur errore. Hi namque putandi ſunt veri honores, beatique illi dicendi, qui ob præclara facinora in hominum ora volent; neque ſilentio, aut taciturnitate ſubjacere fas eſt, quorum tute, beateque vita agitur.

De Philippo inter Servitas viro inſigni. M. Hæc cum audiſſet Marianus: Tuæ, inquit, cupio morem gerere voluntati, ô Petre. Almus PHILIPPUS ad Servorum ordinem illuſtrandum a diva Virgine electus, eadem hora, die, menſe, & anno Florentiæ ortus eſt, in quo illa ſeptem ſidera Mariæ viduitatem [honorandam] ſumſerunt. Dominicus Bononiam, Franciſcus Aſiſium; hic quoque Florentiam illuminavit. Mater vero ejus cum jubar quoddam in quiete parere videretur, hunc protinus enixa eſt. Et in adoleſcentia litterarum ſtudiis traditus, maximam ſibi fidem comparavit: jamque divinitatis particeps quibuſdam ſignis extrinſecus hunc in Dei, Matriſque conſpectu gratum fore apparebat. Itaque, ut paucis multa complectar, in provecta ætate, ad idem Annuntiatæ altare, quod tantopere ornaſti, profectus eſt: in terramque proſtratus admirandum plauſtrum intuetur, in quo Virgo undique angelis ornata eminebat. Cujus ovis & leo in manſuetudinis fortitudiniſque ſignum ductores erant, quod columba ſimplicitatem afferens ambiebat. Tum angelus clamans, Philippe, inquit, accede, & adjunge te ad currum iſtum. Raptuſque eſt ſpiritus ejus, & iterum eadem vox ſuis auribus intonuit. Vidit doloſam ſerpentium, aliorumque generi humano obnoxiorum animalium ſentum, cœnique viam plenam, mundi hujus vanam, fallacem, teterrimamque eam for-

(a) Cum Gregorius IX. anno 1227. creatus ſit ſummus Pontifex, annus 1233. cum anno decimo quarto pontificatus ejus copulari non poteſt, ſed annus 1240. In alterutro itaque ipſorum numero mendum irrepſiſſe fatendum eſt.

tunam aperientem, & quid denique mundus sit, propalantem. Contra vitia rigidissimus punitor, honestæ vitæ & sanctimoniæ erat. Pro quo accersendo curia Romana usque ad extrema terræ misit, ut summo sacerdotio fungeretur. Hic est eo tempore qui Benitiorum genus ad sidera usque tulit.

P. Intueor, inquit Petrus, & admiror singularem virum cunctis extitisse virtutibus, & miraculis redimitum; immo quod maximum duxi beatissima cum Deo necessitudine fuisse copulatum.

M. Hoc, Petre, ex rei veritate & maxima procreatur observantia. Nam eorum vitam diligenter imitari cogimur, quos moribus & sanctitatis signis decoratos cognovimus. Sed longe magis obtupescerés, si adolescentis Pauli opusculum quoddam in hujus viri laudes legeres, ubi veluti ex mare flumina quæque originem trahunt, ita ex viro Dei omne miraculorum genus oritur, & in propriam sui laudem revertitur.

P. Mihi quidem videri solet, ô Mariane, quamdam divinitus adjunctam esse gratiam hujusmodi viris, ut eis actio idemque perfectio sit, cum tot generi humano gratias donare, & tot beneficia conferre possint.

M. Ita est, ô Petre, ut putas, inquit Marianus. Hic etiam nonnullos ex mortis faucibus evocavit. Sed jam majora parantur, neque unico viro illustratum intelligas ordinem nostrum. Nunc tibi ostendam, quale illud septem virorum decus fuerit, ô Petre, qui tamquam nihil habentes & omnia possidentes, summam cum tranquillitate pacem adepti, cœlorum regnis maxima cum aviditare fruuntur.

P. Utinam dies hic annus efficiatur, ô Mariane. Quadraginta annos natus, non tantum ex quapiam re gaudii excerpsi; quippe qui præ nimia dulcedine & suavitate deficere videor; jam jam celerius, atque animus cupiat, te finem aggredi, cernere videor. Perge inquam Mariane mi obsecro.

De Bonofilio. M. Quod Marianus tacitus desiderium percipiens, Mene ô Petre oras, inquit, scilicet ut præceptionis locus haud relictus ob nostram amicitiam sit? Primus itaque verbis, & rebus Bonusfilius adest, vir sane rerum omnium laude, Florentinus, qui scripturarum ingenio in altum volans, in ordinis decus & argumentum electus, latrantiumque objectiones confringere satagit. Is adversus quemdam fidei sectatorem quæstionem valde insignem habuit, ut sua sapientia hæreticum in tenebris, generisque humani teterrimi hostis laqueis constitutum, in lucem claram redigeret; idcirco hoc ceterisque sanctitatis signis merito decorandum censeas. Nam sat laude decorandum existimo eum qui relictis opibus atque nobilitatis genere depositio, sese Deo, & Genitrici dedicavit.

P. Cui Petrus: Perpetuis hunc splendoribus, ô Mariane, merito decorari sentio. Illenamque laudandus, qui hæretico instans, pretiosissimam rerum omnium animam suo creatori reddidit. Neque, ut opinor, elecmosynæ, vigiliæ, aut orationes immortali Deo sine fide jucundæ sunt, non ipsa denique sacrificia tantam divinitatem scandunt.

M. Nec secus, ô Petre, integer Bartholomæus vitam vixit, qui sanctitatis meritis non mediocriter effulsit, cujus ingenium faciliter cognoscere posses, si prolixius narrandi tempus daretur. Ad hunc febribus laborantes accedunt, quem claudi cupiunt, luminibus privati affectant; ex quo ægrotantium quod vis genus optatum exorat, & quid admireris hoc est. Rusticus quidam octavum agens ætatis annum, in Senarii montis planitie fontem ambiens, sitiensque aquam, præceps labitur. Cumque ex sibilantium ventorum sonitu illius clamantis vox minime auditetur, ultimum vitæ diem obiit. At hic clarissimus Dei cultor aquam turbulentam hauriens, neque mirari definit: quem exanimem ubi primum conspicit, ipse quoque sese precipitem in fontem misit illius extrahendi causa. Demum, ô Petre, tantam eum lacrymarum vim effudisse cerneres, quod neque majoris suam quam illius mortem fecisse arbitror. Tum omnipotentem Deum, & Genitricem ejus ardenti quodam animo obtestatur. Neque orationem absolverat, quando puer exultans, ô Dei cultor, inquit, vidi orationes & lacrymas tuas in Virginis conspectum ascendisse, eamque ex Filio, & natum ex Patre pristinam mei vitam exorasse.

De Bartholomæo.

P. Ita ne est, ô Mariane, inquit Petrus, virum Dei Bartholomæum tam gratum, tamque jucundum Virgini extitisse?

M. Nequaquam mirum est, ô Petre, quoniam majora quidem, & excellentiora supersunt. Aliud ordinis nostri fundamentum, & decus immortale ostendam, cui Johannes nomen adest. Hic Spiritus sancti gratia vir summa laude dignus habetur, ut nequidem hucusque apud quemquam ignotus existat. Primo virtutum peritia, sacro Christi lumine illustratus, pro nostro plurimum ordine laboravit: & rerum fidelium flagravit studio, sui patrimonium nihil pensi habens, pauper Virginis viduitatem inchoavit. Quare sanctæ vitæ celebrandæ ardentissimus, & caritatis dulcedine ebrius factus, valida corporis tormenta haud horrebat. Taceant itaque qui servis Dei detrahunt; neque semper religionem sanctam vilipendant. Erat civis quidam Florentinus, ob volantem divitiarum famam nobilis, qui Antonius nomine vocabatur. Is quadam die ad Johannem deambulationis gratia venit, de egregia viri virtute certior fieri cupiens. Cujus sententiam Johannes a longe intelligens: Heu, inquit, miserum corpus, divitiarumque catenis involutum,

De Johanne.

lutum, pauperum labores arripis, alteri necem, alteri vero pro voluntate salutem tribuens. Non sic. Cœlorum regnum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Quod civis auribus intonans, in maximum timorem territus incidit, ne egregia viri fama vulgus in spem erigeret, quo jucundissima mortalibus vita haud unquam frueretur. Quod & factum est ut illum veneno necare statuerit, & vinum infusum ei per ancillam quamdam tradidit sub eleemosynæ specie. At Johannes Sancto Spiritu erudiente, quod mihi paras poculum bibe, inquit. Quæ præ verecundia, & timore, facti nescia libare volens a viro retenta est. Et quidnam pater hoc poculi est, inquit? cui Johannes respondit. Illi qui te mihi haustum lethale impendere jussit, edixeris me poculum hausisse omne. Tecum ei pro me moriendum est. Et signo crucis adhibito, vinum audacter sumsit. Mira res eadem hora Antonius absens repenti lapsu moritur. Johannes sospes servatur. Et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit, evangelium prædicat. Quamobrem quantis extiterit meritis, quantæque virtutis, amplius elaborandum sermo non exigit.

P. Et Petrus, bene hercle, inquit, ô Majane, videris narrasse: sed tamen haud taciturnitate ceteri prætercundi videntur. Unum in septem corporibus versatum animum conspicio.

De Benedicto. M. Nec aliter, ô Petre, duplici Benedictus merito inter hos viros aggregatur? Nam litteris floruit, & sanctimonia claruit, qui unus ex septem hunc ordinem inchoantium exstitit, qui semel immortalitatem animæ, æternamque mundi famam consecutus est. Dignum, ô Petre, censeas tanti viri memoriam agere, quod mortalibus gratus, ordini gratior, & Deo gratissimus fuerit.

P. Equidem, ô Mariane, inquit Petrus, quamvis non ea facundia sim, vellem tamen ab immortali Deo mihi datum, ut tecum tantorum virorum gesta divina cognitione consequi quirem. Verum cum sanctitati condigna merita reddere haud valeam, uberrimam saltem, ac maximam præsto voluntatem.

M. Hic vir clarissimus, inquit Marianus, cælestis patriæ desiderio raptus, hominum confusionem horrens, Senarii montis accola effectus est, atque illic apostolorum morem tenens, manus imponens, ægrotos quamvis arduos liberabat.

P. In montene, ô Mariane, ista fieri consueverunt?

M. Et illic, ô Petre, omnem serpentium ferocitatem crucis signo adhibito perimere consuevit. Homo quidem miræ simplitatis, claris moralibus enitens ingenii, qui totus Dei deditus obsequio, herbis plerumque substentabatur, cui merito dici potest: *Jacta cor tuum in Domino, & ipse te enutriet.* Ad hunc magno fletu affines nepotem claudum permutum afferunt, si ejus virtute & sanctitate illum reddere posset incolumem postulantes. Nunc Deus, inquit, carissimi, votum vestrum absolvet, ex quo cuncta quævis bona procedunt. Tunc paratus ad missam, sacrificium Deo offerrens, & ea absoluta manibus infirmum adducens, recte pedibus sustulit liberatum. Ac perinde corpus Domini ori infundens exacta communione, loquendi tribuit facultatem. Quamobrem nimia admiratione, gaudio, & timore repletus populus exultavit.

P. Mira sane, ô Mariane, narras. Tanta enim in Benedicti laudem dixisti, ut nil majus, vel excellentius in ceteris supereſſe credam.

De Gerardino. M. Hei mihi quid, ô Petre, narras! Gerardinus ante oculos meos ardentissimus Virginis cultor astare videtur, qui genere clarus, virtute & sanctitate clarior, litteris non mediocriter valuit. Inter cetera suis prædicationibus complures hæreticos, qui eo tempore hic abundabant, ad Christi fidem reduxit. Hic clarus, potens, & excellens consilio, & doctrina apud quemquam glorioſus erat, & semper in pulpito divino amore flagrabat.

P. Obsecro, Mariane mi, unicum, & saltem Gerardini miraculum in cognitionem nostram veniat, & nihil audientem remoretur: dumtaxat admirabilis rerum dulcedo, & voluptatis in hisce rebus amor me habeat, & qua soles facundia viri gesta prosequere, cujus facta omni ratione præstantia elegantem, perpolitumque calamum exigunt.

M. Id optas, ô Petre, narrari, quod in lacrymas utrumque prorumpere faciet. Absolvam tamen animi tui ardorem, tum ob austerrimam in miraculis vitam, ob dulcissimamque patriæ memoriam, tum vel maxime ut divini humanis saltem memoria præstent. Is cum jam quatuor & sexaginta annos natus esset, maxima aviditate, & non parva lacrymarum effusione mortem orat. Cui duo visibiliter cantantes angeli affuerunt, qui, Gerardine, aiunt, carissimam creatori animam reddas. Accipiebant, ô Petre, gloriosissimam illam gemmam, alter ad dexteram, alter vero ad sinistram, in divæ Virginis conspectum portantes. Et ecce sextus patrum nostrorum ordinem incipientium, nomine Ricoverus, in eodem loco jacens, illudque animadvertens, clara voce inquit: Gerardine, Gerardine, me inquam, obsecro, maneas. Cujus statim animam angelorum alter accepit, quoniam & hic gratissimus in Virginis conspectu extiterat.

De Ricovero.

P. Stupenda quidem, ô Mariane, narras. Sed quid ceteri fratres illa corpora exanima invenientes rati sunt?

M. Nulli dubium, perfectos viros rei veritatem quamprimum cognoscere. Sed ut intelligas Ricoveri doctrinam; hic Florentino-

rum lucifer, theologiæque lucerna, ad quam mortalia vix aſcendant pectora vel ingenia, pulchro ſermone, aureoque ore univerſa locutus eſt; & ſane egregia viri opera an abortiva detiliant neſcimus. Incaſſum nihilominus elaboraſſe conſtat, ubi nihil ſoni reddiderit inſtrumentum.

P. Tum Petrus, ô felicem me hodie! At cedo aliudne ſidus ſupereſt ad ſeptenarium numerum abſolvendum?

De Alexio. M. ALEXIUS, ô Petre, eſt, qui ſanctitatis exemplum animam Deo reddidit immortalem. Is propter decem & centum annos quietem appetere debuerat; ſed omnia corpori obnoxia diligenter inveſtigabat, herbarum cibos capere, lectumque non infirmitati & membrorum gravitati congruum quærere, at ne beſtiis quidem & feris atrociſſimis. Nam ſuper humum & nudas aſſides jacere, non in vitæ longitudinem, ſed privationem vertitur.

P. Quid igitur cauſæ eſt, ô Mariane, hunc præ ceteris tantum ſupervixiſſe?

M. Idcirco, ô Petre, ut ordinis originem ſociorumque facta alicui ſcribenti narraret, ne tanti facinoris memoria abeſſet. Cum vero ad extremum vitæ diem deveniſſet, angelos inſtar pulcherrimarum avium contra ſe volantes intuitus eſt, Chriſtumque in ſpecioſiſſimi pueri formam earum medium tenentem, qui ei coronam in capite pulcherrimam florumque fertilem ponebat. Hunc, o Petre, maximum ordinis noſtri decus fuiſſe putandum eſt.

P. Tanto, Mariane, gaudio affectus ſum ex talium virorum cognitione, quod totum me lætitiam conſpicias. Gaudeo ſi quid umquam in ordinem veſtrum contuli. Augetur animus, vires creſcunt ob amorem erga prædicta lumina meum. Nunc vos felices video, quia numina iſta apud Virginem intercedentia, Virginem apud Filium, Filiumque apud Patrem, quo nil dignius, nil melius, nil propitius, aut exorabilius eſt. Deſino, inquam, mirari tantum vos ex diva Virgine benevolentiæ & caritatis comparaſſe. Hæc cauſa veſtræ felicitatis eſt; hinc Annuntiatæ miracula orta, hinc univerſus mundus ad vos properat, hinc omne denique bonum procedit.

De Joachino. M. At profecto, inquit Marianus, nihil adhuc admiratione dignum compertum habes: quoniam ab his non tamquam a dignioribus principium dicendi ſumſi; ſed ut percepto ordinis exordio finis admiratu digniſſimus ſit. Nam & Seneníe decus JOACHINUS adeſt, qui ab illuſtriſſima Pelachanorum proſapia originem traxit, celebris ordinis noſtri gloria, morum jubar, & rerum ſanctarum ditiſſimus, virtutumque fulgore præ ceteris ornatior. Hic ſumma omnes beneficentia & caritate amplectebatur; adeo ut ægrotantium nullum eo tempore incuratum omiſerit: Sanare ægrotos, claudos erigere, & mente captos reſtituere, & denique ad lucem priſtinam ipſos mortuos revocare. Joachini nunc, o Petre, ſanctitatem enarrare haud animo eſt, quem apud Senenſes veluti clariſſimum ſpeculum hominumque decus celeberrimum inveni, cujus ipſe vitam, ut mare quoddam videre poteris, quam tuæ dominationis ſervus noſtræque congregationis frater PAULUS ſcribens, tanta rerum geſtarum ſuavitate tenebatur, ut hæc ex ejus ore verbis inter cetera emanarint. Et planè cum tantæ virtutis fuiſſe mecum ipſe conſidero, non ab re putem providentia divina natum, ut eſſet qui eam ætatem conditiſſimis virtutum meritis, & ſingulari facundia illuſtraret.

P. Ambiguus profecto, o Mariane, ſum ob tantarum & variarum rerum cognitionem, quam ſententiam in medium afferam, cum nonniſi divinum ingenium in hiſce rebus exigatur. Sequere, inquam, neque noſtrum judicium exigas: quoniam pro tali cogitatione ſimili cum admiratione, neque mens, neque judicium ſatis officium ſuum facit.

De Francisco. M. Tum Marianus: Ardentiſſimus Chriſti ſectator FRANCISCUS celeberrimam vitæ famam ubique reliquit illuſtrem: cui Virgo opem ferre ſolita ſemper erat. Quod in ejus hiſtoria idem Paulus ad Pium pontificem II. probe in lucem reddidit.

P. Quid hic, o Mariane, egregia oſtendis?

M. Viſum eſt ſæpius, reſpondit, in ſalutiferis ejus ad populum prædicationibus ab angelorum manibus ante ejus oculos codicem apertum teneri, quæ omnia is, uti ſcripta erant, ſpiritu fervens ſumma cum caritate & virtute efferebat. Innumerabilia ab eo ægrotantium genera curata accipio, hoc (taciturnitate ut alia omittam) neque præterire poſſum, cum quatuor exanimes pueros ad clariorem lucem reduxiſſet. Denum ne diu laudibus viri immorer, hæc commemorans, illico ejus vitæ gloriam ſanctiſſimo calce claudere propero. Nam primo Virgo Mater huic cum Filio in ſinu apparens: Quam, dixit, Franciſce, gratiam referam, cum me tam vehementer dilexeris? Dignum eſt, Filius reſpondit, ut qui nos dilexit, nobiſcum ſuperna in patria verſetur. Et in eamdem Mater & Filius, Veni, veni, vocem proruperunt: ac ſtatim alma confeſſoris anima migravit ad aſtra.

P. Cœleſti hic, ô Mariane, merito gloria decoratur, ſacriſque aggregatur agminibus ſanctorum ſplendoribus effulgens.

De Peregrino. M. Dum hæc tibi, Petre, narro, venerandum Forlivienſe jubar PEREGRINUM me objurgare viſum eſt, quem ſi unico virtutis merito ſingularive experimento inter ceteros enumerandum putem, redargui vereor, quam egregiæ beatitudinis hæc præclara extitere. Quare ut celeriter ortum cum fine claudam, omnibus hunc viris Italiæ ſancti-

monia nominatis æquandum cenſeas. Quid moror, ô Petre, vellem ſimulque nollem ampliſſimum laudum campum ingredi; ſed hoc tibi polliceor, ejus alibi & in majori ocio narranda geſta reſervari. At nunc tibi plura ſub brevitatis ſerie hæc ſolvere placet. Horrenda namque pro immortali Deo pertulit. Quod ſi in ejus perpetuam laudem verſer, centum haud ora ſufficerent, cui humanarum divinarumque auctor rerum condigna merita retulit, ut eadem Chriſti diſcipulis, & Peregrino poteſtas daretur. Nam præter ingentia miraculorum ſigna, nonnullos jocunda & amœna vita privatos in eumdem ſtatum retulit.

P. Ingens me hodie, Mariane, voluptas habet, nec quicquam per hoc tempus amabilius, aut deſiderabilius & ſalubrius accidere poterat, quam ex tuo lac & mel emananti ore hoc audiviſſe. Per hoc enim longe majora feciſſe inſpicere poſſum.

Immo, Petre, ex unico frumenti grano, pauperum domicilio horrea adimplebat, vinumque ex nihilo in abundantiam redigebat. Quid jam plura loquar? Ea huic deſuper gratia datur, ut pauci admodum eam conſecuti ſint.

P. Hoc unum, Mariane, miror, hos canonizandæ vitæ viros non eſſe ſæculorum memoriæ datos, ubi multi inferiores anteierint.

Cur nulli ſervitæ in ſanctorum albo ſint relati.

M. Ad hoc lacrymis irrigatus reſpondere, ô Petre, cogor. Heu, heu, noſtris temporibus cuncta venalia, & ipſa demum ſanctitas apud nos venditur. Nimia ordinis paupertas hos omni laude dignos viros ab hominum memoria retraxit. At unum illud me totum reficit, & recreat, quod apud immortalem Deum nobiles ſunt. Sed ad noſtrum propoſitum revertamur obſecro. Nam maxima pudoris, modeſtiæ & ſanctitatis obſervantia nunc in mentem venit: is Bartholomæus eſt tot pro Chriſti amore labores perpeſſus, ut non modo pelle, ſed nervis ſeſe ſpoliaverit.

P. Noſtrane, Mariane, patria hunc virum genuit?

De Bartholomæo.

M. Nequaquam, inquit Marianus, quoniam natura non unicæ civitati cuncta conceſſit. Venit Bartholomæus in hunc mundum, ut Cæſenæ patriam illuſtraret: Venit, ut malorum impetus comprimeret: Venit ut bonis ab immortali Deo merito exoraret. Hujus plerumque animum in pulpito erectum videas, ab angeliſque in ſinu auctoris deportatum. Mirantur omnes ſermonis abſolutionem exoptantes: hunc extollunt, hunc prædicant. Hinc, ô Petre, ſanctitatis fama orta eſt, & ad noſtræ civitatis aures velociſſima pervenit. Audit hoc mulier ob atrociſſimum morbum cum duobus filiis in extremis laborans, maxima devotione Bartholomæum videre affectans. At in ſomnis Bartholomæus inſtinctu quodam prophetiæ hoc mulieris deſiderium cognoſcens, apparuit. Oſtende, inquit, ſoror, propter quod tantopere doles. Et ſuam filiorumque ilico ſanitatem reddidit. Hi ſunt quos habuimus in deriſum & in ſimilitudinem improperii, quorum vitam exiſtimabamus insaniam, qui tam grati, tamque accepti in Virginis conſpectu fuere?

P. Tum Petrus, jam cum Gregorio loquar, inquit. Illic animus meus cupit aſſiſtere, ubi ſe cum his viris ſperat ſine fine gaudere: & doleo cur non tanta obſervantia digni viri noſtra ætate reperiantur, quorum ardentiſſimus imitator eſſem.

M. Hac quoque, ô Petre, tempeſtate colendi viri reperiuntur, ad quos cum pervenero, mirandi dabitur facultas. At nunc clariſſimum Virginitatis ſpeculum Ubaldus anteferendus eſt, ex burgo ſancti Sepulcri claram originem ducens, qui humanitatis, philoſophiæ & theologiæ radiis illuſtratus, celeberrimam morum, virtutum, & ſanctimoniæ famam dereliquit: cujus geſta tradere cupiens, perſtrepit calamus, in ſtupore ductus animus hæc ſcribere contremiſcit, nihil condignus tantique viri idoneum prorumpere poſſe credo, ſed paucis tamen ejus apud te cognitionem aperiam. Is a teneris annis religioſam vitam coluit: dumque adoleſcens & juvenis eſſet, civili ocio cedere, & litteris operam navare ſecum inſtituit, demum religionem hanc ſecundum divæ Virginis præceptum ſe obſequio ſanctorum virorum tradens ingreditur.

De Ubaldo.

P. Cedo, Mariane, quæ corporis habitudo, & qui cultus erat huic?

M. Dicam ſane, ô Petre, hic corpore formoſo, ſtaturæ grandis, pauci admodum ſomni immenſique laboris, hic in ictu temporis quemvis ægrotantium liberabat. Quod plerumque nonnulli invidi diabolica arte fieri rati ſunt. Si quando fratribus panis, vel obſonium defuiſſet, orationem faciebat, & ornatam divinitus menſam conſpiciebant, ex qua mira ſuavitas in veſcendo oriebatur.

P. Talem ſe hic mortalibus, ô Mariane, præbuit, ut non fugiant, aut horreant: ſed tota mente, toto animo, totiſque viribus imitentur.

M. Cum autem Marianus eum ardentiorem fieri animadvertit, ex paucis, inquit, licet, ad magna me transferam. Divus Hieronymus ille eſt, qui ob miraculorum fertilitatem celebre nomen burgo ſancti Sepulcri dedit. Hic ſpiritu rapiebatur in cœlum. Porro quia priuſquam clara ſine invidia fama fuit, quidam ei fratrum detrahens, ſtatim in terram labens, ultimum vitæ diem ingreſſus eſt. In quem Hieronymus miſericordia provocatus, in priſtinam vitam redire fecit. Quare ab omnibus veneratum accipias: non tamen eo ordine, quo ſui de verbo ad verbum ſcriptitant, impendam: ne

nimia verborum prolixitate a primordio noſtro decedam, ceteris dicendis locum occupem, aut tibi, ô Petre, tædium pariam.

P. Probè, ô Mariane, factum eſt, in his ſermonibus medullitus enucleatam ſubſtantiam deprom[illegible].

M. Ego quoque in eamdem ſententiam devenio; ſed ad rem noſtram, reſpondit Marianus: ita ejus oppidum totum gaudii repletum exultaſſe ſcias. Sed quid remoror horum in deſcriptione, ludibrium quæ humanarum mentium, leviſſimarumque gentium blandimenta ſunt? Summa hic omnes caritate amplectitur, omnibus morum, & continentiæ exemplar eſt, ciborumque parcitas. Quid plura loquor?

P. Omnibus, ut video, inquit Petrus, ſanctitatis jubar.

M. Maturo tandem ævo ſumma populi mœſtitia, celeberrimam vitæ diem clauſit.

P. Ad hæc Petrus, ſic inquit: Silentium rumpere non audeo, & quaſi mutus obſtupeſco: incœptum cupienti narra.

De Andræa. M. Aliud eadem patria ſidus æthereum genuit ANDREAM, virum quidem egregium, inter ſublimes ordinis cardines copulandum. Hic vivens morienſque beatæ vitæ cupiendum nomen deſtituit. Dumque corpus dormiret in pace, trium dierum noctiumque ſpatium per ſe campanæ ſonarunt, quod omnium animos, cordaque erexit. Demum pulcherrimum cum palma lilium ſuper ejus ſepulcrum oritur: & frater quidam poſtquam lilium legere cum palma voluit, ſtatim evanuerunt.

P. Equidem, hoc idem, Mariane, cenſeo, haud fas eſſe divina ab humanis tangi.

De Bonaventura. M. Quid demum Chriſti miles BONAVENTURA? Nec immerito a bonitate ſibi grande nomen ſumſit. Hic contra acerrimum & acutiſſimum hoſtem victor gloria decoratur. Genus ex Piſtorio ducens non infimum, nec maximum. Nam medium tenuere beati, & medio tutiſſimus itur. Is corporis, animique viribus non parum valuit, in vigiliis tolerandis aptus, virtuteque peritiſſimus fuit. Neque ſanctitas laborumque relatio abfuit. Nam in ejus obitu a quibuſdam Angeli cantantes auditi ſunt: Veni dilecte, veni. Et animam illam abſque macula in Dei, Virginiſque conſpectum deportarunt. Talia audientes veloci pede currebant, & fruſtrati exanime corpus invenerunt.

P. Hoc, ô Mariane, aſſerere audeo, niſi amor a veritate ſenſum auferat, omnium religionem veram feliciſſimam fore. Nam ego talium virorum laude præ nimio amore in ſpem erectus, nulli rei laborem ineſſe putabo: ſed tamquam dux incœptum proſequar, ut ardentiori animo tepidi efficiantur.

De Thoma. M. Quem hilari admodum facie, & ſereno vultu Marianus ob verborum amœnitatem intuens, ſic affatur. Dux eris, & hæc nomen tuum uſque ad aſtra ferent: animam vero tuam in ſinum Abrahæ patriarchæ angeli deportabunt immortaliter cœleſti ſede fruituram. Redigitur, ô Petre, mente volutanti ex *Urbe-veteri inſignis in memoriam THOMAS, qui Mariæ zelo raptus, cœleſtiſque ſedis affectatione lætus, ordinis noſtri cultor efficitur, mirabili Matris Dei ſapientia educatus. Quidam ob patrata furta ad necem deputatus, pio Thomæ vovit; & nocte cuſtodibus ſuperna ſomni flagrantia dormientibus, incolumis fugam arripuit, paucisque poſt diebus, eo quod votum non abſolverat, in idem crimen incurrit, Thomæ ſe recommendans, iterumque meritum vitæ recipiens, omnia ad unguem exſolvit. * Civitavecchia.

P. Non parvus, ô Mariane, admirationis locus relinquitur, nullum intactum ab his viris miraculi genus: nec ab re præ ceteris vos electos intelligo.

De Antonio. M. Mira res, ô Petre, eſt ANTONIUS ex Viterbio, vir præſtans, apud omnipotentem Deum magnopere excelluit. Nocte quidam phreneticus magnis admodum clamoribus ceteros vexabat; & Antonius abſens languentis pietate concitus, ad phrenetici cubiculum conſolandi gratia perrexit, manum capiti imponens, ſtatim defuit infeſtatio: deinde pro ejus ſalute preces effundens, mente ſanum, refectumque, ac ſalubri potitum ſanitate reddidit.

P. Mutus ſane, Mariane mi, pro laudandis viris, & rerum fertilitate efficiar. Volenti namque de unico gratulari, omnes una in linguæ velocitatem currere videntur.

De Gabriele. M. Ita eſt, ô Petre, nam infiniti memoria digni adeſſent. Sed felix inter alios GABRIEL commemorandus eſt, qui gentium ſtrepitum horrens, Senarum montem ſumma ſanctitate coluit; Florentiamque haud placere palam prædicat, quippe quæ exercendæ ſanctitati obnoxia ſit. Cumque ibique peſtis adeſſet, propinquus ſe morti proſpiciens, hilaris ſemper Virginem orabat. Quare actum eſt, ut binas dormiens, & aureas videret ſcalas, in quibus ſex cum dimidio morituros fratres accipit. Dumque prædictam viſionem aperit, ecce ad januam una cum filiis parentes, illum videre peroptantes. Quod fas cum minime ſit mulieres Dei cultorum ſedes ingredi; felix ita Gabriel foras ægrotans abiit; lugetiſne me, inquit? hos potius in mundo calamitatum, miſeriarumque fertili, & diaboli laqueorum, catenarumque plenos? Et in quietem rediens, unius ex prophetatis fratribus exultantem animam ſuper ſcalas aureas conſpicit; ac ſummo clamore, Cur, inquit, care frater, non me manes? Cujus continuo anima evanuit. Sex itaque fratres univerſæ carnis viam ingreſſi ſunt: primum autem pro dimidio ſemimortuum habuerunt. Quos omnes vidimus, & allocuti ſumus. Hi ſex fratres non pauca obſervantia

digni fuere, tum virtutum ſplendore, tum etiam eorum ab immortali Deo dote. Quorum nihil in præſentiarum neſcius admirabilium rerum attingam. Sed eorum ſit ſatis animas ſuper ſcalas aureas exultare. Sed quid, ô Petre, agis? Quid mente volutas? Quid tantum cogitas? Fierine poſſe ambigis quæ tanta brevitate commemoravi an majora & adjicienda his miraris, rei veritatem nedum perſuaſus?

P. Ego, mi Mariane, ſermonem nunc tuum audivi, ſed nequaquam intellexi. Tanta enim erat dulcedo alienati ſpiritus a corpore, & cum his, quos paulo ante commemoraſti, benevolentia conjuncti, adeo connexi, ut eadem beatitudine jam illis me crederem conſortem. Tenebar ſane quodam ſermonis lepore, quadam vitæ ſuavitate, cœleſtiſque regni fruendi deſiderio, omnino a terrenis rebus alienus, caduca vilipendens, humilia abjiciens: ut cum eis tandem poſſem immortalitate connecti, quibus vidi, intellexi & quidem nullum adeſſe erimen, nullam animæ maculam, cum cœleſti corona fruerentur, & eis perfectam gloriam immortaliſque Dei præmium abſolutum inſpexi. Quippe qui ante Virginem, ut claritatis ſidera, ut luminum mortalibus lucernæ reducendorum in patria malorum veſtigia, viæ errantium, ſalutemque optantium portus, virtutum itinera: morum, modeſtiæ, ſanctitatiſque ubique exempla præclariſſimos radios effundentia.

M. Gratia quoque, ô Petre, cognoſcendus eſt, hic mitis, clementiſque naturæ fuit. Nec etiam immerito ex nomine rem ſibi ſumſit, cum non parvam ab immortali Deo ex proba vita gratiam ſibi comparaverit. Et primo Senarium montem coluit; ut more noſtro ſuperflua reſecans, media tantum carpere laboro. Huic non pauca deſuper gratia & laus data eſt, cum ad excelſa Divinitatis faſtigia traheretur: cujus hiſtoriæ culmen attingere, pauciſque explicare non poſſum.

P. Inter frondes, ait Petrus, multipliceſque ramos miraculorum fructus tantum elige. Nam lectorum exhaurientium mentibus hic ſatisfieri curabo.

M. Præter alia, reſpondit ille, in vitæ calce cuturnicem appetiſſe comperio, & repente ante ejus conſpectum apparuit, eamque coquendam dixit. Quod factum. Cum in duabus eſſet partibus diviſa, invicem conjunxit, anhelitumque in eam infundens, ait: Hei mihi! ob moriendum corpuſculum hoc fragile creaturam Dei peremeram! Iterumque volare fecit. Ipſe autem moriens, multa reliquit ſanctitatis ſigna, quæ ob temporis levitatem tacenda duxi.

P. Ita, ô Mariane, eſt, quod totam ſanctitatis machinam uno confectam homine breviter explicare non poſſumus: ſed alium jam aggredere.

M. Petrus ex civitate noſtra Florentiæ exordium trahens, innata quadam divinitate virtutumque decore ante creatarum rerum principem pro quodam morum & ſanctitatis jubare ſublimatus, non quidem immerito laudandus eſt: qui cum ea honeſtatis effigie & ſapientia eſſet, ut mortales immortaleſque caritate complecteretur, Virginis viduitatem portandam elegit, ex quo ſæpe pietatis fontem Mariam videre meruit. Tum vellem, inquit, diva Mater, a corpore ſolvi, & cum beatis iſtis angelis copulari. Ipſe tempus eligas, reſpondit Virgo.

P. Ubi hæc, ô Mariane, exiitere. Apudne eumdem montem virorum memoria celebrem?

M. Tum Marianus: Si in eo loco frequentatam ſanctitatem narrare poſſem, nullum ſane commodiorem ad animæ immortalitatem acquirendam diceres. Prædicat ipſe futuro veſpere ſibi moriendum fore, quorum omnino mentes a tali re alienatæ erant. Et ecce paulo poſt dulciſſima cantantium vox ſub tegmine caſæ adſtare auditur. Vocem quidem audientes, neminem autem præter binas aves viderunt. Interim alma Petri anima, ſuaviſſimum odorem fragrans, nemine hoc animadvertente, evanuit.

P. Quod Petrus tacitus cogitans, Divina hæc potius quam humana ope fiunt, inquit.

De Nicolao Aretino.

M. Claruit, ô Petre, etiam temporibus noſtris vir multa obſervantia dignus, Nicolaus Aretinus, ſacræ theologiæ doctor, eccleſiarumque obſequio deditus, qui moriens haud tacenda ſanctitatis ſigna oſtendit. Et ſane quantum in rebus gerendis regia imperatrix ei affuerit, excellentiſſimum eſt. Mulier quædam ob urgentes corporis labores non diu vivere cogitur: quare aſſiduis ſe precibus Virgini commendat, eique in ſomnis adeſſe viſa eſt, Perge, inquiens, ad virum perfectum Nicolaum Aretinum, clarum ordinis Servorum ſidus, addeque preces, ut te liberet. Exſurgens illa pro viribus, quiſnam ſit Nicolaus Aretinus flagitat. Tibi, inquit, Virgo Maria me ſanandam tradidit. Si ab ea mitteris, reſpondit Nicolaus, ſurge & revertere in domicilium tuum. Quæ erecta ſanitatis voto potitur. Datur & huic virginitatis pretioſiſſimum lilium.

P. Gaudeo civitatem illam Aretinam non litteris modo, ſed ſaluberrima omnium ſanctitate non mediocriter excelluiſſe, & eo magis quod huic veſtræ nonnihil decoris & ornamenti affert, & quia nobiſcum benevolentia & amicitia atque caritate conjuncta eſt: ac præſertim idcirco lector animadvertens quos diligo, omni virtutum decore, & ſanctimoniæ ornamento refulgere.

De Dominico.

M. Dominicus inter ceteros urbis noſtræ viros fortaſſe ſanctitate quam progenie ſublimior numeratur, cujus proprium caſtitatis

decus fuit, semper paradisi januam ostendens: ex cujus quotidiano sermone plurima sanctitatis vestigia recepi, & probæ vitæ regendæ documenta, ipsiusque lacteo sermone tantopere afficiebar, ut diem plerumque ejus consuetudine fruens horam putarim.

P. Beatum me hodie, inquit Petrus, ô Mariane fecisti, admirandis his omniumque memoriæ tradendis rebus. Sed illud scire animus magnopere cupit, si quid in fœmineo genere tertii ordinis palam sanctitatis est, id ipsum in nostram cognitionem redigas. Nam hactenus infinitam vobis sanctorum coronam adesse perspexi.

De Juliana. M. Genuit hæc nostra civitas JULIANAM virginitatis speculum, & mulierum memorabile decus: quæ mira sanctitate refulgens celebris facta est; non quidem vanis ornata splendoribus, non mortalium erepta suasione, neque illustri genere specieque decora; sane virtutis præmio, in qua verum decus, triumphique gloria residet, assidue resultat, quæ sanctarum prædicationum sectatrix, gestorum testimonio comprobatur. Inter cetera divæ Matris viduitatem assumens, immortalem sibi in cœlo sedem comparavit, virginisque in salutem amictum gestavit.

P. Et ecce alma sine fictione mulier.

De Johanna. M. Est & alia sanctissima mulier, ô Petre, JOHANNA Cremonensis, quæ ab Visellis quondam originem traxit, celebris miraculorum gloria, virtutumque fulgore ornatissima omnium, quæ etiam Virginis amictum gestavit; & inter notanda, ubi vitæ suæ calcem præscivit, quindecim dies dumtaxat Christi Corpus in cibum, & Sanguinem in potum sumsit. Tot hinc inde nobiles progenie viri hanc uxorem exigentes frustrati sunt, & usque ad exitum tantam virginitatis laudem conservavit; cui in dies miracula velut flumen quoddam æstuans effundunt.

P. Ad hæc respondens Petrus: Mira, inquit, narrasti, ô Mariane, quæ omnia non modo censeo, sed jam ante oculos meos videre videor. Nec ab re Hieronymum ad Eustochium legimus, ubi quam sæpe ad funera, & ad sepulturas quorumlibet sanctorum angelos adveniisse asserit, & ad exequias eorum obsequia præstitisse, necnon & animas electorum usque ad cœlos cum hymnis, canticis atque laudibus detulisse, ubi utriusque sexus commemorantur frequenter laudes cecinisse, interea multo nonnumquam lumine resplenduisse; insuper adhuc viventes in carne ibidem miri odoris fragrantia diutius perpensisse. Quod si ad recreandam spem, mi Mariane, ad corroborandam fidem interdum astantium, Salvator noster ob suorum merita amplius comprobanda talia & tanta exhibere per suos cœli ministros circa defunctos dignatus est; quanto magis in ordinem vestrum, quem fertilissimum sanctorum intellexi, credendum est his angelorum militiam cum suis agminibus obviam veniisse, eosque ingenti lumine circum fulsisse usque ad thronum olim eis etiam constitutum cum canticis spiritualibus perluxisse? ea insuper potentia, ut vobis in decus, & nobis in favorem æterna luce fruantur. O felicem me! hodie non possum non exultare, tanta affatim lætitia me habet, quod ambiguum est vitæ an mortis optatior sim. Altera cum mortalibus agitur; altera cum immortalibus, ut gauderem. Nam quid honor? quid opes? quidve magistratus, ad comparandum cœlestis regni iter? Hi pauperes simul & divites fuere: hi honores, hi magistratus, hi quidquid optandum est pro voluntate possederunt. His amicissimus omnium Deus affuit, apud quem Virginem intercessorem habuerunt.

M. Additur, ô Petre, & nunc admirationis locus. Cedo quid illud esse reris? quid in tantam horum fidem adeo vehementem te prorumpere faciat, nisi ipsorum ardens caritatis flamma, quæ ad ipsorum divinam cogitationem mortalium corda non modo agitat & impellit, verum inflammat & accendit?

P. Aliud mihi, o Mariane, jucundissimum narrare velis, obsecro, quo omnia simul hodierna die in lætitiam vertantur; quomodo apud universum terrarum orbem ista vestra Annuntiatæ devotio creverit; qua causa, quave ratione in tantam celebritatem devenit.

M. Est, o Petre, amœnitatis plena hæc tua petitio. Quare hoc scias velim, nihil umquam gratius postulatum. Neque ab re. Omnia namque præclara in unum deveniunt. Benefactoris interrogatio, narrantis aviditas, cultæque Virginis meritum, quæ quidem maximi facundia sunt.

P. Non minori admiratione rerum gestarum, quam ex tuo narrantis lepore detentus sum, quippe omnia noviſſe videris: addoque hoc te ad illustrandum Servorum ordinem præ cunctis mortalibus electum. Nequeo idcirco non mirari.

M. Dicam profecto quod optas. At illud in primis te non prætereat. Divinitus quæcumque egregia & bene gesta, quæve male humanitus, quævis præclara facinora ab immortali Deo originem traxerunt. Quædam Virginis precibus, quædam vero ceterorum sanctorum meritis, alia ex eorum devotione, alia vero ex cultu: per quæ nil tam arduum, nil tam grave aut difficile licet exaudiri dignum sit, quod humanum genus non consequatur. Quare hoc omnium præclarissimum non terrena, sed cœlesti ope factum censeas. Erant una noctium ad celebrandum simul matutinum fratres; cumque absolvissent, suavissimus orandi sapor eos invasit, ut præ nimia devotione spiritus a corpore evanuisse putes. Demum in maximum ser-

vorem, vocisque vehementiam adducti: Ecce, inquiunt, omnes ingens multitudo, universum vulgus, ex longinquis partibus nationes ad nos properant. Denique ab oratione surgunt, sui ipsius omnes mirantes, illud fore insaniam arbitrati. At ubi mane templum aperuerunt, magno statim impetu mortalium repletum est, qui non parva Annuntiatam hanc veneratione colentes, rei primordium invenerunt. Fama volat, ac deinde homines undique effundi videbantur.

P. Tuam profer, o Mariane, sententiam in hac ipsa re.

M. Ego profecto, inquit Marianus, asserem divam Virginem in perpetuam sui viduitatem gestantium memoriam hæc ostendisse, utque ad sui cultum præ ceteris nos elegisse constaret. Nam & longe majora ordinem inchoantibus demonstravit.

P. Quid illa pictoris fama diu in hominum ora evagata?

M. Ad hoc, inquit ille, ut mos fere omnium est pictorum, huic Bartholomæus nomen erat, qui morum modestia, vitæ integritate & sanctimonia in divæ Virginis conspectu gratiosus extitit. Cui maximæ laudi pretiosissimum virginitatis lilium dabatur. Qui cum Virginis imaginem pingere vellet, assidue jejuniis & orationi instabat, nocteſque plurimum insomnes crebrasque vigilias nuda humo jacens faciebat, sicque eam sæpius obtestabatur, ut propriam semel faciem pro nimio ardore designare posset: cujus exauditas preces aiunt. Et mane ad opus suum rediens, absolutum cum capite corpus invenit, quod nulli dubium videri potest, cum illud per angelorum manus fabricatum sit.

P. Mira sane, o Mariane, narras.

M. Audi, quæso, cum extra mœnia eo tempore divina Virginis Annuntiatæ imago esset, & illuc universus populus ad Fesulanas devotiones transiret, templum illud ob devotionem ingrediebatur: ut jam alter deambulationis gratia, alter vero devotionis illuc proficisceretur, ubi fessi requiem, ægri salutem, umbramque æstuantes recipere solebant.

P. Sicque, ut arbitror, inquit Petrus, paulatim locus ille in devotionem actus est.

M. Necdum perfectam rei seriem tenes. Martinus papa cum Florentiam civitatem ob quasdam causas interdixisset, solum hoc divæ Matri altare consecratum reservavit, ad quod tunc omnes veluti ad unicum animarum solatium salutisque remedium confugiebant, atque illuc maxima devotio orta est.

P. Videntur quæ a te commemorata sunt adeo verisimilia, ut ea oculos cernere, & animum censere credas.

M. Non minorem, o Petre, devotionem probes ex cultorum meritis, qui tunc in tantam reverentiam habebantur, ut omnes una animarum pastores, tutores, salutisque remedium eos prædicarent, ut superius declaratum est.

P. Jocunditatis, inquit ille, plenus extitit dies.

M. Ego vero, respondit Marianus, ut jam domum redeam, divæ Virginis voluntatem in hoc ducem crederem.

EX LIBRO IV.

DOMINICI JOHANNIS ORD. PRÆDIC.

De basilicis Florentinis divæ Genitrici consecratis.

FRAGMENTUM.

A Tria contemplor Dominæ felicia nostræ,
Libera cui servit relligiosa manus.
Hæc servile sibi capiens ab origine nomen,
Obsequiis tantæ dedita matris erat.
Quæ prius ancillam Domini se sponte vocavit,
Dum regem Christum mox patitura foret:
Cum sibi de supera Gabriel statione salutem
Attulit, ut clare littera sancta monet.
Præcipuo cujus veneramur honore figuram,
Dum manet ante suos angelus ipse pedes,
More salutantis niveo velatus amictu,
Pictus in effigie, qua sibi dixit, *Ave*.
Talis in hoc templo miræ virtutis imago
Digna sedet, multis inclyta prodigiis.
Hanc urbs nostra colens, & quælibet extera tellus,
Orat præsidio tutior esse suo.
Cujus ope a variis sanantur corpora morbis,
Et bene curatur vulneris omne genus:
Ut figmenta probant sub multis cerea formis,
Factus & incolumis sexus uterque docet.
Per quam sanati reges, dominique potentes,
Insignes statuas hic posuere suas.
Aspera sæpe duces bello discrimina passi,
Servati valida Virginis hujus ope:
Se se cum propriis illi vovere caballis,
Pulcra sibi dantes munera militiæ.
Hi sunt belligeri ductores agminis omnes,
Quos super immanes stare videmus equos.
Grandævi, proceres etiam, natuque minores
Hic residents, imum plebe tenente gradum.
Urbis habet speciem, fictis habitata colonis
Hæc ædes, hominum tot simulacra tenens.
Et sicut in vero struitur certamine pugna,
Ordine si recto debeat illa geri:
Sic pariter densis acies ornata maniplis
Parte sub alterutra cernitur ecclesiæ.
In cujus vacuo pendentes aëre puppes
Mater ab æquoreis diva redemit aquis.
Nam mare componens celsa rutilantior artho
Implorata vagas dirigit ipsa rates.

Quas hic inſtructus adeo perpendimus, ac ſi
Vera forent alto bella gerenda mari.
Nam quæcumque ſolent terra pelagove nocere,
Amovet auxilio ſancta figura ſuo.
Ut mala ſuſpenſi teſtantur vincula ferri?
Quæque ſimul pendent intus & arma foris.
Hic exempla patent miſeros ſignantia caſus,
A quibus humanum protegit illa genus.
Sed licet a populo foret hæc celebrata frequenti
Pulcra ſalutatæ Matris imago deæ:
Attamen iſtius veteris ſtructura ſacelli
Tam magnæ plebis non erat ante capax.
Quod PETRUS advertens, Coſmi certiſſimus heres,
Et ſobolis Medicæ cura nitorque ſuæ,
Mox illam merita cupiens in ſede locare,
Hoc dignum tanta Virgine fecit opus.
Nam bene de niveo conflatum marmore totum,
Et pretio reliquas vincit & arte domos.
Quattuor ara novas inter manet una columnas,
Et tegitur plano formice tota ſuper.
Quam ſcriptura vetus radio deſcripta recenti
Ornat, & auratis contegit ipſa comis.
Multa ſuper viridi candent ubi lilia thyrſo,
Signa domus Medicæ mitia poma rubent.
Angelica ſuſpenſa manu micat alta corona,
Quam dea ſublimi fronte Maria tenet.
Lampade multiplici, cœli rutilantis ad inſtar,
Nocte dieque nitet Virginis ara piæ:
Cujus in altari ne jugis deſoret ignis,
Petrus oliviferos ſponte coëmit agros.
Fulgeat ut cunctis hæc nobilis ara diebus
Splendida luciferi facta liquoris ope.
Et crater media ſitus eſt pulcherrimus æde,
Qui lymphas poculo continet ore ſacras.
Cui lapis ornatum paragonius addit, & ingens
Dat ſpera de fuſco marmore facta decus.
Quattuor hoc orbe ſuſtentant rite minores
Ærea Baptiſtæ formula complet opus.
Percipit inde frequens optata piamina cœtus,
Purior ut tactis inde recedat aquis.
Cetera virginei parco memorare ſacelli:
Quid Petrus ampla ſibi munera ſæpe dedit.
Et nova pro gazis ſacraria fecit opimis,
In quibus oblatæ ſponte locantur opes.
Quas reges, clarique duces, forteſque tyranni
Ponere pro votis hic voluere ſuis.
Sunt ubi, cum variis argentea vaſa figuris
Quæ tegit interius picta tabella foris.
Angelicus pictor quam finxerat ante JOHANNES,
Nomine non Jotto, non Cimabove minor:
Quorum fama fuit Tyrrhenas clara per urbes,
Ac dulci Dantes ore poëta canit.
Floruit & multis etiam virtutibus idem,
Ingenio mitis, religione probus.
Nunc data præ reliquis merito pictoribus illi
Gratia fingendæ virginis una fuit:
Ut docet ejuſdem manibus deſcripta Johannis
Sæpe ſalutatæ forma venuſta deæ.
Hic nova religio Serverum dicta Mariæ
Ex tenui cœpit ſurgere principio.
Cujus parva brevi per mundum gloria crevit,
Maxima divinæ facta Parentis ope.
BENTIVS mira pollens virtute PHILIPPUS
Inclitus hac olim vixit in æde pater.
Oſſa modo cujus ſita ſunt veneranda Tuderti,
Mortua portentis vivificata novis.
Nunc dignus celſo præſul MARIANUS honore
Tanti vera ſalus & pater ipſe loci,
Hoc probitate ſua templum conſervat & auget,
Dum placido mentes admovet ore pias.
Corripit audaci populos ſermone potentes,
Vera loquens, nullo territus ille metu.
Sed quibus iſta domus meritis præluxerit olim,
Clara probant ſancti martyris acta Petri,
Qui noſtram purgare volens erroribus urbem,
Hoſpes in hac fidei perſtitit æde pugil.
Stans ubi tunc hereſim cupiens abolere neſandam,
Dictis mollibat pectora dura ſuis.
Sed quos non poterat verbo curare ſalubri,
Jure coërcendos viribus eſſe ratus:
Fortunata dedit populo vexilla fideli,
Et cruce ſignatos miſit in arma duces:
Cum quibus in bello cives proſtravit iniquos,
Præſumpſere piam qui violare fidem:
Dum ſibi polluta finxerunt dogmata mente,
Spargentes hereſis ſemina peſtiferæ.
Id manifeſta docent geminæ monimenta columnæ,
Fluminis ex omni nunc quoque parte ſita.
Altera trans Arnum domui vicina cohæret,
Quæ juſtæ titulum Felicitatis habet.
Pars ibi nam fidei Petro ſub Martyre victrix
Accepit pugnæ digna trophæa piæ.
Altera cis fluvium veteri contermina pago
Exſtat, cui Trivium nobile nomen ineſt.
Hoc pictura monet Mariani nota Bigalli,
Et vexilla crucis candida purpureæ:
Quæ modo condigne ſervantur in æde Novella,
Ne pereat tantæ fama vetuſta rei.
Inde patet quanto fidei flagraverit igne
Militiæ ductor maximus iſte Dei,
Cujus amore calens memoratu digna peregit

Plurima,

Plurima, dum tanta traxit in æde mo-
ram.
Quam simul illustrat nostris constructa sub
annis
Proxima sub signo Virginis ampla do-
mus.
Hæc fovet expositos, tamquam pia mater,
alumnos,
*S. Maria de Innocentibus. Rite trahens pueris nomen ab * innocuis.
Quam foris aspectu lætissima porticus ambit,
Redditur unde sacræ semita grata viæ:
Tramite quæ recto geminam perducit ad
aram,
Semper ubi Christi præsidet alma Parens.
Vir locuples multo cui BENTIUS ore JO-
HANNES,
Obtulit insignem relligione locum:
Quem nunc Muratæ sanctissima turba soro-
res S. Maria de Muratis.
Vitæ florentes integritate colunt.
Inde Salutatæ titulo fulgere Mariæ
Promeruit nostro tempore casta domus:
Semper ubi tantæ resonans præconia Matris,
Profert angelicas pura caterva notas.
Hanc amat ingenuam cœli Regina cohor-
tem
Ultro quam missis educat illa cibis.
Salve sanctorum custos veneranda locorum
Supplicibusque tuis fer pia Mater opem.
Cui bona tot celsas posuit Florentia sedes
Quot mea descripsit nunc operosa ma-
nus.

HISTORIA
FUNDATIONIS MONASTERII
CÆLESTINORUM SUESSIONENSIUM.

Ex mſ. codice Colbertino 2569.

1. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii & Spiritus-sancti, amen. Ut pristinorum permaneat memoria gestorum in sæcula; congruum est illa commendare per scripturæ memorialia. Et ideo, ipso auxiliante Domino, hoc in volumine proposui pandere ortum hujus monasterii sanctæ Trinitatis Cælestinorum Villæ-novæ circiter Suessionem, fundationes ejusdem & bona, jurisdictiones, feuda, census, vinagia, reditus, vineas, terras, prata, insulas, & nemora ipsi monasterio pertinentia: quin immo per quas personas fuerunt donata, sive a quibus, quovismodo alio sunt acquisita: quod incipio mense Augusto anno Domini millesimo quatercenteno quinquagesimo quinto. impulsus siquidem hæc scribere propria non mea ingestione, immo nostri patris reverendi provincialis ex injuncta commissione, ob obedientiæ reverentiam, libens quippe hanc sumens sarcinam, & ut breviem posterorum laborem, institutorum noviter priorum, procuratorum & depositariorum, qui per hujus lecturam possint celerius cognoscere monasterii substantiam, & ut negotiorum actus tutius dirigantur.

TITULUS PRIMI FUNDATORIS.

2. Felicis memoriæ dominus ENGUERRANdus illustris comes Suessionis & dominus de *Coucy*, vir vere catholicus, ut suorum exhibitione gestorum comprobatur, qui ob divini ampliationem obsequii quondam digna motus devotione, ad patris nostri sanctissimi Petri Cælestini religionem propagandam, ac in gloriam sanctissimæ Trinitatis, honorifice fundavit hoc Cælestinorum Villæ-novæ prope Suessiones monasterium, ut patebit primo per suam litteram ejus sigillo munitam, quæ verbatim hic sequitur.

Enguerram sire de Coucy, conte de Soissons & Ber de Male, savoir faisons à tous presens & à venir, que nous considerans que le pelerinage & les biens temporels & mondains de ceste vie transitoire sont ordonnez à un chacun, qui bien en veult & scet user, à édifier & faire trésor envers Dieu, qui tous biens a prestez: meus par vraye devotion, en honneur de Dieu le Pere, le Fil & le Saint-Esperit, ung Dieu vraye & sainte Trinité, de la glorieuse Vierge MARIE, *de tous les Saints & Saintes de Paradis, & pour avoir prieres perpetueles pour nous, nos devanciers, & successeurs, de nostre très chiere & amée compaigne* ISABEL DE LORRAINE, *à present nostre femme, pour tous les chevalliers & dames, les escuyers & demoiselles, qui ont esté, sont, & seront de nostre ordre de la couronne, pour la singu-*

liere amour & affection que nous avons envers la devote & ſainte ordre des Celeſtins, & l'accroiſſement & augmentation du ſervice divin, pour conſacrer le Corps de noſtre Seigneur ou ſaint Sacrement de l'Autel, que il par ſa grace ordonna à faire en la remenbrance & commemoration de luy, de ſa ſainte & digne mort & paſſion, qu'il voulſt ſouffrir pour tous Criſtiens, & pour eſtre acompaignies à tous les bienfaits de charité, de prieres & devotions, qui ont eſté, ſont, & ſeront faits par leſdits religieux de laditte ordre, avons ordonné & diſpoſé, & voulons & ordonnons à l'aide de A
Dieu une eglise, monaſtere & habitation d'un B
convent de douze religieux au mains dudit ordre des Celeſtins eſtre fait, conſtruit, édifié & établit au lieu & en la place de noſtre maiſon de Ville-neuve emprès Soiſſons. Lequel lieu avec les cy-après declairées nous avons donné & donnons à Dieu, & à ſainte égliſe, & à laditte religion, pour eſtre par yceulx religieux tenus & poſſidés perpetuellement comme admortis, pour eulx habiter, demourer, faire le ſervice de noſtre Seigneur; & pour la ſuſtentation & vivre de yceulx religieux leur avons donné quatre cens livres tournois de rente annuelle & perpetuelle admorties, à prendre, lever, rece- C
voir & percevoir en ſur toutes nous rentes, revenues, heritaiges, drois & poſſeſſions, que nous avons & povons avoir en laditte ville de Ville-neuve, & ès villes d'Amigny & de Baigneux, & en toutes les appartenances & appendances d'icelles, en quelque maniere que ce ſoit ou puiſt eſtre. Leſquelles villes, rentes, revenues, juſtice, ſeignourie, terres & poſſeſſions nous avons baillé & baillons par ces preſentes audits religieux, & leur procureur en avons mis, & par noſtre baillif fait mettre en ſaiſine & en poſſeſſion de fait come de leur propre heritaige, en tout droit pourfitable, & de manier, D
& en tout droit de juſtice, pour la priſée de quatre cens livres tournois des terres deſſuſdittes, ſans rien retenir en iceulx, fors la moyenne & haute-juſtice, le reſſort de la ſouveraineté par devers nous, ſans moyen, ſauf & reſervé audits religieux toutes les amendes de ſoixante ſols pariſis & autres audeſſous, & tous les prouffis des fiefs qui y ſont, tant en reliefs, en quindeniers, rachas, ſervices, come autres drois de ſeignourie feodal. Et s'il advenoit que par confiſcation aucuns fiefs veniſt à nous ou à nous ſucceſſeurs ſeigneurs de Coucy ou contes de Soiſ- E
ſons, en leur bailleroit & ſeroit tenus de bailler vaſſal pour uſer de leur droit & ſeignourie feodal, pourveu que les fruis, prouſis & émolumens deſdites terres ſeront par nous commis & deputez, mis & convertis ès édifices de l'égliſe, monaſtere & habitation devantdits, juſqu'à ce qu'il ſoit ascompli & mis en tel eſtat que yceulx religieux y puiſſent convenablement habiter, faire le ſervice de Noſtre Seigneur, & propicement eſtre ſelonc l'ordre, & en retenant les maiſons, édifices & heritages des trois villes devant dictes convenablement, ſans empirer ne amenrir. Et eſt à ſçavoir, que ſi les villes, terres & poſſeſſions devant dites ne valoient juſqu'à la extimation & valeur des quatre cens livres de terre deſſuſdictes, nous leur accomplirons & parferons au plus près d'eulx & à leur menre domaige. Et tous yceulx heritaiges par nous donnez & aſſis, & auſſy tous ceulx que ils pourront acquieſcer tant en fief come autrement en nous terres & ſeignouries par quelque maniere & tiltre que ce ſoit, juſqu'à la ſomme de CCC. livres de terre oultre ladite fondation de CCCC. livres tournois, nous voulons & gréons que yceulx religieux, & ceulx qui après eulx venrons, tiengnent & poſſident paiſiblement, ſans eſtre de ce contrains par nous ou par nous ſucceſſeurs de les admortir, mettre hors de leur mains, ou payer aucune finance pour ceſte cauſe, retenu & reſervé la juſtice moyenne & haulte, la ſouveraineté & la garde, come dit eſt, ſauf & reſerve auſdits religieux toutes les amandes de ſoixante ſols pariſis & autres audeſſoubs, & tous les prouſis des fiefs come deſſus eſt declaré: & s'il eſt beſoing iceulx heritages par nous donnez admortir envers autres, nous leur promettons admortir & faire admortir de tous ceulx à qui il appartiendra, à nous propres couls & deſpens, & toutes les choſes deſſus dictes feront accorder & conſentir par noſtre très chiere & amée compaigne paravant dicte. Et eſt aſſavoir que ſur noſtre volenté & devotion dicte nous avons parlé & fait parler au provincial & religieux dudit ordre, qui amiablement nous ont accompaigné à leurs ſervices & bienfaits, accepté noſtre don & promis que l'égliſe & l'abitation faite au lieu deſſuſdit, tant que ils puiſſent habiter & le ſervice faire propicement, & ſelon leur ordre, ils mettrons & eſtablirons & ſeront tenus de mettre, eſtablir & ordonner douze religieux au mains pour le ſervice de Noſtre Seigneur bien faire, & devotement, perpetuellement & à tousjours, dont ils nous ont baillé lettres: & les choſes parfaites & conſommées au plaiſir de Dieu, ils entreront oudit lieu, & auront les fruits de yceulx heritaiges, & commenceront & continueront à faire le ſervice audit lieu, & ſe feront lettres d'une partie & d'autre par conſeil commun, ſelon ce qu'il ſera bon à faire. Et auſſy leur avons donné & donnons par ces preſentes la ſomme de mille frans pour tourner & convertir en livres & en autres eſcoremens appartenans à l'égliſe & au ſervice de Dieu, avec une Bible en deux volumes, que nous avons ordonné à y mettre. Et avec nous leur avons ottroyé & concedé par ces preſentes, leur ottroyons & concedons, que eulx, leurs ſucceſſeurs, & tous leurs biens perpetuelement pour leur vivres & neceſſitez ſans marchandiſe demourront quittes & exemps de tous nous péages, chauchées & autres devoirs preſens & avenir, & pourront aller & paſſer par toutes nous terres & paſſaiges franchement & quittement

sans payer aucune choſe quelque elle ſoit. Et n'entendons point marchandiſe ce qui ſeroit acheté ſans entention de revendre, mais pour uſer & diſpenſer en leur hoſtel, ne auſſy auroient norry & le feiſſent mener en entencion de vendre. Et pour plus ſeure fondacion avons ottroyé & accordé auſdits religieux, & par ces preſentes ottroyons & accordons, que eulx & leurs ſucceſſeurs, & tous leurs biens, heritaiges & poſſeſſions demeurent perpetuelement en noſtre protection & ſauve-garde, & de tous nous ſucceſſeur, & que en toutes leurs cauſes, querelles & beſoignes, qu'ils pourront avoir à faire, ils aurons le conſel, confort & aide de nous & de nous officiers en juſtice, & de nous conſeillers & ſerviteurs, come en nous propres querelles & beſoignes. Promettons en bonne foy & ſur l'obligation de tous nous biens, & des biens de nous hoirs, meubles & immeubles, preſens & futurs, toutes les choſes devant dictes ainſy come elle ſont eſcriptes tenir, garder, faire & accomplir par nous & par nous ſucceſſeurs perpetuelement & pour le temps advenir ſur la maniere, forme & condicions, que cy-deſſus eſt declairé, & non faire ne venir au contraire par nous ou par autre ou temps futur par quelque maniere que ce ſoit. Ou teſmoignaige deſquelles choſes & pour ycelle eſtre fermes & eſtables, nous avons fait mettre noſtre ſcel à ces lettres, qui furent faites & données en noſtre hoſtel à Paris le XXVI. *jour du mois d'Avril l'an de grace Noſtre Seigneur* MCCC. *quatrevins dix.*

Confirmatur monaſterium.

3. Cujus litteræ paulo poſt datam, ex ordinatione ejuſdem domini ENGUERRANDI ſumtibuſque ſuis fuit ante omnia demolita comitalis domus antiqua. Inde in Dei nomine conſtructio dicti monaſterii incœpta a primis ipſius murorum fundamentis, præſentibus quibuſdam noſtri ordinis patribus, ſignanter fratre Galchero *de Villers* & Johanne *de l'Ourme*, receptore dicti domini in villa ſua Sueſſionenſi: qui duo uſque ad finem eccleſiæ, capituli, clauſtri, refectorii, dormitorii, & totius quadraturæ monaſterii ædificiorum fuerunt viſitatores operum, & opificibus diſtributores denariorum, ipſa in conſtructione impenſorum.

Fundationi adjiciuntur novi redditus.

4. Ipſaque continuata conſtructione uſque ſupra terræ faciem ad tres lapidum juncturas, ſive ultra tantillum, prudens fundator proſpiciens tenuem nimis præmiſſam redituum donationem ad tantum onus comportandum, duodecim ſcilicet fratrum, oblatorum & hoſpitum ſuſtentationem, inſtaurandamque veteraſcendorum dicti monaſterii ædificiorum ruinam & reparandam, nobis donavit alias centum libras Turonenſes annuas & perpetuas, cauſa augmenti prætactæ fundationis admortizatas, ſituandas & exigendas ſuper ſuis dominiis, pari penitus conditione, ut ſunt ceteræ cccc. libræ per ipſam fundationis litteram expreſſæ. Inſuper contulit nobis unam amplam domum per-

A petue poſſidendam intra ſepta Sueſſionis ſuis emendam denariis, in qua fratres poſſint etiam guerræ tempore, omniſque eorum familia cohabitare, atque ſancta officia cantare. Et hæc ultra voluit nobis emi in territorio *de Bucy* vel circiter Villam-novam, vineas bonas tot quot ex earum fructu ipſe conventus & familiares poſſent per annum totum potu miniſtrari neceſſario. Ex quarum centum libris domus & vinearum donatione licet non ſtet publica carta, ob præpeditionem ſui receſſus in Hungariam, tamen ipſa ſic donatio facta non robore viget minore, B quam ſi hoc authentica feciſſet littera: cum vero id egit atque promiſit in multorum nobilium preſentia & aliorum dignorum credentia virorum, ſua ſuper his exhibentium veri teſtimonia in inqueſta pro nobis ad dominos de Parlamento Pariſienſi facta contra ſucceſſores dicti domini donatoris noſtri, donationem atque totam fundationem implere, ut prædictus fundator devote ſtatuerat, renuentes in animas ſuas. Qua de re proceſſus adhuc uſque in præſentem annum MCCCCLV. pendet in dicta Pariſius curia indeciſus. De quo denuo infra fiet ſermo.

Enguerannus fundator pergit adverſus infideles in Hungariam.

C 5. Perrexit deinceps præmiſſis ſic geſtis ſtrenuus comes & præpotens bellator in Hungariam adverſus paganos in vaſtationem ſanctæ religionis Chriſtianæ erectos, accinctus fidei potentia, proprio magnæ devotionis motu, non quovis imperantis præcepto, ſeſe ſpernens, Chriſto ut placeret, propriam non erubeſcens mortem a rugientibus barbaris ipſis ei paratam, immo formidine omni contemta, JESU CHRISTI imitator perfectus ſe totum Deo pro fidelibus tuendis hoſtiam obtulit devotam, caræ conjugis ISABELLIS de Lotharingia demulcentis amplexus & obſe- D quia ultro propellens, dulci quoque ſuarum trium genitarum conſolatione dimiſſa ſponte, paterno immemor amore, civitatum, villarumque copiam ac caſtrorum tam multam & ædificiorum eorumdem pulchritudinem pro nihilo gerens, uſum deſeruit, laſciva quæ venandi cura ſive otioſe vacandi vita ſe privavit, & epuloſa menſa conſuetis honoribus & familia pompoſa ſe deſtituit: ſeptus tamen numeroſa militum & nobilium præliatorum eleganti comitiva, ſic ſic procedens in viam, multa per ſcandaloſa itinera E & procelloſa transfretans maria, fluminaque vadavit impetuoſa, p[illegible] Alpes & marecoſas valles lætus ibat, ſe Domino ſeduliu. commendabat, diverſarum per nationes linguarum & climata tranſiens perluſtravit. Sed ut potuit melius ante propriæ egreſſum patriæ ſuos affecte oneravit, ut ſua fundationis ordinatio totalis celerem conſequeretur perfectionem; ſuam ſignanter, in qua merito & ceteris confidebat magis, uxorem prædictam, cui mandavit ut monaſterium iſtud ſuis præ omnibus aliis per eum dimiſſis ne-

goriis compleret. Quod se facturam pollicendo, ipsa onus assumsit: sed tamen, ut patebit, totum nitens in contrarium alias egit: Ah! ah! mi domine Enguerrande bone, tua fuisti frustratus promissionis fiducia in tua uxore sperata. Ergo væ qui fidit in muliere.

Codicillo confirmat primam fundationem.

6. In ipso sic positus itinere a sua jam patria longe, prope *meridianum mare in loco Portus-Veneris sic dicto, cura multum affectus sollicita, ut suum quod adhuc in propria existens terra condiderat testimonium deduceretur ad perfectum, in eo specialius quod ordinaverat de hujusmodi fundatione monasterii, formidans ne malitia suorum vel incuria omitteretur completio; ut quoque suos heredes magis ligaret obligatione ad illius perfectionem, codicillando corroboravit pristinam institutionem suam in modum qui sequitur, per clausulam ipsius codicilli cernentem materiam præsentem.

* l. testamentum.

» Ego ENGUERANDUS dominus de *Coucy* » sanus mente, &c. Item motus pietate, re» cordansque & ad memoriam reducens bene» ficia, bona, gratias, honores mihi a Deo col» latos, cum nuper ordinaverim & dispoue» rim fieri & ædificari in domo nuncupata » Villa-nova prope Sueffionem, unum mona» sterium & ecclesiam pro habendo, moran» do, & habitando unum conventum religio» sorum Cœlestinorum usque ad numerum XII. » ad minus, pro serviendo Deo & B. Mariæ » Virgini ejus Matri, & omnibus aliis sanctis, » in divinis officiis celebrando & Deum ro» gando assidue pro me, prædecessoribus meis » defunctis, successoribus meis, pro cariſſima » consorte mea ISABELLI de Lotharingia, & » pro omnibus militibus, scutiferis, domina» bus & domicellis, qui sunt, fuerunt & erunt » de ordine meo de corona, & pro omnibus » aliis parentibus meis & amicis vivis & de» functis, & pro sustentatione, alimentis, & » aliis necessariis dictis duodecim religiosis Cæ» lestinis dedi & donavi, & etiam assignavi » ipsis duodecim religiosis, videlicet quatuor » centum libras Turonenses terræ capiendas, » habendas, levandas, exigendas & recupe» randas per ipsos religiosos, in & super villas » meas de *Amigny*, de *Baigneux*, & de Villa» nova prædicta, & super pertinentias & de» pendentias ex eisdem. Et in casu quo red» ditus mei ipsorum locorum non tantum va» lerent, vel non ascenderent ad dictam sum» mam dictarum quatuor centarum librarum » Turonensium annualium, promisi eis ipsas » complere & perficere, compleri & perfici » facere in & super aliis terris & possessioni» bus meis eis propinquioribus usque ad in» tegrum valorem dictarum cccc. librarum Tu» ronensium annualium. Item, &c. Cum hoc » promisi eis dare & deliberare seu deliberari » facere, videlicet mille Francos auri semel » tantum habendos per ipsos, pro habendo, » emendo & acquirendo libros & ornamenta ac alia dicto conventui & ecclesiæ necessaria ad divina officia & servitia celebranda. Item, magis promisi, ac etiam teneor eis & debeo facere fieri & ædificari, & construi dictam ecclesiam & habitationem, in qua dicti XII. religiosi habitabunt & habitare poterunt una cum servitoribus ipsis necessariis, juxta & secundum quod decet & pertinet tali ordini, & ad similitudinem & formam ac modum habitationis S. Crucis subtus Essemontem aut melius expensis meis. Igitur ad hæc de præsenti ipsas ordinationem, dispositionem, ac promissionem, ut prædictum est, per me factas in modum & formam prædictis ratifico & approbo & confirmo, & ita fieri volo & ordino atque mando, quod ipsæ ordinatio & promissio suum sortiantur effectum. Et nunc de præsenti, si necesse sit, prædicta, sicut supra ordinata & disposita sunt, fieri volo & jubeo atque mando per executores meos infrascriptos, ac per ipsos volo, ordino, præcipio atque mando dictas ordinationem, dispositionem, ac promissiones meas, in modum & formam quibus supra narratum est, ad integram perfectionem facere deduci, & pro omnibus & singulis in dicta ordinatione mea contentis & declaratis, fiendis, complendis & perficiendis, & etiam pro omnibus aliis legatis & relictis supra per me factis & infra fiendis, volo, ordino, jubeo, atque mando, quod omnia acquisita mea quæcumque, & specialiter Villæ-novæ & Scuhoriæ, de *Hem*, de *Doubly*, de *Pinon*, d'*Orugny en Thereſſe*, & domus mea Parisius sint & remaneant usque ad integram perfectionem, solutionem & satisfactionem omnium & singulorum prædictorum onerata, tam pro fundatione, dotatione & completione ipsius conventus & ecclesiæ, quam etiam pro dictis legatis meis supra factis & infra faciendis, ac delictis & forefactis meis solvendis & satisfaciendis, casu quo tantum valere poterunt, & casu quo non essent tanti valoris & tantum valere non possent quantum ascendunt onera dicti mei testamenti, quod residuum capiatur in & super aliis bonis meis, & de eis ipsum residuum solvatur, & quod ipsa bona vendantur, & in denariis convertantur usque ad complementum supra & infra ordinatorum & legatorum. Acta fuerunt hæc in Portu-Veneris prope mare, præsentibus nobilibus viris dominis Johanne *de Roye*, Johanne de Fontanis, Percevallo de *Dureval*, Petro de Lihiis, militibus, & pluribus aliis, &c. anno a Nativitate Domini millesimo trecentesimo nonagesimo & die prima Julii.

Ejus gesta Clemens papa VII. abbatiam Vilsenoſii in dioecesi Ambianensi.

7. Præterea sanctæ recordationis dominus noster papa dominus CLEMENS VII. elaborante ad hoc domino præfato fundatore nostro & ipsius favore, contulit ecclesiæ nostræ per suas patentes bullas abbatiam, quæ tunc, utautumo, vacabat suppositis ob

guerræ deſolationem, nuncupatam Viſenolium, ordinis S. Auguſtini, prope Ambianum ſitam, cum ſuis juribus & pertinentiis omnibus: quam cum eiſdem juribus cum fratribus noſtris de Ambianis, quod eis propinquior & decentior erat quam nobis, commutavimus pro certis vineis, terris, pratis, & inſulis in & circa Villam-novam ſitis, & quædam prope *Baigneux*, quorum declarationem omnium cum egero, infra de hereditagiis monaſterii ſeriatim elucidabo. Ipſaque commutatio fuit contractata anno Domini milleſimo quatercenteſimo trigeſimo ſexto, die XVI. Aprilis, ut patet per litteram quam in depoſito habemus repoſitam.

Enguerrannus aduersarios capitur & redimitur.

8. Rurſus ad provinciam tendens deſideratam pervenit, & ad locum certaminis, ubi in conflictu, ut reor, princeps illuſtris ardenſque bellator non fugiens, ſed in ferales illos forti animo perſiſtens, cum temporibus ſuis virorum quiſvis in armis non eſt inventus ſimilis illi. Sua ſed denique parte devicta, ab ipſis eſt raptus barbaris atque captivatus; ſed lapſo quodam temporis intervallo, annuente Domino, qui ſperantium in ſe non obliviſcitur, in fine eſt redemtus, non permiſſus eadem divina proviſione in eorum mori ditione, ne videlicet tam dignum ejus corporis pignus poſſideret tam profana gens, & ut non gloriarentur proinde dicentes: Manu noſtra excelſa fortia hæc fecimus omnia, ubi eſt Deus Chriſtianorum? Inde vero exiliens, in Burgia degebat civitate, civitatum totius regni Hungarorum tenente metropolarum: ubi confirmavit iterum promiſſa ſua donaria; ſed augmentavit peramplius & alia, ut claret per ſuum codicillum illic confectum, cujus pars ſequitur quæ tangit meum propoſitum.

Hinc codicillique quædam ad primam fundationem.

9. In nomine Patris & Filii & Spiritus-» ſancti. Amen. Nos ENGUERANDUS dominus » de Cuciaco, &c. ſanus mente, &c. codicil-» lando volumus & ordinamus & etiam obli-» gamus omnia jocalia ceteraque bona mobi-» lia noſtra, immo etiam terras noſtras de » Cuciaco, & comitatum Sueſſionenſem, & » principaliter prædictum comitatum, aliaſque » poſſeſſiones noſtras, ubicumque ſint, & ta-» liter quod nullus heredum noſtrorum aut » cauſam noſtram habentium eiſdem poſſit » gaudere quovis modo, donec monaſterium » ſanctæ Trinitatis prope civitatem Sueſſio-» nenſem per nos fundatum, fuerit perfecte » completum, ſicut jam pridem in teſtamento » noſtro latius ordinavimus. Item volumus » quod per ordinationem executorum noſtro-» rum fiat in eodem monaſterio una nobilis » crux de argento ponderis quadraginta mar-» carum Pariſienſium, unum thuribulum de » argento, buretas duas pro vino & aqua cum » pelvi ad lavandas manus, cum uno pulcro » calice argenti deaurato, & quatuor orna-» menta ad celebrandum, quorum tria com-

munibus diebus ſervient, & quartum fulci-« tum pro diacono, ſubdiacono & preſbytero « pro feſtis ſolemnibus. Et ut iſta voluntas ſeu « ordinatio noſtra ultima ſuum, ut ordinavi-« mus, ſortiatur effectum, domino noſtro regi « requirimus, quod terram noſtram de Cou-« ciaco & comitatum Sueſſionenſem, quoad « tria caſtellana in manus ſuas ponat, & te-« neat, & proventus & reditus prædictarum « noſtrarum terrarum tradi & deliberari faciat « prædictis executoribus noſtris, &c. Acta in « Burgia XVI. die menſis Februarii anno Do-« mini MCCC. nonageſimo ſeptimo, præſenti-« bus, &c. «

Fundatoris mors.

10. Anno autem editionis codicilli proxime tacti & menſis Februarii die XVIII. dominus ipſe memoratus grandævæ ætatis & laborum tantorum onere depreſſus, corpore infirmus, ſed firmus fide, ab eo, cujus ob honorem laboravit libens, condignam ſuſcepturus mercedem, eſt ad gloriæ æternæ requiem vocatus. Sicque migrato catholice in eo quo ſupra, ſcilicet Burgia, loco, ejus corpus ſuorum comparium more eſt aromatibus conditum, & ſui ex ordinatione teſtamenti dehinc delatum ad monaſterium ſanctæ Dei Genitricis de Nogento (*a*) Sueſſionenſis diœceſis, appoſitumque honorifice in ſepulcro ſuorum patrum. Verum quia ubi theſaurus ſui fuerat amoris, voluit in ſignum eſſe tumulum ſui cordis, ſcilicet in noſtra præſenti eccleſia, cujus fundator extitit, ad quam fuit illud apportatum, eſtque in petræ foramine reconditum de latere ſacriſtiæ in pariete, ſecus locum ubi accenduntur cerei in decantatione evangelii, ob cujus honorem & memoriam notiorem debent verſus quidam poni in ſilice ſculpti, ſi honeſte judico: quoniam tale pignus poſſidere non eſt modicum noſtræ decus eccleſiæ. [a]

*11. Volui ſic præmiſſa domni ENGUERANDI fundatoris noſtri geſta de pluribus aliqua taliter qualiter enarrare, ut in poſterum non ignoremus tam affectam erga nos voluntatem bonam & impenſum beneficium, ut qui pro ejus ſalute attentius divinum devote rependamus obſequium, ne ingratitudinis gravemur propter vitium.

Obeunt ejus nata & uxor.

12. Defuncto eo, ſuperſtitem ISABELLEM ſuam reliquit uxorem, & ex ea procreatam matris nomine ISABELLEM adhuc infantulam, tutelæ ipſius matris & regimini commiſſam: quæ ad pubertatis annos perventa, nuptui eſt tradita domino Nivernenſi comiti: cui ex eodem Nivernenſi fuit nata filia tantum una, quæ diebus octo ferme vixit. Ejuſque mater ipſa ISABELLIS poſt menſium ſex ſpatium pariter deceſſit. Et ſic ex hac linea a dicto domino de *Coucy* generatio non

(*a*) Ordinis S. Benedicti, congregationis S. Mauri, prope Codiciacum, ubi hactenus viſitur ejus tumulus. Hinc emendabis novam urbis Codiciaci hiſtoriam, cujus auctor Tuſſanus Pleſſæus exiſtimat Enguerranni cadaver eo in loco, quo vivere deſiit, ſepultum fuiſſe.

subtiſtit. Sed immo ex linea alia uxoris primæ, ISABELLIS etiam nuncupatæ, quæ filia fuit EDUARDI Angliæ regis. Hæc autem ex ipſo domino de *Coucy* peperit duas filias, MARIAM videlicet & PHILIPPAM: quæ Philippa uxorata fuit domino Iſlandiæ duci, ſed poſtea ſine ventris proprii fructu expiravit. Mariam autem aliam filiam conjunxit potenti domino HENRICO DE BAR: qui genuerunt poſtmodum ROBERTUM DE BAR. Hic vero Robertus comes *d'Aumale* dictus, cepit matrimonio dominam JOHANNAM DE BETHUNE comitiſſam de *Liney*. Ex quibus proceſſit filia una nomine Johanna, quæ hodie & anno Domini MCCCCLV. vivit uxor domini LUDOVICI DE LUCEMBOURG comitis S. Pauli. Et hæc Johanna heres eſt & ſola poſteritas generis ſæpedicti domini de *Coucy* fundatoris noſtri.

Quæ piis viri ſui votis quâ tu ſi potuit obſtitit.

13. Supra ſæpe nominata ISABELLIS DE LORRAINE relicta domini *de Coucy*, poſt ejuſdem domini viri ſui deceſſum viribus inniſa eſt omnibus, ut incompletum fineretur hoc monaſterium, ſui ſallax promiſſi ſuo viro facti pro completione hujuſmodi, ſpernens ſuæ ipſius ſalutem animæ, cui indulgeat Deus. Repente quidem ad ſe apportari mandavit, & factum eſt ita, jocalia dicti domini fundatoris tam pulchra, ſed pretioſa ultra XVM. millia librarum Pariſienſium valentia, quæ ab eodem erant depoſita gardiæ apud Venetias Italiæ, & illa idem dominus ordinaverat ſtudioſe ibi reſervari pro noſtræ fundationis perfectione. Tenuit quoque virago illa tamen inique forti manu ſua partem ſucceſſionis dicti domini noſtri fundatoris, tam titulo adminiſtrationis tutelæ ſuæ prædictæ filiæ, quàm etiam ſuæ cauſa dotis, ſignanter terram noſtram *d'Amigny* in magnum noſtri detrimentum, & hoc uſque ad ſuum miſerum obitum, quæ poſt dictum ſuum virum XL. annis ſive ulterius manſit in humanis, ſemper noxia nobis, niſi quod nobis, ut dicitur, dedit unum calicem argenteum rudi opere factum ſecundum veterem modum, quem patres noſtri, perurgente guerrarum neceſſitate & famis tempore cum duobus urceolis ex argento factis alienaverunt, preciis pro ſuæ vitæ ſubveniendo expenſis.

Maria Enguerranni ex prima uxore nata fundationem approbat.

14. MARIA autem præfata pro ſe & ſorore ſua PHILIPPA, earum genitoris domini *de Coucy* ordinationi conſenſit, & laudans ſponte approbavit fundationem monaſterii, atque donationes nobis per ipſum tam ſcripto quam alias factas. Voluit inſuper omnium datorum poſſeſſionem nos perpetue pacificam poſſidere, ſuo ſuorumque ſucceſſorum impedimento omni ſemoto, de quibus juſſit inſtrumentum nobis fieri die XIX. Martii anni Domini milleſimi CCCC. quæ illico & die illo nobis ſe obligavit quo ſupra nomine in quatuor mille librarum Turonenſium impendendas ex ſuo pacto in continuanda monaſterii noſtri conſtructione: quas libras certis recepimus terminis, & ut arbitror, in opus ipſum, ut juſſerat, impendimus.

Ludovico de Luxemburg. Aurelianenſi vendit Coucium, &c.

15. Viduata ſiquidem viro dicta MARIA, & parvulum ex ipſo ROBERTUM filium ſuperhabens, illa conſiderans ſui ſexus ineptam ad ſuos oppugnandos inimicos potentiam, qui ſuæ paternæ ſucceſſionis terram nitebantur circumquaque invadere, quæ provido eſt uſa conſilio pro incolarum pace & totius regni utilitate, & pugili ſtrenuo qui valeret vellet que ipſos propugnare inimicos, domino videlicet LUDOVICO principi ſereniſſimo regis domini noſtri filio Aurelianenſi duci vendidit ſuo & ſuæ ſororis Philippæ nomine baronatum *de Coucy*, *La Ferre ſur Aiſne*, *& Marlo*, ſimulque omnes eorum pertinentias pretio quater centum millium librarum. Hoc actum anno Domini MCCCC. die XV. Novembris.

Et jus ſuum in villa & comitatu Sueſſionenſi.

16. Exorta exhinc pro parte dicti ROBERTI illius Mariæ filii litigatione contra ipſum dominum Aurelianenſem ducem ob venditionis prætactæ cauſam; ſed tandem eſt perventum inter partes ad accordum, ſicque præfata Maria, jam PHILIPPA prædicta ſorore ſua defuncta, venumdedit eidem Aurelianenſi domino jus ſuum quod habebat in villa & comitatu Sueſſionenſi & multis aliis terris & dominiis triginta mille ſcutis auri, cum aliis pactis quamplurimis & quittantiis hinc inde confectis. Specialiter cum onere per dictum dominum ducem ſuſcepto monaſterium iſtud perficiendi, in quantum illa juxta ſui patris inſtitutionem fundatoris tenebatur. Ipſeque dux debebat illam ex hoc reddere erga quoſlibet quittam. Et ſuper hæc littera fuit conſcripta anno MCCCCIV. die XXIII. in Maio.

17. Præmiſſorum accordi & venditionum litterarum, ſi ad noſtri juris probationem originalia cupis, invenies ea Pariſius in parlamenti regiſtris ſub datis & locis aptis. Sunt etiam intus monaſterium iſtud earum copiæ omnium in papireo quaterno ſcriptæ fideliter manu venerabilis patris F. G. Romani olim prioris noſtri.

18. Præterea jam ſatis heredibus fundationis ordinationem & ceteras donationes, ut præmittitur, nobis per dictum dominum *de Coucy* factas implere recuſantibus & ſolvere, contra eoſdem bene conſulti de jure, non obſtantibus quæ intus fecit dictus dominus dux operibus, ex ſupradicto per eum onere ſuſcepto, incepimus proceſſum Pariſius in curia parlamenti anno Domini MCCCC... in quo petivimus ea quæ in demanda, quam ipſi curiæ propoſuimus in hujus initio proceſſus, quam hic inſeram brevius, ut quod in futurum utile fuerit viſum, provideatur ſecundum tutum conſilium, dum tempus affuerit congruum, quoniam ad præſens aliquid intentare ſcias nihil prodeſſe propter

adverſæ partis duritiam : quæ pars promtior eſt eccleſiæ adverſari in hac parte quam propitiari. Sed, Deo opitulante, ipſis ſuccedent meliores eis, nobiſque favorabiliores atque catholici magis, qui juſtitiæ parebunt.

Libellus ſupplex Celeſtinorum oblatus Pariſienſi ſenatui adverſus hæredes Enguerranni.

19. *Afin que par vous nos ſeigneurs tenant le parlement du roy noſtre ſire à Paris, par le jugement de la cour ſoit declaré pour & au prouffit des religieux, prieur & convent de l'égliſe des Celeſtins de Villeneuve-les-Soiſſons, demandeurs d'une part, à l'encontre de dame* ISABELLE *de Lorraine vefve de feu prince de bonne memoire meſſire Enguerand* de Coucy, *& auſſi contre monſieur* ROBERT DE BAR *comte de Marle, & contre chacun d'eulx, tant que le puet toucher, deffendeurs d'autre part, que leſdits deffendeurs chacun d'eulx, pour le tout & pour moitié, ſoient contrains ou condamnez à faire faire édifier & achever oudit lieu, cloitre, chapitre, dourtere, refectœur, enfermeries, & chambres & lieux pour recevoir les hoſtes, & tous autres édifices neceſſaires, du moins pour douze religieux, leurs oblas, gens, familiers & ſerviteurs, en telle forme come doit eſtre ung bon & ſouffiſant monaſtere dudit ordre, & a inſtruire & garnir ledit monaſtere de tous uſtenſiles, meſnaiges, & autres choſes neceſſaires & accouſtumées à tels religieux, & qu'il a eſté ordonné par ledit feu meſſire Enguerand, comme cy aprés és articles ſera declairé. Ou pour ces choſes payer auſdits religieux la ſomme de dix mille livres tournois, que ladite moitié deſdits édifices couſteroient ou vouldroient à faire, ou telle autre ſomme que leſdits édifices pourroient couſter. Et à rendre & payer auſdits religieux la ſomme de ſept cens livres tournois, reſtant de la ſomme de mille livres tournois, que monſieur* de Coucy *deſſuſdit donna en la lettre de laditte fondation, pour acheter livres & autres ornemens, &c, pour laditte égliſe. Et acheter & delivrer auſdits religieux une bonne & honneſte maiſon admortie dedans la ville de Soiſſons pour eulx retraire en temps de guerre, & en laquelle ils puiſſent habiter honneſtement, & y faire le divin ſervice, ainſy qu'ils doivent & ont accouſtumé. Et auſſy tant de vignes ſemblablement amorties ou terroüer de Bucy, ou ailleurs environ, que yceulx religieux y puiſſent cueiller & avoir chacun an tant de vin qu'il leur ſera neceſſité pour leurs vivres & de leurs gens, ou leur payer & rendre pour leſdits hoſtel & vignes amortis la ſomme de deux mille livres Pariſ. au moins la moitié des choſes & ſommes deſſuſdittes, ou tant que raiſon ſera, & avec ce faire faire bailler & delivrer auſdits religieux aux depens deſdits deffendeurs une belle & notable croix d'argent peſant quarante mars d'argent, & au mars de Paris, ung encenſier, une paix, deux burettes, une pour mettre le vin, & l'autre pour l'eau, à chanter le ſervice divin, un plat d'argent à laver les mains du preſtre, & un bel & notable calice d'argent doré, & de bon & competent poids & façon, & tel qu'il appartient en un tel monaſtere & une tele fondation : & auſſi quatre paires d'aournemens complés & fournis de toutes choſes, tant pour le preſtre, diacre & ſoudiacre, dont les trois paires ſoient pour les communs jours, & la quarte pour les ſolennitez & grans feſtes. Ou pour leſdittes croix, encenſier, burettes, plat & calice, & les aournemens, ſoient contrains ou condampnez rendre & payer la ſomme de deux mille frans, ou la moitié de telle ſomme que les deſſuſdittes choſes pourroient couſter. Et oultre que leſdits deffendeurs & eſpecialement ledit monſieur le Comte ſoient contraints aſſeoir, & aſſigner & delivrer auſdits religieux deux cens livres tournois de rente annuelle & perpetuelle ſur la ville d'Amigny & ſur les autres plus prochaines terres qui furent audit feu monſieur* de Coucy, *le plus prouffitablement que faire ſe pourra pour leſdits religieux, ſi laditte terre ne ſouffit & & vault leſdittes deux cens livres tournois de rente, & que leſdittes deux cens livres tournois ſoient admorties des ſeigneurs* de Coucy, *du roy, & de tous autres qu'il appartiendra, aux depens dudit heritier, tellement que yceulx religieux & leurs ſucceſſeurs en puiſſent uſer & joir à touſiours paiſiblement, & payer auſdits religieux les arreraiges deſdites deux cens livres de rente. C'eſt a ſavoir laditte dame* CC. *livres pour chacun an depuis l'an* MCCC. *quatre-vingt & ſeize,* XVIII. *jours ou moys de Fevrier, ouquel jour ledit monſieur* de Coucy *treſpaſſa, juſques a l'an* MCCCC. *& neuf. Et ledit monſieur comte de Marle ſeul depuis l'an* MCCCC. *&* IX. *juſques au commencement de ce procés, & les arreraiges que depuis ledit commencement ſont eſcheus & qui eſcharront doreſnavant juſques à ce que leſdittes* CC. *livres tournois de rente auront eſté baillées, aſſiſes, admorties, delivrées auſdits religieux. Et ſemblablement que leſdits deffendeurs, ſpecialement ledit comte ſoient contrains & condampnez à rendre & payer auſdits demandeurs la moitié de* CC. *livres tournois pour une fois, & la moitié des frais & depens faits & encourrus par leſdits religieux en la pourſuite & l'admortiſſement de quarante-quatre livres deux ſols Pariſis de rente pour monſieur l'eveſque & chapitre de Soiſſons, & les faire tenir quittes envers leſdits éveſque & chapitre de la moitié de* XXIIII. *ſols Par. de rente, que ledit chapitre prent chacun an ſur ledit monaſtere, à cauſe & par le moyen de l'admortiſſement dudit hoſtel de Villeneuve & des terres dudit lieu, & de Baigneux, lequel admortiſſement ledit comte de Marle eſtoit tenu de faire faire come és articles de cette preſente eſt declaré. Et oultre que ledit monſieur le comte ſoit contraint & condampné à faire admortir par le roy & tous aultres qu'il appartiendra à ſes deſpens, la moitié des lieu, hoſtel & monaſtere deſſuſdits, & des terres de Villeneuve & de Baigneux, ou*

pour ce leur bailler telle ſomme qu'ils pourront couſter a admortir, & que leſdits deffendeurs ſoient condampnez és intereſts & dommaiges que leſdits religieux ont ſouffert & ſouffrent pour raiſon que les choſes deſſus demandées n'ont eſté accomplies & payées ſelon que ledit monſieur de Coucy *leur fondateur avoit donné & ordonné.* Et cetera multa quæ poteris videre in lectura articulorum præſentis demandæ, quam habemus intus monaſterium, quæ bene inſpecta elucidant jus noſtrum contra dictos heredes domini *de Coucy.*

Sequitur de geſtis per dominum Aurelianenſem tam ex ſuſcepto onere, quam ex ipſa ſua fundatione.

Ludovicus dux Aurelianenſis ſecundus monaſterii fundator.

20. Benedictus es Domine Deus, qui licet deſtituere videris bene cœpta, perficis tamen ea. Hoc quia cum per primi noſtri fundatoris deceſſum arbitraremur, dolentes inceptum hoc in ipſum monaſterium deſiniri funditus imperfectum: ſed tu, Domine, qui virtute tua nobis abſcondita in cœlo optime diſponis univerſa in mundo, ſuſcitaſti nobis pro fundatore primo fundatorem ſecundum ſingularem ordinis noſtri zelatorem; quem ſi annis mille quæſiſſemus, ſtudio præſtantiorem non inveniſſemus iſto: qui quidem ardentiori deſiderio quod imperfectum fuerat relictum, perfectum etiam in melius ipſe dominus Aurelianenſis dux reddidit in ſeriem quæ ſequitur. Confirmans in primis ſponte & ratificans omnia quæ præfatus dominus ENGUERANDUS per ſuam fundationis ſtabiliverat præſcriptam litteram. Sed & largius per unam cartam ſuam anno Domini MCCCCIV. & menſe Novembri ſcriptam, nos & omnes totius noſtri ordinis fratres atque bona exemit, francos & quitos in perpetuum fecit ab omni pedagio, hoc traducto, omnique ſimili jure forſitan in futurum imponendo ſibi & ſuis debito in cunctis terris ſuis *de Soiſſons*, *de Coucy*, atque etiam per ceteras ubicumque poſſideat terras.

Ædificia omnia perfici curat.

21. Et advenit protinus princeps peroptimus id quod promiſerat ad expediendum optativus, quoſdamque hic noſtros patres invenit atque paucillos cum ſe operarios, qui poſſetenus tam ex quatuor millibus librarum, quas domina MARIA DE COUCY ſupra tradiderat, quam aliàs fabricam ipſam continuabant. Vidit autem ipſe in negotio grande adhuc opus reſtare, nec eo formidans illud reſpuit; ſed utinam grandius foret appetebat, ut in perfectione illius mereretur peramplius. Confeſtim in civitates miſit nuncios, direxit ad villas per caſtraque ſervos coacervare quotquot ad fabricam opportunos cujuſcumque artis magiſtros. Applicant undique affluenter illi amplo de opere læti, lucrum ſcientes largum, ſecuri de ſolutione celeri ad actum ſe adaptant promte, & ſic expediunt quod infra annum quartum opus ipſum conſummant totum, eccleſiam videlicet muris lapideam, ardeſia tectam, in campanili cymbala tria, nominibus fundatorum ipſorum alternatim tranſcripta, in eaque eccleſia quatuor altaria optimo lapide poſita, circa quorum majus columnas quatuor æreas, cherubim deſuper ſulcientes, & unam columnam aliam ſuper altaris medio ad ſacro-ſanctam euchariſtiam cuſtodiendam. Sedilia ad miniſtros miſſæ repauſandos à latere ipſius altaris, atque pro fratribus in choro ex ligno ſumtuoſe, modo operata decoro; ſtratam pavimento eamdem eccleſiam quadratis lateribus & plumbatis. Vitras quoque in ambitu eccleſiæ feneſtris ſacriſtiæ & capituli diverſis reſperſas coloribus, formoſis ſanctorum effigiebus, & ſcutis fundatorum magiſtraliter compactas, libros perpulcros, miſſalia duo voluminis magni ſpecioſa, & aliud minus ſatis competens, quæ tria ſimul ad... libras Pariſ. appreciantur. Item, legendarium precio XXVII. librarum Pariſ. Pſalteria duo pulpoſæ & de longe legibilis litteræ, valentia.... lib. Par.... Item, quatuor antiphonaria pro ambobus choris, omnia unius voluminis magni val.... Item, unum antiphonale B. Mariæ ad cantandum in medio chori, in quo ſuntmiſſæ votivæ val.... Item.

Hic reliquitur amplum vacuum ſpatium, haud dubium ad ſcribenda omnia fundatoris dona eccleſiæ facta.

Deinde ſacriſtiam, capitulum & collationem contiguas de lapide voltatas ſupra, quas dormitorium; in eo XIX. cellulas omni utenſili, pro reſidendis tunc XIII. fratribus decenter munitas, atque cloacas illis conjunctas: indeque clauſtrum cum pilaribus duri lapidis pulcre compoſitum, & mire deſuper ligno lambrucatum, atque in illo mundum lavatorium, & deinceps refectorium ſubterque caveam, & ſupra deſpenſam ac coquinam ſuis ornatas menſis & decentibus vaſis; poſtremo aulas majorem unam aliam minorem, cum tabulis & bancis atque hoſpitum cameras cum lectis aptis, ſic quoque totum domus quadratum & ſupra illud ubique horrea ſatis diſpoſita complevit. Et eodem tempore priorem ſcilicet, F. P. Probi & XII. fratres per patrem noſtrum provincialem ipſius domini ducis inſtantia directos, quibus humilis & intimo zelo ipſe exiit obviam, & eos aſſocians quaſi Dei angelos huc venientes cum gaudio introduxit, qui ex tunc in Dei nomine incœperunt divina celebrare officia uſque adhuc continuata.

22. Jam fratribus in hoc conſtitutis loco, pius Dominus ipſis declaratis operibus & donis ſupra impenſis non contentus, ſed ex intima devotione ſua, præterea loci hujus fundationem auxit abundantius, per ſuam ut patet quæ inſcribitur litteram.

LOYS

LOYS *fils de France, duc d'Orliens, comte de Valois, de Blois & de Beaumont, & de Soiſſons, & ſeigneur de Coucy: Savoir faiſons à tous preſens & advenir, que nous pour le tres grand amour & ſinguliere devotion & affection que nous avons à la religion des Celeſtins, eſtant de l'ordre de S. Benoiſt, & aux religieux d'icelle, & eſpecialement au monaſtere des Celeſtins de la ſainte Trinité de Villeneufve lez noſtre cité de Soiſſons, de la fondation duquel nous avons prins la charge: & afin que eulx & leurs ſucceſſeurs ſoient tenus & obligez perpetuellement prier Dieu pour nous, notre tres chiere & amée compaigne la ducheſſe, nos enfans, predeceſſeurs & ſucceſſeurs, feux nos tres chers couſins meſſire* HENRI DE BAR *& meſſire* ENGUERRAND, *jadis ſeigneur de Coucy & comte de Soiſſons, nous avons ordonné & ordonnons par ces preſentes, ſi come autrefois avons fait en notre teſtament, que ſix freres religieux dudit ordre ſoient fondez & appliquez à la fondation dudit monaſtere, & pour la fondation, vie & ſuſtentation d'iceulx ſix religieux, & augmentation de l'office divin & dudit monaſtere, & auſſi pour conſideration de ce que nous avons fait dedier l'égliſe dudit monaſtere, & y fait mettre par ledit ordre en notre preſence ung prieur & douze freres religieux pour commencier à l'aide de Dieu & perpetuellement continuer oudit lieu & égliſe les heures haultes de l'office divin, afin que eulx, leurs ſerviteurs, ceulx qui venront & entreront en religion audit lieu, & leurs ſucceſſeurs puiſſent mieux avoir leur vie, ſuſtentation & neceſſitez, leur avons de certaine ſcience & grace eſpecial donné & aumoſné, & par ces preſentes donnons & aumoſnons quatre cens livres de rente annuelle & perpetuelle, & toutes admorties, come en tel cas appartient, pour laquelle rente acheter nous leur avons fait bailler en deniers contens la ſomme de ſix mille livres tournois. Et ce nonobſtant voulons que icelles quatre cens livres Pariſis ils ayent & prennent chacun an par égale portion aux quatre termes de Paſques, S. Jean-Baptiſte, S. Remy & Noël. Premierement, à la S. Remy prochain venant, ſur notre domaine de notre comté de Soiſſons, juſques à ce ſeulement que nous leur aurons icelles* CCCC. *livres de rente bien & ſouffiſamment aſſis aultre part en ladite comté ou environ, laquelle doit eſtre achetée dudit argent par nous a eulx baillé pour cette cauſe, come dit eſt. Et les chargeons ſeulement oultre l'office canonique d'un obit perpetuel, & d'une meſſe quotidienne & perpetuelle, qui ſera par eulx dite & celebrée à l'autel derrier le grand autel de ladite égliſe en noſtre chapelle, que nous y avons ordonné eſtre fondée en l'honneur & ou tiltre de S. Anne mere notre-Dame, des benoiſtes trois Maries ſes filles, de S. Marthe, Magdelaine, Catherine, Agnés, Agathe, Marguerite, Urſe, & de toutes les autres benoiſtes ſaintes martyres & vierges de paradis. Come ces choſes & aultres ſont plus à plain ſpecifiées & declarées és lettres par leſdits religieux & leurs ſucceſſeurs & ayant cauſe d'icelles, tiengnent & puiſſent tenir & poſſider à touſiours perpetuellement en leur main leſdittes* CCCC. *livres de rente, quant aſſiſes & baillées leur auront come admorties & en main morte, ſans pour ce payer aulcune finance à nous ou à nos ſucceſſeurs, laquelle nous par ces preſentes leur quittons & remettons plainement & abſoluement, & icelles* CCCC. *livres Pariſis de rente promettons faire admortir par monſeigneur le roy, & par tous aultres à qui il pourra appartenir. Si donnons en mandement à nos amez & feaulx gens des comptes, & à tous nos aultres juſticiers & officiers à qui il appartient, que leſdis religieux & leurs ſucceſſeurs, de notre preſente grace, donation & fondation, facent joyr & uſer paiſiblement & abſolument, ſans leur donner, ſouffrir ou permettre faire en ce aucun empeſchement aucunement au contraire: & que ce ſoit ferme choſe & ſtable à touſiours, nous avons fait mettre noſtre ſcel à ces lettres, ſauf en aultre choſe noſtre droit & mois l'autrui en toutes. Donné Paris ou d'Avril* MCCCC. *& quatre.*

In cujus ora ſive pede ſcribitur: *Per dominos de camera computorum dicti domini primo viſa. Expedita de expreſſo mandato dicti domini noſtri ducis.*

Hic deeſt unum folium.

23. Porro ex ipſius domini LUDOVICI gratia abundanti ſuum ſuſcepimus donum per bene authenticam cartam Pariſius ſcriptam anno MCCCCVII. in Auguſto, quod donum pro expeditiori modo hic declaro, ut in litteris ipſa notarum invenio. Novum Ludovici ducis donum.

Donnons aux religieux, prieur & convent des Celeſtins de Villeneufve un millier de fagoux à deux hars, & cent ſommes de buſches à les prendre & avoir dés maintenant chacun an perpetuellement par eulx & leurs ſucceſſeurs religieux dudit monaſtere, pour leur chaufaige & uſaige, en notre foreſt de l'Eſgle, ou duché de Valois; c'eſt à ſavoir, leſdites cent ſommes de buſches à la meſure de noſtredite foreſt de l'Eſgle, ou lieu toutes voies moins domaigable pour icelle foreſt, & plus prouſitable pour leſdits religieux par monſtrée & delivrance du verdier de ladite foreſt, & de ſon lieutenant. Si donnons en mandement, &c. Hujus doni jure fuimus ſæpe uſi, ut poſſumus per multa mandata & congenia a dicto domino vel ſuis conceſſa probare, ſed negligimus nunc, quod parum proficuum eſt computatis expenſis neceſſariis.

24. Dominus quoque idem donaverat pridem, ſcilicet anno Domini MCCCCII. in menſe Februario omnibus domibus & fratribus noſtri ordinis in Franciæ regno conſtitutis, ut portemus & affigamus ſuos penuncellos, quotiens & in omne venturum tempus, cum nobis congruerit, ſuper & in domi- Et privilegium.

bus, terris, & ceteris poſſeſſionibus noſtris, præcipiens ne ulla armorum gens in ipſis præſumat nocere ſub pœnis. Quin etiam quod forrarii vel proviſores ſui, necne quicumque alii non granum, non vinum, non pullos aut fœnum, ſive quidpiam in noſtris domibus & cenſariorum noſtrorum, etiam pro ſua propria & domus ſuæ proviſione aut ſuorum in poſterum ſucceſſorum temere capiant. Conceditque nobis & ipſis cenſariis noſtris hujuſcemodi generoſæ litteræ vidimus unum aut plura fieri, vim originalis in ſe habentia, ut poſſimus & noſtri ea firmius gratia tueri in omne tempus.

Ducis cædes. 25. Cum enim eſſet Pariſius cum domino ſuo rege dominus dux præfatus, quia frater ejus, & ſuæ domus merito in regimine primus, princeps, ipſe quia plenus pace ibi inermis cum ſimplici quo volebat comitiva, ut ſecurus ambulabat, & qui nulli nocuiſſe voluerat, ſic alios numquam nocere ſibi exiſtimabat. Sed ſuggeſtor malignus ſuos propulit diabolus diſcipulos, qui ſæva præ invidia vigiles excubias nocte captantes, perſæpe eum in vico tranſeuntem ancipiti infixerunt gladio graviter, ita quod defecit vita. Sed væ illorum, væ & corpori & animæ, ſcelus qui patrarunt tantum factum in vigilia S. Clementis in anno Domini MCCCVII. Fuit tamen quo decuit honore, & non ſine inaudito mœrore, inhumatus in capella ſua quamſpecioſa eccleſiæ fratrum noſtrorum Pariſius. Animam cujus contineat paradiſus. Fiat, fiat, per Dei miſericordiam.

Carolus dux ipſius heres. 25. Dominus CAROLUS prædicti Ludovici filius heres eſt ei ſubſtitutus: cui reddidimus terras *de Clamecy* & *Levri*, ipſas, ut ſupra patuit, per prædictum patrem ſuum a Raſſe pro nobis emtas nobiſque traditas tunc. Sed cum non valerent in proventu annuali ſummam CCC. librarum Turonenſium ſuper terris ipſis aſſignatam nobis in deductione CCCC. librarum Pariſienſium donatarum per dictum patrem pro fundatione, ut ſupra cavetur; cum etiam nec poſſent admortizari, ut nobis erat promiſſum fieri, quia de dominio plurium eccleſiaſticorum virorum & nobilium dependent in feudo, qui quovis modo noluerunt admortizare, propterea ipſas reſumſit dominus idem Carolus anno Domini MCCCCX. & die XVII. Februarii, qui pro illarum recompenſatione terrarum nobis aſſignavit CCC. libras Turonenſes, inſuper & & reliquas CC. libras Turonenſes ſuper receptas ſuas comitatus Sueſſionenſis & baronatus Couciaci, annuatim ad quatuor conſuetos terminos recipiendas de dictarum receptarum primis & expeditioribus denariis nobis ſolvendas per firmarios, & mercatores ipſarum quos præcipue vellemus eligere, ſic quod ipſi tenentur noſtræ eccleſiæ obligati ad dictam ſummam quolibet anno nobis perſolvendam. Ad hoc quoque explendum receptores ipſorum dominatuum debent dictos firmarios compellere, immo debent ipſi receptores nobis jurare non contra venire, pœniſque multari, ſi ſecus faciant, ut ceſſante qualibet difficultate poſſemus integre dictas ſummas recipere. Hic tractatus nobis erat perutilis, licet ſecutus ſit perinde effectus puſillus, propter variationes quas ſtatim videbis.

Fit captivus & in Angliã ducitur. 26. Nempe CAROLUS iſte ab hujus inveteratis regni hoſtibus in prælio eſt comprehenſus, & in Angliam tranſvectus, ibique annorum XXV. detentus tempore. Poſt cujus ad partes has reventum, nobiſcum fecit anno Domini MCCCCXLII. XV. Februarii die ſequentem tractatum. Verumtamen cum parum valde, illo quo captivus fuit tempore toto, poſſemus de dicta proxime CCCC. librarum Pariſienſium aſſignatione habere, ſupplicantibus nobis retradidit poſſeſſiones quæ noſtri occaſione fuerant a Raſſe jam fato emtæ, & ceteras etiam quaſlibet, quas idem dominus habet in locis ipſis de *Clamecy* & *Levri* ad titulum firmæ per nos tenendæ per XL. annor. tempus, finiendorum MCCCCLXXXII. in feſto Paſchæ. Hoc pro centum & viginti libris Pariſienſibus annualibus de dicta CCCC. librarum ſumma defalcandis, cum pactis quod, ipſo pendente ſpatio, debemus ſolvere onera ad quæ tenentur poſſeſſiones dictæ, & retinere in ſufficienti ſtatu domus & poſſeſſiones ipſas, niſi adverſans eventus guerræ vel ignis eas demolierit. Debemus autem & tradere ſingulis annis dictæ pactionis receptori ſuo Sueſſion. quittantiam de ipſis CXX. libris Pariſienſibus. Verum certe dicta firma, omnibus ſummatis penitus ex ea quæ poſſunt provenire nobis, non valet quolibet anno ultra LXXX. libras Pariſienſes etiam ad altiorem calculando taxam, attentis reparationibus quæ magnæ ſunt, hoc anno maxime, quo in ſtagno *de Vourant*, in curando expoſuimus XXX. libras, & in domo firmæ *de Clamecy* XIV. libras vel circiter reſtaurando ruinam. Ideo in æquo conſcientiæ deberet nobis dux reſtituere pro anno quolibet ipſius firmæ XL. libras Pariſienſes. Sed non imputetur noſtris patribus tam caram acceptaſſe firmam, cum melius fuerit ſic quam habere nihil.

27. Querimonia illico eidem domino pro noſtra parte exhibita contra ſuos receptores, Sueſſionis videlicet & Couciaci, nolentes debitas nobis CCCC. libras Pariſienſes ſolvi per firmarios receptarum ipſorum locorum nobis, ut præmittitur, extitit conceſſum per dictum ducem Carolum, immo ipſi receptores per manus ſuas de jam tacta CCCC. librarum ſumma ſatis paucas ſolvebant, dum eis placuerat, pecunias tantum inde quod idem dominus dux nobis debebat arreragia quam multa: & audita ſupplicationis quærela prædicta, per ſuum mandatum anno

Domini MCCCXLII. Februarii die XV. datum, præcipiendo injungit magistro generali suarum financiarum, quod faciat nobis per dictos receptores solvi dictas CCCC. libras Parisienses, secundum formam litteræ suæ, super hoc nobis supra factæ, id est quod ipsi receptores astringant firmarios solvere, deductis receptatori Suessionensi CXX. libris Parisiensibus, pro quibus habemus ad firmas dictas terras *de Clamecy* & *Levis* tempore ipsius firmæ tantummodo durante. Sed postmodum pro totali CCCC. librarum Parisiensium debebunt compelli, ut supra cavetur.

28. Sed quicquam nobis fuerit concessum per præmissas litteras, sive mandatum, numquam tamen potuimus sic agere quod solverentur nobis per dictorum firmariorum manus: verum per dictos receptatores recepimus anno quolibet istis temporibus, primo per illum *de Coucy* supra sua recepta centum librarum Parisiensium tantum, & hoc in pejoribus persæpe quas habeat assignationibus per nos prosequendis cum amplis laboribus & expensis, aliquando in cera, in vino, in piscibus, pro multis sæpius caro pretio per ipsum traditis. Per illum autem Suessionensem receptorem cum firma quam tenemus de *Clamecy* prædicta alia in anno XXIV. librarum Parisiensium cum maximo labore habemus solutas. Propter quod idem dominus in multis centenis libris est nobis obnoxius in arreragiis; sed suspicor quod eo vivente, cui det Deus bonam vitam, non melius habebimus; cum iteratis vicibus super hac re fuerit per nos supplicatum, nec tamen aliter, quidquid verbo curiali spondeat, curavit providere. Si tamen cum habuerit successorem, procuretur totis viribus, ut secundum prædictæ suæ seriem litteræ solvamur per manus dictorum firmariorum, quemadmodum nostri fratres de Amberto agunt Aurelianis in simili negotio, tunc bene erit nobis. Sane si hoc accuratius procuretur in futuro, ad hoc perveniemus dante Deo.

JOHANNIS IPERII
CONTINUATUM S. BERTINI CHRONICON (a).

Ex mss. codice inclyti monasterii S. Vedasti.

EUSTASIUS abbas LIV. cognomento *Gonier*, Flandrensis, de Insula nativus, hujus loci monachus, Waltero ad patres posito, est in abbatem electus, & per JACOBUM Morinensem consecratus. Qualiter autem in regimine suo vixerit, nihil nobis priscorum scripta commemorant: annis tamen tribus rexit; & obiit anno Domini MCCXCVII. quo anno PHILIPPUS rex Insulis, ut eam suo dominio manciparet, magno cum exercitu venit, & diviso exercitu, Robertum Artesii comitem cum militibus multis Furnis misit, ubi Flamingos vicit, & villam Furnis captam exspoliaramque igne consumsit, captivos suos ad S. Audomarum reclusit, in quo conflictu Audomarenses ei auxilium præbuerunt. Quo facto, Philippus rex totam sibi Flandriam quam diu afflictaverat, usurpavit, GUIDONEM Flandriæ comitem duobus cum filiis, necnon multis aliis Flandriæ nobilibus, ad se sub spe boni vocatos incarceravit. Corpus abbatis sepultum traditur ante aram Sebastiani martyris.

ÆGIDIUS DE ONINA abbas LV. Artesiensis, vir admodum religiosus, qui anno (promotionis) tertio de XXIV. libris Parisiensibus a Willelmo *de Niele* monacho atque subpriore conventui emtis, unam missam in dies celebrandam pro animabus omnium, per quos ecclesia aliqua bona habuit & possedit, & omnium fratrum tam vivorum quam defunctorum, cum collecta *Inclina*, instituit, octodecim libras de dictis XXIV. libris pro eadem assignando. Item de eodem lampadem in veteri monasterio de die noctuque arsuram ordinavit. Ipsius Willelmi *de Niele*, fratrisque sui Simonis ex eodem anniversarium instituit. Item, quod magistri conventus annis singulis coram priore, subpriore & aliis de conventu de omnibus bonis sibi commissis rationem reddant, & de illis bonis nihil alienare sine ipsorum licentia præsumant, præcepit. Ut omnia bona conventui appropriata in perpetuum permaneant, concessit. Circa cujus initium Brugenses se a Francis infestari dolentes, pro-

(a) Illud Chronicon habes in nostro Anecdotorum thesauro, tom. 3.

prio e ſolo eliminarunt, & multos ſua in villa qui fugere nequibant jugularunt. Quare ſæviſſimum bellum in Flandria, Francis eam impugnantibus, ortum eſt; & præcipue ante Curtracum, ubi ROBERTUS Arteſii comes cum LII. baronibus de nobilioribus totius Franciæ atque innumera multitudine Francorum ipſo die tranſlationis Benedicti, anno milleſimo trecenteſimo eciderunt. Eodem anno Flamingi ex tanta victoria ſuperbientes, ante ſanctum Audomarum, ut eam ſibi, ſicut totam Flandriam ſubjugarent, magno cum exercitu venerunt: ſed Audomarenſes eos ad propria redire coëgerunt, de Flamingis in paraſceve Paſchæ ultra quindecim millibus interfectis. Quo anno etiam ab Philippo rege Franciæ juxta Montem in Peulia expugnantur, ubi de Flamingis tot ecciderunt, ut campus mortuorum cadaveribus operiretur. Noſter Ægidius videns eccleſiam ex perturbationibus tantis facultatibus diminui, nimium triſtabatur, & quod ſui contra eum machinabantur religioſi, unde ordo periclitaretur, honori ceſſit & oneri, anno MCCCXI. regiminis ſui anno XIV. qui annis aliis XIII. cum penſione intus inter fratres honeſte vixit, & obiit anno Domini MCCCXXV. Clemente * in papatu vivente, qui ad requeſtam Philippi Pulchri eligitur Lugduni, & ex tunc ſedes Romana ad Franciam tranſlatatur, quæ illic annis LXXIV. ſedit, & in Viennenſi concilio Clementinas fecit, Philippo Pulchro in Francia regnante, & in Flandria Roberto filio Guidonis in regis carceribus defuncti militante.

* Immo Johanne XXII.

HENRICUS DE CONDESCURE in valle Caſletenſi abbas LVI. Ægidio huic eccleſiæ cedente præficitur, quam depauperatam in tantum invenit, tum propter diſcordias & litigia ſuum inter prædeceſſorem & conventum præhabita, tum ob detentionem injuſtam atque confiſcationem bonorum noſtrorum per Flamingos, atque eorumdem bonorum ob bellorum impetum deſtructionem, ac debitorum ſub uſuris contractorum compactionem, ut unde religioſi ſui vivere deberent hic non haberet, per domos noſtras in Flandria diſperſim alendos mittere coactus fuit. Et ut nonnulli ferunt, adeo depauperabatur eccleſia, ut ſi panem, cerviſiam, aut aliquid unde ſui alerentur habere voluiſſet, ſignetum ſuum piſtori, & braxatori fas fuit ut mitteret. PHILIPPUS Strabo Francorum rex hujus cœnobii condolens diminutioni, omnia hujus monaſterii bona temporalia extra Flandriam, quia per Flamingos alia detinebantur, de gratia ſpeciali ſua in manu rexit, ac cuſtodi ad hoc per conventum electo gubernanda commiſit, debitorum uſuras caſſavit, creditores de ſua ſorte contentos fore juſſit, & ut nulli nobis & fidejuſſoribus noſtris ad quinquennium moleſti eſſent mandavit. Demum devictis Flamingis in valle Caſletenſi per Philippum *de Valois* Franciæ regem, comiteque Flandriæ in ſuo dominio reſtituto, bona noſtra Flandrenſia nobis ſunt ex integro reſtituta; unde noſter abbas deperdita ſui monaſterii recuperavit, Palmam de *Popringhes* retraxit, Anianiamque acquiſivit, chorum per Guilbertum, de quo ſupra, ſumtuoſo opere incœptum, ſed præ nimia ſumtuoſitate incompletum, dejecit, & novum chorum anno Domini MCCCXXX. incœpit, & de conſenſu Morinenſis epiſcopi ſuique conventus bona competentia ad complementum ordinavit. Clauſtrum a domini parlamentorio uſque ad parlamentorium conventus cum capella S. Ludovici ædificavit. Item infirmariam, portam anteriorem cum cameris antiquis, duas turres in fine magnæ aulæ, domum de *Malvault*, & apud Arkas & Popringis plura ædificia inſtituit. Conventum ſuum, quem ſui in initio multum exiguum atque egentem invenit, ante ſuum exitum toto puroque in argento in refectorio ſervire fecit, ubi ſcutellas octuaginta, ſalſerios triginta quatuor, ſcyphos triginta ad hoc ordinavit. Ad cameram ſua omnia vaſa argentea appropriavit. Duo volumina pulchra Speculi hiſtorialis Vincentii ſcribere fecit. Repoſitorium Dominici Corporis in die Sacramenti deferendum dedit, baculum paſtoralem ab epiſcopo Attrebatenſi emit, cappam unam hiſtoria S. Silveſtri ornatam fieri fecit. Quinquaginta & tres monachos veſtivit, de quibus quinque abbates, duo ſcilicet hoc in loco, duo in Alciaco, & unus in S. Richario effluxere. Cujus in tempore per Johannem XXII. in Francia ſedem tenentem Clementinæ per Clementem quintum compilatæ publicantur, & ad ſtudia univerſalia mittuntur. Flamingi ſuum contra comitem machinantur, per Brugenſes Scluſa villa comburitur. Templarii per Clementem quintum deſtruuntur. Noſter Henricus regiminis ſui anno XXIV. moritur, & in choro ab ipſo incœpto ſepelitur anno MCCCXXXIV. Benedicto XII. eccleſiæ Dei in Francia præſidente, in Francia Franciſco *de Valois*, & in Flandria Ludovico *de Nevers* militantibus.

ALELMUS BRISTEL Bolonienſis de villa *Fneat* abbas LVII. per Henricum prædeceſſorem ſuum monachatus, & eo mortuo, quia vir induſtrioſus providuſque conſilio erat, in abbatem eſt electus, & ab epiſcopo Raimundo confirmatus. Qui Philippi *de Valois* & Johannis regum Franciæ conſiliarius extitit, cujus in tempore reſervationes beneficiorum per Clementem VI. ortum habuere, bellumque illud diuturnum atque immane, nec [per] papam ſedandum, inter PHILIPPUM DE VALOIS ex una, & EDUARDUM Angliæ regem ex altera parte, prætendentem jus in regno Franciæ, furiit: unde innumera mala per totam Franciam, Picardiam, atque Flandriam evenere, & cum diverſis congreſſibus pu-

gnatum esset, scilicet apud Scluſam, ubi Franci cum navibus multis perierunt, & in *Creſſi*, ubi Ludovicus comes Flandriæ cum regibus atque Francis multis ceciderunt; tandem juxta Pictavum JOHANNES Francorum rex cum Philippo filio ſuo juniore per principem *de Galle* capitur, & ad Angliam deducitur, pro quorum redemtione pecunia in Arteſia colligitur, ad quam colligendam ALELMUS noſter abbas per Francorum regem ordinatur, qui annis IV. dictam collectam exercuit, & tum ab eccleſiaſticis ultra centum XXII. millia VIII. c. XVIII. regalium aureorum dicta pro deliberatione dictis annis recepit, annoque quarto obiit: quare computum ſuum reddere minime potuit, ad quod reddendum ſucceſſor ejus JOHANNES per Franciæ regem compellitur. Et omnibus poſitis & deductis, Alelmus plus recepiſſe quam dediſſe ſeptem mille XXVII. regales aureos invenitur, demtis XVI. c. regalibus aureis ſuo pro labore & ſalario, videlicet annis ſingulis, IIII. c. ſibi quittatis & omiſſis. Ad quæ IIII. c. hæc eccleſia annis ſingulis dicta pro redemtione taxata exſtitit, quæ Alelmus ſuis in ſcriptis pro ſoluto firmavit. Hic comiti Flandriæ affiſias & impoſitiones generales apud Poperinghos aſcenſiit, & de emolumentis duas partes comiti tamquam ſupremo, & tertiam ſibi attribuit. Cum Raimundo Morinenſi epiſcopo de baculo petente & hircinis pellicibus in Paraſceve Paſchæ dandis concordiam fecit. Contra Johannem de Monte-corneto, quod Baſivarneſto non ſit prioratus, ſententiam obtinuit. Iſtius in tempore Caleſium ab Anglis undecim menſibus obſeſſum vi capitur, & Scoti ab his qui Edouardi auſpiciis in Scotia militabant ſuperantur. JOHANNES rex Francorum in Anglia moritur, & in Francia tumultus populi pullulat, & per Anglicos Francia vaſtatur. Tandem Eduardus cum Francis pacem facit, & ducatum de *Ghienne*, & comitatum de *Ponthieu*, *de Potiers*, *de Ghincs*, villam *de la Rochelle* dictam pro pace abſque omni homagio regi de illis faciendo accepit. Noſter Alelmus poſtquam annis XXXII. præfuiſſet, & circa ædificium novi chori ab Henrico incœptum diligens profecutor extitiſſet, ſpiritum efflavit in auras, anno Domini MCCCLXV. Urbano V. papatum in Francia tenente. Hic apoſtolorum capita diu quæſita reperit, & in Lateranenſi eccleſia collocavit. Regulam beatæ Brigittæ a Chriſto compoſitam juſſu Domini confirmavit, Carolo filio Johannis in Francia regnante, & in Flandria Ludovico *de Male* principante.

Cognomento. JOHANNES quintus Longus, de Ipra tertius, abbas LVIII. ſub Henrico monachus, & ab Alelmo ſuo prædeceſſore Pariſius ſtudendi cauſa eſt miſſus. Qui philoſophiæ, theologiæ, decretorumque ſcientiis imbutus, ad monaſterium revocatur, & fratribus verbum Dei prædicans in capitulo, a cunctis diligitur, eique cura forenſium cauſarum committitur. Demum denuo Pariſiis juris canonici gradu honoratur. Interea Alelmus moritur, quare revocatus Johannes, omnium votis, Spiritus-ſancti voce, in Annuntiationis beatæ Mariæ vigilia in abbatem eligitur, & poſt paſcha cum litteris ſuis commendatitiis regis Franciæ, Ludovici comitis Flandriæ, ac doctorum ſtudii Pariſienſis, ad Urbanum V. Avenionem ſui pro confirmatione proficiſcitur, a quo & grate ſuſcipitur, quæſitaque ſua ad optatum expediuntur, tum quia Urbanus hunc Pariſius in decretorum exercitio alumnum habuit, a quo etiam eccleſiam iſtam pro ſervitio cameræ apoſtolicæ ad octingentos florenos, cardinalibus contradicentibus & in quantum poterant reſiſtentibus, taxari ac regiſtrari procuravit. Quare eidem Urbano anniverſarium ſuum ſingulis annis hic celebrandum, ſcilicet ante Natale Domini obtulit. Quibus expeditis, Johannes abbas, etſi non faciliter propter prædones Burgundiam occupantes, ſuis cum litteris in vigilia Trinitatis ad domum noſtram de *Salvervvinch* venit, & in vigilia Sacramenti jocunde in ſuam eccleſiam introitum fecit, qui ſuo a conventu cum ſolemnitate recipitur. Ejus tamen in ingreſſu convivium ſolemne conſueto more non paratur. Hic receptus eccleſiam ſuam in tertiæ parte omnium bonorum diminutam reperit, & per venditiones ad vitam in quatuor millibus & triginta libris Pariſienſibus in pecuniis, & ad DCCCCLXXXVIII. raſerias bladi, in puris undiſiis debitis, in XLII. millibus Francorum auri obligatam invenit. Qui ſciens ſuæ eccleſiæ ſtatum, omnes vaſallos ac infeodatos ſuos ad ſe vocavit, & ut quilibet homagium præberet de eo quod teneret indixit. Quare feoda multa deperdita recuperavit, occultata vero in lucem produxit, & omnium illorum regiſtrum a centum annis de novo ſcripſit, noſtraque feoda de conſenſu conventus, ut judices ſuis in villis haberent inſtituit. Cum comite Flandriæ ſuper affiſiis de *Popringis* ab ſuo prædeceſſore Alelmo conceſſis altercationes habuit, ad tertiam partem, quam Alelmus ſibi retinuerat, conſenſum non præbuit; ſed cum comite, licet per vim, ſuper dimidia parte conventum habuit; & ſic hactenus media pars eccleſiæ mediaque comiti manſit, a quo privilegia prædeceſſorum Flandriæ comitum ſuper navi de Popringis confirmari impetravit. Et ſic navigium de Popringis CL. annis prætermiſſum innovavit, adeo ut a tota Flandria uſque Popringis libere navigare poſſit. Circa quod navigium cum Popringenſibus conventiones multas habuit, & de emolumentis navigii mediam partem Popringenſibus, mediam ſibi reſervavit.

Anno ſui ſecundo ſuper redditione com-

poti domni Aelmi regis pro redemtione per ipſum facti Pariſius mandatur, & ſuis excuſationibus repulſis, compoti labyrinthum intrare compellitur: in quo omnibus poſitis & deductis, Aelmus plus recepiſſe quam dediſſe ſeptem millia viginti ſeptem regales aureos in compoti concluſione reperitur, ut ſupra de Aelmo patuit, quam ſummam eodem anno Johannes ſolvit. Anno ſui tertio cum ADEMARO Morinenſi epiſcopo litigia tria habuit. Primum, quia bannitos noſtris ex terris ad propria loca auctoritate propria reducere voluit. Secundum, quia noſtrum abbatem venire ſicut alii prælati compellere intendit. Tertio quo abbatem noſtrum ſtilum ſuum cum epiſcopo ſcriberet, *ſalutem cum omni reverentia* mutare, & loco ſalutis ſubjectionem ponere nititur. In quibus omnibus noſter Johannes eum devicit, & ceſſum huic eccleſiæ litigii cauſa per ipſum impoſitum, appellatione interjecta, annullavit. Contra dominos de Bancho, hujus villæ ſuam eccleſiam violenter obſidentes, & unum malefactorem *Quaethaudkin* ſuo de monaſterio per vim extrahentes, ſententiam obtinuit; dictos vero ad reparationem faciendam coëgit. A Carolo Francorum rege DCC. libras Pariſienſes cauſa decimæ eidem a ſede apoſtolica conceſſæ debitas, ob hujus eccleſiæ depauperationem quittari procuravit. Cujus in tempore per Anglicos tota iſta provincia depopulatur, & Arkas comburitur, & de familia abbatis ad eam tuendam miſſi XXXVII. ab Anglis capiuntur. Caſtellum S. Audomari a ſexdecim captivis Anglicis illic jacentibus ruptis carceribus capitur, illudque tenere nituntur: ſed a civibus ante veſperum recuperatur. Gregorius XI. ſedem ſuam de Francia Romæ antiqua in ſede repoſuit. Quo mortuo, Urbanus VI. eligitur; ſed cardinales Franciæ ſedem apoſtolicam iterum ſuam in patriam trahere nitentes, CLEMENTEM ſeptimum elegerunt, & annis XL. iſtud ſchiſma continuarunt. Et quia dicto in ſchiſmate Clementi ſeptimo ſuiſque ſucceſſoribus Francis tota cum Francia adhæſimus, bona noſtra in Colonia, tamquam bona ſchiſmaticorum per Urbanum VI. confiſcantur, & per XXVI. annos uſque ad Alexandrum V. a Colonienſi archiepiſcopo tenentur. PHILIPPUS AUDAX dux Burgundiæ Margaretam Ludovici comitis filiam uxorem duxit, qui Bethuniam villam dedit, ut Scluſam ſibi magis propriam acciperet. Noſter Johannes abbas quantum potuit ſuæ eccleſiæ donec vixerit profuit: ſed ob guerras Anglicorum, Francorum, Flamingorum tumultuationes, pro voto eam in deperditis reſtaurare minime potuit. Tandem regiminis ſui anno XVIII. ſpiritum emiſit anno Domini MCCCLXXXIII. & in capella beati Dionyſii juxta Johannem III. de Ipra ſecundum ſepelitur, cujus in anniverſario conventus quatuor pota vini confecti, quod clare vocant, a cuſtode eccleſiæ de gratia accipit, Urbano VI. Romam & Clemente VII. in Francia papatum tenentibus, Carolo in Francia, & Ludovico *de Male* in Flandria militantibus.

JACOBUS III. Bolonienſis de villa Condeta abbas LIX. vir prudens, Johanne ſublato de medio, in abbatem eligitur, & Tornaci benedicitur, & feria tertia ſequente in monaſterio recipitur, qui illud miſerrimo in ſtatu prædeceſſorum reperit, & de omni recepta illius anni niſi MDCCCCLII. lib. VI. ſolidos libere ad burſam invenit, tum ob guerrarum perturbationes, tum ob redituum ad vitam ſcilicet MMCCCXVIII. libr. IV. ſolidi monetæ regis annuam obligationem, tum propter bonorum noſtrorum in Flandria detentionem a quodam Jacobo *Scotellare* monacho hujus loci, ſed fugitivo poſt iſtius Jacobi electionem, & in ſchiſmate Bartholomæo antipapæ adhærente. Qui Jacobus *Scotellare* dum intro eſſet, officium cuſtodiæ eccleſiæ, & *Oxelare*, *Ikelbeke*, *Broxele*, & hoſpitarium cum aliis parvis receptis gerebat, quæ omnia dum fugeret pro pecunia obligavit, & quæ de illis receperat ſecum portavit. In abbatem hujus eccleſiæ ſe benedici fecit, & pro abbate per totam Angliam & Flandriam ſe geſſit, bona noſtra de Anglia ad tres vitas vendidit, quam venditionem ſigillo ſuo tamquam abbatis, & ſigillo conventus, quod adulteraverat, vallavit. Multa damna huic eccleſiæ intulit. Tandem ad Angliam ſe tranſtulit, illicque vitam finivit. Jacobus abbas ſui in principio ſtatum eccleſiæ perſcrutatus eſt, & eam obligatam in promta pecunia ad duodecim millia ſeptingentas octuaginta quinque libras Pariſienſes repperit. Creditores vero ipſam eccleſiam propter ipſa debita moleſtantes invenit. Quorum moleſtiam ferre non valens, neceſſitate ductus, eccleſiam ſuam ultra illa quæ annis ſuis primis repererat ad vitam vendita in mille octodecim libras XVI. ſol. Pariſ. annuo ad vitam obligavit, & IX. mil. XXXI. lib. VI. ſol. monetæ regiæ dicta ex venditione recepit, ex qua pecunia creditorum eſuriem mitigavit, & deinceps ſtatum ſuæ eccleſiæ ad plenum cognovit, ſecundum quem ſic ſe in expenſis penſionibuſque regulavit, ut ei redituarii ſua ſpe minime fruſtrarentur, & ſuus conventus abſque murmure aleretur. Anno ſui circiter decimo clauſtrum ab Henrico incœptum ædificare cœpit, & majori pro parte perfecit, domum ..... & coquinam renovavit, chorum & preſbyterium ampliavit, chorumque ipſum & capellas pavimento ſtravit, doſſalium ligneum imaginibus antiquis ac deauratis ornatum poſuit. Hallam de Poperingis incœpit ac conſummavit. In *Kelmes* fortalitium quoddam fieri mandavit, multum apud Arkas & *Re-*

queſtor ædificavit. Novum vivarium retro granarium conſervatorium de conſuetudine luciorum magnorum de novo fodit. Imaginem de Joſſio cum roſis quinquè fieri fecit. Bullam pro conferendo ſex beneficia a papa & privilegium omnium privilegiorum noſtrorum confortatorium a rege Franciæ impetravit, coram quo miſſam intus cantavit, & capellanis regiis x. libras pro curialitate dedit. XXX. & IV. monachos duoſque converſos hic ſui in principio invenit, quibus XL. monachos & IV. converſos adjunxit. In camera abbatis CXX. & quatuor marcas argenti ultra XXXIV. marcas ſui in principio repertas poſuit. Receptam eccleſiæ de MDCCCC. LII. lib. VI. ſol. ad X. mille CCCC. XLII. lib. XII. ſol. ſuum ante exitum auxit. Conſtitutiones multa honeſtate refertas cauſa brevitatis hic non recitatas, multis tamen aliis libris reperiendas, anno ſui XXII. fecit. Annis ſingulis miſſam unam ab quolibet ſacerdote & ſeptem Pſalmos pœnitentiales a juvenibus cantari pro ſe ſuiſque duobus ſucceſſoribus immediatis ordinavit, pro quibus ſacerdotes ii & juvenes vinum a magiſtro conventus accipiunt; certificatione prius facta in capitulo. Eleemoſynam propter bona eccleſiæ deperdita diminutam in magna ſui parte reſtautavit. Promtuaria ac granaria monaſterii in victualibus panis & vini pro anno uno integro & amplius ſuo in deceſſu proviſa reliquit. Mofitur autem Jacobus paſtor bonus plenus dierum annorum octoginta vel circiter, anno Domini MCCCCVII. regiminis ſui anno XXIV. Februarii II. duobus ſcilicet Benedicto XIII. & Gregorio XII. pro papa ſe gerentibus, in Francia Carolo VI. *de Valois* regente, & in Flandria Johanne, qui ducem Aurelianenſem interimere fecit, tempore deceſſus iſtius Jacobi principante.

JOHANNES VI. cognomento *le Bhegre*, de Arkas nativus, abbas LX. in cathedra S. Petri eligitur abbas, & Junii 27. ſuo in monaſterio jucunde recipitur. Qui ideo in electionis ſtatu tamdiu ſtetit, donec concilio eccleſiæ Gallicanæ Pariſius celebrato, neutralitas obedientiæ; quia duo pro papatu contendebant, in toto regno Franciæ & Delphinatu declararetur. Ob quam neutralitatem ab epiſcopo Morinenſi, non a papa; quia cui potius eſſet obediendum neſcitur, confirmationem dictus Johannes obtinuit. In cujus ingreſſu conſtitutiones, obſervantias, modumque vivendi bonæ memoriæ Jacobi ſui prædeceſſoris uno in libro fratres obtulerunt, juramentum ſuper dicto volumine inſequendo ab ipſo requirunt. Qui Johannes juramentum debitum a fratribus libenti animo aggreditur, & ſuo in regimine dictas conſtitutiones obſervantiaſque pro exemplari amplexatur. Ædificationes a ſuo prædeceſſore incœptas continuavit. Clauſtrum ab Hentico incœptum complevit, pavimentoque ſtravit. Libriarium ac veſtiarium incœpit & perfecit. Novum chorum plumbo cooperiri fecit, feneſtras vitreas imaginibus duodecim apoſtolorum ac beatæ Mariæ ornatas illic poſuit. Partem crucis eccleſiæ juxta gardinum cum parva turre incœpit ac conſummavit. Magnum candelabrum æneum in choro repoſitum cum quatuor columnis æneis juxta altare cum angelis ſuper deauratis, angelumque æneum ſuper quem leguntur evangelia conflavit. Circa fortalitia de Arkas & Aguin multum ædificavit. Vivarium vicinum domui de *Hames*, & alium juxta vivarium elecmoſynæ de novo fodit. Vaſa tria argentea deaurata reliquiarum repoſitoria acquiſivit. Contra Johannem *Glachon*, non noſtro de conventu in abbatem Alciacenſem electum, ſententiam in curia Morinenſi obtinuit: quem poſtmodum tum ex pacto tum ex Martini V. proviſione ſua in poſſeſſione pacifice reliquit. Cujus in tempore baſtilla, ad Anglicos in Valleſia expugnandos, hic in gardino repoſita a quodam Anglico ignem arcu trajiciendo comburitur, ex cujus incendio domus gardini ac plumbarii cremantur, feneſtræ eccleſiæ vitreæ calore ſcinduntur, quæ omnia Johannes ſuo in tempore reſtauravit. Franci propter mortem ducis Aurelianenſis Picardiam, rege inſcio, pro magna ſui parte depopulantur. Anglici totam fere Normanniam ſibi ſubjugarunt. In *Azincourt* ipſo die Criſpini & Criſpiniani Francos devicerunt, Pariſius a domino de *L'iſle-Adam* capitur & dominio Johannis ducis Burgundiæ ſubjicitur. In concilo Conſtantienſi tres pro papatu contendentes deponuntur, & Martinus V. indubitatus papa creatur, & ſic ſchiſma XL. annis continuatum finem ſumſit. In quo concilio bona plura inſtituuntur, univerſæque eccleſiæ Franciæ ad dimidiam taxam ſervitii cameræ apoſtolicæ reducuntur, qua de re eccleſia iſta ad DCCC. florenos tempore Johannis V. de Ipra cum difficultate taxata, ad CCCC. florenos per dictum concilium taxatur, qua taxatione Alardus *Trubert* & Johannes de *Tribouai* iſtius ſequaces gaviſi ſunt, ut per quittantias noſtra in theſauraria repoſitas, & in regiſtris curiæ Romanæ regiſtratas patet. Noſter Johannes monaſterium in annuis redditibus auctum, in obligationibus ad vitam de MCC. libris & ultra diminutum relinquens, anno regiminis ſui XIII. diem clauſit extremum, anno Domini MCCCCXX. Quo anno Johannes Burgundiæ dux contra fidem juratam proditorie jugulatur. Martino V. in unione Dei eccleſiam regente, in Francia Carolo benedilecto gubernante, & in Flandria ac Burgundia Philippo Johannis filio militante.

ALARDUS TRUBERT abbas LXI. Hic primo hujus loci fuit granitarius, poſtmodum Alciacenſis abbas, demum huic loco præficitur,

qui cccc. florenos tantum ſecundum ſtatutum concilii Conſtantienſis pro ſervitio cameræ apoſtolicæ ſolvit, ut ſupra patuit. Hic toto ſuo tempore licet parvo, in ædificiis ſuis a prædeceſſoribus incœptis, ſcilicet novo choro, croſia juxta clauſtrum atque aliis diligens proſecutor extitit, lavatorium in refectorio fieri fecit, privilegium Calixti II. de electione abbatis a Martino V. interpretari, & demum innovari impetravit. Confeſſionale a pœna & culpa in mortis articulo, tantum ſuis pro religioſis, illo pacto quod omni feria VI. jejunent, obtinuit. Domum *de Hulnoi* & columbarium fecit, quæ poſtmodum anno MCCCCLXIX. a Francis cum domibus noſtris aliis circumvicinis combuſta ſunt. Domum *de Coyergne* incœpit, ſed minus perfecit. Imaginem beatæ Mariæ argenteam & deauratam acquiſivit, ſex libris Pariſ. emit. Circa cujus initium vehemens ignis in camera Johannis *de Gribonal* granitarii furiit, qui multa privilegia vaſaque argentea ob defectum celeris ſubſidii conſumſit: qua de re ut facilius de cetero, ſi contingat, quod Deus avertat, obvietur, LX. ſitulas de corio in dormitorio repoſitas fieri juſſit. Cujus in tempore PHILIPPUS dux Burgundiæ cum rege Angliæ de morte patris ſui Johannis vindictam ſumſit, caſtellum *Monſtereau*, in quo pater ſuus fuit necatus vi cœpit, corpus patris ſui abſtulit, & ad Burgundiam in *Digeon* cum ceteris Burgundiæ ducibus ſepeliendum miſit. Juxta Abbatiſvillam Francos devicit, villas caſtellaque multa per Franciam ſibi ſubegit, & adeo viriliter patris mortem vindicavit, ut qui Francum ſe nominari auderet vix fuerit. Noſter Alardus regiminis ſui anno V. eccleſiam ſuam in annuis redditibus non diminutam ſed auctam, obligatam ad vitam de antiquo ad DCVII. lib. relinquens, apud Arkas XXV. Auguſti moritur, & hoc in monaſterio magna cum reverentia ſepelitur, anno Domini MCCCCXXV. Martino quinto, ſceptra Petri tenente, in Francia Carolo *de Valois* regnante, in Flandria ac Burgundia Philippo duce principatum tenente.

JOHANNES VII. DE GRIBOUAL abbas LXII. mortuo Alardo, voce S. Spiritus primum eligitur, ſed contradicentibus nonnullis, electio ceſſat, deinde via compromiſſi proceditur, & ſic prima electio ratificatur, huicque loco præfectus, a Martino V. confirmatur, & in feſto S. Clementis ſuo in monaſterio jucunde recipitur. Qui niſi quadringentos florenos aureos pro ſervitio cameræ, uti ſuus prædeceſſor ſolvit. Hic anno ſui ſecundo ad inſtantiam aliquorum de ſuo monaſterio, quia, ut ferunt, levis ſenſu fuerat, a vicariis Morinenſis epiſcopi, coram ſuo conventu in capitulo ab adminiſtratione temporalium & ſpiritualium deponitur, & duobus religioſis eccleſiæ regimen committitur. A qua depoſitione ad ſedem apoſtolicam viva voce A voce appellavit. Et quoniam ſuis proximis & conſanguineis plus juſto favebat, bona eccleſiæ epiſcopis diſtribuendo, ſub tutela ſuo in regimine aliquandiu ſtetit: ſed ad ſe reverſus, quæ ordinis fuerant in omnium ſucceſſorum exemplum toto niſu adimplevit. Omnibus diebus miſſæ beatæ Mariæ, majoribus miſſis, horis veſpertinis, cum ceteris cantans interfuit. In magnis duplicibus, magnis ac parvis principalibus feſtis vice hebdomarii officium in miſſa, matutinis, utriſque veſperis complevit. Sua in menſa duos religioſos conventuales ſecundum beati Benedicti regulam in dies mandavit. Non ſumtuoſus in veſtibus, ſed ſicuti infantes de ſchola, ſubtus indutus extitit. Plures cappas blaveas liliis coroniſque aureis ornatas, operatio hoc in monaſterio retento, fieri fecit. Circa altaris ornamenta non mediocriter honeſtus fuit, croſiam eccleſiæ ab Johanne VI. incœptam cum feneſtris conſummavit, novam eccleſiam anteriorem cum turri fundavit, pontem ante monaſterii portam dilatavit, platea publica a vinculo S. Johannis uſque ad pontem ob viæ turpitudinem ejus adminiculo lapidibus ſtrata fuit, adminiſtrationem de Arkas, decimam de *Fontaines* præpoſituram de *Coyecque*, domum Stateræ in Popringhis & feodum de Corahinis, ac mitram unam imaginibus lapidibuſque pretioſis ornatam acquiſivit. Organa parva ſuper doſſale fieri fecit. Altaria novi chori ac omnium capellarum per circuitum benedici procuravit. Fratrum veſtiarium ſacerdotibus de XL. ſolid. juvenibus de XXX. ſolid. annis ſingulis augmentavit, novum luminarium inſtituit, ſcilicet in capella Aſſumtionis beatæ Mariæ omnibus magnis principalibus feſtis ſeptē candelas de quarterio in miſſa B. Mariæ in dies dicenda? quatuor de quarterio in ſingulis B. Mariæ feſtis in capella Annunciationis tres de quarterio & omni die ſabbati unam; in quindecim proceſſionibus ad capellas, in qualibet mediam libram ceræ loco unius quarterii prius inſtituti; in capella beatæ Mariæ Magdalenæ duodecim libras certis in feſtis quatuor lampades, unam ante capellam S. Sebaſtiani, ſecundam ante capellam S. Stephani, tertiam ante capellam beatæ Magdalenæ, & quartam ante capellam beatæ Catharinæ ordinavit, XXVII. libris XII. ſol. diverſis in locis, dicto pro luminari ordinatis. Cujus in tempore concilium Baſileenſe quod eccleſiam in capite, & in membris reformare voluit, celebratum eſt, in quo Johannes duos hujus loci religioſos miſit, qui illic in tanta reverentia ſunt habiti, ut concilii ſigillum illis fuerit commiſſum. Quod concilium Eugenium a ſtatutis Conſtantienſis deviantem depoſuit, ac Felicem V. in papam creavit, quare uſque ad Eugenii mortem ſemper ſchiſma in eccleſia fuit. Pax Attrebatenſis inter regem Franciæ

&

& Philippum ducem Burgundiæ de ſui patris morte facta fuit, qui contra Anglicos cum Francis concordare volentes, exercitum ducunt, Caleſiumque obſident. Sed milites mutuis diſcordiis agitati inacti ad propria redierunt. Quare Anglici de Caleſio erumpentes per Flandriam, partemque Picardiæ depopulando, comburendo, graſſantur, & inter cetera villas *Popringhes* & Arkas ab ipſis cremantur: quæ per noſtrum Johannem pro majori parte reformantur. Feſta IV. evangeliſtarum & doctorum de duodecim lectionibus ad parvum duplex ſuum ante obitum Johannes abbas auxit. Qui eccleſiam ſuam ab omni debito liberam omnibuſque bonis refertam relinquens, regiminis ſui anno XXII. plenus dierum diem clauſit extremum, anno Domini MCCCCXLVII. ſchiſmate inter Eugenium & Felicem V. durante, in Francia Carolo VII. regnante, & in Flandria Philippo militante.

JOHANNES DE MEDOM, de Ipra oriundus, abbas LXIII. voce S. Spiritus, nemine contradicente, XVIII. cal. Sept. eligitur: quam electionem PHILIPPUS Burgundiorum dux, ſuum volens conſiliarium, GUILLELMUM ſcilicet Virdunenſem epiſcopum, hujus Johannis ſucceſſorem, huic præeſſe monaſterio, litteris ſua propria manu ſcriptis impedire nititur, quare hujus Johannis confirmatio prorogatur. Tandem a dioceſano confirmatur, & in vigilia S. Martini hyemalis læte a ſuo conventu in monaſterio recipitur, lætiuſque cetera tali in receptione agenda conſummantur. Qua in die piſcatoribus noſtris ſueto more apud..... dicti abbatis pro ingreſſu piſcantibus, tantæ magnæ carpæ luciique capti ſunt, quantæ nec hominum memoria capi poterat: unde admiratione nimia omnes percelluntur: Deo tamen factum attribuunt, & ei gratias agunt, qui ſuum paſtorem ſic inviſere dignatus eſt. JOHANNES ſic in ſuo monaſterio receptus, illic per decem fere menſes, non tamen pacificus, ſtetit, quia dictus GUILLELMUS epiſcopus Virdunenſis, Philippo duce ſibi favorem præbente, ſuis in negotiis ſollicitare non diſtulit. Diſtuliſſet quidem, ſi expenſas in hujus rei proſecutione per ſe factas a noſtris obtinere meruiſſet; ſed noſtri trepidantes ubi non erat timor, æſtimantes in ſimoniæ labe ſe caſuros, ſi vexationem pecunia redimerent: ignorantes dictum Johannis Andreæ poſt Hoſtienſem in c. *Dilectus*, 1. extra *de ſimoniis* ubi dicit, quod ad redimendum vexationem licet aliquid dare pro jure quæſito ſervando, non pro jure novo quærendo, dictas expenſas dare, non in parvo hujus eccleſiæ damno formidabant. Quare PHILIPPUS Burgundiorum dux volens negotium a ſe inceptum forciri effectum, in decimo hujus Johannis menſe hoc eſt in Auguſto, cum bullis apoſtolicis dictum epiſcopum Guillelmum hoc in monaſterio ſecum adduxit: qui dux ſuam electionem firmam ſtabilemque tenere volens, in ira magna atque furore locutus eſt, & lectis bullis, cui magis obedire vellent, an ſummo pontifici aut alteri, conventui quæſivit; tunc fere omnes obticuerunt. Tandem papæ obedire & furorem iramque principis mitigare volentes, a ſua electione recedunt, & dictum Guillelmum epiſcopum in hujus loci adminiſtratorem receperunt, Johanne *de Medon* electo ac vero abbate, cum magnis hujus eccleſiæ theſauris ac clenodiis, Pariſius exiſtente, & jus ſuum cum aliquibus de monaſterio proſequente. Dum vero dictus epiſcopus per ſex vel ſeptem hebdomadas in adminiſtratione ſtetiſſet, ſuo rogatu a toto conventu in monaſterio exiſtente, in verum abbatem poſtulatur, qui poſtulatus Romam petiit, poſtulationemque de ſe factam a Nicolao V. admitti impetravit. Et ſic duo iſta in eccleſia, non in parvum hujus eccleſiæ damnum, jus prætendebant, & mutuis vexationibus. Noſter vero electus Johannes dolens eccleſiæ nutricis ſuæ interitum, cum dicto Guillelmo pepigit, penſione annua cccc. florenorum ſibi retenta, deinde Romam petiit, & jus ſuum in manibus papæ reſignavit. Cui papa: Bene facis fili, quia pacem das eccleſiæ, penſionemque ſupra taxatam domnus admiſit. Cum qua penſione undecim fere annis vixit. Tandem noſtri Guillelmi abbatis auxilio ad abbatiam Montis S. Quintini tranſlatus, penſio ceſſavit, illicque annis pluribus honeſte vixit, ibique ad Dominum migravit atque ſepultus fuit.

WILLELMUS cognomento Fillatrius abbas LXIV. a puero ſancti Petri Cathalaunenſis in Campania monachus, poſt prior Cermonenſis in Lotharingia, deinde abbas S. Theodorici in Remenſi dioeceſi, decretorum doctor de primis Lovanii creatis, poſt epiſcopus Virdunenſis, deinde hujus monaſterii adminiſtrator, & paulopoſt a toto conventu in abbatem poſtulatus. Poſt Tullenſis, demum Tornacenſis epiſcopus, primus regis Siciliæ conſiliarius, deinde domini ducis Philippi, cujus adminiculo ad hunc locum eſt aſſumtus, præſidens magni conſilii, & in magni conſiliarii abſentia cancellarius, cancellarius ordinis aurei velleris, Nicolai papæ V. conſcholaſticus, a quo plura obtinuit. Tabulam majoris altaris argenteam ac deauratam renovavit, omneſque gemmas per eam ſtratas de proprio dedit; novam capſam beati Bertini lapidibus pretioſis ornatam, thecamque argenteam partem capitis beati Mommolini continentem, hic de Noviomo ad ejus petitionem tranſlatam, cum gemmis quas dedit ornavit. Pannum unum album gemmis munitum ſuper ejus altare ſuſpendendum donavit, decem & ſeptem cappas al-

bas, rubras & virides & unam nigram cum ornamentis ante altare magnum ſuſpendendis operis polimitarii fieri fecit. Unicuique colori ſuam caſulam, tunicam & dalmaticam appropriavit. Item aliam blaveam de operimento equi ducis Karoli ſuis in nuptiis, dum Margaretam regis Angliæ ſororem duceret uxorem, huic eccleſiæ a quodam ſcutifero dato, fieri fecit. Item decem pannos in circuitu chori & crucis ſuſpendendos hiſtoriis veteris & novi teſtamenti intertextos donavit, dicta in ipſis exarata de proprio compoſuit. Feneſtras eccleſiæ anterioris cum dictis duodecim Sibillarum decoravit. Dicta vero ipſa de latino in gallicum rigmatice dictavit. Navim eccleſiæ cum turri perfecit, teſtudines tamen imperfectas reliquit, novas campanas v. conflavit & benedixit, majorem de proprio dedit, & Willelminam vocavit. Omnia ſigna ad ſtructuram & celaturam eccleſiæ anterioris de proprio emit, portam anteriorem ædificiis multis decoravit. Principis hoſpitium intus conſtruxit, in decoratione caſtelli de Arkas & domus de Popringhis inſudavit, vas unum argenteum ac deauratum ad ſpecies in cœna Domini adminiſtrandas, duodecim cupas argenteas octodecim marcharum conventui dedit, quæ tempore ſui ſucceſſoris, Allemannis oppidum hoc de Francorum manibus furripientibus, cum aliis multis vaſis argenteis ſui pro ſtipendiis fere per vim ſunt conceſſæ. Teſtamentum ſuum ante obitum de licentia papæ ac principis condidit. In quo omnia vaſa argentea religioſorum ſuo tempore defunctorum conventui reliquit, omnia debita ex pecunia per ipſum eccleſiæ ſua in neceſſitate mutuo data dimiſit, ſucceſſori ſuo omnia coquinæ utenſeria argentea dedit. Reliqua bona tripartitus eſt. Partem eccleſiæ Tornacenſi, partem monaſterio, & partem propinquis ſuis. Mitram unam auro puro gemmiſque circum ligatam donavit. Feſtum S. Barbaræ & Antonii XII. lect. inſtituit. Quotidianam miſſam poſt majorem miſſæ elevationem ſua in capella ejus expenſis facta pro ſe ſuiſque benefactoribus fundavit. Materiam ſufficientem ad conflandum calicem unum aureum eccleſiæ reliquit. Conventui pro recreatione XL. ſol. in die ſui obitus & XL. ſol. in feſto regis ordinavit. In expeditione contra Turcos tempore Pii ſecundi facta, ſe iturum ceteris cum magnatibus devovit, & ſuo conventu ſalutato, armata cum manu illic tendit; ſed ne ſuæ eccleſiæ paſtore viduarentur, ſuper ſuo voto diſpenſationem obtinuit, & in ſui voti compenſationem, quotam pecuniæ non modicam ſolvit. Privilegia pulchra impetravit, primo quod nullus huic præficiatur eccleſiæ niſi de gremio electus, etiamſi in curia Romana abbatia vacaret, quod privilegium per ducem Philippum, ac ejus filium Carolum, quorum conſiliarius fuit, confirmari impetravit. Unciam auri papæ pro exemtione ſolvendam ad ſex florenos auri de camera a Nicolao V. taxari impetravit. Item privilegium pro tribus noſtris conſervatoribus, ſcilicet abbate ſancti Jacobi Leodienſis, abbate ſancti Nicolai Furnenſis, & præpoſito ſancti Audomari obtinuit. Aliaque plura, quæ cauſa brevitatis omitto, a ſummis pontificibus accepit. Cujus in tempore CAROLUS comes *de Charolois*, patre Philippo adhuc vivente, regem Franciæ in loco dicto *Mont-Leuri* devicit. Poſt hoc Leodium atque *Dynant* dextruxit, Gueldriamque ſibi ſubjugavit, Feſtum transfigurationis a Calixto III. ob victoriam contra Turcum in Hungaria habitam, inſtituitur, & per Paulum annus Jubilæus ad XXV. annum mutatur. Noſter Guillelmus regiminis ſui anno XXV. Gandavi moritur, & magna cum reverentia inde tumulandus defertur an. Domini MCCCCLXXIII. Sixto IV. papatum tenente, Ludovico *de Valois* in Francia regnante, & in Burgundia ac Flandria Carolo regente.

JOHANNES IX. DE LANNOY abbas LXV. primo S. Vedaſti Attrebatenſis monachus; ſed quia impeditioris erat linguæ, dicto de monaſterio ejicitur. Poſtmodum a Guillelmo abbate noſtro ſuo prædeceſſore hoc in loco recipitur, cœtuique monachorum ordinatur. Deinde Pariſius ſtudendi cauſa mittitur; demum Alciacenſium abbas efficitur: qui denuo ſtudia univerſalia Pariſius repetens, juris canonici gradu baccalaureatus donatur. Poſtremo Guillelmo ſuo prædeceſſore humanis privato, hoc in loco S. Spiritus voce in paſtorem electus eſt. Qui ſui in principio præ ſuæ eccleſiæ exemtione adverſus curiam Morinenſem viriliter dimicavit, dictamque eccleſiam Romanæ eccleſiæ immediate ſubjectam privilegiis demonſtravit, ſicque in cauſa fere victor evaſit. Navem hujus eccleſiæ pavimento ſtravit, teſtudines ſuo a prædeceſſore incœptas perfecit, clauſuram ligneam cum capellis beati Bertini atque Blaſii duobuſque altaribus lapidibus ſectis ornatis, ſancti ſcilicet Petri apoſtoli atque præſentationis beatæ Mariæ, in quibus tres miſſæ in perpetuum ſunt fundatæ, fieri admiſit. Pro conſtitutione illarum duarum miſſarum in altari ſancti Petri dicendarum, magiſter Nicaſius *Griette* officialis quondam Morinenſis decimam unam, communi æſtimatione CCC. ſol. ſub anno valentem, quam a monaſterio S. Winoki Bergenſis emerat, huic eccleſiæ legavit, dictumque altare ſuis ſumtibus fieri juſſit. Confraternitatem præſentationis beatæ Mariæ in templo cum miſſis diebus Dominicis atque ſingulis beatæ Mariæ feſtis eo in altari celebrandis Johannes abbas ordinavit. Portam monaſterii interiorem cum cameris ſuperpoſitis innovavit, hortum deliciarum

abbatis intus diverſi generis arboribus conſevit, quem muris vallavit. Cenſas *de Arkes*, *Salpervvich*, Houlna, *Longuereſſe*, domos veteris monaſterii a Francis combuſtas reſtauravit, mediam partem molendini de Quoietqua ſuo monaſterio acquiſivit, & nonnullas ſuper aquas apud *Salpervvich* v. libras perpetui reditus emit. Confirmationes privilegiorum Philippi ac Caroli ejus filii Burgundiæ ducum ab Maximiliano Romanorum rege Philippoque ejus filio ſuper electione abbatis ac debitorum proſecutione impetravit. Prior monaſterii noſtri Jacobus nomine ſua licentia crucem illam a Simone ſecundo factam non mediocriter decoravit: quem priorem, quia ſenex erat, poſtquam in hoc monaſterio abbatis in abſentia unum & viginti annis miniſtraverat, per commiſſarios, neſcio quo zelo ductus de prioratu abſolvit, aliumque inſtallari ac inthroniſari indixit; & quod juvenes a feſto Crucis uſque ad Omnium ſanctorum diem, cœna facta, non in clauſtro, ſed in capitulo, accenſis luminaribus, ſederent, prandioque facto, non in dies conſueto more gardinum peterent ludendi cauſa, ſed pro arbitratu ſupremi conventum tenentis, in clauſtro manerent inſtituit. Et quia generoſa ex progenie ortum habuerit noſter Johannes abbas, ab Maximiliano, Philippoque ejus filio, ac ceteris magnatibus totius patriæ, non mediocri veneratione habebatur: adeo ut aurei velleris cancellarius fieret, & in magno conſilio cum ceteris conſultoribus in dies aſtaret, in epiſcopatuque Tornacenſi, niſi morte præoccuparetur, inthronizatus fuiſſet; negotia principum pacis primæque utilitatis gratia, apud Franciæ & Angliæ reges geſſit, & dum vacaret, principis curiam fere ſemper incoluit timore Allemannorum hoc oppidum S. Audomari munientium, huicque monaſterio non modicam vim pro victualibus habendis inferentium, adeo ut una die fere ducenti intus comederint, ac præter cerviſiam centum & viginti potos vini biberint, & quidquid in coquina fuerat, oſtiis ac ſeris fractis, acceperint, & dum iſti in ſtipendiis recipiendis deficerent, intus fere ſemper victum acceperunt, vel ad mutuandas pecunias noſtros coëgerunt. Qua de re omnia argentea monaſterii vaſa, treſque ſacros calices habuerunt, & niſi eis data mutuo fuiſſent, uti ferebant, vi accepiſſent. Pretium vero iſtorum vaſorum una cum pecunia mutuo eis data trium millium & ducentorum florenorum ſummam tranſcendit. Longe tamen pejora huic monaſterio totique civitati attentaſſent, niſi benignus Dominus conſilium eorum diſſipaſſet. Nam XXIV. Aprilis in octavis Paſchæ anno MCCCCXCIII. cives noſtra de civitate dictos Alemannos abſque ſanguinis effuſione aliqua expulerunt, quod præclarum factum non civibus, ſed divinæ potentiæ, meritis ſanctorum Audomari atque Bertini pie credimus attribuendum. Noſter Johannes abbas, ne Alemanni aliquam vim ſuo corpori inferrent, ut terras domoſque ſui monaſterii, cum totum clima noſtrum tribulationibus bellorum agitaretur, pro viribus cuſtodiret, in principis curia moram fecit. Tandem ſui regiminis anno XV. cum rege Romanorum Maximiliano ceteriſque de conſilio dominis, Brugis populo commoto & in ſeditione poſito, capitur, & Gandavi cum ceteris de conſilio carceri mancipatur, Romanorum rege Brugis detento, ubi tribus & decem menſibus ſtetit, non in parvum hujus eccleſiæ damnum, cum ſua pro abſolutione & expenſarum in carceribus factarum ſolutione, ultra XX. millia florenorum eccleſia dederit. Cujus abbatis in tempore CAROLUS Burgundionum dux, de quo ſupra capitulo proximo, apud *Nancy* bello occiditur, ejuſque filia unica Maria nomine Maximiliano ſæpedicto Frederici tertii imperatoris filio, matrimonio copulatur. Qui MAXIMILIANUS Francos prope Morinum potenti virtute devicit, multoſque interemit. Poſt dicti Caroli ducis mortem, Franci totam Picardiam ſuo ſibi dominio ſubjecerunt. Oppidum tamen iſtud S. Audomari obſidentes, & apud Arkas diebus unde viginti caſtra metantes, vicis circumvicinis incendio traditis, fruſtrati receſſerunt. Quare illa tria inſignia monaſteria hujus civitatis in ſuburbio ſita, ſcilicet Minorum de obſervantia, Prædicatorum, ac ſororum de ſancta Clara, idem Johannes abbas & magnus cooperator extitit: clauſtrum vero fratrum tertii ordinis noſtro in patronatu conſtructum deſtruitur, & fratrum B. Alexidis in confinio hujus villæ conſtruitur. Poſtmodum Burgundi Morinum ſuæ ditioni ſubdiderunt: quare Franci eodem anno quo Morinum capitur, contra eorum juramentum in conventione anni MCCCCLXXXIII. præſtitum, oppidum S. Audomari proditorie ceperunt; cum vero unum & viginti menſes illud tenuiſſent, a Burgundis adjutorio XXII. civium, divino potius auxilio recuperatur. Cum tamen hoc in oppido Franci moram haberent, ex Morino Burgundos eliminarunt: quibus ex cauſis mutationibuſve non mediocria in temporalibus damna hoc monaſterium accepit, multiſque debitis involutum eſt: quare lumen eccleſiæ religioſorumque præbendas Johannes ad medium diminuit, & in choro matutinorum ac in menſis cœnandi horis pro candelis cereis, candelas ſevaceas accendi jubet, & in tantum monaſterium bonis evacuatum ejus ſucceſſor invenit, ut pro confirmationis ſuæ electionis proſecutione, reliquiarum capſæ, vaſa ſervitio divino deputata, imagines beatæ Mariæ, Audomari atque Bertini argenteæ

auro munitæ, atque eccleſiæ calices venumdati ſint, & præcipue ille calix aureus diverſis gemmis ornatus.

Supplementum ex alio mſ. codice.

Rexit annis XX. & Mechliniæ principis in curia, quoniam aurei velleris cancellarius fuit, moritur, intus tamen ſepelitur anno Domini MCCCCXCII.

JACOBUS IV. DUVAL Audomarenſis abbas LXVI. Hic poſtquam Poperinghenſi in præpoſitura XXII. annis præfuiſſet, hoc in loco ipſo abſente in abbatem eligitur: quam electionem Alexander papa VI. confirmare renuit, & Antonium *de Berghes* S. Trudonis abbatem per ſuas bullas inthroniſavit. Electus noſter tamen ab epiſcopo diœceſano A confirmationem conſecrationemque obtinuit, tamen dicto cum Antonio electus pepigit, penſione DCCCL. florenorum cum Poperinghenſi adminiſtratione ſibi aſſignata, cum qua annis V. vixit, & apud Poperinghenſes moritur, & intus in capella beatæ Mariæ Aſſumtionis, quam ante electionem decoraverat, inhumatur anno Domini M. CCCC. XCVII.

B ANTONIUS DE BERGHES abbas LXVII. obiit anno Domini MDXXXI.

INGELBERTUS D'ESPAIGNE abbas LXVIII. obiit anno Domini MDXLIV.

GERARDUS DE HAMERICOURT abbas LXIX. obiit anno Domini MDLXXVII. XVII. Martii.

FREDERICUS MAROLLE adminiſtrator.

VEDASTUS DE GRENETTE abbas.

MARTYROLOGIA
SEU
CALENDARIA ALIQUA ANTIQUISSIMA.

OBSERVATIO PRÆVIA.

VARIA jam edidimus Martyrologia ſeu Calendaria antiquiſſima in noſtrorum Anecdotorum tomo 3. *varia & clariſſimus vir Johannes Solerius præmiſit Uſuardini martyrologii a ſe vulgati parti ſecundæ, cauſatus hujuſmodi antiquitatis monumenta, quaſi neglecta, locum non habere in Spicilegiis, Analectis aliiſque collectionibus a noſtris adornatis. Inter ea vero quæ vir eruditiſſimus publici juris fecit, Corbeienſe vetuſtiſſimum ante annos octingintos exaratum, Papebrochio olim ab Acherio noſtro miſſum, & a nobis tom.* 3. *Anecdotorum jam excuſum, quinto loco recudit, præmiſſa brevi obſervatione, qua monet tantæ codicem Corbeienſem ſibi non videri antiquitatis, ac exiſtimavit Acherius, quem de ejus ætate quaſi oſcitanter judicaſſe cenſet his verbis:* An in martyrologio illo evolvendo operam aliquam poſuerit vir eruditiſſimus, dubitari merito poteſt. Nam ſi legiſſet quæ habentur XVII. Junii: *Eadem die interfectus eſt venerabilis Fulco archiepiſcopus ab impio.* Si hæc, *inquam*, legiſſet prima manu ſcripta, non tam facile epocham illam determinaſſet. *Verum ſi vir, alioquin ſagaciſſimus, noſtram conſuluiſſet editionem, non ita facile judicium ſuum præcipitaſſet, animadvertiſſet enim hæc ipſa quæ citat verba, non* prima manu, *uti aſſerit incunctanter, ſed* recentiori, *atque paulo aliter quam ipſe legit inter duas parentheſes ſcripta eſſe hoc modo:* (Alia manu. *Eodem die interfectus eſt venerabilis Fulco archiepiſcopus ab iniquo Wenetmero.) Sed & aliquibus in locis ſuam potuiſſet emendare editionem.*

Cum vero de Gellonenſi martyrologio tractat vir eruditiſſimus; ideo Gellonenſe *ab Acherio appellatum fuiſſe videtur exiſtimare, quia ad Decembris diem* XIV. *in eo legitur:* Dedicatio baſilicæ S. Salvatoris in Gellone, *ex quo concludit longe potiori jure* Resbacenſe *appellari debere, cum multo plura, ad Resbacenſe diœceſis Meldenſis cœnobium a S. Audoeno fundatum, ſpectantia contineat. Verum non hoc ſolo nomine* Gellonenſis *appellatio ipſi indita eſt, quod dedicationem baſilicæ illius monaſterii annuntiet; ſed ea præſertim ratione, quod Gellonenſis monaſterii per octingintos & amplius annos juris fuerit, unde, vivente Acherio, huc allatum eſt.*

Porro cum e re litteraria plurimum intereſſe cenſeant viri eruditi hujuſmodi antiqua martyrologia ſeu calendaria e tenebris eruere; præter ea quæ alias a nobis jam vulgata ſunt, nova quædam hic Sanctorum actis nonnullis

quæ jamjam edituri ſumus præmittere lubet, utpote non minoris pretii nec forte antiquitatis.

Et primo quidem loco offert ſe pervetuſtum celeberrimi apud Treviros monaſterii S. Maximini martyrologium, ante annos octingintos exaratum, Bedæ presbyteri Anglicani doctiſſimi nomen præferens, quod tamen purum Bedæ fœtum aſſerere non audemus. Nam etſi ſancti fere omnes quorum nomina recenſet, ſi paucos excipias, eoſque vulgo alia manu additos, Beda ipſo ſunt antiquiores: etſi præcipuos Angliæ ſanctos Cuthbertum, Mellitum, Auguſtinum Cantuarienſem epiſcopos, Columbam abbatem, Albanum martyrem, Oſwaldum regem, Juſtum ac Paulinum Eboracenſem item epiſcopos enuntiat, tamen ſi non fallit titulus, Bedæ hoc martyrologium variis ſanctorum, præſertim Trevirenſium & circumvicinorum locorum, acceſſionibus auctum eſſe fatendum eſt.

Longe potiori jure attribuendum ei videtur quod ſequitur antiquiſſimum calendarium, non ſolum quod cum aliis Bedæ operibus in vetuſtiſſimo codice Floriacenſi, cujus caracter annos circiter nongintos repræſentat, reperitur; ſed quia magnam cum metrico ejus martyrologio affinitatem habet: paucos ſiquidem ſingulis menſibus ſanctos exhibet, eoſque fere omnes qui in martyrologio; S. Cuthberti, cui impenſe devotus erat Beda, & S. Paulini Eboracenſis archiepiſcopi metropolitani ſui, nomina litteris majuſculis quas uncias vocant exprimit. Bedæ ipſius nomen ante annos ſeptingintos ab aliquo qui tanti doctoris & tam ſancti viri nomen in ſuo ipſius calendario deſiderari noluit, additum eſt alio caractere. Eadem etiam manu addita ſunt eccleſiæ Autiſſiodorenſis feſta, ex quo collegimus eam ad eccleſiam codicem hunc Floriacenſem olim pertinuiſſe. Ne quis autem cum genuino Bedæ textu has confundat additiones, eas italico, ut vocant, caractere edi curavimus. Porro codicis noſtri antiquitatem arguit feſtum Omnium-Sanctorum, quod in eo calendis Novembris deſideratur.

Huic aliud ſubjicimus calendarium, antiquo Sacramentorum libro ad uſum eccleſiæ Anglicanæ conſcripto præmiſſum, cujus feſtorum mobilium tabella ab anno milleſimo incipiens, ſingulos percurrit annos ad annum uſque milleſimum nonageſimum quintum. Unde colligimus codicem illum anno milleſimo fuiſſe exaratum. Allatus eſt autem ipſe liber ex Anglia anno M. XXXII. *in Gemmeticenſe diœceſis Rothomagenſis monaſterium, atque eidem anno circiter* ML. *a Roberto quondam Gemmeticenſi abbate, deinde Londonenſi epiſcopo, ac tandem Cantuarienſi dono datus.*

Martyrologium Gallicanum ab annis circiter ſeptingintis conſcriptum ſuppeditavit nobis bibliotheca illuſtriſſimi domini Chauvelin, *regiorum ſigillorum cuſtodis, quod non alia ratione* Gallicanum *appellatum conjicimus, quam quia Gallicanos ſanctos commemorare ſoleat. Illud autem commodi eo in martyrologio deprehendimus, quod loca fere omnia, ad quæ enumerati ſancti pertinent, ſolet exprimere.*

Stabulenſe calendarium præmittitur antiquo Sacramentorum libro ab annis circiter ſeptingintis conſcripto, cujus in calce legitur, Ordo ad conferendos ſacros ordines. *In ordinatione autem epiſcopi ordinandus interrogatur an ſedi Moguntinenſi promittat obedientiam, feſta SS. Galli & Othmari capitalibus litteris exarata ſunt, unde conjicimus codicem illum fuiſſe olim monaſterii S. Galli, quod in Conſtantienſi ad Rhenum diœceſi exiſtens, ad Moguntinam metropolim pertinet. Quæ autem prima manu ſcripta non fuere atque etiam necrologium italico caractere repræſentare curavimus.*

Calendarium Verdinenſe ſexcentos annos ſuperare non videtur, in eoque deſiderantur menſes omnino quatuor, nec ideo tamen contemnendum, cum plures contineat non vulgares ſanctos. Die XVII. *Martii annuntiat feſtum* S. Joſeph in Bethleem, *quod etiam exhibent Stabulenſe & Anglicanum, uti*

& Richenovienſe martyrologium a Solerio vulgatum, & quidem Anglicanum hoc modo, S. Joſeph ſponſi S. Mariæ, *Stabulenſe vero & Richenovienſe ſic*, In Bethleem S. Joſeph nutritoris Domini. *Hinc colliges, hoc feſtum, quod, ſi me non fallit memoria, in pervetuſto codice Oignacenſi, quo uſus eſt olim celeberrimus Jacobus de Vitriaco cardinalis, continetur, non eſſe ita recentis inſtitutionis in eccleſia, ac exiſtimant nonnulli.*

Ultimo tandem loco hic exhibemus inſignis eccleſiæ Autiſſiodorenſis martyrologium, quod aliis omnibus præſtare diffitebitur nemo qui conſideraverit, illud multo plura complecti ſanctorum nomina, atque actus eorum ſingulares ſæpius exprimere, loca etiam ad quæ ſpectant & dignitates; quæ ad illuſtrandam hiſtoriam eccleſiaſticam mirum in modum juvant. Hoc autem martyrologium ex mutilo Colbertino codice eruimus, cujus defectum ſupplevit amicus noſter cl. vir dominus Lebeuf, *ſuccentor & canonicus Autiſſiodorenſis. Martyrologio adjunctum erat necrologium, ex quo eos tantum recenſendos defunctos cenſuimus, qui alicujus ſunt nominis, aut donis aliquibus de illa eccleſia bene meruerunt.*

IN CHRISTI NOMINE, incipit Libellus Annalis domini Bedæ presbyteri.

JANUARIUS.

Menſis Januarius habet dies XXXI. *Lunam* XXX.

CAlendis Januarii Circumciſio Domini noſtri Jesu Christi, & natale ſancti Baſilii confeſſoris, & Almachii martyris.
IV. nonas Jeroſolymis octavæ S. Stephani, Antiochiæ Sindoni epiſcopi, & alibi Macharii abbatis.
III. nonas. Natale S. Genovefæ virginis, & S. Anteri papæ & martyris.
II. nonas. In Africa Aquilini, Martiani & Quinti.
Nonis Januarii. Vigilia epiphaniæ & depoſitio S. Simeonis, qui in columna ſtetit.
VIII. idus. Epiphania Domini noſtri Jesu Christi, & S. Melanii epiſcopi.
VII. idus. In Nicomedia Luciani preſbyteri Antiochenæ eccleſiæ.
VI. idus. Natale SS. martyrum Luciani, Maximiani & Juliani.
V. idus. In Africa Epictati, Jocundi, Quinti, Saturnini.
IV. idus. Natale S. Pauli primi eremitæ.
III. idus. Eductio Domini de Ægypto, & natale S. Salvi.
II. idus. Natale S. Quiriaci, Moſcenti & Saturi.
Idus Januarii. Octavæ epiphaniæ & depoſitio S. confeſſorum & epiſcoporum Hilarii, Remigii & Agricii Trevirenſis.
XIX. cal. Februarii. Natale S. Felicis epiſcopi & martyris in Pincis.
XVIII. cal. In Antiochia Liceri diaconi & depoſitio Abacuc prophetæ.
XVII. cal. Natale S. Marcelli papæ, & depoſitio Honorati epiſcopi.
A XVI. cal. Natale S. Antonii monachi & S. Sulpicii epiſcopi. *Sol in Aquarium.*
XV. cal. Natale S. Priſcæ virginis.
XIV. cal. Natale S. Marii & Marthæ martyrum.
XIII. cal. Natale S. Fabiani & Sebaſtiani martyrum.
XII. cal. Natale S. Agnetis virginis.
XI. cal. Natale S. Vincentii martyris.
X. cal. Natale S. Emerentianæ virginis & S. Macharii martyris.
IX. cal. Natale S. Babili epiſcopi & Trium Puerorum.
B VIII. cal. Natale S. Præjecti martyris, & converſio S. Pauli apoſtoli.
VII. cal. Natale S. Polycarpi epiſcopi.
VI. cal. Natale S. Johannis Chryſoſtomi.
V. cal. Nativitas S. Agnetis virginis & martyris.
IV. cal. Treviris depoſitio S. Valeri epiſcopi & confeſſoris.
III. cal. Natale S. Flaviani martyris & depoſitio Aldegundis virginis.
II. cal. Natale S. Tarſici, Zotici, Ammonii
C & S. Concordii martyris.
In iſto menſe nox habet horas XVI. *& dies* VIII.

FEBRUARIUS.

Menſis Februarius habet dies XXVIII. *Lun.* XXIX.

Calendis Februarii. Natale SS. Puplii & Saturnini & S. Brigidæ virginis.
IV. nonas. Purificatio S. Mariæ. In Africa natale S. Victoris.
D III. nonas. In Africa Felicis, Celerinæ, Felicitatis, & depoſitio S. Lupicini epiſcopi.
II. nonas. Natale S. Gelaſii, & paſſio S. Eulaliæ virginis.
Non. Febr. Natale S. Agathæ virginis.
VIII. idus. Natale S. Vedaſti epiſcopi & confeſſoris. In Elnone S. Amandi epiſcopi & confeſſoris.
VII. idus. Natale S. Auguli epiſcopi & mar-

tyris. *Ver oritur, & habet dies* XCI.
VI. idus. Depoſitio S. Pauli epiſcopi, Dionyſii, & Lucii.
V. idus. Natale S. Alexandri & Ammonis.
IV. idus. Natale Sotheris & SS. Zotici, Erenei & Jacincti, & S. Scholaſticæ virginis.
III. idus. Natale S. Deſiderii epiſcopi, & S. Eufraſiæ virginis.
II. idus. Natale S. Eulaliæ virginis & paſſio S. Damiani.
Idus Febr. Natale S. Polioctí martyris.
XVI. cal. martii. Natale SS. Valentini, Vitalis, Feliculæ, Zenonis martyris.
XV. cal. Natale SS. Caſtulæ, Magni, Saturnini.
XIV. cal. Natale S. Oneſimi & S. Julianæ. *Sol in Piſces.*
XIII. cal. Natale S. Policronii epiſcopi.
XII. cal. Natale SS. Rutuli, Silvani & Secundini.
XI. cal. Natale SS. Publii, Juliani, Marcelli.
X. cal. Depoſitio S. Gagii epiſcopi & Victoris.
IX. cal. Natalis S. Hilarii papæ, & depoſitio S. Felicis epiſcopi.
VIII. cal. Apud Antiochiam Cathedra ſancti Petri, & natale ſanctæ Teclæ virginis.
VII. cal. Natale S. Polycarpi preſbyteri, & S. Sereni monachi.
VI. cal. Natale S. Mathiæ apoſtoli. Inventio capitis Præcurſoris Domini, & natale S. Sergii martyris.
V. cal. Natale SS. Juſti & Erenei.
IV. cal. Natale S. Felicis cum ſociis ſuis. Item natale S. Neſtoris & Fortunati.
III. cal. Natale SS. Leandri & Dionyſii.
II. cal. Nat. SS. Pupilli, Juſti, Theophili, Felicis.
In iſto menſe nox habet horas XIV. *dies* X.

MARTIUS.

Menſis Martius habet dies XXXI. *Lunam* XXX.

Calend. Martii. Natale S. Donati martyris & S. Albini confeſſoris.
VI. nonas Martii. Natale S. Lucæ epiſcopi, Primitivæ, Secundillæ.
V. nonas. Natale S. Fortunati, Felicis, Claudiani.
IV. nonas. Natale S. Lucii papæ & Adriani martyris.
III. nonas. Nat. S. Focæ martyris. (*obitus Hrotgangi epiſcopi* alia manu.) VII. *Embol.*
II. nonas. Natale S. Victoris & Victorini. III. *Embol.*
Nonas Martii. SS. Perpetuæ & Felicitatis martyrum.
VIII. idus. Natale S. Quintoli epiſcopi, & Pontii diaconi.

Prima incenſio Lunæ Paſchalis.

VII. idus. Natale ſanctorum Felicis, Rogati & Philippi.
VI. idus. Natale SS. Alexandri & Gaii.
V. idus. Natale S. Eraclii & Zozimi.
VI. idus. Natale S. Gregorii papæ.
III. idus. Natale S. Machedonis preſbyteri,
II. idus. Natale S. Leonis papæ & martyris, Felicis & Daviti.
Idus Martii. Natalis ſanctorum Longini & Lucii martyrum.
XVII. cal. Aprilis. Natale ſanctorum Cyriaci & Caſtoris martyris.
XVI. cal. Natale S. Patricii epiſcopi, & S. Gertrudis virginis.
XV. cal. Natale S. Alexandri epiſcopi & Collegi diaconi. *Sol in Arietem.*
XIV. cal. Natale S. Theodori epiſcopi, Baſſi, & Apollonii.
XIII. cal. Natale S. Chutberti epiſcopi & confeſſoris.
XII. cal. Natale S. Benedicti abbatis. *Æquinoctium vernale.*
XI. cal. Natale S. Pauli confeſſoris. *Primum Paſcha & ſedes epactarum.*
X. cal. Natale SS. Fidelis & Theodori.
IX. cal. Natale SS. Seleuci & Agapiti. *Concurrentium locus.*
VIII. cal. Annuntiatio archangeli ad ſanctam MARIAM, & Dominus crucifixus eſt.
VII. cal. Natale S. Caſtuli, & depoſitio Chiliani epiſcopi.
VI. cal. Reſurrectio Domini noſtri JESU CHRISTI, & Paſſio Alexandri martyris.
V. cal. In Cæſarea ſanctorum Rogati & Dorothei.
IV. cal. Natale S. Gregorii Nazianzeni & S. Euſtaſii abbatis.
III. cal. Natale SS. Domnini, Paulini, & Eulaliæ virginis.
II. cal. Natale SS. Felicis, Diodoli & ſanctæ Balbinæ virginis.
In iſto menſe nox habet horas XII. *dies* XII.

APRILIS.

Menſis Aprilis habet dies XXX. *Lunam* XXIX.

Calendis Aprilis. Natale SS. Venantii, Anaſtaſii & S. Walerici.
IV. nonas. Depoſitio Nicetii epiſcopi, & S. Theodoſiæ virginis,
III. nonas. Natale SS. Evagrii & Pancratii.
II. nonas. Natale S. Agathonis diaconi & S. Ambroſii.
Nonas Aprilis. Natale S. Claudiani & Andronici. *Ultima incenſio Lunæ paſchalis.*
VIII. idus. Natale S. Xiſti papæ & martyris.
VII. idus. Natale S. Cæleſtini papæ, & SS. Timothei & Diogenis.
VI. idus. Natale S. Macharii & Perpetui.
V. idus. Natale SS. VII. Virginum, & beati Demetrii diaconi.
IV. idus. Natale S. Apollonii preſbyteri.
III. idus. Natale S. Siagrii & S. Leonis papæ.
II. idus. Natale S. Carpi epiſcopi, Julii & Cypriani epiſcoporum.
Idus Aprilis. Natale S. Euphemiæ virginis.

XVIII,

XVIII. calend. Maii. Natale SS. Tiburtii & Valeriani.
XVII. cal. Natale SS. Elimpiadis & Maximi.
XVI. cal. Natale SS. Caliſti & Cariſſi.
XV. cal. Natale S. Petri diaconi & Hermogenis. *Sol in Taurum.*
XIV. cal. Natale SS. Eleutherii epiſcopi & Apollonii ſenatoris.
XIII. cal. Natale SS. Rufi & Antonici.
XII. cal. Natale S. Victoris epiſcopi.
XI. cal. Natale SS. Valeriani, Tiburtii & Maximi.
X. cal. Depoſitio S. Gaii papæ.
IX. cal. Natale SS. Ananiæ, Azariæ, Miſahelis, & paſſio S. Georgii martyris.
VIII. cal. Natale S. Melliti epiſcopi & S. Alexandri.
VII. cal. Natale S. Marci evangeliſtæ, & Letania major. *Ultimum Paſcha.*
VI. cal. Natale SS. Cleti & Marcellini.
V. cal. Natale SS. Anaſtaſii papæ, Victoris & Maximi.
IV. cal. In Miſitania civitate S. Hermogenis. Romæ natalis S. Vitalis martyris.
III. cal. Natale S. Germani preſbyteri.
II. cal. Natale SS. Dorothei preſbyteri, Viatoris & Terentii.
In iſto menſe nox habet X. *horas & dies* XII.

MAIUS.

Menſis Maius habet dies XXXI. *Lunam* XXX.

Calendis Maii. Natale apoſtolorum Philippi & Jacobi.
VI. nonas Junii. Natale S. Germani & S. Anaſtaſii.
V. nonas. Natale S. Alexandri, Eventi, & Theodoli preſbyteri. Inventio S. Crucis.
IV. nonas. Natale SS. Silvani & Floriani martyrum.
III. nonas. Natale SS. Hilarii & Nicetii epiſcoporum.
II. nonas. Natale S. Johannis apoſtoli ante Portam-Latinam.
Non. Maii. Natale S. Juvenalis martyris.
VIII. idus. Natale S. Victoris martyris & S. Martini preſbyteri.
VII. idus. Natale SS. Quirilli, Zenonis, & S. Macharii abbatis. *Æſtas oritur, habet dies* XC.
VI. idus. Natale S. Gordiani martyris, & Epimachi. Et Romæ Calepodii preſbyteri.
V. idus. Natale S. Antimi & S. Mamerti epiſcopi.
IV. idus. Natale SS. Nerii, Achillei & Pancratii martyrum.
III. idus. Autiſſiodoro Depoſitio Marcelliani & natale S. Servaſii confeſſoris.
II. idus. Natale S. Victoris martyris & ſancti Pachomii monachi.
Idus Maii. Natale ſanctorum Iſidori & Timothei martyrum.
XVII. calendas Junii. Natale ſanctorum Aquilini, Victorini & Peregrini.
XVI. cal. Natale ſanctorum Eraclii & Pauli, & S. Torpetis martyris.
XV. cal. Natale S. Dioſcori. *Sol in Geminos.*
XIV. cal. Natale S. Potentianæ virginis & martyris.
XIII. cal. Natale S. Baſillæ virginis & martyris.
XII. cal. Natale S. Timothei diaconi.
XI. cal. Natale SS. Fauſtini, Timothei & S. Juliæ, quæ crucis patibulo coronata eſt.
X. cal. Natale SS. Quinti, Lucii & S. Deſiderii epiſcopi.
IX. cal. Natale SS. Donatiani & Rogatiani.
VIII. cal. Natale S. Urbani.
VII. cal. Natale S. Auguſtini epiſcopi in Cantia.
VI. cal. Natale SS. Julii & Eſini martyrum.
V. cal. Natale S. Germani epiſcopi & confeſſoris & S. Johannis papæ.
IV. cal. Treviris S. Maximini epiſcopi & confeſſoris.
III. cal. Natale S. Felicis papæ.
II. cal. Natale S. Petronillæ virginis.
In iſto menſe nox habet horas VIII. *dies* XVI.

JUNIUS.

Menſis Junius habet dies XXX. *lunam* XXIX.

Calendis Junii natale SS. Claudii & Pamphili epiſcoporum.
IV. nonas Junii. Natale SS. Marcellini & Petri martyrum.
III. nonas. Natale S. Marcelli martyris & S. Guduali confeſſoris.
II. nonas. Natale S. Quirini epiſcopi, Picti & Datiani.
Nonas Junii. Natale S. Bonificii epiſcopi & S. Apollonarii martyris.
VIII. idus. Natale S. Saturnini epiſcopi, Amantii & Lucii.
VII. idus. Natale S. Luciani martyris, & S. Macharii monachi.
VI. idus. Natale S. Medardi epiſcopi & SS. Naboris & Nazarii.
V. idus. Natale SS. Primi & Feliciani martyrum & S. Columbæ.
IV. idus. Natale S. Zachariæ & Barnabæ qui fuit ſocius apoſtolorum.
III. idus. Natale S. Babilæ & SS. Criſpuli & Reſtituti.
II. idus Natale SS. Baſilidis, Cirini, Naboris & Nazarii martyrum.
Idus Junii. Natale S. Lucii & Fortunati.
XVIII. cal. Julii. Natale SS. Rufini & Valerii, & tranſlatio corporis S. Aniani.
XVII. cal. Natale SS. Viti & Modeſti martyrum.
XVI. cal. Natale S. Diogenis, Ferreoli preſbyteri, & Ferrutionis diaconi.
XV. cal. Natale S. Quiriaci & Aviti preſbyteri. *Sol. in cancrum.*

XIV. cal. Natale SS. Marci & Marcelliani.
XIII. cal. Natale SS. Gervaſii & Protaſii martyrum.
XII. cal. Natale SS. Pauli & Cyriaci. *Solſtitium eſtivum.*
XI. cal. Natale S. Albini martyris & S. Euſebii.
X. cal. Natale S. Jacobi in Perſide, & S. Albani martyris.
IX. cal. Natale S. Aviti confeſſoris, & vigilia S. Johannis Baptiſtæ.
VIII. cal. Nativitas S. Johannis Baptiſtæ.
VII. cal. Natale S. Soſipatris diſcipuli ſancti Pauli.
VI. cal. Natale SS. Johannis & Pauli martyrum.
V. cal. Natale SS. Criſpini & Criſpiniani martyrum.
IV. cal. Natale S. Irenei epiſcopi, & vigilia apoſtolorum Petri & Pauli.
III. cal. Natale apoſtolorum Petri & Pauli.
II. cal. Natale S. Pauli apoſtoli, & S. Martialis epiſcopi.

In iſto menſe nox habet horas VI. *& dies* XVIII.

JULIUS.

Menſis Julius habet dies XXXI. *lunam* XXX.

Calendis Julii. Natalis S. Gaii epiſcopi, & in monte Or depoſitio Aaron ſacerdotis.
VI. nonas Julii. Natale SS. Proceſſi & Martiniani martyrum, & S. Monegundis virginis.
V. nonas. In Alexandria Triphonis, Menelai, Cyrilli, & Juliani, & S. Gregorii epiſcopi & martyris.
IV. nonas. Natale S. Lauriani epiſcopi & martyris, & S. Innocentis.
III. nonas. Natale SS. Maximi, Secundi martyrum, Agathonis & Triphonis.
II. nonas. Octavæ apoſtolorum Petri & Pauli, & natale S. Goaris confeſſoris.
Nonas Julii. Natale S. Eracli, Partheni & Apollonii.
VIII. idus Julii. Natale S. Kiliani epiſcopi & martyris, & S. Procopii martyris.
VII. idus. Romæ natale ſanctarum virginum Florianæ, Fauſtinæ, Felicitatis, & S. Cyrilli martyris.
VI. idus. Natale SS. VII. Fratrum filiorum S. Felicitatis.
V. idus. Natale S. Papii confeſſoris. Floriaco adventus S. Benedicti abbatis.
IV. idus. Natale SS. Naboris, Felicis & Primitivi, & S. Margaritæ virginis.
III. idus. Natale S. Serapionis, Zenonis & Naſei.
II. idus. Depoſitio SS. Juſti & Amacii epiſcoporum.
Idus Julii. Natale SS. Cyrici, Caſſiani, Juliæ.
XVII. cal. Auguſti. Natale S. Aquilin, Hilarini, Pauli & Mammetis.
XVI. cal. Natale S. Sperati epiſcopi & martyris. Mediolano S. Marcelli.
XV. cal. Natale S. Symphoroſæ cum ſeptem filiis ſuis. *Sol in leonem.*
XIV. cal. Natale S. Ruſtici epiſcopi & confeſſoris, & S. Arſenii confeſſoris.
XIII. cal. Natale SS. Luciani & Petri.
XII. cal. Natale S. Praxedis virginis, & ſancti Victoris martyris.
XI. cal. Natale S. Mariæ Magdalenæ, & S. Cyrilli in Antiochia.
X. cal. Natale S. Apollinaris epiſcopi & martyris.
IX. cal. Natale S. Victorini, & ſanctæ Chriſtinæ, & ſanctæ Glodeſindæ virginis.
VIII. cal. Natale S. Jacobi fratris Johannis, & ſanctæ Segolenæ virginis.
VII. cal. Natale S. Jacincti martyris & SS. Joviani & Martiani.
VI. cal. Natale S. Simeonis monachi, & S. Etherii epiſcopi & martyris.
V. cal. Natale S. Auguſtæ virginis, & S. Pantaleonis martyris.
IV. cal. Natale SS. Felicis, Simplicis, Fauſtini & Beatricis martyris, & ſancti Lupi confeſſoris.
III. cal. Natale SS. Abdon & Sennis martyrum. *Hic ſaltus lunæ.*
II. cal. Autiſſiodoro Natale S. Germani epiſcopi & confeſſoris.

In iſto menſe nox habet horas VIII. *& dies* XVI.

AUGUSTI.

Menſis Auguſtus habet dies XXXI. *lunam* XXIX.

Calendis Auguſti. Natale SS. Machabæorum, & SS. Euſebii & Felicis martyrum, & ad S. Petrum ad vincula.
IV. nonas. Natale S. Stephani epiſcopi & martyris. VI. *Embol.*
III. nonas. Inventio corporis S. Stephani primi martyris, & natale ſancti Juſti epiſcopi.
II. nonas. Natale S. Chriſentionis & Juſti martyrum, & SS. Sagæ & Bartholomæi.
Nonas Auguſti. Natale S. Oſwaldi regis, & SS. Mimmii & Caſſiani epiſcoporum.
VIII. idus. Natale SS. Sixti epiſcopi, Felicisſimi & Agapiti.
VII. idus. Natale S. Donati epiſcopi & martyris, qui fractum calicem orando reſtauravit. *Autumnus oritur habet dies* XCII.
VI. idus. Natale S. Ciriaci martyris, & S. Severi confeſſoris.
V. idus. Natale S. Romani militis, & vigilia ſancti Laurentii martyris, & S. Auctoris epiſcopi.
IV. idus. Natale S. Laurentii martyris.
III. idus. Natale S. Tiburtii martyris, & ſanctæ Suſannæ virginis & martyris.
II. idus. Natale S. Eupli diaconi & martyris.
Idus Auguſti. Natale S. Hyppoliti & S. Caſſiani martyrum. (Item S. Wichberti confeſſoris Chriſti. *altera manu.*)
XIX. cal. Septembris. Natale S. Euſebii confeſſoris, & S. Gregorii preſbyteri.

XVIII. cal. Assumtio S. Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi.
XVII. cal. Natale S. Tyrsi cum sociis suis, & S. Arnulfi confessoris.
XVI. cal. Natale S. Eufemiæ, & S. Mammetis, & octavæ S. Laurentii.
XV. cal. Natale S. Agapiti martyris, & S. Candidi. *Sol in Virginem.*
XIV. cal. Natale S. Magni martyris. Romæ S. Julii martyris.
XIII. cal. Natale S. Filiberti confessoris, & SS. Valentiani & Leontii.
XII. cal. Natale S. Theodoti episcopi, & Juli, & Juliani, & S. Privati martyris.
XI. cal. Natale S. Timothei & Symphoriani martyrum.
X. cal. Natale S. Cyriaci; Remis, Timothei & Apollinaris.
IX. cal. Natale S. Titi discipuli Pauli apostoli. Romæ S. Genesii martyris. *E. Pagomeni dies* v.
VIII. cal. Natale S. Bartholomæi apostoli, & Arelato S. Genesii martyris.
VII. cal. Natale S. Habundi & Herenei martyrum.
VI. cal. Natale S. Rufi martyris, & SS. confessorum Rufi & Siagrii.
V. cal. Natale SS. Hermetis martyris, & Augustini confessoris, & S. Juliani martyris.
IV. cal. Paffio S. Johannis Baptistæ, & S. Sabinæ virginis.
III. cal. Natale SS. Felicis & Audacti martyrum.
II. cal. Natale S. Numediani, & Treviris depositio S. Paulini episcopi.
In isto mense nox habet horas x. *dies* xiv.

SEPTEMBER.

Mensis September habet dies xxx. *lunam* xxx.

Calendis Septembris. Natale S. Prisci martyris, & S. Victoris episcopi.
IV. nonas Septemb. Natale S. Mammæ martyris, & SS. Remacli & Pirmini episcoporum. II. *Emboliſmus.*
III. nonas. Natale S. Feliciani, Aristi, & S. Mansueti confessoris.
II. nonas. Natale S. Marcelli & Bonefacii episcopi.
Nonas Sept. Natale S. Quintini confessoris, & paffio S. Ferreoli.
VIII. idus Septembris. Natale S. Eleutherii episcopi, & Zachariæ prophetæ.
VII. idus Sept. Natale S. Sinoti martyris, & paffio S. Evortii episcopi.
VI. idus. Nativitas S. Mariæ matris Domini, & paffio S. Adriani martyris.
V. idus. Natale S. Gorgonii martyris, & SS. Donati & Fortunati.
IV. idus. Natale S. Hilarii papæ, Ammonis & Victoris.
III. idus. Natale SS. Prothi & Hiacincti martyrum, & S. Patientis.
II. idus. Natale S. Sacerdotis episcopi, & SS. Eupli & Serapionis.
Idus Sept. Natale S. Feliciſſimi & Maurilionis & S. Amati confessoris.
XVIII. calendas Octobris. Exaltatio S. Crucis, & natale SS. Cornelii & Cypriani. (& S. Materni *altera manu.*)
XVII. cal. Natale S. Nicomedis martyris. Ipso die natale S. Apri episcopi.
XVI. cal. Natale S. Euphemiæ & SS. Luciæ & Geminiani.
XV. cal. Natale S. Lamberti episcopi & martyris, & Justini confessoris.
XIV. cal. Natale S. Trophimi & Mariani, & S. Eostorgii episcopi.
XIII. cal. Natale S. Ferreoli & S. Januarii martyr.
XII. cal. Natale S. Felicis & Faustæ virginis, & vigilia S. Matthæi apostoli. *Æquinoctium autumnale.*
XI. cal. Natale S. Matthæi apostoli & evangelistæ.
X. cal. Natale SS. Mauritii & sociorum ejus. VI. M. DC. LXVI. (Et Liutdrudis virginis *altera manu.*)
IX. cal. Passio S. Lini, & depositio S. Liberi episcopi, & natale S. Theclæ virginis.
VIII. cal. Natale SS. Andochii presbyteri, Tyrsi diaconi, & Felicis martyris. (Et conceptio S. Johannis Baptistæ *alia manu.*)
VII. cal. Natale S. Firmini, & passio SS. Sergii & Bacchi.
VI. cal. Natale S. Cypriani & depositio S. Eusebii episcopi.
V. cal. Natale SS. Cosmæ & Damiani martyrum.
IV. cal. Natale S. Justini presbyteri, (& in Gallia S. Liobæ virginis *altera manu.*)
III. cal. Dedicatio Basilicæ S. Michaëlis archangeli. (Ipso die S. Luitwini archiepiscopi *alia manu.*)
II. cal. Natale S. Hieronymi presbyteri, quo nemo post apostolos alter fuit præstantior.
In isto mense nox habet horas xii. *dies* xii.

OCTOBER.

Mensis October habet dies xxxi. *lunam* xxix.

Calendis Octobris Natale SS. Remigii, Germani, Vedasti, Bavonis & Pionis, & S. Nicetii episcopi Trevirensis.
VI. nonas Octobris, Natale S. Leodegarii & S. Eleutherii martyris.
V. nonas, Natale SS. Sulpicii & Serviliani martyrum, & S. Theogenis.
IV. nonas Natale SS. Marci & Marciani.
III. nonas, Natale S. Cristinæ virginis & S. Apollinaris episcopi.
II. nonas, Natale S. Babinæ virginis, & SS. Marcelli, Emilii & Saturnini.
Nonas Octobris, Natale S. Augustini presbyteri, & S. Marci papæ.
VIII. Idus, Natale sanctorum Dionysii, Januarii, & SS. Marcelli & Apulei.

VII. idus, Natale SS. Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii, & S. Gereonis cum ſociis ſuis.
VI. idus, Natale SS. Euſebii, Eracli & S. Paulini epiſcopi.
V. idus, Natale SS. Athanaſii preſbyteri & Venantii & Martialis.
IV. idus, Natale SS. Cæleſti & Saturi. Apud Bituricas S. Opionis preſbyteri & martyris.
III. idus, Natale SS. Fauſti, Anaſtaſii epiſcopi & Venantii confeſſoris. (Treviris Dedicatio baſilicæ S. Johannis apoſtoli & evangeliſtæ *alia manu*.)
II. idus, Natale S. Calixti papæ & S. Lupi. (Et tranſlatio corporum SS. confeſſorum Maximini, Agritii, atque Nicetii *alia manu*.)
Idus Octobris, Natale S. Fortunati.
XVIII. cal. Novembris, Natale S. Longini martyris, & S. Galli confeſſoris. (Et S. Lulli epiſcopi & confeſſoris & S. Sigiſmundi regis *altera manu*.
XVI. cal. Natale S. Victorini, & Paſſio S. Silvani.
XV. cal. Natale S. Lucæ evangeliſtæ. *Sol in ſcorpionem.*
XIV. cal. Natale ſancti Proculi & aliorum XLIV.
XIII. cal. Natale S. Capraſii martyris.
XII. cal. Natale S. Juſti & S. patris noſtri Hilarionis.
XI. cal. Natale S. Severi & S. Philippi epiſcopi.
X. cal. Natale S. Dorothei & S. Severini confeſſoris.
IX. cal. Natale SS. Felicis, Ægati, Vitalis & Flaviani.
VIII. cal. Natale SS. Criſpini & Criſpiniani martyrum.
VII. cal. Natale S. Luciani & Tranſlatio S. Amandi confeſſoris.
VI. cal. Natale S. Mariani & vigilia apoſtolorum Simonis & Judæ.
V. cal. Natale apoſtolorum Simonis & Judæ.
IV. cal. Natale SS. Quinti, Feliciani & Ferentii confeſſoris.
III. cal. Natale S. Saturnini martyris, & Paſſio S. Marcelli centurionis.
II. cal. Natale S. Quintini martyris.
In iſto menſe nox habet horas XIV. *& dies* X.

NOVEMBER.

Menſis November habet dies XXX. *lunam* XXX.

Calendis Novembris Natale S. Cæſarii martyris & feſtivitas Omnium Sanctorum.
IV. nonas Novembris Natale S. Poliani, & apud Viennam ſancti Georgii epiſcopi. v. *Embol.*
III. nonas, Natale SS. Germani & Theophili, & Tranſitus S. Hucberti epiſcopi.
II. nonas, Natale S. Cæſarii diaconi; & Redenis S. Amati confeſſoris.
Nonis Novembris, Natale SS. Domnini & Quarti.
VIII. idus, Natale S. Melani epiſcopi & confeſſoris.
VII. idus, Natale S. Herculani epiſcopi & martyris. *Hiems oritur, habet dies* XCII.
VI. idus, Natale SS. quatuor Coronatorum Claudii, Nicoſtrati, Symphoriani, Caſtoris, Simplicii.
V. idus, Natale S. Theodori martyris: Virduno S. Vitoni epiſcopi & confeſſoris.
IV. idus, Natale S. Leonis papæ & SS. Demetrii epiſcopi & Amneſii diaconi.
III. idus, Natale S. Martini epiſcopi & S. Mennæ martyris.
II. idus, Natale SS. Mauruli & Publii, Germani & Theophili.
Idus Novembris, Natale S. Briccii epiſcopi, & S. Felicis preſbyteri.
XVIII. cal. Decembris, Natale S. Clementini & S. Theodotæ.
XVII. cal. Natale S. Secundini & Fructuoſi.
XVI. cal. Natale S. Eucharii epiſcopi & S Othmari confeſſoris.
XV. cal. Natale S. Aniani epiſcopi. *Sol in Sagittarium.*
XIV. cal. Natale S. Platonis martyris, & SS. Romani & Iſicii martyrum.
XIII. cal. Natale S. Maximi, & Auguſtodano S. Simplicii epiſcopi.
XII. cal. Natale S. Echberti epiſcopi, & SS. Baſſi & Dionyſii.
XI. cal. Natale S. Pontiani papæ, & in Italia S. Columbani abbatis.
X. cal. Natale S. Ceciliæ virginis.
IX. cal. Natale SS. Clementis & Trudonis preſbyteri, & S. Felicitatis.
VIII. cal. Natale S. Chryſogoni martyris.
VII. cal. Natale S. Petri Alexandrinæ eccleſiæ epiſcopi.
VI. cal. Natale SS. Nicandri, Caſſiani & Feliciſſimi.
V. cal. Natale S. Optati epiſcopi & S. Valeriani confeſſoris.
IV. cal. Natale S. Theodoli & S. Rufi martyris.
III. cal. Natale SS. Saturnini, Cryſanti, Mauri & Dariæ virginis, & vigilia S. Andreæ apoſtoli.
II. cal. Natale S. Andreæ apoſtoli.
In iſto menſe nox habet horas XVI. *dies* VIII.

DECEMBER.

Menſis December habet dies XXXI. *lunam* XXIX.

Calendis Decembris, Natale ſanctæ Candidæ, & S. Elegii epiſcopi & confeſſoris, & S. Albani.
IV. nonas, Natale SS. Pontiani, Viviani, Victorini, & Fortunati martyris. I. *Embol.*
III. nonas, Natale S. Agricolæ, Saturnini, Siſinii & Caſſiani.

II. nonas, Natale SS. Metropli, Felicis, Merobii. IV. *Embol.*
Nonas Decembris, Natale S. Crispini martyris & S. Nicetii episcopi & confessoris.
VIII. idus, Natale S. Fortunati & SS. Hermogenis & Rogati.
VII. idus, Natale S. Sabini & Eutationi episcopi & octavæ S. Andreæ apostoli.
VI. idus, Natale S. Eucharii episcopi Trevirensis, & SS. Eusebii episcopi & Jurani presbyteri.
V. idus, Natale SS. Successi & Geronti & S. Cypriani abbatis Petragorici.
IV. idus, Natale S. Milciadis papæ & S. Eulaliæ virginis.
III. idus, Natale S. Damasi papæ, & SS. Victorici & Fusciani martyrum.
II. idus, Natale SS. Hermogenis & Donati.
Idus Decembris, Natale S. Luciæ virginis, & S. Auberti episcopi & confessoris.
XIX. cal. Januarii Natale S. Viatoris episcopi. Apud Ciprum S. Spiridionis episcopi.
XVIII. cal. Natale S. Maximini presbyteri, & SS. Fausti, Candidi & Ceciliani.
XVII. cal. Natale S. Valentini & S. Concordii.
XVI. cal. Natale S. Ignatii martyris, & SS. Victoris & Victoriani.
XV. cal. Natale SS. Rufi & Zozymi, Theotini & Basiliani. *Sol in Capricornum.*
XIV. cal. Natale S. Zosimi, Pauli, Secundi S. Menesii martyris.
XIII. cal. Natale S. Athanasii episcopi & SS. Ammonis & Zenonis.
XII. cal. Natale S. Thomæ apostoli. *Solstitium Hiemale.*
XI. cal. Natale SS. XXX. martyrum. Spolitana S. Gregorii martyris.
X. cal. Natale SS. Eusebii, Johannis, Felicis & S. Victoriæ martyris.
IX. cal. Natale SS. Luciani, Donati, Drusii, & vigilia Natalis Domini nostri JESU CHRISTI.
VIII. cal. Nativitas Domini nostri JESU CHRISTI. Natale S. Anastasiæ & S. Eugeniæ virginis.
VII. cal. Natale S. Stephani protomartyris, & depositio S. Dionysii.
VI. cal. Natale S. Johannis apostoli & evangelistæ.
V. cal. Natale SS. Innocentium. In Africa Castoris, Saturnini, Eusebii.
IV. cal. Natale S. Felicis & S. Trophimi episcopi & confessoris.
III. cal. Natale S. Florentis & S. Perpetui episcopi.
II. cal. Natale S. Silvestri papæ & S. Columbæ virginis.
In isto mense nox habet horas XVIII. *dies* VI.

CALENDARIUM FLORIACENSE.

JANUARIUS.

CAl. Januarias. CIRCUMCISIO DOMINI.
VIII. idus. EPIPHANIA DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.
IV. idus. Natale beati Pauli primi eremitæ.
Idus Jan. Depositio Hilarii Pictaviensis.
XIX. cal. Februar. Natale S. Felicis.
XVII. cal. Natale S. Marcelli.
XVI. cal. Depositio S. Antonii.
XV. cal. Natale S. Priscæ.
XIII. cal. Natale S. Sebastiani.
XII. cal. Natale S. Agnes de passione.
XI. cal. Natale S. Vincentii.
V. calend. Natale S. Agnes de nativitate.

FEBRUARIUS.

IV. nonas. Purificatio B. Mariæ.
II. nonas. *Autissiodori depositio corporis S. Alexandri papæ. Fidicula.*
Nonas Febr. Natale S. Agathæ.
XVI. calendas Martii. Natale S. Valentini.
XIV. cal. Natale S. Julianæ.
VI. cal. Natale S. Matthæi * apostoli.

* l. Mathiæ.

MARTIUS.

VII. idus. Natale SS. XL. martyrum.
IV. idus. Natale S. Gregorii papæ.
XIII. cal. DEPOSITIO DOMNI CUDBERCHTI EPISCOPI.
XII. calend. DEPOSITIO S. BENEDICTI.
VIII. cal. Annuntiatio archangeli ad sanctam Mariam.
VI. cal. RESURRECTIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

APRILIS.

V. idus. Septem Virginum quæ in unum meruerunt coronas.
XVIII. calendas Maias. Natale SS. Tiburtii & Valeriani & Maximi.
IX. cal. Natale S. Georgii martyris.
VII. cal. Letania major ad S. Petrum & S. Marci evangelistæ.
IV. cal. Natale S. Vitalis martyris.

MAIUS.

Calendas Maias. Natale S. Philippi apostoli. *Autissiodori Amatoris episcopi.*
Nonas Maii. Inventio S. Crucis, & passio SS. Alexandri papæ cum sociis suis.
VIII. idus. Natale S. Victoris martyris.
VI. idus. Natale S. Gordiani martyris.
IV. idus. Natale S. Pancratii martyris.
II. idus. Natale S. Hisidori.
XVI. cal. Junii. *Autissiodori passio sancti Peregrini episcopi & martyris primi civitatis ipsius.*

XIV. cal. Nat. S. Pudentianæ. *Autiſſiodori dedicatio eccleſiæ S. Stephani ſenioris.*
XIII. cal. Natale S. Baſſillæ.
VIII. cal. Natale S. Urbani papæ.
VII. cal. *Bedæ presbyteri depoſitio.*
III. cal. Natale S. Felicis papæ.
II. cal. Natale S. Petroneſſæ.

JUNIUS.

VI. idus Junii. Natale S. Medardi.
V. idus. Natale SS. Primi & Feliciani.
IV. idus. Natale S. Barnabæ.
XVIII. cal. Julii. Natale S. Viti.
XV. cal. Natale SS. Diogeni & Blaſti.
XIV. cal. Natale SS. Marcellini & Marci.
XIII. cal. Natale SS. Gervaſii & Protaſii.
X. cal. Natale S. Jacobi apoſtoli.
VIII. cal. Natale S. Johannis-Baptiſtæ.
VI. cal. Natale SS. Johannis & Pauli.
IV. cal. Natale S. Leonis papæ.
III. cal. Natale beatorum apoſtolorum Petri & Pauli.

JULIUS.

VI. nonas. Natale SS. Proceſſi & Martiniani.
II. nonas. Octavas apoſtolorum.
VI. idus. Natale Septem Fratrum.
V. idus. *Adventus beatiſſimi Benedicti abbatis.*
Idus Natale S. Cyrici.
VIII. idus, Natale Jacobi apoſtoli, fratris Johannis.
IV. idus, Natale SS. Felicis, Simplicis, Fauſtini & Beatricis.
III. idus, Natale SS. Abdo & Senne.
II. *Natale ſancti Germani epiſcopi & confeſſoris.*

AUGUSTUS.

Calendas Auguſtas, Natale Machabæorum.
IV. nonas, Natale S. Stephani pontificis.
VIII. idus, Natale S. Xiſti papæ, & SS. Feliciſſimi & Agapiti.
IV. idus, Natale S. Laurentii.
III. idus, Natale S. Tiburtii.
XVIII. cal. Septembris, Aſſumptio S. Mariæ.
XV. cal. Natale S. Agapiti.
XI. cal. Natale S. Timothei.
VIII. cal. Natale S. Bartholomæi apoſtoli.
V. cal. S. Auguſtini epiſcopi. *Autiſſiodori Tranſlatio corporis S. Germani epiſcopi.*
IV. cal. Paſſio S. Johannis-Baptiſtæ.

SEPTEMBER.

VI. idus Septembris, Natale S. Mariæ.
III. idus, Natale S. Proti & Jacinthi.
XVIII. calendas Octembres, Natale SS. Cornelii & Cypriani. *Et exaltatio S. Crucis.*
XI. cal. Natale S. Mathæi apoſtoli.
X. cal. Paſſio Mauritii & VI. M. DCLX. *Autiſſiodori acceptio corporis S. Germani ab Italia.*
VIII. cal. Conceptio Johannis-Baptiſtæ.
V. cal. Natale SS. Coſmæ & Damiani.
III. cal. Dedicatio baſilicæ archangeli Michaëlis.
II. cal. Natale S. Hieronymi preſbyteri.

OCTOBER.

Calendas Octembris, Natale S. Remedii.
V. nonas, Paſſio duorum Heuveddorum.
VII. idus, Natale SS. Marcellini & Genui.
VI. idus, DEPOSITIO DOMNI PAULINI EBROICENSIS* EPISCOPI. *.i Ebroicenſis.
XV. cal. S. Lucæ evangeliſtæ.
V. cal. Natale apoſtolorum Simonis & Judæ.

NOVEMBER.

VI. idus Novembris, Natale Sanctorum IV. Coronatorum.
III. idus, Natale S. Martini epiſcopi.
Idus. *Autiſſiodoro exceptio corporis SS. Alexandri papæ & Criſanti.*
X. cal. Decembris. Natale S. Ceciliæ.
IX. cal. Natale S. Clementis.
VIII. cal. Natale S. Criſogoni.
III. cal. Natale S. Saturnini & *S. Criſanti.*
II. cal. Natale S. Andreæ apoſtoli.

DECEMBER.

II. nonas Decembr. *S. Benedicti abbatis.*
III. idus, Natale S. Damaſi papæ.
XVI. cal. Jan. Natale S. Ignatii martyris.
XII. cal. Natale Thomæ apoſtoli.
X. cal. Natale S. Eugeniæ.
VIII. cal. Natale Domini noſtri JESU CHRISTI.
VII. cal. Natale S. Stephani martyris.
VI. cal. Natale S. Johannis evangeliſtæ.
V. cal. Natale Innocentium.
II. cal. Natale S. Silveſtri papæ.

CALENDARIUM ANGLICANUM.

JANUARIUS.

Hebraïce vocatur *Tebeth*, Ægyptiace *Tubi*, Græce *Cynidios*, Latine *Januarius*, Saxonice *Giul.*

Luna Januarii in media nocte accenditur.

Principium Jani ſancit tropicus Capricornus.

Januarius habet dies XXXI. *luna* XXX.

CAlend. Januarii. Circumciſio Domini noſtri JESU CHRISTI.
IV. nonas. S. Iſidori epiſcopi.
III. nonas. S. Genovefæ virginis.
Nonis. S. Symeonis monachi.
VIII. idus. Epiphania Domini noſtri JESU CHRISTI.
IV. idus. S. Pauli primi eremitæ.

III. idus. Eductio Domini de Ægypto.
Idus. Octavas Epiphaniæ. Sancti Hilarii episcopi.
XIX. cal. Februarii. S. Felicis in Pincis.
XVIII. cal. S. Mauri abbatis.
XVII. cal. S. Marcelli papæ.
XVI. cal. S. Antonii Monachi.
XV. cal. S. Priscæ virginis.
XIV. cal. SS. Mariæ & Marthæ.
XIII. cal. SS. Fabiani & Sebastiani martyris.
XII. cal. Natale Agnetis virginis.
X. cal. SS. Emerentianæ virg. & Macharii.
IX. cal. S. Babilli episcopi, & trium Puerorum.
VIII. cal. Conversio S. Pauli apostoli, & Projecti martyris.
VII. cal. S. Polycarpi presbyteri.
V. cal. Octavæ S. Agnetis virginis.

FEBRUARIUS.

Hebraïce *Sabath*, Ægyptiace *Mechir*, Græce *Penitios*, Latine *Februarius*, Saxonice *Solmon*.

Luna inter mediam noctem & galli cantum accenditur.

Cal. Februarii. Sanctæ Brigidæ virginis.
IV. nonas. Purificatio S. Mariæ.
Nonas. S. Agathæ virginis.
VIII. idus. SS. Vedasti & Amandi.
VI. idus. S. Cuthmanni confessoris. Ante istum locum non potest esse quadragesima.
IV. idus. S. Scolasticæ. S. Sotheris virginis.
III. idus. S. Radegundis virginis.
Idus. S. Eormenhildæ virginis.
XVI. cal. Martii. S. Valentini martyris.
XV. cal. Diabolus a Domino recessit.
XIV. cal. S. Julianæ virginis.
VIII. cal. Cathedra S. Petri apostoli.
VI. cal. S. Matthæi * apostoli. * l. Matthiæ.
III. Inventio capitis S. Johannis Baptistæ post annos CCL.
II. cal. S. Oswaldi archiepiscopi.

MARTIUS.

Hebraïce *Adar*, Ægyptiace *Famenoth*, Græce *Distros*, Latine *Martius*, Saxonice *Hpedmonad*.

Luna Martii in media nocte accenditur.

VI. Nonas Martii. Sancti Ceaddæ episcopi.
V. nonas. SS. VII. Martyrum, & S. Adriani.
II. nonas. Sanctarum Perpetuæ & Felicitatis.
VII. idus. Passio XL. militum Romæ.
IV. idus. S. Gregorii papæ.
XVI. cal. S. Withburgæ virginis. S. Patricii episcopi.
XV. cal. S. Eadweardi regis. Primus dies sæculi.
XIV. cal. S. Joseph sponsi sanctæ Mariæ.
XIII. cal. S. Cuthberhti episcopi.
XII. cal. S. Benedicti abbatis.
VIII. cal. Annuntiatio sanctæ Mariæ.
VI. cal. Resurrectio Domini.
III. Ordinatio S. Gregorii papæ.

APRILIS.

Hebraïce *Nisan*, Ægyptiace *Famuth*, Græce *Xanticos*, Latine *Aprilis*, Saxonice *Eastormonad*.

Luna Aprilis in galli cantu accenditur.

Cal. Aprilis. Beati * Boranti monachi. * f. Baronti.
II. nonas. S. Ambrosii episcopi.
V. idus. S. Mariæ Ægyptiacæ.
III. idus. S. Guthlaci confessoris, & S. Leonis papæ.
Idus. S. Eufemiæ virginis.
XVIII. calendas Maii. SS. Tiburtii, Valeriani & Maximi.
XII. cal. S. Petri diaconi.
IX. cal. S. Georgii martyris.
VIII. cal. S. Wilfridi.
VII. cal. S. Marci evangelistæ. *Lætania major.*
IV. cal. S. Vitalis martyris.
II. cal. S. Ercenwoldi episcopi.

MAIUS.

Hebraïce *Jar*, Ægyptiace *Pactio*, Græce *Antemiseos*, Latine *Maius*, Saxonice *Trimilci*.

Luna Maii mane accenditur.

Cal. Maii. SS. Philippi & Jacobi.
V. nonas. Inventio S. Crucis, SS. Alexandri, Eventii & Theoduli.
II. nonas. S. Johannis apostoli ante portam latinam.
Nonas. S. Johannis episcopi in Beverlisco.
VII. idus. Translatio S. Andreæ apostoli. *Æstatis initium. Habet dies* XCI.
VI. idus. SS. Gordiani, Epimachi, Septimi, Cyrilli.
IV. idus. SS. Nerei & Achilei, & Pancratii.
III. idus. Dedicatio basilicæ sanctæ Mariæ.
XV. cal. S. Ælfgyfæ reginæ.
XIV. cal. S. Potentianæ virginis.
VIII. cal. S. Urbani martyris.
VII. cal. S. Augustini episcopi.
III. cal. S. Felicis papæ.
II. cal. S. Petronillæ virginis.

JUNIUS.

Hebraïce *Sivan*, Ægyptiace *Parni*, Græce *Deseos*, Latine *Junius*, Saxonice *Litha* vocatur.

Luna Junii tertia hora accenditur.

Cal. Junii. S. Nicomedis martyris.
IV. nonas. SS. Marcellini & Petri martyris.
II. nonas. S. Petroci confessoris.
Nonis. S. Bonifacii episcopi.
VII. idus. S. Audomari episcopi.
VI. idus. Depositio S. Medardi episcopi.
V. idus. SS. Primi & Feliciani martyrum.
III. idus. S. Barnabæ apostoli.

Ir. idus. SS. Baſilidis, Cyrini, Naboris & Nazarii.
XVII. cal. Jul. SS. Viti, Modeſti, & S. Eadburgæ virginis.
XVI. cal. SS. Cyrini & Julittæ cum ſociis eorum.
XV. cal. S. Bonifacii confeſſoris.
XIV. cal. SS. Marci & Marcelliani martyrum.
XIII. cal. SS. Gervaſii & Protaſii martyrum.
XI. cal. S. Apollinaris martyris, & S. Leuthfredi abbatis.
X. cal. S. Albani martyris.
IX. cal. S. Ætheldrythæ virginis. Vigilia.
VIII. cal. S. Johannis Baptiſtæ.
IV. cal. S. Leonis papæ. Vigilia.
III. cal. S. Petri apoſtoli.
II. cal. S. Pauli apoſtoli.

JULIUS.

Hebraïce *Thamul*, Ægyptiace *Epiſi*, Græce *Panemos*, Latine *Julius*, Saxonice *Litha*.

Luna Julii in media die accenditur.

VI. nonas. Depoſitio S. Swithuni epiſcopi, & Proceſſi & Martiniani.
V. nonas. Tranſlatio S. Thomæ apoſtoli.
IV. nonas. Ordinatio & tranſlatio S. Martini epiſcopi.
II. nonas. Octava apoſtolorum, & S. Sexburgæ virginis.
Nonis. S. Marinæ virginis.
VIII. idus. S. Grimboldi ſacerdotis. Obitus Eadgari regis.
VI. idus SS. VII. Fratrum cum matre.
IV. idus. S. Mildrythæ virginis.
Idus. Tranſlatio S. Swithuni epiſcopi.
XVI. cal. S. Kenelmi martyris.
XIV. cal. S. Criſtinæ virginis.
XIII. cal. S. Vulfmari confeſſoris, S. Margaritæ virginis.
XII. cal. S. Praxedis virginis.
XI. cal. S. Mariæ Magdalenæ.
X. cal. S. Apollinaris martyris.
VIII. cal. S. Jacobi apoſtoli.
VII. cal. SS. ſeptem Dormientium.
VI. cal. S. Samſonis epiſcopi, S. Pantaleonis martyris.
V. cal. SS. Simplicii, Fauſtini, & Beatricis.
IV. cal. SS. Abdon & Sennen martyrum.
III. cal. S. Germani epiſcopi.

AUGUSTUS.

Hebraice *Dominab*, Ægyptiace *Meſon*. Græce *Loos*, Latine *Auguſtus*, Saxonice *Prodmonad*.

Luna Auguſti inter mediam diem & nonam horam accenditur.

Cal. Auguſti. Ad vincula S. Petri apoſtoli, Machabæorum, S. Athelwoldi.
IV. nonas. S. Stephani epiſcopi & martyris.
III. nonas. Inventio corporis S. Stephani protomartyris.
Nonis. S. Oſwaldi regis & martyris.
VIII. idus. S. Sixti epiſcopi, Feliciſſimi & Agapiti.
VII. idus. S. Donati epiſcopi.
VI. idus. S. Cyriaci martyris, & ſociorum ejus.
V. idus. Vigilia.
IV. idus. S. Laurentii martyris.
III. idus. S. Tiburtii martyris.
Idus. S. Ypoliti martyris, ſociorumque ejus.
XIX. calend. Septembris. S. Euſebii ſacerdotis.
XVIII. cal. Aſſumtio ſanctæ Mariæ.
XVI. cal. Octava ſancti Laurentii martyris.
XV. cal. S. Agapiti martyris, ſanctæ Helenæ reginæ.
XIV. cal. S. Magni martyris.
XI. cal. SS. Timothæi & Symphoriani martyris.
X. cal. SS. Timothæi & Apollinaris.
IX. cal. Vigilia.
VIII. cal. S. Bartholomæi apoſtoli.
VI. cal. S. Rufi martyris.
V. cal. S. Auguſtini magni, S. Hermetis martyris.
IV. cal. Decollatio ſancti Johannis Baptiſtæ, S. Sabinæ virginis.
III. cal. SS. Felicis & Audacti.
II. cal. S. Paulini epiſcopi.

SEPTEMBER.

Hebraïce *Elul*, Ægyptiace *Thoth*, Græce *Gorpieos*, Latine *September*, Saxonice *Halegitonad*.

Luna Septembris circa horam nonam accenditur.

Cal. Septembris. S. Priſci martyris.
II. nonas. Tranſlatio ſancti Byrini epiſcopi, & S. Cuthberthi epiſcopi.
Nonis S. Bertini abbatis.
VI. Idus, Nativitas S. Mariæ. S. Adriani martyris.
V. idus, S. Gorgonii martyris.
III. idus, SS. Proti & Jacinti.
XVIII. calendas Octobris, Exaltatio S. Crucis. SS. Cornelii & Cypriani.
XVII. cal. S. Nicomedis martyris.
XVI. cal. SS. Euphemiæ, Luciæ & Geminiani.
XV. cal. S. Landberthi epiſcopi.
XII. cal. Vigilia.
XI. cal. S. Mathæi apoſtoli & evangeliſtæ.
X. cal. S. Mauricii cum ſociis ſuis.
IX. cal. S. Teclæ virginis.
VIII. cal. Conceptio S. Johannis-Baptiſtæ. Æquinoctium.
VII. cal. S. Firmini martyris.
V. cal. SS. Coſmæ & Damiani martyrum.
III. cal. S. Michaëlis archangeli.
II. cal. S. Hieronymi preſbyteri.

OCTOBER.

Hebraïce *Theſeri*, Ægyptiace *Faoſi*, Græce *Iperbereteos*, Latine *October*, Saxonice *Pinterpillith.*

Luna Octobris inter nonam & veſperam accenditur.

Cal. Octobris, SS. Germani & Remigii epiſcoporum.
VI. nonas, S. Leodegarii.
III. nonas S. Criſtinæ virginis.
Nonis. S. Marci papæ. Marcelli & Apulei.
VII. idus, SS. Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii.
II. idus, S. Caleſti papæ.
XVI. cal. Novembris, S. Ætheldrythæ virginis.
XV. cal. S. Lucæ evangeliſtæ.
VIII. cal. SS. Criſpini & Criſpiniani martyrum.
VII. cal. S. Amandi epiſcopi.
VI. cal. Vigilia.
V. cal. SS. apoſtolorum Simonis & Judæ.
III. cal. Ordinatio S. Swithuni epiſcopi.
II. cal. S. Quintini martyris. Vigilia.

NOVEMBER.

Hebraïce *Imare*, Ægyptiace *Athiri*, Græce *Dios*, Latine *November*, Saxonice *Blotmonad.*

Luna Novembris in veſpertino tempore accenditur.

Cal Novembr. Omnium-Sanctorum. S. Cæſarii.
IV. nonas, S. Euſtachii martyris.
VI. idus, SS. quatuor Coronatorum.
V. idus, S. Theodori martyris.
III. idus, S. Martini epiſcopi. S. Mennæ martyris.
Idus. S. Bricii epiſcopi.
XV. cal. Decembris, S. Aniani epiſcopi.
X. cal. S. Ceciliæ virginis.
IX. cal. S. Clementis martyris.
VIII. cal. S. Chriſogoni martyris.
III. cal. S. Saturnini martyris. Vigilia.
II. cal. S. Andreæ apoſtoli.

DECEMBER.

Hebraïce *Caſleu*, Ægyptiace *Choeac*, Græce *Apileos*, Latine *December*, Saxonice *Giuli.*

Luna Decembris inter veſperam & medium diem accenditur.

III. nonas Decembr. Depoſitio S. Byrini epiſcopi.
II. nonas, S. Benedicti abbatis.
IV. idus, S. Eulaliæ virginis.
III. idus, S. Damaſi papæ.
Idus, S. Judoci confeſſoris, & S. Luciæ virginis.
XII. cal. Januarii, S. Thomæ apoſtoli.
VIII. cal. Nativitas Domini noſtri JESU CHRISTI.

A VII. cal. S. Stephani Protomartyris.
VI. cal. S. Johannis Evangeliſtæ.
V. calend. Necatio Infantium CXLIV. millia.
IV. cal. S. Tibbæ virginis.
III. S. Silveſtri papæ.

ANTIQUUM MARTYROLOGIUM GALLICANUM.

Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin, *regiorum ſigillorum cuſtodis.*

B INCIPIT MARTYROLOGIUM.

JANUARIUS.

Januarius habet dies XXXI. *lunam* XXX.

CAlendas Januarii, Circumciſio Domini noſtri JESU CHRISTI ſecundum carnem. In oriente Stephani. Nicomedia Euphroſini epiſcopi, Primiani.
IV. nonas Jan. Antiochia Syridoni epiſcopi, Firmi, Macharii abbatis. Hæc in Æthiopia Rutuli, Claudiæ, Aurigo, Vetali, Yertiæ,
C Stephani.
III. nonas Jan. Cyrici, Primi. Pariſii civitate depoſitio S. Genovefæ virginis. Vienna civitate beati Florenti epiſcopi.
Pridie nonas Jan. in Africa Aquilini, Gemini, Quinti. In oriente Bononia Ermentis, Aggei & Gagi.
Nonas Jan. Hieroſolyma, depoſitio Simeonis prophetæ.
VIII. idus Januar. Epiphania Domini noſtri JESU CHRISTI, Petri & Marci. Civitate Redonis nativitas &. Ordinatio epiſcopatus & depoſitio S. Melanii epiſcopi ibidem celebris.
D VII. idus Jan. Nicomedia Luciani preſbyteri, Felicis, Januarii, Poliarci, Filoronis.
VI. idus Jan. In Græcia Timothei, Jocundi. Aguſtoduno civitate depoſitio Egimoni epiſcopi, Petri, Luci.
V. idus Jan. In Africa Epictati, Jocundi, Quinti, Secundi, Saturnini, Felicis, Fortunati, Vitalis, Martialis.
IV. idus Jan. depoſitio Melchiadis epiſcopi. In Africa Revocati, Firmi, Saturi.
III. idus Jan. In Alexandria Petri, Siveris, Eliuci.
Pridie idus Jan. in Achaia Cyriaci, Moſcenei, Saturi.
E Idus Jan. Romæ Secundæ, Zoronæ & militum XLI. Pictavis depoſitio S. Hilarii confeſſoris.
XIX. cal. Februarii, Nola Campanias paſſio S. Felicis, Pauli, Succiſi, Victurini.
XVIII. cal. Febr. Antiochia depoſitio Abbacuc prophetæ. Remis civitate depoſitio S. Remegii. epiſcopi & confeſſoris.
XVII. calendas Februarii, Romæ depoſitio S. Marcelli epiſcopi & confeſſoris. Arelate

depoſitio ſancti Honorati epiſcopi.
XVI. cal. Feb. In Thebaïde depoſitio S. Antonii monachi. Bituricas civitate S. Sulpicii epiſcopi. Linguinis paſſio SS. Geminorum Speuſippi, Leonellæ, Junellæ, Neonis; & Deaſci civitate depoſitio Marcelli epiſcopi.
XV. cal. Feb. Romæ dedicatio cathedræ S. Petri apoſtoli, qui primo Romæ ſedit. Romæ S. Priſci, Tyrſi & Gallinici. Turonis monaſterio Majori depoſitio S. Leobardi confeſſoris.
XIII. cal. Feb. Romæ S. Sebaſtiani & Fabiani martyrum. Lugduno Clementis preſbyteri.
XII. cal. Febr. Romæ S. Agnetis virginis. Arvernis depoſitio S. Aviti epiſcopi, Projecti, Amerini, Saturnini.
XI. cal. Feb. in Spaniis Valerii epiſcopi & Vincenti diaconi & martyrum XVIII. cum ſociis eorum.
X. cal. Feb. In Mauritania paſſio Severiani & Aquilæ & uxoris ejus, Eugeni & Machari, Donati.
IX. cal. Feb. Antiochia paſſio S. Babyllæ cum tribus. Par. & aliorum. Eugeni, Feliciſſimi, Saturnini.
VIII. cal. Feb. Antmaſius, Sabinus, Leodotius, Thrugenis. Romæ tranſlatio S. Pauli apoſtoli.
VII. cal. Februarii in Nitia, Smurnæ paſſio S. Polycarpi, Fabiani, Saliani, Sydonis.
VI. cal. Feb. In Apollonia Gagi, Celeſti, Donativi, Publii.
V. cal. Febr. Romæ Natale S. Agnetis virginis de nativitate, Daviti, Juliani.
IV. cal. Feb. In Tuſcia Conſtanti, Hyppoliti epiſcopi. Treveris depoſitio Valerii epiſcopi.
III. cal. Feb. In Africa Belleani, Cleri, Philippiani & aliorum CXXIV.
Pridie calend. Februar. In Alexandria Ammoni, Cyriaci., Gemmeni, Zelaſi.

FEBRUARIUS.

Februarius habet dies XXVIII. *luna* XXIX.

Calend. Febr. Ravenna Severi epiſcopi, Victoris, & paſſio SS. Vindimiali & Singenii.
IV. nonas Febr. Purificatio B. Mariæ quando repræſentatus eſt JESUS in templo, Marini, Victori.
III. nonas Feb. In Africa Felicis. Vapingo depoſitio epiſc. S. Ferridi & Remedii. Lugduno Lupicini epiſc.
Pridie nonas Feb. Foro-Semfroni natale Gimini, Gelaſii magni, Donati, Timoi, Filiæ epiſcopi cum filia ſua.
Nonas Febr. In Sicilia Cathenas paſſio S. Agathæ martyris. Vienna depoſitio Aviti epiſcopi.
VIII. idus Febr. In Achaia Saturnini, Revocatæ. Cæſareæ-Cappad. paſſio S. Dorothei & Thiophili.
VII. idus Febr. In Britannis natale Agili epiſc. Anatholi, Amonis.
VI. idus Febr. In India civitate paſſio S. Thomei apoſtoli. In Arminia Minore natale Diunyſii, Oneliani, Luci. Depoſitio Pauli epiſcopi.
V. idus Febr. Suevo apud Cyprum Natale Alexandri, Pauli, Dionuſii. Depoſitio Præjecti.
IV. idus Febr. Romæ S. Sotheris virginis. Sanctanis civitate S. Trojani epiſc. & Baldecundis abbatiſſæ.
III. idus Februarii. In Apulia Poënis Seufraxi. In Campania Baſiliani.
Pridie idus Februarii. In Africa Damiani, in Italia Donati, Heraclii, Vincentii, Suſannæ.
Idus Febr. Nicomedia paſſio Juliani, Tulliani. Lugduno depoſitio beati Stephani epiſcopi.
XVI. calendas Martii. Romæ paſſio Valentini martyris, Felicolæ. In Tuſcia Spoleti civitate Vitalis, Cyrion, Martiani.
XV. cal. Mart. Antiochia Joſippi diaconi, Apollonii, Romani, & S. Agapæ virginis.
XIV. cal. Mart. In Britanniis Faultini, Viventiæ. In Ægypto Juliani cum Ægyptiis numero V. millium.
XIII. calend. Martias. In Africa Concordiæ, Donati, Caſti, Secundiani.
XII. cal. Martias. In Africa Rutulus, Silvani, Darſici, Secundini. Depoſitio Benedicti abbatis.
XI. cal. Martias. In Africa Publii, Juliani, Marcelli, Majulii, Julii.
X. cal. Martias. Romæ depoſitio Gagi epiſcopi, Victoris, Coronæ, Didimi.
IX. cal. Mart. In Africa Veroli, Secundini, Servuli, Jucundi.
VIII. cal. Martias. Cathedra S. Petri apud Antiochiam. Romæ natale S. Concordiæ, Teclæ virginis diſcipulæ S. Pauli apoſtoli, Valeri, Gagoni.
VII. cal. Martias. In Pannoniis Seneroti, Antigoni, Rutuli. In Aſia Coſani.
VI. calendas Martias. In Cæſarea Heroli, Luci, Surgi, Felicis. Nicomedia Luciani preſbyteri.
V. cal. Martias. In Africa, Donati, Juſti, Aurili. Pampilia natale S. Neſtoris & Caſti.
IV. cal. Mart. Natale SS. Alexandri, Neſtoris, Epicini, Juſti.
III. cal. Martias. In Theſſalonica Alexandri, Thiciani, Gayani.
Pridie calendas Mart. Natalis SS. Celeris, Pupilli, Juſtiopuli.

MARTIUS.

Martius habet dies XXXI. *Lun.* XXX.

Calend. Martii. Natale S. Leonis, Donati,

Abundanti, Adriani, Victoris.

VI. nonas Mart. Georgii, Heroli, Abſaloni. In Cæſaria Luci epiſcopi, Primitivi, Januarii.

V. nonas Martias. Felicis, Lucioli, Juſti, Furtinati, Marciæ.

IV. nonas Mart. Luci epiſcopi, Roligagi Palatini, Orani, Sabellini, Pauli, Gregorii.

III. nonas Mart. In Africa Adriani, Evoli, Euſebii. Antiochia paſſio S. Focæ, Saturnini.

Pridie nonas Mart. Nicomedia Victoris, Victurini, Pabiæ, Diodori, Claudiani.

Nonas Martii. In Africa Saturi, Revocati, Jocundi. In Mauritania paſſio SS. Perpetuæ & Felicitatis. In Siſcham * depoſitio Hildomarceæ virginis.

* Lia Scythia.

VIII. idus Martias. Nicomedia Quirilli epiſcopi & Cavitulini, Rogati, Felicis.

VII. idus Martias. Juliani, Sici, Cyrilli, Mariani, Rogati, Conceſſi.

VI. idus Mart. In Niora Gorgonii, Palatini, Firmi. In Antiochia Agaphæ virginis & Marianæ.

V. idus Martii. In Carthagine Heracli, Zoſimi, Philomi epiſcopi, Candidi.

IV. idus Mart. Romæ depoſitio Gregorii papæ beatæ memoriæ, Innocentii epiſcopi, Racſi epiſcopi.

III. idus Mart. Nicomedia Matidoni presbyteri, Julii epiſcopi, Pioni, Victurini.

Pridie idus Martii. Nicomedia Feliciſſimi, Dativi, Petri, Frunimi.

Idus Mart. Nicomedia Luci epiſcopi & martyris, Fauſti, Silvii, Lucæ evangeliſtæ, S. Longini, Pauli, Tropoli, Octavi. Nicomedia depoſitio S. Eufaxiæ.

XVII. calendas Aprilis. In Aquileia Hilaritas, Jani, Datiani, Papini.

XVI. cal. April. Nicomedia Diunyſii, Januarii, Nonnæ. Romæ Alexandri epiſcopi, Theodoli diaconi.

XV. calend. Aprilis. In Alexandria Collegi diaconi, Colodii diaconi, Quinto, Rogati.

XIV. cal. April. In Cæſarea Cappadociæ Theodori preſbyteri, Lucelli, Theodori epiſcopi, Leontii epiſcopi.

XIII. cal. April. In Antiochia S. Joſeph. In Syria Pauli, Valentini. Fontenella monaſterio in Gallia Wlframni epiſcopi.

XII. cal. April. In Alexandria Seraphionis, Joſipphi, Voluntiani, Ammoni, Polycarpi.

XI. cal. April. Narbonia civitate natale Pauli confeſſoris, Saturnini, Decroni, Arionis.

X. cal. Aprilis. Natalis SS. Fidelis, Theodori preſbyteri, Pauli, Cæſariæ, Juliani, Diunyſii.

IX. cal. April. In Syria Seleucia Agapiti, Romuli, Rogati, Victorini, Saturnini.

VIII. cal. Aprilis. Adnuntiatio S. Mariæ per angelum. Dominus noſter Jesus Christus crucifixus eſt, & natale Caſtuli, Eroſtrati.

VII. cal. April. Natale S. Caſtuli, Munati preſbyteri, Petri epiſcopi, Caſiani epiſcopi.

VI. cal. April. Hieroſolyma reſurrectio Domini noſtri Jesu Christi, & natale SS. Romuli, Acuti.

V. cal. Aprilis. In Cæſarea Rogati, Alexandri. Cavillonis civitate depoſitio Guntramni regis.

IV. cal. April. Nicomedia Paſtoris, Victorini, Saturnini, Theodori preſbyteri, Pentali.

III. cal. April. Natale Domnini, Acaci, Palatini. Aurelianis civitate depoſitio Paſtoris.

Pridie cal. April. Natale SS. Aneti, Felicis, Valeriæ.

APRILIS.

Aprilis habet dies XXX. *Lunam* XIX.

Calend. April. In Arminia Partini, Quintiani, Victoris, Secundi, Diunyſii.

IV. nonas April. In Africa SS. Ampiani, Victori, Marcellini. Lugduno civitate depoſitio Niceti.

III. nonas April. In Sitia SS. Thomæ, Evagrii, Benigni, Theodoſiæ, Donati.

Pridie nonas April. Agatomi diaconi, Pauli, Matutini, Orbani, Saturnini.

Nonas Aprilis. In Nicomedia S. Claudiani, Firmi, Biremi epiſcopi.

VIII. idus April. Quiriaci, Epiphani epiſcopi, item Donati, Sixti, Rufini.

VII. idus April. In Antiochia Syriæ, Timothei, Diogenis, Machariæ, Maximæ, Pululi.

VI. idus Aprilis. Natale Thimori, Macharii, Connexi, Maximæ, Conceſſi.

V. idus Aprilis. Natale Dimitri diaconi, Hilarii, Conceſſi, Fortunati.

IV. idus Aprilis. Natale Apollonii preſbyteri, Hilarii, Donati, Gaiani, Theodori preſbyteri.

III. idus Aprilis. In Mauritania natale S. Salonis, Maximæ, Domnini epiſcopi, Euſtorgii preſbyteri.

Pridie idus April. Pergamo natale SS. Carpi epiſcopi, Pauli, Iſaac. Romæ Julii epiſcopi, Agapi, Valerii, Publii, Baſſi.

Idus Aprilis. Calcidona natalis S. Eufionæ, Polycarpi epiſcopi, Pauli diaconi.

XVIII. calendas Maii. Romæ Tiburtii, Valeriani, Maximi, Quiriaci, Optati, Marciæ.

XVII. cal. Maii. Natale Martonis, Meſſoris, Moſitis, Vironicæ & Victæ, Diugenis, Dei Acluperti, Apodomii cum duobus fratribus.

XVI. cal. Maii. In Achaia natale SS. Caliſti, Cariſſi, Martialis, Silvini.

XV. cal. Maii. In Nicæa Petri diaconi, Hermogenis, Donati, Fortunati, Martiani.

XIV. cal. Maii. In Salonica civitate Septimi

diaconi, Victurici. Romæ Eleutherii epiſcopi & Anthiæ.

XIII. cal. Maii. Natale SS. Hermogenis, Gagi, Rufi, Elvi, Sericiani, Vincenti.

XII. cal. Maii. Romæ depoſitio Victoris epiſcopi, Salviani, Jaraci, Donati. Autiſſiodoro civitate Martinii preſbyteri.

XI. cal. Maii. Natale Fortunati, Arathoris preſbyteri, Vitalis, Apronculi epiſcopi.

X. cal. Maii. Romæ depoſitio Gagi papæ, Primuli, Turdiani. Lugdunum S. Epepodi. Senonis Leonis epiſcopi.

IX. cal. Maii. In Valentia civitate Felicis preſbyteri, Fortunati diaconi, Acellei diaconi & Pantalemoni.

VIII. cal. maii. In Alexandria Coronæ virginis. Et hunc diem Sidrach, Miſac & Abdenago. Lugdunum civitate Alexandri cum aliis XXXIII.

VII. calend. maii. In Perſida civitate Dioſpoli paſſio S. Georgii. Lugdun. Ruſtici epiſcopi. Romæ ſic celebrantur in letania majori.

VI. cal. maii. Natale Aurelii, Leonidis, Vindei, Maximi, Martianæ. Gemelini.

V. cal. maii. Nat. SS. Caſtoris, Andimi epiſcopi, Stephani epiſcopi, Anthonini presbyteri.

IV. cal. maii. Romæ S. Vitalis. In Pannonia Euſeppi epiſcopi & Alipi, Luciani, Niceæ virginis, & depoſitio Amalfredi epiſcopi & confeſſoris.

III. cal. maii. In Alexandria Germani presbyteri, Proſdoci diaconi, Prudenti, Urbani.

Pridie cal. maii. Natale S. Dorothei preſbyteri, Rodociani diaconi. Romæ Quirini epiſcopi, Tyrenti, Marini preſbyteri, Saturnini, Æmiliani, Majoricæ, Polocroni epiſcopi.

MAIUS.

Maius habet dies XXXI. *Lunam* XXX.

Cal. Maii. Initium prædicationis Domini noſtri JESU CHRISTI, & S. Philippi apoſtoli, Horienti epiſcopi, Amatoris epiſcopi, Sigiſmundi regis & martyris.

VI. nonas maii. Natale S. Germani, Cæleſtinæ, Felicis, Cæleſtini, Chetini, Hermogeniæ.

V. nonas Maii. Hieroſolyma inventio ſanctæ Crucis. Romæ S. Juvenalis, Alexandri & Eventi, & Aviti diaconi.

IV. nonas maii. Nicomedia Antonii, Cæleſtini, Fortuni preſbyteri, Petri.

III. nonas maii. In Africa Gregorii, Feliciſſimi, Hilarii epiſcopi. Vienna Nectarietni epiſcopi, S. Amatoris.

Pridie nonas maii. Natale S. Geronti confeſſoris. Mediolano civitate Victoris & Felicis. Autiſſiodoro S. Valerii epiſcopi, Maximi.

Nonas maii. In Nicomedia Flavi epiſcopi, Auguſtini epiſcopi & trium fratrum Marcellini, Magrobii, Euteci.

VIII. idus maii. Mediolano Victoris, Etici, Saturnini. In Santonico S. Martini. Autiſſiodori S. Palladii epiſcopi.

VII. idus maii. Natalis Querillæ, Quindei, Zenoni, Afrodiſii, Timothei, Primoli, Beati confeſſoris, Gordiani.

VI. idus maii. Romæ S. Gordiani, Ebitati, & alibi Sovenanti, Job prophetæ.

V. idus maii. In Sirmia natalis S. Montani, Septimi. Vienna depoſitio Mamerti & Martini epiſcoporum.

IV. idus maii. Romæ natale S. Pancratii, Nerei & Achillei.

III. idus maii. In Palæſtina Taraci epiſcopi & Andronici. In Polentia Victoris, Saturnini, Marcelli epiſcopi.

II. idus maii. Natale ſanctorum Victoris militis, & Coronæ, Secundiani, Quarti.

Idus maii. In Porto Romano Preſtabilis, Felicis, Victoris, Petri & Andrei, Pauli & Dionyſii. Depoſitio Benedicti confeſſoris.

XVII. cal. Junii. In Eſauria Aquilini, Victoriani, Heracli, Paulini, Fadoli preſbyteri.

XVI. cal. Jun. Romæ Partini, Galli, Chori, Heracli, Pauli, Aquilini, Victoris.

XV. cal. Junii. Natale Potaminis preſbyteri, Orthaſii preſbyteri, Lucioſi, Gaſi & Victoris.

XIV. cal. Jun. Romæ natale Potentiani, Gallicieri, Paterni Eunucorum, Quinqui, Primoli, Saluſti, Fortunati.

XIII. cal. Jun. Natale SS. Marcelli, Seſalſi. Romæ Baſillæ. In Noſtata Auræ.

XII. cal. Jun. In Mauritania Timothei, Peheli, Victoris, Donati. Caturſas depoſitio S. Deſiderii.

XI. cal. Jun. Romæ Fauſtini, Venuſti, Caſſi, Æmeluni. Corſica S. Juliæ.

X. cal. Jun. In Spaniis S. Epecteri, Aptonii, Deſiderii epiſcopi, Paſſeliæ epiſcopi.

IX. cal. Jun. In Hiſtria, Zebelli, Servoli. Civitate Nannetis Rogatiani, Donatiani.

VIII. cal. Junii. In Tuſcia civitate Lera S. Sententiati. Via Nomentana S. Urbani epiſcopi, Poletrati.

VII. cal. Junii. Natale Hereali, Pauli, Rufini & Valerii, Saturi, Vituri, & paſſio S. Priſci martyris.

VI. cal. Jun. Natale Aquilli presbyteri, Evangeli, Heliæ, Luciani, Quinti, Eſtiabili.

V. cal. Junii. Pamphilia Zetoli, Primoli. Pariſiis civitate depoſitio S. Germani.

IV. cal. Jun. Natale Polionis, Criſpoli, Primi. Treviris civitate Maximini epiſcopi, ubi multa mirabilia fiunt.

III. cal. Junii. Antiochia SS. Sici, Palatini, Gabini, Criſpoli.

Pridie cal. Jun. Romæ S. Petronillæ virginis S. Petri filiæ, Ganti, Gantiani, Proti, Prævilani, Griſogoni Cantianillæ.

JUNIUS.

JUNIUS.

Junius habet dies XXX. *Lunam* XXIX.

Calend. Junii. In Theſſalonica Octavi, Criſpini, Jubenti, Caſtuli, Arapi, Publii cum aliis CXXVI. Vibina Gladi epiſcopi.

IV. nonas Jun. Romæ Marcellini & Petri. Item Marcellini epiſcopi, Zachariæ presbyteri, Rogatiani epiſcopi cum aliis XLVIII.

III. nonas Junii. In Africa Quirini, Abidiani, Neptori, Julianæ virginis. Aurelianis civitate Leifardi presbyteri.

Pridie nonas Junii. Natale Camaſiæ, Julii, Saturnini. Italia Ruſtici epiſcopi, Daciani.

Nonas Junii. In Ægypto, Martiani, Nigrandi & Apolloniæ, Gregorii.

VIII. idus Jun. Nevidunum Amanti, Luci, Alexandri, Claudii epiſcopi, Cærati epiſcopi.

VII. idus Jun. Natale Pauli, Fortunati, Magri, Primoſi, Luciani.

VI. idus Jun. Romæ Primi & Felicis, Nabor, Nazari. Sueſſionis civitate depoſitio S. Medardi confeſſoris & pontificis.

V. idus Jun. Natale Maximini preſbyteri, Vincenti, Baſſilidis, Jachariæ, Cenſuri epiſcopi, & depoſitio Sagittarii confeſſoris.

IV. idus Jun. S. Baſillæ, Criſpoli.... Auriſi, Rogati.

III. idus Jun. Natale Emeriti, Victuriani, Victoris & Fortunati.

Pridie idus Jun. Natale S. Balſilidis, Naboris & Felicis, Tribolis Madaledis.

Idus Jun. In Africa Luciani, Fortunati. Romæ S. Feliculæ.

XVIII. cal. Julii. Natale Antonii, Quitiani, Proti. Sueſſionis civitate Valerii & Rufini martyrum. Aurelianis civitate tranſlatio corporis S. Aniani confeſſoris & epiſcopi, & liberatio civitatis ipſius a Chunis.

XVII. cal. Jul. Natale S. Hyſiti, Clementis, Cantiani, Jovoniani, Filippi, Joviani, Candidi, Cantiani, Criſſogoni, Quintiani.

XVI. cal. Jul. Caulaurea S. Viti martyris, Modeſti & Criſcenti, Cyrici, Julittæ matris ejus.

XV. cal. Jul. Natale S. Alexandri, Dioſcori & Marini martyr. Quiriaci, Cyriæ. Aurelianis civitate Aviti preſbyteri.

XIV. cal. Jul. Romæ Natale Marci & Marcelliani. Ravenna Martori, Felicis, Emeli, Criſpini.

XIII. cal. Julii. In Mediolano SS. Gervaſii & Protaſii, & Celſi pueri. Romæ Hippoliti, Honoriæ, Voti, Petri.

XII. cal. Julii. Natale Pauli, Cyriaci, Feliciani, Vitalis, Criſpini. Depoſitio Childemarchi virginis ſacræ.

XI. cal. Julii. In Cæſarea depoſitio S. Euſebii epiſcopi, & alibi Quiriaci, Apollonaris, Rufini & Martii.

X. cal. Julii. In Britanniis Albini martyris cum aliis DCCCLXXXVII. Nola, Paulini epiſcopi, & S. Niceti epiſcopi.

IX. cal. Julii. Natale Aviti, Aritionis, Emeriti, Capitionis.

VIII. cal. Julii. In provincia Palæſtinæ nativitas S. Johannis Baptiſtæ; & in Epheſo aſſumtio S. Johannis apoſtoli.

VII. cal. Julii. Natale S. Lantalibi, Caritæ. Salonica Lucæ virginis, & Acciahæ regis.

VI. cal. Julii. Romæ Johannis & Pauli fratrum, & alibi Gauderti, Felicis.

V. cal. Julii. Romæ Criſpi, Criſpiniani, Felicis, Juliani, Primitivi, Juſtini.

IV. cal. Julii. In Africa Fabiani, Venuſti, Curucci, Apolloni, Dionyſii, Hynoſi.

III. cal. Julii. Romæ natale apoſtolorum Petri & Pauli & aliorum DCCCCLXXVI.

Pridie calendas Julii. Lemovicas depoſitio S. Martialis epiſcopi. Andegavis civitate depoſitio S. Albini epiſcopi & confeſſoris; & alibi aliorum ſanctorum Curſici preſbyteri, Leonis ſubdiaconi.

JULIUS.

Julius habet dies XXXI.

Cal. Julii. Romæ Gagi preſbyteri. In monte Or depoſitio Aaron ſacerdotis. Aguſtini, Leoni epiſcopi. In Gallia Karileffi confeſſoris.

VI. nonas Julii. Romæ Proceſſi & Martiniani, & Melchiadæ papæ. Turonis Munugundæ ancillæ Dei.

V. nonas Julii. In Alexandria Triphonis, Cyronis, Aprici, Juliani.

IV. nonas Julii. In Gallia Turonis ordinatio epiſcopatus, & tranſlatio corporis, & dedicatio baſilicæ S. Martini epiſcopi. Biturices nat. S. Lauriani martyris.

III. nonas Julii. Natale Agathoni, Triphonis, Magrini, Theodoti, Meroni, Rodoſiæ.

Pridie nonas Julii. Natale Palladi, Philippi, Severi, ac Zotici, Ariethis.

Nonas Julii. Natale Eracli, Apollonii, Publii cum aliis XVIII. Parma Novi & Parmini.

VIII. idus Julii. Natale SS. Suſtrati, Eſperi, Heraclii, Quanti, Pancratii, Corneliani cum aliis numero LX.

VII. idus Julii. Natale SS. Motthi, Fauſtiniani, Nathol.... Feliciani cum preſbyteris VII. & Fraterni epiſcopi.

VI. idus Julii. Natale VII. germanorum, id eſt Felicis, Philippi, Maximi, Silvani, Prætextati, Januarii, cum ſociis eorum.

V. idus Julii. Natale SS. Mariani, Stephani, Leonis, Mauritii. Pictavis depoſitio Baſſenæ abbat.

IV. idus Julii. Mediolano Naboris & Felicis, Primitivi. Lugduni Viventioli epiſcopi.

III. idus Julii. Natale Syraphionis, Attalis,

Profili, Menci presbyteri, Trophinæ virginis.

Pridie idus Julii. Natale SS. Donati, Anthioci, Mari. Lugduni Galliæ Justi episcopi, Amici episcopi & confessoris. In Fiscamno dedicatio basilicæ S. Trinitatis.

Idibus Julii. In Porto Romano natale SS. Zotimi, Bonosi & sociorum, Catholini diaconi.

XVII. cal. Augusti. Natale SS. Hclarini, Macharii, Dionysii.

XVI. cal. Augusti. Natale Aquilini, Bituri, Generosi, Nazarii. Antissiodero Theodosii episcopi.

XV. cal. Augusti. Romæ natale Symphorisi patris VII. germanorum, & alibi Flabæ episcopi.

XIV. cal. Augusti. Natale Sysiuni, Lampadi, Petri, Justi, Rustici presbyteri.

XIII. cal. Augusti. Natale SS. Sabini, Luciani, Victoris, Pauli, Romani, Valeriani.

XII. cal. Augusti. Romæ S. Praxedis. Massilia natale SS. Victoris, Alexandri, Feliciani, Adriani.

XI. cal. Augusti. Natale SS. Cyrilli, Andrei, Tabelli, Auri, Platonis.

X. cal. Augusti. Romæ natale S. Vincenti.... Apollinaris, Bimitivæ.

IX. cal. Augusti. Natale S. Victurini militaris.... & S. Cristinæ virginis.

VIII. cal. Augusti. Natale SS. Acinti, Noani, Jacobi, Clementis & Juliani; & in..... passio S. Christophori martyris.

VII. cal. Augusti. Natale SS. Joviniani, Marciani.... In Nicomedia passio SS. Adriani cum aliis numero XXIII.

VI. cal. Augusti. Natale SS. Juliæ, Jocundæ, Januarii, Simeonis, & S. Echeri episcopi.

V. cal. Augusti. Natale sanctorum Theophili, Auxenti, Prudoti. Nicomedia sancti Pantaleonis.

IV. cal. Augusti. Natale sanctorum Rufi, Pontiani. Trecas S. Lupi, Anastasiæ. Aurelianis civitate Prosperi episcopi.

III. cal. Augusti. Romæ Felicis, Fausti, Viatricias. Autissiodoro depositio B. Urfi episcopi.

Pridie calendas Augusti. In Africa Secundi Tyrsi..... Autissiodoro depositio sancti Germani episcopi & confessoris.

AUGUSTUS.

Augustus habet XXXI. *dies.*

Calendas Augusti. In Antiochia passio sanctorum Machabæorum cum matre. Vercellis civitate in Italia S. Eusebii episcopi. In Spaniis S. Felicis.

IV. nonas Augusti. Romæ S. Stephani pontificis. In Italia Verona civitate natale sancti Felicis.

III. nonas Augusti. Natalis Metropoli episcopi, Hermeli martyris, Drogenis. Hierosolyma inventio beatissimi protomartyris, Eusrosini episcopi.

Pridie nonas Augusti. Crisscentiani, Justi.... Bartholomæi.

Nonas Augusti. Natale Hiereni, Affieradi. Agusta civitate S. Afræ. Agusta Cassiani episcopi. Catalauni S. Memmi.

VIII. idus Augusti. Romæ Xisti, Felicissimi & Agapiti, Donatiani, Faustini, & passio S. Afræ.

VII. idus Augusti. Natale SS. Effroni, Veneriæ, Donti episcopi, Ausenti, Faustini, Quiriaci, Donati.

VI. idus Augusti. Natale SS. Severiani, Victurini, Albini, Cyriaci, Largi, Metretæ virginis, Gloenedis.

V. idus Augusti. In oriente S. Firmi, Rustici, Pinoni Diunysii. Lemovicas S. Martini Brivensis.

IV. idus Augusti. Passio S. Laurentii archidiaconi, Felicissimi, Crisscentionis, Januarii.

III. idus Augusti. Natale Valeriani, Tyburtii & Ceciliæ virginis, & passio sancti Cassiani.

Pridie idus Augusti. Natale S. Eupli, Macharii, Juliani, Crisanti & Dariæ.

Idus Augusti. Romæ Yppoliti martyris, Pontiani. Pictavis civitate depositio sanctæ Radegundis reginæ.

XIX. Cal. Septembris. Natale.... Fortunati, Dimetri, Vincentiæ, Tatuli.

XVIII. calend. Sept. Adsumtio sanctæ Mariæ matris Domini, Stroctionis, Philippi, Eutiani.

XVII. cal. Sept. Natale SS. Horioni, Heneliæ, Agnati. . . . . .

ANTIQUUM CALENDARIUM

Monasterii Stabulensis.

JANUARIUS.

CAlendis Januarii, Circumcisio & octava Domini. Romæ S. Concordii martyris. *Thiatmarus episcopus.*

IV. nonas, Romæ S. Telesfori papæ & martyris VIII.

III. nonas, Parisius depositio S. Genovefæ virginis. Romæ Antheri papæ & martyris XVIII.

II. nonas, In Antiochia S. Simeonis monachi, & Jerusalem S. Simeonis propheræ.

Nonas, Natalis S. Severini confessoris. *Hepo decanus obiit.*

VIII. idus, Epiphania Domini.

VII. idus, In Thracia S. Isidori episcopi, & SS. Martyrum, Faustæ & Evilasii, S. Valentini episcopi.

VI. idus, In Gallia civitate Bellovagus natalis SS. martyrum Luciani, Maximiani, Juliani.

V. idus *Sicco obiit.*
IV. Idus, in Thebaïdis depoſitio S. Pauli primi eremitæ.
III. idus, Eductio Domini de Ægypto. *Hauuini presbyter obiit.*
Idus. Octava Epiphaniæ. S. Hilarii epiſcopi & SS. Juliani & Baſiliſſæ. In Campania civitate Nola paſſio Felicis, Agapiti, & Pontiani mart.
XIX. calendas Februarii, depoſitio S. Remigii confeſſoris.
XVIII. cal. Romæ S. Marcelli papæ xxx. & Perronæ S. Furſei abbatis, & Honorati martyris.
XVII. cal. S. Sulpitii martyris & S. Antonini.
XVI. Romæ S. Priſcæ virginis, & cathedra S. Petri.
XIII. cal. Romæ Fabiani martyris papæ xx. Sebaſtiani martyris, Mari, Marthæ, Audifax & Abacuc martyrum. S. Pontiani martyris.
XII. cal. S. Agnetis virginis.
XI. cal. Paſſio S. Vincentii diaconi, & Anaſtaſii martyris.
X. cal. Paſſio SS. Emerentianæ & Macharii atque Eugenii.
IX. cal. In Antiochia Babillæ epiſcopi cum tribus pueris. *Tertii Ottonis imperatoris obitus.*
VIII. cal. Damaſco converſio Pauli; & Arvernis Præjecti martyris.
VII. *Ædit regina obiit.*
VI. cal. *Giſilharius archiepiſcopus obiit.*
V. cal. Romæ S. Agnæ virginis.
IV. cal. S. Valerii epiſcopi, Papiæ & Mauri martyr. *S. Conſtantini martyris.*
III. cal. Malbodio monaſterio S. Aldegundæ virginis.
II. cal. S. Julii conf. *Rodolt ſubdiaconus obiit.*

FEBRUARIUS.

Calend. Februarii S. Brigidæ virginis & S. Polycarpi epiſcopi.
IV. nonas, Purificatio ſanctæ Dei Genitricis. *Eodem die, anno* MIV. *ordinatio Tageni ſanctæ Magadaburgenſis eccleſiæ archiepiſcopi tertii.*
III. nonas, S. Blaſii epiſcopi & martyris.
Nonas. In Sicilia paſſio S. Agathæ virginis.
VIII. idus Amandi epiſcopi, S. Vedaſti epiſcopi & S. Dorotheæ virginis.
VII. idus S. Helenæ.
III. idus, S. Sotheris & Scholaſticæ virginis, Zotici, Herenei & Jacinti. *Adricus presbyter obiit.*
II. idus, S. Caſtrenſis martyris. *Hilderadus presbyter obiit.*
XVI. cal. Martii. Interamnis Valentini epiſcopi. Romæ Valentini preſbyteri, Vitalis, Feliculæ, Tenonis.
XV. cal. Depoſitio S. Silvini epiſcopi, Fauſtini & Jovitæ martyrum.
XIV. In Combas paſſio S. Julianæ virginis, Onclimi confeſſoris.
XII. cal. *Veſtburg ſoror noſtra obiit.*
XI. cal. *Godila diaconus obiit.*
X. cal. S. Eucharii epiſcopi & confeſſoris.
IX. cal. S. Felicis confeſſoris.
VIII. cal. In Antiochia cathedra S. Petri, Teclæ, Concordiæ. *Anno* M. VIII. *die Dominica dedicata eſt crypta noſtræ baſilicæ.*
VII. cal. *Huſewardus presbyter, Bodo confrater noſter obiit.*
VI. cal. S. Mathiæ apoſtoli.
V. cal. *Walburgæ virginis, adventus S. Mauricii martyris.*
IV. cal. In Alexandria S. Fortunati confeſſoris. *Amuco presbyter obiit.*
III. cal. *Hazacho presbyter obiit.*

MARTIUS.

Calend. Martii, Depoſitio S. Albani, Donati martyris, & Leonis.
VI. nonas, Romæ S. Simplicis papæ XLVIII. *Willihelmus archiepiſcopus obiit.*
V. nonas, *Domina Chunigunda imp. auguſta obiit dignæ & piæ memoriæ.*
IV. nonas, S. Adriani martyris cum ſociis ſuis, Lucii papæ & martyris. *Ende abbas obiit.*
III. nonas, Paſſio S. Focæ epiſcopi.
II. nonas, S. Quiriaci preſbyteri. *Thiedericus comes obiit.*
Nonas. Paſſio SS. Perpetuæ & Felicitatis. *Alferi presbyteri obitus.*
VII. idus, In Sebaſte Armenia minore XL. militum *Bruno archiepiſcopus obiit.*
IV. idus. Romæ S. Gregorii papæ. *Amulred laica obiit.*
Idus. *Sigiefridus comes obiit.*
XVII. Calendas April. S. Cyriaci martyris & S. Euſebiæ virginis. *Reinvvardus presbyter obiit. Obiit Fritherun ſanctimonialis.*
XVI. cal. In Scotia S. Pancratii; & in Nivella S. Gertrudis virginis.
XV. cal. Romæ S. Pimenii martyris.
XIV. calendas. In Bethleem S. Joſeph nutritoris Domini. *Frithericus presbyter obiit.*
XIII. cal. Fontinella depoſitio Wlfranni epiſcopi, Cuthberti app. & epiſcopi. *Bernhardus diaconus obiit.*
XII. cal. Depoſitio S. Benedicti abbatis.
IX. cal. *Wihberhtus epiſcopus & frater noſter obiit.*
VIII. cal. Adnuntiatio, conceptio & paſſio Domini. Paſſio Jacobi fratris Domini.
VII. cal. S. Caſtuli preſbyteri & Acacii. *Liudgeri epiſcopi & confeſſoris. Thiedricus decanus. Badegoz presbyter obiit.*
VI. cal. Reſurrectio Domini.
V. cal. *Liudulfus laicus obiit.*
III. cal. In Theſſalonica S. Victoris martyris.
II. cal. Silvanectis S. Reguli epiſcopi & confeſſoris.

APRILIS.

Calendis Aprilis. In Theſſalonica SS. Quintiani, Agapi, & Chioniæ.
III. nonas. Paſſio S. Theodoſiæ virginis.
II. nonas. Mediolani depoſitio S. Ambroſii epiſcopi & confeſſoris.
VIII. idus. Romæ S. Cæleſtini papæ XLIV.
VII. idus. *Luidulfus archiepiſcopus.*
V. idus. S. Antonini confeſſoris, & in Sirmia VII. virginum.
IV. idus. S. Antonii martyris.
III. idus. Romæ S. Leonis papæ XLVI. & S. Zenonis martyris. Item, Romæ S. Julii papæ XXXV.
Idus. In civitate Calcedona paſſio S. Euphemiæ virginis. *Wilping diaconus obiit.*
XVIII. cal. Maii. Romæ SS. martyrum Tiburtii, Valeriani, Maximi, & Frontoni. *Kriſtin ſubdiaconus.*
XVII. cal. Nat. S. Helenæ matris Conſtantini.
XVI. cal. *Erp laïcus obiit, Merquuardus presbyter obiit.*
XIV. cal. Eleutherii epiſcopi & martyris, & Antiæ matris ejus.
XII. cal. SS. Victoris epiſcopi, Felicis, Alexandri. Papiæ Seneſii martyris. *Obiit Thiezuca ſanctimonialis.*
XI. cal. S. Maximi martyris. *Thoncunardus presbyter obiit.*
X. cal. Romæ S. Sotheris papæ XII.
IX. cal. S. Georgii martyris. *S. Adalberti epiſcopi & martyris. Tabæ ſororis noſtræ.*
VII. cal. In Alexandria S. Marci evangeliſtæ.
V. cal. Romæ S. Anaſtaſii papæ & confeſſoris XL.
IV. cal. SS. martyrum Vitalis, Torpetis, Panphili epiſcopi & confeſſoris. *Athelda-gus archiepiſcopus.*
III. cal. Romæ S. Cleti papæ & martyris II. & tranſlatio S. Richari ſacerdotis.
II. cal. Romæ Quirini epiſcopi & martyris.

MAIUS.

Calendis Maii. Natalis apoſtolorum Philippi & Jacobi. Paſſio S. Cyriaci epiſcopi, & Sigiſmundi regis, & Walburgæ virginis.
VI. nonas Maii. S. Anaſtaſii epiſcopi & confeſſoris.
V. nonas. Romæ S. Alexandri papæ VI. & SS. Eventii & Theodoli, & Inventio S. Crucis. *Biſo, Egico fratres noſtri.*
IV. nonas. S. Floriani martyris cum XL. ſociis. *Herdingus abbas obiit.*
Nonas. *Obitus Ottonis Magni imperatoris. Sztodorinus presbyter obiit.*
VIII. idus. Mediolani S. Victoris martyris *& Coronæ virginis.*
VII. idus. S. Beati preſbyteri & confeſſoris, *Gerontii martyris.*
VI. idus. Romæ natalis SS. martyrum Gordiani & Epimachi. *Commemoratio ſancti Remagli epiſcopi.*
V. idus. Vienna depoſitio ſancti Mamerti epiſcopi.
IV. idus. Romæ SS. martyrum Nerei, Achillei & Pancratii.
III. idus. Trajecto S. Servatii epiſcopi, Taraci, Probi & Andronici.
II. idus. Romæ S. Theodori papæ LXXXIII. *Richarius abbas obiit.*
XIV. cal. Junii. Romæ S. Potentianæ virginis.
XIII. cal. S. Cononis & S. Baſillæ virginis.
XII. cal. In cœnobio Augenſe S. Vitalis martyris.
XI. cal. S. Fauſtini confeſſoris & S. Helenæ virginis.
X. calend. SS. martyrum Deſiderii epiſcopi, Sulpitii & Serviliani.
IX. cal. In civitate Nannetis paſſio SS. Donatiani & Rogatiani.
VIII. cal. Romæ S. Urbani papæ & martyris XVI. & S. Deſiderii martyris. *Obiit Guntheri diaconus frater noſter.*
VII. cal. In Britannia S. Auguſtini primi Anglorum epiſcopi, & Symmetrii epiſcopi. *Thiatſvith ſoror noſtra obiit.*
V. cal. Pariſius depoſitio S. Germani epiſc.
IV. cal. Treviris depoſitio ſancti Maximini epiſcopi.
III. cal. Romæ S. Felicis papæ & mart. XVI.
II. cal. Romæ S. Petronillæ virginis & SS. martyrum Cantii, Cantiani & Cantianillæ.

JUNIUS.

Calendis Junii. S. Pamphili martyris, SS. Fauſtini epiſcopi & martyris, ſociorum ejus Abundii, Gratiani, Secundi martyrum, Juvini confeſſoris. *Adelgerus diaconus obiit. Hecil. Commemoratio Hivæ abbatiſſæ.*
IV. nonas. Romæ natalis SS. martyrum Marcellini & Petri & S. Martinæ cum aliis XLVII. *Prebor frater noſter obiit.*
III. nonas. Pergentini & Laurentini martyr.
II. nonas. S. Quirini epiſcopi & martyris.
Nonas. Fuldenſi in cœnobio Bonifacii martyris natale celebratur & paſſio. *Et dedicatio in Stabulaus.*
VIII. idus. SS. martyrum Vincentii & Benigni. *Radulfus laicus confrater noſter.*
VII. idus. Ordinatio Henrici regis ſecundi.
VI. idus. Nat. SS. Medardi & Gildardi.
V. idus Romæ SS. Primi & Feliciani.
IV. idus. S. Gethullii martyris.
III. idus. S. Barnabæ adjutoris Pauli. *Sicco ſubdiaconus obiit. Alfkerius & Ricolfus monachus obiit.*
II. idus. SS. Baſilidis, Cyrini, Naboris, Nazarii, Tripodis & Mandalis.
Idus. S. Feliculæ virginis.
XVIII. calendas Julii. Paſſio SS. Valerii & Rufini.
XVII. cal. Paſſio SS. Viti, Modeſti & Creſcentiæ.

XVI. cal. SS. Ferrioli, Ferrutionis, Aurei & Juſtini.
XV. cal. Depoſitio S. Aviti preſbyteri, & Diogenis martyris.
XIV. cal. Romæ SS. martyrum Marci & Marcelliani.
XIII. cal. Mediolano paſſio SS. Gervaſii & Prothaſii.
XII. cal. *Aedelberhtus archiepiſcopus Magadeburgenſis eccleſiæ primus.*
XI. cal. In Alamannia paſſio S. Albini martyris, S. Euſebii hyſtoriographi.
Nota. X. cal. In civitate Nola depoſitio S. Paulini epiſcopi.
VIII. cal. Natalis S. Johannis Baptiſtæ.
VII. cal. *Tranſlatio S. Remagli.*
VI. cal. Romæ SS. martyrum Johannis & Pauli fratrum, & Valentianis S. Salvi martyris.
V. cal. In Epheſo revelatio SS. VII. dormientium.
IV. Romæ S. Leonis papæ & vigilia apoſtolorum.
III. cal. SS. apoſtolorum Petri & Pauli. Fortunati epiſcopi & confeſſoris. *Gero Colonienſis archiepiſcopus.*
II. cal. Celebritas S. Pauli, S. Marcelliani epiſcopi & confeſſoris.

JULIUS.

Calendas Julii. Romæ S. Gaii epiſcopi, & SS. Fidei, Spei, Caritatis, cum Sophia matre earum.
VI. nonas, Romæ SS. Proceſſi & Martiniani, & S. Monegundis. *Obitus militum S. Mauricii, qui occiſi ſunt in Arnaburg.*
V. nonas Tranſlatio S. Thomæ apoſtoli.
IV. nonas, *Feſtivitas S. Odalrici epiſcopi. Benedictus papa obiit.*
II. nonas, Octavas Apoſtolorum, & S. Goaris confeſſoris.
Nonas. *Gerlacus monachus.*
VIII. idus, In Germania S. Cyliani & ſociorum ejus.
VII. idus. In Ægypto paſſio Cyrilli epiſcopi, Procopii, & S. Effrem monachi, & Briccii confeſſoris.
VI. idus, Romæ paſſio SS. VII. fratrum filiorum Felicitatis, id eſt Philippi, Vitalis, Martialis, Alexandri, Silvani, Januarii, Felicis.
V. idus, Tranſlatio S. Benedicti abbatis.
IV. idus, SS. Martyrum Felicis & Primitivi.
III. idus, S. Margaretæ virginis.
II. idus, *Fridericus diaconus. Adiel presbyter obiit.*
Idus, *Ekkihardus diaconus obiit.*
XVII. cal. Auguſti, Hilarii martyris. *Adelmannus presbyter obiit.*
XVI. cal. In Cartagine natalis SS. Sperati epiſcopi, Martialis, Januarii, Cythii.
XV. cal. Veſtarii, Felicis, Aquilini, Jactantii, Gencroſi, Veſtæ, Donatæ & Secundæ martyrum. *Arnulfi epiſcopi.*
XIV. cal. S. Arſenii monachi.
XIII. cal. *Gemmetico in Galliis* S. Philiberti abbatis.
XII. cal. S. Praxedis virginis, paſſio S. Symphoroſæ cum VII. filiis. *Obiit Giſla filia Cuonradi regis.*
XI. cal. SS. martyrum Siſinnii & Florentii, Mariæ Magdalenæ. *Burchardus presbyter obiit.*
X. cal. Ravenna S. Apollinaris martyris.
IX. cal. S. Criſtinæ virginis, & S. Simplicis.
VIII. cal. S. Jacobi fratris Domini, S. Johannis evangeliſtæ, & SS. Georgii, Aurelii, Nataliæ & Criſtofori martyrum. *Liudulfus epiſcopus obiit.*
VII. cal. Romæ S. Eutyciani papæ XXVII. SS. martyrum Ruſtici & Florentii. Eodem die S. Fronymi epiſcopi.
VI. cal. In Syria Simeonis monachi, Romæ Aconei & Emeriti martyrum.
V. cal. Romæ Innocentii papa XLI. *Azo presbyter & præpoſitus.*
IV. cal. In Africa Felicis, Simplicii, Fauſtini & Beatricis, Lubi confeſſoris. *Rich presbyter laicus obiit.*
III. cal. Romæ Abdon & Sennes, & S. Urſi epiſcopi.
II. cal. Autiſſiodori depoſitio S. Germani epiſcopi & confeſſoris.

AUGUSTUS.

Cal. Auguſti, Romæ S. Petri ad vincula, paſſio Machabæorum VII. fratrum cum matre ſua.
IV. nonas, Romæ S. Stephani papæ XXIII.
III. nonas, Hieroſolymis inventio corporis protomartyris Stephani. *Thiatmarus obiit.*
II. nonas, Romæ S. Juſti preſbyteri, qui corpora ſanctorum collegit.
Nonas, Caſſiani epiſcopi, Memmei epiſcopi, & Hotwaldi regis.
VIII. idus, SS. martyrum Sixti epiſcopi, Feliciſſimi & Agapiti, Magni, Januarii, Juſti, Paſtoris.
VII. idus, paſſio SS. Donati epiſcopi, Elarini monachi, & S. Afræ.
VI. idus, S. Cyriaci diaconi & martyris, cum aliis viginti. *Hadamarus presbyter obiit.*
V. idus, Romæ S. Romani, Firmi & Ruſtici martyris.
IV. idus, Paſſio S. Laurentii martyris & levitæ. *Obiit Thiadricus presbyter.*
III. idus, SS. martyrum Tiburtii & Suſannæ, S. Gaugerici epiſcopi & confeſſoris, & Radegundis. *Gero & Waldo.*
II. idus, In civitate Catanenſium, paſſio S. Eupli diaconi. *S. Caſſiani martyris. Obiit Walthardus epiſcopus.*
Idus, Romæ, SS. martyrum Ypoliti & Caſſiani, Wigberti confeſſoris.
XIX. cal. Septembris, S. Euſebii ſacerdotis.
XVIII. cal. aſſumtio S. Dei genitricis.
XVII. cal. S. Arnulfi epiſcopi & confeſſoris.

XVI. cal. Octava S. Laurentii & S. Mammetis monachi & martyris.
XV. cal. Paſſio S. Agapiti martyris.
XIV. cal. In Alexandria S. Magni martyris, Felicis & Fortunati. *Liudulfus diaconus.*
XIII. cal. S. Maximi confeſſoris.
XII. cal. S. Privati martyris.
XI. cal. S. Timothei & S. Symphoriani martyrum.
X. cal. In civitate Agea SS. Timothei, Apollinarii, Claudii, Auſterii, & Neonis.
VIII. cal. In India paſſio Bartholomæi apoſtoli, Geneſii martyris, S. Audoeni epiſcopi. Arelato paſſio S. Geneſii martyris. *Obiit Landoltus comes.*
VII. cal. Romæ SS. Erenei & Abundi. *Lintharius presbyter obiit.*
VI. cal. In Capua S. Rufi martyris.
V. cal. Romæ S. Hermetis, S. Auguſtini, S. Juliani martyris. *Cuonradus presbyter obiit.*
IV. cal. Romæ S. Sabinæ martyris, & decollatio S. Johannis Baptiſtæ.
III. cal. In Apulcia paſſio SS. Felicis & Audacti.
II. cal. Treviris depoſitio S. Paulini epiſcopi & confeſſoris *Juſti & Clementis.*

SEPTEMBRIS.

Calend. Septembris, In Capua Aquaria SS. martyrum Priſci, Petri, Felicis, Donati, Victoris: Sennis, Lubi, Sixti & Sinnicii epiſcoporum.
IV. nonas. SS. martyrum Aniceti & Foniti, & S. Juſti Lugdunenſis epiſcopi. *Helmricus decanus obiit.*
III. nonas. S. Antonini martyris. *Depoſitio S. Romagli epiſcopi & confeſſoris.*
II. nonas. SS. martyrum Marcelli & Juſti. *Eggihardus presbyter obiit & philoſophus.*
Nonas. Vienna S. Ferrioli epiſcopi, Ferrutii, Quintini, Ingenui, Taurini, Acenci, Erculani. *S. Victorini martyris & epiſcopi.*
VII. idus Sept. Evurtii epiſcopi, Clodoaldi regis, & Reginæ virginis. *S. Madalberhtæ virginis.*
VI. idus, Nativitas Dei genitricis, S. Adriani martyris, & Corbiliani confeſſoris.
V. idus, S. Gorgonii martyris, & S. Audomari epiſcopi.
IV. idus, S. Salvii martyris.
III. idus, Romæ SS. Martyrum Prothi & Jacinthi, Felicis & Regulæ. *Adiel presbyter obiit. Waito epiſcopus obiit.*
II. idus, *Heinricus ſubdiaconus obiit.*
Idus, Depoſitio S. Lidorii epiſcopi.
XVIII. cal. Octobris, Exaltatio S. Crucis, & SS. Cornelii & Cypriani.
XVII. cal. S. Nicomedis.
XVI. cal. Paſſio S. Euphemiæ, & SS. Luciæ & Geminiani.
XV. cal. Paſſio Landberti epiſcopi.
XIII. cal. In Campania paſſio S. Januarii, Theodori epiſcopi, SS. martyrum Fauſtæ & Evilaſii, & S. Euſtochiæ. *S. Florentii epiſcopi & martyris.*
XII. cal. Vigilia S. Matthæi apoſtoli & evangeliſtæ.
XI. cal. Nat. S. Matthæi apoſtoli & evangeliſtæ. *Eggihardus presbyter obiit.*
X. cal. Paſſio SS. martyrum Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii, Vitalis, & VI. MDCLVI. ſociorum. Eodem die Radeſbonæ S. Emmerammi martyris, Luitdrudis virginis. *Wlfhardus epiſcopus obiit.*
IX. cal. Romæ S. Lini papæ I. poſt Petrum, & S. Declæ virginis.
VIII. cal. Conceptio S. Johannis Baptiſtæ, S. Ruodberti epiſcopi, & S. Eonii.
VII. cal. Paſſio S. Firmini.
VI. cal. SS. martyrum Cypriani & Juſtinæ.
V. cal. Paſſio Coſmæ & Damiani, & S. Timothei diſcipuli Pauli, SS. martyrum Fidentii & Terentii.
IV. cal. Depoſitio Liobæ virginis, & Stactei martyris. Nat. S. Gunthildæ virginis.
III. cal. In monte Gargano dedicatio baſilicæ archangeli Michaëlis.
II. cal. In Bethleem depoſitio S. Hieronymi preſbyteri. *Oſiteri infans obiit.*

OCTOBER.

Calendis Octobris, Piatonis martyris, S. Nicetii epiſcopi, Bavonis, Remigii, Vedaſti.
VI. nonas, Paſſio Leodgarii martyris.
IV. nonas, S. Marci confeſſoris.
II. nonas, SS. Captaſi & Fidei martyrum.
Nonas, Romæ S. Marci papæ, & SS. Marci, Apulei, Sergii, Bachi martyrum. *Oſtericus diaconus obiit.*
VIII. idus Octobris, S. Reparatæ virginis, depoſitio S. Amoris confeſſoris. *Elvier preſbyter obiit.*
VII. idus, Pariſius paſſio S. Dionyſii epiſcopi cum ſociis ſuis. Colonia S. Gereonis cum CCCXVIIII. martyrum.
VI. idus. S. Victoris martyris, Paulini confeſſoris. Eodem die SS. martyrum Caſſii atque Florentii.
V. idus, Recordatio Fratrum noſtrorum. *Konco presbyter obiit.*
III. idus. S. Lupentii preſbyteri & confeſſoris.
II. idus, Romæ S. Calixti papæ XVI. Hic inſtituit jejunium quatuor temporum eſſe. *Volcherdus laicus frater noſter.*
Idus, *SS. Maurorum.*
XVII. cal. Novembris, Natale S. GALLI confeſſoris.
XV. cal. Bithinia S. Lucæ evangeliſtæ.
XIV. cal. S. Januarii cum ſociis ſuis. *S. Maximi martyris.*
XII. cal. Depoſitio S. Hilarionis. In Baſona villari S. Waldeni confeſſoris. *Thuardus frater noſter obiit.*

XI. cal. In Francia S. Philippi episcopi & martyris.
X. cal. Parisius S. Venantii abbatis.
IX. cal. S. Columbani monachi, Eracliani confessoris & episcopi.
VIII. cal. In civitate Suessionis SS. martyr. Crispini & Crispiniani. *Miniatis martyris. Godescalcus frater noster obiit.*
VI. cal. *Alfruinus frater noster obiit.*
V. cal. Natale apostolorum Simonis & Judæ.
III. cal. Eusebii martyris. *Obiit Hillericus episcopus. Eadem nocte revertente archiepiscopo Tageni post nocturnam cum duobus capellanis suis Theoderico subdiacono & Erico presbytero, aperto cælo quasi per ostium lux clarissima facta est quasi per unius horæ circulum.*
II. cal. In Gallia passio S. Quintini martyris. Eusebii & Gavini.

NOVEMBER.

Calendis Novembris. Romæ S. Cæsarii diaconi. Passio S. Eustachii cum filiis suis.
III. nonas, S. Humberti episcopi. Valentini presbyteri & Hilarii diaconi.
II. nonas, S. Germani episcopi, Domnini & Amandi episcopi. *Frithericus presbyter & Richardus presbyter.*
Nonas. S. Felicis presbyteri, & Eusebii monachi. *Herculiani martyris. Otto dux obiit.*
VIII. idus, Depositio S. Willibrordi episc.
VI idus, Romæ quatuor Coronatorum. Severi, Severiani, Victorini & Carpofori.
V. idus, S. Theodori martyris.
IV. idus, Leonis confessoris.
II. idus, Turonis depositio S. Martini & S. Mennæ martyris.
Idus. Turonis S. Briccii episcopi.
XVI. calendas Decembris. In Alamannia S. Magni confessoris & S. Otmari confessoris. *Hager presbyter obiit.*
XV. cal. Aurelianis depositio S. Aniani episcopi. *Bernhardus nostri cœnobii frater.*
XIV. cal. S. Romani monachi & martyris.
XIII. S. Simplicii episcopi & confessoris.
XII. cal. In Istria civitate S. Mauri martyris.
X. cal. Romæ passio S. Ceciliæ virginis.
IX. cal. Romæ S. Clementis & S. Felicitatis.
VIII. cal. Romæ S. Chrysogoni & translatio S. Feliculæ. *Eodem die S. Prosperi episcopi & confessoris. S. Eleutherii martyris. Eodem die S. Felicitatis matris* VII. *filiorum. Guntarius episcopus obiit.*
VII. cal. S. Audentii confessoris. *Hillivvardus episcopus obiit.*
V. cal. *Heinricus comes obiit.*
IV. cal. Romæ S. Gregorii papæ LXXXVIII. *Everhardus laicus obiit.*
III. cal. Romæ Saturnini, Chrysanti, Mauri, Darii cum LXX. millibus.
II. cal. In Achaia passio S. Andreæ apostoli.

DECEMBER.

Calendis Decembris. Noviomo S. Eligii confessoris, Candidæ virginis, & ordinatio Bonifacii. SS. martyrum Sabini, Latini, & Superantis.
IV. nonas, Capua S. Longini militis, qui latus Domini perforavit. *Emnil sanctimonialis obiit.*
III. nonas, In Alamannia depositio S. Solæ virginis.
II. nonas, S. Barbaræ & Inlatio corporis Benedicti in Floriaco. *Lintherius laicus,*
B *Mathil comitissa obiit.*
Nonas. S. Dalmatii martyris.
VIII. idus S. Nicolai, Hermogenis & Rogati.
VII. idus, S. Sabini episcopi. *Octava S. Andreæ. Otto imperator Augustus obiit. Biso frater noster & diaconus obiit. Gerdagus episcopus obiit.*
V. idus, *Tricus diaconus obiit.*
IV. idus, In Barcilona civitate in Spania passio S. Eulaliæ virginis & martyris.
III. idus, Romæ S. Damasi papæ XXXVIII. Victorici, Fusciani, & Gentiani.
II. idus, S. Finiani episcopi.
C Idus, Siracusa passio S. Luciæ. Cameraco S. Authberti episcopi & confessoris.
XIX. cal. Januarii, Remis depositio S. Nicasii episcopi & martyris.
XVIII. cal. *Widiikindus comes.*
XVI. cal. In Antiochia passio S. Ignatii episcopi & confessoris. *Athelheid. imperatrix obiit.*
XV. cal. *Bagred soror nostra obiit.*
XIII. cal. *Liudricus presbyter & monachus.*
XII. cal. In India passio S. Thomæ apostoli. *Brun presbyter.*
X. cal. Romæ S. Victoriæ martyris, & S. Gregorii presbyteri.
D VIII. cal. Nativitas Domini nostri Jesu, & passio sanctarum virginum Anastasiæ & Eugeniæ.
VII. cal. In oppido Hierusalem passio S. Stephani protomartyris. *Burhardus infans obiit. Athilger presbyter obiit.*
VI. cal. In Epheso Assumtio S. Johannis apostoli & evangelistæ.
V. cal. In Bethleem SS. Innocentium. *Geppe abbas obiit.*
E IV. cal. *Brigida abb. obiit.*
III. cal. S. Perpetui Turonis episcopi & confessoris. *SS. Sabini & Exuperantii. Evvrhardus laicus obiit.*
II. cal. Romæ S. Silvestri papæ XXXIII.

A

CALENDARIUM VERDINENSE.

JANUARIUS.

Jani prima dies & ſeptima fine timetur.

Januarius habet dies XXXI. *lunam* XXX.

Calend. Jan. CIRCUMCISIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. *Dies Æg.*
IV. nonas. *Octab. S. Stephani. Iſidori epiſcopi & martyris.*
III. nonas. OCTAVA S. JOHANNIS. *Genovefæ virginis.*
II. nonas. *Octab. S. Innocentum.*
Nonis Jan. S. Simeonis prophetæ. Vigilia epiphaniæ Domini.
VIII. idus. EPIPHANIA DOMINI. Juliani martyris.
VII. idus. S. Iſidori epiſc. & confeſſoris.
VI. idus. S. Luciani & Maximiani.
V. idus. S. Vitalis & Felicis.
IV. idus. S. Pauli primi eremitæ.
III. idus. EDUCTIO DOMINI DE ÆGYPTO. S. Felicitatis.
II. idus. S. Muſcentii, Saturi.
Idus Jan. OCTAB. EPIPHANIÆ. Hilarii epiſc.
XIX. cal. Jan. S. Felicis preſbyteri.
XVIII. cal. S. Chryſogoni & Zenonis.
XVII. cal. S. Marcelli papæ & martyris. Furſei confeſſoris.
XVI. cal. S. Sulpitii epiſcopi, Antonii monachi.
XV. cal. S. Priſcæ virginis & martyris. *Sol in Aquario.*
XIV. cal. S. Mauri, Marthæ, Audifax, Abacuc.
XIII. cal. S. Fabiani papæ, Sebaſtiani martyris.
XII. cal. S. Patrocli martyris, Agnetis virginis & martyris.
XI. cal. S. Vincentii martyris, Anaſtaſii monachi.
X. cal. S. Emerentianæ virginis & martyris. *Gerardus comes obiit.*
IX. cal. S. Babilli epiſcopi cum tribus parvulis martyribus.
VIII. cal. CONVERSIO S. PAULI. Prejecti martyris. *Dies Æg.*
VII. cal. S. Polycarpi epiſcopi & martyris.
VI. cal. S. Vitelliani, Johannis Chryſoſtomi.
V. cal. Octabas S. Agnetis virginis.
IV. cal. S. Valerii epiſcopi, Papiæ & Mauri.
III. cal. S. Aldegundis virginis.
II. cal. S. Victoris, Publii.

B C D E

FEBRUARIUS.

Aſt Februi quarta eſt præcedit tertia finem.

Februarius habet dies XXIX. *lunam* XXIX.

Cal. Feb. Severi epiſcopi, Brigidæ virginis.
IV. nonas. PURIFICATIO S. MARIÆ.
III. nonas. S. Blaſii epiſcopi & martyris.
II. nonas. S. Caſtoris preſbyteri & martyris, Gemini, Gelaſii. *Dies Æg.*
Nonis Februarii. S. Agathæ virginis & martyris.
VIII. idus. S. Vedaſti & Amandi martyrum.
VII. idus. S. Auguli epiſcopi.
VI. idus. S. Pauli epiſcopi, Julii papæ. THIATGRIMUS EPISCOPUS.
V. idus. S. Ammonis & Alexandri martyris.
IV. idus. S. Zotici, Erenei, Jacincti
III. idus. S. Scholaſticæ virginis.
II. idus. S. Simplicii epiſcopi, Dorotheæ virginis.
Idus. Feb. S. Stephani epiſcopi & confeſſoris.
XVI. cal. Martii. S. Valentini martyris, Vitalis, Felicolæ, Zenonis.
XVI. cal. S. Fauſtini.
XIV. cal. S. Julianæ virginis & martyris.
XIII. cal. S. Polocronii epiſcopi.
XII. cal. S. Pigmenii preſbyteri.
XI. cal. S. Publii, Juliani.
X. cal. S. Eucharii epiſcopi & martyris.
IX. cal. S. Eucharii confeſſoris.
VIII. cal. CATHEDRA S. PETRI.
VII. cal. S. Polycarpi martyris. Vigilia.
VI. cal. NATALIS S. MATHIÆ APOSTOLI. INVENTIO CAPITIS S. JOHAN. BAPT. *Biſſext.*
V. cal. S. Neſtoris & Caſti.
IV. cal. S. Fortunati confeſſoris. *Dies Æg.*
III. cal. S. Serviliani martyris.
II. cal. S. Claudiani martyris.

MARTIUS.

Martis prima cujus ſic cuſpide quarta eſt.

Martius habet dies XXXI. *lunam* XXX.

Calend. Martii. S. Suidberti confeſſoris, Albini, Donati. *Dies Ægypt.*
VI. nonas. S. Simplicii papæ.
V. nonas. S. Felicis & Luciani.
IV. nonas. S. Lucii papæ & martyris.
III. nonas. S. Saturnini martyris.
II. nonas. S. Quiriaci & Victoris.
Nonas Martii. S. Perpetuæ & Felicitatis virginis.
VIII. idus. S. Cyrilli epiſcopi.
VII. idus. SS. martyrum XL. militum.
VI. idus. S. Anſberti epiſcopi.
V. idus. S. Zozimi, Piloni.
IV. idus. S. GREGORII PAPÆ.
III. idus. S. Macedonii preſbyteri.
II. idus. S. Donati & Leonis mart.
Idus. S. Longini martyris, Matronæ mart.

XVII. cal. S. Eugeniæ virginis, Euſebiæ virginis.
XVI. cal. S. Patricii epiſcopi, Gerthrudis virginis.
XV. cal. S. Pimenii martyris. *Sol in Arietem.*
XIV. cal. S. Joſeph in Bethleem.
XIII. cal. S. Guthberti epiſcopi & confeſſoris.
XII. cal. *S. Benedicti abbatis. Æquinoctium.*
XI. cal. S. Saturnini.
X. cal. S. Theodori preſbyteri, Fidelis & aliorum xx.
IX. cal. S. Seleuci.
VIII. cal. ANNUNTIATIO S. MARIÆ. PASSIO DOMINI.
VII. cal. S. LIUDGERI EPISCOPI ET CONFESSORIS.
VI. cal. RESURRECTIO DOMINI.
V. cal. S. Rogati & Alexandri & Succeſſi. *Dies Ægypt.*
IV. cal. S. Euſtaſii abbatis & confeſſoris, Paſtoris preſbyteri.
III. cal. S. Victoris martyris.
II. cal. S. Reguli epiſcopi, Balbinæ virginis & martyris.

Deſunt quatuor ſequentes menſes.

AUGUSTUS.

Auguſti nepa prima fugat de fine ſecunda.

Auguſtus habet dies XXXI. *lunam* XXIX.

Calendis Auguſti. *Ad vincula Petri.* Septem fratrum Machabæorum. *Dies Ægypt.*
IV. non. S. Stephani papæ.
III. non. Inventio corporis S. Stephani protomartyris.
II. non. S. Juſtini epiſcopi & confeſſoris.
Nonas. S. Memmei epiſcopi & confeſſoris, Oſwaldi regis & martyris.
VIII. idus. S. Sixti papæ & martyris, Feliciſſimi, Agapiti mart.
VII. idus. S. Donati epiſcopi & martyris, Afræ virginis & martyris.
VI. idus. S. Cyriaci, Largi, Smaragdi, Creſcentiani martyrum.
V. idus. S. Romani martyris. *Vigilia.*
IV. idus. S. LAURENTII MARTYRIS.
III. idus. S. Tiburtii martyris, Gaugerici epiſcopi.
II. idus. S. Eupli martyris.
Idus. S. Hypoliti martyris cum ſociis ſuis.
XIX. cal. Sept. S. Euſebii confeſſoris.
XVIII. cal. ASSUMTIO S. DEI GENITRICIS MARIÆ.
XVII. cal. S. Arnulfi confeſſoris.
XVI. cal. Octava S. Laurentii. *Theodoricus presbyter obiit.*
XV. cal. S. Agapiti martyris. *Sol in virginem.*
XIV. cal. S. Magni martyris.
XIII. cal. S. Athanaſii epiſcopi.
XII. cal. DEDICATIO ECCLESIÆ S. MARIÆ SIVE TURRIS VINCENTII.

Vet. Script. & Mon. ampl. Collect. Tom. VI.

XI. cal. SS. martyrum Timothei & Simphoriani.
X. cal. SS. martyrum Timothei & Apollinaris. VIGILIA.
IX. cal. Natalis S. Bartholomæi apoſtoli.
VIII. cal. S. Geneſii martyris, Maximiani martyris.
VII. cal. SS. martyrum Herenei & Abundi.
VI. cal. S. Rufi martyris.
V. cal. S. Hermetis martyris. & S. Auguſtini epiſcopi.
IV. cal. S. Johannis Baptiſtæ decollatio, Sabinæ virg. *Dies Æg.*
III. cal. SS. martyrum Felicis & Adaucti.
II. cal. S. Paulini epiſcopi.

SEPTEMBER.

Tertia Septembris vulpis ferit a pede denam.

September habet dies XXX. *lunam* XXX.

Cal. Sept. S. Priſci martyris.
IV. nonas. S. Juſtini epiſcopi & confeſſoris.
III. nonas. S. Antonii martyris, Remagli confeſſoris. *Dies Æg.*
II. nonas. SS. martyrum Marcelli & Juſti.
Nonas. S. Ferrucii martyris, Quinti martyris.
VIII. idus S. Eleutherii epiſcopi, Magni confeſſoris.
VII. S. Reginæ virginis.
VI. idus. NATIVITAS S. MARIÆ, S. ADRIANI martyris.
V. idus. S. Gorgonii martyris.
IV. idus. S. Salvii epiſcopi & martyris. GERFRIDUS EPISCOPUS.
III. idus. SS. martyrum Proti & Jacincti.
II. idus. SS. martyrum DCCC. in Alexandria. Evantii epiſcopi.
Idus Sept. Philippi epiſcopi & martyris, Lodorii epiſcopi.
XVIII. cal. Octobris. EXALTATIO S. CRUCIS, SS. martyrum Cornelii & Cipriani.
XVII. cal. S. Nicomedis martyris.
XVI. cal. SS. martyrum Lucii, Geminiani, & S. Euphemiæ virginis.
XV. cal. S. LANTBERTI EPISCOPI ET MARTYRIS. *Sol in Libram.*
XIV. cal. S. Trophymi martyris. Vienna S. Ferreoli martyris, Medodi epiſcopi.
XIII. cal. S. Januarii mart. ſociorumque ejus. Theodori martyris.
XII. cal. S. Euſtachii martyris & filiorum ejus. Fauſti martyris. Vigilia.
XI. cal. S. Matthæi apoſtoli & evangeliſtæ. *Dies Ægypt.*
X. cal. S. Mauritii cum aliis VI. M. DC. LXVI.
IX. cal. S. Lini papæ & martyris, Teclæ virginis.
VIII. cal. S. Johannis Baptiſtæ conceptio.
VII. cal. S. Firmini martyris.
VI. cal. S. Cipriani epiſcopi & martyris, Juſtinæ virginis.
V. cal. SS. MARTYRUM COSMÆ ET DAMIANI.

IV. cal. SS. martyrum Fauſti, Januarii, Martialis, Liobæ virginis.
III. cal. DEDICATIO BASILICÆ S. MICHAELIS ARCHANGELI.
II. cal. S. Hieronymi preſbyteri.

OCTOBER.

Tertius Octobris gladius decimo in ordine nectit.

October habet dies XXXI. *lunam* XXIX.

Cal. Octobris, S. Remigii, Germani, Vedaſti, Amandi, Bavonis confeſſorum.
VI. nonas, S. Leodgarii epiſcopi & martyris.
V. nonas, SS. Euvaldorum preſbyterorum in Colonia. *Dies Æg.*
IV. nonas, SS. Marci, Marciani, Marſi martyrum.
III. nonas, S. Apollinaris epiſcopi, Flavinæ virginis.
II. nonas, SS. Martyrum Marci & Apulci, Capraſii abbatis.
Nonas. SS. martyrum Sergii & Bachi.
VIII. idus, S. Reparatæ virginis.
VII. idus, SS. martyrum Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii.
VI. idus, SS. martyrum Gereonis, Victoris, Caſſii, Florentii & aliorum CCCCXXVII.
V. idus, SS. martyrum Tharaci, Probi, Andronici.
IV. idus, SS. martyrum Cipriani & Felicis, Nidiſti martyris.
III. idus, S. Laurentii epiſcopi & confeſſoris, Lupentii epiſcopi & confeſſoris.
II. idus, S. Caleſti papæ & martyris. *Recordatio fratrum.*
Idus, SS. Maurorum martyrum in Colonia, Aureliæ virginis.
XVI. cal. S. Galli confeſſoris, Eliphii martyris. *Heriburga ſoror S. L.*
XVI. cal. S. Florentii epiſcopi.
XV. cal. S. Lucæ evangeliſtæ & confeſſoris. *Sol in Scorpionem.*
XIV. cal. S. Deſiderii, Ferti, Januarii martyrum.
XIII. cal. S. Neoris martyris, & SS. Lucii, Marcellini martyrum.
XII. cal. S. Hilarionis monachi & SS. XI. millium Virginum in Colonia.
XI. cal. S. Philippi epiſcopi & martyris, Severi epiſcopi, Marci epiſcopi & confeſſ.
X. cal. S. Severini epiſcopi in Colonia. Venantii abbatis. *Dies Æg.*
IX. cal. S. Columbani monachi & confeſſoris.
VIII. cal. SS. martyrum Criſpini & Criſpiniani.
VII. cal. S. Amandi epiſcopi & confeſſoris, Dariæ virginis.
VI. cal. S. Evariſti papæ, Florentii martyris. Vigilia.
V. cal. SS. APOSTOLORUM SIMONIS & JUDÆ.
IV. cal. S. Quirini martyris, Narciſſi epiſc.
A III. cal. S. Theoneſti martyris, Euſebii martyris.
II. cal. SS. martyrum Quintini, Gavini. Vigilia.

NOVEMBER.

Quinta Novembris acus vix tertia manſit in urna.

November habet dies XXX. *lunam* XXX.

Cal. Novembr. SOLEMNITAS OMNIUM-SANCTORUM. Cæſarii martyris.
IV. nonas, S. Benigni preſbyteri & martyris,
B Hugberti confeſſoris.
III. nonas, S. Germani epiſcopi, Valentini preſbyteri.
II. nonas, S. Proculi epiſcopi & martyris.
Nonas. S. Felicis preſbyteri, Euſebii monachi. *Dies Æg.*
VIII. idus, S. Melani epiſcopi.
VII. idus, S. Wilbrordi epiſcopi & confeſſoris.
VI. idus, SS. quatuor Coronatorum.
V. idus, S. Theodori martyris.
IV. idus, S. Demetrii epiſcopi. DEDICATIO
C ECCLESIÆ MAJORIS. HETHARICUS ABBAS.
III. idus, S. Martini epiſcopi. S. Mennæ martyris.
II. idus, S. KUNIBERTI ET LIAFWINI CONFESSORIS.
Idus. S. Bricii epiſcopi & confeſſoris.
XVIII. cal. S. Clementini epiſcopi.
XVII. cal. S. Secundi.
XVI. cal. S. Otmari confeſſoris, Magni confeſſoris, Eucherii confeſſoris.
XV. cal. S. Aniani epiſcopi, Florini confeſſoris. *Sol in Sagittarium.*
XIV. cal. S. Romani confeſſoris & martyris.
XIII. cal. S. Simplici epiſcopi.
D XII. cal. SS. martyrum Baſſi, Dionyſii.
XI. cal. S. Mauri martyris, Columbani abbatis.
X. cal. S. CÆCILIÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.
IX. cal. S. Clementis epiſcopi & martyris, S. Felicitatis.
VIII. cal. S. Chriſogoni martyris.
VII. cal. S. Petri epiſcopi & martyris, Maximi confeſſoris.
VI. cal. Amatoris epiſcopi, Nicandri, Caſſiani martyris.
V. cal. S. Theodoli martyris.
IV. cal. S. Siſinnii epiſcopi. *Dies Ægypt.*
E III. cal. S. Saturnini martyris. Vigilia.
II. cal. S. ANDREÆ APOSTOLI.

DECEMBER.

Dat duodena cohors ſeptem inde decemque Decembris.

December habet dies XXXI. *lunam* XXIX.

Cal. Decembris. Sanctorum martyrum Criſanti, Mauri, Dariæ martyris, Eligii epiſcopi.

IV. nonas, S. Longini militis & martyris.
III. nonas, S. Lucii regis & confeſſoris.
II. nonas, S. Barbaræ virginis & martyris.
Nonas. S. Talmatii martyris.
VIII. idus, S. Nicolai epiſcopi & Hermogenis.
VII. idus, Octava S. Andreæ apoſtoli, Mauturii martyris.
VI. idus, Sanctorum confeſſorum Euticiani, Euſebii & epiſcoporum.
V. idus, SS. martyrum Petri, Succeſſi.
IV. idus, S. Eulaliæ virginis & martyris.
III. idus, S. Damaſi papæ.
II. idus, S. Finiani epiſcopi & martyris. *Dies Ægypt.*
Idus, S. Luciæ virginis & martyris.
XIX. cal. Jan. S. Nicaſii epiſcopi & confeſſoris.
XVIII. cal. S. Aureliani epiſcopi & confeſſoris. *Dies Ægypt.*
XVII. cal. S. Valentini epiſcopi & confeſſoris.
XVI. cal. S. Ignatii epiſcopi & martyris.
XV. cal. S. Simplicii epiſcopi. *Sol in Capricornium.*
XIV. cal. S. Secundi, Zozimi martyris.
XIII. cal. S. Anaſtaſii epiſcopi & confeſſoris. Vigilia.
XII. cal. *S. Thomæ apoſtoli in India.* HILDIGRIMUS EPISCOPUS.
XI. cal. S. Theodoſiæ virginis.
X. cal. S. Victoriæ virginis & martyris.
IX. cal. Vigilia Natalis Domini.
VIII. cal. NATIVITAS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.
VII. cal. *Natalis S. Stephani protomartyris.*
VI. cal. *S. Johannis apoſtoli & evangeliſtæ.*
V. cal. SS. Innocentium martyrum.
IV. cal. S. Felicis papæ & martyris.
III. cal. S. Perpetui epiſcopi Turonenſis.
II. S. Silveſtri papæ, Columbæ virginis.

MARTYROLOGIUM INSIGNIS ECCLESIÆ AUTISSIODORENSIS.

Ex mſ. Colbertino.

JANUARIUS.

Jani prima dies & ſeptima ſine timetur.

CAlendis Januarii. Circumciſio & octava Domini noſtri JESU CHRISTI. Romæ S. Almachii martyris, & S. Martinæ virginis & martyris. Apud Spoletum civitatem paſſio S. Concordii martyris. Apud Cæſaream Cappadociæ natalis S. Baſilii epiſcopi & confeſſoris. In Africa natalis S. Fulgentii epiſcopi & confeſſoris. Apud Alexandriam S. Euſroſinæ virginis. In territorio Lugdunenſi natalis S. Eugendi abbatis. Ravennæ S. Severi epiſcopi & martyris. Item Romæ martyrum XXX.

Obiit Robertus Levita & canonicus. Ipſa die in territorio Arvernenſi, cœnobio Silviniaco, depoſitio domni Ordilonis Cluniacenſis abbatis.

IV. nonas Januarii. In Thebaide depoſitio beati Macharii abbatis. Et in Ponto civitate Thomis trium fratrum Argei, Narciſſi, & Marcellini pueri & mart. In Friſia paſſio S. Theaginis martyris.

III. nonas Januar. Romæ natalis S. Antheros papæ & martyris. Pariſius depoſitio ſanctæ Genovefæ virginis. In civitate Aulana paſſio S. Petri, qui crucis ſupplicio eſt interemtus. Viennæ S. Florentii epiſcopi.

Obiit Giſlebertus epiſcopus & Ablenus archidiaconus.

Pridie nonas Januar. Apud Cretam natalis S. Titi apoſtolorum diſcipuli. Romæ SS. mart. Priſci preſbyteri & Priſcilliani & Benedictæ religioſiſſimæ feminæ & beatæ Daſroſæ martyris, & aliorum VII. mart.

Nonis Januar. Romæ natalis S. Teleſphori papæ & martyris. Jeroſolymæ B. Simeonis propheiæ, qui Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM in ulnas accepit. Apud Antiochiam in eccleſia quæ vocatur Pœnitentia, depoſitio Simeonis monachi qui in columna ſtetit.

Obiit Ebrardus ſubd. & canon. qui datis in clauſtrum faciendum c. ſolidis, dedit etiam domum ſuam canonicis & vineas, hoc pacto ut fratres ſui anniverſarium ejus diem inde facerent, & canonici canonicis refectionem perſolverent. Quod ſi facere recuſarent, canonici domum & vineas ſibi acciperent, & anniverſarium idem cum eleemoſynis & refectione celebrarent.

VII. idus Januarii. Epiphania Domini noſtri. In civitate Antiochiæ natalis S. Juliani martyris & Baſiliſſæ & Celſi pueri & Marcianillæ, & Antonii preſbyteri & Anaſtaſii martyrum. In territorio Remenſi paſſio S. Magnæ virginis. Autiſſiodero tranſlatio S. Germani confeſſoris.

Obiit dominus W. hujus ſanctæ eccleſiæ epiſcopus. Ipſo die Wadricus miles de Warziaco obiit.

VII. idus Januar. Relatio JESU ex Ægypto. In Antiochia natalis S. Luciani preſbyteri & martyris, qui in quatuor partibus eſt diviſus, & in ſingulis lapidibus ligatus & in mare merſus.

VI. idus Januarii. Neapoli in Campania S. Severi confeſſoris, Belvacus S. Luciani preſbyteri, Maximiani & Juliani martyrum.

Obiit Anaſtaſius Senonum archiepiſcopus.

V. idus Januar. Apud Smyrnam natalis SS. Vitalis, Revocati & Fortunati; & in Mauritania Cæſarienſi natalis S. Martinæ virginis.

IV. idus Januar. In Thebaide depoſitio S. Pauli primi eremitæ, qui a XVI. ætatis

ſuæ anno uſque ad CXIII. ſolus in eremo permanſit, ejuſque animam inter ſanctorum choros ad cœlum ferri ab angelis B. Antonius vidit. Et in Cypro B. Nicanoris qui fuit unus de VII. diaconibus. A

Ipſa die Leotardus ſacerdos & decanus Senonum obiit. Item Frotmundus miles S. Stephani obiit.

III. idus Januar. In Africa natalis S. Salvii martyris. Apud Alexandriam natalis SS. confeſſorum Petri, Severi & Leutici.

II. idus Jan. Apud Achaiam natalis S. Saturi martyris. Eodem die S. Archadii martyris. Apud Lingones S. Gregorii epiſcopi & confeſſoris. B

Idibus Jan. Romæ via Lavicana coronæ militum XL. Pictavis depoſitio S. Hilarii epiſcopi & confeſſoris. Remis natalis S. Remigii epiſcopi & confeſſoris. Octavæ epiphaniæ Domini.

Ipſa die Rainaldus Æduenſis epiſcopus ab hoc ſæculo eſt tranſlatus.

XIX. cal. Febr. In Antiochia Glicerii diaconi multis tormentis paſſi & in mare merſi. Nola Campaniæ paſſio S. Felicis preſbyteri ſepulti in Pincis. Et alibi depoſitio S. Eufrarii epiſcopi & confeſſoris. C

Ordinatio Gerranni epiſcopi, qui dedit fratribus in comitatu Laticenſi Gaiacum cum omnibus appenditiis ſuis. Vineam quoque quæ eſt in ſuburbio civitatis quæ dicitur Cerſeredus, quam qui habuerit per chartam det fratribus vini modium unum ad minorem menſuram.

Eodem die Rotdulphus rex obiit. Ipſa die Tetardus miles ab inimicis interfectus eſt, & Frotmundus ſacerdos. Item ipſa die obiit Heldricus abbas S. Germani.

XVIII. cal. Febr. In Ægypto B. Macharii abbatis diſcipuli S. Antonii. Et alibi S. Hiſiodori confeſſoris. Andegavis B. Mauri monachi & abbatis. Et alibi depoſitio Abacuc & Michææ prophetarum. D

XVII. cal. Febr. Romæ via Salaria in cimiterio Priſcillæ, depoſitio Marcelli papæ & martyris. Arelate S. Honorati epiſcopi & confeſſoris. Parrona cœnobio S. Furſei confeſſoris. Arvernis natalis S. Boniti epiſcopi & confeſſoris.

Obiit Heribertus epiſc. & poſtea monachus. Obiit Arnaldus diaconus & magiſter. Item obiit Gyla bonæ memoriæ femina Deoque ſacrata. Eodem die obiit Gaufridus hujus eccleſiæ canon. & decanus. E

XVI. cal. Feb. In Ægypto apud Thebaidam natalis B. Antonii monachi. Bituricas depoſitio Sulpicii epiſc. & confeſſoris. Lingonas paſſio SS. geminorum Speuſippi, Eleuſippi & Meleuſippi, Leonillæ, Jovillæ & Neonis.

Eodem die Gurardus obiit hujus eccleſiæ canonicus & præpoſitus ſanctæ Mariæ. Item obiit Vauterius levita & canonicus, qui dedit ad officium altaris S. Stephani veſtimenta ſacerdotalia & librum neceſſarium ad miſſam celebrandam, & fratribus dedit duos molendinos apud Villam-novam, domum, viridarium, vinum ad ſui memoriam faciendam.

XV. cal. Febr. Cathedra S. Petri apoſtoli qua primum Romæ ſedit. Eodem die natalis S. Priſcæ virginis & martyris. Et in Ponto natalis SS. martyrum Moſei & Ammonis. Alexandriæ S. Maximi epiſcopi & confeſſoris. In civitate Apollonia paſſio SS. Tirſi, Leuci, & Gallenici. Autiſſiodero dedicatio beatæ & gloriosæ Virginis MARIÆ.

Obiit Giſlaudus presbyter, qui cum fratre ſuo Fredeberto diacono & Vinberto laico dederunt fratribus manſum ſuum cum omnibus appenditiis ſuis, de vineis arpennes VIII. de terris ancingas ſex, qui eſt ſitus in pago Senonico in villa Caciaco ad refectionem canonicis celebrandam.

Commemoratio Gaufredi & uxoris ejus Heldradæ, pro quorum abſolutione & ſanctæ Mariæ veneratione Ricco filius eorum vineam dedit, de qua fratribus dedicationis ipſius Virginis die daretur pro tempore refectio.

XIV. cal. Febr. Jeroſolymæ natalis Marthæ & Mariæ, ſororum Lazari. In Smyrna natalis S. Germanici mart. ac beſtiis damnati. Corbionis monaſterio natalis ſancti Launomari confeſſoris.

Obiit Airricus levita. Eodem die Frodo levita & canonicus obiit, qui pro ſalute animæ ſuæ fecit huic eccleſiæ columbam argenti auro ... deauratam cum corona & catenis argenteis deſuper altare pendentem ad Corpus Domini noſtri JESU CHRISTI *conſervandum.*

Eodem die Willelmus canonicus & levita obiit, qui pro remedio animæ ſuæ ad bibliotecam faciendam de nummis ſuis libras quatuor dedit. Item obiit Rodulphus ſacerdos & canonicus, qui ob remiſſionem peccatorum dedit eccleſiæ calicem argenteum, miſſale librum optimum & ſacerdotale indumentum.

XIII. cal. Febr. Romæ natalis Fabiani papæ & martyris, & S. Sebaſtiani martyris in veſtigia apoſtolorum ſepulti. In Cimiterio Calliſti via Appia Marii & Marthæ cum filiis ſuis Audifax & Abacuc. Lugduno Galliæ Clementis preſbyteri.

XII. cal. Febr. Romæ paſſio S. Agnetis virginis. Athenas B. Publii epiſcopi, qui a B. Paulo apoſtolo epiſcopus ordinatus eſt. Trecas natalis S. Patrocli martyris. In Hiſpaniis natalis SS. martyrum Fructuoſi epiſcopi, Augurii & Eulogii diaconorum.

Ipſa die Johannes humilis epiſcopus migravit ad Dominum, vixitque in epiſcopatu ann. I. menſes XI. dies totidem.

XI. cal. Febr. In Hiſpaniis S. Vincentii diaconi & martyris. Romæ ad aquas Salvias natalis S. Anaſtaſii monachi & martyris.

de

de Perſida. Eodem die in Galliis, civitate Ebreduno, SS. martyrum Vincentii, Orontii & Victorini. In territorio Viennenſi, paſſio SS. XVIII.

X. cal. Febr. Romæ natalis S. Emerentianæ virginis & martyris. Et in Mauritania civitate Neocæſarienſi natalis S. Severiani & Aquilæ uxoris ejus igne combuſtorum. Eodem die, natalis S. Parmenii diaconi, qui unus fuit de ſeptem diaconibus. Toleto civitate, natalis S. Hildefonſi epiſcopi & confeſſoris.

IX. cal. Febr. apud Epheſum, natalis ſancti Timothei diſcipuli B. Pauli apoſtoli, cujus corpus XX. anno Conſtantini imperatoris Conſtantinopolim tranſlatum eſt. In Antiochia, natalis S. Babilli epiſcopi. Trecas S. Saviniani martyris. Et Neocæſaria civitate, natale ſanctorum martyrum Mardonii, Muſonii, Metelli, Eugenii.

VIII. cal. Febr. Converſio S. Pauli apoſtoli & tranſlatio corporis ejus. Apud Damaſcum depoſitio Ananiæ, qui ipſum Paulum baptizavit. Eodem die, natale B. Gregorii Nazianzeni epiſcopi, qui Theologus appellatur. Arvernis S. Præjecti epiſcopi & martyris, & Marini viri Dei. Apud Gabalenſem civitatem S. Severiani epiſcopi.

VII. cal. Febr. In Nicæa Smyrnæ, natalis S. Polycarpi epiſcopi & martyris diſcipuli S. Johannis apoſtoli, & Theogenis cum aliis XXXVI. In Bethleem, dormitio ſanctæ Paulæ matris Euſtochii virginis Chriſti. Et in monaſterio Calæ, depoſitio Bathildis reginæ.

VI. cal. Febr. Conſtantinopoli, depoſitio S. Johannis Chryſoſtomi epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, natalis S. Marii abbatis monaſterio Bobacenſi.

Obiit Heribaldus levita, qui dedit fratribus de prædio ſuo manſum & dimidium in Senonico, in villa quæ dicitur Liviniacus, cum mancipiis & omnibus adjacentiis & quinque arpennos de vinea in villa Pauliaco. Hubertus diaconus obiit, & Adoynus ſacerdos & decanus.

Obiit Atto ſacerdos & canonicus hujus eccleſiæ ſuccentor egregius, qui omnibus quæ habebat in eleemoſynam datis, cum ſervis, vineis & rebus aliis, eccleſiam honeſtavit libris ſuis.

V. cal. Febr. Romæ octavas S. Agnetis virginis & martyris. Apud Alexandriam depoſitio B. Cyrilli epiſcopi. In Tornodorenſi, Reomago monaſterio, tranſitus viri apoſtolici, doctoris eximii, Johannis ſummi confeſſoris.

Obiit Carolus imperator. Gotelindis Deo ſacrata.

IV. cal. Feb. Romæ SS. martyrum Papiæ & Mauri militum. Treviris depoſitio S. Valerii epiſcopi diſcipuli ſancti Petri apoſtoli. Trecas, ſanctæ Savinæ virginis.

III. cal. Febr. In Antiochia paſſio S. Hippolyti martyris. Jeroſolymæ, B. Matthiæ epiſcopi. Eodem die, S. Alexandri martyris. Malbodio monaſterio, natalis ſanctæ Aldegundis virginis.

Pridie cal. Feb. Apud Alexandriam, natalis S. Metrani martyris. Item Alexandriæ, natalis SS. martyrum Tirſi, Saturnini & Victoris. Trientina civitate, beati Vigilii epiſcopi & martyris. Et alibi, SS. martyrum Cyri, Johannis, & SS. Virginum Theodoctæ, Theotiotæ & Eudoxiæ, & ſanctæ matris earum Athanaſiæ.

FEBRUARIUS.

Calendis Februarii. Apud Antiochiam, natalis S. Ignatii epiſcopi & martyris. Et in Scotia ſanctæ Brigidæ virginis. Smyrnæ, natalis S. Pionii martyris. Et alibi, beati Effrem diaconi. Tricaſtina civitate, ſancti Pauli epiſcopi & confeſſoris.

IV. nonas Febr. Purificatio S. Mariæ. Cæſareæ B. Cornelii centuronis, ipſius urbis epiſcopi. Romæ natalis S. Aproniani martyris. Aurelianis, depoſitio Floſculi epiſcopi & Sicariæ Deo ſacratæ virginis.

III. nonas Febr. In Affrica, B. Celerini diaconi, & SS. martyrum Celerinæ aviæ ejus, & Laurentini & Ignatii. Lugduno, depoſitio B. Lupicini epiſcopi.

Pridie nonas Febr. In civitate Ægypti, quæ appellatur Tumbis, paſſio beatiſſimi Phileæ ejuſdem urbis epiſcopi, & Philoromi tribuni & innumerabilium martyrum. Trecis S. Aventini epiſcopi & confeſſoris. Autiſſiodero, S. Alexandri ſubdiaconi & confeſſoris.

Obiit Emmena Deo ſacrata.

Nonis Febr. Apud Siciliam civitate Cathanenſium, paſſio S. Agathæ virg. Vienna B. Aviti epiſcopi & confeſſoris.

Eodem die obiit Giſlebertus ſacerdos atque decanus, poſtea monachus effectus; & Raginaldus ſacerdos atque canonicus obiit.

VIII. idus Febr. Cæſaræa Cappadociæ, Natalis ſanctæ Dorothææ virginis & martyris, & ſancti Theophili martyris ſcholaſtici. Arvernis, natalis S. Antholiani martyris. Atrabis, * SS. confeſſorum Vedaſti & Amandi glorioſiſſimorum epiſcoporum.

* I. Atrebatis.

VII. idus Febr. In Britanniis civitate Auguſta, natalis ſancti Auguli epiſcopi & martyris. Apud Aſiam provinciam, S. Apollonaris Hyerapolitanæ urbis antiſtitis.

VI. idus Febr. Apud Armeniam minorem, natalis SS. Dionyſii, Emiliani & Sebaſtiani. Romæ depoſitio S. Pauli epiſcopi. Alexandriæ, natalis ſanctæ Cointhæ martyris.

V. idus Febr. Apud Pontum provinciam, S. Athenodori epiſcopi, fratris beati Gregorii, qui & Theodorus cognominatus eſt. Alexandriæ, natalis S. Apolloniæ virginis.

IV. idus Febr. In Benevento, natalis ſanctæ Scholaſticæ virginis, ſororis S. Benedicti. In Oriente, * S. Sotheris virginis. Romæ, SS. martyrum Zotici, Irenæi, Hyacinti & Amantii. Apud Sanctonas, Trojani epiſcopi & confeſſoris.

* Hic error, nam verius Romæ via Appia.

III. idus Febr. Alexandriæ, depoſitio S. Euſtaſiæ virginis, Lugduno, natalis B. Deſiderii epiſcopi & confeſſoris. Eodem die S. Severini abbatis.

Obiit Aldoënus ſacerdos, qui dedit fratribus patrimonium ſuum in Valeria Villa.

Pridie idus Febr. In Africa, SS. martyrum Saturnini preſbyteri, Felicis, Apelii & ſociorum ejus, qui paſſi ſunt pro Chriſto ſub Anolino proconſule. Apud Alexandriam, Modeſti & Ammonii martyrum. In Africa, paſſio S. Damiani militis.

Eodem die obiit Robertus hujus eccleſiæ epiſcopus, qui annuale beneficium pro defuncto canonico inſtituit, & molendinum ſubtus murum ab Atone acquiſitum, fratribus hujus eccleſiæ conceſſit & ſuvamentum duplex a Pulvereno . . . . removit.

Idibus Febr. Apud Antiochiam, natalis S. Agabi prophetæ. In Militana civitate Armeniæ, natalis S. Policucti martyris, qui latine interpretatur multum orans. Andegavis, S. Liſinii epiſcopi & confeſſoris. Lugduno, depoſitio S. Stephani epiſcopi & confeſſoris.

Obiit Aaron epiſcopus.

XVI. cal. Martii. Romæ, natalis S. Valentini preſbyteri & martyris, Interamnis, natalis S. Valentini epiſcopi. Apud Alexandriam SS. martyrum Baſſi, Antonii, Protholici, qui in mare merſi ſunt. Eodem die, SS. martyrum Vitalis, Feliculæ & Zenonis cum aliis plurimis. In Eraclea, natalis S. Felicis, Januarii. Et alibi paſſio S. Sereni.

XV. cal. Martii. Romæ, natalis S. Cratonis martyris. Apud Sebaſten civitatem, paſſio S. Blavii * epiſcopi & ſeptem Feminarum ſanctarum. Ipſo die, depoſitio Quinidii epiſcopi & S. Silvini epiſcopi. Interamne, natalis S. Agapæ virginis.

* *l.* Blaſii.

XIV. cal. Martii. Natalis S. Oneſimi apoſtoli, qui Romæ lapidatus, ad Epheſum corpus ejus delatum eſt, ubi fuerat ordinatus epiſcopus; & in Cumis, ſanctæ Julianæ virginis. Et in Ægypto, Juliani martyris cum aliis numero quinque millia.

XIII. cal. Martii. In Perſide, natalis S. Polychronii epiſcopi & martyris. In Africa paſſio S. Donati, Secundiani, Romuli, cum aliis LXXXVI. In Scotia S. Fintani presbyteri & confeſſoris.

XII. calendas Martii. Hieroſolymis beati Simeonis epiſcopi & martyris. Romæ ſanctorum martyrum Claudii & Præpedignæ uxoris ejus, & filiorum Alexandri & Curæ, & fratris Claudii, beati Maximi. Apud Alexandriam beati Dionyſii epiſcopi & Confeſſoris.

Obiit Walterius Aurelianenſis epiſcopus.

XI. calendas Martii. Romæ natale S. Gabinii preſbyteri & martyris patris beatiſſimæ Suſannæ. In Africa Publii, Marcelli, Juliani martyrum.

Obiit Robertus miles.

X. cal. Martii. Apud Tyrum multorum martyrum, quorum numerum Dei ſcientia colligit. Romæ depoſitio Gagi epiſcopi, & alibi Victoris & Coronæ. In Alemannia beati Galli confeſſoris.

Eodem die obiit Erembertus ſacerdos & præpoſitus, qui dedit fratribus alodum in Antonno villa, quem comparavit de Regemberto.

IX. cal. Martii. In Sicilia martyrum ſeptuaginta & novem ſub Diocletiano diverſis tormentis paſſi. In Africa civitate Adrumeto natale ſanctorum martyrum Veroli, Secundi, Servuli & aliorum XX.

Goſſridus canonicus S. Stephani & decanus S. Petri obiit.

VIII. cal. Martii. Apud Antiochiam Cathedra S. Petri apoſtoli qua primum ſedit Antiochiæ. In Alexandria Abilii epiſcopi adjutoris Johannis apoſtoli & evangeliſtæ, & alibi beati Ariſtiodonis, qui unus fuit de ſeptuaginta duobus diſcipulis.

VII. cal. Martii. Apud Smyrnam natale S. Sineri monachi & martyris, & ſeptuaginta duorum martyrum. In Aſia Polycarpi epiſcopi.

Ipſa die Otto Burgundiæ marchio obiit DCCCCLXIII. *incarnationis Dominicæ anno. Item obiit Obertus miles.*

VI. cal. Martii. Natale S. Mathiæ apoſtoli, & inventio capitis Johannis Baptiſtæ & præcurſoris Domini. Apud Cæſaream Cappadociæ natale S. Sergii martyris.

Obiit domnus Betto epiſcopus, qui dedit fratribus Vendoſam eccleſiam & Rontonnacum villam, & in Corboiaco manſum I. *ad exhibendam refectionem & commune obſequium.*

V. cal. Martii. Apud Ægyptum natale ſanctorum martyrum Victorini & Victoris, Nicefori, Claudiani, Dioſchori, Serapionis & Papiæ. Pamphilia natale S. Neſtoris & confeſſoris.

IV. cal. Martii. In civitate Pergem Pamphiliæ beati Neſtoris epiſcopi & martyris. In Alexandria beati Alexandri glorioſiſſimi epiſcopi & confeſſoris.

III. cal. Martii. Apud Hiſpaniam civitate Hiſpali natale S. Leandri epiſcopi, ad quem B. Gregorius libros moralium ſcripſit. Et in Alexandria Juliani martyris.

II. cal. Martii. In territurio Lugdunenſi locis Jurenſibus depoſitio B. Romani abbatis. Eodem die ſanctorum Macharii & Rufini.

MARTIUS.

Calendis Martii. Romæ natale ſanctorum martyrum CCLX. quos juſſit primo Claudius pro Chriſti nomine damnatos arenam fodere, deinde præcepit ut foras muro portæ Salariæ mitterentur, & in amphiteatro ejuſdem civitatis militum ſagittis interficerentur. Andegavis Albini epiſcopi & confeſſoris. Carthagine paſſio Donati martyris. Apud urbem Antinoum paſſio beati Leonidis.

Obiit Actaldus ſacerdos, qui dedit hoſpitali fratrum ſuorum in villa Gratis manſum cum vinea adhærente. Eodem die Rotfredus decanus viam univerſæ carnis eſt ingreſſus. Guadilo ſubdiaconus obiit eodem die, qui dedit fratribus ſuis alodum ſuum in loco qui dicitur Vallis cum vineis & ſilvis ſeu mancipiis. Ipſo die Enricus ſubdiaconus interfectus eſt. Item Waldricus præpoſitus corpus terræ, beatum Chriſto tradidit ſpiritum.

VI. nonas Martii. Romæ natalis ſanctorum martyrum Jovini & Baſilei, & aliorum plurimorum martyrum ſub Alexandro capitali ſententia damnatorum. Item Romæ Simplicis papæ & martyris.

V. nonas Martii. In Hiſpania ſanctorum Emittenrii & Cheledonii martyrio coronatorum. Autiſſiodero natale ſanctæ Camillæ virginis. Cæſareæ natale ſanctorum martyrum Marini militis & Aerii ſenatoris.

IV. nonas Martii. Natale S. Lucii papæ & martyris. Item, Romæ ſanctorum martyrum nongentorum, qui ſunt poſiti in cimiterio ad ſanctam Ceciliam. Eodem die natale S. Gaii palatini in mare merſi. Nicomedia paſſio S. Adriani cum aliis numero viginti tribus.

III. nonas Martii. Antiochia paſſio ſancti Focæ martyris, cujus eccleſiæ januam ſi attigerit credens quilibet colubrino morſu percuſſus ſtatim ſanatur. Ipſo die ſancti Euſebii palatini & aliorum novem martyrum.

Obiit Walo Tretaſſinæ eccleſiæ epiſcopus. Eodem die ordinatio domni Hugonis epiſcopi, qui dedit fratribus in die ordinationis ſuæ altare Billiacenſis eccleſiæ.

Pridie nonas Martii. Nicomedia natale ſanctorum Victoris & Victorini, qui tormentis multis afflicti, & retruſi in carcerem, ibidem vitæ ſuæ curſum impleverunt. Civitate Toleto depoſitio ſancti Juliani antiſtitis.

Nonas Martii. Mauritania civitate Tuburbitanenſi paſſio ſanctorum martyrum Saturi, Perpetuæ & Felicitatis, & cum eis Revocati, Saturnini, & Secundoli.

VIII. idus Martii. Cartagine natale S. Pontiani diaconi & beati Cypriani epiſcopi. In civitate Antinoum natale ſanctorum martyrum Philemonis, Apollonii, Arriani, Theotici & aliorum III. in mare merſorum.

Eodem die defunctorum commemoratio monachorum monaſterii de Caritate ſolemniter, quod & ipſi pro defunctis noſtris celebrant.

VII. idus Martii. Niſena civitate natale ſancti Gregorii epiſcopi fratris beati Baſilii. Barzilona Paciani epiſcopi & confeſſoris. Apud Sebaſten Armeniæ minoris natale ſanctorum glorioſorum martyrum XL. militum tempore Licinii regis. Nam & nomina & geſta eorum habentur. In Africa Cyrilli, Felicis, Philippi, Mariani, Rogati, Conceſſi.

Obiit Wala epiſcopus, pro cujus memoria facienda Anſergiſus germanus ejus archiepiſcopus.... duos manſos cum regali & epiſcopali conſenſu fratribus dilargitus eſt, & in adminiſtratione luminis divini altaris eccleſiæ S. Stephani in Piſcaſiolo villa manſum unum.

VI. idus Martii. Apamia natale ſanctorum martyrum Alexandri & Gaii de Eumenia. In Perſida ſanctorum martyrum XLII. In Antiochia Agapæ virginis. Pariſius ſancti Drothoveri abbatis diſcipuli beati Germani epiſcopi. Luxovio monaſterio S. Attali abbatis.

V. idus martii. Apud Alexandriam natale ſanctorum Philoni epiſcopi, Candidi, Valerii cum aliis viginti. Apud Sebaſten Armeniæ minoris natale ſanctorum XL. martyrum, qui crurifragio martyrium conſummarunt. Cartagine natale S. Heracli. Autiſſiodero ſancti Vigilii epiſcopi & martyris.

Ipſo die Agano decanus ſancti Stephani obiit.

IV. idus Martii. Natale ſanctorum Innocentii pape & beatiſſimi Gregori papæ & præcipui doctoris. Apud Nicomediam natale beati Petri excellentiſſimi martyris, qui fide & nomine heres almi Petri apoſtoli extitit & aliorum octo.

Obiit Adalgarius diaconus, qui dedit fratribus de vineis arpennos VI. in circuitu Gratiaci ad ſui memoriam celebrandam. Eodem die ordinatio domni Bettonis epiſcopi.

III. idus Martii. Nicomedia natale ſanctorum martyrum Macedonii preſbyteri & Patriciæ uxoris ejus, & Modeſtæ filiæ ejus. Nicæa civitate ſanctorum martyrum Theuſetæ, Horis, Theodoræ, Nimpodoræ, Marcii, Arabiæ, qui omnes igni traditi ſunt. In Thebaïda S. Euphraſiæ virginis. In territurio Nevernenſi ſancti Viventii preſbyteri.

Pridie idus Martii. Romæ natale ſanctorum martyrum XLVII. qui baptizati ſunt a beato Petro cum teneretur in cuſtodia, qui omnes Neroniano gladio conſumti ſunt.

Apud Laodiciam natale ſancti Segaris epiſcopi & martyris. Nicomedia Feliciſſimi, Dativi & Frontinæ. Romæ Innocentii epiſcopi. In Africa ſancti Petri martyris & ſancti Euſtoſii.

Idus Martii in Cæſarea Capadociæ paſſio ſancti Longini, qui latus Domini lancea perforavit, ut in geſtis ejus invenitur. Theſſalonica civitate natale ſanctæ Matronæ martyris, quæ viriliter uſque ad mortem in confeſſione Chriſti permanſit. Romæ Zachariæ papæ.

Obiit eodem die Adelhelmus ſacerdos & concentor. Eodem die obiit Odo miles, qui apud Crevenum villam alodum ſuum canonicis dedit.

XVII. calendas Aprilis. Aquileia beati Hilarii epiſcopi & Taciani diaconi, qui una cum filio ſuo Felice, Largo, & Dionyſio martyrium conſummarunt. Romæ Cyriaci martyris, & cum eo Smaragdi & Creſcentiani, & aliorum viginti martyrum. Arvernis ſancti Patricii epiſcopi & confeſſoris. Nicomedia Caſtorii martyris.

XIV. calendas April. In Scotia natale ſancti Patricii epiſcopi & confeſſoris, qui primus ibidem Chriſtum evangelizavit. Alexandria natale ſancti Ambroſii diaconi. Nivigella monaſterio S. Gertrudis virginis.

XV. calend. April. Apud Cæſaream natale S. Alexandri epiſcopi & martyris, qui cum Narciſſo Hieroſolymitanæ eccleſiæ gubernacula ſuſcepit. Romæ Cyrilli epiſcopi & confeſſoris.

Obiit Walaharius ſacerdos & decanus.

XIV. calend. April. In Cæſarea Capadociæ ſancti Theodori preſbyteri. Apud Penarenſem urbem beati Johannis magnæ ſanctitatis viii. Surrentum ſanctorum martyrum Quinti, Quintilli, Quartillæ, Marci cum aliis novem.

XIII. calend. April. In Britanniis natale S. Chudbrehti epiſcopi & confeſſ. Eodem die natale S. Archippi commilitonis Pauli apoſtoli. In Syria ſanctorum Pauli, Cyrilli, Eugenii cum aliis IV. Ipſo die ſancti Wlfranni.

Obiit Adoardus presbyter & Aroildis Deo devota, qui dedit fratribus in villari Tornetrenſe & Marolio optimum alodum cum capella pro ſui memoria faciendo.

XII. calend. April. Apud Caſſinum caſtrum S. patris noſtri Benedicti abbatis, qui fuit ſpiritu juſtorum omnium plenus. Et in Flaviniaco adventus & exceptio corporis S. Reginæ virginis & martyris. In territurio Lugdunenſi beati Lupicini abbatis. Et in Alexandria B. Serapionis anachoritæ.

XI. calend. April. In Galliis civitate Narbonæ natale S. Pauli epiſcopi & confeſſoris diſcipuli apoſtolorum. Apud Corinthum beati Dionyſii epiſcopi. Civitate Biterris S. Afrodiſii epiſcopi & confeſſoris.

Obiit Conradus comes & Maginfridus miles ſancti Stephani. Eodem die obiit Theodericus canonicus & ſacerdos, qui dedit domum ſuam & vineas, quicquid etiam proprietatis habere videbatur, ad hoſpitale pauperum pro obtinenda venia delictorum ſuorum.

X. calend. April. Natale ſanctorum martyrum Victoriani, Frumentii & alterius Frumentii, duorumque germanorum egregio tormento coronatorum ſub Honorico rege. Apud Africam beati Fidelis martyris.

Giſlarus archidiaconus obiit, qui dedit fratribus ſuis omne prædium ſuum quod in Melundis & in circuitu ipſius habere viſus eſt ad memoriam ſui faciendam. Eodem die Willelmus laicus obiit, qui dedit inter fratres & altare patrimonium ſuum in Senonico, in villa Confluente. Eodem die obiit Andreas miles.

IX. calend. April. In Syria natale S. Seleuci. Ipſo die SS. Romuli & Secundoli, qui apud Mauritaniam pro Chriſto paſſi ſunt. Romæ paſſio S. Pigmenii preſbyteri. Hic Julianum apoſtatam a puero nutrivit & ſacris litteris erudivit, a quo poſtea in Tyberim pro Chriſti fide necatus eſt; dehincque abſtractus, ſepultus eſt in cimiterio Pontiani non longe a ſanctis Abdon & Sennen. In Syria S. Seleucii, itemque in Frigia S. Agapiti.

VIII. calend. April. Apud civitatem Galileæ Nazareth Adnuntiatio ſanctæ ac perpetuæ virginis Mariæ, & in Hieroſolymis crucifixio Domini noſtri Jesu Christi. Apud Syrmium natale S. Herenei epiſcopi & martyris. Romæ paſſio S. Cyrini martyris. Nicomedia natale S. Sedulæ martyris. In Antro inſula natale S. Ermelandi abbatis.

Obiit Ilduinus Senonenſis archidiaconus hujus eccleſiæ canonicus.

VII. calend. April. Romæ S. Caſtuli preſbyteri & martyris. Pentapolim Lybiæ Theodori epiſcopi, Yrenei diaconi, Serapionis & Ammonii lectorum. Apud Syrmium natale S. Montani preſbyteri, & Maximæ uxoris ejus in mare merſorum.

Obiit Aya ſanctæ Mariæ ancilla. Eodem die obiit Anaſtaſia mater domini Acardi preſbyteri, quæ dedit canonicis ſancti Stephani protomartyris quamdam vineam optimam, hoc pacto ut qui matutinis horis inſiterint, vinum dum duraret biberent. Canonici autem qui erant in capitulo hoc conceſſerunt.

VI. cal. April. Apud Ægyptum B. Johannis eremitæ, admirandæ ſanctitatis & prophetiæ ſpiritus viri. Hieroſolymis Reſurrectio Domini noſtri Jesu Christi. Apud Smyrnam beati Traſeæ epiſcopi & martyris. In Pannonia S. Alexandri martyris.

V. calend. April. Ceſareæ Paleſtinæ natale

SS. martyrum Priſci, Malchi, Alexandri. Cavillono depoſitio domni Gontranni regis. Romæ Sixti papæ. Tharſo Ciliciæ Caſtoris & Dorothei.

Eodem die obiit Anſellus juvenis miles S. Stephani. Item, obiit Condrada Deo ſacrata.

IV. calend. April. Natale SS. martyrum Armogaſti, Archinimi, & Satyri tempore Wandalicæ perſecutionis. Monaſterio Luxovienſi depoſitio beati Euſtaſii abbatis diſcipuli S. Columbani.

Ordinatio domni Waldrici epiſcopi. Ipſa die obiit Dodo miles ſancti Stephani.

III. calend. April. Romæ natale SS. martyrum Quirini, Tribuni. Apud caſtrum Silvanectenſium depoſitio S. Reguli confeſſoris & primi civitatis ipſius epiſcopi. Theſſalonicæ natalis ſanctorum Domnini & Victoris.

Pridie calend. April. Romæ S. Balbinæ virginis, quæ jacet juxta patrem ſuum Quirinum martyrem. Eodem die Amoos prophetæ. In Africa SS. Diodoli & Aneſii.

Ipſa die obiit Belinus levita & canonicus, vir honeſtæ vitæ, qui canonicis ſancti Stephani ad emendos reditus mille ſolidos dedit, de quibus ſingulis annis communis refectio canonicis exhibeatur.

APRILIS.

Calendas April. In Armenia SS. martyrum Quintiani, Victoris. Romæ depoſitio beatiſſimæ Theodoræ martyris. In Theſſalonica natale SS. virginum Agapis & Cyoniæ martyrum. In Sardinia B. Meritoris epiſcopi & confeſſoris. Ipſo die S. Venantii epiſcopi & martyris.

Obiit Guido canonicus & Ediſſæ archidiaconus.

IV. nonas Aprilis. Lugduno beati Nicetii epiſcopi & confeſſoris. Apud Palæſtinam depoſitio beatæ Mariæ Ægytiacæ, quæ peccatrix appellatur.

IV. nonas April. Cæſaræa Cappadociæ paſſio ſanctæ Theodoſiæ virginis. Nicomedia, S. Donati & S. Amphiani. In Scithia civitate Thomis, natale ſanctorum Evagrii & Benigni.

Obiit Abbo hujus eccleſiæ miles.

II. nonas Aprilis. Mediolano beati Ambroſii epiſcopi & confeſſoris doctoris præcipui. Apud Iſpalim depoſitio S. Iſidori epiſcopi & confeſſoris.

Ipſa die obiit Leotericus vicecomes, hujus eccleſiæ vexillarius.

Nonas Aprilis. Theſſalonicæ natale ſanctæ Hyrenæ virginis & martyris. Apud Ægyptum natale ſanctorum Nichanoris, & Apollonii, & Martianæ, quorum geſta habentur.

Eodem die ordinatio domni Heriboldi epiſcopi. Item ipſa die Ingeluinus miles obiit.

VIII. idus Aprilis. Romæ natale S. Sixti papæ & martyris temporibus Adriani paſſi. In Macedonia ſanctorum Timothei & Diogenis. Libiæ ſuperioris Theodori epiſcopi, Herenei diaconi, Serapionis & Ammonii lectorum. Et alibi natale ſanctæ Marinæ & Egulinæ.

Obierunt Remigius & Warimbertus epiſcopi. Eodem die obiit Gaufridus archidiaconus & abbas ſancti Euſebii.

VIII. idus Aprilis. Apud Africam natale ſanctorum Epiphanii epiſcopi, & Donati, & aliorum XIII. Eodem die Hejeſippi viri ſanctiſſimi. Alexandria ſancti Peleuſii presbyteri.

Obiit Johannes levita & abbas ſancti Euſebii adhuc juvenis prudentia litterarum imbutus & bonitate decorus. Ipſa die obiit Adila religioſa femina.

VI. idus Aprilis. Apud Toloſam natale ſancti Exuperii epiſcopi & confeſſoris, cujus actus beatus Hieronymus memorabiliter deſcribit. Romæ Caliſti papæ.

Obiit Beraldus ſacerdos & concentor.

V. idus Aprilis. Apud Antiochiam natale Procori martyris, qui unus fuit de VII. diaconibus. Apud Syrmium natale VII. Virginum, quæ in unum meruerunt coronari, quorum nomina Deus novit.

Obiit Suavis ſubdiaconus in litteris multum deditus. Eodem die Regina uxor Guiberti obiit, cujus aſſenſu & precibus idem Guibertus eccleſiam ſancti Stephani canonicis in Acolaco villa dedit.

IV. idus Aprilis. Romæ natale plurimorum martyrum quos ſanctus Alexander papa baptizavit, & Aurelianus in mari necare fecit, & alibi Ezechielis prophetæ. Autiſſiodero depoſitio ſancti Palladii epiſcopi & confeſſoris.

Obiit Waningus, qui dedit fratribus ſuum manſum indominicatum cum optima vinea & viridario adhærente in loco qui dicitur Mauſiacus, ad ſui memoriam celebrandam. Eodem die Hludovicus rex obiit.

III. idus Aprilis. Romæ natale S. Leonis papæ, cujus temporibus extitit ſancta ſynodus Calcedonenſis. Apud Cretam urbe Gortina natale ſancti Philippi epiſcopi & confeſſoris. In Dalmatia civitate Salona natale ſancti Dominionis epiſcopi & confeſſoris cum militibus VIII. Nicomedia S. Euſtorgii.

II. idus Aprilis. Romæ via Aurelia depoſitio beati Julii epiſcopi & confeſſoris. Ipſo die Zenonis epiſcopi. Wapingo depoſitio Conſtantini epiſcopi. Autiſſiodero beati Tetrici epiſcopi.

Eodem die Guillelmus ſubdiaconus canonicus feliciter emiſit ſpiritum, & pro delictorum ſuorum remiſſione domum ſuam & vineam canonicis dedit.

Idus Aprilis. In Calcedonia natale ſanctæ

Eufemiæ virginis & martyris. Apud Pergamum Aſiæ urbem natale SS. martyrum Carpi epiſcopi, & Papilii diaconi, & beatæ Agathonicæ, & aliarum multarum. In Hiſpania natale S. Herminegildis regis & martyris.

XVIII. calendas Maii. Romæ natale SS. Tiburcii & Valeriani & Maximi. Interamnis S. Proculi martyris. Apud Alexandriam beati Hontonis & ſanctæ Domnæ virginis cum ſociis virginibus coronatæ.

Eodem die ordinatio domni Richardi præſulis. Ipſa die obiit Otbertus miles S. Stephani.

XVII. cal. Maii. In civitate Cordula natale ſanctorum martyrum Olympiadis & Maximæ nobilium. In Italia ſanctorum martyrum Maronis, Euthicetis & Victorini. Et in Reomago cœnobio beati Silveſtri diſcipuli ſancti Johannis confeſſoris.

XVI. cal. Maii. Cæſar-auguſtæ ſanctorum decem & octo martyrum, quorum nomina & paſſio habentur. Apud Chorintum natale S. Calixti & Catiſii cum aliis VII. Romæ S. Anicheti papæ & martyris, & in Mauritania natale ſanctæ Baſiliæ.

Eodem die obierunt Godolgarius presbyter & Auguſtus ſacerdos, qui dedit fratribus alodum ſuum Maiſilinæ cum vinea adjacente in villa quæ dicitur Loconiacus ad ſui memoriam recolendam.

XV. cal. Maii. Apud Africam natale ſancti Mappalici, qui cum aliis pluribus coronatus eſt. Antiochia natale ſanctorum Petri diaconi & Hermogenis.

Obiit Petrus diaconus qui dedit fratribus in pago Senonico, in villa quæ dicitur Riviſiacus, & in pago Autiſſiodorenſe in villa quæ dicitur Poziacus, omnia propria ſua quæcumque viſus eſt habere, cum maſilinis & terris & vineis ad ſui memoriam recolendam. Ipſo die David levitæ & præpoſitus migravit ab hac vita. Item, Johannes levita & abbas humilis ab hoc ſæculo migravit ad clementiam Chriſti. Obiit Richardus comes. Victoria comitiſſa.

XIV. calend. Maii. Apud Meſſanam Apuleiæ civitatem natale SS. martyrum Eleutherii glorioſiſſimi epiſcopi, & Anthiæ matris ejus. Romæ paſſio S. Apollonii ſenatoris. In Africa Victoris Pamphili cum aliis numero VII.

XIII. calend. Maii. Apud Chorintum natale S. Timothei crucifixi, qui fuit de VII diaconibus. In Armenia civitate Militina natale SS. Roſi, Ariſtonici, Hermogenis cum aliis numero ſex. Caucoliberi Hiſpaniæ natale S. Vincentii martyris. In cœnobio quod dicitur ad Laubias depoſitio beati Urſmari epiſcopi & confeſſoris.

Obiit Erſendis vidua Deo ſacrata, quæ dedit fratribus pro Agini quondam ſui mariti atque animæ ſuæ abſolutione in pago Senonico in villa Caciaco clauſum vineæ habentem Arpennos IV. & ad ſanctum Priſcum inter monachos & fratres vineolas quas ibi habebat. Stephanus miles obiit.

XII. calend. Maii. Natale S. Victoris papæ & martyris. Item, Romæ SS. martyrum Sulpitii & Serviliani. Autiſſiodero civitate depoſitio SS. confeſſorum Mamertini & Mariani.

XI. calend. Maii. Apud Perſidem natale S. Simeonis epiſcopi & martyris cum aliis plurimis. In Galliis civitate Ebredunenſi natale S. Marcellini epiſcopi & confeſſoris. Apud Alexandriam natale SS. Fortunati, Aratoris preſbyteri, Felicis, Silvii, Vitalis, qui in carcere quieverunt.

Obiit domnus Galdricus epiſcopus. Obiit Hugo nobiliſſimus miles ſancti Stephani, qui dedit fratribus Acolacum villam cum appendiciis ſuis, annuente Goffrido epiſcopo ſuo ſeniori ad ſui memoriam recolendam.

X. calend. Maii. Romæ S. Gai papæ & martyris. Apud Perſidem SS. martyrum quingentorum. Lugduno Galliæ natale ſancti Epipodii martyris. Et alibi S. Parmenii cum ſociis ſuis. Senones civitate S. Leonis epiſcopi & confeſſoris.

Eodem die Elya uxor Roberti ducis, mundo plangente, cœlo plaudente, ultimum exhalavit ſpiritum. Ipſa die Eliſabeth uxor Josberti militis, cujus aſſenſu & precibus iſdem Josbertus nemus quoddam & olquam unam non longe ab Acolaco villa canonicis ſancti Stephani dedit ad ſui memoriam faciendam.

IX. calend. Maii. In Perſida civitate Dioſpoli paſſio S. Georgii martyris. In Galliis civitate Valentia natalis SS. Felicis preſbyteri, Fortunati & Achillei diaconorum. Fontenella monaſterio S. Wlfranni epiſcopi & confeſſoris.

Eodem die obiit Gvvilencus miles.

VIII. calend. Maii. Lugduno Galliæ natale S. Alexandri martyris cum aliis numero XXXIV. In Britannia S. Melliti epiſcopi & confeſſoris.

Obiit Anſellus levita & canonicus inſignis, in divinis ſcripturis magiſter egregius, qui pro ſalute animæ ſuæ vineam quam habebat in monte Defenſo canonicis dedit.

VII. calend. Maii. In Alexandria natale S. Marci evangeliſtæ. Lugduno depoſitio beati Ruſtici epiſcopi. Romæ letania major ad S. Petrum. In Syracuſa civitate Siciliæ natale SS. Evodii, Ermogenis & Caliſtæ.

Obiit domnus Eribaldus epiſcopus, qui dedit ad veſtimenta fratrum emenda, Condidam villam cum ſuis appenditiis & abbatiolam ſancti Remigii cum vineis, corticano videlicet & plantis; & ad ſtipendia ipſorum dimidium Maximiacum, hoc eſt manſos XXI.

VI. calend. Maii. Romæ natale SS. marty-

rum Cleti & Marcellini papæ. In pago Pontivo, cœnobio Centulæ depoſitio ſancti Richarii confeſſoris. Autiſſiodero dedicatio majoris eccleſiæ S. Mariæ.

V. calend. Maii. Romæ natale S. Anaſtaſii papæ. Nicomedia S. Antimi epiſcopi & martyris cum innumera multitudine martyrum. In civitate Tarſo Ciliciæ natale S. Caſtori.

Obiit Lambertus hujus eccleſiæ canonicus & ſacriſta, qui ad ſui memoriam recolendam dedit huic eccleſiæ bacinos duos argenteos, thuribulum argenteum, cappam de pallio, & duo candalebra, & duo tapetia; canonicis autem dedit centum ſolidos & furnum quem apud Crevenum fecit, & quicquid domorum vel aliorum edificiorum tam apud Crevenum, quem apud Acolacium habuit.

IV. calend. Maii. Apud Ravennam natale S. Vitalis martyris patris SS. Gervaſii & Prothaſii. Alexandria beatæ Theodoræ virginis & martyris, & S. Didimi martyris. In Pannonia S. Euſebii epiſcopi, & S. Pollionis martyris.

Obiit Stephanus laïcus, qui dedit prædium ſuum, quod in Loconiaco villa adquiſivit de Georgio presbytero, fratribus ſancti Stephani, ad ſui memoriam agendam poſt obitum uxoris Geleſindis.

III. calendas Maii. Apud Paphum natale S. Titichi apoſtolorum diſcipuli. In Tuſcia Torpetis martyris. In Numidia apud Cirtenſem coloniam natale ſanctorum martyrum Agapii & Secundini epiſcoporum. Paſſi ſunt cum eis alii ſex.

Eodem die Ayglulfus ſacerdos atque decanus, divinorumque erogator verborum ab hac luce migravit, canonicis S. Stephani tribuens tres arpennos vineæ ſui prædii in Garricis villa.

Pridie calend. Maii. Natale ſanctorum martyrum Mariani preſbyteri & Jacobi diaconi cum aliis multis. Sanctonas civitate natale S. Eutropii martyris. Apud Aſiam paſſio S. Maximi martyris. Romæ via Appia depoſitio Quirini epiſcopi & confeſſoris.

Obierunt Nivelon miles. Item Hugo hujus eccleſiæ canonicus & decanus.

MAIUS.

Calendas Maii. Natale SS. apoſtolorum Philippi & Jacobi. Jeroſolymis natale ſancti Quiriaci epiſcopi & martyris, qui & Judas vocatus eſt. Et alibi Jeremiæ prophetæ. Autiſſiodero civitate depoſitio ſanctiſſimi Amatoris epiſcopi & præcipui confeſſoris Chriſti. In Galliis territurio Vivarienſi paſſio S. Andioli ſubdiaconi. Civitate Sedunenſi loco Agauno paſſio S. Sigiſmundi regis. Toloſa civitate depoſitio S. Orientis epiſcopi & confeſſoris.

VI. nonas Maii. Alexandria natale ſancti patris noſtri Athanaſii epiſcopi & confeſſoris. Item in Alexandria natale SS. Saturnini & Neapolis, qui in carcere requieverunt. Hieroſolymis natale beati Simeonis epiſcopi & martyris, qui propinquus Salvatoris fuit ſecundum carnem. Autiſſiodero Optati epiſcopi, Memorii presbyteri & Sanctini presbyteri.

Obiit Remigius monachus & egregius doctor. Eodem die obiit Norgaudus Eduenſis epiſcopus, hujus eccleſiæ canonicus, qui per manum Humbaldi epiſcopi eccleſiæ noſtræ dedit pretii librarum x. ex pallio cappam optimam & quinque marcas argenti puriſſimi ad menſam altaris exornandam, & duo ſuper altare operimenta mirabiliter & operoſe operata.

V. nonas Maii. Hieroſolymis inventio ſanctæ Crucis ab Helena regina in monte Golgota anno poſt Paſſionem Domini CCLXXXIII. regnante Conſtantino imperatore. Romæ via Nomentana natale SS. martyrum Alexandri papæ, Eventii & Theodoli presbyteri. Ipſa die Juvenalis epiſcopi & confeſſoris. Autiſſiodero Euſebii preſbyteri & Aviti diaconi.

IV. nonas Maii. In Palæſtina civitate Gazan natale ſancti Silvani epiſcopi cum plurimis clericorum ſuorum coronati. Et alibi ſanctorum martyrum XL. Nicomediæ natale S. Antoniæ martyris. Autiſſiodero depoſitio & tranſlatio S. Corcodomi diaconi & confeſſoris. Lauriaco natale ſancti Floriani martyris.

Obiit Walterius levita & canonicus & S. Mariæ præpoſitus. Eodem die Girbertus levita & præceptor & abbas S. Euſebii corpus tumulo, animamque reddidit Chriſto.

III. nonas Maii. Aſcenſio Domini ad cœlos. Apud Alexandriam natale S. Euthimi diaconi. Theſſalonicæ natale SS. Herenei & Peregrini & Hirenes ignibus combuſtorum. Arelato depoſitio S. Hilarii epiſcopi & confeſſoris. Autiſſiodero paſſio S. Juviniani lectoris. Vienna B. Nicetii epiſcopi venerabilis ſanctitatis viri.

Obiit Frodo archipresbyter & canonicus litteris bene eruditus.

Pridie nonas Maii. Romæ S. Johannis apoſtoli & evangeliſtæ, quando ante portam Latinam in ferventis olei dolio miſſus eſt. Antiochia natale S. Evodii epiſcopi & martyris. Eodem die B. Lucii Cyrenenſis epiſcopi, & alibi ſanctorum martyrum Helyodori, Venuſti, Poſtumii, Maximi, Niceti, cum aliis LXXII. Autiſſiodero depoſitio SS. Valerii & Valeriani epiſcoporum & confeſſorum.

Eodem die Mediolano ordinatio domni Humbaldi epiſcopi, & obitus magiſtri Guidonis canonici ſancti Stephani & archiclavi, qui dedit eccleſiæ noſtræ ex libris ſuis paſſionales duos, antiphonarium, gradale, hym-

narium & pſalterium optimum.

Nonas Maii. Apud Terracinam Campaniæ urbem natale beatæ Domitillæ virginis & martyris cum aliis virginibus martyrio coronatis. Eodem die natale ſanctorum Nerei & Achillei eunuchorum. Trecas ſanctæ Maſtidiæ virginis. Ipſo die apud Nicomediam paſſio ſanctorum Flavii, Auguſti & Auguſtini fratrum.

Ipſo die Ilgerius hujus eccleſiæ venerabilis præpoſitus, ſpeculum & forma clericorum, tandem monachalem ſuſcipiens habitum, mortem perdidit & vitam invenit. Hic autem ut in anniverſario Humbaudi epiſcopi avunculi ſui fratribus refectio exhiberetur, molendinum quod apud Agligniacum de ſuo proprio fecit, huic eccleſiæ donavit. Multis etiam ornamentis eccleſiam iſtam decoravit ſacerdotalibus, ſcilicet veſtimentum diaconorum & ſubdiaconorum. Dedit etiam calicem argenteum, canulas argenteas & cappam de pallio optimam, miſſale & breviarium, & multos alios libros. Inter etiam multa beneficia quæ huic eccleſiæ fecit, dedit ſuper altare quinque operimenta linea venerabiliter operata. Portas autem principales iſtius eccleſiæ fecit, in quarum operatione CCC. *ſolidos donavit, medietatem quoque terræ de* Albex, *quam a Gaufrido Rufo emit, & molendinum quod edificavit in villa quæ dicitur* Molins, *ad refectionem in die anniverſarii ſui ſingulis annis fratribus exhibendam donavit. Eodem die obiit Hugo Nivernenſis epiſcopus hujus eccleſiæ canonicus.*

VIII. idus Maii. Mediolano natale ſancti Victoris martyris. Autiſſiodero depoſitio ſancti Eladii epiſcopi & confeſſoris. In Santonico * Vertavenſe monaſterio depoſitio ſancti Martini preſbyteri & confeſſoris. Romæ Benedicti papæ. In territurio Bituricæ civitatis monaſterio Silviniaco depoſitio S. Deſiderati confeſſoris.

* f. Nanne-aico.

VII. idus Maii. In Perſida ſanctorum martyrum CCCX. Caſtro Vindocino natale Beati confeſſoris, cujus geſta habentur. Conſtantinopoli natale ſancti Timothei.

VI. idus Maii. Obitus Job prophetæ. Romæ Via Latina in cimiterio ejuſdem natale ſanctorum martyrum Gordiani & Epimachi cum aliis multis. Item Romæ. Calepodii epiſcopi & martyris. Item Romæ ad * Centum aulas Quarti & Quinti.

* f. Centum-cellas.

V. idus Maii. Romæ Via Salaria natale beati Antimi preſbyteri & martyris & S. Pontii. Vienna natale ſancti Mamerti. Silviniaco natale S. Maioli abbatis. Eodem die paſſio S. Gengulfi martyris.

Obiit Wibertus laicus & Dutinus puer, qui dederunt nobis manſinile cum vinea in valle juxta Matriacum. Ipſo die obiit Landricus comes.

IV. idus Maii. Romæ in cimiterio Prætextati natale ſanctorum martyrum Nerei & Achillei fratrum. Item, Romæ Via Aurelia natale S. Pancratii martyris. Eodem die beati Dionyſii patrui ejuſdem beati Pancratii. Apud Cyprum ſancti Epiphanii epiſcopi & confeſſoris.

Obierunt Hugo abbas & Wighaldus epiſcopus, qui dedit fratribus XII. *manſos in Chichiriaco per præceptum regis. Item Hermengardis comitiſſa obiit.*

III. idus. Maii. Romæ ſanctæ Mariæ ad martyres dedicationis dies agitur a Bonifacio papa inſtitutus. Tungrenſis eccleſiæ depoſitio S. Servatii epiſcopi & confeſſoris, & alibi beati Mitrii preſbyteri & confeſſoris. Autiſſiodero depoſitio S. Marcelliani epiſcopi & confeſſoris.

Pridie idus Maii. In civitate Cymela natale S. Pontii martyris. In Syria natale ſancti Victoris & S. Coronæ, qui ſimul paſſi ſunt. Ipſo die natale S. Pachomii patris noſtri. Eodem die paſſio S. Bonifacii martyris, qui nonas Junias Romæ ſepultus eſt, quando & celebrior ejus dies agitur.

Obiit Letardus presbyter, qui dedit fratribus quæcumque habere viſus eſt in pago Senonico, in villa quæ dicitur Bagnentiis, & in pago Autiſſiodorenſi in villa quæ dicitur Molendinis, ad ſui memoriam recolendam.

Idus Maii. Natale ſanctorum confeſſorum Torquati, Tiſefontis, Secundi, Indaletii, Cecilii, Eſicii, Euſtaſii, qui Romæ a ſanctis apoſtolis epiſcopi ſunt ordinati. Apud inſulam Chium natale S. Hyſidori martyris. Lomoſaco natale ſanctorum Petri, Pauli, Andreæ & Dionyſiæ, quorum miræ paſſiones leguntur. Auguſtiduno natale S. Tetrici epiſcopi.

XVII. calendas Junii. Autiſſiodero vico Baugiaco paſſio S. Peregrini epiſcopi primi civitatis ipſius. In pago Tricaſſino ſancti Fidoli epiſcopi & confeſſoris. Et alibi natale ſanctorum Aquilini & Victoriani, quorum geſta habentur. In pago Foro-Julenſi vico qui vocatur Calidianus, natale S. Maximæ virginis. In Provincia civitate Aquis ſancti Mitraſii martyris.

Eodem die domnus Rikardus epiſcopus viam univerſæ carnis eſt ingreſſus. Eodem die obiit Fulco ſancti Amatoris canonicus & ſacerdos, qui pro ſalute animæ ſuæ domum ſuam Petrinam fratribus dedit.

XVI. cal. Junii. Apud Hierapolim beati Papiæ antiſtitis. In Tuſcia depoſitio corporis Torpetis martyris, qui V. calendas Maii martyrium complevit, ſed feſtivitas ejus hoc die celebrior agitur. In Alexandria Victoris.

Obiit Gauzelmus ſanctæ Lingonenſis eccleſiæ epiſcopus.

XV. calend. Junii. Apud Ægyptum ſancti Dioſcori lectoris & martyris. Ipſo die natale ſancti Felicis epiſcopi & martyris. Autiſſiodero exceptio reliquiarum ſanctæ

ctæ Eugeniæ virginis & martyris.

XIV. calendas Junii. Romæ natale S. Potentianæ virginis & martyris & S. Pudentis patris ejus. Item Romæ natale ſanctorum martyrum Calocerii & Partheni eunuchorum uxoris Decii imperatoris. In Africa natale SS. Quinti, Primuli, Saluſti, Fortunati, Domnionis.

XIII. calendas Jun. Romæ via Salaria natale S. Baſillæ virginis & martyris. In Galliis civitate Nemauſo natale S. Baudelii martyris. Bituricas natale S. Auſtregeſili epiſcopi & confeſſoris. Autiſſiodero in baſilica S. Germani dedicatio ſubteriarum cryptarum, & in occidentali parte ejuſdem eccleſiæ conſecratio oratorii S. Johannis Baptiſtæ.

XII. calend. Jun. In Mauritania natale ſanctorum martyrum Timothei, Poli & Eutichii diaconi. Autiſſiodori natale ſancti Valis confeſſoris.

Obiit Ricco ſacerdos, qui omne alodum ſuum, quod in Montiniaco poſſederat, cum areis infra civitatem ſitis, dedit canonicis S. Stephani pro obtinenda peccatorum ſuorum remiſſione, & ut in obitus ſui die optima exhibeatur refectio eiſdem fratribus.

XI. calendas Junii. In Africa natale ſanctorum martyrum Caſti & Emili. Autiſſiodero S. Helenæ virginis, cujus actus præclari in geſtis S. Amatoris continentur. Apud Corſicam paſſio S. Juliæ, quæ crucis ſupplicio coronata eſt. Item, Autiſſiodero depoſitio S. Romani monachi & confeſſoris, ſanctique Benedicti diſcipuli.

Eodem die Hludovicus juvenis rex obiit, & Heldradus miles S. Stephani.

X. calend. Jun. Apud Lingones paſſio ſancti Deſiderii epiſcopi. Vigenna paſſio ſancti Deſiderii epiſcopi, qui paſſus eſt in territurio Lugdunenſi.

Obiit Ablenus levita, qui dedit in pago Senonico in villa Juliaco canonicis S. Stephani patrimonium ſuum pro obtinenda peccatorum ſuorum remiſſione, & ut in die obitus ſui eiſdem fratribus optima exhibeatur refectio. Ipſo die obiit Walo ſacerdos atque decanus S. Petri.

IX. calendas Junii. In Portu Romano natale S. Vincentii martyris. Et alibi natale S. Manahen & beatiſſimæ Johannæ. In Galliis civitate Nannetis natale ſanctorum martyrum Donatiani & Rogatiani fratrum.

Obiit Legerius levita & canonicus, qui a Jeroſolymis revertendo in mari ſepulturam habuit.

VIII. calendas Jun. Romæ natale S. Urbani papæ & martyris. Mediolano natale S. Dionyſii epiſcopi & confeſſoris. In territurio Tricaſſino S. Leonis monachi & confeſſoris. Et alibi ſanctorum quatuor martyrum.

VII. calendas Jun. Apud Athenas B. Quadrati epiſcopi diſcipuli apoſtolorum. In Britannia natale S. Auguſtini epiſcopi & confeſſoris. Item, Quadrati martyris. In territurio Autiſſiodorenſi loco Quotiaco paſſio S. Priſci martyris cum ingenti multitudine. Romæ SS. martyrum XXIII.

VI. calendas Jun. Meſia civitate Doroſtrenſi natale S. Julii martyris. Civitate Araufica natale S. Eutropii epiſcopi & confeſſoris. In territurio Adartenſi S. Ragnulfi martyris.

V. calendas Junii. Romæ natale S. Johannis papæ & martyris. Apud Pariſium tranſitus ſancti Germani epiſcopi & confeſſoris. Apud Carnotum civitatem paſſio S. Carauni. In Sardinia SS. Emili, Felicis, Priami, Luciani.

Obiit Walo levita & canonicus & poſtea monachus effectus.

IV. cal. Jun. Romæ via Aurelia natale S. Reſtituti. Via Tyburtina natale ſeptem germanorum. Treviris B. Maximini epiſcopi & confeſſoris. Iconio civitate natale S. Coronis martyris. Eodem die natale SS. martyrum Siſinnii, Martyrii, atque Alexandri.

Obiit Frotmundus miles S. Stephani, & poſtea monachus S. Benedicti. Ipſo die eſt interfectus comes Raynaldus.

III. cal. Jun. Romæ via Aurelia natale S. Felicis papæ & martyris. Turribus Sardiniæ natale SS. martyrum Gabini & Criſpuli. Antiochia natale SS. Iſirii & Palatini, qui multa tormenta paſſi ſunt. Ipſo die natale S. Hucberti Tungrenſis epiſcopi.

Pridie calend. Jun. Romæ depoſitio S. Petronillæ virginis, quæ fuit filia B. Petri apoſtoli. Eodem die apud Aquileam Cantii, Cantiani & Cantianillæ fratrum. Turribus Sardiniæ natale S. Creſcentiani.

Eodem die obiit Elizabeth femina, pro cujus anima Obertus miles vir ejus eccleſiæ S. Stephani, duas olchas in Crevenno villa ſitas, dedit ad ſui memoriam recolendam.

JUNIUS.

Calendas Junii. Romæ dedicatio S. Nichomedis martyris, cujus martyrium XVII. calendas Octobris ibidem celebratur. Auguſtiduno SS. Riviriani epiſcopi & Pauli preſbyteri, cum aliis X. martyrum. Apud Cæſaream Palæſtinæ natale S. Pamphili preſbyteri & martyris. Ipſo die S. Capraſii abbatis monaſterio Lirinenſis. Vigenna Eladii epiſcopi & confeſſoris.

IV. nonas Jun. Romæ in cimiterio inter duas lauros via Lavicana Marcellini presbyteri & Petri exorciſtæ. Ipſo die Lugduno paſſio S. Blandinæ virginis cum XLVIII. martyribus, qui ſunt in territurio Autiſſiodorenſi delati vico Bacernenſi a beata Balbina.

HI. nonas Jun. Apud Auretium civitatem Tuſciæ natale SS. martyrum Pergentini & Laurentini fratrum. Item in Campania B. Eraſmi epiſcopi & martyris. In territurio Aurelianenſi vico Maiduno depoſitio S. Lifardi presbyteri & confeſſoris.

Pridie nonas Junii. Romæ in cimiterio Catacumbis via Appia natale SS. Arctii, Datiani. Apud Hilliticum civitatem Sciſciam natale S. Quirini epiſcopi & martyris.

Obiit Alto canonicus, qui dedit fratribus in pago Autiſſiodorenſi, in villa quæ dicitur Poziacus, de vinea in unum continentes plus minus arpennos V. *Eodem die Stephanus de Caſellis obiit, pro cujus anima Johannes ejus filius illam partem, quam in Caſellis habere videbatur, per manum Innocentii papæ & Willelmi comitis, canonicis hujus eccleſiæ Domino Deo ſervientibus dimiſit: & in Nanto villa tres arpennos de terra arabili octoque denarios de cenſu pro anima matris ſuæ, prope murum civitatis.*

Nonas Junii. Apud Ægyptum natale SS. martyrum Marciani, Nicandri & Apollonii, quorum geſta habentur. Apud Tharſum civitatem natale S. Bonifacii martyris. Item Bonifacii epiſcopi & martyris, qui de Britannis veniens, in Friſia paſſus eſt.

Ipſa die obiit Theobaldus miles.

VIII. idus Junii. Apud Cæſaream depoſitio S. Philippi diaconi, qui fuit unus de VII. diaconibus. Romæ ſanctorum martyrum Artenii cum uxore ſua Candida & filia Paulina. Apud Antiochiam S. Aſclepiadis epiſcopi & confeſſoris.

VIII. idus Junii. Conſtantinopolim natale S. Pauli epiſcopi & martyris. Corduba SS. martyrum Petri preſbyteri, Aventii, Hieremiæ, & aliorum trium quorum geſta habentur.

Obiit Leterius ſubdiaconus, qui dedit fratribus alodum ſuum in Adrebleto villa.

VI. idus Junii. In Galliis Sueſſione civitate natale S. Medardi epiſcopi & confeſſoris. Eodem die depoſitio S. Godardi Rotomagenſis epiſcopi, fratris ejuſdem ſancti Medardi, quos ferunt una die natos, una eademque die epiſcopos ordinatos, ſimiliter quoque una die ab hac die ſubtractos. In Doroſtoro civitate ſancti Marci epiſcopi.

V. idus Junii. Romæ in monte Cœlio natale SS. martyrum Primi & Feliciani. In Scotia S. Columbæ preſbyteri & confeſſoris. In Galliis civitate Agenno loco Pompeiaco paſſio S. Vincetii levitæ & martyris.

IV. idus Junii. Romæ via Aurelia natale S. Baſilidis martyris & aliorum XXII. martyrum. Autiſſiodero depoſitio S. Cenſurii epiſcopi & confeſſoris. Eodem die beati Geſturii martyris.

III. idus Junii. In India natale S. Barnabæ apoſtoli. Apud Corinthum natale S. Soſtenes diſcipuli S. Pauli. In Aquileia SS. martyrum Felicis & Fortunati. Romæ Saluraria vetere natale ſanctæ Baſillæ.

Pridie idus Junii. Mediolano inventio & tranſlatio corporum ſanctorum martyrum Nazarii & Celſi, quorum inventio pridie idus Junii, martyrium v. calendas Auguſtas celebratur: commemoratio tamen eorum publica & celebris in die ſanctorum martyrum Prothaſii & Gervaſii celebrius excolitur. Et alibi SS. martyrum Baſilidis, Cyrini, Naboris: ſed & Nazarii & Celſi, quos duos paſſos fuiſſe apud Ebredunenſem urbem antiquitas memorando celebrat. Romæ via Aurelia SS. Tripuli, Magdaletis, Zabini, Donatellæ & Secundæ.

Idus Junii. Romæ natale ſanctæ Feliculæ virginis & martyris. Corduba civitate natale S. Fandilæ preſbyteri & martyris. In Africa SS Luciani, Fortunati, Creſcentiani & Teclæ.

XVIII. cal. Jul. Sueſſionis civitate paſſio SS. martyrum Valerii & Rufi, qui Romæ quidem orti, ſed in Gallia glorioſo ſunt martyrio coronati. Et alibi Helizei prophetæ. In civitate Aurelianis tranſlatio corporis S. Aniani epiſcopi & liberatio civitatis ipſius a Chunis. In Africa SS. Quintiani, Theodolæ, Feſtivæ & Cantianellæ.

Obiit Iterius monachus doctor eximius.

XVII. cal. Jul. Apud Siciliam natale SS. martyrum Viti, Modeſti & Creſcentiæ. Eodem die apud civitatem Doroſtro natale S. Eſtrii militaris & martyris. In Aquileia SS. Cantiani, Proti, Marci, Clementis.

Obierunt Umbaldus & uxor ſua Ingelſindis, qui dederunt fratribus in Alnedo villa alodum ſuum. Ipſo die Robertus rex in bello occiſus eſt.

XVI. cal. Jul. Apud Antiochiam natale SS. martyrum Cyrici & Julitæ matris ejus & aliorum CCCCIV. Civitate Vinſontionenſi natale SS. martyrum Ferreoli preſbyteri & Ferrutionis diaconi. Civitate Nannetis S. Similiani epiſcopi & confeſſoris. Madriaco villa S. Felicis martyris.

Obiit Hugo comes.

XV. cal. Jul. Romæ natale SS. martyrum CCLII. Aurelianis depoſitio B. Aviti preſbyteri & confeſſoris. Et in monaſterio qui Aurea nuncupatur, depoſitio S. Wlmari confeſſoris.

XIV. cal. Jul. Romæ via Ardeatina natale SS. martyrum Marci & Marcelliani fratrum. In Hiſpaniis civitate Malacha SS. martyrum Cyriaci, & Paulæ virginis. Alexandria natale S. Marinæ virginis.

Obiit Adhelardus ſacerdos, qui dedit pro amore vitæ æternæ in Montiniaco alodum ſuum canonicis S. Stephani, & in civitate Autiſſiodero aream in qua degebat.

XIII. cal. Jul. Mediolano natale SS. marty-

rum Gervaſii & Prothaſii, & commemoratio SS. Nazarii & Celſi. Ravennæ natale S. Urſicini martyris.

obiit Æia mulier bona.

XII. cal. Jul, Romæ depoſitio S. Novati fratris Timothei preſbyteri, qui a beatis apoſtolis eruditi ſunt. Ravenna Criſpuli & Vitalis martyris. In Thomis civitate ſanctorum Pauli, Cyriaci, Paulæ, Feliciæ, Thomæ, Felicis.

obiit Hludovicus imperator. Ipſa die obiit Ingrannus & Elizabeth uxor ejus, pro quorum memoria Milo filius eorum dedit canonicis S. Stephani XII. *nummos in cenſu.*

XI. cal. Jul. Apud Siciliam civitate Syracuſana natale SS. martyrum Rufini & Martiæ. Romæ ſanctæ Demetriæ virginis. In Cæſarea civitate natale S. Euſebii iſtoriographi.

X. cal. Jul. Natale S. Albani martyris cum aliis DCCCLXXXVIII. In civitate Nola Campaniæ natale S. Paulini epiſcopi & confeſſoris. Ipſo die B. Nicci Romatianæ civitatis epiſcopi.

IX. cal. Julii. Vigilia S. Johannis-Baptiſtæ. Eodem die S. Johannis preſbyteri & martyris via Salaria veteri ſepulti. Apud Britanniam Ediltrudis virginis & reginæ.

VIII. cal. Jul. Nativitas beati Johannis-Baptiſtæ. Auguſtiduno depoſitio S. Simplicii epiſcopi & confeſſoris. Romæ in cimiterio Gaudenti, ſanctorum Felicis, Emeritæ.

VII. cal. Julii. Natale S. Soſipatris diſcipuli Pauli apoſtoli. Alexandria Gallicani martyris. Romæ via Salutaria * natale S. Luceiæ virginis & martyris cum aliis XXII. ſimul & Aceiæ regis barbari. Apud Cretam S. Philippi Gortianenſis epiſcopi.

* Salaria.

VI. cal. Jul. Natale SS. martyrum fratrum Johannis & Pauli, quorum primus præpoſitus, ſecundus fuit primicerius Conſtantiæ virginis filiæ Conſtantini. In Africa Gaudenti, Felicis, Emitæ.

obiit Leotericus Senonenſis archiepiſcopus.

V. cal. Julii. Apud Galatiam B. Creſcentii diſcipuli Pauli apoſtoli. Tiburtina urbe Italiæ natale ſanctæ .... cum ſeptem filiis martyrizatæ. Cordubæ Hiſpaniis natale SS. Zoili & aliorum X. & IX. Cartagini ſanctæ Guddenæ virginis & martyris. Oia monaſterio S. Florentii confeſſoris.

obiit Johannes ſacerdos & canonicus, qui ad miſſas celebrandas dedit pro redemtione animæ ſuæ veſtimenta ſacerdotalia & calicem argenteum, & fratribus XXXII. *ſolidos cenſuales, ut eis refectio communis exhiberetur. Præterea dedit eccleſiæ domum ſuam. Item obiit Galo laïcus, qui omne patrimonium ſuum quod habebat in pago Tornetrenſi in Villari-villa pro amore vitæ æternæ fratribus dedit ob ſui memoriam faciendam.*

IV. cal. Julii. Vigilia apoſtolorum Petri & Pauli. Ipſo die natale S. Leonis papæ & confeſſoris. Lugduno Galliæ S. Hyrenei epiſcopi & martyris, & aliorum VII.

III. cal. Jul. Romæ natale ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli, qui paſſi ſunt ſub Nerone, Baſſo & Tuſco conſulibus. In eadem urbe via Aurelia ſanctorum martyrum nongintorum ſeptuaginta ſeptem.

Pridie cal. Jul. Natale & celebratio iterum beati Pauli apoſtoli. Item beatiſſimæ Lucinæ apoſtolorum diſcipulæ. Lemovicas natale S. Martialis epiſcopi & confeſſoris. Ipſo die ſanctorum Corſici preſbyteri & Leonis ſubdiaconi. In territurio Vivarienſi S. Hoſtiani preſbyteri & confeſſoris.

Eodem die obiit Andræas miles Jeroſolymis ſepultus.

JULIUS.

Calendas Julii. In monte Hor depoſitio Aaron ſacerdotis primi. In territurio Lugdunenſi depoſitio beatiſſimi Domitiani abbatis. Eodem die Aninſulæ monaſterio natale S. Careleſphi preſbyteri & confeſſoris. Turonis natale S. Monegundis virginis. Civitate Engoliſma depoſitio S. Ebarchii epiſc. & conf. In territurio Remenſi S. Theoderici preſbyteri & confeſſoris. In territurio Cameracenſi Portu, qui Valentianas nuncupatur, natale S. Salvii martyris. Auguſtiduno depoſitio Leonti epiſcopi & confeſſoris.

Obiit Rainardus miles. Item obiit Jonas levita & canonicus, qui dedit ad reſtaurationem librorum hujus eccleſiæ XL. *ſolidos.*

VI. nonas Julii. Romæ natale SS. martyrum Proceſſi & Martiniani, qui a beatiſſimis Petro & Paulo baptizati & inſtructi ſunt. Et in eadem urbe natale S. Eutici & Melchiadis papæ.

V. nonas Jul. Apud Ediſſam Meſopotamiæ paſſio S. Thomæ apoſtoli, qui tranſlatus eſt XII. calendas Januarii quando celebrior dies agitur. Conſtantinopolim natale S. Eulogii. Laodicia S. Anatholii epiſcopi & confeſſoris. Apud Neocæſariam Ponti beati Gregorii epiſcopi & beati Athenodori fratris epiſcopi. Senones S. Sydronii martyris.

IV. nonas Jul. Oſeæ & Aggei prophetarum. Turonis tranſlatio S. Martini epiſcopi & confeſſoris, & ordinatio epiſcopatus ipſius. In Africa natale S. Jocundiani martyris. In territurio Bituricæ civitatis, vico Veſteno, natale S. Lauriani martyris. In Sirmia natale SS. Innocentii, Sabbatiæ cum aliis XXX.

III. nonas Jul. Apud Syriam natale S. Domitii martyris. Romæ natale ſanctæ Zoæ martyris uxoris beati Nicoſtrati. In Alexandria S. Arpo.is.

Pridie nonas Julii. Oſeæ & Johel prophetarum, & octavæ apoſtolorum. Romæ natale S. Tranquillini martyris patris mar-

tyrum Marci & Marcelliani, qui ad prædicationem beati Sebaſtiani credidit Chriſtum. In pago Threcarenſi natale ſancti Gotharis preſbyteri & confeſſoris. Auguſtiduno depoſitio Legonti epiſcopi & confeſſoris.

Nonas Julii. Apud Alexandriam natale S. Pantheni viri apoſtolici. Romæ SS. martyrum Nicoſtrati, Claudii, Caſtorii, Victorini, Symphoriani, quos beatus Sebaſtianus credere Chriſtum docuit, & S. Polycarpus preſbyter baptizavit.

Obiit Angilelmus epiſcopus, qui dedit villam, cui Pulverenus nomen eſt, fratrum canonicorum ſcilicet ſtipendiis. Res etiam quæ ex jure proprio ei cęſſerant tam in Bilioco, quam in Annau cum ſervientibus, eorumdem uſibus delegavit.

VIII. idus Julii. Apud Aſiam S. Aquilæ & Priſcillæ, de quibus in Actibus apoſtolorum ſcribitur. In Palæſtina natale S. Procopii martyris. Apud Eracleam SS. Johannis & Apri. Ipſo die S. Ceciliani martyris.

VII. idus Julii. Romæ ad Guttam jugiter manantem natale S. Zenonis & aliorum decem millium ducentorum trium. Eodem die beati Cyrilli epiſcopi & martyris. In civitate Tyriæ natale S. Anatholiæ martyris, & S. Audatis martyris. In civitate Martulana natale S. Briccii epiſcopi & confeſſoris. Eodem die depoſitio S. patris noſtri Effrem diaconi. Senones ſancti Eraclii epiſcopi.

Obiit Odo ſancti Dionyſii monachus.

VI. idus Julii. Romæ natale SS. martyrum ſeptem Fratrum filiorum S. Felicitatis, id eſt, Januarii, Felicis, Philippi, Alexandri, Vitalis, Silvani, Martialis. In Africa natale SS. martyrum Januarii, Marini, Naboris & Felicis. Item, Romæ natale SS. virginum Rufinæ & Secundæ ſororum & martyrum. Apud Epheſium in monte Cœlio depoſitio ſeptem Dormientium, quorum nomina hæc ſunt: Maximianus, Malcus, Martianus, Dionyſius, Johannes, Serapion, Conſtantinus.

V. idus Julii. Tranſlatio corporis S. Benedicti abbatis. In Armenia minore civitate Nicopoli natale SS. martyrum Januarii & Pelagiæ. In territurio Pictavenſi natale S. Savini confeſſoris. Hic fuit ex diſcipulis ſancti Germani Autiſſiodorenſis epiſcopi.

IV. idus Julii. Apud Aquileiam natale S. Hermogaræ epiſcopi & martyris, diſcipuli S. Marci Evangeliſtæ. Apud Cyprum natale beati Vaſonis antiqui Chriſti diſcipuli. Mediolano tranſlatio corporum SS. martyrum Naboris & Felicis. Romæ in Vaticano S. Pii papæ. (*Recenti manu.* Exceptio reliquiarum S. Amatoris.)

III. idus Julii. Natale S. Silæ apoſtoli, adjutoris beati Pauli apoſtoli. In Africa natale SS. confeſſorum Eugenii Cartaginenſis epiſcopi & univerſi cleri ejuſdem eccleſiæ, qui cæde inediaque mactati fere quingenti vel amplius fuerunt. In Britannia minori natale S. Thuriavi epiſcopi & confeſſoris. In Anthiochia paſſio S. Margaritæ Virginis. In Alexandria Serapionis & Trophimi.

Pridie idus Julii. Romæ natale S. Anacleti papæ. Apud Pontum natale S. Focæ epiſcopi & martyris. Alexandria depoſitio S. Eraclæ antiſtitis. Lugduno Galliæ S. Juſti epiſcopi & confeſſoris.

Obiit Gualdricus levita & canonicus ſancti Stephani & abbas ſancti Euſebii.

Idus Julii in Alexandria SS. Philippi, Zenonis, Narſci, & decem Infantum. Niſibi natale S. Jacobi epiſcopi & magnæ virtutis viri. Cartagine SS. Catulini diaconi, Januarii, Florentii, Juliæ & Juſtæ, qui ſunt poſiti in baſilica Fauſti. Hieroſolymis diviſio XII. apoſtolorum ad prædicandum.

Obiit Jonas ſacerdos & canonicus almi Stephani, complens præſentis vitæ debitum, ovanter emiſit ſpiritum.

XVI. calend. Auguſti. In civitate Hoſtia natale S. Hilarini martyris. Apud Antiochiam Syriæ natale S. Euſtachii epiſcopi & confeſſoris. Et alibi SS. Valentini, Theoni & Dyocletis.

XVI. calend. Aug. In Cartagine natale SS. martyrum Schillitanorum numero XII. Autiſſiodero depoſitio B. Theodoſii epiſcopi & confeſſoris.

XV. calend. Aug. Romæ paſſio ſeptem germanorum Petri, Marcelliani, Dionyſii, Januarii, Symphronii, Clementis & Hyrenei. Civitate Mettis natale S. Arnulfi epiſcopi & confeſſoris.

XIV. calend. Aug. Apud civitatem Coloſſis natale beati Epafræ epiſcopi & martyris. Apud Hiſpaniam Hiſpali civitate natale SS. Juſtæ & Rufinæ martyrio coronatarum. Eodem die natale S. patris noſtri Arſenii monachi & confeſſoris, qui propter abundantiam lacrymarum ſudarium in ſinu ſemper ferebat. Lugduno Galliæ ſancti Ruſtici preſbyteri & confeſſoris.

XIII. cal. Aug. Natale S. Joſeph, qui cognominatus eſt Juſtus. Civitate Corduba natale S. Pauli diaconi & martyris. In Thebaïda S. Victoris. Apud Damaſcum SS. martyrum Sabini, Maximini, cum aliis XIV. Autiſſiodero S. Marini preſbyteri.

XII. calend. Aug. Obitus Danihelis prophetæ. Romæ natale S. Praxidis virginis. In civitate Marſilia natale S. Victoris martyris. Paſſi ſunt autem cum eo tres milites, Alexander, Felicianus & Longinus. Trecas paſſio S. Juliæ virginis.

Ipſo die obiit Robertus rex Franciæ.

XI. calend. Aug. Natale S. Mariæ Magdalenæ, de qua, ut evangelium refert, ſeptem dæmonia ejecit Dominus. Ancyra Galatiæ natale S. Platonis martyris. Cœnobio Fontenella depoſitio S. Wandregeſili confeſſoris & abbatis.

X. calend. Aug. Apud Ravennam natale S. Apollinaris epiſcopi & martyris. Hic Romæ ordinatus a beato Petro apoſtolo Ravennam directus eſt, ibique paſſus.

IX. Calendas Aug. Apud Hemeritam Hiſpaniæ civitatem natale S. Victoris martyris cum duobus fratribus. In Italia civitate Tyro, quæ eſt circa lacum Vulſinum, natale S. Chriſtinæ virginis & martyris. Eodem die natale SS. Nicetæ & Aquilæ, quæ martyrii palmam capitis abſciſſione meruerunt.

VIII. calendas Auguſti. Natale beati Jacobi apoſtoli fratris Johannis evangeliſtæ, quem decollavit Herodes. In Licia civitate Samon natale S. Chriſtophori martyris. Civitate Barcinona paſſio S. Cucuphatis. Romæ Nemeſii diaconi & martyris.

VII. calend. Aug. Natale beati Heraſti, qui Philippis a beato Paulo apoſtolo ordinatus, ibi martyrio coronatus quievit. Romæ in Porto natale S. Jacincti martyris. Item Romæ via Latina ſanctorum martyrum Symphronii, Olympii, Theodoli, & Exuperiæ.

VI. calend. Aug. Apud Nicomediam civitatem natale S. Hermelagi preſbyteri & martyris, cujus doctrina beatus Pantaleon ad fidem converſus eſt. Et alibi natale ſanctorum XII. quorum geſta habentur. In Sicilia beati Simeonis monachi. Autiſſiodori beati Hetherii epiſcopi & confeſſoris.

V. calend. Aug. Nicomedia paſſio S. Pantaleonis. Britannia minore, Dolo S. Samſonis epiſcopi & confeſſoris. Mediolano paſſio SS. Nazarii & Celſi, quorum paſſiones annotatæ ſunt II. idus Junii, quando ſacra corpora eorum inventa ſunt.

Obiit domnus Gerannus epiſcopus. Ipſo die Hacardus abbas ſancti Germani ab hac vita ſublatus eſt.

IV. calend. Aug. Romæ via Aurelia tranſlatio corporis beati Felicis epiſcopi & martyris, qui IV. idus Novembris martyrio coronatus eſt. Eodem die ſanctorum martyrum Simplicii, Fauſtini, & S. Beatricis martyris ſororis eorum. Trecas depoſitio S. Lupi epiſcopi & confeſſoris. Item Romæ natale B. Seraphiæ virginis & martyris, cujus celebrior dies agitur III. nonas Septembris.

Ragenaldus hujus eccleſiæ .... eodem die Senonis pugnando interfectus eſt. Eodem die Philippus rex Francorum obiit.

III. calend. Aug. Romæ SS. martyrum Abdon & Sennen V. calendas Auguſti martyrizatorum, & III. calendas ejuſdem menſis ſepultorum. Apud Africam civitatem Lucernariam natale SS. virginum & martyrum Maximæ, Donatillæ & Secundæ. Autiſſiodero depoſitio S. Urſi epiſcopi & confeſſoris.

Pridie calend. Aug. Apud Ravennam Italiæ civitatem tranſitus S. Germani epiſcopi Autiſſiodorenſis. Apud Cæſaream ſancti Fabii martyris.

Eodem die Ludovicus rex Franciæ obiit.

AUGUSTUS.

Calendas Auguſti. Romæ S. Petrum ad vincula. In Antiochia paſſio SS. Machabæorum ſeptem fratrum cum matre ſua, qui paſſi ſunt ſub Antiocho rege. In Italia Vercellis civitate natale S. Euſebii epiſcopi & martyris. Civitate Philadelphia SS. martyrum ſeptem una die coronatorum. Gerunda civitate natale S. Felicis præcipui martyris. Romæ SS. virginum & martyrum Spei, Fidei & Caritatis, & matris earum Sapientiæ.

IV. nonas Aug. Romæ in cimiterio Caliſti via Appia natale ſancti Stephani papæ & martyris. In provincia Bithinia urbe Nicæa natale S. Theodotæ cum tribus filiis ſuis martyrizatæ. Et in Italia civitate Verona natale S. Felicis. Et alibi natale ſancti Niceti.

III. nonas. Aug. Hieroſolymis inventio corporis beati Stephani protomartyris Chriſti, & SS. Gamalihelis, Nicodemi & Abibon. Romæ via Appia natale S. Tharſitii martyris. Auguſtiduno depoſitio Eufroni epiſcopi & confeſſoris.

Pridie nonas Auguſti. Romæ ad S. Laurentium natale S. Juſtini preſbyteri. Eodem die beati Ariſtarchi diſcipuli S. Pauli apoſtoli, qui fuit Theſſalonicenſium epiſcopus. Romæ in crypta Arenaria beati Tertulliani martyris.

Obiit Henricus rex Francorum. Eodem die Gaufridus comes Cabilonenſis, hujus eccleſiæ cæſatus, apud caſtrum ſuum Donziacum monachus factus obiit.

Nonas Auguſti. Auguſtiduno natale S. Caſſiani epiſcopi. Catalaunis natale S. Memmii epiſcopi. Eodem die natale S. Hofwaldi Anglorum regis & martyris.

Eodem die Hugo ſancti Stephani præpoſitus in via Hieroſolymitana ſepultura traditus eſt. Eodem die Rainaldus Willelmi comitis filius interfectus eſt.

VIII. idus Aug. Transfiguratio Domini in monte. Romæ natale S. Sixti epiſcopi & martyris, cum quo paſſi ſunt Feliciſſimus & Agapitus diacones, & alii quatuor, id eſt Januarius, Magnus, Vincentius & Stephanus ſubdiaconus, ac beatus Quartus cum eis, ut ſcribit S. Cyprianus. Item Romæ S. Ormiſdæ papæ.

Obiit Maurinus epiſcopus, qui dedit ſtipendiis fratrum agellum proprietatis ſuæ, cujus vocabulum eſt Villare, non longe a Varziaco.

VII. idus Auguſti. Apud Tuſciam civitate Aritia natale S. Donati epiſcopi & martyris. Apud Mediolanum S. Fauſtini. Romæ paſſio ſanctorum XXVIII. Apud Cretam civitate Auguſta paſſio S. Affræ.

Obiit Ermenfredus præpoſitus, qui dedit fratribus prædium ſuum ſuper fluvium Baleæ, & in Capiliaco & in pago Senonico & in Baſau ad ſui memoriam celebrandam.

VI. idus Auguſti. Romæ S. Cyriaci martyris ſociorumque ejus, qui paſſus eſt XVII. calendas Aprilis: ſed poſtea beatus Marcellus epiſcopus una cum beatiſſima Lucina tranſtulit in prædium ſuum ſacrum corpus ejus pariterque XXI. ſociorum ejus, manu ſua recondidit cum aromatibus VIII. die menſis Auguſti, quando & celebrem ejus feſtivitatem ſtatuit. Viennæ S. Severi presbyteri.

Eodem die obiit Heriveus Nivernenſis epiſcopus hujus eccleſiæ canonicus. Item obiit Ato miles, pro cujus anima Humbaudus frater ejus terram Lonniaci quam tenebat, canonicis S. Stephani reliquit.

V. idus Auguſti. Romæ S. Romani militis, qui confeſſione S. Laurentii compunctus, baptizatus martyriſatus eſt. Ipſo die vigilia S. Laurentii archidiaconi & martyris.

Obiit Salomon canonicus & decanus ſancti Stephani.

IV. idus Auguſti. Romæ natale S. Laurentii diaconi & martyris. Item Romæ militum centum ſexaginta quinque.

III. idus Auguſti. Romæ via Lavicana inter duas lauros natale S. Tiburtii martyris. Item Romæ natale S. Suſannæ virginis & martyris. Cameraco natale S. Gaugerici epiſcopi & confeſſoris. In civitate Ebroicas natale S. Taurini epiſcopi.

Obiit Hugo hujus eccleſiæ venerabilis epiſcopus, quem vitæ ſanctitas & morum probitas decoravit, & quam pie & religioſe vixerit, hujus vitæ exitus ſatis comprobavit. Qui ob amorem Dei & ſui memoriam ſingulis annis recolendam, eccleſiam Auſiaci ad refectionem fratrum in die anniverſarii ſui huic eccleſiæ donavit. Dedit etiam eidem alias eccleſias, eccleſiam ſcilicet Bacernæ & S. Briccii, & Induniaci, & Venioſæ, & decimas Viſiaci. Præterea ipſam eccleſiam multis cappis de pallio, & duobus tapetis, & multis ſacerdotalibus indumentis, & aliis ornamentis ipſe dives ditavit.

Pridie idus Auguſti. In Sicilia civitate Cathena natale S. Eupli diaconi & martyris. Eodem die natale S. Hilariæ martyris matris S. Afræ, cum qua paſſæ ſunt Digna, Eumenia & Euprepia. Civitate Filare paſſio S. Gratiliani & Feliciſſimæ virginis.

Obiit venerabilis memoriæ magiſter Giſlebertus, veteris & novi teſtamenti gloſſator eximius, qui Univerſalis merito eſt appellatus, hujus eccleſiæ canonicus, poſtmodum vero Londonienſis factus epiſcopus; qui præter cetera quæ eccleſiæ noſtræ ex Anglia tranſmiſerat ornamenta, octoginta & duas libras eidem eccleſiæ contulit: Fratres vero inde poſſeſſiones ementes, anniverſarium ejus ſingulis annis celebrari devote conſtituerunt.

Idus Auguſti. Romæ via Tyburtina natale S. Hyppoliti martyris. Paſſa eſt autem Concordia nutrix ejus, & alii de domo ejus XIX. Foroſillæ natale S. Caſſiani martyris. Pictavis depoſitio S. Radegundis reginæ.

Obiit Norgaudus miles S. Stephani.

XIX. cal. Septembris. Vigilia Aſſumtionis S. Mariæ. Via Appia in cimiterio Calixti depoſitio S. Euſebii presbyteri & confeſſoris. Apud Aquileiam paſſio ſanctorum Felicis & Fortunati fratrum. In Africa Demetrii cum aliis decem.

XVIII. cal. Septembris. Aſſumtio ſanctiſſimæ & glorioſiſſimæ Dei genitricis Mariæ. Eodem die natale S. Tharſitii acolythi & martyris. Et alibi S. Euſebii martyris.

XVII. cal. Septembris. In Nicæa Bithiniæ natale S. Urſatii confeſſoris. Romæ natale S. Serenæ uxoris Diocletiani Auguſti. Autiſſiodero tranſlatio Augurii & Deſiderii epiſcoporum. In Perſida natale S. Tyrſi martyris. Nivernis natale S. Arigii epiſcopi & confeſſoris.

Ipſo die Odo præceptor S. Stephani præſentem finivit vitam.

XVI. cal. Septembris. In Cæſarea Cappadociæ natale S. Mammetis martyris. Apud Africam SS. martyrum Liberati abbatis, Bonifacii diaconi, Servi & Ruſtici ſubdiaconorum, Rogati & Septimi monachorum, & Maximi pueri. Romæ octabas S. Laurentii.

XV. calendas Septembris. Apud Præneſtinam civitatem natale S. Agapiti martyris. Romæ SS. preſbyterorum Johannis & Criſpi. Apud Cartaginem paſſio SS. Maſſæ Candidæ, qui fere CCC. fuere viri, & in clibanum calcis vehementer ardentis pro fide Chriſti ſunt demerſi, unde candidatus ille exercitus beatorum Maſſa Candida meruit nuncupari: Maſſa, propter numerum, Candida, propter meritum: quorum memoria agitur IX. calendas Septembris. Tamen ſciendum quia XV. calendas prædicti menſis paſſi ſunt.

Obiit Gualterius vicecomes.

XIV. cal. Septembris. Natale S. Magni ſeu S. Andreæ martyrum cum ſociis ſuis duobus millibus DXCVII. In monte qui dicitur Jura S. Donati presbyteri & confeſſoris. Romæ beati Julii ſenatoris & martyris. In territurio Bituricenſi natale ſancti Mariani

confeſſoris, cujus geſta habentur.

Ipſo die obiit Ebrardus miles S. Stephani.

XIII. cal. Septembris. Samuëlis prophetæ. Eodem die beati Porphirii hominis Dei. Herio inſula in loco qui dicitur Deas, natale S. Philiberti abbatis & confeſſoris.

XII. calendas Septembris. In territurio civitate Gavalitana vico Mimatenſi, natale S. Privati epiſcopi & martyris. Eodem die natale SS. martyrum Bonoſii & Maximiani, quorum geſta habentur.

Obiit Adelelmus nobilis miles & humilis. Eodem die Willelmus Nivernenſis comes, Carturiæ religioſam vitam ducens ſanctiſſime obiit.

XI. cal. Septembris. Romæ natale S. Timothei martyris, qui de Antiochia Romam venit, & ſua prædicatione multos ad Chriſtum convertit: pro quo & martyrizatus ſepultus eſt juxta beatum Apoſtolum pro eo quem habuerat ejuſdem nominis diſcipulum. Auguſtiduno natale S. Symphoriani martyris. Item, Romæ B. Antonii martyris, & SS. Peregrinorum martyrum Martialis, Epiterii, Saturnini cum ſociis eorum.

Stephanus hujus eccleſiæ præpoſitus & canonicus obiit.

X. calendas Septembris. Antiochia natale SS. martyrum Donati, Reſtituti, Valeriani, Fructuoſæ cum aliis XII. Alexandria beati Theonæ viri Dei. Et alibi S. Zachei epiſcopi & SS. martyrum Minerii, Eleazari cum filiis IX. Eodem die natale ſanctorum Timothei & Apollinaris, qui apud Remenſium urbem conſummato martyrio cœleſtia regna meruerunt. In Licea civitate Ægea SS. Claudii, Aſterii & Neonis, qui poſt acerba tormenta cruci adfixi ſunt. Auguſtiduno depoſitio ſancti Flaviani epiſcopi.

Eodem die Eribertus Autiſſiodorenſis epiſcopus viam univerſæ carnis eſt ingreſſus.

IX. calendas Septembris. In India natale S. Bartholomæi apoſtoli. Apud Cartaginem commemoratio ſanctorum Maſſæ candidæ, quorum ſolemnitas ſuperius XV. calendas Septembris annotata eſt. Romæ natale S. Geneſii martyris. Civitate Rotomago natale S. Audoëni epiſcopi & confeſſoris. In territurio Nivernenſi natale SS. confeſſorum Patricii abbatis & Gildardi preſb.

Obiit Hugo comes.

VIII. calendas Septembris. Romæ natale SS. martyrum Euſebii, Pontiani, Peregrini, & Vincentii. Atelato natale S. Geneſii martyris proprio cruore baptizati. Civitate Complutò paſſio SS. Juſti & Paſtoris fratrum, qui cum adhuc pueri litteris imbuerentur, projectis in ſchola tabulis, ſponte ad martyrium cucurrerunt. Item, Romæ via Nomentana militum XVIII.

VII. calendas Septembris. Romæ SS. martyrum Herenæ & Abundi. Item, Romæ natale S. Zephirini papæ. Apud Victimilium caſtrum Italiæ natale S. Secundi martyris. Bergamis civitate natale S. Alexandri martyris. Salona paſſio S. Anaſtaſii, cujus memoria feſtivitatis ſupra notata eſt XII. calendas Septembris. Autiſſiodero depoſitio S. Eleutherii epiſcopi.

VI. calendas Septembris. Apud Capuam S. Rufi martyris. Arelato S. Cæſarii epiſcopi & confeſſoris. Auguſtiduno depoſitio S. Siagri epiſcopi & confeſſoris. Thomis natale SS. martyrum Marcellini tribuni, & uxoris ejus Mannææ, & filii ejus Johannis, & Serapionis clerici, & Petri militis. Eodem die paſſio SS. Georgii diaconi, Aurelii, Felicis, Nataliæ, & Lilioſæ. Civitate Bituricas tranſlatio corporis S. Sulpitii epiſcopi & confeſſoris.

V. cal. Septembris. Romæ paſſio S. Hermetis martyris. Conſtantinopolim natale ſancti Alexandri epiſcopi glorioſi ſenis, cujus oratione Arrius divino nutu crepuit medius effuſis viſceribus. In civitate Yppona natale S. Auguſtini epiſcopi & confeſſoris, qui ſpiritu divino tactus, fecit libros, tractatus, epiſtolas numero mille XXX. exceptò quæ numerari non poſſunt. Santonas natale S. Bibiani epiſcopi & confeſſoris. Ipſo die in Brivato vico natale ſancti Juliani martyris.

Obiit Gimo miles S. Stephani.

IV. calendas Septembris. Romæ ad arcum Fauſtini beatiſſimæ Sabinæ martyris, quæ fuit uxor præclariſſimi quondam Valentini & filia Herodis Metallarii, quæ paſſa eſt Adriano imperante, ſub præfecto Helpidio. Item, Romæ paſſio S. Seraphiæ virginis. In provincia Palæſtinæ civitate... decollatio S. Johannis Baptiſtæ.

Ipſa die ordinatio domni Herefridi, qui dedit fratribus ad refectionem ipſius dici faciendam Artaldum villam, & in Lindriaco manſum unum, & in Capillaco manſum alterum, & molendinum ſubtus murum. In Nativitate vero S. MARIÆ *quando ſedit primum in cathedra epiſcopali, dedit fratribus eccleſiam Baverna & Lindriacum, & Lupinum necnon Logniacum. Gimiliacum autem dedit in natali S. Clementis. Obiit Archemboldus epiſcopus.*

III. calendas Septembris. Romæ via Oſtienſi milliario ab Urbe beatiſſimorum martyrum Felicis & Audacti, ambo preſbyteri. Item, Romæ Gaudentiæ virginis.

Obiit Ermenbertus ſacerdos, qui innocenter gladio interfectus eſt.

Pridie calendas Septembris. Treviris natale S. Paulini epiſcopi & confeſſoris. Apud Athenas B. Ariſtidis fide ſapientiaque clariſſimi. Autiſſiodero depoſitio S. Optati epiſcopi & confeſſoris. Ancira Galatiæ SS. Gaiani & Juliani.

SEPTEMBER.

Calendas Septembris. Hiesu Nave & Gedeon prophetarum, & beatissimæ Annæ prophetissæ, quæ in evangelio legitur. Capua natale S. Prisci martyris. Senones depositio B. Lupi episcopi & confessoris. Cenomanis natale S. Victoris episcopi & confessoris. Ipsa die translitus S. Ægidii abbatis & confessoris.

Obiit Richardus comes.

IV. nonas Septembris. Lugduno natale S. Justi episcopi & confessoris, qui migravit ad Dominum in eremo pridie idus Octobris, & ejus sacrum corpus & B. Viatoris ministri ejus Lugdunum relatum, cum digno cultu conditum est IV. nonas Septembris. Eodem die apud præfatam urbem depositio B. Helpidii episcopi. Apud Apamiam B. Antonini martyris.

III. nonas Septembris. Natale S. Fœben, de qua Apostolus Romanis scribit: *Commendo autem vobis Fœben, &c.* Romæ commemorario B. Seraphiæ virginis & martyris, quæ passa est IV. calendas Augusti, sepulta pridie calendas Augusti, sed IV. nonas Septembris festivior dies agitur, quando locus orationis dedicatus est, & sepulcrum ejus ornatum est. Apud Capuam natale SS. martyrum Antonini pueri & Aristei episcopi.

Pridie nonas Septembris. Moysi legislatoris. Cabilonis civitate natale S. Marcelli martyris. Et alibi natale SS. martyrum Rufini, Silvani & Vitalicæ. Romæ in cimiterio Maximi via Salutaria natale sancti Bonifacii episcopi.

Nonas Septembris. In suburbio Romæ beati Victorini martyris. Romæ in Portu natale S. Herculiani martyris. Eodem die natale S. Bertini abbatis.

Obiit Lambertus levita & doctor eximius. Ipso die Helisabeth Deo sacrata obiit.

VIII. idus Septembris. Obitus Zachariæ prophetæ, & natale S. Honesyppheri, de quo ad Timotheum scribit Apostolus: *Det misericordiam Dominus Honesyppheri domui*, & reliqua. Apud Africam beatissimorum episcoporum Donatiani, Præsidii, Mansueti, Germani, Fusculi.

VII. idus Septembris. In Galliis territurio Æduorum nuncupato loco Alesia, quæ olim fortissima civitas fuerat, sed a Julio Cæsare destructa, natale sive passio sacratissimæ Reginæ virginis. Nicomedia natale beati Johannis viri Dei. Aurelianis depositio B. Evurtii episcopi. Parisius vico Novegento sancti Clodoaldi presbyteri & confessoris.

VI. idus Septembris. Nativitas sanctæ Dei genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ, quam Spiritus sanctus custodivit, & electam sanctificavit, ut ex utero illius nasceretur Homo-Deus altissimus. Romæ festivitas sepulturæ S. Adriani, qui apud Nicomediam cum aliis XXIII. passus est IV. nonas Martii.

Obiit Eribaldus levita & archiclavis, qui insperate ab inimicis gladio interemtus est. Eodem die Dodo sacerdos occisus est in bello. Ipso die Ingelbaldus sacerdos atque decanus S. Stephani obiit.

V. idus Septembr. Apud Nicomediam passio SS. Dorothei & Gorgonii martyrum. Eodem die Audomari Tarvanensis episcopi. Romæ natale S. Sergii papæ.

IV. idus Sept. Depositio S. Hilarii papæ. Apud Africam natale sanctorum confessorum X. quorum actus glorioli habentur. In Calcedonia natale SS. Softenis & Victoris, qui post varia tormenta incumbentes orationi, vocati de cœlo datoque sibi invicem pacis osculo spiritum emiserunt.

Obiit Hludovicus sereniissimus rex filius Karoli.

III. idus Sept. Romæ in cimiterio Basillæ natale SS. martyrum Proti & Jacinti, qui fuerunt eunuchi sanctæ Eugeniæ virginis. Lugduno Galliæ depositio S. Patientis episcopi & confessoris.

II. idus Sept. Apud Ticinum .... pia dicitur, natale SS. confessorum Syri & Yventii, qui glorioso fine quieverunt in pace. Et in Sicilia civitate Catena S. Eupli & beati Serapionis episcopi. Augustiduno civitate S. Evanti episcopi & confessoris.

Idus Sept. Apud Ægyptum civitate Alexandria B. Philippi episcopi & martyris patris sanctæ Eugeniæ virginis. Ipso die S. Amati presbyteri & abbatis monasterii Romerici. Andegavis depositio sancti Maurilionis episcopi. Augustiduno B. Nectarii episcopi.

XVIII. cal. Octobris. Exaltatio sanctæ Crucis, quando Eraclius imperator eam de Persida Hierosolymam reportavit. Romæ via Appia in cimiterio Calisti natale sancti Cornelii papæ & martyris. Passi sunt cum eo XXIII. viri. Apud Africam B. Cypriani episcopi & martyris, cujus sacratissima ossa cum capite S. Pantaleonis & membris B. Sperati martyris tempore Caroli-Magni Lugdunum delata honorifice tumulata sunt. Referuntur autem cum eo passi Crescentianus, Victor, Rosula & Generalis.

XVII. cal. Octob. Natale S. Nicomedis presbyteri & martyris. In territurio Cavillonense castro Trenorcio S. Valeriani martyris. Lugduno Galliæ B. Albini episcopi. Tullo natale sancti Apri episcopi & confessoris.

Obierunt Dadoenus & Alfaldus presbyteri, qui dederunt alodum suum in villa Montiniaco fratribus.

XVI. cal Octob. Civitate Calcedona natale S. Euphemiæ

S. Euphemiæ virginis & martyris cum aliis XLIX. Romæ natale S. Luciæ viduæ & martyris. Item, Romæ B. Geminiani martyris cum aliis LXXV.

Obiit Gofridus clarus conſilio, amicus patris & pietatis, epiſcopus eccleſiæ quidem ſuæ dignus memoria, lachrymis, & benedictionibus. Item, Guibertus miles obiit, qui in manum Humbaldi epiſcopi eccleſiam in Acolaco villa reliquit, annuente uxore ſua & duobus filiis ſuis & filia.

XV. cal. Octob. In Britanniis natale SS. Socratis & Stephani. Eodem die natale S. Lamberti Tungrenſis epiſcopi & martyris. Cordubæ ſanctorum martyrum Emiliani diaconi & Hieremiæ, quorum corpora poſt abſciſſionem capitis igne conflagrata ſunt.

XIV. cal. Octob. Natale B. Methodii Olympi Liciæ & poſtea Tyri epiſcopi, qui ſub Diocletiano in Calcidæ Græcia, ut ſcribit Hieronymus, martyrio coronatus eſt. Mediolano natale S. Saturi fratris S. Ambroſii epiſcopi. In Alexandria natale S. Trophimi.

XIII. cal. Octob. In Neapolim Campaniæ natale SS. martyrum Januarii Beneventanæ epiſcopi cum aliis VIII. In Palæſtina natale SS. martyrum Pili & Nili epiſcoporum. Apud Nuceriam natale S. Felicis martyris & beatæ Conſtantiæ martyris. In territurio Lingonicæ civitatis monaſterio Segeſtro, depoſitio S. Sequani preſbyteri & monachi, & alibi S. Potiti martyris. In Galliis civitate Vigenna natale S. Ferreoli martyris.

XII. cal. Octob. In Cizico natale SS. martyrum Fauſtæ virginis & Evilaſii, qui inauditis multigeniſque laniati tormentis, vocati de cœlo reddiderunt animas.

XI. cal. Octob. Natale beati Matthæi apoſtoli & evangeliſtæ, qui primus in Judæa evangelium Chriſti Hebræo ſermone ſcripſit. Poſtea vero apud Æthiopiam prædicans martyrium paſſus eſt. Eodem die natale S. Alexandri martyris, cui papa Damaſus cryptam condignam faciens, illuc cum VI. calendas Decembris tranſpoſuit, quando & feſtivitatem ejus dedicavit.

X. cal. Octob. In Galliis civitate Seduno loco Augauno ſeu Octodero natale SS. martyrum Thebæorum Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii, Vitalis cum ſociis eorum ſex millibus ſexcentis ſexaginta ſex. Autiſſiodero adventus (ſeu) exceptio corporis S. Germani epiſcopi & confeſſoris ab Italia. Et in Reomau cœnobio tranſlatio corporis ſancti patris noſtri beatiſſimi Johannis confeſſoris. In provincia Bajoaria natale S. Emeremni martyris atque pontificis.

IX. cal. Octob. In Campania natale S. Soſii martyris diaconi Meſenatæ civitatis. Hic cum quoddam evangelium legeret in eccleſia præfatæ urbis, præſente beato Januario, vidit ſubito idem epiſcopus de capite ejus flammam exſurgere, quam nemo alius vidit, & pronunciavit eum martyrem futurum: quod poſtea veritas rei tam in ipſo epiſcopo, quam in aliis quinque miniſtris ipſius, martyrizando comprobavit. Eodem die natale S. Teclæ virginis apud Seleuciam quieſcentis, quæ de civitate Hyconio a beato Paulo apoſtolo inſtructa eſt.

VIII. cal. Octobris. Conceptio S. Johannis Baptiſtæ. In territurio Æduorum vico, qui dicitur Sedelocus, natale SS. martyrum Andochii, Tyrſi & Felicis, qui ad docendam Galliam ab oriente directi, ſub Aureliano principe glorioſiſſime ſunt coronati. Et alibi SS. Juliani, Chriſtophori, Laurentii. In territurio Biturico caſtro Mediolano natale S. Geneſii martyris.

VII. cal. Octob. Natale B. Cleopæ, qui unus fuit de LXX. Chriſti diſcipulis, quem tradunt in eadem urbe, eademque domo, in qua menſam quaſi peregrino Domino præparaverat, a Judæis eſſe occiſum. Lugduno S. Lupi epiſcopi ex Anachoreta. Ambianis civitate natale S. Firmini epiſcopi & martyris. Autiſſiodero depoſitio & tranſlatio S. Augnarii epiſcopi & confeſſoris. Ipſo die natale S. Herculiani martyris.

Obiit Eldaldus Senonum archiepiſcopus. Eodem die Abbo levita & perfector obiit.

VI. cal. Octobr. Natale SS. martyrum Cypriani epiſcopi & doctoris egregii & beatæ Juſtinæ, quæ prædicto epiſcopo cauſa extitit ſalutis: quorum corpora ad urbem Romæ deportata, ac reverenter tumulata ſunt. Item Romæ via Appia in cimiterio Caliſti depoſitio S. Euſebii epiſcopi. Arvernis Apollinaris epiſcopi & confeſſoris.

V. cal. Octob. Apud Egeam natale SS. Coſmæ & Damiani. Corduba civitate ſanctorum martyrum Adulfi & Johannis fratrum. In territurio Auguſtidunenſi paſſio SS. Florentini & Hilarii.

IV. cal. Octob. In Hiſpaniis civitate Corduba natale SS. Fauſti, Januarii & Martialis martyrum. Romæ ad Guttas natale ſancti Stertei. Autiſſiodero depoſitio S. Alodii epiſcopi & confeſſoris.

III. cal. Octob. In monte Gargano venerabilis memoria S. Michaëlis archangeli, ubi multa mirabilia Deus oſtendit. Romæ dedicatio oratorii S. Michaëlis, quod venerabilis Bonefacius pontifex dedicavit in ſummitate circi miro opere altiſſime porrectum. Autiſſiodero paſſio S. Fraterni epiſcopi, quem tradunt eodem die interemtum, quo & epiſcopum eſſe ordinatum.

Obiit Walterius Æduenſis epiſcopus.

Pridie cal. Octob. In Galliis caſtro Solodoro,

quod eſt ſuper Arulam fluvium, paſſio SS. Victoris & Urſi ex glorioſa legione Thebæorum. Eodem die apud Bethleem Judæ depoſitio S. Hieronymi confeſſoris doctoris præcipui, qui libros ſuos per L. & VI. annos confecit, & XCVIII. ætatis ſuæ anno in pace quievit pridie calendas Octobris. In Placentia civitate SS. Antonii, Gaſti & Deſiderii.

Obiit Teubertus laïcus, qui dedit prædium ſuum canonicis ſancti Stephani, in pago Autiſſiodorenſi, in vicaria Baugiacenſi, in villa Matriaco, propter remedium animæ ſuæ & ad memoriam recenſendam.

OCTOBER.

Calendas Octobris. Autiſſiodero depoſitio ſacratiſſimi corporis beati Germani, epiſcopi & confeſſoris, qui apud Ravennam pridie calendas Auguſti feliciter obiit, & calendis Octobris ſuæ tandem redditus civitati, honorifice traditus eſt ſepulturæ. Eodem die tranſlatio corporum SS. confeſſorum Remigii Remenſis epiſcopi & Vedaſti Atrebatenſis. In pago Medenentenſe natale S. Patonis martyris. In Portu Ganto natale S. Bavonis confeſſoris.

VI. nonas Octob. Apud Nicomediam natale S. Eleutherii martyris. In Attebatis villa Syricinio paſſio S. Leodegarii Auguſtidunenſis epiſcopi. Romæ S. Euſebii papæ, ſub cujus tempore inventa eſt crux. Et alibi Sereni confeſſoris.

V. nonas Octob. Natale Dionyſii Areopagitæ Athenienſium epiſcopi & martyris; & alibi natale SS. Euvoldorum preſbyterorum, qui cum ſancto Willebrordo epiſcopo venientes, in Germaniam tranſierunt ad Saxones, & cum prædicare ibi Chriſtum cœpiſſent, comprehenſi ſunt a paganis & occiſi. Autiſſiodero dedicatio cryptarum beatiſſimi Stephani protomartyris.

Obiit Adhebaldus ſacerdos & magiſter hujus eccleſiæ.

IV. nonas Octobris. Natale SS. Criſpi & Gaii, quos apud Corinthios beatus apoſtolus ſe meminit baptizaſſe. Apud Ægyptum natale SS. martyrum Marii & Marciani fratrum, & cum eis innumerabiles alii paſſi ſunt. Romæ via Appia S. Balbinæ virginis & Marcelli epiſcopi. Autiſſiodero S. Marſi preſbyteri & confeſſoris. Pariſius S. Aureæ virginis.

III. nonas Octob. In Galliis civitate Valentia natale S. Apollonaris epiſcopi & confeſſoris. Autiſſiodero depoſitio SS. germanorum Firmati diaconi, Flavianæ virginis Deo ſacratæ. Apud Eumeniam beati Traſeæ epiſcopi & martyris.

Pridie nonas Octobris. Autiſſiodero depoſitio S. Romani epiſcopi, qui cum rexiſſet eccleſiam ſibi commiſſam annos III. dies XV. tandem, ut fertur, martyrio vitam finivit. Laodicia B. Sagaris epiſcopi & martyris. In civitate Agenno natale ſanctæ Fidis virginis & martyris.

Obiit Carolus imperator & Guido abbas. Ipſo die Aginulfus ſubdiaconus obiit, qui dedit fratribus alodum ſuum cum maſenili & vineis arip. V.

Nonas Octobris. Romæ natale S. Marci papæ. Item, Romæ SS. martyrum Marcelli & Apulei. Apud provinciam quæ nuncupatur Auguſta Euphrateſia, SS. martyrum Sergii & Bacchi ſub Maximiano imperatore.

VIII. idus Octobris. Cortina civitate beati Philippi epiſcopi. Theſſalonicæ natale S. Demetrii martyris. Eodem die juxta montem Oliveti depoſitio S. Pelagiæ, quæ peccatrix appellatur. In pago Laudunenſi natale S. Benedictæ virginis & martyris. Autiſſiodero Palladiæ virginis. Senones Porchariæ virginis.

Obiit Arnaldus ſubdiaconus, qui dedit fratribus prædium ſuum in pago Senonico, in villa quæ dicitur Vallis-diaconi, & in villa Aganonis arpen. de vineis VIII.

VII. idus Octob. Obitus Abrahæ patriarchæ. Pariſius natale SS. martyrum Dionyſii epiſcopi, Eleutherii preſbyteri, & Ruſtici diaconi, qui beatus epiſcopus propter prædicationis officium a ſancto Clemente in Galliis directus, ibique eſt martyrizatus. Apud Coloniam Agripinam natale ſancti Gereonis martyris cum aliis CCCXVIII. quos ferunt Thebeos fuiſſe. Apud Juliam via Claudia paſſio S. Domnini.

VI. idus Octob. Apud Cretam, beati Piniti inter epiſcopos nobiliſſimi, qui in ſcriptis ſuis velut in quodam ſpeculo viventem ſibi imaginem reliquit. Apud Agripinenſem urbem natale ſanctorum martyrum Malloſi & Victoris. In Britannia natale S. Paulini epiſcopi Eburaci.

Obiit Trutbertus laïcus, qui dedit fratribus maſinile ſuum cum vineis & campis in pago Senonico in villa Caciaco.

V. idus Octob. In Acervo Siciliæ S. Zanaſii preſbyteri. Apud Tharſum metropolim Ciliciæ ſanctorum martyrum Tharaci, Probi & Andronici. Turonis depoſitio ſancti Venantii abbatis & confeſſoris.

Ipſo die Ato archipresbyter & canonicus, homo ſimplex & rectus, & timens Deum, monachus factus ſpiritum Chriſto reddidit: qui dedit fratribus ſuis canonicis domum cum appenditiis, quam ab Ugone de Gurgiaco emerat, & vineam quam plantavit apud Billiacum, aliam etiam quam emerat in Curto-cane, & dedit etiam octo nummos de cenſu.

IV. idus Octobris. Apud Ravennam via Laurentiana natale ſancti Heſiſti martyris. Apud Africam ſanctorum quatuor millium nongentorum ſeptuaginta & ſex. Bituricas S. Opilionis preſbyteri.

Obiit Taganboldus ſacerdos, qui dedit fratribus prædium ſuum cum maſinili & vineis & campis in villa quæ dicitur Pradilis. Ipſa die Hugo bonæ memoriæ Autiſſiodorenſis epiſcopus, decus pontificum & forma totius religionis, qui in vita ſua pacem dilexit, bona pace quievit: qui inter cetera quibus epiſcopatum ſuum ditavit, uſum nemoris de Tullo, quem canonici per multos annos ſine ſpe recuperationis amiſerant, cum ſummo labore & ſtudio acquiſivit. Dedit etiam eccleſiæ ſacerdotalia indumenta peroptima, & calicem deauratum. Præterea aſſignavit in Lindriaco triginta ſolidos, quibus die anniverſarii ſingulis annis canonicis refectio exhibeatur. Dimiſit etiam canonicis eccleſiam Lindriaci poſt mortem Anſelmi ſeu dimiſſionem. Interim autem Stephanus præpoſitus x. ſolidos ad refectionem faciendam perſolvet.

III. idus Octobris. Apud Troadam natale beati Carpi diſcipuli Pauli apoſtoli. Antiochia beati Theophili epiſcopi. Alexandria Athanaſii epiſcopi & confeſſoris.

Obiit Rudovicus levita, cujus induſtria maſinile cum vinea in villare quod eſt in conſpectu ſancti Juliani, fratribus adquiſitum eſt, & ea quæ ad eum pertinent.

Pridie idus Octobris. Romæ natale S. Calixti papæ & martyris. Lugduno Galliæ tranſitus S. Juſti epiſcopi.

Idus Octobris. In Galliis apud Coloniam Agrippinam natale ſanctorum martyrum Maurorum de militibus ex illa legione ſacra Thebeorum numero quinquaginta in baſilica conditorem ex muſivo quodammodo deaurato, unde & ſancti Aurei vocantur. Lugduno beati Antiochii epiſcopi. In territorio Remenſi natale S. Baſuli preſbyteri & confeſſoris. Fontenella monaſterio S. Wlframni archiepiſcopi.

Obiit Henricus Burgundiæ marchio.

XVII. calendas Novembris. In Africa ſanctorum martyrum CCLXX. pariter coronatorum, & ſanctorum martyrum Martiani & Satiriani cum duobus fratribus eorum, & egregiæ Chriſti ancillæ Maximæ virginis & martyris. Apud Biturícam natale S. Ambroſii epiſcopi & confeſſoris.

Obiit Gaufridus miles, qui reddidit terram quam tenebat de manu firma in Artadisvilla.

XVI. cal. Novembris. Natale B. Ariſtonis, qui unus fuit de ſeptuaginta Chriſti diſcipulis. Eodem die natale B. Heronis epiſcopi. In civitate Auruſica S. Florentii epiſcopi.

Obiit Sewinus Senonum archiepiſcopus.

XV. cal. Novembris. Natale S. Lucæ evangeliſtæ, qui obiit in Bytinia; ſed ejus ſacra oſſa Conſtantinopolim ſunt poſtmodum delata. Antiochia natale S. Aſclepiadis epiſcopi & confeſſoris. Romæ S. Trophoniæ uxoris Decii Cæſaris. In territurio Belvacenſi paſſio S. Juſti martyris, cujus caput requieſcit in baſilica S. Amatoris.

XIV. calendas Novembris. Apud Alexandriam natale SS. Ptolomei & Lucii martyrum pretioſorum. In Antiochia Syriæ natale SS. Pelagi, Heronicæ & Pelagiæ.

Ipſo die Gauzo ſacerdos & decanus obiit, qui dedit canonicis S. Stephani prædium ſuum cum ſervis & ancillis, omne quod habuit in villa Creveno.

XIII. calendas Novembris. In Galliis civitate Agenno natale S. Capraſii martyris. Apud Avienſem provinciam natale beati Maximi levitæ & martyris.

Eodem die obiit Humbaldus humilitatis ac benignitatis epiſcopus, qui cum multis ædificiis atque ornamentis, quibus eccleſiam intus & exterius decoravit, eccleſiam Acolaci & eccleſiam Crevenni cum decimis ac pareda fratrum ſtipendiis donavit. Hic ſiquidem inter fratres pace prius reformata, Jeruſalem cauſa orationis adiit, atque inde rediens, ſanctamque pſalmos canendo Deo confeſſionem faciens, maris pelago ſepulturam promeruit pretioſam.

XII. cal. Novembris. Apud Nicomediam natale SS. martyrum Daſii, Soticigii cum XII. militibus. Eodem die ſancti patris noſtri Hilarionis, cujus vitam S. Hieronymus virtutibus plenam ſcripſit. In civitate Hoſtia natale S. Aſterii preſbyteri. Ipſo die tranſitus S. Viatoris lectoris. In eremo comitis S. Juſti.

Obiit Arnulfus laicus, qui pariter cum fratribus ſuis Norgaudo & Walgaudo dederunt fratribus prædium ſuum quod habuerunt in villa Crevenno.

XI. calendas Novembris. Hieroſolymis natale S. Marci epiſcopi & martyris. Apud Adrianopolim Trachiæ natale SS. Philippi epiſcopi, Euſebii & Hermetis. In civitate Oſea SS. virginum Mulinionis & Helodiæ. Lingonis civitate in Portu Bucino paſſio S. Valerii martyris & levitæ.

X. cal. Novembris. Apud Antiochiam Syriæ natale S. Theoderici preſbyteri & martyris. In Hiſpaniis natale SS. martyrum Servandi & Germani. Colonia civitate S. Severini epiſcopi.

Obiit domnus Herifredus epiſcopus, pater piiſſimus, qui dedit medietatem Malliaci ad refectionem fratribus exhibendam. Die quoque ordinationis ejus dedit fratribus Artadum villam, & in Lindriaco manſum unum, & in Capiliaco manſum alterum & molendinum ſubtus murum, & in Nativitate S. MARIÆ dedit eccleſiam Bacernæ, & Lindriacum, & Lupinum, necnon Logniacum; Gimiliacum autem in natale S. Clementis.

IX. cal. Novembris. In Venuſia civitate Apuleiæ, natale SS. martyrum Felicis epiſcopi & Audacti & Januarii preſbytero-

rum, & Fortunati & Septimi lectorum.

VIII. cal. Novembris. In Galliis civitate Sueſſionis natale SS. martyrum Criſpini & Criſpiniani. Eodem die Petragoricas civitate natale S. Frontonis epiſcopi, qui per virtutem Dei, accepto baculo S. Petri apoſtoli, ſocium ſuum Gregorium preſbyterum a morte recepit. Romæ ſanctorum martyrum XLVI. militum. Item, Romæ Bonifacii papæ. In civitate Gavalis depoſitio S. Hilarii epiſcopi vita & miraculis præclari. In territurio Turonico natale S. Spani martyris.

VII. cal. Novembris. Apud Africam natale SS. martyrum Rogatiani preſbyteri & Feliciſſimi. Apud Epheſum S. Policratis epiſcopi egregii & nobiliſſimi viri.

VI. cal. Novembris. Romæ Euvhariſti papæ & martyris. Autiſſiodero depoſitio beati Deſiderii epiſcopi. In pago Pictavo natale S. Florentii presbyteri & monachi. In Hiſpaniis Helbora civitate natale SS. martyrum Vincentii, Sabinæ & Chriſteæ.

V. cal. Novembris. Natale beatorum apoſtolorum Simonis Cananei, qui & Zelotes ſcribitur, & Thaddæi, qui & Judas Jacobi legitur, & alibi Lebbeus appellatur: e quibus Thaddæus apud Meſopotamiam, Simon vero apud Ægyptum legitur prædicaſſe. Inde ſimul Perſidam ingreſſi, cum infinitam catervam Chriſto ibi aggregaſſent, martyrizati ſunt. Romæ S. Cyrillæ martyris filiæ Decii imperatoris. Civitate Meltis S. Faronis epiſcopi & confeſſoris. Pariſius tranſlatio S. Genovefæ virginis.

IV. cal. Novembris. Natale beati Narciſſi Hieroſolymorum epiſcopi, viri ſanctitate, & patientia ac fide laudabilis, contra quem crimen falſo objectum cum tres teſtes juraſſent, imprecati ſunt ſuper ſe maledicta: primus ut igne conſumeretur ſi vera non diceret; ſecundus ut regio morbo corrumperetur; tertius ut luminibus orbaretur; quod ita ſingulis ſtatim poſt perjurium accidit. Apud Sindonem urbem natale S. Zebei preſbyteri & martyris.

III. cal. Novembris. Civitate Tingitana paſſio S. Marcelli centurionis. Apud Africam SS. martyrum numero CCXX. Apud Antiochiam beati Serapionis epiſcopi & confeſſoris.

Obiit Andreas presbyter, qui dedit maſinile ſuum fratribus cum vinea adhærente in villa Ferreoli, ſimiliter in villa Garricas. Item, obiit Bernardus presbyter, qui dedit maſinile ſuum fratribus cum horto & vinea in villa Vendonſa.

Pridie calendas Novembris. Romæ B. Nemeſii diaconi & martyris, & Lucillæ filiæ ejus, qui octavo cal. Septembris decollatus, pridie cal. Novembris honorifice tranſlatus eſt. In Galliis territurio Virmandenſi S. Quintini martyris.

Eodem die obiit Robertus præpoſitus, qui dedit fratribus vineas ſuas, ut ſingulis annis in die obitus ſui communis refectio canonicis exhibeatur.

NOVEMBER.

Calendas Novembris. Feſtivitas Omnium ſanctorum. Diviono caſtro natale ſancti Benigni presbyteri & martyris. Eodem die natale SS. martyrum Cæſarii diaconi & Juliani presbyteri. Pariſius S. Marcelli epiſcopi & confeſſoris. Ipſo die natale S. Severini monachi de Tyburtina civitate. Et alibi natale S. Mariæ virginis & martyris. In territurio Biturico nomine Dolus S. Luſoris confeſſoris.

IV. nonas Novembris. Romæ paſſio S. Euſtachii cum uxore & duobus filiis. Eodem die natale S. Victorini martyris Pictabionenſis epiſcopi. Leodicia B. Theodoti epiſcopi optimi viri. Monaſterio Augaunenſi natale S. Ambroſii abbatis.

III. nonas Novembris. Natale S. Quarti apoſtolorum diſcipuli. Apud Cæſaream Cappadociæ natale ſanctorum martyrum Germani, Theophili, Cæſarii & Vitalis. In pago Vilcaſſino S. Clari presbyteri & martyris.

II. nonas Novembris. Apud Alexandriam B. Iterii presbyteri hominis Dei. In territurio Rotomagenſi S. Amantii epiſcopi & confeſſoris. Auguſtiduno natale ſancti Patrocli epiſcopi & confeſſoris.

Eodem die Hugo decus pontificum emiſit ſpiritum.

Nonas Novembris. Obitus Zachariæ prophetæ patris Johannis-Baptiſtæ. In Terracina civitate Campaniæ natale SS. martyrum Felicis presbyteri & Euſebii monachi. Capua civitate natale S. Quarti confeſſoris.

VIII. idus Novembris. Toniza Africæ natale S. Felicis, cujus martyrium B. Auguſtinus in quodam pſalmo mirabiliter exponit. In Oriente civitate Theopoli ſanctorum decem martyrum, qui ſub Sarracenis paſſi leguntur. Redonis S. Melanii epiſcopi & confeſſoris.

VII. idus Novembris. Apud Alexandriam beati Achillæi epiſcopi viri Dei. Apud Albiginenſem urbem natale S. Amaranti martyris. Apud Peruſinam urbem Italiæ natale ſancti Herculiani epiſcopi & martyris, cujus corpus poſt abſciſionem capitis ita unitum die quadrageſimo repertum eſt, ut meminit papa Gregorius, ac ſi hoc nulla inciſio ferri tetigiſſet. In Friſia natale S. Willibrordi epiſcopi, cujus actus Beda presbyter in geſtis Anglorum deſcribit.

Obiit Teodaldus juvenis, qui dedit partem patrocinii ſui & hereditatis ſuæ cano-

nicis S. Stephani, propter amorem patriæ cœlestis & remissionem peccatorum suorum. Sitæ sunt autem ipsæ res in villa quæ dicitur Cormedus, cum sapella & suis adjacentiis, mancipiis, vineis, campis & domibus, ad sui memoriam recolendam.

VI. idus Novembris. Romæ natale v. martyrum Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Castorii & Simplicii. Ipso die juxta corpora eorum natale sanctorum quatuor coronatorum Severi, Severiani, Carpophori & Victorini.

Obiit Hunencus sacerdos & decanus sancti Mammetis.

V. idus Novembris. Natale S. Theodori martyris diversis tormentis coronati. Apud Biturigas S. Ursicini episcopi & confessoris. (*altera manu* In Syria civitate Berytho passio sanctæ & gloriosæ imaginis Domini Salvatoris.)

Obiit Ademarus sacerdos & præpositus.

IV. idus Novembris. In territurio Agathensi in Cessarione natale sanctorum martyrum Tyberii, Modesti & Florentiæ. Apud Antiochiam natale SS. Demetrii episcopi, Aniani diaconi, Eustasii & aliorum xx. Aurelianis S. Monitoris episcopi & confessoris. Eodem die natale S. Martini papæ & martyris.

III. idus Novembris. In Galliis civitate Turonis natale S. Martini episcopi & confessoris, cujus glorioſi actus longe lateque divulgati extant. In Scytia metropolim Frigiæ Salutariæ passio S. Mennæ variis tormentis coronati. Lugduno passio S. Verani episcopi.

Obiit Stephanus Cavillonensis episcopus.

Pridie idus Novemb. Apud Africam commemoratio SS. martyrum Arcadii, Paschasii, Probi, & Eutichiani, & Paulilli pueri. Apud provinciam Tarraconensem, civitate Tyrassona B. Emiliani presbyteri & confessoris.

Obiit Ingelboldus, qui villas S. Stephani Crevennum, Acolacum & Villam-novam reædificavit, & ad domos fratrum componendas quingentos solidos de suo donavit.

Idus Novembris. Ravennæ natale sanctorum martyrum Valentini, Solutoris, Victoris. Apud Toletum urbem depositio B. Eugenii episcopi. Turonis natale S. Briccii episcopi & confessoris. Autisiodero exceptio corporis S. Alexandri & S. Crysanti martyris. Senones Paterni martyris.

Obiit Aldulfus episcopus, qui instituit hac die de suo hospitale fratribus refectionem præparari.

XVIII. calendas Decembris. Apud Trachiam civitate Heraclea natale sanctorum martyrum Clementini, Theodoti, Philomini. Apud Alexandriam beati Serapionis clarissimi martyris. In Laodicia S. Anatholii episcopi.

Obiit Velso abba.

XVII. cal. Decembris. Natale S. Felicis episcopi & martyris cum aliis xxx. simul martyrizatis. Ipso die S. Eugenii, qui apud pagum Parisiacensem consummato martyrii cursu beatæ passionis coronam percepit a Domino.

Obiit Waltherius Senonum archiepiscopus, & Gratianus abba.

XVI. calendas Decembris. Lugduno Galliæ natale S. Eucherii admirandæ fidei, vitæ & doctrinæ viri. In Africa SS. Nerei, Pauli, Adriani.

XV. calendas Decemb. Apud Alexandriam B. Dionysii episcopi magnæ sanctitatis viri. Apud Pontum natale beati Gregorii Neocæsarienſis episcopi & martyris. Aurelianis S. Aniani episcopi & confessoris, cujus mortem in conspectu Domini miracula crebra testantur. Eodem die Cordulæ. In Hispaniis sanctorum martyrum Aciscli & Victoriæ, ubi ob commendationem pretiosæ mortis eorum eodem die rosæ ortæ divinitus colliguntur. Turonis sancti Gregorii episcopi miraculorum factoris.

Obiit Milo canonicus puer & acolythus, qui dedit fratribus in Monteio arpennos vinearum xv.

XIV. calendas Decembris. Antiochiæ natale S. Romani monachi & martyris. Eodem die in eadem urbe natale S. Sychii martyris. Autisiodero dedicatio basilicæ S. Germani episcopi cum superioribus cryptis. Eodem die translatio corporis beati prothomartyris Stephani a Jerosolymis in Bizantium.

XIII. calendas Decembris. Romæ via Appia natale S. Maximi presbyteri & martyris. Apud Viennam sanctorum martyrum Severini, Exuperii & Feliciani. Eodem die S. Fausti martyris. Augustiduno natale S. Simplici episcopi & martyris. Ipsa die beati Crispini martyris. Item Romæ Gelasii papæ.

Obiit Lantbertus presbyter, qui dedit fratribus alodum suum in villa quæ dicitur Stabulis, & ibidem in circumjacentibus locis. Item, Lanfredus presbyter obiit, qui dedit fratribus patrimonium suum in villa Gratiaco.

XII. calendas Decembris. Romæ natale S. Pontii papæ & martyris. Apud Siciliam civitate Messana sanctorum Ampelii & Gaii. Apud Cavillonem S. Silvestri episcopi & confessoris.

Obiit Iterus de Porta, qui pro obtinenda peccatorum suorum venia dedit canonicis S. Stephani duos homines apud Crevennum cum uxoribus & filiis suis.

XI. calendas Decembris. Natale beatissimi Rufi, de quo apostolus Paulus ad Romanos scribit: *Salutate Rufum electum & matrem ejus & meam.* In Antiochia san-

ctorum Basilii, & Auxilii & Zephirini.

Obiit Otardus, qui dedit fratribus propter amorem Dei & remissionem peccatorum suorum res optimas proprietatis suæ in comitatu Tornotrensi, in villa quæ dicitur Malorum, & in circumjacentibus locis, cum mansionilibus, vineis, campis & domibus.

X. calendas Novembris. Romæ S. Ceciliæ virginis & martyris. Item, Romæ sancti Mauri martyris. In Cæsarea natale S. Longini militis & martyris, qui latus Domini lancea perforavit.

Obiit Christianus episcopus, qui dedit fratribus Albaris villam ad sui memoriam faciendam. Ipsa die obiit Clemens omnis sapientiæ luce coruscans.

IX. cal. Decembris. Natale S. Clementis papæ & martyris. Eodem die natale S. Felicitatis matris septem filiorum martyrum, quos Antoninus imperator jussit diversis suppliciis interire; mater vero eorum novissime decollata est pro Christo. In Italia monasterio Bobio natale sancti Columbani abbatis. In pago Asbanio natale S. Trudonis presbyteri & confessoris.

VIII. calendas Decembris. Romæ natale sanctorum martyrum Cyrogoni & Crescentiani. Castro Blavia S. Romani presbyteri & confessoris, cujus sanctitatis præconium miraculorum gloria declarat. Civitate Corduba sanctarum virginum Floreæ & Mariæ, quæ post diutumos carceres, pro Christo gladio interemtæ sunt.

Obiit Hictarius bonæ memoriæ, qui dedit fratribus suis in circuitu civitatis vineas adquisitionis suæ. Eodem die anniversarium Attonis canonici, qui dedit fratribus XXX. *libras, servos etiam & ancillas, arpennos quoque vinearum tres in Monte-tenso, necnon areas quæ sunt juxta S. Stephani capellam, & aream unam ante domum pauperum sitam. Profectus est Jerosolymam, & in eo itinere, Christo miserante, defunctus.*

VII. calend. Decemb. Natale S. Petri Alexandrini episcopi & martyris, inter præcipuos egregii, cui post diversa certamina pro fide Christi, quadam nocte in habitu Dominus apparuit indutus colobio lineo candido nimis, consciso a summo usque deorsum, & ambabus manibus conjungebat eum circa pectus suum, quodam modo cooperiens nuditatem suam, & dixit ad eum: Quid est, Domine, quod video vestem tuam scissam? Et respondit Dominus: Arrius hoc fecit, qui separavit a me populum comparatum sanguine meo. Præcipio nunc & moneo ne recipias eum in communione, &c. Passi sunt autem cum eo ex Ægypto episcopi fere cum clericis & laïcis sexcenti sexaginta.

Obiit Milo laïcus, qui dedit fratribus alodum suum, qui conjacet in villa Colonicas super fluvium Senodum. Eodem die Goscelinus hujus ecclesiæ canonicus & decanus obiit, qui pro remedio animæ suæ domum suam cum vineis suis canonicis dedit, ut in die anniversarii ejus in refectorio (a) *reficerentur.* [a] *Ipse vero ad missas celebrandas pro defunctis apud sanctum Clementem proprium sacerdotem cum duobus arpennis vinearum constituit, & in reprehensione & in custodia capituli eum stabilivit. Dedit etiam præfatæ ecclesiæ vestimentum sacerdotale, missale optimum cum gradale, calicem argenteum cum canulis argenteis, & ita ornatam reliquit ecclesiam.*

V. calend. Decemb. Natale S. Lini papæ & martyris, qui post beatum Petrum primus Romanam ecclesiam tenuit annos XII. menses III. dies XII. & martyrio coronatus sepultus est in Vaticano. Apud Alexandriam natale SS. martyrum Fausti presbyteri, & Dii, & Ammonii. Eodem die beati Alexandri martyris & episcopi. In pago Avalensi natale S. Magnentiæ virginis. Augustiduno natale S. Amatoris episcopi & confessoris.

V. cal. Decemb. Apud Bononiam Italiæ urbem natale SS. martyrum Vitalis & Agricolæ, post varia tormenta crucifixorum. In Galliis civitate Regensi natale S. Maximini episcopi & confessoris.

Eodem die obiit Johannes sacerdos & canonicus hujus ecclesiæ cantor eximius, qui dedit ecclesiæ nostræ ex libris suis missale unum, antiphonarium, gradale, hymnarium, prosarium optimum; & in Acolaco villa dedit fratribus domos suas, & quidquid etiam proprietatis habere videbatur, ad sui memoriam recolendam.

IV. cal. Decemb. Natale S. Sostenes discipuli apostolorum. Eodem die S. Rufi martyris. Ipso die Papini & Mansueti episcoporum cum aliis multis, qui eo tempore passi sunt. Romæ S. Gregorii papæ III. qui rexit ecclesiam annis X. Autissiodoro translatio sancti Vigilii episcopi & martyris.

III. calend. Decemb. Vigilia S. Andreæ apostoli. Romæ natale S. Saturnini martyris, & Sennis & Sisinnii diaconorum & martyrum. Eodem die apud Tolosam natale S. Saturnini episcopi & martyris.

Pridie calend. Decemb. In civitate Patras provinciæ Achaiæ natale B. Andreæ apostoli, qui etiam apud Scythiam prædicavit. Apud Sanctonas S. Trojani episcopi, magnæ virtutis & sanctitatis viri. Romæ in cimiterio apud Guttam S. Castuli.

(a) Goscelinus decanus, cujus hac die consignatur obitus, vivebat anno 1133. & 1137. quo vigebat adhuc vita communis inter canonicos Autissiodorenses, ut patet ex hoc loco.

DECEMBER.

Calend. Decemb. Romæ paſſio SS. Chryſanti & Dariæ virginis. In Africa natale SS. martyrum Papini & Manſueti epiſcoporum. Apud civitatem Maguntiam beati Albani martyris. Eodem die S. Eligii Noviomenſis epiſcopi. Apud Bizantum Nicomediam natale S. Nataliæ uxoris ſancti Adriani martyris.

Obiit Teutgarius diaconus, qui dedit nobis vineam in villa Sigliniaco. Eodem die ordinatio domni Gaufredi epiſcopi. Eodem die Vitalis Autiſſiodorenſis eccleſiæ decanus eſt viam univerſæ carnis aggreſſus.

IV. nonas Decemb. Natale ſanctæ Vivianæ martyris, & SS. martyrum Fauſti & Daroſæ filiæ ejus. Ipſo die paſſio SS. Veri & Securi, qui apud Africam martyrio coronati ſunt.

III. nonas Decemb. Tingi metropoli Mauritaniæ Tingitanæ natale S. Caſſiani martyris. Eodem die SS. martyrum Claudii tribuni, & uxoris ejus Hilariæ, ac filiorum Jaſſonis & Mauri & LXX. militum, qui omnes ad prædicationem S. Chryſanti crediderunt Chriſto.

Obiit Abbo epiſcopus.

II. nonas Decemb. Romæ natalis SS. martyrum Symphronii & Olympii temporibus Valeriani & Gallieni imperatorum. In Africa SS. Armogaſti, & Archinimi, & Satyri, qui cum eſſent lucidiſſima membra eccleſiæ Chriſti, pro confeſſione veritatis multa & gravia perpeſſi ſupplicia atque opprobria ab Arrianis, curſum glorioſi certaminis impleverunt. Et in Lauditia ſanctorum Metropoli, Felicis.

Ipſa die obiit Stephanus ſancti Stephani præpoſitus & ſacerdos egregius, necnon & divinarum ſcripturarum doctor eximius.

Nonas Decemb. In Africa apud Coloniam Thebaſtinam natale S. Criſpinæ martyris. Eodem die in Italia natale Dalmatii martyris. Treviris S. Nicetii epiſcopi & confeſſoris.

Obierunt Ermenbertus præpoſitus & levita, & Arnaldus vicecomes.

VIII. idus Decemb. natale beati Nicolai epiſcopi Mirorum Liciæ. Apud Africam SS. Dionyſiæ, Davitæ, Leontis, & Emiliani medici, & religioſi viri Noetercii, & Bonifacii, & Servi, & Victricis, & Majorici adoleſcentis, qui omnes innumeris ſuppliciis excruciati, confeſſorum Chriſti numero ſociari meruerunt.

VII. idus Decemb. Apud Alexandriam beati Agathonis martyris ſub Decio imperatore. Apud Sanctonas beati Martini abbatis, diſcipuli beati Martini Turonicæ urbis epiſcopi, qui in monaſterio quod ipſe ædificavit in pace quieſcit. Eodem die in Spolitana urbe S. Sabini epiſcopi & martyris. In pago Mellicenſi ſanctæ Faræ virginis.

VI. idus Decemb. Romæ natale S. Eutichiani papæ & martyris, qui & ipſe per diverſa loca CCCXLII. martyres manu ſua ſepelivit. Apud Alexandriam Macharii martyris. In territorio Dunenſi depoſitio S. Leonardi eximii confeſſoris.

V. idus Decemb. Natale S. Leuchadiæ virginis, quæ apud Toletum in carcere poſita, cum audiſſet beatæ Eulaliæ cruciatus & reliquorum martyrum, qui tunc interficiebantur, genibus in oratione poſitis, impollutum Chriſto ſpiritum reddidit. Ipſo die beati Cypriani abbatis Petragorici.

IV. idus Decemb. Romæ Melchiadis papæ. Apud Emeritam Hiſpaniæ civitatem natale S. Eulaliæ virginis & martyris. Eodem die apud præfatam urbem paſſio S. Juliæ virginis, quæ fuit convirginalis beatæ Eulaliæ. Hiſpolitana civitate ſanctorum martyrum Carpophori preſbyteri, & Abundi diaconi.

Obiit Wadimirus corepiſcopus. Ipſo die obiit Amalricus levita, qui dedit fratribus prædium adquiſitionis ſuæ in villa quæ dicitur Caſtriacus, & in confinibus ejus arpennos vinearum VII. *propter amorem vitæ æternæ & ſui memoriam recolendam. Eodem die obiit Reinaldus archipresbyter & canonicus, qui dedit fratribus optimam vineam & viginti modia vini, & ſervum unum, & in clauſtro faciendo* C. *ſolidos.*

III. idus Decemb. Romæ S. Damaſi papæ, & natale SS. martyrum Pontiani, Prætextati & Traſonis. In Galliis civitate Ambianis, natale SS. martyrum Victorici, Fuſciani, atque Gentiani, qui glorioſiſſimam ſuæ fidei confeſſionem ſanguine paſſionis decoraverunt. In Hiſpaniis natale S. Eutichii, cujus geſta habentur.

Obiit Gerberga cometiſſa uxor Henrici ducis. Ipſa die obiit Gozfridus ſacerdos atque decanus Senonicæ urbis.

II. idus Decemb. Natale SS. Hermogenis, Donati & aliorum XXII. Apud Alexandriam beatorum martyrum Epimachii, Alexandri. Apud Septimaniam urbe Narbona depoſitio beati Pauli epiſcopi & confeſſoris. In pago Vimmacenſe natale S. Walerici confeſſoris, qui ſuper Sommam fluvium eremiticam vitam duxit.

Idus Decemb. Apud Syracuſam Siciliæ civitatem natale S. Luciæ virginis & martyris.

Ipſa die obiit Matildis comitiſſa Landrici conjux. Eodem die Hermengardis abbatiſſa obiit.

XVIII. calend. Januarii. Apud Cyprum natale S. Sphiridionis epiſcopi & confeſſoris. Remis S. Nicaſii epiſcopi & martyris, qui a Wandalis pro fide Chriſti intra domum eccleſiæ decollatus eſt. Autiſſiodero de-

dicatio altaris eccleſiæ ſuperioris a Calixto papa II. facta, & ut ſolemniter a nobis quoque anno celebraretur ab eodem inſtituta.

XVIII. cal. Jan. Apud Africam natale ſancti Valeriani epiſcopi & confeſſoris. In territurio Aurelianenſi beati Maximini preſbyteri venerabilis ſanctitatis viri.

Obiit Aclevertus ſacerdos & decanus.

XVII. cal. Jan. Trium puerorum Ananiæ, Azariæ, Miſaëlis, quorum corpora apud Babyloniam ſub quodam ſpecu ſunt poſita. Eodem die natale beatorum martyrum Rufi & Zoſimi. In Tuſcia S. Barbaræ virginis & martyris. Apud Pontum S. Meletii epiſcopi & confeſſoris.

XVI. cal. Jan. Apud Antiochiam tranſlatio & depoſitio corporis S. Ignatii epiſcopi & martyris, qui paſſus eſt Romæ calendis Februarii. Eodem die beati Lazari, quem Dominus JESUS in evangelio legitur reſuſcitaſſe a mortuis. Item beatæ Marthæ ſororis ejus. In Oriente apud Eleuteropolim civitatem SS. martyrum quinquaginta, qui ſub Sarracenis paſſi ſunt.

XV. cal. Jan. Apud Africam natale S. Moyſis martyris. Eodem die S. Anatholiæ virginis & martyris. Turonis S. Gatiani primi epiſcopi ipſius civitatis.

Obiit Eldegarius laïcus, qui dedit fratribus omne prædium ſuum in pago Tornetrenſi, in villa Madriaco, tam in vineis quam in terris, pratis cultis & incultis, ſilvis, domibus, & cum omnibus adjacentiis, pro abſolutione peccatorum ſuorum.

XIV. cal. Jan. Autiſſiodero depoſitio beati Gregorii epiſcopi, qui ſedit annos XII, menſes VII. dies III. ſepultus eſt in eccleſia S. Germani. Apud Ægyptum beati Nemeſii martyris. Alexandriæ beati Clementis preſbyteri.

XIII. cal. Jan. Beatiſſimorum martyrum Ammonis, Zenonis, Ptolomei, Ingenii & Theophili.

Obiit Eliſeus archidiaconus, qui dedit fratribus res proprietatis ſuæ in villa quæ dicitur Gratiacus, arpennos vinearum IX. *propter remedium peccatorum ſuorum, ſuique memoriam recenſendam.*

XII. cal. Jan. natale B. Thomæ apoſt. qui Parthis & Medis evangelium prædicans, paſſus eſt in India V. nonas Julias. Corpus ejus in civitatem quam Syri Edeſſam vocant, XII. calendas Januarii tranſlatum, ibique digno honore conditum eſt.

Electio domni Geranni epiſcopi, qui dedit fratribus Logniacum villam & Solium, unde debet ad luminaria eccleſiarum ſanctæ Mariæ, & ſancti Stephani, & ſancti Johannis modium olei, & fratribus libram unam denariorum, qui ipſam terram tenuerit. Eodem die obiit Agnes de Longa-villa, quæ dedit eccleſiæ protomartyris B. Stephani cortinam pretioſam diverſis coloribus decoratam.

XI. cal. Jan. Romæ via Lavicana inter duas lauros natale XXX. martyrum, qui omnes uno die in perſecutione Diocletiani coronati ſunt. Apud Alexandriam B. Schyrionis martyris. Ipſo die aliorum plurimorum martyrum, qui in deſertis & montibus apud Ægyptum oberrantes fame, ſiti, frigore, languore, latronibus, beſtiiſque conſumti ſunt. Eodem die Theodoſiæ virginis & martyris, & ſancti Didimi monachi cruditiſſimi viri.

X. cal. Jan. Romæ natale S. Victoriæ virginis & martyris. Apud Nicomediam SS. martyrum XX. Item Romæ beati Servuli de quo beatus Gregorius ſcribit: Qui rebus pauper, meritis autem dives fuit & cetera mira quæ de eo loquitur. Eodem die natale S. Hemvariſti papæ & martyris. Autiſſiodero dedicatio eccleſiæ S. Johannis Baptiſtæ.

Obiit Ablenus diaconus, qui dedit fratribus res proprietatis ſuæ in villa quæ dicitur S. Mauricius, & in villa quæ dicitur Antonus, propter veniam peccatorum percipiendam, & ad ſui memoriam celebrandam.

IX. cal. Jan. Vigilia Natalis Domini. Eodem die apud Antiochiam Syriæ natalis SS. virginum XL. quæ per diverſa tormenta martyrium conſummaverunt. Apud Spoletum natale S. Gregorii preſbyteri & martyris, qui ſæpe regyratus variis tormentis eſt coronatus.

VIII. cal. Jan. Bethleem Nativitas Salvatoris Domini noſtri JESU CHRISTI ſecundum carnem. Eodem die natale S. Anaſtaſiæ virginis & martyris, quæ de Roma ſecuta eſt ſanctos qui ad martyrium ducebantur. Romæ in cimiterio Aproniani paſſio S. Eugeniæ virginis.

VII. cal. Jan. Apud Jeroſolymam paſſio S. Stephani protomartyris & diaconi, qui non multo poſt Aſcenſionem Domini, ab apoſtolis cum eſſet plenus fide & Spiritu ſancto, diaconus eſt ordinatus, atque eodem anno quo & Chriſtus paſſus, a Judæis eſt lapidatus. Eodem die natale ſancti Marini clariſſimi viri, qui martyrii præmium ſub imperatore Martiano Romæ adeptus eſt.

Obiit Ingelboldus miles.

VI. cal. Jan. Apud Epheſum natale ſancti Johannis apoſtoli & evangeliſtæ dilecti Domini. Hic poſt exilii relegationem, poſt Apocalypſis revelationem divinam, poſt evangelii deſcriptionem, confectus ſenio mortuus eſt poſt paſſionem Domini anno LXVIII. ætatis autem ſuæ nonageſimo nono. In partibus Aquileiæ natale S. Zoëli preſbyteri & confeſſoris.

V. cal. Jan. Bethleem natale ſanctorum Innocentium, quos Herodes cum Chriſti nativitatem

nativitatem Magorum indicio cognovisset, trigesimo quinto anni regni sui interfici jussit. Qui anno XXXVI. morbo intercutis aquæ, scatentibus toto corpore vermibus, miserabiliter & digne moritur.

Obiit Sigradus, qui dedit fratribus mansum suum indominicatum cum omnibus appenditiis suis in pago Tornetrensi, in villa Cidernaco, de vineis arpennos.... de terra accingas ..... ad censum fratribus dandum.

IV. cal. Jan. Hierosolymæ depositio Davidis regis. Apud Arelatem natale sancti Trophymi episcopi, de quo scribit apostelus ad Timotheum: *Trophymum reliqui infirmum Mileti.* Hic ab apostolis Romæ ordinatus episcopus, primus Arelatensem urbem Galliæ ob Christi evangelium prædicandum directus est. Ex cujus fonte, ut beatus papa Zozimus scribit, totæ Galliæ fidei rivulos acceperunt. In pago Occimense natale sancti Ebrulfi confessoris, cujus gesta habentur. Autissiodoro dedicatio ecclesiæ sancti Michaëlis & sancti Clementis.

III. cal. Jan. Apud Spoletum passio sancti Sabini episcopi, Exuperanti & Marcelli diaconorum, & Venustiani cum uxore & filiis simul martyrizatis sub Maximiano imperatore. Turonis natale S. Perpetui episcopi & confessoris.

II. cal. Jan. Romæ natale S. Silvestri papæ & confessoris, cujus actus clari habentur. Hic fuit post beatum Petrum apostolum XXXV. sedit autem in episcopatu annos XXIII. menses X. dies XI. Hic plenus virtutibus obiit in pace, & sepultus est in cimiterio Priscillæ via Salaria pridie calendas Januarii. Apud Senones beatorum Sabini episcopi & Potentiani, qui a beatis apostolis ad prædicandum directi, præfatam urbem martyrii sui confessione illustrem fecerunt. Item, Senones passio S. Columbæ virginis, quæ superato igne gladio cæsa est.

Obiit Ansetius Tricassinensis episcopus.

ACTA SANCTÆ REPARATÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Ex vetutiſſimo codice mſ. Metenſi.

OBSERVATIO PRÆVIA.

ACTA ſanctæ Reparatæ virginis & martyris ex optimæ notæ codice Metenſi ab annis circiter octingentis exarato hic exhibemus. Alia ejuſdem martyris acta profert Boninus Mombritius longe prolixiora, in quibus etiam perplura leguntur, quæ in manuſcripto Metenſi deſiderantur. At illa & prolixitate ſua & additionibus frequentibus ab eruditis viris tamquam dubia & ſuſpecta merito reprobantur. Hæc vero quæ hic a nobis eduntur, eam ſua brevitate ſpirant ſinceritatem, quæ omnibus antiquitatis ſtudioſis placere ſolet.

Reparatam Cæſaream martyrii palmam obtinuiſſe ſub Decio præſide aſſerunt, ſed cum plures ſint hujuſce appellationis civitates, ad quam illarum pro Chriſti confeſſione mortem obierit aliis divinandum relinquunt. In pervetuſto etiam martyrologio Morbacenſi tom. 3. *Anecdotorum, uti & Verdinenſi & Stabulenſi calendariis hic a nobis editis* VIII. *idus Octobris ſit mentio* S. Reparatæ. *In Gellonenſi quoque martyrologio apud Acherium Spicilegii tom.* 9. *eodem die legitur* Paſſio ſanctæ Reparatæ, *nulla deſignata civitate. At Flori martyrologium apud Bollandum martyrii locum diſertis his verbis enunciat.* In Cæſarea Palæſtinæ paſſio S. Reparatæ virginis, *& Romanum:* Cæſareæ in Palæſtina paſſio S. Reparatæ virginis & martyris, quæ cum nollet idolis ſacrificare ſub Decio imperatore variis tormentorum generibus cruciata, demum gladio percutitur, cujus anima in columbæ ſpecie de corpore egredi cœlumque conſcendere viſa eſt. *Suffragantur vulgatum Bedæ, Rabani & Notkeri martyrologia. Ex quibus Rabanus hæc habet,* VIII. idus Octobris natale Reparatæ virginis & martyris, quæ paſſa eſt in Cæſarea urbe Palæſtinæ ſub Decio præſide. Hæc cum nollet idolis ſacrificare, primo adhibita eſt illi olla plumbo fervente impleta, poſtea abſciſſæ ſunt illi mamillæ, & lampades ardentes adhibitæ: deinde in caminum ignis ardentis miſſa eſt, quæ cum in nullo fuiſſet læſa, ad extremum decollata eſt, & continuo de collo ejus exivit columba alba: cujus corpus rapuerunt Chriſtiani, & conditum aromatibus ſepelierunt. *Temporum vero decurſu in Tuſciam*

translatum est. Ferrarius in catalogo sanctorum Italiæ indicat Reparatam Florentiæ recoli VIII. *idus Octobris, corpus vero Lucæ asservari in ecclesia S. Johannis: at Ughellus Italia sacra tom. 6. corpus S. Reparatæ virginis & martyris Theanı requiescere docet.*

PASSIO S. REPARATÆ.

SUb Decio præside, immanis fuit persecutio Christianorum. Ibidem quædam erat virgo nomine REPARATA annorum duodecim. Hilari mente erat, corpore casta, Christum adorabat amplius quam negaret. Introiit ergo DECIUS præses in civitatem Cæsariensem. Tunc venerunt omnes cives ad eum, & dixerunt ei: Hæc virgo deridet deos nostros, invictissime, & adorat nescimus quem, qui dicitur Christus. Tunc jussit DECIUS præses puellam ad se venire, & cum eam videret pulcherrimam esse, sermonibus blandis cum ea loqui cœpit dicens: Puella, ô felix est mater quæ te nutrivit! & ideo ego novi quia nobili genere orta es: accede huc & sacrifica diis immortalibus. Sancta REPARATA respondit: ecce enim sum plus minus annorum duodecim, sufficit mihi jam transituram vitam vidisse, aliam spero fidens in eum qui me voluit nasci ex utero matris meæ, & meipsam desidero immolare Domino meo JESU CHRISTO. Notum tibi sit, inimice Dei excelsi, quia te & omnes tibi consentientes perdet. DECIUS præses dixit, antequam pereas consule tibi. S. REPARATA respondit: Ego non me possum consolari, consolabitur me Dominus Deus meus, qui pro nobis dignatus est pati. DECIUS præses dixit: Si verus est Deus in quem credis, quomodo in terram descendit, & passionem suscepit? S. REPARATA respondit: Passionem suscepit, ut nos de laqueo mortis liberaret. Induit se formam servitutis, ut ad libertatem omnes perduceret. DECIUS præses dixit: Abnega ergo quem dicis Christum, & immola diis immortalibus. S. REPARATA respondit: Anathema tu, immola diis tuis stercore plenis. Ego autem non cesso confiteri Dominum meum JESUM CHRISTUM, in quem confidit anima mea. Ipsi parata sum immolare hostiam laudis. DECIUS præses dixit: Vide quanta tormenta possis sustinere. Sancta REPARATA respondit: Nullo modo me confundis, sed magis confortas animam meam. DECIUS præses dixit, Plumbo ollam implete, & calefactam ante eam afferte. Primam pœnam illi ostendite, & si sacrificare noluerit, sic eam perfundite. S. REPARATA respondit: Deus verax est ad liberandam ancillam suam, & eruet me de hac pœna. Hæc cum dixisset continuo exhibuit plumbum. DECIUS præses dixit, qualis duritia virginis, quæ malis tormentis sibi ingerit sententiam. S. REPARATA respondit: Ego malis tormentis A sententiam non intro (*a*), sed plurimum adjuvor a Domino meo. DECIUS præses dixit: Lampades accendite, & mamillas de pectore ejus abstollite. S. REPARATA respondit, Frigidus est ignis tuus, me autem amplicavit caritas Christi, quem spero videre. DECIUS præses dixit: Caminum accendite, & per ignem eam deficite, quo usque pereat. Cumque adimpleretur præceptum præsidis, & deduceretur puella, & dum introïret cœpit psallere in camino dicens: *Sicut vedus exaltata sum super Libanum, & sicut cypressus in montem Syon, quasi myrra dedi suavitatem odoris.* Et tu Domine JESU, fac mecum misericordiam, B sicut fecisti Sydrac, Misac & Abdenago, & deambulabat quasi super rorem. DECIUS vero ante prætorium deambulabat. Proxime locus erat ibi, ubi fornax accendebatur. Cumque audisset eam psallentem in virtute Dei, dixit ad suos: Ecce qualis virgo in malis suis, credo victi sumus. Machæram afferte, & viscera ejus frustate (*b*). Et fecerunt sicut præcepit. Et continuo resolidata sunt membra ejus. Tunc S. REPARATA respondit: Hæc sunt tormenta tua, antiquissime inveterate dierum. Nihil me potes nocere; sed magis confortas animam meam (*c*). DECIUS præses dixit scubitoribus suis; Novaculam afferte, & decalvate eam & per publicanos ducite eam. C S. REPARATA respondit: Ignominias sustineo & decalvata in publico pervenire cupio. Scio enim qualiter pro hoc quod patior, quomodo a te exiget Deus meus JESUS CHRISTUS, inimice Dei. DECIUS præses dixit: Si ad deformitatem metuis venire, accede & immola diis invictissimis. S. REPARATA respondit: Audisti quia dixi tibi, non immolo diis tuis: sed Deo offero sacrificium mundum, & victimam jubilationis. Vide autem quid facias, quia in conspectu judicis mei causam tecum dictura sum. Multi vero ibidem circumstantes compuncti corde territi sunt. DECIUS præses dixit: Miror te tam duro corde esse. Jam consule tibi antequam pereas ab oculis nostris. D S. REPARATA dixit: Ovis diaboli, quantis argumentis mihi insistis? Miser a facie Dei peristi (*d*). DECIUS præses dixit: Ducite verbosam & decollate obnoxiam, & caput ipsius auferte ab oculis meis. Sancta vero REPARATA

[*a*] [*b*] [*c*] [*d*]

(*a*) Forte *non muto.*

(*b*) Id est in frusta discerpite.

(*c*) Hic apud Mombritium ingeritur: terræ motus, populi maxima ex parte interitus, & tortorum manus aridæ factæ, & multorum ad fidem conversio.

(*d*) Pluta deinde apud Mombritium subjiciuntur tormenta, de quibus hic ne unum quidem verbum. Tum addit Decii ministros cæcos effectos & paulo post aridas manus eam tenentium.

cum duceretur ab spiculatoribus, ait: Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui me de hoc sæculo peregrinationis ad te dignatus es perducere cum palma triumphi virginitatis. Audientes vero spiculatores percutiebant caput ejus, & cecidit. Et continuo de collo ejus exivit columba alba, quæ primo eum confortabat cum esset in certamine. Accedentes vero Christiani pauci viri timorati, rapuerunt corpus ejus, & conditum aromatibus sepelierunt eum, & requievit in pace octavo idus Octobris regnante Domino Jesu Christo, cui est honor & imperium in sæcula sæcula sæculorum. Amen.

PASSIO S. MERCURII.

Ex ms. cardinalis Casanatæ eruit Mabillonius.

Decius occupato imperio reipublicæ statum reparare meditatur.

1. Decius ambitionis inflammatus libidine ad pervadendum temere regnum, Philippum imperatorem omnium imperatorum primum Christianum, dolo circumventos patrem & filium interfecit, & exoptatum imperium homicidiorum labe pollutum, ac rapacitate subripiens, mox ad interfectorum odium pertinaci furore adversus Christianos persecutionis tempestatem impulit; non solum quod eos exosus esset: sed ut avarus fervore cupiditatis exæstuans, eorum facultates conabatur auferre; & quia vanæ gloriæ cupidus erat, & veterum Deciorum vocabatur nomine, ad reparandum antiquitus reipublicæ statum animum intendens, cupiebat sibimet favorabiliter adoreas affectare, & qui prius idolis deditus fuerat, arrecto regio fastu fervefactus, idolatriæ cultibus anhelavit. Idcirco dæmonum præstigiis afflatus, ex ore sacrilego taliter insaniæ putidissimos eructabat ventos.

Ideoque deorum cultum restituandum censet.

2. Certissimum est etiam Romanum imperium deorum ceremonias magno studio prosequendo ita pollentius excrevisse, ut oceano metas defigeret, cœloque coæquaret potentiam: namque sacrificantibus quondam ritu patrio majoribus nostris, totius mundi imperium promittebatur a diis. Præterea si cuicumque deorum ad pugnam faventi præliaturi votificabant, procul dubio victores effecti fortuitu templa statuebant ex voto, sicut nunc sacrarum ædium monumenta titulique scripti testantur. Sub ipsis etiam tutoribus ultra jam millesimum annum perdurans invictissimum permanet, & ut res vetustiores repetam, ex parva gente, licet valida, parvaque regione subcrescens, deorum præsidio, toto orbe terrarum propugnatum mille gentibus olim dominabatur.

Cujus cessationi clades imperii attribuit.

3. Et nunc ex quo templorum religio cultu neglecto oblita remansit, necnon & imminuta cessant sacrificia, ex hoc Romani regni status variis calamitatibus cœpit labefactari. Ergo merito, deorum ira exigente, utrique Philippi gladio trucidati, ut meritas luerent pœnas: quorum prior pro reipublicæ commodo hostias secundum morem immolaturus in capitolium nequaquam fecit ascensum.

Decius adversus barbaros imperium devastantes pugnantes progressus.

4. Eodem namque tempore contigit a barbaris oborto bello, Romanos fines igni ferroque vastare. Quo audito, Decii disposuerunt utrique regias cohortes, quatenus cum hostes ire pergerent, dantes jussa, ut & de singulis civitatibus equites ejusdem numeri illuc convenirent. Factum est ita: etenim belli apparatus affuit, & idem numerus armatorum, qui cognominabatur Martius, quique primus in Armenia degebat sub uno comite nomine Saturnino. Egrediente autem de suo augusto ad prælium, alter Romæ remansit ad tuenda regni gubernacula.

Commisso prælio accipiti, Mercurius hostium cuneos penetrat & regem truncatur.

5. Cumque ventum esset ad locum certaminis, expositis utrisque in campo juxta morem copiis, pugnam conserunt; in quo conflictu aliquantulum certatum est, mox anceps se subtrahens, uterque invictus exercitus ab alterutro recessit. Subsistentes autem seorsum Romanæ acies, postulabantur fortunæ prioris eventus, cum repente quidam ex equitibus Mercurius nomine intermixta conspiceret agmina: ecce vir adest splendidissimus, eminentis formæ, prægrandis, hastam tenens, inquit ad eum: Mercuri, noli ambigere nec formides, missus enim sum confortare te & adjuvare, victoremque coram his omnibus facere. Igitur accipe hanc lanceam, aggredere barbaros, victorque existens, ne obliviscaris Domini Dei tui. Dum taliter alloqueretur, ille ingenti admiratione stupefactus, existimans quempiam de primatibus regiæ cohortis, tandem sustulit lanceam de manu ejus, equo videlicet continuo concitato, ferventius viribus acuens. Nec mora signo crucis edito, totius corporis annisu impetuque quo magis valuit cursim barbarorum cuneos irrumpens, regem aliosque multos fortuita cæde prostravit.

6. Adeo præliatus est, ut manus ei bra-

Decius Mercurii experitus prælandi virtutem, exercitus sui ducem constituit eum.

chiaque semi gelato cruore oppleta gravarentur, fessaque desiderent. Mira res! omnis illa barbaries amisso rege subito incusso terrore terga vertens ante Romanas acies, celerius effugit. Tunc Decius videns eventum rei, mirabatur audaciam alacritatemque & fortitudinem militis, putans deorum auxiliis hostem tam facile superasse, innumeras eis grates referebat. Denique beatus Mercurius victor interfecti regis caput deferens Decio, exuvias vel arma sibimet victoriæ nomine reservavit. Ille quidem vehementer exultans vocavit eum, & illi arridens aiebat: Dic fortunate vir, quo nomine nuncuparis. At ipse respondit: A parentibus Philopator, a commilitonibus cognominatus sum MERCURIUS. Et Decius addidit: Quod genus tuum, quaque patria oriundus es? Idem rursus ait: Pater quondam meus GORDIANUS nomine, genere Scitha, ex militia quæ cognominatur MANCIA, quippe secundum temporis dignitatem secundum tribunum primatum peragebat ejusdem militiæ, ortus autem meus in prima fertur Armenia. Tunc Decius cernens eum armis experientissimum, forma decorum, concione habita, constituit eum præmii nomine principem exercitus sui. Loquebatur enim intra se: Hic efficacissimus erit, puto, Romanæ reipublicæ, & una nobiscum statum regni nostri poterit in antiquitatem reparare. His ita bellicis rebus prospere gestis, Decius reversus ex more triumphans, Urbem ingressus est.

Angelus appareus Mercurio, cum adpræliandum pro Christo hortatur.

7. Post vero non multos dies, accidit, ut quadam nocte quiescenti beato MERCURIO angelus Dei apparuit, similitudinem viri referens, quem nuper insignem miratus aspexerat, pulsansque eum excitavit. Ille mox expergefactus intuitus est eum, & pavore correptus obstupuit. Ait autem angelus ei: Mercuri, cur non reminiscēris nominis Dei tui, quatinus in acie tibi præpositum est? Oportet enim te propter eum legitime decertare, ut incomparabilem victoriæ coronam recipias, & æternæ beatitudinis præmia cum omnibus sanctis capias. Ipse vero reversus in se meminit demum prioris visionis, ac dictorum ejus animadvertit; interimque bis terque unus apparuit. Hæc enim secum agebat: Nunc verissime novi, quod misit angelum Dominus suum, per quem mihi singularem ex hostibus victoriam tribuit, & oblito rationi meæ.... recordationem sui testimonium misericorditer infundit. Ob hoc divinam perpendens erga me clementiam, non debeo desidiosus fore, sed salutaribus monitis operam dare.

Ita patris sui mortem meditatus resolvit.

8. Erat autem S. MERCURIUS adolescens annorum circiter viginti quinque, siquidem genitorem suum haud mediocriter litteris eruditum sæpe recensentem quod quondam audierat de ingenti miraculo, quod illis vicinis temporibus, sub Antonino principe manifestissime per milites Christianos in solo barbarico exercitui Romano periclitanti gestum fuerat, necnon & de persecutoribus Christianorum, quos e vestigio secutæ Romanum orbem diutissimæ clades devastaverant; simul & de sacris scripturis alia atque alia proferentem conspexerat. Dumque secum multa mente revolvit, recordatus interdum verborum ejus, quæ de Christo Domino crebra confabulatione cum militia fungerentur, taliter disputabat: nempe beatior erit quicumque militaverit regi cœlorum quam hostibus ejus, & qui propter eum dimicaverit in æternum, illi dabitur inæstimabilis corona victoriæ & infinitus honor triumphalis gloriæ. Verumtamen ista quæ videntur arridentia, pro quibus & in quibus militatur, nimium laboriosa citoque caduca, post mortem penitus nihil profutura: nam rex equidem ille dixit, & omnia creata sunt; visibilium omnium & invisibilium ipse dedit principia, cœlum terramque ex nihilo condidit, & ex eis mundum componens uti domum mortalibus habitandum indissolubiliter constare fecit: cœlum videlicet sursum velut cameram statuit, & lucidissimis sideribus ad inferiora lucidanda perornavit, terramque seu pavimenta deorsum stravit, & pulcherrimis arborum ac odoratis herbarum generibus vestivit, quas vescendi ac medendi gratia ejusdem accolis concessit. Idemque mare triremibus commodum fecit, quibus in procetas brevi velo volando curritur terras. Illic piscium genera belluarumque produxit immania corpora. Ita tamen hæc elementa ineffabili providentia propriis animantibus singulariter tribuens, cœlum angelis, aërem volatilibus, terram hominibus & ceteris animantibus, ac mare piscibus implevit. Sed quoniam genus humanum sic a principio arbitrii sui libertati commissus fuerat, ut per fructus spontaneæ obedientiæ æternitatem vitæ consequeretur. Sed quod libertate arbitrii abusus est in superbia licentiæ, & æternitatem perdidit, & ignorantiæ cœcitatem incurrit; ex hoc enim per successiones generationum in tantas, abolita ratione, tenebras prolapsus est, ut creatoris sui prorsus oblitus, non meminisse maluerit: sicque factum est dum unius veri Dei cultum deseruit, sævo errore deceptus in multorum deorum cultus decidit: ita ut elementa hominesque exanimes, innumeros deos ac deas adoraret; propterea cœlitus idem missus a patre & virginali partu Deus & homo mundo radiavit miraculorum ingentia facturus.

A Decio accersitur.

9. Sic illo cum luctibus noxas confitente: en adsunt secretarii lictores a Decio missi, eumdem ad imperialem conspectum deducturi: sed ille renuens eo die non posse se egredi dissimulavit. Iterum altera die convenientibus magistratibus, jussit cum similiter

accersiri. Cum autem advenisset, congregatis simul omnibus, idem Decius ait: Procedamus ad Arthemis templum, eique sacrificemus. Erat autem feriatis gentilibus Arthemis festum. Illis vero magna frequentia confluentibus, beatus MERCURIUS velut ægre factus intra regiam remansit. Ecce quidam ex regiis ædituis accessit ad Decium, accusans eum & dicens: Præclare domine, & insignis triumphator & invictissime, promotus ab immortalibus diis, ut augustalem susciperes dignitatem, precor ut audias: MERCURIUS quem nuper præfecturæ sublimasti, glorificatusque majestatis tuæ dextris astitit, Christianus effectus abdicat divinitatis tuæ magnitudinis edicta, & idcirco ad sacrificandum jaculatrici deæ nequaquam commeavit. His auditis Decius subsistens, ait: Credo equidem invidiæ zelo te percussum adversus eum, propterea loquaris talia; sed non accommodamus credulitatis aurem tuæ suggestioni, nisi prius ea ocularia fides patefaciat. Nonne facti causas visus potius dijudicat, quam auditus? Conticesce nunc hujuscemodi quæcumque depromas: si tamen, quod præfatus sum, hoc deferas inflatus larvali agitatu, ultionem suscipies non modicam; si vero certa dilucidare potueris quod proponis, præmia promereberis.

Apud eum accusatur quod sit Christianus.

10. Quibus dictis, Decius ut erat, Christiani nominis insectator & osor, illico per complures apparitores suos expertus rei veritatem, jussit eum in potentatus sui decore plus solito adornatius advenire, magna lictorum glomerante caterva. Sed beatus MERCURIUS illato sibi terrore, non trepidans carceris ingressus est claustra, gaudens & glorificans Christum Dominum, quod dignus esset habitus pro nomine ejus talia pati. Eadem vero nocte astitit angelus Dei dicens ei: Confide, MERCURI, ne formides momentaneas tyranni minas, & crede constanter, quod quem confiteris Dominum, liberabit te ex omni tribulatione ista. Confortatus est igitur validissime angelicæ visionis alloquio, gratias agens Domino, quod ei visitationis gratiam per angelum suum dignatus esset infundere. Altera autem die idem Decius sedens pro tribunali jussit cum vinctum adduci in conspectum suum, cuique dixit: Ita te decet vecors, nam talis impiis famulatus obsequiis dignus es haberi? Beatus MERCURIUS contra sic ait: Hoc vere fateris, sic te decet, eo quod inestimabilem majorem decorem & gloriam præparas in æternum. Hic enim tu præterlabentem fœlicitatem suscipis, ego projecta temporali æternam vicissim recipere modis omnibus confido.

Detrusus in carcerem ab angelo confortatur.

Tormentis applicatur.

11. Tunc imperator impiissimus furiis exagitatus exæstuans, ait parasitis suis: Sat est mihi patienter hactenus eum sustinuisse; sed quia diis blasphemias intulit, & dixit habeo loricam & clypeum, cum sit inermis, extendite eum pronum & innectite brachia pedesque ejus ad quatuor sudes solo depactos, suspendentes a terra, quasi pedibus ternis, & experiar vires quibus innititur. Quo facto, jussit extensum fustibus diutius verberari. Post hæc Decius illudens ei percontabatur: Ubi sunt arma tua, quibus te victurum sponderas Venerem dearum pulcherrimam? videor mihi bene te extendisse. Sanctus autem MERCURIUS suspiciens sursum, dixit: Domine Deus meus JESU CHRISTE, propter quem patior, adjuva me famulum tuum. Denique post verbera crudelissimus imperator iterum jussit cultros acutissimos afferri, eisque flagellatim rigentia terga ac latera exarari, deinceps ignem ardentem substerni, eumdemque ad modicum exuri. Ex multitudine autem cruoris illius perfusus ignis extinguebatur; cumque vir Dei talia perpeteretur, Decius continuo præcepit eum solvi, ne citius moreretur, & in quoddam cubiculum mitti. Deportantes illum lictores jam modicum spiramen habentem, fecerunt quatenus sibi fuerat imperatum, arbitrantes quod momento expiraret.

Divinitus sanatur ejus vulnera.

12. Sequenti vero nocte apparuit ei angelus Dei dicens: Salus tibi fortissime decertator. Et illico saluti pristinæ restituta sunt omnia membra sua: ita ut surgens glorificaret Deum. Audiens autem Decius quod citissime sanaretur, iterum jussit eum coram solio suo accersiri, vidensque eum dixit. Tu ne es MERCURIUS, quem pene jam mortuum a conspectu nostro præcepimus asportari? Quomodo nunc sospes ades? saltimne cicatrices doloribus stimulant? Tunc præcepit ministris totum membratim perscrutari. Illico jussa capescentes, retulerunt ei: Ceu numquam cæsus fuerit, ita sanus effectus est. Quo audito, Decius insultans dixit: Nunc dicturus est, esse verum, quia Christus meus me curavit. Iterum iscitabatur ab eis numquid quempiam ad eum ingredi permisistis? At illi satis agentes responderunt: Per salutem tuam neminem externorum visere permisimus illum, præstolantes eumdem citius moriturum: quomodo nunc sanitate vigeat nescimus. Et Decius: Ad hæc animadvertite, inquit, ergo magicas artes Christianorum, quibus redivivus sospes factus astat. Tunc furore correptus dicit: Quis te tam facile curavit? Beatus MERCURIUS respondit sicut prius illudens: Factus est Dominus meus JESUS CHRISTUS salutaris medicus animarum & corporum: ipse per angelum suum mei curam egit. Rursus imperator furibundus ait: Profecto corpus tuum variis exitiis eviscerabo, donec excruciata pereat anima, & probabo quonam modo Christus tuus, quem Dominum esse opinaris, medebitur tibi. Beatus MERCURIUS respondit: Si sic pereo, satis perisse juvabit. Verumtamen hoc tibi notum sit; quæcumque tormentorum irroges, men-

tem meam mollire nequibunt. Ipſe enim ſuos exhortatus eſt dicens: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Sed, inquam, miror, optime imperator, quorum exempla imitaris, eorum exitum non pertimeſcere. Denique Nero cunctorum imperatorum primus Chriſtianæ perſecutionis incentor & auctor, & Domitianus ſecundus ab illo non impune obierunt, ſed meritas facti pœnas retulerunt, alter formidinis amentia perculſus, adeo angoris eſt nimietate coarctatus, ut ſemetipſum ignominioſiſſime fugientem trucidans, malorum compendium celeritate mortis evaderet; alter vero crudeliter a ſuis interfectus, infames exequias pertulit. Quippe vulgari ſandapila per veſpiliones evectus turpiſſimeque ſepultus eſt. Trajanus quoque & Antoninus ſive Severus ejuſdem impietatis ſævitias diverſis temporibus perpetrantes, e veſtigio divina ſubſecuta ultione continuis bellis laceſſiti, multis acutiſſimis ac diverſiſſimis regni ſui calamitatibus mulctati ſunt. Deinde ſextus a Nerone maximus tyrannus hujus redivivæ calamitatis rabiem cœpit; ſed mox ab hoſte interemtus & obtruncatus, perſecutionis vitæque terminum dedit: quin etiam tuus exitus his ſimillimus erit, niſi ab hac impietatis tyrannide receſſeris.

Chriſtianorum perſecutores imperatores miſere periêrunt.

13. Quibus dictis, impiiſſimus Decius conſuratus, indigne ferens, protinus juſſit eum extendi, ardentique ferro uti cauterio per longum exuri, inſuper & igne torrentibus ſubulis illius latera ac terga terebrari. Hoc autem facto, pro fœtore thuris ſuaviſſimi nidoris fragrantiam velut ex aromatibus ejus exhalaverunt membra. Talia per patientiam Decius percontatus cum exultatione: Ubi eſt, inquit, medicus tuus Chriſtus, a quo te ſanatum ſanandumque pollicebaris? Adveniat nunc & opituletur tibi. Locutus eſt enim, quod & de ſomno me excitavit. Beatus Mercurius, qui in bello fortis extiterat, ſed fortior in paſſionibus permanens, ita reſpondit: nempe Chriſtus meus omnipotens inviſibiliter ſolo dictu cuncta reſtaurat. Quod ſi noluerit meis mederi ſtigmatibus, certiſſimum tibi ſit, cuilibet prius acerbiſſimæ morti caput objectabo, quam vaniſſimis frivolis tuis, in quibus dæmonia deliteſcunt ſacrificabo. Licet enim tunc momentaneis me peruris incendiis, ſed tu perpetuis gehennæ ignibus ſine fine conflagrabis. Hinc Chriſtus meus ineffabile mihi refrigerium & inremediabiles tibi decrevit cruciatus in æternum.

Novi ſtortmenti cruciatus.

14. Crudeliſſimus interea Decius præcepit eum altius verſis veſtigiis ſuis ſuſpendi, & collo ejus inditum graviſſimum lapidem pendere, ut pondere ſuffocatus, Chriſtum invocare non valens forſan ejus animos frangeret. Sed adjutus Dei gratia fortiſſimus athleta, multarum horarum curſibus in hoc pernicioſiſſimo ſupplicio perdurans, interclauſa voce anhelitus, Chriſtum Dei Filium fracta loquela clamabat. Videns igitur impiiſſimus Decius viriliter atque conſtanter eum ſufferre, nulloque pœnali aculeo mentem ejus poſſe mutari, ſaxum juſſit a collo removeri; & afferri quatuor flagella, obſtructoque ejus ore ne Chriſti nomen totiens audiret, eum vehementiſſime cædi, donec cutis illius ſanie flueret, ac lithoſtrotum aſpergeretur. Sed beatiſſimus Mercurius animi robore incommutabiliter in fide perſeverans, crebro Chriſti nomen ſecum corde vocitabat. Ut autem expertus tot in eo tormenta conſpiceret impiiſſimus imperator, quod non vinceret ſed vinceretur, mente confuſus mœſtitiaque perculſus, ne tanta ſancti viri ſeduceretur conſtantia, vel ceteri ejus exemplo excitati militiam deſertarent, conſuluit quoſdam quatenus eum perderet.

Mortis ſententia in eum pronunciatur.

15. Igitur maturius deliberato conſilio, talem dedit præſcriptionis ſententiam: Mercurium præfectum equitum, imperiali munificentia locupletatum, Romani regni ſanctiſſima edicta contemnentem, deoſque blaſphemantem, exemplar infamiæ Chriſtianorum, exulem apud Cappadocas, hoſtem publicum publico gladio perimendum. His dictis gladiatores ſuſcipientes eum portaverunt in navim, quod corpus ejus erat valde laceratum, ferme membrorum compage diſſolutum, velut exanime videbatur. Deducentes igitur eum mari terraque poſt aliquot dies, longo itinere confecto, pervenerunt Cæſaream, ubi noctu Chriſtus Dominus apparens per viſum, beato Mercurio dixit: Veni jam, miles fortiſſime, hic fortitus requiem, hoſte devicto, certamine conſummato, ſuſcipe victoriæ præfulgentem coronam. Cumque hoc diceretur, protinus herili præſentia conſolidatus evigilavit, quod beatiſſimus martyr facili conjectura intelligens, ibidem agonis ſui ſtadium explendum, tunc ait gladiatoribus: Perficite citius quod facturi veniſtis, nam me Dominus meus Jesus Christus hac nocte ad triumphalem palmam vocavit. hic etiam mei certaminis finem dedit. Verumtamen advertite, non vos lateat quod vaticinabor, nimirum ſciſſe juvabit: Licet imperator vir crudeliſſimus meum ſanguinem ſitierit, ſed ſtatim atro obrutus gurgite bibulus ſine fine ſatiabitur, & licet extorrem me obtruncatum proſcripſerit: ſed indignus exequiis ſepultura carebit. Quibus dictis, dein acclinis inter verba orationis extenta cervice, mox exciſo capite migravit ad Chriſtum Dominum ſeptimo calendarum Decembriarum, regnante Domino noſtro Jesu Christo, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

HISTORIA
CORPORIS SANCTI MERCURII,
CÆSAREA DELATI QUINTODECIMUM,
ET EXINDE BENEVENTUM.

Ex mſ. cardinalis Caſanetæ eruit Mabillonius.

Anno 768. Qua occaſione facta eſt corporis S. Mercurii tranſlatio.

1. TRanſlationis equidem corporis beati MERCURII, qua tranſvectum eſt Quintodecimo Beneventum, & ad S. Sophiæ baſilicam deportatum, in præſenti tempore ſolemnitas celebratur. Valde tamen eſſe conveniens narrationis ſeries poſtulare videtur, ut qua occaſione ipſum ſacrum corpus Cæſarea Cappadociæ, ubi primo humatum extiterat, Quintodecimo delatum fuerat, innoteſcat. Imperator Conſtantinopoleos CONSTANTINUS, qui & CONSTANS eſt nominatus, concipiens animo Italiam a Longobardis invaſam, ſub ſui ditione imperii revocare, illis extorribus & expulſis, exercitum numeroſum ad effectum ſui propoſiti præparavit. Sicut autem Romanis principibus uni vero Deo non ſubditis, in expeditionem proficiſcentibus moris erat ſecum deferre ſimulacra, in quibus deos falſos invocarent ſibi in præliis ſuffragari; ita Cæſares Chriſtiani pergentes adverſus hoſtes imperii debellandos, corpora ſanctorum habere conſueverant comitatui eorum dumtaxat qui extitiſſent in ſæculo officii militaris. Itaque præfatus Auguſtus exterminaturus armis, uti dictum eſt, Italia Longobardos, robuſtiſſimi athletæ Chriſti MERCURII juxta prædeceſſorum conſuetudinem, reverendum corpus aſſumit cum trium ſanctorum reliquiis aliorum, ac tribus tradidit religioſis admodum cœnobitis diligentiſſima cura ſervandum. Cumque tali comite & exercitu copioſo littora contigit Tarentina; illinc autem caſtris motis, Apuliæ fines ingreditur, atque cunctis fere civitatibus depopulatis, necnon Luceria urbe, utique ſecundum ſuum vocabulum luculenta, ſolo tenus demolita, Quintodecimum eſt profectus. Quæ civitas, ſive quod Quintus Decimus eam victricibus armis ſubjugavit, ob ſignum victoriæ Quinto-Decimo ei nomen impoſuit: ſeu, quod oculis patet, eo quod quindecim millibus paſſuum a Samnia, quæ nunc Beneventum dicitur, a parte auroræ dignoſcitur conſtituta, Quintodecimum eſt vocata.

A Conſtante imperatore, ut protector eſſet, deportatur in exercitu.

Nota.

Quinto decimum defertur.

A 2. Erat autem hæc civitas plena populo, divitiis affluens & deliciis, cujus circumſtantia civitatis quam voluptuoſa ſit & amœna, ex geminis fluviis hinc inde fluentibus, Arvio videlicet & Caloro, ex irriguis fontibus, ex virentibus pratis, ex denſitate ſilvarum, ex fructuum ubertate, tu ipſe poſſis agnoſcere, ſi regionem illam velis curioſe luſtrare. Propterea glorioſum videbatur Auguſto, ſi urbem talem aut ſubjugaret invitam, aut reciperet ſpontanee ſe dedentem. At quia ipſa civitas ex longis retro temporibus nullius jugum noverat dominantis, imperatori Conſtantino non ſe obtulit venienti, immo modis omnibus eſt reniſa. Eam igitur Auguſtus obſedit obnixius, equitum ac peditum copias circumfundens: quam cum diutius oppugnaſſet, & ſui exercitus portionem non modicam amiſiſſet, tandem expugnavit eam, ac mœnibus dirutis, humiliavit ad velle. Cujus ſuperbus ac lætus excidio, urbem adiit glorioſam in civitatibus, Beneventum, de ipſa, veluti credebat inſanus, identidem effecturus.

Quam civitatem Conſtans dirui.

B

3. Verum ſtulta ſpes ejus & potentia, in qua tumidus confidebat, cœlitus eſt fruſtrata. Quemadmodum ſane imperator ætheris ac telluris eamdem urbem obſidione Conſtantis Auguſti dextra majeſtatis eruerit, fideliſſimi ſervi ſui BARBATI meritorum obtentu, necnon metu GRIMOALDI regis Longobardorum, qui cum maxima multitudine militum in adjutorium ſui filii ROMUALDI Beneneventani principis properarat. Quod quia in vita beati Barbati & in hiſtoriis Longobardorum gentis ſcriptum plenius reperitur, hic omittendum exiſtimo, ut ad exſequendam materiam propoſitam redeatur. Tres igitur monachi ſuprafati cernentes Auguſtum immanem paſſim exercere malitiam in deſolatione civitatum & caſtrorum, in ſacrorum violatione locorum & everſione domorum Dei, in nimia humani effuſione cruoris, tot tantiſque malis ipſo comitatu ſe communicare & eſſe quaſi conſentaneos cum

Dum tenſit Beneventum monachi corporis cuſtodes Quintodecimi remanent.

C

cum mœrore interno reputantes, non ſe monachos, ſed gyrovagos judicabant. Quocirca Cæſare Conſtantino ad aggrediendam inſignem Samniam properante, illi ſimulato languore apud diſruptam Quintodecimum memoratam cum honorabili almi Mercurii corpore remanſerunt. Quod imperator ſinere potuit Conſtantinus: vel quod Beneventus, quam obſidere tendebat, non longe diſtaret; vel potius quia id divinitus agebatur, quatenus videlicet martyr eximius tranſlato ſuo corpore Beneventum, eam utpote ſupernorum civium auxiliis indigentem, ſuis meritis tueretur. Prædicti vero tres fratres ſpiritu caritatis uniti, in afflictione jejunii cordiſque intentione beatum martyrem cui jugem exhibebant reverentiam oraverunt, quatenus ad ſerviendum Deo viventi locum ſibi congruum indicaret.

In mortali ſimulato ſomnio ecclesiarum illi ſpolium ædificare.

4. Quibus ſanctus martyr per ſomnium præſto factus: Optime, inquit, egiſtis, nec a vobis ipſis hoc, ſed divino feciſtis inſtinctu, quod vos imperatoris efferi & ſceleſti comitatui ſubduxiſtis. Eſt nempe de meo corpore ab omnium auctore diſpoſitum, uti penes hanc urbem ſuis profecto culpis everſam reconditum ſit ad tempus. Porro veſter Auguſtus habens animum occupatum multiplicibus curis ſuæ malignitatis, ſecundum occultum Dei judicium exercendæ, mei corporis eſt oblitus. Qui urbe quam nunc fruſtra obſidet derelicta, Romana mœnia ſubintrabit; ibique eccleſias Dei pollutis manibus violabit; & talibus onuſtus rapinis, ut Conſtantinopolim repetat, Siciliam expetens Biſantium non videbit, ſed Siracuſis interimetur in balneo a ſuis. Vos autem meo hic nomine fabricate baſilicam, hic veſtræ vitæ omnipotenti Domino famulatum ante ſpatium exigatis, ut ab eo vitam æternam percipere valeatis. Cum igitur cuncta quæ ſanctus prædixerat accidiſſent, fratres illi glorioſi martyris revelatione & commonitione inſtructi, B. Mercurii nomini eccleſiam conſtruxerunt, reſiduis civibus Quintodecimi deſolatæ in opem illis pro poſſe operantibus in hoc opus, pro ſuorum ſcilicet animabus belli certamine peremptorum. Ceterum ſub limine ingreſſus baſilicæ corpus Mercurii glorioſi diligentius monachi locaverunt præſcripti, ſuperponentes lapidem ſigillatum, nemine penitus hoc ſciente.

Ingredatur aliquem. pus Arechis.

5. Latuitque corpus honore digniſſimum illo loco cunctis incognito nonaginta quinque elabentibus annis & menſe uno, uſque tempora inclyti Arechis in ſæculum memorandi: quia nimirum theſaurus hujuſmodi auro longe carior atque topazio, religioſiſſimo principi ſervabatur: cujus devotio magis erga corpora ſacra fervebat in ſuam Samniam convehenda, quam circa perituras gaſas, quibus avarus inhiat animus, cumulandas. Ut enim viros ſanctos quoſdam quaſi ſupernæ curiæ optimates, quos imperatori perenni familiariores ingentia merita reddiderunt, idem princeps ſibi amicos efficeret, non quidem de mammona iniquitatis, ſed de divitiis ei divinitus elargitis, eidem pio ſtudio condidit pretioſam [eccleſiam] ad exemplar illius Juſtinianæ Sophiæ vocabulo inſignitam, Jesu Christi videlicet qui virtus & ſapientia primus ab apoſtolo nominatur; in qua ſcilicet æde ſacra illorum corporibus quæ in reſurrectionis tempus peregrinantur a propria permanente civitate, velut quoddam humanitatis hoſpitium exhiberet, quatenus ipſi eum in tabernacula æterna reciperent, bonam ſuo hoſpiti viciſſitudinem rependentes. *Qui ædificata Beneventi S. Sophiæ æde.*

6. Cumque jam intra ſanctuarium illud beatos artus duodecim germanorum in unius altaris memoria poſuiſſet, aliorumque utriuſque ordinis beatorum corpora collocaſſet, cœlitus princeps optimus incitatur, ut beati Mercurii corpus properet indagare Narniam: cujus profecto corporis gleba eccleſiæ non ſuo honori condignæ apud ruinas Quintodecimi commendata, virtutum tamen atque ſignorum fertilitatem gerebat: ubi quædam ſanctimoniales jugè obſequium Deo & ſancto Martyri exhibebant. Illuc proficiſcens itaque cum præſule Beneventanæ urbis, & clero magno, plebis agmine comitante, corpus domini ſui Mercurii illius ferventiſſimæ Magdalenæ inſtar requirens, ac dicens: *Neſcio ubi poſuerunt eum*: Princeps prior aggreditur in nomine domini foſſionem. Cujus incœptu ad certatim fodiendum tam præſul quam ceteri provocantur: ſed reperiendi facta fodiendi difficultas ſpem fere totam inventionis ademit; niſi quod habens ſpiritum Dei princeps, certus erat ac fidens, quia miſericors Deus, qui ſibi deſiderium inquirendi ſacri cadaveris infuderat, effectum deſiderii non negaret. Sicque nox imminens diem diremit & ſtudium. Noctem illam princeps ducit inſomnem, ac viritim ſingulos aggrediens, ut orationibus inſiſtant non deſinit ſupplicare. Adeſt interim in viſione præſuli ſanctus, & ne cœptum deſerant adhortatur. Cumque dici ſol oriens daret initium, comperto quod antiſtiti fuerat revelatum; præſulis ac principis adhortatu tamdiu labori foſſionis inſiſtitur, donec theſaurus optatiſſimus invenitur. Fructu tandem inquiſitionis adepto, cunctorum animis jocunditatis immenſitas generatur, alteriuſque Joſeph oſſa felicia, hoc eſt beati Mercurii filii videlicet accreſcentis ab Ægypto, id eſt a deſolatæ civitatis tenebris amoventur. *In eam corpus S. Mercurii tranferre cœlitus monetur.*

7. Antiſtes & cœtus ordinis clericalis feſtivo habitu & apparatu ſolemni, princeps & optimates ejus ac frequens populi multido, inclytum martyrem Mercurium in jubilationibus Samniam deducebant. Eſt autem ponticulus quidam diſtans a civitate non *Corpus Beneventum approximans immobile permanet.*

multum, quem rivus ſubter fluens prolabitur in Calorum. Super quem videlicet ponticulum bivio tenditur Beneventum, a læva quidem ad portam quæ Summa dicitur, ad dexteram vero eſt iter ad portam quæ Aurea nominatur. Cumque plauſtrum quo onus ſancti cadaveris vehebatur, pertranſiſſet ponticulum memoratum, ſubſtitit de repente, atque aurigas ipſos affixos quodammodo tenuit vis divina. Extemplo antiſtes ſuos humeros cum clero ſuppoſuit, biga tamen perſtitit inconcuſſa, & hoc de mirifici voluntate MERCURII, proprium, ut reor, corpus inviſibiliter ac mirabiliter comitantis. Nec mora omnis ordo, ſexus & ætas, qui intra muros accurrit, tamquam innumerabiles phalanges erumpunt, ut in cleri plebiſque copia poli ſolique accolas diceres concurriſſe. Immenſam igitur cleri populique lætitiam cum invento margarito corporis pretioſi civitatis jam mœnibus propinquantis. Ingens valde triſtitia ſubito perturbavit, verſa eſt in vocem flentium modulatio cantilenæ, & gaudium omnium in mœrorem.

Factis Sancto maximis donis leve & portabile redditur.

8. Fundunt preces in cœlum ſinguli lacrymoſas, ne martyr illuſtris Samnium proprio ſuo corpore mutata divinitus voluntate privaret. Videtur martyr aures ſuas tam cleri quam & vulgi precibus obturare: nam rheda perſtabat immobilis. Tunc Chriſtianiſſimus princeps vehementius dolens, ſe quaſi ad oram littoris naufragari cum opibus acquiſitis, exuit ſe inſignia principatus, & veſtem induit cilicinam, quæ mœſtæ mentis inſinuaret affectum, atque coram corpore venerando excellentiam ſuæ dignitatis humilians, obtulit beato Mercurio dona non pauca, ditia ſatis erga martyrem devotionis indicia. Claves vero portarum totius civitatis cum annuis tributis illi in eodem loco obtulit, ſeque ſervum ejus cum omni vulgo atteſtans, ut moveri dignaretur & ad locum præfatæ aulæ digne ſibi præparatum veniret, eſſetque totius provinciæ tutor atque defenſor. Cum autem birotum adhuc perduraret immobile, promiſſionibus auxit promiſſiones: dicens quod ara ubi martyr ipſe ſe in membris ſuis concederet collocandum, altaribus ceteris principalior haberetur; itaque duobus gradibus emineret, ac diebus dominicis in ſolemniis quoque præcipuis in eadem ara ſacra deberent miniſteria celebrari. Ad hujuſmodi ſponſionem, & ad orationem, propter ſupplicantes vehiculum almi corporis de loco, in quo fuerat divinæ virtutis obſtaculo retentatum, reddita cœpit facilitate moveri. Eximius itaque miles imperatoris ſummi MERCURIUS cum honorificentia ſibi condigna, per portam quæ Laurea nuncupatur Beneventum ingreditur, quam elegit. Præfatus quoque princeps, in tam immenſo miraculo altius conſiderans martyris ſæpe dicti virtutem, vota quæ illi voverat, multo ampliora quam promiſerat reddidit.

Auctor Beneventi laudatur ab ingenuum cultum & gratiſſimus erga D. eum.

9. Armeniam ſiquidem ubi ejus extitit prima nativitas, & Romam ubi diſciplinatum exhibuit Domino crucifixo, diverſos pro eo & horribiles perpetiens ſub Decio cruciatus, eſurie, algore, ſudibus ſolo depactis, cultris, equuleis, igne, fuſtibus, ferro, ſubulis, cauterio, carcere ſqualenti & mille, ut ita dixerim, mortis generibus laniatus, & Cæſaream Cappadociæ, ubi vitam immo potius mortem juguli deſectione finivit, has inquam nobiles civitates Mercurii ſancti dignatio tibi poſtpoſuit Benevente. Illius ergo circa te benignitatem propenſius ô Samnia recognoſcens, quo te præ ceteris urbibus adamavit, eo diligentius, cave ne fias eidem martyri domus exaſperans: immo ad hoc tuum ſtudium enitatur, ut adeo in te ſibi complaceat, quatenus de te dicat: *Hæc requies mea in ſæculum ſæculi, quoniam prælegi eam.* Exaſperas vero tunc Benevento Mercurium, ſi ejus auctorem ad iracundiam non deſines provocare, ſed quid actura ô miſeranda, cum Dominus Deus tuus a te ſæpiſſime in multis & gravibus offendatur. Ceterum congregatio ſanctæ Sophiæ cæleſtibus dedita diſciplinis, in Domini juſtificationibus aſſidue te exercens, quæ tibi martyrem Mercurium ſervas, ipſa tibi ſtudeas martyrem complacere. Ad ejus namque nomen & decus in aula ejuſdem ſanctæ Sophiæ ante altare ſanctorum duodecim germanorum, juxta quod princeps voverat in Domino timoratus, conſtructa eſt ara præſtantior, privilegiata in celebrationibus divinorum, & profecto rationabiliter ac decenter: beatus nempe Mercurius, qui arte ſtrenuus militari propter victoriam glorioſam, quam de copiis barbarorum affatus angelicus eſt indeptus, Romani exercitus creatus eſt princeps, merito ad tutelam Longobardi populi procurandam, obtinet Samniæ principatum: cujus ſancti corporis theſaurus apud Quintodecimum abſconditus, & repertus, repoſitus eſt intra ſanctuarium memoratum, in ara ſuo nomini dedicata, anno decimo principatus præfati domini ARECHIS, ſeptimo calendas Septembris, anno ſeptinteſimo ſexageſimo octavo ex tunc temporis decurrente, quo intra uterum Virginis ſervilem ſe habitum induit filius Regis regum, qui cum eodem in unitate Spiritus ſancti vivit & regnat Deus in ſæcula ſempiterna. Amen.

VITA S. BIBIANI
SANCTONENSIS EPISCOPI
AUCTORE ANONYMO.

Ex veteri codice mſ. Colbertino.

OBSERVATIO PRÆVIA.

BIBIANUS epiſcopus, cujus hic vitam ex veteri codice mſ. Colbertinæ bibliothecæ ante annos ſexcentos exarato, emittimus in lucem, tempore Theoderici regis, qui ab anno 419. *ad* 452. *Gothis imperavit, Sanctonenſis eccleſiæ ſedem occupavit, ſucceſſitque Ambroſio antiſtiti, ut conſtat, cùm ex vitæ ejus ſcriptore, tum ex breviario Sanctonenſi: unde emendandi vulgati indices, qui Bibianum Ambroſio præponunt. Hujus autem cum Romano martyrologio mentionem faciunt Uſuardus, Ado Viennenſis & antiquum martyrologium eccleſiæ Autiſſiodorenſis hic a nobis editum. Meminit & Gregorius Turonenſis in libro de Gloria Confeſſorum, cap.* 58. *his verbis:* Suburbano quoque urbis hujus *(Sactonenſis)* Bibianus antiſtes requieſcit, cujus virtutum moles liber qui jam de ejus vita ſcriptus tenetur, enarrat. *Delituit hactenus in tenebris liber ille: ſequens vero e Moyſiacenſi monaſterio ubi diu jacuerat pulvere obſitus, in bibliothecam Colbertinam feliciter tranſvolavit, exterſo pulvere lucem aliquando viſurus. An vero idem ſit cum libro illo, qui Gregorii Turonenſis venit in notitiam, aliorum eſto judicium. Certe antiquitatem ipſius duplici ex capite repetere poſſumus. Primo quod ſacram citans ſcripturam alia a vulgata videtur uſus verſione. Exemplo ſit hic locus evangelii Johannis* 15. 13. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro ovibus ſuis, *cum in vulgata editione legamus,* pro amicis ſuis. *Et alter ex epiſtola Pauli ad Epheſios cap.* 4. 28. Qui furabatur jam non furetur, magis autem laboret operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat quod tribuat inopiam ſuſtinenti, *ubi vulgata editio legit:* Unde tribuat neceſſitatem patienti. *Secundo cum de Theoderico Gothorum rege loquitur, eum non Theodericum ſed* Theodorum *appellat, quomodo eum appellavere antiqui ſcriptores Sidonius Apollinaris, Gregorius Turonenſis lib.* 2. *hiſt. Francorum, & Fredegarius, qui proxime poſt eum vixit.*

INCIPIT VITA B. BIBIANI & miracula ejuſdem.

Circa ſcc. Prologus. 1. IN exordio mundi naſcentis, ſicut diſpoſitor Dominus univerſitatis ſuperna cœlorum luminaria diſtinxit ordinibus variis, quædam vero inferiori, quædam autem medio, nonnulla quidem eminentiori in iſto zodiaco, quod græce *Galakian* dicitur, circulo ſtatuit ambitu, diverſoque modo eadem voluit propriis coruſcare fulgoribus: ita etiam ſanctæ matris eccleſiæ filios variis cariſmatum decoravit muneribus, qui veluti cœleſtia ſidera mundo huic ſanctitatis atque doctrinæ lumen infundentes, opaca infidelium

corda evangelicæ prædicationis ſplendore irradiarunt, abjectiſque errorum tenebris, ad lumen veritatis quæ Chriſtus eſt, exemplo piæ converſationis & ſedulæ inſtantia correptionis perduxerunt: creditas vero talentorum quantitates in fœnore Dominico expendentes, prout cuique vires ſuffecerunt, lucra exigenti magiſtro reportare moliti, cui rationem reddituri ne crimen inertis ſtudii tandem ſubirent, pervigili cura ejus pecuniæ inſtiterunt, & in multiplicem fructum augmentare non deſtiterunt. Sed & hoc nulli dubio venit, ut qui ſagacieri ſtudio in Dominico quæſtu deſudaverit, majoris præmii dignitate a Domino non jubeatur potiri: quod ut evidentius agnoſcamus, geſtorum ac virtutum tituli ad memoriam reducantur, ubi imago eorum ſanctitatis ac meritorum, veluti in ſpeculo humanis obtutibus repræſentatur, cœleſtiſque bravii immortale decus illis pro modulo piæ converſationis recompenſatum exprimitur. Quanto enim quiſque in ſanctitatis gratia inter humanas pravitates & fluctuantis ſæculi procelloſos turbines vivere ſtuduit liberior, tanto in æthereis arcibus in retributionis dignitate invenitur præſtantior; & qui numeroſiores mundialis pompæ cordis abjectione perfectius ſpreverunt, regiæque dignitatis ſummos apices, ut quibuſdam contigit, pro vili cœno duxerunt, illic æterna dictatoria, Dominofavente, ſuſcepta, perennis gloriæ obtinent ſceptrum, de quorum collegio glorioſiſſimum Dei famulum Bibianum affore novimus, qui regalibus exortus natalibus, labentis atque caduci imperii faſces teneris ſub annis abjiciens, divinis ſeſe totum mancipavit obſequiis, ut in ſenatu cœleſtis curiæ præmio potiretur æterni regni: cui tanta cœlitus gratia exigente meritorum qualitate infunditur, ut & incomparabilis viveret exemplo ſanctitatis, & multos ad cumulum centeni fructus promoveret monitis atque ſedulæ monitionis incitamentis, qui lumen in candelabro ſeptiformis gratiæ poſitus, radios immenſæ bonitatis ac juſtitiæ circumquaque ſpargebat, verbique divini lucernam pedibus rectorum præbebat, per quam cœleſtium mandatorum poſſint videre ſemitam. Hic namque juxta Dominica præcepta columbæ ſimplicitatem ita cuſtodire ſtuduit, ut non etiam amittere videretur prudentiam ſerpentis. Inter bella quippe exercuit vivere pacificus, interque hoſtes minarum ſecurus, ut ejus vitæ ac moribus illud Dominicum concordaretur: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.* Qui ut bonus paſtor quondam pontificali decoratus infula, pro creditis ſibi ovibus corpus ſuum barbaricæ crudelitati objecit, ibi ſi perſecutoris gladius in necem illius efferbuiſſet, martyrii palmam ardenti deſiderio pronus accipere non renuiſſet. Sed divina providente clementia, in confeſſionis gratia perſeveravit, curamque ſibi commiſſam officioſe in divinis cultibus conſervavit, cujus virtutum pretioſa inſignia laudum præconiis commendare conantes, brevitati noſtri ingenii tam difficilem ſarcinam attemptare expaveſcimus, ne deficiente & laboris facultate & volucris curſu ætatulæ tantum opus infectum atque impoſſibilitate diminutum relinquatur incaſſum. Si enim per ſingula tanti confeſſoris ſtili eloquio elugubrare volucrimus miracula, pluralitate ſuperati veremur expenſum fruſtra conſumere tempus, cum a finali meta averſi extremum limen attingere nequiverimus: ſed ne omnino tanti patroni geſta futuræ poſteritati ignota fiant, illius ſuffragantibus meritis ad ſcribendi officium prorumpemus, multiplicitatemque incomprehenſibilem devitantes, pauca e pluribus ſtrictim perſequemur. Littoreas enim arenarum minutias ac grandinum lapillos quis certo valet comprehendere calculo? Quod ſicut mortalibus imperceptibile ſemper manebit, ita & prædicti viri inſignia nullus morti debitus plectro linguæ ſufficienter explicare valebit. Illud tamen dumtaxat lector a nobis expectet, ut ejus deſiderio, licet non ad plenum, ſatisfacere cupientes, ortum atque converſationem per omnia inreprehenſibilem glorioſiſſimi confeſſoris litterarum apicibus exarare procurabimus: ardua quippe virtutum faſtigia quoniam ſummotenus attingere imbecillitati noſtræ prorſus abdicatur, pauca, ut diximus, ante oculos exponemus, ut qui proceræ arboris comas a ſolo legere non ſufficit, ſaltem dependentia ramuſculorum brachia quandoque carpit. Nec tamen hoc noſtræ facultati deputandum ſuccenſemus: ſed quidquid illud erit, quod decurſu præſentis facundiæ concinnatum fuerit, ad laudem & gloriam domini noſtri Bibiani præcipui confeſſoris Chriſti referatur, cujus præſidio innixi, aliquid dignum auditui de eodem proferre non dubitamus; & quia hujus proœmii area non parum litterarum continere videtur, reſtat nunc ut ad promiſſi operis exercitium calami articulum convertamus.

2. Temporibus igitur priſcis, quibus, augmentante divina gratia, religioſa fides terrarum ſpatia per diffuſum quadrifidi orbis latus occupare dinoſcitur, per varia ſanctæ matris eccleſiæ loca quoſdam exoriri Dominus voluit, in quorum mentibus cœleſtis ſapientiæ domicilium collocaret, lumenque veritatis ad illuminationem multorum perfecte inſpiraret: quos variis virtutum diſtinguens generibus, alios doctores, alios vero ſermonum interpretes, quoſdam vero ſanitatum operatores, nonnullos autem futurorum præcognitores in uno eodemque ſpiritu conſtituit, qui veluti ſuperna luminaria lumen juſtitiæ mundo huic infundentes, fanaticis erroribus Dominicum gregem exue-

runt, omnemque ſuperſtitioſæ idolorum cul- A
turæ caliginem prædicando a cordibus infi-
delium deterſerunt: quorum nonnullos fæ-
vitia gentilitatis ſupra modum graſſans, per
miſera ſuppliciorum patibula cœlis tranſ-
miſit martyres; reliquos vero piis operibus
deſudantes, luceque virtutum nobiliter co-
ruſcantes, ſancta mater eccleſia in ſuo gre-
mio fovet quieta pace confeſſores.

S. Bibiani genus illuſtre. 3. Inter quos clariſſimus Dei athleta Bi-
bianus veluti phœbi jubar inter cetera ſigna
luculenter emicat, qui regali exortus pro-
ſapia, æterni regis poſtmodum ſecutus eſt
veſtigia. Licet enim ex ſucceſſione patris, B
qui regia poteſtate Aquitaniæ regionis jura
obtinebat, regis dignitate colendus fuerat;
non tamen ad regale imperium fanaticis er-
roribus tunc temporis implicitum aſpirare
voluit: ſed potius divinæ religioni nefario
privatum imperio ſeſe mancipandum de-
crevit, paternam gentilitatem cum regni
ſolio penitus abjecit, & matris religionem,
quæ invito marito Chriſtianæ pietati inſer-
viebat, maluit totis præcordiorum niſibus
amplecti. Cujus patris vocabulum quia pa-
ganus erat nobis non libuit tangere, ut cujus
vita omnimodis extitit reprobanda, ejus e- C
tiam & nominis nota æterno ſilentio pre-
meretur per ſæcula. Matris vero nomen
ideo viventi paginæ inditur, quia ſub habitu
divinæ religionis caſtam vitam gerens, gra-
tum Deo ſemper obſequium impendiſſe per-
hibetur. Erat enim & regia ſtirpe progenita,
& decore pulchritudinis ſpecioſiſſima, quam-
vis ab impoſitione parentum vocaretur Mau-
Rapiscare & Chriſtianis inſtruitur le- gibus. REOLA. Hæc poſt interitum gentilis mariti
privato more ſtuduit vivere, filium ſuum
Bibianum ad prædicationem cujuſdam ſan-
ctiſſimi viri nomine Marcelli ſacroſancti la-
vacri fecit expiari ablutione, cui deinceps D
tradidit eum docendum ſacrarum pagina-
rum eruditione. Qui beatus puer a Deo præ-
lectus ita doctrinæ fluenta ſitiens exhauſit,
ut brevi temporum intervallo in omni di-
daſcalica diſciplina doctor mirabilis & non
ſolum in litterariæ prærogativa ſolertiæ fiebat
aſtutus, verum etiam omni cautela verbo-
rum præ omnibus coætaneis ejus invenie-
batur prudentiſſimus, elegantia corporis ſpe-
ctabilis, & morum gravitate probabilis. Ju-
venilem pro natu gerebat ætatem, ſed ſe- E
num pro modeſtia continentia vincebat de-
crepitatem. Genere notabilis, ſed nobilior
indole ſanctitatis: qui vitæ ſuæ ſeriem tali
ſtuduit moderari temperamento, ut tam ſubli-
mibus quam infimis ſe æquiparans, amare-
tur amore germano, quum etiam intra ejus
penetralium ſecreta mater virtutum pollebat
caſtitas, per quam & infeſtantis inimici ignea
tela frangebat, & bonorum omnia incre-
menta capiebat, ſicque de virtute in virtu-
tem conſcendens ad ſanctitatis uſque cul-
men ſuccrevit, & in ejus perfectione non
mediocriter efflоruit.

Fit comes Santonenſis quam dignitatem depo-nit, ac ſacris ordinibus decoratur. 4. Talibus quidem decoratus gemmis, cogente, ac ſi dici fas eſt, rapiente populo urbis Santonicæ, unde originis principium ſumſerat, comes conſtituitur, quam non minus virtutibus quam regimine inter Aqui-taneias urbes inſignem facere conatur: quem principatum potius ſarcinam deputans quam honorem, ſpontanea coactus voluntate pe-nitus depoſuit, ſanctoque Ambroſio, qui tunc temporis ejuſdem urbis pontificatum gerebat, ſeſe commendavit: quem depoſita capitis coma idem ſanctus antiſtes ſacris or-dinibus conſecravit; per ſingulos enim gra-dus eccleſiaſticos eum ad altiora paulatim provehens, ad ſubdiaconatus uſque ordinem perduxit, ac denique competenti proceſſu temporis in ordine miniſterii levitam conſti-tuit, quo in gradu, juxta patrum decreta, ſancte & pudice Deo militantem trigeſimo ætatis ſuæ anno ad preſbyteratus eum promovit dignitatem, ubi in tantum ſanctitatis excre-vit cumulum, ut pro incomparabili merito-rum excellentia omnes eum faterentur apo-ſtolicum.

I I.

Deſignatus à S. Ambroſio eligitur epi-ſcopus. 5. Sanctiſſimus igitur Ambrosius dignum ſuis meritis cupiens relinquere ſucceſſorem, in omni regulari diſciplina atque pontificali magnificentia eum conſtituit, ſibique vica-rium poſt ejus diſceſſum præelegit. Poſt cujus exceſſum omnes uno aſſenſu unaque conſpi-ratione tam majores quam inferiores Bibia-num virum juſtum & ſanctum tali honore vociferant dignum, nullumque ſe alium præ-ter eum atteſtantur excipiendum: quorum ſententiæ vir Deo amabilis obſtinatius re-clamans indignum ſe tanto honore adjudi-cat, nec eum hujuſmodi perfectionis eſſe autumat cui paſtoralis debeatur committi cura. Qui dum magis per multas ambages excuſatus abſcedere putat, tanto ardentius incœpta petitione corda omnium inflammat; illi inſiſtunt flagitando, ille faciem ſuam ob-firmat abnuendo. Quid plura? Ut ergo com-perit vir Deo plenus tantæ multitudini nul-latenus ſe poſſe reſiſtere, locum elegit ubi deliteſcens ignarus haberetur populis, ſicque non abrupta montium, non dumoſa invia ſilvarum, non cavernas ſcopulorum expe-tere volens, inter abdita ſacrarii quod prope altare imminebat, latibulum quæſivit, ubi per dies aliquot tectus omnibus occultus ex-titit. O ſancti viri inſigne meritum nullo mo-do altius prædicandum! Quo enim ſecretius latere ſperabat, eo manifeſtius ſe ubique diffundebat. Neque enim urbs in monte po-ſita abſcondi poterat, neque lumen accen-ſum ſub modio tegi debuerat, de cujus lucis ſplendore tota domus eccleſiæ aderat illu-ſtranda. Ex occulto namque Dei judicio luce clarius contigiſſe patet, ut matrona quædam, Benſilia nomine, more ſolito ante ſacrarium orationi incumberet, eique provida Dei diſ-

Quam digni-tatē fugiens occultat ſe.

Detegitur.

penſatione latibulum ſancti viri manifeſtum fieret: qui mox ut ſe agnitum reſcivit, mulierem ne eum detegeret multimodis petitionibus exoravit, ſed precum vota nequaquam obtinuit. Prædicta enim materfamilias licet ſonum verborum intra fauc'um concava repreſſerit, nutu tamen indicis oculi locum tetigit, ac ſic eum paſſim indagantibus liquido indicavit: qui eum tali occaſione proditum a ſecretiori aditu eximentes, omnibus manifeſtant, & ut eorum pontifex fieri annuat votis ſupplicibus efflagitant. Quo comperto, ſupradictus vir Dei MARCELLUS regem adit & regis pictatem depoſc't, quatenus ſanctum Bibianum in omni ſanctitatis probitate virum perfectiſſimum pontificatus apice jubeat ſublimari: cujus petitionibus regalis mox ut annuit dignitas, concito calle Sanctonas repetit, accitoque in unum cleri atque vulgi maximo conventu, cum magno favore ac laudum præconiis ſanctum virum in epiſcopali cathedra honorifice conſtituit, ſicque, Deo per omnia diſponente atque ordinationi cooperante, ſanctus vir Bibianus epiſcopus ſacratur. Quem honorem non ad mundialis gloriæ jactantiam ſe ſuſcepiſſe gloriabatur; ſed potius ad cuſtodiendas oves Dominici gregis tantum onus ſibi impoſitum fuiſſe fatebatur: qui nec honoris proſperitate extollebatur, nec in ullo prælationis titulo ſe jactare videbatur. Sicque fit ut unde inter mortales præerat, inde etiam quotidie in virtutum incrementa pullulabat. Creſcebat enim in eo magis ac magis virtutum excellentia; de cujus ſublimitate ſeſe humilians, ſemper ad altiora ſanctitatis culmina procedebat: cum etiam diutinis jejuniorum parcimoniis corpus attenuabat, illicitas voluptates frangebat, abſtinentia potius quam ciborum eduliis vitam præſentem ſuſtentabat, ſui prodigus, nullius umquam avarus, peregrinorum domicilium, pauperum fomentum, pater pupillorum, maritus communis ſicbat viduarum, mœſtorum ſolatium, levamen lapſorum, portus fugientium, ſalus ægrotantium, juvamen miſerorum, reparatio debilium, atque redemtio frequentiſſime aderat captivorum, omnibus omnia fiebat, ut omnes lucrifaceret juxta apoſtolicam ſententiam.

Et ordinatur epiſcopus.

III.

Gothorũ rex Aquitaniam atque adeo urbem Sanctonicam invadit.

6. Dùm hæc igitur & hujuſmodi numerum excedentia per beatum pontificem indeſinenter agerentur, Gothorum infandiſſima crudelitas atque hæretica pravitas totam pene Aquitaniam invaſit, ſuoque truculentiſſimo dominio flagitioſe ſubjugavit: cujus princeps auctorque ſceleſtiſſimus aderat rex THEODORUS, qui in omni actuum ſuorum tenore dinoſcebatur funeſtiſſimus. Qui dum copias exercitus poſt multarum urbium everſionem ad mœnia dirigeret Sanctonica, in manu forti urbis expugnare cœpit incolas, atque machinis muros obrutos, victor obtinuit omnem patriam, ſicque ferro, igni & rapinis totam urbem depopulans, omnes facultates univerſorum inſatiabili cupiditatis voragine abſorbuit, ac inſuper ſtatu libertatis cunctos miſerabiliter privavit. Denique impiiſſimorum captus conſilio, nobiliores atque paterna ſupellectili potentiores captivitati apud Toloſanam urbem relegavit, ut cum inedia atque angore crudeliter vitam exhalarent, in eorum prædia cenſuſque avitos domeſtici ejus irrumperent: quam nefariam conſpirationem confeſtim permiſit ſubſequi & ſacrilegam actionem. Ut ergo S. Bibianus captivos cives liberare meditatur. diſperſionem gregis ſibi commiſſi pius pater conſpexit, intra cordis penetralia anxiari cœpit, & quo ſe vertat, quamve meliorem viam conſilii ineat, penitus neſcit. Tandem vero illud Dominicum ad memoriam reducit, in quo dicitur: *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro ovibus ſuis.* Quo fretus conſilio commune cujuſvis elegit potius periculum pati, quam ut illis perditis ipſe ſolus vitæ frueretur aminiculis. Sed ne omnino paſtorali abſentes oves fruſtrarentur diligentia, inſtantibus precum votis eas cuſtodire non ceſſabat, & quibus corporali ſpecie abſens erat, animo tamen ac orationum præſentia intereſſe non deſiſtebat; & ut vinculis compeditos a nexibus abſolveret, ſeipſum carcerali ergaſtulo mancipari flagranti deſiderio optabat, mortiſque extrema ob eorum libertatem ſequi non formidabat. Cumque talibus irremediabiliter torqueretur curis, demum ſibi currus vehiculum parari fecit, & ſic jam ſenio confectus jejuniorumque ſqualore maceratus, ad Toloſam uſque provehitur.

Proficiſcitur Toloſam.

7. Jam vero prædictæ urbi proximus factus, populorum devitat conventus, atque in quadam villula commodum ſibi hoſpitium quæſivit ſuiſque ſodalibus. Mane autem facto, dum orationis cauſa glorioſiſſimi martyris Chriſti Saturnini oraculum expeteret, eumque pro abſolutione ſuorum civium obnixis precibus ſollicitaret, boves qui ejus vehiculo deſerviebant furto ademti ſunt, atque jugum domini ſui vacuum reliquerunt. Sed ne aliquod damni diſpendium tanto ingereretur pontifici, perluſtratis circumquaque ſemitis, at ſemper ſuis reciprocatis veſtigiis, ſequenti die latro rurſus, mirabile dictu! ad hoſpitium ejus adductos boves reducit, pedibuſque glorioſiſſimi confeſſoris advolutus, commiſſi veniam poſtulat criminis: quod ille patienter ferens, procumbentem reum ab humo erexit, omnemque noxam ei propitiatus indulſit: quin etiam ſolito pietatis ſtudio pecuniam ei tribuens, commonendo atque exhortando ait: Labori tuo valde, frater, compatior, quoniam noctis hujus excubias in malum duxiſti & tempus, quod

Ergà luxuriã quam benignè fugiebat.

in tuo commodo expendere debueras, in alienæ pecuniæ rapacitate injuste consumsisti: quapropter, carissime fili, jam nunc a tali opere resipisce obsecro, & quia Christiani nominis insignitus es titulo, jussa Christi agere semper stude in omni opere bono; illud etiam te animadvertere commoneo, quod omnibus Christianis scribit Apostolus veritatis prædicator. Dicit enim: *Qui furabatur jam non furetur*. Quid vero sequi debeamus consequenter exponit dicens: *Magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, ut habeat quid tribuat inopiam sustinenti*, & his dictis illius diei victualem alimoniam ei præbuit, atque ita Domino lucratum abire permisit.

IV.

Atque invitatus & cum honore excipitur.

8. Crebrescente igitur fama tanti pontificis, ejus opinio regias aures implevit, eique summam benivolentiam concitavit: qui ex assistentibus sibi legationem ad eum pacifice dirigens, suis adesse fecit conspectibus, familiarique quodam privilegio eum blandiens, cum reliquis episcopis mensæ ejus deposcit interesse convivio; & quia Ariana hæresi rex ille perniciose captus erat, religiosus pontifex mensæ ejus participari mentis intentione spernebat: sed ut perfidiam ejus qualibet occasione lenire posset, non denegavit se acturum, quod regia sublimitas peteret. Paratis ergo epulis, rege ceterisque accumbentibus, adsistentes episcopi more solito regi poculum præbuerunt, & singuli vices suas in tali propitiatione expleverunt. At ubi idem calix ad manus sancti viri defertur, tangere renuit: & quam ob causam indignanti regi innotescere nullatenus abhorruit: Filiis, inquit, matris ecclesiæ calicem æternæ redemptionis ad salutem animarum suarum præbere mei officii esse non abnego, alienis vero filiis qui a veritate aberrantes claudicando mentiti sunt Domino, per manus meas sacris ministeriis consecratas potum tribuere indignum judico, ac per hoc tibi, rex, hanc pateram inferri indignor: quoniam moribus & cultu Christianæ religionis tramite exorbitatus, atque diabolica pravitate imbutus, nisi resipueris nostro obsequio omnino judicaris indignus. Qua indignatione perfidus tyrannus tota mente consternatus insaniis furiis exagitatur, ac toto malignitatis spiritu debacchatur, immoderatis irarum flammis succenditur, ac veluti incitus anguis squammea colla cum trisulcis linguæ aculeis intumescit, illatamque sibi injuriam diris ulcisci minatur suppliciis.

Regi hæreticæ poculum tribuere recusat.

Regis iram per merita S. Saturnini mitigat.

9. Amotis igitur mensis, sanctus pontifex palatium deseruit, ecclesiamque supradicti martyris Christi Saturnini sacra vigiliarum mysteria celebraturus expetiit; sicque factum est, ut dum sequenti nocte impius rex vino tortus & ira cubitum pergeret, & gloriosus præsul lassata veniis (a) membra quieti accommodaret, & ecce per merita sancti martyris sopito regi per visum astitit, & multis eum terroribus concussit; qui pene exanimatus, ut vix a somnii vexatione extorqueretur, iras deposuit, minas perdidit, sanctumque pontificem reverentius habere cœpit, & qui prius truculentus vesania minator extitit, dominante Christo post modum mitis supplicator apparuit. Sole enim orto, pro episcopo misit, eumque ad se verbis paciferis venire coëgit; ad cujus benevolentiam perfecte impetrandam, post quæsitam hesternæ iræ veniam, illud addidit ob cujus impetrationem illuc advenerat gloriosus confessor Christi: ut inquit, beate præsul, omnem iram mihi indulgeas, si quid apud nos est quod oculis tuis placeat, tollendi licentiam habeas, & in tuos usus vindicandi tibi a nobis traditur potestas. Quo audito, vir Dei tantam tyranni feritatem a solo Deo mitigatam agnovit, ac mox vinctos suos petivit, omniumque libertatem obtinuit: quibus a vinculis atque servili conditione solutis, rebusque omnibus restitutis, pius pastor multis ditatus præmiorum copiis, ab impiissimo principe discessit, urbique Sanctonicæ suos cives restituit. Recipit urbs ablatum civium ordinem, & ecclesia pro favore benignum excipit pastorem.

Atque ab eo captivorum libertatem impetrat.

V.

Barbaros Saxones sua vincit ac repellit oratione.

10. Quodam vero tempore, dum barbarica Saxonum crudelitas per altos maris cumulos piraticam exerceret, locaque maritima ferro, igni & rapinis miserabiliter depopularet, classem ad portum qui Marciacus dicitur appulit, totamque ejus viciniam funesta cæde abolevit. Inde majoris ausu conaminis succensi, ad Sanctonicam urbem aciem dirigunt; quam violenti manu invadere disponentes, civiles gazas auferre se dicunt. Ad resistendum ergo tantæ populationi unius civitatis populus non sufficiens, episcopum expetit, & ut Dominum pro tutela reipublicæ sibi commissæ devotis precibus sollicitet præmonuit, ingenti quippe vallatu muros atque propugnacula obsidente barbarico exercitu, dum fundis atque tormentis lapideas moles intra murorum ambitum jaculari properarent, dumque portas robustissima arietatione concutere tenderent, ecce subito innumerabilis exercitus militiæ in summis arcibus atque per murorum propugnacula adstans emicuit, cujus horrifico terrore hostes percussi, retrocedere continuo cœperunt, ac tantæ visionis præstigio in stuporem potius quam in rebellationem conversi sunt. Sic quoque vir Domini orationi incumbens adversus inimicos dimicabat, sic inermis celestibus auxiliis pugnabat, sicque solus, domino adjuvante, salus & publica

(a) Veniæ hoc loco sunt genuflexiones.

libertas fiebat, & quibus armorum inſtrumentis non poſſe reſiſti noverat, eos melius abſque cruoris damno converti niſus eſt orando in celerem fugam. Talibus etenim bellatorum cuneis barbarica gens exterrita, cœlitus per merita ſanctiſſimi Chriſti confeſſoris Bibiani id actum credidit, paceque ac venia quæſita, ad navalem portum rurſus repedavit; atque ita contigit, ut qui urbem zelo rapacitatis invaderant, cœleſti correpti prodigio eam incolumem reliquerunt cum omnibus quæ circa ipſam erant.

VI.

Multis claret miraculis.

11. Interea dum hæc mirabiliter agerentur, fama volans urbes expetit, pontificis excellentiam vulgo diffundit, miſerorum catervas excitat, & ad communem omnium opem invitat: cujus inſtinctu omnis debilitas animatur, & ad percipiendum optatæ ſalutis remedium accelerare pro viribus enititur. Fit ergo innumerus languentium concurſus ad ſancti viri habitaculum, quos & opibus adjutos & ſanitate reparatos remittebat ad proprium. Ad tactum enim illius omnis privatio in priſtinum reformabatur habitum, cœcitas recipiebat viſum, ſurditas auditum, claudicatio greſſum, taciturnitas uſum verborum, & tortuoſa paralyſis directionem membrorum: inter quos etiam quidam morbo elephantino miſerabiliter percuſſus advenit, qui tumore ulcerum & nigredine papularum ab humana ſpecie fere deformatus, vocis etiam cum membrorum liniamentis amiſerat uſum, ſolum ligneis tabellis neceſſaria ſibi requirebat, quia nullum rationis officium formare valebat. Qui cum glorioſiſſimi pontificis præſentiæ ſeſe objiceret, ſignoque ac viſu morbi vitium proderet; illico ſanctus vir pietate ductus, in oratione procubuit, atque pro miſella illius ſoſpitate Dei potentiam totis præcordiorum niſibus ſollicitare ſtuduit: qua completa, oculorum acies cœlo fixit, tactoque leproſo, ab omnibus morbi ſquammis penitus emundavit, talique alteratione miſer ille permutatus & alter cœpit eſſe, & idem beati viri meritis obtinentibus.

Leproſum curat.

VII.

Et puerum viperæ morſu infectum.

12. Eſt & aliud prædicabile miraculum, quod per ejus ſancti confeſſoris merita mirabiliter patratum huic paginæ decrevimus inſerendum. Puer quidam a vipera percuſſus mortiferabiliter inficitur, cujus miſeranda tabe turgeſcens, præ nimiis aculeorum doloribus morti fit contiguus: qui cum ad beatum virum pene jam exanimis bajularetur, ante pedes ejus ſternitur, & ut huic miſero ſolitam opem non deneget a parentibus exoratur. At ille ut erat ſemper miſericordia facilis, ad orationis ſtudium de more ſeſe convertit: qua expleta, miſero acceſſit, cruciſque vexillum ſuper viperoſam percuſſuram depingens, omnem illam peſtem talibus antidotis appoſite curavit, ſicque infuſi veneni lethale malum per infixa foramina foris decurrens, ſine periculi detrimento ab illius emanavit membris, nihilque ei ulterius nocens puerum incolumem dereliquit. Priſtinæ namque malignitatis ſæviſſimus anguis non immemor, hominem proprio veneno extinguere deſideravit, qui pro Chriſto noſtro mortale virus tranſgreſſionis infudit; & ſicut ei generalem fraudulentis ſibilis incuſſit necem; ita & huic inſidioſis odiis adhuc plenus conatus eſt inferre ſingularem: in cujus verſutam calliditatem provida Dei clementia tale nobis contulit munimentum, per quod & veteris parentis deleretur piaculum, & nobis omnibus ſemper ſecurum adeſſet tutamentum. Erexit enim adorandæ crucis trophæum, quod & injuſtæ cautionis communitus eſſet cyrographus & chriſtianæ religionis cultoribus æternæ compararetur ſaluti. Virtute etenim tam pretioſi ſignaculi glorioſus Dei amicus undique fretus vipeream peſtem a puero expulit, totumque incolumem parentibus reſtituit.

13. Tunc vero quoniam ad expedienda glorioſiſſimi Chriſti confeſſoris Bibiani præclara geſta, & virtutum inſignia non temeritate ingenii, ſed potius humilitate mentis profiluimus, operæ pretium nobis videtur, ut qui in minorem relationem operam hactenus impendimus, in majoris meriti magnificentia ſilentio vacare debeamus. Imperitorum ſiquidem ſcriptorum hoc vitium plerumque fuiſſe meminimus, ut in levioribus atque ſuccincto ſermone prætereundis tanta facetia effluant, quatinus prolixiori oratione condigna tamquam feſſi negligendo tranſcurrant. Quod quia vitioſum eſſe cunctis patet intelligentibus, ne & nos in hunc laqueum incidamus, media mediocriter conjectabimus, altiora vero & majoris diligentiæ indigentia ampliori quadam exequutione promulgare ſatagemus. Sed jam prætermiſſis ambagibus, plurimorumque verborum digreſſionibus, ad ſancti viri Bibiani, de quo nobis totus ſermo eſt, virtutes orationis fluenta reflectamus, cujus debitores facti nihil præter ea quæ per eum geſta comperiuntur interponere huic ſermocinationi ſummopere cavebimus, & ne attentioni auditorum prolixa directio tædio fiat, illud cujus cauſa hæc præponuntur, ante oculos fidelium ſine aliqua dilatione jam nunc exponetur.

Mortuum reſuſcitat.

14. Communem viam omni carni ſub funereo exitu cuidam neceſſitas accidit ſequi, membriſque lethali frigore irreflexibiliter rigentibus, flatum penitus exhalavit. Componitur itaque juxta morem ſabano atque ſudarii operimento, levatur feretro, debitoque exequiarum concelebratur obſequio: inde ad eccleſiam ſtipatus undique lugentium cuneis effertur, atque inremedialibus orbatorum parentum ululatibus magna domus atria

atria confundantur, ſacraque baſilicæ aula talibus ſic mugire videtur ſtrepitibus. Ut ergo tantorum queſtuum lugubria lamenta aures ſanctiſſimi pontificis perculerunt, ingenti pietate commotus, tanto dolore compatiens, in fletum & ipſe actutum reſeratur. Accedit ad feretrum, & ut omnes ab incœpto munere conquieſcant, blande cohortatur, & ſic incumbens orationi divinam potentiam profuſis ſollicitat obſecrationibus. Completa vero oratione, ad defuncti corpus accelerat, totumque ſe ſuper ipſum effundens, rurſus pro ejus reſtitutione lacrymoſis precibus cœleſtem virtutem exorat. Stupentibus igitur cunctis qui aderant, verſaque vice præ gaudio lacrymantibus, mortuus oculos aperit, & quaſi de gravi ſopore excitatus ſuſpirare cœpit: quem ſacerſanctus pontifex linteaminibus quibus erat obvolutus expedire præcipiens, parentibus reddidit vivum, quem invida mors huic mundo ſubduxerat vitæ alienum: ſicque in vitalem ſtatum adprime reſtitutus, pedeſtri calle domum rediit virbius, (a) qui ad humandi ultimum obſequium eccleſiæ fuerat inlatus. Quantus ergo per urbis compita fiat populorum concurſus, quantus ad æthera laudantium Deum clamor volutetur, quantæque lacrymæ præ nimio gaudio tam admirandi miraculi fundantur, quis ſermonis facundia evolvere poterit in mortali corpore conſtitutus? Inſatiabilibus enim votis undique cuncti ad tam ſtupendum ſpectaculum circumfluunt, & quaſi de ultima reſurrectione veni.... hunc novum hominem cernere ambiunt, cunctaque membra ejus ſuperluſtrantes.... ſingillatim palpantes, veluti aliena materia reformata ſenſim experiri inardeſcunt, innumeris laudum præconiis virtutem ſanctiſſimi pontificis Bibiani omnes unanimiter prædicant, cujus meritis tanta mortalibus cœlitus conferuntur miraculorum beneficia: tanta namque per beatum virum poterat operari miracula orationum ſublimitas, ut per earum omnipotentem efficaciam, ſicut ſuperius jam prælibatum eſt, tyrannicam Ariani regis ſuperaret ſævitiam, & a barbaricæ gentis crudelitate urbem liberaret, delegata ei cœleſtis militiæ multitudine copioſa: orationibus denique malignorum ſpirituum ab obſeſſis corporibus effugavit larvales furias, ac debilium membra invalida reparavit robore, cæcis viſum reſtituit, caliginoſam oculorum lippitudinem tali collyrio deterſit, claudos recto itinere currere fecit, tabenteſque leproſorum artus in novam formam depoſitis maculis reparavit, virus etiam infuſum a percuſſo ejecit, nunc etiam inter cetera mortuum a mortis faucibus mirabiliter extorſit: quæ omnia per ejus merita Chriſtus Dominus dignatus eſt potenti virtute operari, cui corpore & ſpiritu ſine intermiſſione deſerviens adhærebat in omnibus obſequiis.

(a) Virbius dicitur quaſi bis vir, eo quod revocatus ad vitam quaſi bis vir fuerit.

IX.

15. Sed ne tanti viri ſanctitas unius regionis coarctaretur anguſtia, neve ejus vitæ cognitione extimarum regionum fraudarentur loca, multi ex diverſis partibus ad urbem aſſuerunt confluere Sanctonicam, qui poſt peracta ſuæ utilitatis commoda, repedantes ad propria, multa ſuis civibus ac contubernalibus de ſancto viro recenſebant ſatis admiratione condigna. Unde procaci ſtudio omnes promiſcui ſexus tam nobiles quam inferiorem gradum tenentes, ejus præſentiam conſpicari inardeſcunt, tantique antiſtitis benedictionibus firmari votis omnibus concupiſcunt; & quem inopinatum audiebant virtutum longe lateque coruſcari fulgoribus, ejus inſatiabili deſiderio captabant quolibet modo uti affatibus, atque ita contigit, ut ab Eois partibus non tam ad exequenda mercimoniorum lucra, quam ad prædicti pontificis cernendam præſentiam negotiator quidam adveniret; ſuiſque conſpectibus quam vehementius poterat ſeſe inferret. Quem vir Domini, ſicut erat blandus in verbis, benignus in reſponſis, ſuaviſſimus alloquiis, mox ut ante ſe conſpexit, unde regionum extiterat interrogavit, cujuſve rei gratia hoc advenerat, quove nomine cenſeretur fari promonuit. Qui ut nomen patriamque intimavit, protinus ob ejus contuendam præſentiam præ omnibus huc adiiſſe ſubjunxit: cujus reverentiam mente pertractans epiſcopus ad ſe divertere fecit, omniſque humanitatis obſequium præbens, familiari quodam eum privilegio inter ſuos cariſſimos conſtituit. Sicque & verbis eum blandæ exhortationis & exemplis piæ converſationis, ac omnino tam univerſarum virtutum incrementis quam corporalis neceſſitudinis ſtipendiis fovere non deſtitit. Fit ad eum ex omni regione po, celeri acceſſus.

16. Neque huic tanta beneficia ſoli contingebant negotiatori ſed etiam omnis vigor eccleſiaſticus illic ejus quotidianis paſcebatur prædicationum fomentis & pabulo reficiebatur æternæ redemptionis, firmabatur auctoritate evangelicæ doctrinæ, ac ſale conditus cœleſtis ſapientiæ, in nullo phantaſtici erroris deviabatur pravitate. Nam ut fidelis diſpenſator ſanctiſſimus præſul ei evangelici tritici tempore congruo non ceſſabat ſubrogare menſuram, ne aliqua famis inedia ad cœleſtia habitacula tendens Chriſti familia deficeret in via. Vigilabat omni tempore piis ſtudiis inſiſtendo, ne repente paterfamilias adveniens eum dormientem præoccuparet in qualibet otioſa negligentia torpendo. Qui etiam ovium ſibi commiſſarum ita ſtrenuus paſtor curam gerebat, ut & regiminis tueretur cuſtodia, & in ſuis actibus imitanda bene vivendi cis oſtenderet exempla. Sicque in ſemetipſo turrem virtutum conſtruere ſtudebat, ut con-

tra mundi adverſa fortiter dimicando, eis etiam quibus præeſſe videbatur, ſecura fieret in omnibus tutela. Crucem vero Dominicam in carnis ſuæ maceratione quotidiano uſu ferebat, in cujus geſtamine Domini videbatur ſequi veſtigia. Quam videlicet crucem, juxta divina præcepta, non ſolum bajulabatur in corporis attenuatione, ſed etiam in proximorum miſeranda compaſſione. Ergo ſanctitatis tam ſublime meritum ne diutius aliis terrarum provinciis abnegaretur, divina providentia credimus actum, quod ſermone vulgante proferre non trepidamus in medium.

Sanguinem illius pulveri permixtum colligit mercator ac pro reliquiis veneratur.

17. Sub ejuſdem namque temporis articulo quo prædictus negotiator beati viri domeſtica potiretur familiaritate, idem pontifex eccleſias circuibat de more, eodem ſe comitante cum aliis negotiatore. Dum ergo iter inſtitutum perageret, divino nutu, ut poſtea compertum eſt, ex abundantia ſanguis ex naribus ejus guttatim cœpit defluere, atque cum ſuppeditaneo permiſceri pulvere, quo certi curſus meatum compeſcente, hinc ſeſe cum ſuis ſanctus præſul ammovit, ac nulla animi conſideratione tantum beneficium aliquatenus perpendit. Negotiator vero illius comes itineris, ut tam pretioſum theſaurum ſibi a Deo collatum vidit, poſterius latuit, ſanctaſque reliquias pio amore cum ipſa arena collegit, quas nitido linteamine conſtringens, in hoſpitio ſuo latenter ſervavit, ac ſic poſt paulum ad propria remeans, contubernali ſocietate ſecum ovanter detulit, ut hoc reliquum ævum illius pro magni fiat monimento amoris, quem corporea nequibat præſentia ſemper habere præſto ſuis redditus vicinis.

X.

Sanguinis illius præſentiam ferre nequeunt dæmones.

18. Expletis ergo mercimoniorum ſuorum quæſtibus, dum proſperis aquilonibus negotiator ille vela inflavit, patriamque navigio repeteret adunco morſu anchoræ ſcapha portum tenente, antequam rupis mœnia cum ſacro reliquiarum pignore ſubiret velis, indiciis Dominus publicare voluit, quanti meriti cruor ille exiſteret, quem in linteolo cum pulverea arena religato, ab occiduis partibus ſecum deferret. Nutu enim divini numinis cogente, intra urbis ambitum dæmoniaci quidam horrificis clamoribus coram omnibus cœperunt vociferari, & quaſi ante conſpectum ſanctiſſimi pontificis aſtitiſſent, ne eos torqueret poſtulare: inter quos horridos ſonos meritum ac nomen ejus omnibus aſtantibus penitus produnt, cunctoſque tam cives quam ſuburbanos de tali relatione ſollicitos reddunt. Tunc illi quorum melior ſententia menti erat, conſilio inito, ad portum legatos celeri curſu dirigunt, nautaſque ac negotiatores diligenti cura ſciſcitari præcipiunt, ſi forte aliqua in parte orbis, hujus vocabuli quàndoque invenirent, virum cujus notitiam ad eos intolerabilis tremor deferret vexatorum. Cunctis igitur ignorantibus, atque hujuſmodi opinionis virum ſe ullatenus ....ere atteſtantibus, negotiator ſecum cœpit volutare tacitus famamque agniti pontificis talibus revelatam illico agnovit præconibus. Quem cum turba fidelium, utpote diverſa regionum loca perluſtrantem, de prædicti viri agnitione, & quis eſſet ille Bibianus epiſcopus diligenti perſcrutatione percontarentur, rogabant ut ſi forte corporali ſpecie præſens adeſſet, eis detegeretur, ut ei dignum obſequiorum impenderetur munus cujus ſanctitatis opinio jam præceſſerat ad eorum auditus. Cujus præſentiam ille veris denegans aſſertionibus, apud Sanctonicam civitatem eum ſe nuper vidiſſe ſanumque diſcedens ibidem dimiſiſſe, reſpondit omnibus. Cui illi: Eſt ne, inquam, virtus aliqua quam tecum quolibet modo his de tanto pontifice advehis partibus? Quicquid enim illud eſt quod afferas, diabolicus ultra quam credi poteſt contremiſcit impetus, ac formidoloſis rugitibus, tamquam in præſentia ejus, exclamat ſe cruciari prædicti pontificis virtutibus: unde omnes ingenti admiratione ſtupentes, te, qui illis advenis ex partibus, jam nunc obſecramus, ut ſi quid de eo pro honore religionis, tecum reſervas occultum, nobis facias manifeſtum, quod pro magno munere ſuſcipientes, digno venerabimur obſequio in perpetuum.

XI.

Sanguis ille magno cum honore ſuſcipitur.

19. Agnoſcens igitur mercator ille tantum thеſaurum non poſſe diutius apud ſe latere, convocatis majoribus in unum, rem omnem ordine expoſuit, ac poſtmodum cruorem ſanctum in linteo obvolutum eis manifeſtavit. At illi exultantibus animis divinitus collatum ſibi munus excipientes, omnem clerum ac populum utriuſque ſexus in unum cœtum congregaverunt, ſanctaſque reliquias a portu ad urbis mœnia choris pſallentibus turbiſque ante & retro gratiarum actiones excelſis vocibus modulantibus deportaverunt: in quarum occurſu omnis debilitas in virile reparatur robur, ſanitas ægris infunditur corporibus, diabolica phantaſia humanos rugiendo atque ululando deſerit artus, tantuſque virtutum floreſcit fructus, ut etiam linguæ plectro inexplicabile videtur, quid illic pro amore famuli ſui dignatus eſt operari Chriſtus Dominus. Fit ergo ibi glorioſus pontifex nomine ac meritorum virtute opinatiſſimus, ubi uſque ad diem illum fuerat omnino inauditus, ſicque Galliarum populis habetur venerandus, ad quos non corporali præſentia dirigitur, ſed tantum in ſanguinis ſui modica portione præſens efficitur: cujus ſanguinis reliquias pro virtutum excellentia devota plebs ſumma veneratione amplectitur, atque ſacro in loco recondens ad tutelam & liberationem

patriæ ſpeciali gaudio frequentare nititur : in quarum ſuſceptione ſibi atque omni patriæ magnum credunt adveniſſe præſidium, ſalutareque remedium, cum & immundos ſpiritus earum adventum & præconiſare atque immenſo terrore conſpexit formidare.

Bibiano adhuc viventi eccleſia ædificatur.

20. Sed ut ſanctiſſimum pontificem pro meritorum culmine Dominus ubique glorificaret, ex communi conſilio majorum ac minorum conjuratio proceſſit, ut baſilica conſtrui debeat in honore tanti confeſſoris : qua conſpiratione ad effectum uſque perducta, glorioſus pontifex adhuc ſuperſtiti corpore aras promeruit ſuo dicatas nomini, ubi devotiſſima fidelium turba ejus præclara depoſcit merita ſumma veneratione, innumeræque virtutes crebreſcunt, ſuperna gratia corporaliter inhabitante. Sic geminatis honoribus a Deo præ omnibus ditatus dicatur ſummus pontifex, ſic Orientalibus præſens adeſt in virtutum operatione ; Occiduis vero non minus miraculis quam etiam præſenti præſto adeſt corpore. Illos fovet virtutum gratia, iſtos vero ſignorum ac prædicationum inſtantia ; in utriſque tamen patronus reſulget mirabilis, in utriſque doctor inſignis, in utriſque pater & fovens coruſcat ſublimis : ob cujus reverentiæ cultum eccleſiam paulo ſuperius memoratam, Severus qui tunc temporis Galliarum imperabat populis, & ædificiis poſtmodum ampliavit, & rebus opimis affluenter ditavit, ubi quotidie per merita ſancti confeſſoris tanta virtutum vernant beneficia, ut divina ibidem credatur plerumque adeſſe præſentia.

XII.

Eccleſiam eadem conſtruit ac conſecrari curat, & eodem die obit.

21. Inter præclara namque ſacrarum actionum ſtudia, quæ in divinis aſſueverat expendere cultibus ammirandæ ſanctitatis præſul Bibianus, baſilicam in honore beati Petri apoſtolorum principis conſtruere angelica revelatione ammonetur, in qua ut pontificalem ſedem conſtituat idem præſul miſſo a ſtellifero cardine legato imperatur : quam cum provectioris jam ætatis ſenio confectus miro ac præclaro opere conſummaſſet, agnoſcens prophetico ſpiritu, unde ſemper plenus reſulſit, diem ſuæ reſolutionis imminere, mirabili diſpoſitione ita tacitus deliberavit, ut uno eodemque die & eccleſiæ celebraretur conſecratio, & ſacri corporis ejus funereis exequiis ageretur tumulatio. Diſſimulato igitur proprii obitus tranſitu, coepiſcopos e vicinis urbibus ad tantam dedicationis ſolemnitatem convocat, & ut propinquum tempus ſuæ diſceſſionis noverat, trium dierum adventui illorum ſtatuit ſpatia. Denique accitis ſuæ familiaritatis domeſticis tam fidelibus laïcis quam & clericis, pacis oſculum ſingulis tradidit, diemque ſuæ depoſitionis liquido intimavit, & quomodo ejus ſacra membra tumulo conderent, denotavit : de ſtatu vero eccleſiaſtici ordinis, ut eum in ſublimitate ſemper cuſtodirent, ſuper omnia promonuit ; & ut ſub jugo Dominicæ religionis militantes intemeratæ pacis fœdera inviolabiliter ſervarent obnixis precibus depopoſcit. Sicque per triduum illos in omni ſanctitate atque cœleſtium mandatorum eruditione exhortans, die tertio præſentibus epiſcopis, ac diverſi ordinis clericis, poſt innumera virtutum inſignia, poſt inenarrabilia pietatis ac juſtitiæ beneficia, terræ corpus deponens, cœlorum regno ſpiritum reddidit, ubi cum Chriſto regnans inter ſupernarum virtutum collegia ſtola immortalitatis decoratur, bravumque perennis vitæ adeptus, æternæ gloriæ ſertis honorifice laureatur. O quantus omnium per urbis mœnia luctus intonat ! O quantus dolor omnium concutit præcordia ! quantus gemitus magna confundit atria, quantave lamenta utriuſque ſexus vulgo reboant per urbis ac ſuburbii compita, ferit etiam altus clamor æthera, ac æmulis vocibus clauſtrorum remugiunt cava penetralia. *Pupilli atque orphani amiſſa* paterna viſcera flebilibus vocibus acclamant, viduæ generalis ſponſi lugent diſpendia, ſenes ſuæ imbecillitatis baculum ac ſuſtentamentum voce conqueruntur tremula, miles omnis firmiſſimam dolet amiſiſſe tutelam, eccleſiaſticus vigor paſtoralem lamentatur omnino perdidiſſe cuſtodiam : quin immo omnis gradus viventium tanti patroni deflet exceſſum, a quo ſemper omnibus commune ac ſalutiferum opime confluebat bonum : cujus honor & gloria quantæ dignitatis haberetur in cœleſti patria, ut cunctis mortalibus divina oſtenderet clementia, inter ceteras ſanctorum martyrum reliquias ad dedicationem eccleſiæ delatas, glorioſiſſimi confeſſoris ſacra bajulantur pignora, ut quorum gloriæ participabatur in æthereis arcibus, eorum ſocietati in terra pariter jungeretur. Merito etenim communi laudum præconio celebrantur in terris, quibus communis gloria, eadem claritas, ſimilis jubilatio permanet in aſtris ; hic humanis venerabiliter honorantur laudibus, illic vero angelicis ovantur & ſublimantur plauſibus. Hic variis modulationum organis ad ſanctæ matris eccleſiæ gremium deducuntur, illic inæſtimabilibus cantorum concentibus æterni regni ad ſublime thronum per angelicas manus evehuntur. Provida enim Dei diſpenſatione agitur, ut eccleſiæ conſecratio & ſanctarum reliquiarum ubi nunc a fidelibus populis coluntur ſtatio, necnon & glorioſiſſimi confeſſoris Chriſti ſub unius diei ſolemnitate celebraretur veneranda tumulatio, cujus ſacer ſpiritus v. calendarum Septembrium trabea carnis exutus, liber cum angelico exercitu cœlorum *agalma* penetrare meruit, gloriaque & honore coronatus, Chriſto ſub principe palmam obtinet æternæ felicitatis, civiſque ſuperni ſenatus in albo cœleſtis mi-

litiæ adſcriptus, ante majeſtatem adſtat jugiter omnipotentis Patris, cui eſt cum Filio ac Spiritu-ſancto æquus honor, ſimile imperium, virtus eadem, ac poteſtas per æterna ſæcula. Amen.

VITA S. DONATI EPISCOPI.

Ex mſ. Caſinenſi eruit Mabillonius.

Circa annum 400.

DESIDERANTI tibi, famula Dei Anaſtaſia, ut vitam beati DONATI epiſcopi de Græco in Latinum tranferrem ſermonem, videlicet ut merita ipſius, quæ legendo cupis decurrere, melius intelligendo cognoſcas; cum tibi apertius naturalis locutionis janua patefacta, & totum ſubtilitatis admiſceris ſenſum. Nam & mihi hanc rem infructuoſam eſſe non arbitror, ſi tanti viri virtutes, quæ non niſi gratioris* litteris continentur, per me etiam latine ſcribantur lectoribus. Orationibus ergo tuis adjutus, facta, ut dixi, de alia in alia lingua libri tranſlatione, religioni tuæ direxi, ut habeas quod & libenter legere, & legendo religioſe poſſis imitare.

* f. græcis.

Temporibus Theodoſii principis erat in provincia Syriæ veteris in civitate quæ dicitur Euria ſanctus DONATUS epiſcopus. Sub ipſius territorio civitatis, eſt poſſeſſio quæ dicitur nomen Iſoria, in qua eſt tranſitus publicus. In ipſo erat fons aquæ tam noxius, ut ſi quis exinde biberet, ſtatim moreretur. Quod audiens homo Dei Donatus, convocatis ad ſe clericis dixit: Fratres cariſſimi, accepto ſancto evangelio & cruce, eamus ad locum fontis; & oratione facta, deprecemur Dominum, ut effugetur malum quod in aqua eſt. Et quidam timore receſſerunt, quidam vero ſecuti. Cum ergo perveniſſent ad locum, ſtatim tenebrato nubibus cœlo, fulgura ac tonitrua terribiliter iruperunt, ita ut aqua fontis & ipſa quoque animalia metu effugerent. At homo Dei Donatus vectus aſello, intrepidus proceſſit ad locum aquæ: unde exiens draco immanis ingenti impetu venit in occurſum ejus, caudaque pedes involvit aſelli, reliquo ſe contra Donatum erexit volubile. Quem Donatus, facta oratione ad Dominum, uno feriens verbere flagelli, extinxit draconem. Tunc convenit populus in unum, & in ſtrue lignorum ingenti compoſita immenſam beſtiam de fonte ſublatam ſuppoſito igne conſumſit. Tunc enim nimio labore defectus populus, cœpit ſitis ardore fatigari, & tamen non audebant adhuc ſuſpecti fontis poculum appetere. Approximans autem fonti homo Dei, facta oratione, Donatus orarium ſuum plicans in circulo, poſuit in terra, ipſeque rediit ad turbas, dixitque puero ſuo, Accipe ſtolam & vade ad locum, ubi me vidiſti ante modicum ſtare orantem, & invenies aquam, quam hauriens affer ut bibamus. Vadens autem miniſter juxta verbum ejus, invenit fontem aquæ novum, quam hauriens detulit ut biberet. Qui gratias agens Domino, benedicens bibit, deditque omnibus in circuitu ſtantibus, ſimiliter oravit & pro fonte priori, & curatus eſt; utrorumque fontium aquæ humanis uſibus ſalubertimæ factæ ſunt, &c.

Poſt multa alia: Rediens ad locum ubi draconem occiderat, deſignavit oratorium ſibi ad ſepulturam, ubi & poſitæ ſunt reliquiæ ejus.

In eodem codice habetur paſſio S. Fortunatæ virginis & martyris, cum hoc prologo.

Sanctorum martyrum paſſiones idcirco minoris habentur auctoritatis, quia ſcilicet in quibuſdam illarum falſa inveniuntur mixta veris. Et quamquam in aliis parum ſit falſitatis, in aliis tamen parum eſt veritatis. Pauciſſimæ vero reſtant, quæ totum quod verum eſt ſonant: & aliæ quidem honeſto, aliæ autem ruſticano ſunt ſtilo prolatæ. Unde factum eſt, ut quidam tractatorum doctiſſimi quaſdam ex ipſis venuſtæ pulchritudinis veraciſque dignitatis ſtilo reſumerent atque corrigerent: ſicuti reverendæ memoriæ Ambroſius Mediolanenſis civitatis epiſcopus, beatiſſimæ Agnetis virginis paſſionem poſt alios iterato propriæque locutionis dictatu ad ſanctimoniales feminas ſcribens protuliſſe invenitur. Sicuti beatus quoque Gregorius papa Romanus de geſtis ſanctæ Felicitatis & filiorum ejus in homeliis factum recolit. Ego igitur tantorum virorum auctoritate provocatus, tuiſque ſimul venerabilis pater Stephane, crebris exhortationibus animatus, paſſionem ſanctiſſimæ virginis Fortunatæ hac ratione ſtilo propriæ locutionis expreſſi, ſuperflua ſcilicet reſecans, neceſſaria quæque ſubrogans, vitiata emendans, inordinata corrigens, atque incompoſita componens: quæ in tantum erant abſurda, ut cum fidem ejuſdem paſſionis vellem exprimere, nihil poſſem de illius verbis adſumere. Et tamen niſi hanc prius vitiatam

legiſſem, emendatam edere nullatenus potuiſſem. His itaque neceſſario breviter ſtrictimque præjactis, ad textum promiſſæ narrationis veniamus.

Igitur ſacratiſſimæ virginis Fortunatæ Cæſarea Paleſtinæ ceſpes & patria fuit, &c.

A *In fine codicis hæc leguntur.*

Hunc librum ſcriptum anno Incarnationis MX. indictione VIII. feliciter. Martinus peccator & ſcriptor libri hujus, habebat in converſione monachorum annos III.

VITA S. APOLLINARIS
VALENTIÆ AD RHODANUM EPISCOPI,
AUCTORE ANONYMO COÆVO.

Ex mſ. reginæ Suecia, nunc Vaticano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

VITAM S. Apollinaris Valentinæ urbis ad Rhodanum epiſcopi, Romæ deſcribi curavit Mabillonius ex mſ. codice reginæ Suecia. Auctor anonymus ætatem ſuam indicat non ſemel, cum teſtem ſe oculatum eorum quæ narrat non uno profitetur in loco. In conſpectu Arelatenſium urbis Rhodano famulante PERVENIMUS, *inquit num.* 7. *Et numero* 9. *agens de Paragorio, qui Sancto alapam inſtixerat:* eum qui vinctus fuerat locum tenere VIDIMUS inconceſſum, indignantibus NOBIS. *Denique num.* 10. Ad matutinas laudes nobis conſurgentibus. *Ex quibus patet auctorem non modo coævum, ſed etiam Apollinari ipſi familiarem extitiſſe Hinc colliges quanti vita iſta, etſi breviſſima, ab eruditis piiſque viris æſtimanda ſit.*

Porro duo potiſſimum ex illa diſcimus, primo exactum in epiſcopatu ab Apollinari tempus, nam cum de morte divinitus præmonitus, conſacerdotes & propinquos viſitavit, trigeſimum quartum pontificalis officii annum complebat. Secundo Sigiſmundum regem, quem eccleſia ſanctorum albo inſcripſit, primis regni ſui annis non adeo compoſitis fuiſſe moribus. Et certe cum Gondebaudo Burgundionum regi Arriano ſucceſſerit, eadem tabe infectum fuiſſe non dubitamus, cum thronum aſcendit regium. Ab Avito Viennenſi præſule S. Apollinaris fratre, ad fidem catholicam converſum fuiſſe auctor eſt Agobardus Lugdunenſis antiſtes, eo in opuſculo quod adverſus Gundebaldi legem conſcripſit, cui concinit Ado Viennenſis epiſcopus in Chronico, ubi ait Sigiſmundum regem in fide pietatis *eruditum fuiſſe a S. Avito. Ad cujus etiam ſanctitatem non parum etiam contulit reddita ſibi a noſtro Apollinari ſanitas.*

Porro Apollinaris Iſicii ſenatorii primum viri, poſtea Viennenſis epiſcopi filius fuit, fratrem habuit S. Avitum Viennenſem antiſtitem, ſororem Fuſcinam Deo ſacratam. Subſcripſit concilio Epaonenſi anno 517. *Extant ad eum plures inter Aviti epiſtolas, ſcriptæ ſcilicet* 12. 25. 54. 63. 78. & 79.

Incipit vita beatissimi APOLLINARIS *episcopi Valentinæ civitatis super fluvium Rhodani.*

Circa 520.

1. QUantum se omnium vita sanctorum beatis actibus sacrisque virtutibus non solum præsenti clarificavit in sæculo, sed æternitatis quoque sæculis extulit in futuro: tantum fidelium sensibus reatum abusionis exhibent, si linguæ taciturnitate denegatis præconiis negligantur. Et licet sufficiat eis præsentia gaudia laborum vicisse compendiis, tamen memoriæ fraudantur a posteris, si succedentibus sæculis vivacia facta silentio denegentur; & licet orbis totius spatia gestorum admiratione compleverint, & nullus sit Christiani nominis locus, qui aut electorum gloria careat, aut operum felicium laudes ignoret, tamen nos admonent APOLLINARIS summi facta pontificis, ne prætereat sedulitas votis, quod nequit lingua exæquare successibus.

S. Apollinaris genere nobilis.

2. Igitur beatus APOLLINARIS Valentinæ urbis episcopus, apud Viennam & natus & institutus est, qui nobilis genere, ortu conspicuus, natalium titulos mentis fastigiatione sublimans, dum pastoris cura gregem sibi creditum paterna gubernatione foveret, & melius eum constat emicuisse virtutibus, quas pro immensitate gestorum præterire maluit imperita præsumtio, ne tanti viri merita indignis aggressa suffragiis, non tantum mandaretur dictis, quantum verborum confunderetur injuriis. Tamen quod mundanæ vitæ propinquante jam extermihio eum egisse recolimus, tam præsentibus quam futuris sæculis aperimus, ut prædicandis actibus exemplisque gloriosis æmulatione laudabili posteritas excitetur.

Regis indignationem incurrit ob excommunicatum incestuosum.

3. Itaque accidit ut quidam ex officio regis SIGISMUNDI nomine Stephanus, qui super omnem dominationem fisci principatum gerebat, defuncta ejus conjuge, sororem uxoris suæ sibi illicite conjugii consortio cumularet: qua de re sancti ac beatissimi apostolici viri AVITUS & APOLLINARIS, qui secundum carnem germani, in Christi vero opere famosissimi fratres omni semper in tempore, operibus mancipati divinis, nobilitatis eorum cognita prudentia, doctrinis sacris spiritu fervente eruditi, synodalem institutionem servantes, cum reliquis pontificibus simul in unum congregati, ipsum Stephanum sacra communioue privati sanxerunt, ut calcata scilicet humanæ fragilitatis impudicitia, incestum quod justitia superna damnavit, inhonesta præsumtio non audeat vindicare. Tunc rex diræ insaniæ permotus furore, beatissimos pontifices, eis insidias prætendendo, injuriare non desinebat. Sed apostolici atque mirabiles viri, terrenas res minime formidantes, imperiis.... armati, ita se justitiæ vinculo nexuerunt, ut quælibet supplicia eisdem inferrentur, ut sæva passionum tormenta tolerarent. Visum est enim illis, ut in oppido civitatis Lugdunensium, quod nominatur Sardinia, pariter tamquam exilio deputati, auxiliante Deo, comitarentur. Videns vero rex ille constantiam eorum incorruptibilem esse, ab ira non desinens, præcepit ut pontifices, qui ibidem habitarent, ad propria reverterentur, & singillatim per singulos menses regem operire deberent. Sed quia beatissimus APOLLINARIS in condemnatione Stephani perseverans videbatur, ipsum primum studuit observare. Tunc omnes lacrymis divinam potentiam obsecrantes, ne se derelinquerent, valedicentes, celebrata oratione profecti sunt. In quo loco dum vir Dei morarum spatia necessitatis causa sustineret, ab ardenti æstu fluenta Rhodani tepefacta sunt, ut a sitientibus ex eo aqua potari non posset. Et quia nullus puteus, neque fons, unde aqua hauriri deberet ibidem reperiebatur, beatissimus vir firmans se Spiritu-sancto, de virtutis non ignotæ potentia securus, confert se ad locum a Deo designatum, & secretius præcepit suis sarculum exhibere: quo exhibito, oratione impleta, ait ad eos: In nomine Patris & Filii & Spiritus-sancti hunc locum aperite. Mox hoc facto, annuente illo qui aquas fervere jubet, in corde terræ fons exorsus est, & quamdiu beatissimus pontifex ibidem moratus est, beneficio omnipotentis Dei aquam sibi placitam semper habere promeruit. Post discessum vero ejus fons siccatus est, ut omnes agnoscerent meritis servi Dei fontem ipsum obsequium suum detulisse, & ad pristinum cursum fuisse reversum.

Fontem divinitus impetrat.

4. Cumque rex ille virum illum apostolicum nec videre vellet, sed magis injurias prætendere studeret, qui est meritorum rectissimorum judex & immensæ virtutis laudabilis, celerem ultionem demonstrans, contigit ut ipse rex illico ita vim febrium incurreret, ut potius funebris quam vitalis esse crederetur. Tunc regina ipsius fide accensa, alacri festinatione pervenit ad locum ubi beatissimus pontifex præsidebat, & avida devotione petebat, ut intercessione ipsius domni ejus incolumitatis donum reciperet. Sed vir Dei abdicata mundanæ elationis efferentia, eundi famulatum omnimodis denegavit: magisque regina illa lacrymis pedes ejus rigans poscebat vel cucullam ejus sibi præstari, quam super regem sternere deberet. Victus fletibus cessit; quæ cum, tribuente Deo, supra virum suum fiduciali constantia fuisset expansa, statim effugata infestatione febrium, vel si qua alia impugnatio videbatur, prosperitatis munus emeruit. His actis, reminiscens rex ille facinus quod admiserat, licet grandi confusione repletus, tamen exultans, quod suffragante pontifice per vesti-

Rex expansa super se sancti omnia a febre curatur.

Ab eo veniam petit.

menti ejus tegmina, priſtinam meruiſſet confequi ſoſpitatem, percurrens primum ſtuduit tanti miraculi, tantæque virtutis largitate latices, quos Dominus ſervo ſuo benignitatis munere tribuit, ut oculis viſibilibus cernere mereretur. Agnita virtutis gratia, venit ad virum Dei, & amplectens pedes ejus, coram poſitus, cum exultationis fletu, veniam poſtulabat dicens: Peccavi, inique geſſi, dum juſtis indigne ſæpe intulerim tribulationes. Nam quæ expugnari neſcit juſtitia cœleſtis, hoc ipſo quo impugnat fortior eſt. O cœleſtis regis indulgentia, qui peccantium animas non vult perire, ſed culpas! O virtutum gloria, quæ per famulum ſuum APOLLINAREM, reſutatis mundialibus curis, gemina gratia claruit virtutis! Denique aſſiſtens prò juſtitia inſaniam regis tumidamque ejus ſuperbiam reprimit, & orationis effectu a languore mortali quo detinebatur abſolvit. Dignum ergo eſt, ut non ſilendo denegentur, quæ divinitas in ſervis ſuis operatur, ſed populo credenti, Deo auſpice, pateſiant.

Demente divinitus admonitus ad cauſſarcendas & propinquos videndos properat.

5. Ergo cum pontificalis officii curſum triceſimo & quarto anno venerabilis vitæ compleret, ſuperna admonitione commotus, ad viſendos conſacerdotes propinquoſque ſuos properare decrevit, dicens ante tranſitum ſuum quod tam celeriter imminere divina revelatione cognoverat, velle ſe tam liminibus S. Geneſii (a) martyris, quam conſpectibus pontificum atque affectibus propinquorum præſentanea contemplatione præbere. Tum iter diſpoſitum curſu navigationis arripuit. Et quamvis ceteros pernicis Rhodani fluenta terrerent; tamen in ipſius ſancti pontificis meritis confidentes, inter undarum minas tuti ſecundis æſtibus properabant, ut deditum amnem caſibus, tunc manifeſtum ſit caruiſſe periculis. Sempiterni ergo regis admiranda & non ignota potentia, dum ſuis ſanctis flumina ſubdidit, qui ſibi quondam æquora patefecit, & fluvius qui mortifera rapacitate terrere prius noverat, juſſione Dominica didicit famulari. Jamque ſomno aquarum deſpecta ferocitas per navigium ſopore corpora ſolvebantur: ita ut & beatus antiſtes ſecuritatem quam vigiliis meruerat, dormitione monſtraret, qui tamen viribus inſopitis, diabolum quem ſæpe inſomnitate vicerat, mentis indefeſſæ aggreſtione confudit, quod etiam ſequens patefecit eventus.

Agitatus Rhodani undis ſedat & de navem ab accepitio ſurgit.

6. Namque cum jam in conſpectu naturæ firmatam munimine arcem demonſtraret Avenio, navigium ſanctum antiſtitem quod gerebat, ſubitaneis fluctibus excitatis cœpit diabolica emiſſione vexari, ita ut poſſet navigium obruta deſperatione turbari, cum eſſet potius valde dormientis gubernatione ſecurus. Tunc quidam diaconus, Claudius nomine, in parte ipſius lectuli reſidens, librum S. Hilarii lectionis ſtudio percurrebat: qui reſpiciens vidit unum ex pueris nomine Alifium, dæmonis impugnatione vexari, quod non ſolum perturbatione membrorum, verum etiam hinnitu, mugitu & balatu pecorum fatebatur. Cumque cerneret periculum navis miſeriæ iſtius ſucceſſione ſubmotum, ſtatim ſanctum importuna aggreſtione a ſomno compulit excitari. Cumque ab eo quoque vir Dei tam calamitatis ſeriem, quam metum præcedentis periculi cognoviſſet, ait ad eos lacrymans: Grande certamen cum adverſario humani generis nunc geſſimus in ſopore: quod in veritate conſtare ſubſequens demonſtravit exemplum. Nam dormiens procacitatem repreſſit undarum, dæmonium ab arrepto corpore evigilans effugavit, quæ virtus ut periculum quoque evaderet vanitatis, per ſuum eum voluit curare preſbyterum; qui vix tandem antiſtitis juſſione compulſus, & manum ei impoſuit & quietem priſtinam, diſcedente diabolo, revocavit. Et quia ipſe preſbyter impugnationem dæmonis ſæpius ſuſtinebat, hoc magis ſanctus intendit epiſcopus, ut ab eo adverſitas ipſa in nomine Salvatoris ſe depelli cognoſceret, quem infeſtatione crebra aggreſſus fuerat ſuperare: nam utercque ſanitate recepta orationibus ſancti pontificis in ſe perfeciſſe ſuam ſalutem perpetua curatione docuere.

Arelate honorifice excipitur.

7. His actis, dum a cunctis grates divinæ potentiæ redderentur, in conſpectu Arelatenſium urbis, Rhodano famuiante, pervenimus, ubi ſanctus atque præcipuus domnus CÆSARIUS epiſcopus, plebis quoque comitatus obſequiis, pariterque LIBERIUS (a) præfectus officio ſtipante circumdatus, & ſedulo occurrere gaudio, & certis eum excoluere ſermonibus, confidentes quod in adventu ejus divinam miſericordiam accepiſſent. Hoc civitas gaviſa præſidio, populorum exultavit ſtudiis. Hinc S. APOLLINARIS civibus annuens pauliſper precibus moras indulſit, ubi a conſanguineis ſuis PARTEMIO (b) & FERREOLO (c) aſſiduo veneratur occurſu, quique pro ſalutis ſuæ commodis multis honoravere muneribus, quæ indigentium manibus prope totum retinuit urbs devota quod dederat. In quo loco dum horarum ſpatia caritatis cauſa protraheret, ARCULAMIA ſenatrice propinqua ſua invitante, Maſſilienſium nos vota ſuſcipiunt, ubi dum præce-

Maſſiliam accedens amiſſos recuperat ſolidos.

(a) Hic Arelate cum ſacra Chriſtianorum in theatro irridendo repræſentaret; divino lumine illuſtratus, & ex animo factus Chriſtianus, Salvatoris fidem ſuo ſanguine obſignavit.

(b) Extat apud Caſſiodorum lib. 7. epiſt. 6. Athalarici regis epiſtola ad Liberium præpoſitum Galliarum ſeu præfectum prætorii.

(c) Hunc Partemium ſeu Parthenium eum eſſe conjicio, qui poſtea, teſte Gregorio Turonenſi lib. 4. hiſt. Franc. c. 34. fuit epiſcopus Gabalitanus.

(d) Ferreolum illum, eumdem eſſe exiſtimo cum Ferreolo, de quo Sidonius Apollinaris Nemauſum profectus lib. 2. epiſt. 9. ad Domidium ait: *Inter agros amœniſſimos apud humaniſſimos dominos Ferreolum & Apollinarem tempus voluptuoſiſſimum exegi.*

dens memoratus diaconus festinaret, a socio A itineris LEONE nomine, veridica responsione cognovit, ipsos solidos, qui eleemosynis superfuerant soluto lineo perdidisse. Tunc diaconus ille meritorum pontificis securitate confidens, ait ad eum succensendum: Est nobis, ne pereat quod est pauperibus deputatum. Itaque revertentes sparsos totos solidos protinus invenerunt, nec potuit rem sacra largitione jam pauperum, arenarum quæ exceperat fraudare congeries.

Surdum & mutum sanat.

8. Accidit hic ipso operante clarum & grande miraculum. Nam quidam surdum & mutum filium exhibentes, quam geminam calamitatis causam dæmonis assiduitas veteratorie nutribat, suppliciter postulabant, ut ab hac tribulatione S. APOLLINARIS orationibus sanaretur, quem ille per presbyterum suum secretius ecclesiæ jussit induci. Ubi dum fuisset oleo sancto linitus, ut fuerat pontificali jussione præceptum, statim imbecillitate submota, salutis præmium, diabolo fugiente, promeruit.

Paragorius sanctum alapa percutiens immotus manet, a quo libertatem recipit.

7. Deindeque post dies aliquos cum sacerdos ipse inæqualitate detentus consurgere ad deprecationem .... non valeret. Qui dum in lectulo suo tolerandæ infirmitatis causa quiesceret, quidam ex custodibus cubiculi Paragorius nomine, dæmonio instigante commotus, ad lectum ipsius insania ducente pervenit. At ipsius adversarii persuasus audacia, alapa non timuit vultum violare pontificis. Quod opus nefarium propria religatione condemnans, factum est ut pontificis viribus suisque ausibus necteretur. Nam grabbato cui admotus fuerat statim hærens, mansit immotus. Nos vero redditis Deo de more præconiis, dum cubiculi cellula nobis redeuntibus patuisset, eum qui vinctus stabat locum tenere vidimus inconcessum, indignantibusque nobis, cur quod reverentia vitari solet, præsumtio vindicaret, causam rei gestæ tam verbis ipsius sancti, quam hærentis taciturnitate cognovimus. Tunc servus Dei, fugato diabolo, absolutionem capto precibus exoratus indulsit, factoque in uno geminæ claruere virtutes, ut quem potestas vinxerat, benignitas liberaret.

Orans cœlesti lumine irradiatur.

10. Leubaredus quoque archidiaconus ipsius servi Dei eo tempore obsequiis inhærebat, qui cum ad matutinas laudes reddendas nobis consurgentibus defuisset, & Claudius diaconus causam ab eo hujus inofficialitatis exquireret, remotis officiorum sociis, sollicitudinis voto ad cellulam domini Apollinaris, inquit, accessi, quam cum immenso lumine fulgere conspicerem, integritatem ipsius investigare cupiens miraculi, studio devotionis exarsi, cumque inter patentes januas inserto lumine videre cuncta posse me credidi, quamquam magna claritate terrerer, tamen quanto fulgor magis creverat, tanto miraculum evidentius noscebatur. Nam noster patronus & pontifex utrisque manibus ad cœlum extensis, oculis apertis, vultu ad superna porrecto, mentem sequi corpore videbatur, ut fide non dubia paterna regna cœlorum, etiam corporalibus oculis inspicere crederetur. Erantque ante eum & post columnæ duæ mirabili proceritate conspicuæ, ardenti lumine radiantes, ceterosque singulos gemino gestantes in vertice: qua claritate deterritus, & gaudiorum magnitudine tremefactus, revertens lectulo membra prostravi, tantum enim sum visionis ipsius ordine pavefactus, ut oculis hauriens æterna, mortalibus sufferre terrenis sensibus cœlestia non valerem. Itaque jacui & vigore corpusculi depressus lætitiæ mole succubui. Tunc sæpedictus diaconus: Et quidem, ut narras, gaudiorum timore confectus, sed exultare te convenit, quod cernere meruisti visibus altiora mortalibus. Deus enim omnipotens ad confirmanda pectora fidelium suorum, tanta incitamenta semper tribuit, ut suo gubernet imperio.

11. Hæc retuli gesta quæ memini, quæ terris magister ipse affectans cœlos insignibus reliquit exemplis. Nam ipse remeandi tantum spatium consecutus, cœlos petens, mundum quem contemserat mox reliquit. At vero Valentina urbs quem tunc flevit amissum, urbs decora pontificem destinasse ad superna assiduo nunc gaudet advocatum.

Explicit vita S. Apollinaris episcopi ecclesiæ Valentinæ.

PETRI

PETRI DIACONI CASINENSIS MONACHI PROLOGUS IN VITAM S. PLACIDI.

Ex mſ. Caſinenſi eruit Mabillonius.

OBSERVATIO PRÆVIA.

VITAM S. Placidi a Gordiano monacho conſcriptam, & a Petro diacono interpolatam edidit Mabillonius ſæculo 1. *Benedictino; ſed ea omnino diverſa videtur ab illa quam poſtea vidit in bibliotheca Caſinenſi ab eodem Petro compoſitam: initium quippe & finis omnino diſcrepant. Prologus etiam in ea deſideratur, & in fine* epiſtola Stephani Anicienſis in paſſionem S. Placidi martyris. *Scripſit præterea Petrus diaconus libellum* de locis ſanctis, *quem Guibaldo ſeu Wibaldo Caſinenſi & Stabulenſi abbati nuncupavit, aliumque libellum* de ortu & vita Juſtorum cœnobii Caſinenſis, *cujus tantum capitulorum titulos deſcripſit Mabillonius.*

Et hæc quidem opuſcula extant hactenus manu exarata in bibliotheca Caſinenſi, ex quibus hic ea tantum dabimus, quæ ſola excerpſit Mabillonius, ſcilicet Prologum in vitam S. Placidi, epiſtolam Stephani Anicienſis, nuncupatoriam epiſtolam libro de locis ſanctis præmiſſam, quæ ad illuſtrandas preclaras illas Wibaldi abbatis epiſtolas a nobis tom. 2. *editas non parum juvare poterit; denique indicem capitulorum libelli de ortu & vita Juſtorum Caſinenſium.*

Fuit autem Petrus Romæ ex illuſtri genere natus, patre Ægidio, Gregorii Romanorum patricii & conſulis filio; quinquennis beato Benedicto oblatus, cum Incarnationis annus 1115. *volveretur, Girardo abbate Caſinenſe monaſterium adminiſtrante. S. Placidi vitam anno ætatis ſuæ* 23. *hoc eſt Chriſti* 1133. *aggreſſus eſt. Lothario imperatori adeo carus fuit, ut ad ſe vocatum inter capellanos Romani imperii locaverit, a ſecretis etiam eum fecerit, logothetam, exceptorem & auditorem Romani imperii. Mortuo Lothario imperatore, conſolatorias ad Richizam imperatricem ſcripſit epiſtolas a nobis editas tom.* 1. *hujus collectionis. Redux ad ſuum monaſterium plura conſcripſit opuſcula quorum indicem habes in Chronici Caſinenſis lib.* 4. *cap.* 66. *Porro cum Diaconum ſe Caſinenſem appellet ubique, merito redarguas Guillelmum Caveum, qui eum Oſtienſem & alios qui Lateranenſem diaconum efficiunt.*

Incipit prologus Petri diaconi in vitam vel obitum S. Placidi diſcipuli S. Benedicti.

Anno 541. GYmnoſophiſtarum morem ferunt eſſe doctores, ut cum ad laticis hauſtum ſumendum Gangem ad fluvium venerint, ſul-

A vum metallum deſpicientes, ſuis ſub pedibus calcent. Quod ego Petrus Caſinenſis archiſterii indignus diaconus advertens, ita te, Gregori præſul venerande, jubente, Placidi exaravi ſanctiſſima geſta, ut ejus nihil deſit ex vita, cum aliquid deſit ex virtute ſignorum. Enimvero cum hoc opus veſtra mihi injungere vellet paternitas, noſtraque exi-

guitas propter tanti cœnobii perturbationem noſtrique exilii ærumnas id aggredi recuſaret, vobiſque hoc opus, qui in dictandi ſcientia ſplendes, imponere vellem, veſtra ſagacitas tali mē reſponſione obſtruere cœpit: Cur inani tædio de Caſinatis cœnobii oppreſſione afficeris; numquidnam neſcis quia

Si cecidit Sinai mons, quilegem dedit olim:
Quod periiſſe tamen ſua munia credere nollim.
Regula namque manet digitis deſcripta ſacratis,
Tradita diſcipulis Mauro Placidoque beatis:
Si rex Antiochus ex auro vendidit aram,
Lege labore novam Machabæus reſtruet aram,
Lator ait legis; vobis præſentior adſum,
Poſt mortem quoque nunc dicam clamantibus adſum.

Et ſi tantus pater ſe præſentiorem poſt ſuum e mundo receſſum promiſit futurum, cur de talibus perturbationibus triſtis incedis? An jam oblivioni dediſti quibus anguſtiis quibuſque perſecutionum generibus affecti ſunt omnes veritatis prædones? An mente ceſſit a tua quia levitas Jesus Christus Dominus noſter ſegregavit ad annuntiandum toto orbi evangelium ſuum? Hi enim ſunt ſeptem ſtellæ in dextera Dei, & ſeptem candelabra aurea lucentia ante eum, ſeptemque ſpiritus Dei ſeptem tubas tenentes miſſi in omnem terram. Numquid nam ignoras quia ſervus de abſconſo talento torqueri jubetur? Tantis igitur, præſul amande, aſſertionibus auctus, imperio ſuccubui veſtro, & ad beatiſſimi vitam exarandam animum erigere cœpi. Unde reor non ſine ſuperni regis nutu animo hoc hæſiſſe in tuo, ut tanti patris paſſio a Gordiano deſcripta transferretur. Nam cum ab ipſis B. Benedicti temporibus in Caſinenſi gymnaſio ſapientes quamplurimi fuerint, & iſtius paſſio de græco in latinum a nullo tranſlata fuiſſet, hocque omnipotens Deus per nos tempore veſtro implere dignatus eſt. Diſponebam præterea opuſculum iſtud ad Ptolomæum Romanorum conſulem dirigere: ſed prius cenſui eum tuo renitenti cothurno elimare: veſtri tamen erit operis, pater venerande, ut ſi aliqua non æqua ordinis lance protulero, a vobis emendentur. Nam viceſimum tertium ætatis agens annum, diſcipulum, non magiſtrum eſſe decebat. Superni igitur regis munimine fultus tanti patris vitam ſcribere ordiar.

Incipit Vita.

Poſtquam ſummi regis dignitas lucis ſuæ radio idolorum tenebras pepulit ac procul fugavit, multos per orbem eccleſiæ ſuæ donavit viros, qui ceu ſidera cœlum, ita & hi ejus eccleſiam vita ac miraculis adornarent, &c. *Deſinit.* Beatiſſimi Placidi glorioſis meritis intervenientibus Domini noſtri Jesu Christi, nullus ambigat uſque in hodiernum diem pro noſtra ſalute Virginis qui in ventrem deſcendit, devictoque mundi principe, captivitatis noſtræ formam vehens ſecum locavit in arce, qui vivit, &c.

Hæc vita habetur etiam in codice 361. *ubi originalis videtur.*

Poſt hanc paſſionem in codice 449. *ſequitur ſermo Petri diaconi Caſinenſis in paſſione S. Placidi martyris.* Beatus igitur Placidus ex linea ſenatoriæ dignitatis erumpens Romanæ civitatis indigena fuit, &c.

Epiſtola domini Stephani Anicienſis in paſſionem S. Placidi martyris & ſociorum.

Sub Sancti Spiritus diſciplina degentibus ſanctis viris qui in eccleſia Caſinenſi cœnobialis exercent militiæ pietatem, Stephanus Anicienſis indignus & ultimus ſervus eorum, ſpiritum Eliæ duplicem promereri: Philoſophos cœli vos eſſe, & cœleſtem philoſophiam profeſſos ſpiritale tirocinium veſtrum docet, & ipſa rerum clamat electio meliorum. Elegiſtis partem optimam cum Maria: & de Ur Chaldæorum egreſſi, Ægyptique tenebras fugientes, montem ſanctum, montem coagulatum & pinguem, ut Dominum Sabaoth videre poſſitis, ſingularitate converſationis & vitæ ſpecialiter obtinetis. Depoſita vetuſti hominis cruditate, in cœleſtium transfiguramini novitatem, & ſedentes in ſpeluncæ oſtio, cum Eliæ ſuſpenſis deſideriis ad æterna ſentire vos credimus ſibilum auræ tenuis veſtris ſine ſono cordibus inſonantem. Ad ſolatium peregrinationis & ærumnas temporalis exſilii demulcendas foditis diligenter & ſtrenue puteos ſcripturarum, in quibus eſt aqua viva, & in nocte mortalitatis iſtius tres panes evangelicos exigitis ab amico: ut aqua refectionis potati, verique panis ſoliditate cibati, in fortitudine cibi hujus montem Dei Horeb quandoque ſicut viriliter, ita & feliciter attingatis. Securi jam de adipiſcenda cohabitatione ſanctorum, viros confeſſionis & gratiæ, qui vobis ſemitam perennis vitæ ſuis veſtigiis expreſſerunt, ea teneritudine amatis & colitis, ut quaſi commilitones in bello, ſed futuros concives in regno, divinis cultibus honoretis, eorumque pro viribus induatis ſimilitudinem pariter & figuram. Placet vobis imitari quæ colitis, & ne fames verbi Dei, quæ opprimit terram Chanaam, & ſummos etiam patriarchas aliquando peregrinari compellit, fines veſtros violenter invadat, poſt ſcripturas canonicas, ſanctorum paſſiones & geſta humiliter recenſetis, & in eis velut in ſpeculo vultus nativitatis veſtræ refigurare gaudetis. Unde & Placidi martyris veſtri triumphos pariter & agones, qui Latinorum incuria diu ſilentio ſepulti erant, cum apud Græcos egregie vixerint atque floruerint, de Græco eru-

tos produxiſtis in lucem, & ut eoſdem ſtilo mediocri editos, verbis ornatioribus & magis propriis debeam colorare, poteſtativæ precis inſtantia poſtulatis. Auctoritatis veſtræ mole depreſſus, munus quod tam ſolemnis vox exigit, negare non poſſum : ſed timeo parti meæ, ne puſillitas pauperaſcentis ingenii veſtris viſibus impar appareat, quia & apud vos novi eſſe fontem aquæ vivæ ſalientis in vitam : & tanta eſt veſtri hujus martyris claritudo, ut eloquio meo infacundo ſatis & tenui, obnubiletur potius quam clareſcat. Sapponam tanto oneri cervicem meam, & imperii veſtri pondus ſubjectis humeris ſubſtinebo, ut Placidi monachi pridem, nunc martyris, commilitonis olim veſtri, nunc tutoris pariter & patroni, ſinceriſſimam paſſionem ea qua poſſum ſermonis integritate perſtringam. Non erit opus martyrium beati viri rhetoricis ſententiarum vel ornare coloribus, vel floribus inveſtire, cum tantus ſit in hac hiſtoria pietatis ſplendor virtutum vel operum, ut ipſe etiam proprietates rerum, quæ exprimendæ ſunt, ſermonem coloratiſſimum extorquere poſſint etiam ab invito. Nec in nos aliquis vel nimis diligens, vel minus cautus devolvere velit calumniam, quaſi jam ſeneſcenti in mundo novum martyrem inducamus ; cum autenticus ſit martyr iſte, non rudis, nec novitius, ſed antiquus, teſte Orientali eccleſia, quæ triumphos illius per Gordianum monachum expreſſos in græco venerata eſt ab antiquo ; & Juſtiniano imperatore teſtante, qui per ſacram imperii, Vigilio papæ directam, canonizari fecit ſancti hujus martyris paſſionem. Nos quoque eorum ſequentes veſtigia, expreſſam ab eis in Græco veritatem reformabimus in latino : & quaſi in via veteri novam ſemitam figurantes, ita mediocriter incedemus, ut & ſatisfaciamus negotio, & aurium veſtrarum delicias prolixitate ſuperflua minime vulneremus.

Incipit prologus Petri diaconi Caſinenſis ad Guibaldum Caſinenſem & Stabulenſem abbatem in libro de locis ſanctis.

DOmino ſuo ac patri in Chriſto venerabili GUIBALDO Dei gratia ſacri Caſini montis abbati, Petrus Caſinenſis diaconus debitæ obedientiæ famulatum. Quanto cupidinis igne, pater in Chriſto venerande, exarſerim, ac quali quantove deſiderio, ut vos omnipotens Deus de adverſis eriperet exoptaverim, ipſum Deum invoco teſtem, quem mentis abdita, quem conſcientiæ occulta non fallunt, quia & de ipſis animi motibus generis arbiter creditur futurus humani. Sed quia juxta prophetæ elogium in manu hominis non eſt via ejus, nec ab homine, ſed a Domino greſſus hominis diriguntur, noſtris id facinoribus exigentibus, non eſt factum quod humana aviditas concupivit, ſed quæ Deus arbiter meritis humanis competere indicavit. Nam cum omnium pravorum graſſante impietate, eccleſiæ Dei ſtatus quotidie labefactari cernatur, & fere, ut ita dicam, nullus adverſus eos inſurgit pro domo Iſrael, partim amore, partim timore ſecularium poteſtatum : idcirco auguſtæ memoriæ dominus noſter imperator LOTHARIUS veſtram beatitudinem in Caſinenſi cœnobio abbatem inſtituit, ut ea quæ ad correctionem malorum & ſalutem bonorum attinent, ſollicite ac diligenter pertractares, & effrenatos refrenares, ac ſuperbos humiliares : quatenus recuperata *juſtitia*, & reſtaurata *religione*, cœtus eccleſiaſticus ſibi juſte ac miſericorditer ſervire, ac pro Romani imperii ſtatu Dei omnipotentis clementiam exorare queat. Unde non immerito ab omnibus probis ac ſapientibus diligeris ac veneraris. Nam quis tanti viri familiaritatem ſpernat, affabilitatem contemnat, induſtriam fugiat ? Nam ut omittam cetera maxima & egregia veſtri ingenii muſimenta inſignia, cunctos præcellentis Romani imperii ſapientes Tulliana eloquentia ſuperas, & anteceſſorum veſtrorum largam munificentiam omnibus horis momentiſque præcellis. Tantis, inquam, & talibus vos cernens ſertis redimitum & laureis decoratum, itinerarium de locis ſanctis a nobis utcumque exaratum, & ex omnibus, ut ita dicam, libris collectum, veſtræ paternitati deſtinare curavi, poſcens id a veſtra eminentia roborari, in quo rogo non dictantis ignaviam, ſed materiam attendatis utillimam. Nec novi vos & incogniti hactenus aliquid in hoc itinerario ediſcituros, ſed ea quæ jam viva voce illis referentibus qui ad ſepulchrum Domini perrexerunt edidiciſtis, vel ea quæ per volumina diverſa librorum legiſtis, nos hic noveritis collegiſſe. Quæ autem indeclinabilia & immania impedimenta a perfidis & ſceleſtis utroque genu claudicantibus nobis obſtiterint, non jam Deum, verum vos ipſos conſcios ; vos ipſos fideles corde clamaverim teſtes. Ceterum ad tantillum ſpatii, quod elargitate divinæ indulgentiæ relictum eſt, iſtud opuſculum cœleſti munificentia edidi, confidens nihilominus de Deo, de noſtris æmulis quandoque nobis victoriam collaturum. Sicut enim numquam fit opus ſolidum vel decorum, ſi artifex omnia prout ratio poſcit non aptet ; ſic omnis ſcriptor manans multimoda verboſitate nullam habebit valentiam edendi ſcripturam dulcedine fertam, prout Horatius ſtrenuiſſimus orator in ſcriptis ſuis reliquit, dicens :

"Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.

Si poſtquam ſcribere conetur materiam non rimetur. Jam vero Chriſto auſpice hujus proëmii iſte ſit finis.

Explicit prologus, incipit liber de locis ſanctis.

Status urbis Jeruſalem pene in orbem circumactus, non parvo murorum ambitu aſſurgit, quo etiam montem Sion intra ſe recipit, qui a meridie poſitus, pro arce Urbi ſupereminet. Major pars civitatis infra montem jacet, a planitie humilioris collis ſita: cujus in magno murorum ambitu octoginta quatuor turres, portas ſex habet. Prima porta David, &c. *Multa habet auctor ex Beda de locis ſanctis.*

Notandum eſt quod dicit de ſudario Domini his verbis. Sudarium vero cum quo Chriſtus faciem ſuam exterſit, quæ ab aliis Veronica dicitur, tempore Tiberii Cæſaris Romam delatum eſt. Arundo vero cum qua caput ejus percuſſum eſt & ſandalia ejus, & lora cum quibus ligatus eſt, & circumciſio ejus & ſanguis ejus in baſilica Conſtantiniana Romæ venerabiliter honoratur. Aliud quoque aliquanto majus linteum in eccleſia veneratur, quod fertur a ſancta Maria contextum, duodecim apoſtolorum & ipſius Domini continens imagines, uno latere rubro, & altero viridi. Circa Jeroſolymam aſpera ac montuoſa cernuntur loca, &c.

Incipit ortus & vita Juſtorum cœnobii Caſinenſis Petri diaconi.

1. S. Benedictus abbas.
2. S. Maurus diaconus.
3. S. Martinus, de quo Gregorius Dialogorum libro tertio cap. 16.
4. S. Feliciſſimus.
5. S. Fauſtus.
6. S. Conſtantinianus.
7. S. Antonius ſepultus eſt cum Conſtantiniano in monaſterio B. Mauri.
8. S. Placidus, ejus vita ſuo ordine habetur cum hoc titulo, Incipit prologus Petri diaconi in vita vel obitu S. Placidi diſcipuli S. Benedicti. Gymnoſophiſtarum, &c.
9. Simplicius B. Mauri ſocius in Gallia.
10. Conſtantinus.
11. Simplicius Conſtantini ſucceſſor in Caſino.
12. Vitalis.
13. Bonitus.
14. Severus. Hic fuit epiſcopus Caſinenſis, ejus vitam Petrus diaconus dedicat Seniorecto cum hoc titulo: Sanctiſſimo ac in monaſtico præſidenti gymnaſio SENIORECTO abbati abbatum eximio, Petrus Caſinenſis diaconus quidquid in cœlo terraque felicius. quod a veſtra injunctus potentia Severi paſtoris egregii vitam orſus ſum ſcribere, dilecti filii veſtri RAINALDI hujus archiſterii diaconi ſolers exegit inſtantia: qui nequaquam priſcorum tantum libris contentus, ceu regina Saba habendi cupidus, ita & hic a veſtra eminentia deſiderat aliquid novi divinique accipere, &c.
15. Valentinianus, patris Benedicti diſcipulus poſt ſanctiſſimum Benedictum quintus in Lateranenſi cœnobio, quem Bonitus abbas deceſſor ſuus ex conceſſione Pelagii papæ conſtruxerat, primus ibidem Caſinenſem congregationem rexit.
16. Theodorus poſt Valentinianum tertius ibidem abbas effectus, vita ſanctitateque præclarus, ibidem quievit.
17. Gregorius monachus Terracinenſis.
18. Speciоſus ejus germanus.
19. Paulinus patris Benedicti diſcipulus, Caſini mortuus, & ſepultus in ipſo loco ubi poſtea eccleſia S. Stephani conſtructa eſt. Hujus corpus ODERISII abbatis tempore dum inventum fuiſſet, dæmoniacus quidam ibidem veniens, confeſtim ſanatus eſt. Tunc abbas cum patribus S. Paulini corpus inde elevans, in muro eccleſiæ S. Andreæ apoſtoli reverenter locavit.
20. Auguſtinus B. Benedicti diſcipulus, juxta corpus S. Paulini cum aliis duobus ſepultus Caſini, ejus corpus itidem in eccleſiam S. Andreæ tranſlatum.
21. Petronax.
22. Carolus imperator.
23. Radchis rex.
24. Paulus diaconus Caſinenſis monachus, innocentiæ, humilitati, ſilentioque ultra humanum modum operam dabat. Ibique uſque ad finem vitæ ardue ſatis ac diſtrictiſſime vixit. Sepultus vero eſt in Caſino ante capitulum.
25. S. Apollinaris abbas habetur ejus vita cum hoc prologo, qui ſic incipit: Incipit prologus Petri diaconi in vita vel obitu S. Apollinaris abbatis.

Reverendiſſimo academiciſque floribus adornato RAYNALDO Caſinenſis archiſterii diacono, PETRUS ultimus ejuſdem cœnobii filius bravium perennis victoriæ. Enixius admiranda omnibuſque laudibus virorum ſollicitudo eſt attollere acta ſanctorum, &c. Tu vero, pater in Chriſto cariſſime, & nimium nimiumque ab ipſis, ut ita dicam, crepundiis indiſſolubili inevulſibilique mihi conglutinatus amore, ſecundum ſuperexcellentem & ſupereminentem regis tubam eximii...., opuſculum iſtud a me ſimpliciter exaratum, tua renitenti ancipitique elimare romphæa ne pigeat, &c.

26. Deuſdedit martyr.
27. Bertharius martyr.
28. Aligernus.
29. Guinyzo. Prolixa vita cum prologo.
30. Januarius.
31. Lucius Caſinenſis monachus, ab eodem cœnobio egrediens Jeroſolymam petiit, indeque revertens, primo apud Salernum in quadam eremo, in loco qui dicitur ad Cayam, aliquandiu manſit: poſtmodum vero in monaſterio hoc loco Albaneta vocabulo monaſterium conſtruxit, ibique cum triginta circiter patribus converſari religioſiſſime cœ-

pit. Ipſe autem præ ceteris omni vilitate & extremitate contentus, ita humili ſe officio mancipavit, ut farinam in piſtrino ad panem faciendum famulorum more diſcerneret, cum interim de ore illius Davidica cantica numquam ceſſarent, in cujus vitæ humilitate & auſteritate ad finem vitæ perduravit. Sepultus vero eſt in monaſterio Caſinenſi.

32. Johannes prior.
33. Conſtantius preſbyter.
34. Johannes abbas.
35. Johannes abbas.
36. Felix.
37. Salvius.
38. Angelus.
39. Azo.
40. Johannes Veneticus.
41. Stephanus Veneticus.
42. Paulus.
43. Gregorius.
44. Raynerius martyr.
45. Adam manſionarius.
46. Benedictus Sardorum epiſcopus.
47. Benedictus preſbyter.
48. Gauferius.
49. Theodemarius preſbyter.
50. Ebizzo.
51. Gluderius.
52. Almannus.
53. Fortunatus.
54. Alphanus.
55. Guarinus.
56. Stephanus.
57. Deſiderius.
58. Petrus.
59. Oderiſius.
60. Bruno.

Ita in indice capitulorum. Præterea elogium habetur Randiſii monachi ſub Deſiderio, Sergii ſub Gerardo, Azonis ſub eodem Gerardo: Gebizonis vita prolixa habetur. Item S. Aldemarii preſbyteri Caſinenſis.

VITA SANCTI GODONIS
ABBATIS OYENSIS
IN DIOECESI TRECENSI

Ex mſ. codice clariſſimi viri domini Breyer *canonici Trecenſis.*

OBSERVATIO PRÆVIA.

SEquentem S. Godonis abbatis Oyenſis vitam accepimus ab erudito viro domino Breyer, *inſignis eccleſiæ Trecenſis canonico, qui ſuis nos litteris monuit, longe diverſam ab ea eſſe, quam ad diem Maii vigeſimam ſextam edidit Daniel Papebrochius. Et revera, ſi prima excipias capita, quæ ex actis S. Wandregiſili, cujus Godo nepos fuiſſe dicitur, in utraque vita deſumta ſunt, quidquid deinde refertur omnino diſcrepat. In edita a Papebrochio vita S. Godo contemplationis ac vitæ ſolitariæ deſiderio ſolus e Fontanella motu proprio receſſiſſe, & in valle Oya eremiticam egiſſe vitam repræſentatur: ex Breyeriana vero cum monachorum in dies multitudo Fontanellæ creſceret, ac trecentorum jam ſuperaret numerum, Godo S. Wandregiſili juſſu cum aliquibus monachis in Oyenſem diœceſis Trecenſis vallem ſe recepit, ibique monaſterio ac templo ſub S. Petri patrocinio extructo,* monachorum pater *extitit, virtutibus ac miraculis clarus quæ apud Papebrochium omnino ſubticentur.*

Monaſterium autem Oyenſe ſæculo IX. *a Normannis, duce Haſtingo ſolo æquatum, reſtauravit centum circiter poſt annis Eva, ſeu, ut legendum cenſet Mabillonius, Emma comitiſſa, quam eamdem opinatur Breyerius cum Emma filia Theobaldi Carnotenſis, Bleſenſis & Turonum comitis ex Letgarde Roberti & Heriberti comitum Trecenſium ſorore; quæ quidem*

Emma Burgulienſem etiam fundavit abbatiam, unde & a Balderico cœnobitarum decus *appellatur.*

Oyenſis porro abbatia ſæculo decimo quarto in prioratum monaſterio ſancti Petri de Cella Trecenſi ſubjectum mutata eſt, qui tandem anno MDCXCVIII. *Trecenſi ſeminario unitus fuit.*

Godonis patria & proſapia.

1. GLorioſus Domini confeſſor Godo, ante ſæcularia divinæ majeſtatis judicio præelectus, noviſſimis ſæculorum temporibus mundo datus, ſplendidiſſimis progenitoribus, & (quod laudabilius eſt) orthodoxæ fidei fervidis cultoribus, ortus eſt in Virdunenſi territorio. Extitit nepos præcellentiſſimi viri & Deo digniſſimi WANDREGISILI, qui ex nobiliſſima Francorum proſapia procreatus, principis egregii PIPINI fuit conſobrinus, & cunctis mundanarum rerum & honorum imbutus diſciplinis, a rege Dagoberto comes palatii eſt conſtitutus. Et ne ejuſdem viri ſancti claram originem altius repetamus, ſatis eſt dixiſſe, quia cum B eſſet a nobiliſſimis & ditiſſimis parentibus editus, non minus ſplendidæ vitæ moribus, ac piæ converſationis aſſiduis exemplis ſe præbuit nobiliorem. Utque erat Wandregiſilus Deo & hominibus gratus dum inter ſæculi proceres degit in palatio Dagoberti, Godonem ſuæ virtutis participem ſuſcepit infantem, doctrinis cœleſtibus potius quam terrenis inſtruendum.

Vitam monaſticam amplectitur.

2. Qui cum divina gratia regeretur, cunctos ſæculi honores magis fore animarum detrimentum reputans, quam juſtitiæ emolumentum, cum præfato nepote ſuo Godone mundanarum illecebras cupiditatum ſpernens, theoricæ vitæ ſuaves decerpere fructus magis elegit; unde ſæculi pompis, inani gloriæ, curarumque terrenarum ſtudiis funditus renuntiavit, & in converſationis angelicæ normam ſub habitu monaſtico ſe recepit, illam quamdiu viveret, conſtituens obſervare, ideoque in monaſterium & ſolitudinem abiit, ubi quantæ uterque fuerit abſtinentiæ, quantæ benignitatis, humilitatis ac patientiæ quis mortalium valet enarrare? Contendebant ambo divinis officiis viriliter inſiſtere, ſegnitiem animi declinare, mandatorum Domini obedientia rebellem ſuperbiam ſuperare, animum ab illicitis refrenare, paſſiones D oblectamentorum carnalium, quæ quotidie interioris hominis integritatem ſauciant, humilis confeſſionis antidoto purgare penitus & ſanare, ſupernæ & cœleſtis patriæ amore flagrare; denique ſe mundo & mundum ſibi crucifigere. Nec minus dum ſuæ ſaluti attendunt, alienæ quoque invigilabant; ſiquidem miſericordiæ operibus inſiſtere, compaſſionem in miſeros, pietatem in afflictos, ſolamen in deſolatos, obedientiam ad ſuperiores, benignitatem in inferiores, omnimodamque proximorum utilitatem, omnibus omnia facti, ſtudebant exercere, ne quando A apud Deum de rebus ſanctis omiſſis reprehenderentur.

Pro eo orat S. Wandregiſilus.

3. Piis hujuſmodi ſpiritualibus miniſteriis continuo exercitati, certabant indeſinenter placere Deo Patri, exemplumque fieri bonorum operum eccleſiæ matri, necnon & ipſius filios frequenti ad meliora commonitione lucrari. Studebat etiam beatiſſimus Wandregiſilus pro eodem ſuo nepote, ſedulo divinam exorare clementiam, ne quando adoleſcens deceptoris maligni verſutia captus revocaretur ab incœptis, ſed potius ut ejus mentis in Deum amantiſſimæ augeretur in dies conſtantia, nec umquam labefactari poſſet ejus bene vivendi perſeverantia. Licet enim toto virium ſuarum enixu idem egregius juvenis Godo tam beati viri conaretur præclara ſequi veſtigia, necdum tamen elimatis adeo ſublimium operum ſtudiis, ſua æquare conamina prævalebat, tantum ſequebatur patrem non paſſibus æquis. Unde quadam nocte cum B. Wandregiſilus pro eo toties repetitis attentiſſime precibus inſiſteret divinæ majeſtati offerendis, in cellula tali negotio apta, ecce incomparabili miræ ſuavitatis odore ſimul & claritate, locus ille cœlitus impletur, voxque ad eum hujuſmodi perlata eſt: Serve Chriſti, in timore Domini « devotiſſime, pax tibi ſemper multiplicetur: « Certaſti bonum certamen hucuſque, ſem- « per his operibus bonis inſiſte, quæ per me « gerulum offeruntur Domino, quia non otio « torpentibus, ſed in fide & caritate currenti- « bus, pervigilique inſtantia Chriſto militan- « tibus vitæ janua patet æternæ, quæ jam tibi « a Domino reſeranda eſt, ut in juſtorum col- « legio gaudiis æternis perfruaris. Nepos autem tuus Godo, pro quo creberrimis pre- « cibus aures Domini ſollicitas, veſtigiis tuis « arctius inhærebit, & cunctis hujus mundi « vanitatibus derelictis, ſtrenuus Chriſti miles « ad caſtra cœleſtia ſe recipiet: tecum incœ- « pit, in tuis monitis perſeverabit, viveſque « tantæ apud Deum gratiæ & meriti, ut iis « qui memoriam ejus devotis mentibus cele- « braverint, & in epidemiæ mortiſque ſubitaneæ periculis invocaverint, opem celerem « & præſidium de cœlo benignum Dominus « Deus emittat. «

Et voce angelica glorificatur.

Ac nepotis etiam dein conversione.

4. Hæc audiens vir Domini, humi proſtratus & orationi attentiſſime incumbens, non corde ſuo extollebatur, quia viſitatione angelica frui meruiſſet, ſed majori ſeipſum abjiciens humilitate, fragilem ſe & peccatorem fatebatur, qui tot peccatorum maculis & nævis fœdatus, non eſſet dignus ut cœ-

leiti oraculo magnificaretur. At vero egregius ipse Dei cultor, cum nepote suorum socio laborum, arctiorem vitam ducere desiderans, eremi secreta plurimum ambiens, mundanos toto enixu semper effugiebat rumores, ut Christi deliciis, oratione scilicet, jejunio & contemplatione frui posset, locumque tanto aptum negotio & monasticæ quieti opportunum quærebat, & ut si vetante id mundi turbine, votis non concurreret suis, saltem sub Christi jugo, placidoque illius onere, regularem vitam sequeretur ardentius, quo per eum, duce Deo, salus accresfontanellen. & monasterium construunt.
ceret multorum. Cum talia volveret animo, meditans quo se reciperet, divina desideratis effulsit gratia, ut largiente ERCHINOALDO (a) viro illustri, ejusque regionis præfecto, non modicam soli partem acciperet, a virorum frequentia remotam; quo in loco una cum venerando nepote suo Godone, ut rudis habitator, Fontanellæ cœnobium construeret, quem locum veterum traditio verissima ob copiam fontium in eo scaturientium hoc nomine vocitabat. In eodem quoque loco monstrabantur ædificiorum olim priscorum accolarum industria constructorum, sed hostium externorum feritate belluina funditus solo coæquatorum vestigia, in quibus magis lustra ferarum quam hominum habitatio tunc temporis videbatur.

5. Hunc ergo locum vir Domini Wandregisilus, ac præfatus nepos venerabilis Godo sibi ab Erchinoaldo concessum, a principio studuerunt virgultis, sentibus & ruderibus repurgare, nonnullisque tam optimo primordio faventibus & auxiliantibus inutilia projicere, primaque cœnobii fundamenta
[b] collocare, (b) ut juxta prophetiam Isaiæ, *In cubilibus in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami & junci*, videlicet fruIsa 35. 7.
ctus bonorum operum ibi nascerentur, ubi prius bestiæ commorari consueverant. Ædificaverunt ergo in ipso loco præfati viri Domini basilicas egregio cultu decoras numero quatuor, in honorem videlicet principis apoQuatuor ecclesias ædificant.
stolorum Petri, simulque doctoris gentium Pauli, sanctique Laurentii ac Pancratii martyrum Christi. Et cum huic operi diligenter insisterent, misit vir Domini Wandregisilus antedictum nepotem suum Godonem Romam, propter pignora apostolorum ac martyrum Christi accipienda, ut ædificatis basilicis in promtu haberet reliquias sanctorum, quorum nomini & reverentiæ eas dicare disposuerat: qui votis pii patris libentissime parens, Romam venit, VITALIANO papa eodem tempore pontificante & sedem ecclesiæ gubernante, atque ab eo susceptA pignora, una cum benedictione apostolica, rediens secum detulit, eodicumque sacrorum copiam non minimam, prosperoque cursu itineris confecto reventitur ovans ad virum Dei, & cuncta quæ attulerat ille, vir Domini venerabilis suscepit.

6. Accersito etiam sacræ recordationis AUDOENO præsule, præfatas quas ædificaverat ecclesias ut consecraret, simulque pignora quæ S. Godo cum ejus auctoritate Romæ impetraverat, Christi altaribus imponeret, supplex exorat; quod ita a sancto præsule est impletum. Locus autem istius cœnobii tam
B fertilis tamque jocundus extitit, ut cum quis illuc accesserit, inter pomorum nemora & hortorum amœnitates virentium, in hæc protinus ei libeat verba prorumpere: *Quam* Num. 24. 5. 6.
pulchra tabernacula tua Jacob, & tentoria tua Israël? ut valles nemorosæ, ut paradisi juxta fluvios irrigui, ut tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas. Ad cujus famam plebes undique concurrere, & cultui divino perficiendo dare curabant prædia plurima, & possessiones servis Dei nutriendis necessarias; tantaque facta est illuc confluen-
C tium ad vitam monasticam suscipiendam multitudo, ut trecentorum esset eorum numerus. Illic nobilium virorum liberi undique adesse nitebantur, ut despectis mundi oblectamentis, Deo servientes, æternæ cuperent cum tantis patribus consequi præmia felicitatis: unde cunctos monasterium ægre capiebat.

7. Quibus peractis & diligenter in Dei regula constitutis, cum crescret in dies numerus civium in terra cœlestium, nec eos ut filios Israël, aut Abrahæ & Loth servos, unius terra monasterii capere posset ob ingentem multitudinem, dixit vir Domini Wan-
D dregisilus ad venerabilem nepotem suum Godonem, ut olim Abraham Loth alloquebatur: Fili, recede a me, vides enim quia « nos unum non potest capere monasterium, « ecce numerus sanctorum in dies augetur, « accepta Domini benedictione, videtur nobis « opus ut hinc alio te transferas, locumque « alterum divino cultui & gloriæ proprium « inquiras, ubi novam pietatis domum & Dei « populum constituas. Aderit tibi, fili, Do- « minus Deus, qui nobis hic adfuit, & tua pri- « mordia sub ejus nomine & favore concepta « E secundabit. Cave ne ad sinistram vadas, sed « more apostolico contemtis omnibus Domi- « num sequaris. Sequere, dilecte, spiritum « quem accepisti, dabit autem tibi superefflueu- « tem gratiam & benedictionem. Accipe ba- « culum meum, ut in isto cum Jacob omnem « adversæ fortunæ transeas Jordanem, & nobis « novam turmam monasticæ societatis adduc- « cas. Accipe simul & sanctorum apostolorum « & martyrum pignora & reliquias, ut tecum « vadant, & tibi sint ad possidendam Dei ter- « ram; & quemadmodum illas Roma mihi « Quas S. Audoenus consecrat.

S. Wandregisilus Godonem hortatur ad aliud monasterium construendum.

(a) Erchinoaldus fuit præfectus palatii Clodovei II. & consanguineus ex materna origine S. Wandregisili & S. Godonis.

(b) Id contigit anno Clodovei undecimo ex chronico Fontanellensi Spicilegii tom. 3. hoc est anno Christi 648.

„attulisti, tecum eas defer, ut in ædificandis „postea tuis basilicis habeas quoque quas illis „imponere possis reliquias sanctorum, earum „tibi partem hanc servavi; ex illis suam Deus „quoque tibi benedictionem conservabit.

Ad Oyam defertum locum se recipit.

8. Obstupuit vir Domini Godo hæc audiens, quia illi videbatur difficillimum a tanto patre, venerabili Wandregisilo, viro Dei discedere, apud quem divinis officiis & sacro ministerio in dies plenius instruebatur, ideoque qua ratione divelli posset ab eo non videbat: tamen quia jam non suus erat sibi Godo, sed Deo assertus, & ut jumentum factus, obedientiæ ductus præceptis, beati patris paruit mandato, assumtisque aliquibus viæ & vitæ suæ sociis monachis, ad agenda Dei ministeria & cultum abiit, & multis peragratis locis, tandem in Oyam, locum ad Sezaniæ comitatum pertinentem, Deo ducente, devenerunt. Est autem Oya locus multarum villarum & oppidulorum diffitus, vallis valde grata, pratis abundans, fontibus scatens, aquis perfluens, optimis agris culta, frumenti ferax, & pluribus nemoribus opaca hinc inde circumjacentibus, montibus autem undecumque circumdata, olim vero incolis pene deserta, solitudinem profundam & divinæ contemplationi aptam valde præ se ferens: qualem quærebat vir Dei Godo, talem invenit. In illum igitur non modo deserti horroris, sed cœlestis vitæ locum se recepit cum paucis suis comitibus, tamquam longe ab hominum frequentia semotus, ut magis Deo serviendo amandoque esset proximus. Ibi ergo circiter sex annos ante mortem [a] venerabilis viri Dei Wandregisili, cellulas quaspiam, exiguamque basilicam S. Petro dicatam, in istis virum Dei Wandregisilum imitatus, construxit, pauperem quidem basilicam, sed meditationibus aptam, fontibus perfluentem, gratiaque magis abundantem, ubi sui venerabilis Wandregisili spiritum secutus: a quo enim Dei colendi & amandi disciplinam acceperat, ab eo normam monasterii construendi conservarat, ut viveret inter lustra ferarum, Deoque quietius inserviret in illa solitudine, de qua posset cum propheta dicere: *Ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine.* Psal. 54. 8.

Ibique cellas construit.

Locum sibi cedentibus incolis.

9. Dum ibi moratur vir Domini B. Godo, continuis orationibus insistens, vigiliis & meditationi noctu & interdiu incumbens, fama pervenit ad proximos incolas, adesse in desertis locis Oyæ viros Deo gratos, licet ignotos, & ut fert vulgaris hominum silvestrium consuetudo, quia tales umquam in his oris non viderant, omnes ad unum accurrunt, scisitantur qui sint, monachos tam horride vestitos & victitantes mirantur, & jam captatum habitationis desertæ locum cesserunt ultro, vitam eorum angelicam & conversationem divinam admirati. Venerabilis enim vir Dei Godo, quotquot adventantes benevole rusticos excipiebat, illis benefaciens toto virium enixu: precibus & orationibus in B. Petri basilica cum suis monachis assiduus erat, jejuniis pene diurnis imo continuis jam horridum cilicio macerabat corpus, herbis agrestibus & pomis, raroque pane hordeaceo victitans, & non alio quam eo quem incolæ vicini, tantis stupefacti rebus mirandis, in eleemosynam quandoque deferebant, contentus. Exactis autem precibus aliquando, agello proximo vel hortulo ad herbas commodiores seminandas præparato incumbebat colendo, unde & vicini accolæ quoties ad eum ventitarent, herbas non solum salubres, sed morbis quoque suis salutiferas domum reportabant. Ubi noctis quietem & somnum corpus laboribus defessum & oratione fatigatum postulasset, ne deficeret spiritus carnalium necessitatum aut cogitationum rebellione, humi decubabat, exiguum quid soporis captaturus, dum mens illius interim cœlo defixa, continuis rerum cœlestium meditationibus & divini amoris incendio delectabatur; & ne quid pietatis in ejus animo deesset, utque salutem alienam ac suam liligentissime procuraret, adventantes tum rusticos accolas, tum nobiles viros ejus nomine attractos, cœlestium præceptorum verbis imbuerat, quibus alios a vitiorum labili tramite revocaret ad melioris vitæ commercia, alios jam a virtute accepta in perfectioris caritatis gradum promovebat.

Quam detestabiliter duxerit.

10. Ita ergo vir Dei Godo, Deo gratus, monachorum benignus pater, omnibus accolis amicus, sibi quidem parcus & vilis, ceteris autem largus, lautus & salutifer vivebat; potissimum vero vix ferebat eos monachos, quorum negligentia Dei laudes parum devote celebrarentur, aut quorum torpore cœlestes feriæ impedirentur: unde certissime constat eum cum aliquando detineretur ab attentione precum præpeditus, animalculis imperasse; siquidem palustres ranæ cum semel nimium coaxarent, & tumultu vocis raucæ jubilum hymnorum ecclesiasticorum in ecclesia vicina monasterii dum precibus intereesset, interrumperent, illis coaxantibus autoritate divina silentium imperavit; quæ statim ad unam omnes conticuerunt. (a) Tanta vis est & virtus viri Deo grati, [b] ut animalibus etiam nulla ratione utentibus jubeat, illaque obediant, veluti quondam sol ad vocem Josue stetit, & luna in ordine suo permansit. Nec deerant etiam alia miracula divino nutu ab eo patrata. Jos. 10. 12.

Ranas omnes ejicit in oratione auctorem tumultuantes muras reddit.

(a) Wandregisili mortem ad annum 667. invictis argumentis consignat Mabillonius in notis ad ejus vitam ac proinde S. Godonis secessus in Oyam anno circiter 661. constituendus est, emendandusque Albericus, qui ad annum 675. hæc habet: *S. Godo S. Wandregisili nepos fundavit in diœcesi Trecensi primam abbatiam de Oya.*

(b) Albericus ad annum 676. ait ranas in Oya ad sua usque tempora mutas permanere.

11. His

Contagione totam regionem molestante.

11. His enim temporibus magna vis ingruit morbi, pessimaque contagio quosvis incolas proximorum oppidorum & villarum pessumdans, mortique tradens, aër nubibus, frequentia tonitrua, corrupti terræ fructus, corpora tabo laguentia, febrium ardor nimius, & (quod pejus est) peccata hominum inundantia tamquam torrentes, mortem horrendam, verumque Dei judicium pestiferæ contagionis flagella illis inferens, intentabant: certa mors omnibus imminebat, nisi a delictis suis resipiscerent. His flagellis attoniti clamant omnes & divinam poscunt humiliter misericordiam, sed incassum, eo quod enim prævalebant nimia hominum delicta, quæ vix ac ne vix quidem corrigere valebant. Prævalebat quoque divinæ misericordiæ justitia, *stipendia enim peccati, mors*, ut ait S. Paulus apostolus, ideoque aliis morbus epilepticus inhærebat, alios febres continuæ inurebant, illos repentina mors occupabat, illos angina strangulabat, & pene omnes contagione pestifera corruebant in sepulchrum; nec erat qui salutis aliquod remedium afferret. Ut vicit virtutem vitium, sic vitam mors; sed tandem mens afflictorum unaquaque die pessima morte decumbentium, viri Dei venerabilis Godonis est recordata, unde quem Deo charum & gratum sciebant, adire constituerunt, ut ejus precibus aliquod salutis & sanitatis refugium adipiscerentur.

Rom. 6. 23.

Infirmos aggressus sanitati restituit.

12. Ille autem ut erat in omnes misericors & benignus, quosvis accedentes ad se consolando, nunc oleo sancto ungens, nunc benedictione crucis muniens, nunc eulogias illis tribuens, validos & integræ sanitati reparatos domum remittebat. O quot homines, quot mulieres jam morientes eripuit e sepulchro! venerunt & quandoque oculorum grato lumine orbati, quibus lucidam mentis in Deum aciem illustravit, & corporeum oculorum acumen restituit. Oblatæ sunt ei & mulieres aliquando cancris in papillarum sinu putridis & corrodentibus multum cruciatæ, quæ tamen ab eo penitus sunt curatæ & sanatæ. Translati etiam sunt a parentibus & in ejus monasterium, sanctique Petri basilicam pueri morbo caduco indesinenter afflicti, quibus ille vir Dei, ut erat gratia plenus & benevolentia, benedicens, & Jesu nomen super illos invocans reparavit integram sanitatem, & omnem morborum corruptelam ademit. Tandem venerabilis vir Dei Godo, tam piis laboribus exactis, tam probata apud Deum & homines vita perfunctus, cum multæ ætatis vixisset annos, multa vicinis & exteris incolis sanitatum beneficia contulisset, plurimos ad vitam christianam revocasset, Oyense monasterium & basilicam Deo sub B. Petri nomine consecratam complevisset, monachosque sanctis monitis erudiisset, vitæ terminum in januis sentiens adesse, fratres universos convocavit: quibus in unum congregatis, & ejus jam præsentem e vitæ discessum gementibus, caritatem mutuam in seipsos, in Deum præcipuam, summamque vitæ monasticæ observantiam moriturus commendavit; exinde adorato & sumto Eucharistiæ sacramento, unctione salutifera roboratus, spiritum Deo commendans, inter eorum manus placide in Domino quievit VII. cal. Junii.

Ejus obitus.

Ejus monasterium a Normannis destructum.

13. Verum post venerandi viri Dei Godonis dissolutionem, qua felix migravit ad Dominum, dum nescio qui barbari Gentiles e regionibus septentrionis egressi Gallias decurrerent furibundi, urbes depopularentur, agros vastarent, & omnia ferro flammisque pessumdarent, ex eorum numero crudelior exiit quidam tyrannus, qui per eamdem Galliam conduxit exercitum, nomine Astannus, (a) quippe nec justa Dei judicia timens, nec sanctos venerans, in Oyam licet remotum locum venit.; & ut erat nimia ferocitate crudelis, fugatis in deserta incolis, nobilibus peremtis, cæsisque monachis, supradictam B. Petri a sancto venerabili Godone structam basilicam destruxit, omniaque monasterii Oyensis loca flammis incendit. Quo factum est magno rerum omnium detrimento, ut multis annis locus ille manserit ignotus, corpusque viri Dei idcirco terra obrutum, lapidibus ruderibusque opertum, & hominum memoriæ ignotum. Tamen quia *in memoria æterna erit justus*, ut ait S. Propheta, non semper id permanere Dei bonitas voluit, ut rerum adeo sanctarum memoriam perpetua deleret oblivio. Adhuc restabant e ruderibus ædificiorum quidam lapides, adhuc vestigia basilicæ & monasterii e terra prominebant, quæ suo tempore postea divina clementia voluit reparari. Siquidem post diuturna tempora hanc principis apostolorum basilicam exinde de nomine Godonis appellatam, cum omni monasterio Eva (b) comitissa mulier insignis pietate, iterum restauravit, potissimum ea de causa, ut sancto Godoni suo benefactori non ingrata videretur. Illa enim dum quadam corporis infirmitate mortem minante dudum fuisset cruciata, Deo sanctoque Godoni se devovit, illius monasterium ædificaturam rursus si sanaretur. Unde statim illius almi confessoris gratia & meritis fuit restituta, divinaque id volente providentia, didicit revelatione ubi sacrum ejus corpus quiesceret sepultum, quod a loco squalenti in honestiorem capsam levandum, & in reparatam basilicam transferendum esset.

[a]

Quod Eva seu Emma comitissa restaurat.

[b]

14. Quam vero Deus mirabilis in sanctis suis! surrexit sana comitissa, magnis impensis ba-

(a) Legendum Hastingus, ut Mabillonius & Bollandi continuatores observarunt.

(b) Mabillonius conjicit legendum esse *Emma*. Fuit autem Emma comitissa filia Theobaldi & Ledgardis, Burgulii monasterii fundatrix.

silicam struit, monasterium reparat, & in ejus beatissimi patris Godonis honorem, cum ordine & numero competenti monachos ibidem, monastica vita probatos, statuit Domino in perpetuum deservire, qui sub regula possent opportune divina persolvere, laudes Deo sanctisque jugiter canere, vicinos accolas precibus fulcire, & omnes tum vita cum moribus probis in meliorem frugem peccatores revocare. Ne vero rerum vitæ necessariarum indigentiam paterentur, unde cogerentur vicatim ad alimenta quærenda vagari, de proprii patrimonii rebus ad usus necessarios tum alimenti cum vestitus, illa prout satis erat, annuales redditus fratribus assignavit & ordinavit. Ab illis autem vitæ monasticæ cultoribus & monachis devotissimis, collaborante eadem Eva comitissa, gloriosissimi Godonis corpus, quod in loco parum decenti jacere videbatur, est elevatum cum hymnorum grata melodia, & solemnibus canticis, cum honore multo decantatis, in altare præcipuum basilicæ, nec sine multorum operatione miraculorum in translatione factorum fuit collocatum: probavit enim Deus illorum frequentia, tam B. viri memoriam & honorem sibi complacere, potissimum iis quæ sequuntur.

S. Godonis corpus in decentem locum transfertur.

15. Contigit aliquando (nec reor absque divino nutu) annus fere omnium infestissimus, & juxta propheticum dictum, propter peccata hominum *pervenit gladius usque ad animam*. Repentina enim clade percussi cœlitus homines videbantur. Corruebant patres cum filiis suis, matres cum liberis dilectis, servi quoque cum dominis morte inexpectatâ rapiebantur, nullaque jam superesse illis morientibus spes vitæ aut salutis videbatur. Præveniebant corruentes interitu pestifero corpulenti marcidos, parvuli senes ipsos, atque horrenda divini examinis censura, strages fiebat inaudita, ita ut, sicut qui tantæ miseriæ affuerunt, astipulantur, septem usque & octo corpora in una pariter conderentur scrobe & sepultura; quia nimirum valde violenta peste corripiebantur ad mortem; unde nec condignæ celebrabantur exequiæ, nec parentes ultra invisis audebant defunctis suis parentare. Quis tunc mœror, quis tunc mortis metus aderat? cum quilibet eorum jam moriturus se districto Dei judicis examini perpenderet præservandum, nec supernorum speraret agminum contuberniis perfrui, sed potius cum divinæ justitiæ prævaricatoribus debito pœnarum supplicio mulctandus se perditum iri horreret? Quis ob ea non caperet hominum corda metus & mœror! Supereſt tamen una spes deficientibus, si ad tantæ aversionis cau sam justissime illa peccantibus illata Dei severitas, miserorum ad eum clamantium precibus flecteretur ad indulgentiam, ut morbi cessarent, auferretur contágio, & mors tanta pessundaretur. Decernitur ergo sanctorum patrocinia implorare frequenter, quibus ad vitæ tutamentum illud ab eis triste judicium mortis divinitus illatum averteretur.

Jer. 4. 10. Ubi coruscat miraculis.

16. Recordantur autem inter hæc accolæ vicini B. Godonis magnum meritum, olim scilicet ejus precibus talem luem sanatam: idcirco ad eum statim fecerunt omnes unanimiter confugium, properantes in ejus basilicam, & in tam gravi procella salubertimum salutis attingere portum exoptantes. Unde feria sexta, qua die de passione Domini orbi universo salus effluxerat, Oyensis cœnobii fratres efflagitant ut beati viri corpus devota proceſſione deferri ab eis honorandum, ea causa ut communem omnium Dominum sibi propitium efficiat, suppliciter exorandum, concedant: quod spoponderunt faciendum. Sed ob passionis Dominicæ diem censuerunt hoc pietatis spectaculum in secundam feriam Paschæ differendum, in quo cuncti locorum vicinorum accolæ, utpote feriatis diebus, valeant adesse, & Deum per B. Godonis merita implorare. Quid plura? Ecce dies illuxit, eoque statuto, cuncti undequaque convenerunt cum votis & donariis multis viro Dei offerendis. Fit oratio ab omnibus, ploratur, psallitur & canitur; profertur de latebris ille auro arabico, omnique lapide pretioso illustrior thesaurus, gleba scilicet sancti corporis effertur in propatulum; procedit omnium devotio, geminatur Deo grata proceſſio, nec a lacrymis, nec a precibus cessant universi, donec omnibus fiat salutis remedium. Siquidem elatum in sublime a deferentibus sanctum corpus, omnibus afflictis dedit salutare tutamentum: nemoque omnium circum circa inhabitantium, infra ejusdem anni spatium expertus est mortis detrimentum; si excipias unicum qui eadem die tam læto conventui, mala lue & ægritudine detentus, non interfuit, quique eodem tempore fati munus implevit. Sic S. Godo etiam mortuus vivit miraculis a Deo exaltatus. Sic hoc celebri miraculo apud omnes populos est tantopere mirificatus, ut ex eo tempore qui diversis doloribus morborum, potissimumque pestis lue anxiatur, nutu Domini Salvatoris & sancti precibus liberetur, gratia Domini & Dei nostri Jesu Christi, cui sit cum Patre & Spiritu sancto semper honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

ACTA TRANSLATIONIS S. SAVINI MARTYRIS.

Ex mſ. illuſtriſſimi domini Chauvelin, *regiorum ſigillorum cuſtodis.*

OBSERVATIO PRÆVIA.

ACTA tranſlationis S. Savini martyris ſuppeditavit nobis codex antiquus illuſtriſſimi domini Chauvelin *regiorum ſigillorum cuſtodis, ab annis circiter* 800. *exaratus. Aimoinus illorum auctor, alter nobis non videtur a celeberrimo illo Aimonio Pariſienſis S. Germani a Pratis monaſterii aſceta, qui tempore Caroli Calvi librum de inventione & tranſlatione ſancti Vincentii aliaque conſcripſit. Et certe id non obſcure innuit in fine præfationis, ubi S. Savini* domnique mei Germani, *inquit, ſanctitate adjuvari ſe poſtulat.*

In hoc autem opuſculo duo præſertim occurrunt obſervanda. Primum, illuſtrem virum Baidulum clericum palatinum Majoris monaſterii Turonenſis abbatem, apud eruditos hactenus ignotum, S. Savini corpus ex eccleſia a Wandalis olim diruta, quamplurimis retro annis omnino deſerta, ac vepribus & ſpinis obſita, in proprium Ceriſiacum prædium tranſtuliſſe, ubi, ædificata in honorem Genitricis Dei Mariæ baſilica, canonicos poſuit & dotavit, variis beneficiis cumulavit. Secundo, locum illum, poſita ibi monachorum norma, *longe cultiorem ac venerabiliorem evaſiſſe, quippe* domus omnis cum eccleſia nobiliori atque ampliori ſchemate *conſurrexit. Id auctoritate ſimul ac pietate Caroli Magni factum tradunt, qui monaſterium regia magnificentia conſtructum reſtauratori ordinis monaſtici in Gallia Benedicto Anianenſi abbati regendum commiſit, ubi congregata maxima monachorum caterva, Benedictina religio ita floruit, ut ad varias inde congregationes ſubſecutis temporibus diffuſa fuerit. Ex S. Savini quippe monaſterio ad reſtaurandam in Auguſtodunenſi S. Martini cœnobio diſciplinam cum ſancto Hugone &* XVI. *aliis monachis aſſumtus eſt maximus ille Berno, qui poſtea Gigniacenſi, Balmenſi ac demum Cluniacenſi congregationi abbas præfuit: idque petente ac procurante Badilone comite, Æduenſis aſceterii reſtauratore, cujus olim, ut conjicimus, Baidulus propinquus, S. Savini baſilicam conſtruxerat ac dotaverat.*

Porro hæc Acta conſcripſit Aimoinus ad petitionem Hucberti abbatis S. Savini, qui a vulgatis hactenus hujus cœnobii indicibus exulavit, quique poſt Dodonem Benedicti Anianenſis diſcipulum & ſucceſſorem collocandus videtur.

Præfatio Aimoini monachi in tranſlationc almi Savini martyris.

1. VEre crediderim hoc tam parvum quam magnum hujus ſequentis operis ſacramentum mihi divina ſanctique Savini præcipui teſtis Chriſti miſeratione donatum: parvum dico quantitate voluminis, A magnum vero reverentia martyris. Nam & talia ne legentium auditorumque ſenſibus faſtidienda ſint, paucis oportet innoteſci. Et utinam, licet immeritus preſbyter, is talis inveniar, qui & ſancto deferam, ipſiuſque amplexandæ congregationi, memorando videlicet ejus cœnobii HUCBERTO abbati, & ſub eo pie colendis patribus, aliquid cum honore

futurum relinquam, utque ad ſancti martyris laudem veſtramque jocunditatem fieri poſſit, illius, domnique mei Germani ſanctitate, veſtrarumque orationum ſolamine, Dei ſanctique Savini amici me ſupplex imploro juvari.

Explicit præfatio.

Incipit tranſlatio ejuſdem B. martyris Savini, quæ celebratur VII. *idus Januarias.*

2. Ea ſane tempeſtate qua Wandalorum populatio, ut uſque nunc ex antiquitate refertur, in vicinas exteraſque longe lateque ſæviebat nationes, eccleſia quæ deſuper corpus erat beatiſſimi martyris Chriſti Savini, diruta, ipſeque locus ita deſolationi habitatorum abſentia traditus eſt, ut eremi vaſtitate obſitus, per multum inhabitabilis deſereretur annorum curſum. Quod etſi aliqui, pauci dumtaxat reſtiterant vicini incolæ, & quorum manus ad hoc reparandum minime ſufficerent. Tempus namque profuſum tranſiit, ſed non memoria oblita eſt loci: qui licet incultus, priſcorum tamen volvebatur per ora ſacratus, beatique Savini corpori ſcientiſſime dedicatus. Cumque longioris ævi defluxo jam ſpatio, omniporens & locum reſtaurari, & ſanctum manifeſtius recoli diſpoſuiſſet, quo modo acciderit gratum in brevi dicere fuit.

3. Cum igitur quoddam pecus cujuſdam coloni hominis aliquando aberraſſet a grege, ille animali in paſcualibus non invento, remotiora ſilvarum, de pecore deſperatus, aggreſſus eſt loca, repertoque extra pecoris veſtigio, cœpit ſequi donec ſpinarum tuborumque aſperitate, longius arceretur ab incœpto. Sed quod eſt pro perditis ruſticorum pauperum, laborem quamvis gravem evincere perſiſtens, ferro veprium omniumque ſtirpium ſibi nocentium dextra lævaque impedimenta ſuccidens, ad locum tandem ſic deſudans prorupit, in quo quadrupede quod quærebat jacenti conſpecto, acceſſit, eum commovens, ſed pecus ullo modo ſe levare non potuit. Obruerat enim intrans ejuſdem olim baſilicæ ſepta, taliter debile jacens, quatenus omnibus contractum membris, nec aſſurgere, nec incedere penitus valeret. Brachiis tamen illud impoſitum portavit ad domum, vicinis geſta replicans univerſa.

4. Crèſcebat itaque hujuſmodi narratio per dies, atque dilatabatur prolixe. Manebat quidem de ſancto, & ejus eccleſia vivens adhuc, ut præmiſimus, fama: ſed eatenus quo fuerit in loco, mortuis jam qui noverant, ignorabatur. Non tamen deerant, qui a videntibus priorem ejuſdem baſilicæ ſtatum, ea quæ tunc quaſi nova dicebantur, ſe antea crebrius audiſſe certiſſime faterentur.

4. Interea quidam preſbyter nomine ac merito Bonitus his diligentia attentis, inſtitit divino ſanctique martyris amore conductus, eccleſiam martyrii reconſtruere, locumque ut eſt hodie habitationi reſtruere. Quod autem inter cetera unum ibidem miraculum a Bonimio ſacerdote ipſius Boniti nepote comperimus, ſufficiens ad id quod agitur interponere judicavimus. Aiebat enim inter hæc quæ ab eodem ſuo avunculo referri de ſancto ſæpius afferebat, quaſi modo idem Bonitus equum ſibi quondam furtim ſubtractum interpellatione domni Savini recuperare meruerit. Equo ſiquidem perdito, quid faceret, frenum necnon & ſellam accepit, atque ante ſancti tumulum ſic increpitans, mœrenſque projecit. Te, inquit, ſancte martyr, cultui ſeu venerationi eccleſia tibi refecta, pro parvo poſſim & laborando reſtituere, tu proh nefas equum mihi tuis meritis, ut poteras, non cuſtodiſti. Equidem ſervio eccleſiam, num patior? Quod ſi rectum videtur, Deus diſcernat, tuque perpende, mihique equum reſtitue. Hæc & plura poſtquam ſic veluti juſte querelans intulit, reverſus ad domum, nocte ſuperincumbente, placido ſe ſopori donavit, deinde galli voce ſomni torporem linquere monentis evigilans, officium nocturnale atque matutinale ante ſancti ſepulcrum reverenter ſolito complevit. Quo peracto, dum ſe ab eccleſia domui redderet, equus nuper furatus, nullo ſe regente, mox in facie præſto fuit, dominique præſepium, utpote notum repetens; ſtabulum curſu ingreditur: quod preſbyter cernens, Domino ſanctoque ejus martyri Savino grates rependens, ſtudioſiorem ſe deinceps circa Dei martyris cultum exhibuit.

6. Erat denique vir proſapia clarus, rebus inclytus BAÏDILUS clericus palatinus abba Majoris monaſterii Turonenſis, hæreditaria ibidem juxta, in villa nuncupante Ceriſio, jure propinquitatis poſſidens prædia: qui hujuſmodi dum adveniſſet, agnitis negotiis, incipit prudenti animo audita meditari, atque ſi taliter eſſe vulgata poſſent ſagaci perquiſitione ſcrutari; cumque ex præſentium & antiquorum relatione, inſuper & miraculorum atteſtatione, idque etiam loco pandente, rem veriſſimam eſſe collegiſſet, conatibus piis ſeduliſque anhelare, quo & ſibi ex ſancti martyris parte cederet gratia, & ſancto martyri ex ſuarum portione rerum amplificaretur dignitas. Quid inquam? In eodem prædio, quod non antea molitus fuerat, in honore Virginis matris Chriſti, divinitus ardens condit, ſacratque baſilicam, habitationes facit, clericos imponit, neceſſaria cuncta exornat, demum vero ad ſancti tumulum cum fiducia, omniſque obſequii diligentia ſupplex accedens, celebratis officiis miſſarumque ſolemniis, Deum ſanctumque poſtulans martyrem, ut illi quod niſus fuerat concederet perficere, tantum tamque copioſum pignus a loco in quo jacebat cum tremore

psallens assumsit. Ibat ergo feretro corporis suppositо, gaudenter exultans, nullâ sibi in sancto opere impediente difficultate, quousque ad reverendam egregio martyri quam paraverat perveniret urnam; in qua pretiosum, gratias agens divinas, corpus honeste recondens, dotem ecclesiæ ipsique martyri, totumque prædium familiamque donavit. Itaque Deum, quod suis annuerit votis, sanctumque Savinum magnifice laudans, gratulans exivit & ovans.

7. Ceterum dum vixit non cessavit conferre munera, augere beneficia, quibus locus ditaretur & cresceret. Plures quoque nobilium ejus actus eximios imitati, addiderunt thesauros, contulerunt alodos, multisque donis locus effulsit, positaque ibi monachorum norma, redditur quanto cultior, tanto prorsus venerabilior. Erat autem & est situ habilis, silvarum arborumque fructuosarum amœnitate jocundus, cum pratis & vineis, aqua & molendinis.

8. Ergo monachis post divinum persolutum officium, operibus manuum, quod suum eorum est, sollicite studentibus, domus omnis cum ecclesia nobiliori ampliorique schemate consurgit. Quorum bonitatis ordinisque religio, Deo sanctoque martyre suffragante, illic talis extitit, quæ multorum & maxime magnatorum mentes ad recolendum dumtaxat munerandumque locum dulciter invitaret. Talis floruit, talis cum bonarum actionum fructibus hactenus vernat, talis quæso & opto in Jesu-Christo permaneat.

9. Nec illam aliis omissis silendam reor quæ post venerabilem ejus corporis translationem præcipua facta fuisse dignoscitur virtus, ad ipsius sanctam evidentissime declarandam sanctitatem, & quia locum unde transpositus fuerat, etsi corpore, non tamen mitione reliquerat. Presbyter vero inde cum per eamdem viam qua sancti martyris corpus translatum venerat, plaustrum musto onustum minaret, antequam domum pervenisset, ducilis a fundo karralis egressus in terram, nemine considerante, prosiliit: attamen mustus haud minus quam si obturatum esset foramen, nec una fluerat gutta, stetit, perventumque ad receptaculum plaustrum cum fuisset, presbyter accedens, & tonnam hinc inde si quiddam fecisset circumspiciens, animadvertit aperto foramine ducilem abesse, æstimans pavensque nihil in ea musti remansisse, famulos vehementi furore commotus arguere cœpit, & quare hoc minime providerint acriter ut tristis invehere: dumque amaro nimis animo sic loquitur, unus retro recurrens ducilem a terra non longe jacentem recepit, atque ad patentem qui erat in tonna pertusum applicuit. Quo apposito, priusquam intro poneretur, impetus musti e regione prosiliens, ad barbam & pectus porrigentis ducilem usque volavit. Presbyter autem & qui astabant, pro hoc quod visu mirabile ostensum fuerat, attoniti stupuerunt, vocesque hymnidicas omnium factori ejusque sancto martyri Savino in cœlum levatis manibus cum jubilatione dederunt. Sacerdos vero sub eadem summa, qua illud in tonnam posuerat, vino recepto, ampliori voto & ore grates lætus exsolvit. Hoc & alia idem Bonimius a præfato Bonito avunculo suo frequenti relatu se accepisse fatebatur.

9. Sed quid plurima de Sancto scribentes conferemus? Numquid illum majoris meriti ex hoc faciemus? Ut si v. g. de Giboldi curvis inseramus pedibus sese introrsum ad invicem respicientibus, moxque Sancti precatu superna miseratione directis; ac de vinea illa juxta quam ejus corpus pausatum fuit, nec prius inde remotum, donec eadem ipsi daretur vinea; vel de alio in somnis commoto a Franciæ partibus adveniente, manumque aridam diu habente, atque interventu martyris illic extemplo curato; aut etiam de cœco ab annis triginta lumine oculorum privato, qui post trecentorum sexaginta mensium curricula ibidem illuminatus videns hilarisque recessit. Hæc & similia benignitate martyris ad ejus limina debilibus concessa, si modo, ut dixerim, superfluo exequi incipiam, sanatorumque nomina, patrias villasque in quibus sunt nati vel ex quibus advenerunt, si disposuero recitare, me sobriis lectoribus avidisque auditoribus tædium inferre non abnego. Est autem mensura discretionis in divinis & agiographis servanda scripturis, & si pauca de ipso referamus, numquid ejus meriti virtutisque gratiam ex paucis mutilabimus dictis? Hoc autem precamur sufficiat dictum, pauciusque roboratum, quod beatus Savinus ita decenter translatus, pretiosus ac gloriosus habetur martyr Christi. Quod tam ipse quamque omnes Christum confitentes, rite confessores appellentur, cuidam ex eodem monasterio Deo sibique devoto per revelationem spiritus ostendere voluit, se martyrem ob sanguinis pro Christo effusionem malle vocari.

11. Est enim meritis dives, precibus potens, ipsum rogemus, ipsumque humiles imploremus, quatinus ad eum qui se martyrem fecit, atque in cœlestibus martyrii præmio coronavit, pro nostra animæ corporisque salute intercedere dignetur; ut ejus sanctorumque omnium orationibus crimina nostra idem Dominus solvat, peccata seu commissa relaxet universa, gloriam vitamque conferat sempiternam in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit de translatione & miraculis sancti Savini martyris.

VERSUS DE CAROLO MAGNO ET ALIIS.

Ex mſ. reginæ Suecia eruit Mabillonius.

Anno 814. O Deus omnipotens, convexæ conditor arcis,
Terrarum & maris, & quæ tantus continet orbis,
Suſcipe vota tuæ plebis, dignare rogatus
Cæſaris eximii Caroli firmare ſalutem:
Multiplices vitam protendas rector in annos,
Imperio Oceanum, conſignans ordine metam,
Hoſtibus oppreſſis firmato pace perenni,
Optime quod princeps ſedatum rite gubernes,
Permulcente ſua divino munere dextra,
Unus in ætherea altitonans qui præſidet aula.
Convenit & ſolum terris regnare ſub illo,
Qui merito cunctis præſtans mortalibus eſſet.
Diſcedant variæ ſectæ, diſcedat & error
Antiquus, quondam maleſuaſus ab ore maligni.
Sancta fides niteat comitanter greſſibus altis,
Cum Caroli Magni ut vaſtum perluſtret & orbem,
Imperio dictoque ſimul domitis virtute ſuperbis:
Ac poſt innumero captos ex hoſte triumphos,
Cum victore ſuo victrix lætetur & ipſa.
Poſt tanta in terris, poſt tot ſublimia facta,
Pleno tum demum completo temporis ævo,
Felici centenos curſu evectus in annos,
Alma fides obviam comitante cohorte ſororum
Virtutum veniens, Carolum ſuper aſtra levabit,
Perpetuam tribuens Chriſto præſtante coronam.
Verſibus incomptis, ſummo ſed mentis amore,
Hæc tibi conficiens, Cæſar dignare ſuperne,
Munera quæſo tui devoti ſumere ſervi.

His ego litterulis Domini depoſco ſalutem
Perpetuam Carolo ſervulus ipſe ſui
His te præclara GUNDRADA ſaluto puella,
Quæ ore nitens pulchro, pulchrior & merito.
Littera feſtina dominæ conferre ſalutem
Gundradæ, egregiæ moribus & facie.

Hos Carolo regi verſus Hibernicus exſul,
Dum proceres mundi regem venerare videntur,
Ponderibus vaſtis ingentia dona ferentes,
Immenſum argenti pondus fulgentis & auri,
Gemmarum cumulos ſacro ſtipante metallo,
Purpura ſplendentes aurato tegmine veſtes,
Spumantes & equos flavos ſtringente capiſtro,
Ardua barbarico geſtantes colla ſub auro,
Annua ſublimi hæc debentur munera regi.
Dic mihi quæ pariter reddemus, garrula muſa,
Ne forte in vanum regi ſervire videmur,
Quæ tanto ac tali patri munuſcula demus?
Carmina quin etiam modo lata voce canamus,
Dulciſonas regi promamus pectore laudes,
Et noſtris cunctus reboet clangoribus orbis.
O ſola ante alias cantus dulcedine capta,
Divitiis orbis comparis carmina, muſa;
Sic dic quid valeant noſtri jam carminis odæ?
Heu numquid ſocius muſarum nomina neſcis?
Aut forte inludens noſtrorum munera temnis?
Dilectus ſocius, muſæ quoque dulcis alumnus.
Haud equidem ignoro muſarum dulcia dona.
Sed dic nunc veterum vatum mihi maxima nutrix,
Quæ noſtræ laudis concludent ſæcula finem,
Sidereæ ſummus dum ſitus volvitur axis,
Et nox obſcura claris dum pellitur aſtris,
Splendidus eximiis ſurget dum phoſphorus umbris,
Et celer æquoreas ventus dum verberat undas,
In mare dum properant ſpumoſis curſibus amnes,
Nubila dum tangent minaci vertice montes,
Atque jacent humiles limoſo limite valles,
Aut ſummi extollent prærupta cacumina colles,
Regnumque obriſo candor dum fulminat auro,
Nomina muſarum ſæclis æterna manebunt.
His regum vetera clareſcunt inclyta geſta,
Præſentum & ſæclis narrantur facta futuris,
Muſarum & donis laudatur conditor orbis,
Sedibus æthereis fulgens virtutibus almis,
Noſtris aſſiduis gratulatur cantibus æquis.
His igitur donis regem venerare memento.
Aſt ego præcipuo comitabor fiſtula cantu.
Dic igitur modulans nutrix mihi maxima vatum,
Quis pacem eximiam conatus frangere patrum,

Quis fruſtra egregiam commovit in arma quietem?
Quæ peſtis tetigit ſervum per cuncta fidelem;
Ut Domini faciem mereatur cernere triſtem?
Lubricus hoc ſerpens profudit ab ore venenum,
Iſdem qui quondam miſeris edixerat anguis
Conjugibus mortis mortales pectore voces,
Qui geminos ſævo laniavit vulnere fratres,
Et qui germanas maculavit ſanguine palmas,
Fraternum fœdus mortales vertit in iras,
Quique pietates neſcire ſuaſit amorem.
Hinc natus dejerans patrium deriſit honorem,
Qui populos dudum docuit conſcendere turrim,
Et Dominum ſervis juſſit neſcire tonantem.
Hic ſolus ſcindit perfectæ fœdera pacis,
Et populos ſævis gaudet committere bellis:
Ut nullus Chriſto digne famulétur in orbe,
Mortiferis ſuadet verbis conſurgere lites,
Seminat & rixas ubi pacis ſola jubentur
Fœdera, perpetui queis dantur præmia regni,
Invidus hic ſerpens tentavit frangere pacem,
Qua rex egregius Carolus duxque inclytus una
Daſilo perpetue tenebantur jure beato.
Adgreditur fama, cunctum contaminat orbem.
Vocibus *his puré pulſavit perfidus aures. *Hiſperia.
Daſilo peccavit, linquit quia regia juſſa,
Et ſibi ſervitii non ſolvit fœdera pacti.
Hæc dicta egregias Caroli volvuntur ad aures,
Et rumor cœpit latum volitare per orbem,
Pulſaturque ipſis regis præſentia verbis.
Inprimiſque pias his dictis addidit aures,
Aiebat cunctis: Hic vir mihi valde fidelis
Eſt, & Francorum depoſcit proſpera regnis.
Aſt rumor frequens regi firmabat, & omnis
Conclamat tellus: Non eſt dux ille fidelis.
Vocibus his tandem motus juſtiſſimus Heros,
Agmina conjungit, claſſemque in margine ponit
Rheni, qui Gallis cingit Germania terris,
Felici curſu victum tranſnavigat amnem,
Inclytaque innumeris tremuit Germania turmis.
At rex Francorum ſtipatus millibus altis,
Maximus in patriis exultat victor in armis.
Alloquitur proceres fidos, ac talibus inquit,
O gens regalis profecta a mœnibus altis
Trojæ. Nam patres noſtros his appulit oris,
Tradidit atque illis hos agros arbiter orbis,
Subdidit & populos Francorum legibus æquis,
Perpetueque illis ſanxit formator ab aſtris
Hos fines, amplas capiendas funditus urbes,
Ancillas, ſervos, famulatus credidit omnes.
At nuper noſtris hoſtis ſurrexit in arvis
Invidus hinc ſerpens fortaſſis vulnere ſævo

Multa deſunt.

A Armillas grandi gemmarum pondere & auri
offertur, ſonipes auri ſub tegmine fulgens.
His puer ex donis Domini ditatur opimis.
Ad quem hæc rex placidis depromſit dicta loquelis:
Suſcipe perpetui ſervitus pignora noſtri.
Oſcula tum libans genibus prædulcia regis
Dux, atque has celeres produxit pectore voces:
Rex tibi donetur munus per cuncta ſalutis.
Aſt ego ſervitium vobis per ſæcula ſolvo.
Sic fatus regis cum dono ad caſtra receſſit.

Verſus Caroli imperatoris.

B Hæc eſt vera fides cœli quæ ducit ad aulam:
Hanc teneat, requiem quiſquis habere cupit.
Eſt etenim virtus cunctis credentibus ampla,
More fide trino *phyſe placere Deo *Id eſt, trino in una natura.
Summus apex Carolus Cæſar pax orbis opima,
Huic turmas hominum ſubdere colla docet.
Altior ut cuncti regni rex ſummus honore
More fide forma Cæſar ut octo prior.
Qui ſibi præſentis regni conceſſerat arcem,
Arce poli ſummum det ſibi poſco locum.
C Exiguus regi parvum nunc reddo libellum
Collectum ex variis flore comante roſis.

Verſus Caroli imperatoris.

Charta Chriſto comite per telluris ſpatium
Ad Cæſaris ſpatioſum nunc perge palatium
Fer ſalutes Cæſari ac ſuis agminibus,
Glorioſis pueris, ſacriſque virginibus,
Via pergens proſpera per Chriſti ſuffragia,
Prona coram Cæſare verba dicas talia.
Dic ut Cæſar Carolus per Petri præconia
Sit ſanus, longævus ſit, & felix victoria:
Dic regnator omnium det ſibi ſubſidium,
D Confortet, cuſtodiat, dilatet imperium.
Dic ut fautor fuerat juſtis rite regibus,
Fiat Chriſtus Carolo ac ſibi fidelibus.
Dic regales pueri per prolixa ſpatia
Sint ſani, ſint longævi Salvatoris gratia,
Sint coronæ regiæ digni dic honoribus,
Felices ac victores genitoris moribus.
Regalibus puellis dic fiat ſublimitas.
Sit ſancta, ſit ſobria, ſit vera virginitas,
Chriſtus amat virgines propter caſtimoniam,
Det ut illis promiſerat in futuro gloriam.
Dic protegat Dominus ſic Francos armigeros,
E Regem, clerum, comites, milites belligeros.
Poſt hæc charta Cæſarem rogato continuo
De me Chriſto famulo ſit memor exiguo.

Verſus Caroli imperatoris.

Laudibus eximiis celebrantur tempora priſca,
Omneque præteritum gratificare ſolet.
Cum moveat præſens famoſis ora loquelis,
Aggravat & plebis corda moleſta dies,
Credere quæ ſeſe incertis ſucceſſibus ultro,

Aut etiam nimia ſpeque futura capit.
Hoc homines inter paſſim contingit haberi,
Rumori veterum cedere fama nova.
Nobis e contra ordo eſt commutatus & uſus,
Priſcis quique exſtant tempora præferimus.
In queis Romuleum ſumma virtute gubernat
Imperium dominus pacificus Carolus,
Cui cedunt proceres, & gloria celſa priorum,
Solis obumbrantur ſidera ceu radiis,
Flumina ceu Nilo, colles vincuntur olympo,
Argento obryſum plus nitet Arabcum.
Sic, Auguſte, tibi cedit jam maxime regum
Fama, vigor, virtus, gloria, nomen, honor.
Singula nam reliquis virtutum dona redundant,
In te cuncta videt quiſque, notando probat.
Sunt quos forma decens alios ventoſa loquela,
Nobilis aut ſanguis, dextrave marte potens.

Verſus ad eccleſiam.

Hæc eſt mira domus vario depicta metallo,
Nobilis in clero, dogmate clara pio,
Auro tecta nitent, paries argenteus albet,
Ex nitido preſſa marmore terra gemit.
Hæc formoſa domus, victor cognoſcere debes,
Corpora ſanctorum continet una trium.

Verſus ad fontes.

Hic fons intiguus vitalia dona miniſtrat,
Et renovans populos mittit ad aſtra Deo.
En ibi Chriſtus adeſt, qui primi fontis origo
Abluit omne ſcelus, purgat & omne nefas.
Currite nunc pueri ad latices undaſque ſacratas
Sordibus immerſis munera ferte Deo.

Verſus ad feneſtram.

Ne David grabatum tentator callidus intret
Signetur Domini iſta feneſtra manu
Quadrus evangelii defendat numerus omne
Corpus & interius cunctipotens animam.

Verſus ad oſtium.

Qui Ægyptios agni dudum de ſanguine poſtes
Signavit, noſtros ſignet & ipſe Deus

Verſus ad miniſterium.

Qui ex duro latices juſſit producere ſaxo,
Hic jubeat purum fundere ſæpe merum.

Sit tibi ſumma ſalus ſemper ſine fine beata,
Hoc optat Martin veſtræque ſalutis amator,
Aſſiduis Dominum precibuſque popoſcerit almum.

Æternamque ſimul faciat te ſumere palmam
Pectore nam puro Dominum portare memento
Ut illum valeas rectorem ſemper habere, &c.

Epitaphium Folradi. *

* abbatis S. Dionyſii.

Felix illa hominum eſt mors & pretioſa bonorum,
Gloria quam ſequitur, vita, ſaluſque, quies.
Qui patriam repetunt linquentes extera mundi,
Poſt miſeros luctus gaudia longa tenent.
Ex quorum numero clarus jam jure ſacerdos
Corpore depoſito hoc jacet in tumulo.
Clarus qui meritis vitæ, ſpe, nomine fuiſit,
Virtutum radiis, ſplendor ubique ſuis.
Qui probitate pater fuit omnibus atque magiſter,
Illos arte monens, hos pietate regens.
Eccleſiæ cultor, fautor peregrûm, ultor egentûm.
Proderat ore cunctis hic pietate pari:
Eloquio dulcis, factis probus, ore ſerenus,
Pectore nectareo, promtus ad omne bonum.
Sed quia certum eſt te palmam meruiſſe patrone,
Pro peregrino me poſco precare tuo.

Epitaphium Fardulfi. *

* abbatis S. Dionyſii.

Qui pietate pater, paſtor, curaque magiſter,
Tranquillus, placidus, promtus ad omne bonum,
Eccleſiæ cultor, largus miſerator egenûm
Fardulfus fuerat: hoc jacet in tumulo
In hac æde Dei tolli qui nomine claro
Æternis meruit laudibus & precibus.

Alii verſus.

Egregii proceres Clotharius ac Dagobertus,
Filius & pater hic memorantur laude perenni.
Sed magis eccleſiam ditavit hanc Dagobertus
Cum Nanthilde ſua quem exornant aurea buſta.

Item alii verſus.

Effigies regum hic & nomina clara reſulgent
Præcipui Caroli & Pippini fortis alumni,
Optimus Auguſtus ſummo quo patre coruſcat
Cæſar, quem peperit Berta pulcherrima mater.

Epitaphium Pippini regis Italiæ.

Hoc jacet in tumulo PIPPINUS rex venerandus,
Heſperiam rexit, hoc jacet in tumulo.
Francia quem genuit pulcra pietate repletum,
Nunc tenet Heſperia Francia quem genuit.
Nobilis in genere pulcra de ſtirpe coruſcans,
Quem

Quem genuit Carolus nobilis in genere.
Nubila cuncta fugans mundi properavit ad æthra,
Nunc sine fine manet nubila cuncta fugans.
Deque sua facie superabat lilia pulcra,
Fulsit clara dies deque sua facie.
Nobilior meritis quam quis valet ore referre,
In specie pulcher, nobilior meritis.
Unus amor populi, virtus, pax omnibus una,
Dilexit cunctos unus amor populi.
Rex bonus & placidus, nulli pietate secundus,
Jure alios rexit rex bonus & placidus.
Cujus ab ore pio populus sua vota metebat
Suavia cuncta bibit cujus ab ore pio.
Raptus ab orbe fuit cito pastor largus egentum
. . . . . Raptus ab ore fuit.

Post epitaphium Alcuini sequentes versus subduntur.

Epitaphium Motharii.

Qui manibus librum lector comprenderis istum
Hic præcepta Dei discere sacra potes.
Scriptorem forsan operis si noscere curas,
Illius nomen nolo latere tibi.
Edidit hunc librum MOTHARIUS ipse sacerdos,
Conscripsit digitis hoc opus ex propriis.
Atque in honore dedit sanctæ sacer ille MARIÆ,
Ut posset requiem prendere perpetuam.
Quisquis es ô lector librum qui legeris istum,
Det sibi dic Dominus perpetuam requiem.

Item aliud.

Hoc recubat tumulo MOTHARIUS ille sacerdos,
Qui prius in mundo vixit amore pio.
Felix ille fuit, mundi terrena reliquit,
Eligit & sanas discere litterulas,
Plenius ut Domini potuisset dicere jussa,
Ante fuit humilis plenus amore Dei.

Epitaphium Dungali.

Quisquis es hunc cernens titulum, dic pectore puro,
Sit requies illi, lector opime, precor.
Te precor omnipotens quadrati conditor orbis,
DUNGALUS ut vigeat miles ubique tuus,
Atque suum jugiter defendas corpus in ævum,
Ne lupus incautus dilacerare queat.
Siderum ut valeat rite comprendere olympum,
Cum sanctis vitam participare queat.
Quærere divinum non cessat nocte dieque
Auxilium, ut possit vincere cuncta mala.
Divitias varias temnit mundi perituri,
A mundi curis libera corda vehit,
A Atque regit propriam justo moderamine carnem,
Pro carnis vitio ne pereat anima.
Mortiferasque rogat mundi contemnere pompas,
Cœlestis regni quærere lucra rogat.
In Domini meditans toto conamine lege,
Et servit Domino mens pia jure suo.
Discipulos proprios inlustrat lumine sacro,
Ceu posita in celso clara lucerna loco.
Scripturas promit casto de pectore sacras,
Edocet infirmos & validos pariter.
Lacte rigans pueros, & dat capientibus escam,
B Hinc lac ut capiant, inde cibum pariter.
Ceu pia mater alit natos cum mente benigna,
Escam grandævis, lac rudibus tribuens.
Plura quid enumerem sanctis virtutibus istis?
Dicere quas nequeo, scribere nec valeo.
Pectore si fluerent verba ceu flumina nostro,
Nec sic sufficerem digna referre tibi.
Sis sanus, vigeas, opto, per tempora longa,
Perpetuam requiem det tibi, posce Deo.
Solvitur incertis mundus cum casibus iste,
Et genus humanum pessima mors perimit,
C Cum venit extremum, nil prosunt tempora longa,
De mortis nullus lege solutus adest.

Epitaphium Authelmi monachi.

AUTHELMI monachi busto sunt membra sub isto,
Mors inimica annis quem tulit in teneris.
Principio vitæ felix terrena reliquit,
Despexit mundum, nunc super astra micat.
Nobilis in genere, placidus, bonus, omnibus æquus.
Nobilior meritis, quam valet ore loqui.
D Atque fuit sapiens, humilis, pietate repletus,
Ingenio fortis, fulsit in orbe potens.
Quisquis, ô lector, titulum qui perlegis istum,
Perpetuam requiem det sibi, posce, Deus.

Post Adelmi versus sequuntur alii ut infra.

Quisque venis studio discendi fretus, amice,
Grammaticæ normam quærere rectiloquam,
Hujus adito domus properanti limina gressu,
E Quam signat titulus versibus iste suis.
Ad liquidum certo quam primus dogmate duxit,
Donatus fama notus in orbe pia, &c.

Post versus de Rhetorica & aliis artibus liberalibus, hæc sequuntur carmina.

Dextera magna Dei ecclesiam tueatur, ab hoste,
Hanc quoque multiplicet dextera magna Dei.

Dextera ſumma Dei Carolum conſervet ovantem,
Auguſtum & protegat dextera ſumma Dei.
Dextera celſa Dei regiam conſervet in ævum
Prolem, & lætificet dextera celſa Dei.
Dextera clara Dei aſtrologos omneſque miniſtros
Salvet & ornet amet dextera clara Dei.

Poſtea ſequuntur verſus de Annuntiatione, Nativitate, & Aſcenſione. Tum alii de Bernovvino epiſcopo editi a Mabillonio, deinde verſus achroſtichici, qui continent preces ad Deum; & quidam alii ad Angilbertum etiam achroſtichice ſcripti: poſt quæ hæc ſequuntur.

Sic pro te tuiſque caris redde vota Domino,
Et ſuorum memorare ſupplico,
Aulam iſtam qui fundavit, triumphante Carolo.
Qui cupiat domum ingredi, doniſque vult perfrui,
Dicat vadens, oro ſupplex, pax huic ſit domui,
Quam juſſit ſervare Chriſtus ejuſque diſcipuli.
His peractis, exeuntes, ſupplex poſco, dicite
Miſerere, miſerere, rex Deus altiſſime.
Conſtruxit qui domum iſtam, ornavitque carmine.
Hac in domo fulget alma Chriſti crux mirabilis,
In qua ſalus, lux & vita, victor ineffabilis
Pendens plebem liberavit hoſtis ab inſidiis.

Epitaphium.

Qui cupis ut precibus Domini mereare favorem,
Hic interventus ante require viam.
Protinus invenies veniam portumque ſalutis,
Si fidis animis hoc duce quæris iter.
Hic namque eſt Domini verus puruſque ſacerdos,
Quem nullis mundus polluit iſte dolis.
Non iræ pompæque tumor, non fervor habendi,
Non fragilis luxus huic nocuere viro.
Sed conſtans, humilis, largus, patiens, pius, almus,
Civibus ille ſuis commoda cuncta dedit.

Item aliud.

Id proprium credens quidquid commune fuiſſet,
Nec ſibi ſe cupiens vivere, ſed patriæ.
Ædibus ille locum hunc poſitis, templiſque ſacravit,
Et vicum fecit urbis habere decus.
Quem æterno ſuos diligens cuſtodit amore,
Ac meritis pariter ne quis æquet ſeptenis
Sexies denos explevit curſibus annos,
Queis meruit vitæ præmia perpetuæ.

A Audax eſt igitur non falſo nomine dictus,
Namque petens cœlum æterna tenens.

Verſus Bernovvini epiſcopi ad Crucem.

Conditor æterne, quem laudo verſibus iſtis,
Rex requiem Bernwino da Pater piuſque redemtor,
Virtus virtutum, victor, victoria JESU
CHRISTE, tu juſtus judex, miſerere mei jam rex
Omnipotens Dominus mundi formator & auctor,
Sis pius & clemens, mihi ſis ſpes unica vitæ.
B Suſcipe hoc munus, te ſupplex accipe rogo.

Epitaphium Hebrarii.

Quiſquis magnorum dolet breve decedere vita,
Relegat hunc tumulum, commune ingemat cauſa.
Te igitur hoc tumulum acerba ætati
Impulſa nobiles hac mortuus ætate impulſa
Cuncta ſimiles habuit optima quæque inluſter
Nomen Hebrarius qui meruit conſortia ſanctis.
Quarto nonas Novembris caruit lumine vitæ,
C Indictio XI. obiit qui in ſæculo vixit annos XXX & VII.

Item aliud.

Hic conſtans, alacer, celebri probitate refertus,
Cœlum mente petens, membra cadit tumulo.
Cui nomen priſcum veniens de ſtirpe Pelagi,
Per titulos morum gloria celſa dedit.
Nam ſic juſtitiæ radiavit lance potitus,
Ut fuget pretii mens ſibi recta dolus.
D Quidquid opum ſancto vivendi more locavit,
Aut tribuit natis aut ſibi poſt obitum.
Et licet omne fretum ſeclivia ſancta ſalutis
Geſtorum meritis exſuperaſſe probet.
Et ſe ſalutis proſpexit mente ſancta
Vivendi cauſam ſemper habere ſuam.
Qui ſi quid noxæ quondam puerilibus annis
Contraxit ſenſus,
Nunc precibus pretio complexus præmia Chriſti
E Præſidium veniæ ſe meruiſſe docet.

Item aliud.

Hic probitatis apex, hic ſtatus gloria priſci
EVALIS terris invidioſe jaces.
Nam tantum dederat munus fors invida mundo,
Quod raperent merito nonniſi regna poli.
Tu culmen generis, tu morum norma priorum,
Tu pollens Latii lingua decoris eras.

Quod Vigelimbus erat genitor pietate magistra,
Quo nunc orbatus lumine triste gemit.
Sic vix dum teneræ radiabat flore juventæ,
Quod salibus cordis protulit ore senem.
Te conlapsa domus, te mens perculsa requirit
Et juvenum pariter & veneranda senum.
Heu dolor humani generis, lux alma bonorum,
Quod luctus patriæ, quod pia gesta docent,
Hoc nunc quisque venis visurus forte sepulchrum,
Pro tanto quæso ne doleare dole.

A Qui fulsit sæclo bis denis præstitus annis
Et tribus adjectis, mensibus atque tribus.

Epitaphium Ardoini & Didæ.

Quantum jure potest ornari femina donis,
Tantis ditata est jam Dida valde bonis.
Felix quæ dudum mansit cum viro beato.
Ardoinus nobilis optima quæque sua.
Quicquid viventi reliquit opes more locavit,
Aut egenis tribuit aut natis erogavit.
Qui decies ter simul vixit feliciter annos,
Bis quater pariter & mensibus undecim.
Kalendas caruit ille lumine Martias vitæ,
Jan decimo migravit arii Dida calendas.

LIBER MIRACULORUM SANCTI EADMUNDI ORIENTALIUM ANGLORUM REGIS AUCTORE ANONYMO.

Ex mſ. codice bibliothecæ regiæ.

OBSERVATIO PRÆVIA.

Sanctus Eadmundus Anglorum rex Orientalium, cujus hic miraculorum librum ex veteri mſ. codice bibliothecæ regiæ ante annos quingentos exarato exhibemus, martyrii palmam aſſecutus eſt anno DCCCLXX. *Ejus vitam Abbo Floriacenſis monaſterii in agro Aurelianenſi abbas, qui diu verſatus fuerat in Anglia, conſcripſit dicavitque Dunſtano Cantuarienſi archiepiſcopo, a quo præſertim ſanctiſſimi Regis geſta & martyrium* ex antiquitatis memoria *didicerat. Hanc Laurentius Surius ad Novembris diem viceſimam edidit, at de ejus poſt mortem miraculis nequidem unum verbum. Quapropter gratum eruditis viris fore ſperamus ſequentem libellum, ex quo illuſtrari poteſt Anglica hiſtoria. Hujus auctor anonymus, cœnobii S. Eadmundi haud dubium monachus, juſſu* felicis memoriæ patris Balduini *atque hortatu fratrum ipſi ſubditorum miracula iſta litteris ſe mandaſſe teſtatur. Fuit autem Balduinus ex monacho inclyti ſancti Dionyſii in Francia monaſterii, abbas tertius aſceterii ſancti Eadmundi, quod quidem ab anno milleſimo ſexageſimo quinto ad milleſimum nonageſimum ſeptimum ſumma cum laude adminiſtravit, quo tempore auctor ſcripſiſſe videtur.*

Prologus in textu miraculorum S. Eadmundi regis & martyris Orientalium Anglorum.

hæc 870. AD memorandum Chriſti Domini teſtamentum in ſæculum confiteamur Domino. Per ſanctum enim Eadmundum memoriam fecit Deus mirabilium ſuorum oppido, miſericordia ejus & miſeratione præcedente in humana conditione, ſine qua nemo ſalvandorum potietur edulio ſpiritalis intelligentiæ. Memores ſimus virtutum ſuorum operum per ſe ſuoſque ſanctos eſſe.

ctorum, nec ſubeat nos memoriæ negligentia, quia turpi maculatur nota cujus mens pigreſcit & lingua. Ferier ſiquidem, heu! multos illud propheticum anathema, *maledictus ducens opus Domini per neglecta*. Cum ipſe Dominus etiam in fines ſæculorum remuneraturus ſit quemque ſecundum meritum, bonos miſericordia, malos autem poteſtate judiciaria. Et noſtris quibuſdam præceſſoribus olim erat pondus criminis, ſi mutus eſſet titulus memoriæ nominis: quia ſi cetera deſint, dignum ſaltim judicatur, ubi juſti memoria cum laudibus ſit. Unde quoddam promeritum talibus dat pſalmographus, inquiens: *In memoria erit juſtus.* Memoria quorum ſi fuerit æternalis, non dubium quin non ſimilium fore debeat taciturnalis, quoniam ſilentii claudentur perpetuali carcere clauſi ſtygiali; quod nos Dei adjutorio evitandum ducentes, & in gratia Spiritus-ſancti munerum largitoris confidentes, ad S. Eadmundi Orientalis Angliæ procuratoris memoranda accingimur vertere ſtyli ultima, enucleatim de eo memorari quæque digniſſima, quædam nobis prolata credulo virorum eloquio, quædam quoque reperimus exarata calamo cujuſdam difficillimo, & ut ita dicam adamantino. Ad quæ contexenda non nos provocet, quod abſit, noſtra præſumtio, ſed felicis memoriæ patris BALDEWINI obſequenda juſſio, fratrumque ſibi ſubjectorum caritativa exhortatio, ut quod tempore plurium cum negligentia ſic eſt amiſſum, ſaltem quoad vivimus reparetur per talentum nobis a Deo commiſſum. Ad hoc guttatim ſuam irroret virtutem, qui totius ſcientiæ omnia continentis habet vocem, quique meritis patroni unde loquimur ſuam protegat plebem, ne miſeri triſtem zabuli trudamur in ædem, ſed æterni memores Domini hereditate data gentium, opus ejus ſentiamus manuum, veritatem ſcilicet & judicium.

Incipit textus miraculorum S. Eadmundi regis & martyris Orientalium Angloruin.

Univerſæ carnis viam ingreſſo EADMUNDO glorioſo, palmaque percepta martyrii pro viatico, inſtabat enim, ut chronica teſtatur Anglica, annus incarnati Domini octingenteſimus ſeptuageſimus, formati vero mundi, his exceptis, decurſis quinque millibus, idem juſtus Eadmundus, qui ut palma floruerat bonis operibus, agonia peracta, in domo Domini multiplicatur ut Libani cedrus. Mauſoleatus quidem, ut majorum nobis intimarunt relata, in villula Suthune dicta, de prope loco martyrizationis pro inſtanti fervore rabidæ perſecutionis, non auſo quippe eum transferre aliquo ſuorum ad quemlibet magni nominis locum, ſic Sanctus illo requievit, domuncula orationis ſuper eum habita perparviſſima, quoad paulatim refrigiuit perſecutio Danorum ſæviſſima, locuſque claruit, quem Dei providentia ſuo martyri digniſſimum diſpoſuit. Clarebat denique circumquaque juxta ſtatum ſancti funeris candelarum fulgor nimius in obſcuritatibus nocturnis, non hominum, ſed vere cœleſtium ſplendor, quarum cœli penetrabat faſtigium, monſtrans de eo nihil dubitative, quem Deus ſic munificare voluit cœlico lumine. Hoc primordium ſigni competenter Dei gratia præbet ſuo martyri, ut ſentiat mens humana lumine vigere cuncta creata, ſignante ſuper nos lumine vultus Domini, data nobis lætitia ſui fidelis Eadmundi.

De quadam muliere quam S. Eadmundus liberavit a judice.

Quia vero in tempore gratiæ benigniſſima Dei potimur miſericordia, laudem Domini proloquendo noſtra proferant eloquia, exarando pretioſi martyris Eadmundi geſta mirifica parrata per eum quando & quomodo voluit Omnipotentis clementia. Operatur enim per ſuos fideles Omnipotens ut per inſtrumenta artificialia quivis artifex prudens, quod & propheticis approbatur dictis, dicendo: *Mirabilis Deus in ſanctis ſuis*; quæ operata mirabilia fidem credendi nobis augent & implent, ſi vera relatione florent, ut debent. Quidam igitur LEFSTANUS nuncupatus pollens honore vicecomitatus in dioeceſi qua noſter veneratur ſanctus, ad improbationem ſuæ malignitatis, nihil ſancto deferens dignitatis: quippe cujus cor plenum nequitiæ, die calendarum Maiarum placitaturus aderat cuidam acervo, quem Dungiogo ſolite vocat populi frequens appellatio. Quo demoratus verſat in animo truci ac deteriori, ſi quid actionis juſtæ vel injuſtæ habeat alicubi, unde quoquomodo terrenus augeatur cenſus. Sic vorax talium conſuetudo ſuos ſolet variare ſenſus, ut offenſa malint hominum, quam nihil reprehenſionis eorum. In offenſa tunc forte ceciderat vicecomitis mulier quædam lapſa per caſus criminis, affectaque timore muliebri, ne ſubderetur affecta judiciariæ manui, ſanctum martyrem expetit redemtorem, & ſancti aſyli ſubiens loca, juxta martyris pignora, clericorum, qui adhuc ibi manebant, pauſat licentia. Quod dum judex comperit quem diximus, modo altercationis quis eorum ſit potiſſimus, vel martyr in liberatione, aut judex in damnatione, apparitores citiſſime dirigit, qui ſibi ream deducant præcipit, & ad ſupplendum facinus ſui rabide jubet violari loca ſancti: infelix neſcius futurum tale quid in ejus detrimentum. Eunt apparitores ex imperantis juſſione deteriores; intrant abſque venerationis honore ſancti baſilicam, aſpere requirunt a loci ſervitoribus vicecomitis ream. Hoc eccleſiæ majores Bonifildus ſacerdos levitaque Leofricus abnegationi ingerentes, ſemel quam ſanctus ſuſceperat

in ereptionem, ſe nullatenus in condemnationem, infelicis miniſtri auſu dæmonico permoti, violando ſancta ſancti rapiunt, ac eam deducunt qua poſſunt vi, clericis hac illacque genuflexis vindictam increpantibus ſeptem pſalmis & litaniis. Quorum vocem imprecationis Deus audiens non auribus ſurdis ſuo ſatisfacit martyri, ut glorificetur in ſæculum ſæculi. Interea loci vicedominus infamis poſt ſuos deſcenderat curſores in atrium martyris, habita ſtatione ad ſepulturam cujuſdam Bundi preſbyteri, non progreſſurus ulterius abſque dedecore ſui. Illuc virtus operata Deifica, alienatione mentis eum infecit & amentia, ſic martyris mulierculam liberans, & ab oculis ducentium devians, quorum curæ verſus ſuum damnatum dominum jam erat majoritas, quam perfici quod eorum cœperat protervitas. Poſſet videri tot uno impetu fieri, ream pervaſam liberari, judicem quoque a dæmone poſſideri, qui peroſus cœlo & terræ, vitam finivit male, tum vivus poſſeſſus a dæmone, tum itidem poſſidetur cadaver exanime, nec diu retentus ſinu ſepulturæ, mergitur in ſtagnum, inſutus tergore vitulino, tale ſic habens monumentum, quique non reſurget in judicio cum impiis. Jam enim erit vindicta Domini ut ſecuris ad radicem arboris.

De quodam rectore iniquo, quem idem martyr occidit pro tributo.

Qua ætate quidam SUEYN dictus nomine, effrenis animi elatus nimietate, & ad vim propagandæ dominationis faſtum ſuæ prætendens intentionis, nativum parvipendendo regnum, audacem tetenderat animum ad invaſionem regni Anglorum, quo tunc EDELREDUS pater inclyti regis Edwardi præerat, rex quidem omnium quæ paci ac quieti competebant. Sed quia raro quid proſperi cedit in longum dilectoribus ſæculi, dumque pax ſecure ſperatur inſperata, confuſio pro foribus minitatur. Præfatus rex Danicus apparata claſſium copia quam potuit citius, pervaſioni diu meditatæ inſtitit feſtinus, loco contiguo Angliæ *Geynesburch* nomine accipiens littus, ad damnum ſui videlicet, cui occultum Dei judicium imminet. Cognito itaque ejus navali adventu EDELREDUS, ſed & paùperrimo primatum, & ut, ita dicam, nullo reſiſtendi conſilio fretus, habenas linquens regionis Angliæ, Normanniam petit cum uxore, cedens ad tempus potenti fortunæ. Econtra procax SUEYN pervaſor audax Angliæ, eo fugato, ab inde vix valet quis eloqui quanta rabies ſibi fuerit cordi, cum parcens nemini, dedit omnem patriam vaſtitati inæſtimabili, inſuper lugubre malum, ſcilicet ubique ponit tributum, quod infortunium hodieque luit Anglia: multum felix, dives, ac dulcis nimium, ſi non forent tributa ſuorum regum. Sed tunc martyr EADMUNDUS valens apud Deum, quod fuit contrarium vertit in proſperum. Pervulgata quippe mali fama, turbatis omnibus pro formidine tyrannica dolet, gemit triſtis Angliæ principe fruſtrata, exſequitur velit nolit quæ pervaſorie rex imponit, nec perſona quævis ab hac executione ſit immunis, ſolum martyris familia fieri reſpuit tributaria, ſui ſancti poſcens auxilia. Exactoribus itaque pleriſque miſſis callidioribus, gregatim circumquaque ſatagunt ut regis aggregetur fiſcus, mentientes tanti operis viam, donec ad ſancti deſcendunt manſiunculam, Boedrici villam nuncupatam, ſibi dum vixerat ſuorumque anteceſſorum regum Orientalium a quodam, ut dicitur, rege Beodrico proprie nominatam, ſed modo pignoribus martyris ſacroſanctis dedicatam, ſuiſque ſervitoribus a prædictis regibus concedendo victualiter delegatam. Illuc ſine reverentia ſibi juſſa requirentes vectigalia, ore fulgureo villæ cultores territant, niſi quod quærunt annuant: ſed abnuunt Beodricenſes ſancto confidentes, qui erga eum non pigritantes malum infortunii removent in virtute Dei, quibus adeſt jam ſolita quam dat Deus fidelibus clementia. Porro unanimi eloquio ab incolis cenſu refutato tributario, tum quia ſe tributarios nullius fore dicunt niſi ſancti ſolius, tum defendi ſe ab hoc martyris protectione, ut ſoliti erant ab omni infeſtatione. Miniſtri falſitatis dominum repedarunt iniquitatis, evaſionem ſuam pro magno reputantes, nedum tributum a tam libero loco exigentes. Quoniam vero quærentibus fideli mente nuſquam deeſt, ſed affluit largitio Dominicæ miſericordiæ, cultores Beodricenſes hoc utilimum providentes, & in calamitate lugubri commanentes, ante ſanctum martyris corpus, invocando nomen Domini ſingultuoſis precum effuſionibus, animis invigilantes, exorant patrem Eadmundum diri SUEYN removeri tributum, cujus neceſſitatis interventu apud ſanctum fit medius EGELWINUS monachus. Ipſe enim ſancti famulus nocturnæ revelationis mutuis allocutionibus ut ore ad os loquebatur ſibi ſæpius: qui in habitu laïcali deſpecta dudum pompa ſæculari, in eadem eccleſia ad amorem ſancti contulerat ſe primus monaſtico ordini ſub conſtitutione regulari deſiderantiſſime cucullatus inibi, adeo ſpiritualium exercitationi inſudans operum, ut devotus erga ſanctum ſervilem exhibens cultum, incorrupta ſancti corporis membra pura ſæpe ſuperfundebat aqua capillos ſancti capitis componens dentibus pectineis, quos detraxerat cum pectine, diligens reliquiarum more ſervabat in buxide. Hac excellentia prærogativæ ſingularis ditatus, martyris conſecretalis cubicularius a ſuis vocabatur agnitoribus, omnimodis debitum impendendo ſervitium, ut viventi in carne ſolet quis hominum. Hujus rei gratia

pro diverſis oppreſſionibus ſanctocolloqui ſolitus, ut amico amicus per noctis ſilentia viam levaminis ac conſilii ſalubrioris reſponſa crebro capiebat utilia. Inter hæc a præfato monacho querela populi commanentis eo notificata ſancto, meruit ſincera cordis ejus fiducia, juxta quod petierat, exaudiri, & ab ingruenti oppreſſione per opacæ noctis ſilentia deditus ſopori, ut expetit uſus, revelari. Tunc felix EADMUNDUS ſuorum miſertus, verba cum
* f. Regi. minis* rei SUEYN mittit, dicens: In meos » quid furis? quid tributarios facis? Ceſſa, » ceſſa tributum exigere, quod nullo dede- » runt ſub rege, nec requiſitum, nec perſolu- » tum fuit pro me eorum aliquo tempore: » quia ſi te ab hac infeſtatione non removes, » prope cognoſces quod Deo mihique pro po- » pulo diſplices. Sic famulus Dei injuncta per ſoporem tenaci memoriæ commendans, ad ſui populi relevationem ſub deſignato termino viam hilaris arripit pro poſſe ſuo, tandemque meta viæ finita, regis diu quæſiti utitur præſentia. Quo ſtipato Danorum miſerorumque Anglorum ſatellite plurimo, necnon perorata ſalutatione, eloquio Egelwini, ut decebat, luculentiſſimo, legationis cauſa cur venerit palam proſecuta, miſcendo diris blanda, ſed & mitiſſimis demulcendo aſpera, mandatum martyris indicat & edocet, videlicet ne ſuos cultores pondere tributi ullatenus oneret: ſin autem; interminationem veram futuræ incommoditatis ſentiet. Tum magis magiſque Martyris mandato ſollicitatur ab Egelwino ſecretario trux SUEYN, & frendens ut leo ad *Geynesburh* in generali placito. Sed ſanctus martyr ſpretus cum nuncio inſtat interminationis negotio, nuncium contumeliis verborum laceſſitum, ſpretum ac pulſum muniens divinæ ſecuritatis clypeo. Ipſe longe poſitus & Deo proximus hoſtem proterit, inimicum perimit, tributum minuit. Ecce martyr Eadmundus potentia ſignorum mirificus æquiparatur Mercurio martyri, ulciſcenti injuriarum blaſphemias apoſtatæ Juliani in genitricem Dei, Baſiliumque virum Domini: uterque conſummato vitæ curſu roſeo martyrii certamine confringunt reges in die ſuæ vindictæ, ad levamen & auxilium ſuorum conquaſſando capita fortium in terra multorum, quia de torrente, id eſt morte, in Chriſto biberunt, propterea eorum exaltatur caput. Supra memorato Egelwino deturpato verbis ac minis a rege iniquo, contumeliis quoque & ſub jurisjurandi ſponſione niſi fugiat, confutandum fore, paululum affectus mœſtitia diſcedens, verum in ſuo protectore non ficta mente confidens, declinata jam die Lincolnienſes fines ingreſſus, quo poteſt cum ſuis procurat corpus, deinde feſſos artus pauxillæ concedens quieti, diſpoſitione Dei & voluntate ſancti obripitur dulcedine ſomni, eo uſus firmiter ut plerumque talibus ſolet fieri delectabiliter. Quo martyr adeſt pretioſus, procurator ejus, ac dictator viæ ipſius, allevans cum ponderis mœſtitia, inculcando ſe defectui SUEYN auditurum gratiſſima, antequam ad propria unde venerit appropiet habitacula. Quin etiam præmonet ſomno excitum itineris arripere greſſum ante diei crepuſculum. Surgit impiger monachus, complicibus excitus a ſtratibus, procuratis neceſſariis carpit onus itineris, partim martyris affamine ſiſus, partim regis indignantis duris rationibus pavidus, ſed præceſſus ac ſubſecutus a quibuſdam viantibus militibus, ab uno ſuorum ducit inquirendum conditionem eorum, verens ne loco ſuo præmittantur extorquendo tributum. Inde pavefactus quam maxime, & poſt eos equitans longiuſcule, tandem inquiſitoris reſponſione auditus etiam ſui intentione, perpendit eos perſtrepere verbis prolatis Danice. Imminente quippe acceſſu poſterorum, cum jam proximaret inceſſus præcedentium, datis ſalutationibus, ut moris eſt, viatoribus in invicem gratum duxit protelandum cum eis aliquod affamen, in quo ab inſiſtentibus oculo ſubtili cognitus, verbis unius ſic eſt adortus: Quæſo te amicabili ratione, utrumne ſis preſbyter ille, quem æſtimo conjectationis modo, ut videris eſſe, nudiuſtertius ante regem SUEYN locutum fuiſſe, audacter interminando ex ſancti tui Eadmundi injuncta legatione? Hoc eodem profitente humili voce ſe ſine dubio fore, cum gaudio audit quod ille gaudenter intulit, regem poſt ſuum vaticinium ſequenti nocte mala morte multatum, perfoſſum cuſpide terribiliter vita deceſſiſſe. Quæ intimata nullius credulitatis figens anchora, inter ſpem & metum tenuit, quoad propria reviſere potuit, veriuſque factum cognovit relatione plurium. Celebrior ergo pro tam inſperato facto habitus eſt ſanctus ab ipſo cujus receptione ſenſit liberos non ſolum ſuæ pauperes villæ, ſed etiam per Angliam totam deferbuiſſe invaſionem guloſam, ad relevationem pauperum, quorum non oblivíſcitur Deus eorum. Sed ne claritas tanti miraculi obumbraretur raritate teſtimonii, voluit omnipotens proferri in propatulo quid invictus martyr egerit pro ſuo populo.

Contigit autem in vicecomitatu *Ceſtſexſſe* in domo cujuſdam villæ, eadem nocte qua *Sueyn* malo periit omine, quemdam ſic infirmitatis mole depreſſum, ſic ſola facie, ſic pectore vivente, paululum morituro ſimillimum, ut viribus negatis, nulli aſtantium videretur eſſe vitalis. Ad ſignum vero triumphi inſigniş EADMUNDI hic encliticus morti contiguus, triduo in agonia poſitus, ſic in medium ab amicis viciniſque cuſtoditus in verba prorumpens, pandit aſtantibus *Suveyn* Sancti perfoſſum cuſpide, vitam male perdidiſſe Dei pro ſancto ultione. Quod ut aperuit virtute orſs, reſidens in medio le-

ſtuli, dono Dei omnipotentis, eo ſigno verum affirmat quo ſe mortuum ut prius in ſtratu collocat, datque fidem verbis. Jam nunc viget veridici effectualiter ſententia Pauli, docens Romanos Dei inviſibilia per ea quæ facta ſunt a mundi cognoſci creatura, ut ſuperius de *Suveyn* relata ultio peregit divina, ſcilicet per ægrotum ſubito locutum, moxque defunctum, quod erat ignotum ſit procul dubio notiſſimum ad Conditoris laudem, cui totus orbis dicit *amen*. Sicque graſſante lætitia Danorum, in præcipitium verſa mœrorum, corpore domini ſui Anglica non merito ſepultura, diſpoſitione dictante ſuperna, cadaveri locus multo ſale repletur, ne ingruens fœtor obſit navigantibus remeantibus ad fines proprios, exitus habentibus per omnia peſſimos: unde benedicatur Deus potenter deponens potentes ſine tenus.

Quomodo presbyter denegavit hoſpitium corpori Sancti & delatori ejus.

Verum quia nihil gradus ſtabilis præter æterna, nanciſcitur dubius orbis, Anglia totiens propulſata infeſtatione Danica ab Aquilone iterum perpetitur malum incurſione Danorum, ad *Gippeſvvich* verſus ſolis ortum cum quodam Turkillo appulſis navibus, confinia S. martyris Eadmundi exterminantibus, quæque ſuppellectilia devaſtantibus. Qua tempeſtate tunc orta, Danorum res acriter invadentium Anglorum, Chriſti teſtis EADMUNDUS cum loculo vehiculo ſuperpoſitus, ab Ægelwino ſuo jam dicto ſecretario circumcirca deducitur, ne tantum theſaurum manus deprehendat malorum, vel fruſtrentur eo quo quos fovebat remediali præſidio. Hac compulſus formidinis ſollicitudine Ægelwinus inſtat procurando officioſiſſime, cum amminiculis quibus audet, deducens per diverticula quæ poteſt, maxima diffugiens ædificia, hoſpitari contentus ad quæque humilia. Similis ipſe itinerantium nundinas pro mercibus frequentantium, quo dum redeunt, timoris viam ineunt, ſemper a tergo timentes, nec minus timidum iter ante ſe prætendentes. Felix ac felicior feliciſſimo quiſcumque modum coëmtionis iniens cum Egelwino, cui præ manibus viget tanta merces Dei dono. Non auro mercabitur Arabiæ, vel ulla ſpecie nundinarum in die, quod talis ac tantus emtor reperit ſola fide. Sic ÆGELWINUS tanta merce ditiſſima fretus, calle diurno non tamen ſine pavore tranſcurſo, intrat Æſeſexæ fines veſpertinalibus horis, manſiunculam invenit levamen laboris, quo notata cujuſdam Eadbrihti preſbyteri habitatione, patris ſcilicet EALFUVINI poſtea abbatis Rameſeyæ, quæritat gratiam hoſpitandi cum ſua modica ſupellectili. Sed preſbyter quæ ſit ſuppellex ignarus, hoſtiumque circumquaque rumore pavefactus, ingreſſum domus renuit, deforis autem locum commanendi annuit. Eo contentus Ægelwinus cum ſuo domino noctis deducit excurſus; cujus cum Deo meritum ſit dehinc pluribus notiſſimum, dum pernoctant a foris preſbyteri domo, ſanctus in vehiculo ductorque cubans ſub eo, ſic ſanctus eſt illa tugurium & nocte lumen lucidum velut in meridie mundus ſolis claret lumine. Quam felicia quieſcentis lectiſternia, ubi ſervus ſecura ſomni carpit otia, Dominus tuetur ſervum per noctis ſilentis curſum, vice ſermonis cantici canticorum: *Ego dormio vigilatque cor meum*. Utique vigil merito vigilavit Eadmundus modo, ſed & EGELWINUS dormivit ſub eo ſomno ſoporifero, dum in Gallorum conticinio, quod diei præeſt crepuſculo, movent ſe vehiculi rotæ, non hominis ſed Dei motione, ſancto quid ex hoſtibus præſciente, viamque progredi volente. Surgit a ſtratu dulci qui dormierat, tandem præmeditatus novit, quis agitationis rotarum actor fuerat, paratus iter cum aurora properat properare. Jam ſolis orbita horæ primæ progreſſa linea, cernunt itinerantes poſt ſe proſpicientes manſionis relictæ res omnes verſas ab igne, ſeu fecerit furor hoſtium, ſeu fati vindicis aliquod præſtigium. Dicuntur enim ſic evenientia vulgariter fore fatalia; ſed, ut credimus, ignis conſumſit edacitas, quod dura preſbyteri recuſavit hoſpitalitas.

De rotis vehiculi S. martyris, una in ponte hærente, altera in aëre volutante.

Itinere citato taliter curſu diei peragrato, dum pervenit ſanctus & auriga ejus ad aquæ cujuſdam tranſitum, fit ibi dubium quomodo ſancti gleba tranſiret in rheda. Tabulatus quidem pontis arctior rotarum vehiculi ſpatiis pontem per medium videbatur prohibere tranſitum, ſed facit virtus divina pro ſuo ſancto laudabilia. Tranſit enim ſanctus cum rheda, cui pons & flumen jacet via æqua. Aſpicit Ægelwinus ammirator hujus viſus; laudat ſanctiſſimi meritum Eadmundi, per quem benedicitur Filius Dei, cujus rotæ vehiculi dantes certa veſtigia ſuper flumen cucurrit dextra, æque ſuper pontem ſiniſtra, more Petri calcantis æquor nutu Domini. Hinc Deus benedictus per omnia, modificans ſuis fidelibus cuncta creata. Lætus ad hæc Egelwinus pro viſu miraculi Londoniæ properat pignora ſancti, ut in ſecuritatis portu commaneat, ſanctuſque ſuus ad laudem Dei virtutibus præfulgeat.

Quomodo infirmi ſanantur intrante Sancto in Londoniam.

Cujus viſitationis lator Egelwinus, deſideriorum deſiderator, in civitatis ingreſſu præfatæ percipit, Deo ſanctoque Eadmundo cooperante, a via quæ Anglice dicitur *Ealſegale*, uſque ad eccleſiam B. Gregorii papæ

octodecim curatis deſideratam curationem ab eis vario corporum pulſo languore. Ad ſpectaculum ſanitatis quorum, interea dum juxta fertur quædam in ſporta a ſingulo pede tenus membris contracta, audito plauſu prodigiorum Sancti, O, inquit, utinam mei perciperent oculi, quis, qualis, & quantus hanc urbem ingreditur Sanctus: illico ſtans in pedes carlem exilit, diu ſibi peregrinæ ſanitatis munus excipit, nonadecima facta curatorum, virtutes Dei in ſancto Eadmundo magnificantium. Poſtmodum Egelwinus hilaris deſiderabile reponit pignus ſancti in ecclesia memorati Gregorii infra atrium apoſtoli Pauli, illuc ferme triennio cum ſuis excubando theſaurizat pro certo, ſed non ignorat cui ea congregat, id eſt Eadmundo ſibi in animo omnium horarum momento; quot & quæ virtutum ſigna cum martyre patrarit hic celſa Dei gratia, pulchrius ulla re foret ſcriptum relatu, ſi non torpuiſſent priores infecti ſocordiæ nexu, necdum a ſe vigilando repulſis torporis ac negligentiæ tenebris ſtudii pigritantibus otiis.

De quodam Dano quem Sanctus cæcavit, & iterum illuminavit.

Attamen ne dicamur in meridie palpitare, a nobis excuſſo pigritiæ faſce, dilectores ſancti dicamus quod indicat rumor verus ac moderatus. Oblata fuere ſancto donaria rerum multarum innumerabilia: incolæ, cives & advenæ, ſua dant xenia quæque, parum videtur cuique ſua donare. Talis eſt omnibus devotio. Sancti quoque ſic religioſa creſcit veneratio. Inter quæ quidam Danus tanta veneratione vanus, abuſus devotione, ſed & torva plenus intentione, accedens ad ſancti lætitiam, illiuſque proterve unde operiebatur elevans pallam, oculo quærit proterve circumſpicere, quis vel quantus habeatur ſanctus de eorum genere dictus. Qui circumſpiciens manum non impune ſentit fore quidquid ſit proterve; illico lumine fruſtratur, quia ſeptimum eſt quod Deus abominatur. Talium memor Eccleſiaſtes concionatur dicens: *Sex ſunt quæ odit Deus, & ſeptimum abominatur anima ejus*, id eſt oculos ſublimes, quibus omnes notantur arrogantes. Sed tumor arrogantiæ talis in modum vertitur melioritatis, Deo & Sancto peccatori propitiatoribus, Danoque fuſo ad pœnitudinis fletus, humillime quærendo miſericordiam, donec impenſam adipiſcatur veniam. Et quia cor contritum non reſpuit Deus & humiliatum, & quanto corda duriora, tanto ſæpe per bonum flexibiliora, exauditur Danus, receptis viſibus ſanus gratanter munificat ſanctum armillis aureis ambarum manuum, fuerat enim ex ordine magnatuum, laudans amodo Deum, venerando quoque ſanctum Eadmundum.

Quomodo epiſcopus vi retinere voluit corpus Martyris.

Ante legem oppido ſubque legis conſtituto Deo ſuis in fidelibus olim mirificato, adeſt ſub gratia modo ſanctum de quo loquimur dictim mirificando. Et jure, cum proteſtetur Veritatis voce intra patriam propriam acceptum non fieri quemque prophetam. Qua acceptatione potitus infra Londoniæ mœnia martyr Eadmundus mirificus ſignis per opera mira animat ſuos, privata ſecum ſine mora repetit territoria. Ad quod petita quæ debebatur licentia, conceſſaque non abſque animoſitatis injuria, advenit cum ſuis Ælfhun dictus præſul urbis, ſimulans modum devotionis: verum quod diſſimulavit, verus rei finis palam propalavit. Idem præfatus pontifex ſe quarto ut ſancti levaret pignora accedens, immobile reperit quod movere tentavit: additiſque quatuor aliis, ſanctus perſtat immobilis, ſed non pro duodecim movetur, nec dum totidem numero adhibentur. Animus enim præſulis fuerat memorati, tractarat quoque cum ſuis & id conſilii, ſanctum vi ſe deferre in baſilica apoſtoli Pauli, ſi quo modo ab eccleſiola ubi manſerat poſſet efferri. Bona quidem devotio, ſed a voluntate ſancti diſcrepabat talis intentio. Interea præſentibus aſpectu tali ſtupentibus, lectica ſancti veluti monte quodam immobili perſiſtente, appropiat Egelwinus martyris ſervitor fidiſſimus, ſanctum invocans orat medullitus, ne eum hac vice ſuæ voluntatis fruſtretur oſtentamine, inpræſentiarum oſtendendo utrumne velit propria reperi ſe dehinc movendo. Quem martyr exaudivit, ut crebro conſuevit, & exauditus quartus cum ſuis tribus beati levat corpus, levatoque nihil ſentiunt levius, ac ſi ſit ponderis nullius. Sic hymnizando cum populi frequentia, itinerantes urbis exeunt receptacula. Repedat Eadmundus agonitheta ſua manſionaria, refrigerata jam Danorum ſævitia. Beodricenſibus ineſt modus exultationis, adventando corpore ſui regis, & quo caruerant temporum per ſpatia, exultant a modo ſignorum cum gloria. Requies eſt iterum præſentialis villæ Beodrici, Æſtenglæ præcentori, Eadmundo martyri. Quin & aula cœli cohæreditando Chriſto communis ſit ſibi, hic ſuos patrocinando, illic haud minus pro ſuis interveniendo. Adverſa invitat in proſperum, proſpera firmat in integrum, nihil ſubreptionis malæ requiſitus ſuis fidelibus ſinit ineſſe vel inane. Valens apud Deum alienat qualitates rerum, tergiverſat acredinem paſſionum, radicitus mitigans motus animorum, viciſſitudine patrata rerum diverſarum.

De quadam muliere contracta, quam sanctus Eadmundus sanavit.

Ex partibus diversis Britanniæ majoris Sanctum plures revisunt causa sanitatis. Quidam sibi salutis necessaria statim expediuntur, quidam dilata ad tempus præstolantur. Nullus tamen abit ingratus, cujus fide cooperante non misereatur sanctus. Talibus inter est quædam infirma, sic cingulo tenus inferius debilitata, sic pedibus ac cruribus frustrata, ut scabellulis in manibus clunibusque uteretur pro pedibus, donec remediabilis Eadmundus salutaris suus foret medicus. Ad quem tunc descenderat devotionis gratia quædam nobilis matrona ab *Esexse* finibus orta, nomine Ælfesga, in sancta basilica pernoctans excubando, oblationis suæ lumine accenso, ut credo nutu divino futura sancto pro testimonio. Sanctæ autem prædictæ basilicæ matricularius extiterat Brunsdanus vir fidelis & monachus, quem etiam latere noluit deifica virtus, si quid operis divini sanctus esset operaturus. Accubat encletica nocte eadem in ecclesia, ut erat solita, consuete sancti suffragium præstolatur & invocat, quod & martyr Eadmundus de sacrario divinitatis excitus accelerat. Egreditur enim sub silentio noctis de locello suæ sanctæ pausationis, in modum viri admodum venerabilis, fulgurandose obeunte cœlestis claritatis fulgure, sicque transgrediens sancta sanctorum itinere silenti reservat valvas interioris asyli, progressus circumspective ad occiduam partem domus Domini. Talis & nocturnus itinerator, quo venerat deintus revertitur eo, sed in reversione divinus fit operator, futurus suæ pauperis mirificus adjutor. Appropiat quo debilis recubat, signum crucis a capite ad pedes desuper sicuti jacet figurat, compaginans redintegrando nervos ac membra jamjam diebus multis & annis debilia. Dehinc martyr pretiosus ad sancta sanctorum venerandos infert gressus. Vere Deus mirabilis agit mirabilia suis in sanctis, spirituales agunt spiritualia profutura plusquam corporalia. Extendit se jam sana mulier diu debilitata, dat vocem clamoris in extensione, cum quodam corporis angore, nec etiam mirum laxatis contractionibus compaginum, dum superastans sanctus pro medela signat debile corpus. Vigiliis instat matrona superius dicta, videns talia timet velut in extasi missa. Surgit matricularius frater Brunstanus pavoris horrore pervasus, partim sonitu vocis infirmæ, sed modo recuperatæ, partim audito strepitu stupet quasi pro latronum ingressu. Videt ac si in ingressu cujusdam moveri cortinam, quæ ante sancti appendebat lecticam, quas etiam manu cum sera clauserat valvas, invenit reseratas, & sic diligenti ac timida perscrutatione rerum reperit matronæ protestatione. Hæc quoque nocturnaliter visu protestans verissima, verax creditur, dum coram sana muliercula præsentatur. Jam synaxi matutinorum instante, modulataque quo competebat more, miraculum propalatur, impræsentiarum laus Deo decantatur & jubilum, Deus adoratur in sanctum Eadmundum, martyr Eadmundus veneratur in Deum, Deo vivente in sæcula sæculorum. Amen.

Explicit de miraculis sancti Eadmundi regis & martyris.

TRANSLATIO S. JUSTI PUERI NOVENNIS ET MARTYRIS.

Ex ms. Malmundariensis monasterii.

Cap. 900. IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, omnibus in quadrifidi mundi hujus plagis constitutis catholicæ ecclesiæ filiis, Liruthardus hujus ecclesiæ præpositus, omnibus, quamvis indignissimus, Christicolis honor & lætitia, salus & vita sit opto per sæcula. Talenti sibi crediti omnes norunt fideles Domino se rationem reddituros, & ab ipso æquissima lance pro bene dispensato talento perpetuæ remunerationem vitæ percepturos, pro male vero offenso (quod absit) ignis maledictionem æterni. Hæc ergò semper animo revolvens, nolui tamquam invidus occultare quædam, licet perpauca, magnalia, quæ Dominus mihi propriis concessit oculis perspicere, sancti Justi martyris pretiosi, sed multis proferre in medium & facere commune, certus quod quantum plures ex eis Deum magnificaverint, tantum major merces mihi acquiritur: qui cum exiguum ad hanc narrationem me considerarem, elegi hoc detegere quod parvi sim sermonis & inertis ingenii: unde obsecro, ne qui culpam taciturnitatis vitare volui præsumtionis noxam incurram.

Hic igitur beatissimus Christi martyr noster vita & nomine clarus, dum adhuc infantiæ operam gestaret, tempora Domino consecravit martyrio. Furiosi namque jussu Rictiovari Christi nomen constanter confi-

tens, a militibus mucrone percussus, æternam a Domino percepturus coronam, migravit. Ego igitur dum hujus sancti martyris ardenti desiderio sacra pignora, quodam in partibus Galliarum in regno, quod dicitur Caroli, pago vico Konienſi, data quantum tunc temporis oportebat pecunia, expetiissem, illeque assensum votis præbuisset, nocte soli pariter, nam die non audentes timore vicinorum, ad ecclesiam in qua sacrum corpusculum humatum honorifice consistebat, properaturi proficiscimur. Itaque dum secundum divinæ pietatis piissimam dispositionem, vestræque propositum voluntatis, de mausoleo sanctum foras corpus super altare poneremus, divina nobis apparuere insignia. Nam ut se beatus martyr cælesti insertum declararet lumini, amovit a nobis densissimæ noctis tenebras. Dum enim una nobis sufficeret candela, divino mox cuncti per ecclesiam accensi sunt lumine cerei. Quo viso, mox tanto obstupefacti miraculo, timoreque perculsi, magnas Deo & sancto martyri referebamus gratias, quia nobis, licet indignis, sua panderet mirabilia, quæ aliis ad laudem sui nominis & honorem sancti martyris veridica oportet relatione referre. Suscipientes igitur a supradicto sacras reliquias, raptim cum militibus carpere iter cœpimus. Post paucos dies devenimus ad civitatem Cameracensem, in qua aliquantisper moraturi, [a] jussu domini STEPHANI (*a*) episcopi, quemdam ejusdem civitatis adivimus civem, apud eum illis hospitaturi diebus; qui nos cum exultatione in suam introduxit domum. Nobis ergo ipsa nocte magnam humanitatem intuentibus, etiam omnino ex tanta itineris longitudine fessis, pabula exuberanter tribuens. Habebat autem filium clericum, qui cum nos in patris sui comperit domo nocte degere, advenit, nobisque condelectari cœpit. Ego vero dormitum pergens, sacrum corpus in quadam arca recondidi, tum clave munivi, quam nequaquam patrisamilias crederem, ad proprium dependi cingulum. Soporem itaque nobis dulciter capientibus, pater proprium decipit filium, hortatur ad crimen, auferre nobis equos jubet, & ad vicinum deducere proximum, futurum ut mane facto pretium distributis susciperet. Deinde arcam in qua corpusculum pueri innocentis a me repositum fuerat, alium in ea thesaurum putantes reconditum, effringere moliuntur. Sed Deus omnipotens sancti sui, noluit nos proprio frustrare patrono. Jam jamque enim frangenda arca maximum dedit fragorem, ita ut omnes stupidi a somno excitaremur. Ignis etiam qui jam cineribus adopertus erat, resplenduit, quasi omnis accensa domus esset. Videntes hos propius assistere, rem ignorare nequivimus. Gratias igitur Deo per cuncta fateor dignissime referendas, qui nos inter micantes gladiorum ictus, qui ex utraque parte processerant, non solum incolumes conservavit, verum etiam sicut de ablatione equorum humana nos (incitante bonorum omnium invidia) mœstos reddiderat malignitas, ita ejus piissima benignitas de ereptu lætificavit immaniter.

Aliud etiam mihi quidem lætabile, ceteris vero venerabile, huic non dispar, ad declarandum ejus in omnibus periculis, invocato ipsius nomine, potentiam, silere refugio, & huic narratiunculæ inserere.

A præfata civitate gressum dirigentes cum sanctarum auxilio reliquiarum, in medium iter habuimus in Conduſtrium, quo in pago quoddam oportebat navi transnatare nos flumen, ab incolis Urtam vocitatum. Hoc autem dum nimiis conspiceremus pluviis alvei sui ripas transisse, mortis timore ingredi minime audebamus, etiam equis cunctis intransmeabilis extiterat. Sed tandem in opitulatione Dei sanctique martyris Justi animum & spem ponens, mediam sacri corporis glebam colloco in naviculam, & sic inundationem fluvii illius secure transmeavimus. Postea prospero congressu iter carpentes, adventum nostrum fratribus nostris Malmundarii (*b*) positis innotuimus, qui cum ingenti [b] exultatione nobis obviam procedentes, cum hymnis & laudibus corpus beati martyris in locum suum honorifice collocavimus, ubi per merita Sancti, ad laudem & gloriam nominis sui Deus quotidie virtutes operatur, qui vivit & regnat Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

(*a*) Hic Stephanus anno 909. subscripsit concilio Trosleiano ac vitam cum morte mutasse dicitur circa annum 933.

(*b*) Malmundarium est monasterium in extremis finibus diœcesis Colonienſis, cujus abbas Stabulenſis administrationem habet.

VITA SANCTI NICONIS METANOITÆ MONACHI,

EX PERVETUSTO CODICE GRÆCO in Latinum converſa ab erudito viro Jacobo Sirmondo S. J. presbytero.

OBSERVATIO PRÆVIA.

ACTA ſancti Niconis Metanoitæ in Armenia monachi debemus diligentiæ clariſſimi viri Jacobi Sirmondi Societatis Jeſu presbyteri, qui ea ex pervetuſto codice Græco Sfortianæ bibliothecæ eruit, in Latinum convertit, communicavitque illuſtri Cæſari Baronio S. R. eccleſiæ cardinali, ut iis in condendis Annalibus eccleſiaſticis uteretur, quod & ille feliciter executus eſt. Eadem etiam ab ipſo Sirmondo olim accepta editioni parabat noſter Lucas Acherius, cum labores ejus reipublicæ litterariæ adeo utiles mors prævertit. Verum tam eximium opus tam eximii tranſlatoris judicio approbatum, diutius in tenebris jacere non patiuntur virorum eruditorum vota, qui illud quam citius publici juris fieri impendio deſiderant.

Auctor non uno in loco Lacedemonium ſe profitetur, dignitatem vero ætatemque ſuam prodit num. 74. *ubi ſe monaſterio ſancti Niconis præfectum ſeu abbatem creatum fuiſſe aſſerit indictione* XI. *anno* 6650. *hoc eſt, ſub annum Chriſti* 1150. *ut exponit Baronius. Porro ſancti Niconis non ſolum meminit martyrologium Romanum ad* 26. *Novembris, his verbis :* In Armenia S. Niconis monachi; *ſed etiam Græcorum menologium hoc eum decorat elogio :* Menſe Novembri die 26. ſancti patris noſtri Niconis Metanoitæ. Hic in Armeniæ regione ortus, primarii cujuſdam viri filius fuit, qui cum Domini vocem audiſſet : *Omnis qui reliquerit patrem aut matrem, &c.* Omnibus relictis, ad monaſterium quoddam profectus eſt, in quo omni genere monaſticæ exercitationis ita profecit, ut ſumma vitæ aſperitate omnes, qui ante eum fuerant, ſit ſupergreſſus. Quod cum ad patris ejus notitiam perveniſſet, omnes monachorum cellas inveſtigando perluſtravit. Ipſe vero inde abiens, totum orientem obiit, clamans : *Pœnitentiam agite*, ex quo & nomen Metanoïtæ ſortitus eſt. Peragrata autem inſula Cretenſium & Peloponeſo, aliiſque urbibus, Lacedemonem denique ſe contulit, ubi, variis editis miraculis, templum erexit Chriſto Salvatori noſtro, in eoque monaſticam vitam uſque ad finem perducens, ad eum tandem, quem deſiderabat, certaminum coronam percepturus exceſſit.

VITA ET CONVERSATIO, cum exacta miraculorum enarratione ſancti & mirifici NICONIS *Myrobliti, qui cognominatus eſt Metanoita.*

1. SI non loco, nec tempori, ſed firmo potius animi propoſito præclara quæque facinora, ſummique virtutum progreſſus adſcribendi ſunt, a recto judicio minime aberrabit, qui ad hunc ſcopum intendens, virtutem loco non circumſcribi, nec ad veram philoſophiam conſequendam temporis auxilio indigere dicet : ſed ſolo mentis conſilio ac ratione bonum perfici cœleſtiſque gratiæ copiam Spiritus-ſancti in eam illapſu large & affluenter infundi. Etenim ſi natura, non mores, virtutem, aut vitium pareret, duo utique non eſſent, ſed alterum una eademque lege perpetuo dominaretur. Multa autem qui curioſius inveſtigarit hujus rei argumenta, tum in anteactis, tum in hocce noſtro ſæculo reperiet, unde ſit eram veri-

tatem perſpiciat, quemadmodum hæc via omnes, qui veræ philoſophiæ ſtudio flagrarunt, vitamque a vulgo remotam duxerunt, ad majorem præſtantioremque gloriam evecti fuerint, & primo lumini, quoad fas fuit, appropinquantes, pivinitatis per gratiam participes, Altiſſimique per eamdem filii evaſerint. Quo ex numero, & is, de quo nobis inſtituta eſt oratio, clariſſimus Nicon fuit; Niconem dico, qui re magis quam verbo id nomen ſibi proprium fecit, vereque id fuit quod vocabatur, aut ut verius dicam, ne dignum quidem ſatis pro eo, ac meruit, nomen ſortitus eſt, ſed illo ipſo multis partibus ſuperior fuit, victoriam de hoſtibus referens, & præclara de illis trophæa conſtituens. Qui licet tempore antiquitus poſterior fuerit, qui multis agonibus laboribuſque monaſticis, & ceteris divinis ſtudiis, præcipuam cum Deo familiaritatem adepti ſunt: propiore tamen ad Deum acceſſu longo intervallo prætervectus, ita omnes propemodum ſuperavit, ut omnium qui virtute clari fuerunt, eorumque adeo qui extra mundum hunc poſiti vitam humanam potiorem egerunt, gloriam famamque obſcuraſſe videatur: quippe qui ſummam illam & abſconditam virtutem, quæ apud multos in dubio verſatur, virilis animi conſtantia, ſi quis alius, in omnium oculis præſentem exhibuit, arduumque & aſperum iter quod ad illam ducit, & pleriſque clauſum atque invium eſt, patefecit; non natura quidem iter hoc terens, & intactum in medio hominum cœtu animi florem cuſtodiens, ſed recto potius mentis propoſito, & propenſa ad honeſti ſtudium voluntate. Unde velut columna quædam animata & immobilis fuit, aut tamquam perfectioris vitæ converſationiſque tabula, quam poſteri tardiores intueantur, qui ad meliora quidem aſpirant, ſed animi ſui imbecillitate ac languore retardant, ut hinc etiam liquido appareat, quemadmodum benigne omnia diſpenſans Deus, pro ſumma pietate ſua per ſingulas ætates Spiritus-ſancti gratia in iſtorum mentibus operari voluerit, & quæ hominum vires excedant in mortali natura admirabiliter geri, ut duram & acclivem boni viam nullo negotio confici doceat, & quam laborioſam vulgo moleſtamque recti actionem exiſtimant, facile inſtitui. Fieri denique poſſe, ut qui in communi multorum ſocietate verſantur, ipſum etiam virtutis culmen attingant, cum boni operis laus non ex loci natura, ſed ex proprio animi ſenſu & voluntate naſcatur; ut quibus ſegnior & ſupina mens eſt, æmulandi ſtudium inde concipiant, exemploque ob oculos propoſito, ad imitationem excitentur.

2. Beato igitur huic viro patria fuit, prima quidem, & divinior proprie loquendo, ſuperna Hieruſalem, in qua & divina factione juxta Davidem factus eſt, in qua converſationem ſuam ſemper habuit, ad quam perpetuo contendebat, aſcenſiones in corde ſuo ſingulis horis diſponens, animumque ſupra materialem concretionem evectum, ad contemplationem attollens. Tenue ſiquidem, nimiſque abjectum eſt ex inferioribus rebus cœleſtes homines deſignare. Quod ſi quid etiam ex terrenis commemorandum eſt, & corporis origo, quæ oculis patet præferenda, Polemoniaca regio, quæ Armeniaco themati adjacet, Niconi ortum dedit. Floruit autem Nicephori Phocæ Romanorum imperatoris temporibus, cujus ſanguinem nefariis, ut hiſtoriæ tradunt, diriſque modis effudit Johannes Trimiſces; parentes vero clari admodum & ſpectabiles & copioſi, nec tamen divitiarum magis, quam virtutum opibus affluentes; quos concepta de filio par expectatio minime fefellit. Solus enim puerili adhuc ætate pueriles ſenſus non gerebat, neque nugis aut ludis & curſu, equorumque agitatione, aliiſve quibus delectari ætas illa ſolet, capiebatur; ſed tamquam a prima ſtatim linea contra omnia carnis deſideria depugnabat. Itaque jucunda illi in templis & ſacris ædibus mora erat; omne autem in eo ſtudium, ut mores optimos ſectaretur, ſeſeque ad Deo gratam beatamque vitam componeret, in teneris atque immaturis annis canam ac ſenilem ſapientiam præ ſe ferens, atque ut uno verbo dicam, ex primo germine, ut in boni generis arboribus ſolet, quanta ejus futura virtus eſſet, apparebat. Poſtquam vero ex ephebis exceſſit, ingreſſuſque eſt adoleſcentiam, crevit una cum virtute prudentia, vehementiſque in Deum amoris vim demonſtrans, omnia quæ ad corporis cultum ſpectabant, nihili fecit, ac ne aſpectu quidem dignas ducebat res parvas & nullius momenti, eoſque, qui ſe illis irretiri paterentur, aut caducis & fluentibus, tamquam fixis firmiſque adhæreſcerent, ſummæ ſtultitiæ condemnabat. Ventris quidem oculorumque habenas impenſe moderabatur, haud ignarus, fervorem juventutis pronum inde ad lapſum ferri, multoſque adeo & graves hujus vitii lapſus eſſe, nec ulla re alia magis, quam vitæ aſperitate & afflictione Deum coli. Delectabatur autem non ſolum victus tenuitate, ſibariticarumque omnium deliciarum & condimentorum contemtione atque fuga, ſed cultus etiam veſtituſque humilitate, ſupervacuum atque inutile judicans veſtium ornatui, ſplendorique indulgere, nihil denique rerum humanarum vitæ in Chriſto actæ anteponens.

Niconis patria Polemoniacus.

Nicephorus Phocas an. 964.

Jo. Trimiſcen. an. 975.

3. Cum ergo igne illo jam flagraret, quem Dominus miſit in terram, & vehementiores animo fallacis inaniſque hujus vitæ deſerendæ, viæque ad ſalutem ineundæ flammas concepiſſet; mittitur a patre ad ruſtica prædia & poſſeſſiones inſpiciendas: erat enim illis res ampla ac varia; ſed excelſa cœleſtiſ-

Nicon patria & omnia relinquit.

que illa mens ſimul ac in agrorum conſpectum venit, & immenſas illorum ærumnas & labores animadvertit, qui rure habitantes aſſiduam dies noctesque colendæ terræ operam navant, pauperum vitam laborioſam & duram commiſerans: *O inanes curas*, cum lacrymis ait, *ô vitæ fraudem atque fallaciam! vere fruſtra conturbatur omnis homo: beati prorſus & ter beati, qui Domini cauſa, ut promiſſis ab eo bonis potiantur, omnia relinquunt. Quid enim prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, & animæ ſuæ quam totus mundus æquiparare non poteſt, detrimentum patiatur? Omnis gloria ſicut flos fœni: defecit fœnum & flos decidit, verbum autem Domini in æternum manet.* Hæc & alia tacitus ſecum volvens, quibus voluntariam illorum ſervitutem notabat, qui caducis terreniſque rebus inſipienter inhiant, & ad ima hæc depreſſi ac defixi, illorum ſe cupiditati amorique victos dederunt. Subito velut divino quodam verbi æſtu tactus, omniaque ſuſcepto conſilio poſteriora ſtatuens, fluxa atque inania valere juſſit, oculiſque ac manibus in cœlum ſublatis, felicis vitæ auſpicia a precibus duxit

» his verbis: Domine JESU CHRISTE, Deus
» meus, lux mea, qui paternos ſinus non de-
» ſerens, e cœlo ſalutis noſtræ cauſa deſcen-
» diſti, eſto mihi adjutor indigno famulo tuo,
» & deduc me in viam rectam, ut eam in ci-
» vitatem habitaculi tui. Tu enim, Domine,
» omnium bonorum auctor es, & omnes ho-
» mines vis ſalvos fieri, & ad agnitionem ve-
» ritatis venire. Ne igitur deſtitŭas me, quo-
» niam in te ſolo confido Deo ac Salvatore
» meo, te benedico, te laudo & magnifico in
» ſæcula. Amen. Hæc precatus in viam e veſtigio arrepta fuga ſe dedit, nihil ſecum deferens præter ſeipſum, pedibuſque per invias & arentes oras multa aſperitate ac difficultate obſitas profectus eſt, paterni nataliſque ſoli, ipſorumque adeo parentum philtro penitus abjecto; expeditum enim per abſconditam omnium abdicationem ad virtutes iter ſibi parare ſtudebat.

Fit monachus in Ponto primæ monaſterio.

4. Multorum ergo dierum per ignota & longinqua loca viam emenſus, in Pontum pervenit, montique appropinquavit in Ponti & Paphlagoniæ finibus poſito, in quo monaſterium eſt quod Chryſe-petra vetere quadam conſuetudine appellatur, ſeu propter aſperitatem ſiccitatemque loci, auri quamdam ſpeciem ad ſplendentis ſolis radios referentis: ſive, ut quod res eſt dicam, quia aureæ re vera & divinæ in illo animæ monaſticis exercitationibus initiantur. Nicon vero ubi monaſterium eminus conſpexit, ſuaviſſimo quodam lætitiæ ſenſu affectus eſt: deinde ad preces iterum converſus, cœlumque ſuſpiciens; « Domine, inquit, JESU CHRISTE
» Deus, qui patriarcham olim Abraham de
» terra & cognatione ac domo patris evoca-
» tum, quo tibi viſum eſt migrare juſſiſti, &
A me quoque indignum immenſæ poteſtatis « tuæ providentia in has oras perduxiſti, tu « idem mihi cetera quæ inſtant expedita redde, « primumque omnium de me monaſterii hu- « jus præpoſito patefacias, ſalutiſque viam per « illum mihi oſtendas oro. Hoc enim mihi « indicium erit, me tibi cordi eſſe, teque mihi « adeſſe, Domine benedicte in ſæcula. Amen. «

Sic orabat. Dominus autem qui bonis ſemper favet, ejus preces opere complevit. Nam cum eo tempore divinum & incruentum in oratorio ſacrificium offerretur, præpoſitus de Niconis rebus divinitus edoctus (erat quippe B divinus ille ſenex viſionum gratia jam olim illuſtris) celeri greſſu proſilit a monaſterio, mirantibus inuſitatam in magiſtro feſtinationem reliquis ſodalibus. Ut autem paululum progreſſus adoleſcenti ſenex occurrit, collum ejus tamquam amantiſſimus pater amplexus eſt, Nicetam illum, id eſt victorem, qui vere victor erat, de nomine appellans, omnique in ſermone quo eum divino actus ſpiritu affatus eſt, ſe ſua in Deum ſpe, quam de illo ceperat, falſum haud fuiſſe confirmavit. Norat enim illum ſenex ſpiritu, quanta nimirum mundo, quam clara brevi futura C fax eſſet. Quare canonicam probationem ſupervacaneam in eo judicans, caput illi ad cutem detondit, monachique habitu & congruentibus vitæ inſignibus ornatum pulcherrime fratrum coronæ aggregat, qui monaſticæ vitæ perfectionem ſponte ſua pridem æmulabatur, deinde commune illi circa res domeſticas miniſterium imponit, ille vero famulandi partes perlibenter amplexus eſt.

In quo humilibus officiis biennii ſpatio exercetur.

5. Videre tum erat tyronem adhuc, ſed pugnæ idoneum, juvenili robore vigentem, adamantis inſtar ad duriſſimum vitæ genus occaleſcentem, nunc in aquæ & lignorum comportatione, nunc in coquendis parandiſque fratrum obſoniis, reliquiſque cœnobii D obſequiis deſudare, admirandæ Domini humilitatis exemplo, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare. Ergo deſidiam, ut multorum fontem malorum oderat, nullum vero ſervitii genus erat, quod ipſemet non obiret, quodque mirandum magis, non ſolum humeris ſuis omnia, quæ monaſterio vel monachis uſui forent, numquam intermiſit, ita ut quantumvis onere premeretur, fortiter tamen alacriterque laborem perferret, E licet arduus admodum & acclivis, difficillimoque aſcenſu mons eſſet: ſed ita jejunus id faciebat, ut nullum cibi genus deguſtaret: adeo ut principio quidem ſemel in hebdomada cibum caperet, eumque ita maceratum, ut nihil quod ſenſum illicere poſſet, retineret. Enimvero adverſus omnes ventris illecebras impendio exercitus, continuos labores & quidquid carni grave eſt avidius amplectebatur. Ejus porro menſa meri panis modicum fruſtum erat, ſal condimentum, & quod jure miretis, nullius magiſtri diſciplina

Cibus ejus quam parcus.

edoctus, ſuopte ingenio ductus a primis, quod aiunt, carceribus in medios agones provectus eſt, paratas ad prælium manus habens & digitos ad bellum. Temporis vero proceſſu cum ad duriorem hanc vitæ rationem animum aſſuefeciſſet, ſtato hebdomadis die divina myſteria percipiebat, cum exiguo panis hordacei fruſtulo, quod & carie obſitum atque ita marcidum erat, ut panis ſpeciem ne odore quidem præ ſe ferret: potus ad hæc non alius quam aqua, eaque parce ac modice dimenſa, atque hoc modo ille confecto macie vultu, membriſque omnibus corporis exhauſtus languens, jejunus tamen inter domeſtici commeatus copias dies ducebat, & in graviſſima afflictione admirabili conſtantia perſeverabat.

Vigiliæ. 6. Noctes demum inſomnes precibus & lacrymis tranſigebat, ſomnique vim penitus eluctari, magno ſcilicet Arſenio hac in parte conferendus, omni opere contendebat. Itaque ſimul ac naturæ neceſſitati cedens brevem, ut ille, tenuemque & quaſi umbratilem ſomnum delibarat, repente exiliebat in Davidis verba erumpens: *Præveni in immaturitate & clamavi*, cum ceteris quæ ſequuntur. Quod vero & in cœnobio, & tantis in negotiis omnium virtutum ſupra quam imitari liceat nunc impleret, atque eremiticæ & anachoreticæ vitæ abſconditam imaginem omni ex parte repræſentaret, id vero longe maximum, & præ aliis omnibus jure mirandum eſt. Profligabat enim non ſolum ſermonem otioſum, verum & mores incompoſitos & riſum immoderatum, & ſiniſtram omnem cogitationem; nullam denique egregius athleta mali nubeculam ſereno animi cœlo obduci patiebatur. Florebat in illo præter iſta jactantiæ expers humilitas, modeſtia, manſuetudo, gravitas, vigilantia, mentis inſuper acies ſumma, motuſque celerrimi, quibus ad cœlos ipſos ſubito ferebatur.

7. Biennium ergo in hac palæſtra cum legibus naturæ ſpiritus lege certans in illo miniſterio ſe exercuit, omnem operam navans ut ſeipſum in dies vinceret, novaque certamina experiretur, quo omnem a ſe corporis ſenſum penitus abdicaret, & angelicam in corpore vitam imitaretur, non illum hyberna frigora, non calor æſtivus, non ullum aliud incommodum deterrebat. Animam enim quam divinus amor ſemel occuparit, ſuas in rebus aſperis delicias ponere, afflictionibus refoveri, & gravioris inſtar pœnæ deſidiam atque otium refugere. Sed cetera

Veſtium vilitas. porro divina ejus inſtituta, veſtium abjectarum & humilium uſu ſic afficiebatur, ut obſoletis, laceris atque horridis tantummodo pannis tegeretur, quibus licet tamquam internum ornatum, quamvis latentem, conſequi ſtudens impenſius gaudebat & lætabatur, quam externo cultu capi delectarique ſoleant homines ambitioſi. His intento ſtudiis Nicone, quibus ultra præfixas leges exercebatur, philoſophandi labore novis, quas in dies excogitabat, agonum acceſſionibus augeſcente, ceteri quidem homines patientiam conſtantiamque mirabantur, quod humanis viribus ſuperiora hæc ejus ſcommata viderentur.

Deinde in cellula aliorum more exercetur. 8. Præpoſitus vero monaſterii veritus ne immodica contentione ſeipſum conficeret, jam enim umbræ ſimulacri quam homini ſimilior erat, illum a rei familiaris cura removit, cellulamque ſilentio & quieti commodam attribuens, in ea illum relaxationem aliquam impertiri cupiens, verſari juſſit. At ille, qui laboribus innutritus, in iiſdem vivere geſtiebat, grave ſibi hoc, imperium, & pœnæ ſimile, atque a votis ſuis alienum judicavit, tamen apoſtolici præcepti non immemor, *Obedite præpoſitis & ſubjacete illis*, paruit quidem ſine mora mandato, cellulamque haud gravate ingreſſus eſt; percommodo enim loco ſita erat, in eaque de cetero manſit in ſeipſum deſcendens, Deum mente & cogitatione verſans, & omnem inde animi delectationem petens juxta illud prophetæ: *Delectare in Domino, & ipſe dabit tibi petitiones cordis tui*. Verum ne ſic quidem ſtrenuus pugil a laboribus abſtinuit, quia materiam potius gravioribus ærumnis dabat incluſio ipſa, & ſolitudo habitationis. Quales vero diurnis nocturniſque ſtationibus crebriſque & immenſis genuflexionibus ſuſceperit, quantam inediam, quam duram omni ex parte tractationem, ima deinde pectoris ſuſpiria, & divinitus fluentes ſine induciis lacrymas, nec lingua eloqui nec capere aures poſſent. Sic enim illum Dei amor incenderat, tot & talibus telis confixerat, ut dies noctibus perennes compunctionis fletus copularent; ita ut cellulæ pavimentum perpetuo ab illis madens, perfuſumque cerneretur. Unde & fratrum nonnulli, acres & ipſi virtutis amatores, quique nullos pietatis ſtudio labores non alacriter ſuſtinerent, ſummumque adeo divinæ philoſophiæ ſtudium præ ſe ferrent, aurem ad cellulæ oſtium foris admoventes, vim tantam lacrymarum ſummopere mirarentur, compunctioniſque anſam arriperent, lacrymas planctuſque ſuos ab eo gradu multum abeſſe cogitantes.

Quæ lacrymarum ejus cauſa. 9. Die quodam cum illum ſenex ſeorſim abduxiſſet, blandius alloqui, & interrogare cœpit his verbis: »Res tuæ, fili, quod ipſe non ignoras, me minime latent: Quid ergo ſibi vult tantus iſte luctus ei, qui lacrymis nihil dignum perpetrarit? aut cur, ubi lætari potius hilarique animo eſſe oportebat, quod a mundo avulſus ad veritatis lucem convolaris, implacabilibus lacrymis, lamentiſque, ſic indulges? Cui dimiſſo vultu, & quanta dici queat animi modeſtia, ac ſimplicitate Nicon, reticere enim, & celare tantum patrem, quod res erat indecens atque incon-

»fultum putabat? »Mihi quidem, ait, vene- A
»rande pater, duplex eſt cauſa plangendi, ac
»lamentandi. Fecit enim, neſcio qua ratione,
»immerenti Deus, ut terrena adhuc compage,
»mortalique corpore vinctus, non ad ſpectabi-
»lem illam pulchritudinem, ſperatamque æter-
»norum bonorum fœlicitatem internis men-
»tis oculis liquido contuerer. Pertimeſcens
»ergo quamdiu vitæ hujus tenebris circum-
»fuſus, & lutea carnis mole adſtrictus teneor,
»ne a divinis illis excidam, quorum in co-
»gnitionem, mente & cogitatione ductus ſum:
»hominum deinde vecordiam animo verſans, B
»qui hiſce neglectis ad frivola & inania, quæ
»fumi ritu evaneſcunt, & mera nox a ſapien-
»tibus reputatur, ſtulte adhæreſcunt, totoque
»in ea impetu rapiuntur. Horum ego tantam
»amentiam & inſaniam dolens, per quam tot,
»tantiſque arcanis bonis miſeri privantur, illo-
»rum calamitatem, ſortemque infelicem meam
»duco, indeque in gemitus, & lamenta, &
»perpetes lacrymas erumpo. Puerorum enim
»more homines amentiſſimi littorum lapillis
»& calculis gaudentium, nec paternam he-
»reditatem, ampliſſimaſque poſſeſſiones abji-
»cere dubitantium, ut eas perexiguiſque nul- C
»liuſque momenti rebus permutent; vanitati
»intabeſcunt, & fluxa permanentibus, brevia
»ſempiternis, immortalibus pereuntia, & ca-
»duca anteponunt. Quibus profecto Davidis
»oraculum jure conveniat: *Homo cum in ho-*
nore eſſet non intellexit, & quæ ſequntur.
Hæc ab eo cum dicerentur, ſenſit ſenex ube-
riorem, quam ceteris, qui ætate illa pieta-
tis, religioniſque laude claruerunt, Niconi
a Deo caritatis in proximos, & miſericordiæ
conceſſam gratiam fuiſſe. Itaque admirabun-
dus gratias Deo agens, illum de cetero ſuis
moribus uti, atque inſtitutum monaſticæ D
exercitationis ſtadium ex animi ſententia pro-
ſequi, ſublimioremque illam vitam conſe-
ctari permiſit.

Ut per ad-
num duode-
cimum.

10. Duodecimum in hoc ſacro cœnobio annum exegerat, ſenſuſque omnes ſic exercitos habebat, tam exactum in appetendis, fugiendiſque rebus judicium, tantamque divinæ philoſophiæ copiam ſibi pepererat, ut in quodam humanæ, atque angelicæ, & incorporeæ naturæ quaſi confinio jam poſitus videretur. Hoc enim uno ab angelica, & materiæ experte natura diſtare diceres, quod E
corpore & figura tectus, ſenſuum organis uteretur, quin ex eo fortaſſis nihilo ignobilius diſcrimen hoc fuiſſe affirmare liceat, quod vitam in carne ducens, corporis tamen ſarcina, incorporearum mentium more nuſquam deprimeretur, ſed erectam in cœlum vitam ageret, & cum cœleſtibus per ſupera gradiens perpetuo verſaretur.

Quæritur a
ſpice carnali-
tus.

11. Exacto igitur anno duodecimo divinitus tum ipſi, tum monaſterii præpoſito ſignificatum eſt, carnalem ejus patrem in ipſo perquirendo totum eſſe. Arcana enim qua-

dam providentia, utilitatis ejus cauſa, quo majores undequaque progreſſus faceret, abditus ad illum diem, tectuſque patri fuerat, Deum illo occultante in abſcondito, ut canit David, tabernaculi ſui, aliſque ſuis protegente. Itaque nec longum temporis ſpatium, nec diuturna cariſſimi abſentia genitorem antea permoverant, ut ad eum inveſtigandum excitaretur, quia nondum præſtitutum Niconi ſupernæ miſſionis prædicationiſque tempus advenerat. Senex ergo majorem in modum ſollicitus ancipiti cura æſtuabat, metuens, ne paternus amor currenti, atque inoffenſo pede ad cœleſtia tendenti offendiculum præberet. At enim effuſis pro illo precibus oranti, oblatum cœlitus eſt viſum de omnibus, quæ Niconi futura eventuraque olim erant, quemadmodum apoſtolicum munus obiens, urbes non paucas regioneſque peragraturus, & pœnitentiam populis veniamque peccatorum annuntiaturus eſſet, quibus modis per improbos ſpiritus, ſed cum victoria, exagitandus, quantopere per illum glorificandus Deus: quam multi ejus operæ in Dei filios adlegendi. Sortem denique, ac præmium illi paradiſum fore. Hæc quidem ſenex qualia optabat, per revelationem de Nicone didicit, & vas electionis Pauli ſimile futurum cognovit. Ille vero cum patris adventum, ut diximus, Deo indicante, perſpexiſſet, ad ſenem mox accurrit, pronuſque in terram ad ejus pedes advolvitur, & ne ſe ex monaſterio dimiſſum velit, cum lacrymis obteſtatur. Hoc enim divortium ferre nullo modo poterat, malumque omnium graviſſimum in patris manus venire, ſibique acerbiſſimum ducebat.

Præpoſitus per viſum agnoſcit quanta per Niconem Deus ſit perpetraturus.

12. At ſenex non minus quam ille animo urebatur. Acres nimirum in Deo amantium ſunt flammæ, & naturalibus ipſis vehementiores. Quare mœrens ſupra modum, & collacrymans, crebroque ſuſpirans »Non meum, « ait, fili, non meum eſt, quod dimitteris, « ſed divinæ providentiæ multorum per te ſa- « lutem, ut video, diſpenſantis. Illi ergo gra- « tias agas neceſſe eſt, quæ te apoſtolis parem « cenſuit, talique miniſterio deſtinavit: quo- « niam, ſi in arbitrio, & nutu meo res eſſet, « ferreis te forſan vinculis, ſeparationis impa- « tiens, cateniſque conſtringerem. Ceterum « quando & a me nunc in hoc tuo haud ex « animi mei ſententia diſceſſu conferri quod « ſuppetit æquum eſt, ne adſpernere, ô fili « innocentiſſime, humilitatis noſtræ exhorta- « tionem. Non enim eſt tibi colluctatio, fili, « Epheſ. 6. adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus « principes & poteſtates, adverſus mundi re- « ctores tenebrarum harum. Noſti, fili, quod « ego experientia ipſa verborum ſum edoctus. « Ambula ergo evangelice, non peram gerens, « non æs in zona, amictus autem non alius « eſto, quam cilicinus, iſque ad medios uſque « talos pertinens, ne ſi longius fluat delicati «

Abbatis ad Niconem abeuntem oratio.

» notam incurras, esca simplex & sine appa- A
» ratu, pane solo & aqua necessitati serviens.
» Ante omnia autem præcipua sit temperan-
Hebr. 13. » tiæ cura, atque custodia. Hæc enim est, fili,
» animæ simul ac corporis sanctimonia & pa-
» rens familiaritatis cum Deo. *Pacem enim*,
» ait apostolus, *sequimini cum omnibus & san-*
» *ctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Vi-
» des desideratissime fili, quemadmodum tem-
» perantiam apostolus sanctimoniam appellet,
» ac merito quidem: purus enim cum sit Do-
» minus, puros utique desiderat, quia simile, B
» ut aiunt, simili gaudet. Vitare insuper te
» volo intempestivos congressus, conversatio-
» nesque sæcularium & divitum, illustriumque
» domos, subducere te ipsum a multorum col-
» loquio: pauperibus & peregrinis affabilem esse
» atque communem cum spiritualibus fratribus
» & patribus quos Dei timor ornat, versari,
» sedemque & domicilium in sacris ædibus,
» templisque collocare. Porro clara passim hæc
» voce personabis: *Pœnitentiam agite, appro-*
» *pinquavit enim regnum cœlorum, discite bene-*
» *agere, convertimini ad Dominum: quærite*
» *illum ex animo, ut æternis bonis potiamini.*
» Hæc enim pœnitentiæ prædicatio, fili, blan- C
» dum tibi, & in vita, & post mortem nomen
» imponet.

Discedit ex monasterio. 13. His verbis, precibusque tamquam via-tico instructum senex, armatumque adversus impuros spiritus & noxias animi perturbationes, longius etiam cum luctu & lacrymis utrimque ad multam noctem fluentibus producta exhortatione postero die manu prehensum perduxit in templum, omnibusque ligni pulsu convocatis, *Kyrie eleison* ter centies in commune dicto, abeuntem monachi omnes fratris abscessum ingemiscentes, prosecuti sunt, deinde cum in declive paulum processissent, ad preces redit senex, D quibus & spirituale virtutis iter & sensibus quod instabat feliciter eventurum, tum cetera quæ secutura erant, omnia ex divino viso clarissime cognita prænuntiat. » Ad ex-
» tremum Domine Jesu Christe, inquit, qui Jo-
» sepho quondam ad plurimarum animarum
» salutem dux fuisti, qui Apostolis tuis dixisti:
» Ego vobiscum sum, & nullus contra vos,
» respice nunc vineam istam rationalem, &
» custodi, ac serva eam in via hac, qua am-
» bulat, ut pes ipsam magnificetur nomen
» tuum. quia benedictus es in sæcula. Ceteri
ergo fratres Niconem amplexi cum lacry- E
mis, ac muta tantum non inanima lamentationibus suis provocantes, reversi sunt. Senex autem flebiliter ejulans & solum ipsum fletu rigans, talia lugubri & miserabili voce
» querebatur, » Heu me, fili, dimidius ma-
» neo, qui a te divellor, at te nulla umquam,
» fili, sinceræ erga te in Christo conjunctionis
» nostræ capiat oblivio, memineris etiam mei,
» quantumlibet indigni dum precibus, suppli-
» cationibusque sacris vacas, sic enim confido

futurum, ut Deum in die judicii opera tua propitium habeam. Hunc in modum divinus pater. Nicon vero, cujus pectus nihilo levior tristitia premebat, ut qui senem colebat impense, forti, erectoque animo & doloris sui vim frangere, & senis lacrymas abstergere conabatur. Quid non dicebat, quid non excogitabat, ut eum solaretur, ejusque mœrorem, & tristitiam mitigaret? Absurdum scilicet videri eos, qui spiritu inter se colligati sint, atque conjuncti, quique oculis mentis sese mutuo conspiciant, sensui servire, decretamque divino consilio corporum sejunctionem implacabiliter lamentari.

14. His ultro citroque dictis, in ejus amplexum ruens senex, ægre tandem a se divelli passus est, & monachi quidem ad cœnobium lachrymabundi tristesque redierunt. Nicon autem expedito gressu, gratia, qua regebatur, deducente, diei spatium emensus, ad Parthenium fluvium venit, quem ut tumentem aquis, & partim ex nive soluta, partim ex aliorum amnium influxu exundantem offendit, insuperabiles in angustias redactum se ratus, quo se verteret non habebat. Non enim difficilem modo trajectu fluminis æstum esse sentiebat, sed trajici omnino posse diffidebat. Hoc vero non temere aut casu accidisse putandum est, sed divino quodam nutu, ne cassus omnino patris labor esset, si filium penitus non videret. Etenim simul ac ex monasterio abiit Nicon, adfuit ille cum filiis & famulis, filium exposcens omnia indagando lustravit, ipsaque adeo intima cœnobii penetralia canum more pervestigavit, quoad diu frustra scrutatus verum esse sibi persuasit, quod monachi affirmabant, jam abiisse quem optabat. Tum vero, quanta potuit celeritate illum eodem stipatus comitatu persequi cœpit. Nec diu insequutus fuerat, cum sonitus ipse & fragor equorum adventus patris nuntium ad Niconem detulit. Qui ut primo oculorum conjectu illum agnovit, præsenti periculo se implicitum cernens, surrectis in cœlum oculis, diviniore quodam afflatu incitatus, Christi opem advocans, immaculatæque ejus matri salutem suam credens, signo Crucis vallatus in profluentem aquam prosiliit, Davidis verba opportune repetens: *Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam*, & *Non me demergat tempestas aquæ.* Quis hoc loco beati erga Deum fiduciam, quis Dei rursum in eumdem immensam benignitatem non miretur? Vix in flumen, ut diximus, se conjecerat, cum ipsamet integerrima Dei mater se obviam offerens, hanc enim ipse postea visam, ut aiebat, sequens, suis lineamentis exprimebat, porrecto ei baculo, cujus in summo efficta crux erat, dextra prehensum in adversam ripam incolumem, veste aquis intacta, patre ipso spectante, transvexit, baculus autem

Parthenius fluvius a monachis cultro trajicitur beatissimæ Virginisque. Pag. 68.

hodieque

hodieque in ſacrario, in quo venerandæ illius reliquiæ conditæ ſunt, aſſervatur, & a Chriſti fidelibus, quibus multa per eum in dies mira eduntur, ſpectari & adorari ſolet. Cum ergo fluvium hoc modo trajeciſſet, votis pro ſalute gratiiſque omni laude prædicandæ Virgini perſolutis, inſtitutum iter ſecutus eſt.

Patrem fruſtra tranſmittere conantur.

15. Pater vero & fratres ejus cum ad ripam applicuiſſent, rei miraculo ſtupefacti, tranſmittere quidem & ipſi validiſſimis equis ſubvecti conabantur: adigebat ſiquidem amor, ut ardua omnia tentarentur, ſed irritus, caſſuſque omnis labor erat. Mirum enim dictu, cum primum ingrediebantur, circumfuſa nebula obtutum eripiens, & fragor ipſe terrorque perfluentium undarum tranſitum inhibebat, ut vero gradum reflexerant, mox caligo dimoveri, & purus aër collucere, & terror omnis, ſimul ac ceſſabant ipſi, repreſſus omnino, ſublatuſque videbatur. Poſtquam igitur ter idem fruſtra conati, irritos eſſe conatus ſuos animadverterunt, tum ad lamenta converſi, ingenti omnia luctu & clamore complerunt. Pater quidem tantum non mente alienatus, incredibili cum dolore
» vociferans: Fili, mi, aiebat, fili dulciſſime,
» fili deſideratiſſime, unicum vitæ meæ ſolatium, quomodo canos meos non revereris?
» Quomodo lacrymis meis non flecteris? An
» neſcis, ut ego te præ ceteris filiis meis unice
» dilexerim? Ut te gallinæ more parvulum
» confoverim? Cur ſic a me nunc avolaſti?
» Cur me miſerum abominaris? Recordare,
» fili, amoris in te mei, memento laboris, &
» defatigationis quæ huc properans tua cauſa
» ſuſtinui. Ego tibi naſcendi auctor, fili, me
» ſecundum Deum & virtutis, & vitæ in Chriſto tuæ parentem recogita. Pater tuus ſum,
» non ſerpens, non vipera, non aſpis, aut
» aliud noxiæ, & venenatæ feræ genus. Si tibi
» ad me infelicem venire non placet, ſaltem
» optatum mihi vultum tuum ne invideas, ita,
» egregie fili, ne miſerum me perpetuo deſpexeris, ſed paululum convertere, ut cariſſimi mei conſpectu fruar, & hac ſaltem, quæ
» non levis futura eſt, conſolatione reficiar.

Exſecrantur ſilium, & alii.

16. Hæc illo cum lachrymis obteſtante, Nicon ad cujus aures paternæ vocis, luctuoſæque tragœdiæ ſonus pervenerat, ut qui patris amantiſſimus erat, mitique alias ingenio, & ad preces minime inexorabilis, paululum reflexus tantumque ſubſiſtens, quantum ſatis erat, ut a patre fratribuſque agnoſceretur. Immutata enim per ſummam auſteritatem & ad maciem ultimam deducta ejus facies erat, mox capite ſolotenus ſalutationis venerationiſque cauſa ter inflexo, oculos avertit, & ad iter ſuum regreſſus eſt. Sciebat enim vir ſapiens, ceteris quidem omnibus parentes, Deum vero parentibus præferendum eſſe. Tum denique communis omnium luctus renovatur, & comploratio tanta, ut Echo ipſa auditos planctus reddere, & coilachrymari videretur; at pater tum cetera omnia agere, quæ ſic affecti mœrentes ſolent, tum in hæc verba exclamare: O acerbam calamitatem! melius erat, fili, ſi huc « numquam acceſſiſſem, melius ſi quod vidi « nullatenus vidiſſem, nunc enim & gravior « & acerbior eſt ægritudo. Sic ille, & plura in « eam ſententiam, quamdiu oculis digredientem ſubſequi licuit. Poſtquam autem viſui ſubductus eſt, remiſerunt & illi ſenſim lugubres voces, reditumque adornarunt, patre identidem tamquam præſentem filium ſalutante: *Vale fili, vale dulciſſime.* Illi ergo domum tandem reverſi ſunt.

Per deſerta pœnitentiam prædicat.

17. At Nicon, ut pugil iterum ſponta-neus, virtutiſque invictus athleta per inacceſſos montes nudis pedibus, unico eoque attrito & lacero amictu tectus ferebatur, nihil omnino gerens præter baculum, quem a fluvii (*a*) cognomine intacta Domini matre acceperat, & exiguam, ſed non parvi pretii lagunculam ex ſardio lapide artificioſe elaboratam, quæ nunc quoque in eodem mirificæ thecæ ſacrario extat; & aquam qua feretrum ablui, abſtergique ſpongia ſolet, haurientibus, præſtantiſſimum omnium morborum remedium ſuppeditat. Hanc enim ſolam, ut fama eſt, ex paterna domo excedens, & aliud nihil extulerat. Pergebat vero ſic expeditus cum ſolis ardoribus, & cum hiemis aſperitate dimicans, non frigori cedens, non æſtui: paſſimque, ut ſpiritualis pater præceperat, magna voce intonabat, *Pœnitentiam agite.* Cibo, quoties natura cogeret parato, & inſuavi utebatur, herbis & agreſtibus, quæ eſui eſſent, ſtirpibus vitam ſuſtentans; ſemperque illi labores ac moleſtiæ, ut aliis voluptates, cordi erant. [*a*]

A latronibus & dæmonibus vexatur.

18. Cum hac ergo laborioſa difficilique vita, & cum innumeris tentationum generibus quotidie luctabatur, & nunc quidem a ſævis hominibus, latrocinio viventibus, agitabatur, nunc ab ipſis etiam impuris ſpiritibus, qui ſilveſtribus deſertiſque in locis frequentes erant: quibus ille oberrans, *Pœnitentiam agite*, ſolemni carmine clamabat; & hac quaſi cantione nonnumquam adverſus dæmones utebatur, & verbi vi terrorem illis ac ſtuporem inferebat. Qui non ferentes ſe ab eo ſic excruciari, & tamquam imbelles ignavoſque proſterni, majorem in rabiem verſi, gravius atrociuſque inſultabant. Nec clam modo & occulte, ſed aperte ſub variis & alienis imaginibus, quid non efficientes, quid non agentes, & quas machinas non admoventes? Quomodo, aiebant, huc venire « auſus es, patriæ ac civium tuorum fugitive? « Atqui niſi hinc te proripis, audaciæ te con- « ſilia nihil juvabunt. Deinde minas ſimul in- « tentantes: Neſcis inquiunt, ô turbulente belli «

(*a*) Id eſt a Virgine, quia Parthenius græce eſt Virgineus.

» ſator & ferreo corde, ut aliud nihil ſit, cum- » pus ipſum nos hujus loci dominos conſtituiſſe? Ad hæc ignem execrandi ſpirare, & ſanctum calcibus appetere videbantur. Ille vero impavidus fortique animo ſic eos nihil trepidans affatus eſt: Si metum incutere parantes, ô impii ac deteſtandi, hæc agitis, & » poteſtatem in me a Deo nacti eſtis, ut propoſitum meum diſturbetis, eia, ad omne » diſcrimen paratus ſum; ſin autem nullum » habetis, quid incaſſum tumultuamini peſſimi, » qui ne in porcos quidem quicquam poteſtis? His dictis, metu omni vacuus manſit, majorem humana fiduciam, ut cuſtode ſui gratia fretus, præ ſe ferens, Davidis verba ore

Pſal. 26. verſans: *Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum, &c.*

Inde poſt triennium digreſſus.

19. Durante igitur per triennii ſpatium in hac rerum aſperitate dæmonumque infeſtationibus Nicone, afflictabatur quidem tantis laboribus ejus corpuſculum, quod adeo jam exhauſtum atque conſumtum erat, ut umbræ cujuſdam ſimile videretur: animus vero præſens ſemper erectuſque ſtetit, & tamquam Olympionices quiſpiam ad luctum, & agones infractus. Poſtquam autem tempus adfuit deſertis oris excedendi, & in hominum lucem prædicandi cauſa prodeundum ſibi, gravioraque adeo certamina, quo tempore quietem potius ſic affecto corpori dari jus erat, ſubeunda cognovit, in genua procidens, fronte in terram depreſſa, corde ad Dominum ſublato, ſic illum invocavit, qui in eum ſperantes eruit ex neceſſitatibus: » Reſpice, ait, in me Domine, & oſtende fa» ciem tuam ſuper ſervum tuum, & accelera » in auxilium meum, quoniam multi bellan» tes adverſum me, ab altitudine intenſæ ſunt » tribulationes, irruerunt mala ſuper caput » meum. Vide laborem meum, exaudi gemi» tum ſervi tui; multiplicati enim ſunt inimici » mei, & injuſto odio oderunt me. Ego vero, » Domine, in te ſolo confido, in te ſolo ſa» lutis meæ ſpem poſui, qui ſalvos facis a pu» ſillanimitate, & a tempeſtate ſperantes in te. Hæc cum oraſſet, vires ſimul roburque adverſus dæmones ſuffici rogabat. Auditas vero preces fuiſſe, oblatum ei divinitus viſum confirmavit. Quin & illa ipſa audit, quæ Job olim poſt innumerabiles illas ærumnas » ex ore Dei audiiſſe dicitur. Noli exiſtimare » hæc tibi alio conſilio accidiſſe, quam ut ju» ſtus appareas, neque enim coronari conve» nit, qui non legitime certaverit. Ideo præ» ſens ipſe animam tuam percuti vetui, quod » illi omni ope conabantur, reliqua autem » omnia incuti permiſi, ceterum horum ego » te, quæ paſſus es, fructu ac præmio fraudari » non ſinam; quin & corpus afflictum corro» borabitur, & formidabilis de cetero iſtis eris, » qui nec appetere te amplius poterunt, & ſola objurgatione atque imperio tuo pulſi » fugient, quocumque voles. Recreatus hoc » Dei promiſſo Nicon, & ultra quam athletæ cibo ſolent, viribus refectus, firmaque ſpe ſubnixus ad prædicandum e veſtigio, duce gratia profectus eſt. Inſectabaturque ex eo tempore pravos ſpiritus audenter ac fortiter, nec aliter illos quam agreſtes feras increpabat.

Cretam inſulam adreſti- tuit a barbarico reduxit.

20. Cum igitur regiones non paucas Orientalium partium peragraſſet, & publica pœnitentiæ prædicatione innumeras gentes ad ſaluris portum per pœnitentiam meliorisque vitæ mutationem perduxiſſet, ad Cretam inſulam navigandum ſibi eſſe intellexit; illuc enim divino quodam nutu vocabatur. Etenim ſimul atque inſulam ingreſſus eſt ab Agarenorum jugo nuperrime liberatam, Romanoque imperio reſtitutam per Nicephorum, de quo diximus, imperatorem, vitæ gravi- An. 961. tate virtutiſque fama clariſſimum, qua perturbationum animi, ſi quis alius rex fuit, & congrua temperantiæ ſuæ a Deo præmia tulit, fœdis autem deteſtandæ Agarenorum ſuperſtitionis veſtigiis adhuc plenam & refertam: cujus ſcilicet incolæ diuturna atque affidua cum Sarracenis conſuetudine, ad illorum mores, proh dolor! abrepti, nefanda etiam & profana eorum orgia fuerant amplexi.

Nicon in Creta prædicat.

21. Ut igitur eo delatus, ſolemne illud ſuum, *Pœnitentiam agite*, inclamare cœpit, attoniti peregrino & inaudito prædicationis genere inſulani, animiſque incenſi, vehementer in eum commoti ſunt; adeo quidem, ut manus etiam inferre cogitarent. Manifeſtum enim ad furorem illos adegerat res nova & inuſitata, præoccupatos nimirum, deditoſque, ut diximus, ſuperſtitioſis Sarracenorum ceremoniis. Videns ergo immitis atque intractabilis gentis ingenium, ſentienſque tantam duritiem niſi prudenti quadam arte perdomari non poſſe: ſecundam (quod aiunt) *navigationem*, priore omiſſa, inſtituit, ſapientumque medicorum exemplo, eorum curationem appoſite ſimul ac ſolerter aggreſſus eſt. Habebat enim Paulum in ea re ducem ac magiſtrum. Itaque Ejus certa immiſſam faciens inſolitam illam prædicandi rationem, quod ex uſu futurum in eo jam elucens perſpicax futurorum gratia præmonebat, ſeorſum aliquos abducens, quos reliquis intelligentiores, & ad bonum excipiendum paratiores norat, blandis primum verbis illorum ferocitatem lenire, duritiemque animi emollire cœpit, deinde ſenſim cor permovere, occulta cujuſque facta (ut meus olim JESUS Samaritanæ) vitæque flagitia redarguens. Quo factum eſt, ut eximiam ejus virtutem agnoſcentes, confeſtim iras ponerent, animorumque impetus revocarent; & quem malo nunc affecerant, eumdem magno ſuo bono venerarentur, pro-

poſitamque ab eo rectam fidem amplectentes, odii modum ad benevolentiæ, profectuſque ſui cumulum converterent. Conſuetudo enim, ut ait ille, ad majora & perfectiora viam munit. Itaque ſapiens, ſi minus verborum copia, at veritatis facultate piſcator erat; hominum animas venari ſciens, eaſque ad immortalitatem divinis eloquiis, & non humanæ ſapientiæ, ſed Spiritus-ſancti doctrina traducere.

22. Ex illo igitur tempore Cretenſes Niconem tamquam a Deo miſſum apoſtolum habuerunt, totamque inſulam ejus fama complerunt. Confluebant ad eum univerſi, & ſicut Deo illi adhærebant, ita ut vim legis quidquid præceperat obtineret. Quare cum ſecuro jam animo ad ſolitam prædicationem rediiſſet, ad baptiſmum omnes, veræque fidei diſciplinam perpulit: tum errore omni e medio ſublato, eccleſiis per totam inſulam ædificatis, ſacerdotibus, diaconis, Cretenſium ædituiſque deſignatis; reliquis etiam ritibus erroribus. & ceremoniis apte diſtributis, vivendi legibus deſcriptis, omnibuſque denique, quæ in animo erant, ne quem Cretenſium boni expertem relinqueret, ordine conſtitutis, Gortyna diſceſſit, triumque dierum iter progreſſus, quodam in loco ſub noctem conſtitit, ubi antiquiſſimi templi, quantum ex ruderibus conjicere erat, veſtigia cernebantur. Hoc in loco cum nocturno hymno rite decantato, & crucigero baculo humi defixo, ſomno ſe dediſſet, lucernarium quaſi lumen ante baculum in aëre libratum videre viſus eſt: at ſomno decuſſo, cum ſurrexiſſet, non jam ſomnium, ſed vera viſio objecta eſt: divina quædam lampas haud materialis a cruce irradians, ad diluculum uſque adſtanti & oranti, Deoque gratias pro tanto munere agenti lumen exhibuit.

23. Cumque iterum, Deo, ut patuit, ſic volente, ſomno indulſiſſet, ornatæ mulieris ſpecies apparuit, quæ dirutum templum inſtaurari jubebat, omnium Domino ſic placere confirmans. Illo autem interrogante, quænam eſſet, quæ talia pro imperio jube- Photinæ martyris apparitio. ret: *Photina ſum*, inquit, *martyr & famula* CHRISTI. *Quod niſi reipſa quod volo expleveris, pedem ex inſula non efferes.* Expertectus ad hæc ſanctus, propter viſionis varietatem ambiguo animo erat, ut inane potius inſomnium fuiſſe crederet, quam divinæ gratiæ illuſtrationem. Quare quæ audierat contemnens, cœptum iter tenebat, cum repente ademtam ſibi oculorum aciem ſenſit; eoque tandem indicio divini numinis imperium id fuiſſe cognovit, quod ubi juſſa exequi conſtituit, viſum mox recepit. Sed quoniam nec ligo in promtu erat, nec pala, nec adjutor ullus, ô mira, Domine, & arcana opera tua! nocte inſecuta, finitimis loci accolis ignea ibi columna per tenebras lucens apparuit, prodigioque exciti, ſubito accurrerunt, & cum ex Nicone, quæ viderant didiciſſent, ſuam quiſque operam conferre juſſi, communi omnes conſenſu imperio paruerunt. Itaque ſedula ejus ſollicitudine, vigilantia, alacritate, opus exactum, templumque martyris biennii ſpatio perfectum eſt. In quo poſtea aram defixit ac rite conſecravit, ſacerdotes impoſuit, eccleſiaſticos ritus omnes & ſolemnia præſcripſit. Ejus templum reſtituit.

24. Omnibuſque poſt hæc valere juſſis, navigium conſcendit, ac ſecundo curſu provectus Epidaurum, quod Damalam incolæ cognominant, die quinto pervenit. Sed conſentaneum eſt opinor, ut quæ in navi mirabiliter ab eo geſta ſunt, non prætermittam. Pecuniæ cupidiſſimi nautæ erant, & avaritiæ dæmoni oppido perquam addicti: ita ut nudo, quod aiunt, capite ad omne ſcelus propterea ferrentur, perjuriis, cædibus, aliiſque id genus criminibus turpiter ſe dedentes. At vide, ut Nicon & tacitus & loquens illos monuerit, ſapientique arte ad ſalutem ab imo vitiorum turpitudinis cœno revocarit. Summam enim hominum avaritiam perverſitatemque perſpicaci mentis oculo cernens, involutum pallio ſalis faſciculum geſtare ſe oſtendit, quem nautæ, uno demto, aurum eſſe rati, magnique cujuſpiam lucri ſpe incitati, dolorem, ut ſcriptum eſt, concipere incipiunt, & parere iniquitatem. Ergo conſilium ineunt peſſimum, ab eo videlicet inditum, qui mala ſemina hominum mentibus ſemper ingerit. Conſilium autem hoc erat, ut ſanctum in mare demergerent, auroque quod ſibi fingebant, impune potirentur; ſed fefellerunt ſtultos inſidiæ ſuæ. Appetente enim hora prandii, cum menſæ jam omnes (prius enim id facere decreverant) atque una Nicon ipſe accubuiſſet, convivis ſal forte defecit, quod ille animadvertens, ſoluto in omnium oculis faſciculo, Vobis, inquit, ſalis inopia laboraturis, niveum hunc ac tenuem ex Creta detuli. En igitur, quod in ore vobis erat, tollentes, inanes Deo cogitationes ponite. Illi vero, ut audierunt, & ſanctum nihil latere animadverterunt, ad illius genua cum metu provolvuntur, admiſſique ſceleris veniam petunt: ac vide ſancti viri humanitatem, ſimul veniam dedit, & mores hominum in melius verſi ſunt, ut poſtea narravit is, qui pravi aliorum conſilii particeps non fuerat. Epidaurum navigans inſidias patitur a nautis.

25. Poſtquam hæc ita geſta ſunt, & Damalam ingreſſus, incolas ad veritatis agnitionem, pœnitentiam prædicando perduxit; ad Cecropis urbem navigare conſtituit. Optabat enim maximopere totum mundum breviſſimo, ſi poſſet, temporis ſpatio veritatis luce colluſtrare, luciſque & dici filios per pœnitentiam omnes efficere. Nactus ergo navigia duo, quæ Athenas ſolvebantur, in alterum aſcendit, ambo autem curſum ſimul inierunt, cumque Æginæ inſulæ appropin- Athenas petens vaticinatur, & navigium ſervat.

quaſſent, & aquæ penuria laborarent, egreſſis nautis ad aquandum in Salaminam inſulam Athenis finitimam, Nicon una egreſſus eſt. Verum alii quidem ad naves quamprimum reverſi ſunt, ipſe vero reditum, futuri conſcius, ſtudio diſtulit, ac ſero tandem ab inſula rediit oleo perfuſus, nautis ſimul & tarditatem increpantibus, & olei copiam in deſerta inſula, ejuſque adſperginem (quæ arcano quodam conſilio ſemper occulta manſit, cum adduci numquam potuerit, ut ejus modum ulli mortalium explicaret) mirum in modum ſtupentibus; at ille inſtabat porro ut ſecum amplius expectarent, & quidem qui navigio uni præerant facile paruerunt; alterius vero gubernatores veſana dementia quæ ab eo dicebantur aſpernantes, inſulam extemplo reliquerunt. Modicum ergo tempus effluxerat, cum ad nautas converſus Nicon: Canes, inquit, offam jam rapuerunt, filii, & abierunt, abire nunc licet; ſolutiſque mox anchoris, tranquilla & lenis ejus precibus navigatio fuit, ita ut temporis momento Athenas invecti ſint, ubi cum ea didiciſſent quæ aliis nautis, ſancti monitis parere detrectantibus, evenerant, qui non longe ab inſula in piraticos parones inciderant, abductique a barbaris fuerant in ſervitutem, futurorum ſenſum in illo mirati, ad ejus pedes proſtrati maximas gratias egerunt.

26. Athenis ergo erat Nicon, & tempus ut conſueta faceret admonebat. Quare a navale urbis, ubi præclarum Dei Matris templum ſitum eſt, proficiſcens, pœnitentiamque intonans, vocem edit Tyrrhenica tuba clariorem. Cives autem pietate cum primis & ſinceræ fidei laude conſpicui, ſalutaris ejus prædicationis dulcedine quaſi quodam minime fallacium Sirenum cantu illecti, uſque adeo amare illum & colere cœperunt, ut tantum non eoſdem illis, quos Lycaones olim Paulo ac Barnabæ honores exhiberent, ac videre erat hiantes illos quodammodo totos ab ejus ſuaviſſima voce ſuſpenſos, quæ cauſa fuit, ut quamprimum inde diſcederet, ut conſtaret illum a faſtu & gloria abhorrentem, non minore ſtudio delatos ab hominibus honores refugere, quam cupide alii conſectentur.

Athenis prædicans a civibus honoratur.

27. Hic igitur abiens ad Eubœam applicuit, quem veteres Euripum etiam appellarunt, tranſlato hic nomine, quod maris fluctus in ea identidem recurrens ſepties, ut fama eſt, quotidie reciprocetur, oſtendente, ut reor, ſymbolo, ac docente, ſi quis intenta mentis acie cogitationem altius defigat, ut certo & explorato conjiciat, non temere aut caſu, nullo humano ſtudio, vel arte adhibita, talem marini fluctus reciprocationem fieri, ſed arcanam quamdam myſterii vim ſubeſſe: ex quo intelligat, fluxum & inſtabile & inconſtans, ac mobile nihil prorſus fixum firmumque habens, millenariæ hujus vitæ amor hebdomadis. Sic enim æterno artifici verbo viſum eſt, utilitatem hac etiam ex parte non vulgarem ab eis percipi, qui melioribus contemplationibus aſſueſcere, & quæ oculis patent, ad divinos præſtantioreſque ſenſus transferre didicerunt.

Ad Eubœam appulſus prædicat.

28. Cum autem in Eubœa eſſet, & in muro tamquam in pulpito ſtans, ut commodius exaudiretur, uſitatum pœnitentiæ canticum, die noctuque iteraret, Eubœenſium pueri ludicrum quiddam, ut fieri ſolet, eſſe arbitrati, magno undique numero confluebant, cum invidus Belial hominum converſionis impatiens, adoleſcentem e corona ſpectantium a muri pinna impulſum in terram deturbat; ad cujus caſum clamore populique concurſu facto, nemo erat, qui puerum ſolo afflictum, contuſum, & acerba morte exanimatum non crederet; pueri vero parentes Niconem, ut cladis auctorem tantum non diſcerpturi ac dilaniaturi videbantur: quibus ille ſereno blandoque vultu, Vivit, vivit, inquit, filius veſter, vivit, & præter opinionem veſtram mali nihil habet. Quod reipſa cum animadvertiſſent, illæſumque & intactum puerum viderent, cauſam cum admiratione ſciſcitantibus: Monachus, ait ille, *Pœnitentiam agite* vociferans, cadenti manum ſubjecit, nec allidi me ad terram paſſus eſt. Hoc igitur ex tempore omnes illum perinde ac Dei angelum venerati ſunt: adoleſcens autem paulo poſt religioſum nomen appetens, comam poſuit, & congruentem profeſſioni vitam egit, Deoque per eam acceptus in cœlum emigravit.

Puerum ab alto lapſum ſervat.

29. Sed locus admonet, ut aliud ſubtexam, quod in Euripo quoque geſtum eſt. Mulier farinæ maſſam ſubigebat, aqua cum deeſſet, filiam miſit ad hauriendum: hæc ad puteum, qui proximus erat, terrum licet odorem ſpirans, maliſque ſpiritibus infeſtus, propere contendit, ubi hydriam demiſit, ſpiritus nequam corvi ſpecie ab imo prorumpens, miſeram invaſit, & ſolo ſtatim alliſit, miſerabili ſpectaculo: volutabatur enim ſpumas in ore agens, circumagebatur, cetera omnia faciebat, quæ energumeni ſolent. At mater ejus tarditatem impatienter ferens, obviam cum indignatione procedit. Ut vero ſic affectam offendit, animo percuſſa præ dolore fari non potuit, ac forſan etiam deſperaſſet, niſi Nicon, cujus recens ſuſcitati adoleſcentis memoria erat, menti ſtatim occurriſſet. Ad illum ergo puellam cum turba defert, humique deponens multis lacrymis orat, ut pro ſua in Deum fiducia gravi morbo ſubveniat. Ille autem primum quidem abnuere, gloriam ſcilicet, laudemque fugiens, & ſupra nos dicere, mulier poſtulatio tua. Cum illa nihilominus ejulando inſiſteret, quid non dicens, quid non agens omnium quæ ad miſericordiam inflectant. Flexus vir humanitate, & pierate ſingulari,

Puellam energumenam ſibenat.

procumbit in genua, Deoque pro ſalute puellæ vota facit, poſt hæc catena illam revinxit, litaniiſque cum populo inchoatis ad puteum uſque pergit, ubi pro ea iterum precatus, dæmonique interminatus cum eſſet, ille puella in terram proſtrata, ac diſtorta, ab eadem corvi ſimilis qualis intrarat, erupit, & puteo iterum ſe abdidit, quem populus Niconis juſſu mox obruit, opplevitque ſummotenus. Admirante igitur tantum opus, tantamque in Deo fiduciam multitudine, ſanctumque laudibus ſupra homines evehente, ille, cui gloriam deſpicere perpetuo lex erat, ſine mora diſcedens Heptapylas, Thebis conoscitur. Cadmæas Thebas petiit, in quibus cum pœnitentiam de more, quoad ſatis fuit, prædicaſſet, ad Pelopis urbem iter convertit. Quo tempore cum in Laconem quemdam robuſtiſſimo in equo ſedentem, Corinthumque, ut videbatur, proficiſcentem incidiſſet, nomine appellans, eum rogavit, ut pallium ſuum Corinthum uſque deferre non gravetur. Ille vero divinum virum eſſe conjectans, vel eo maxime, quod ipſum proprio nomine compellarat, pallium multa cum honoris ſignificatione recipiens, tota nocte curſum intendit, Corinchumque prima luce pervenit.

Jam Corinthi. 30. Sed quia ſubito inde in patriam pergendum erat, reputabat animo ſecum, in cujus fide pallium deponeret, cum interim ad forum ex cauſa profectus, Niconem in ipſius fori abſide, ubi divinum Domini Dei ac Salvatoris noſtri JESU CHRISTI templum eſt, ſtantem videt, illa quæ conſuerat pro concione perorantem. Stupefactus ergo percontatur, quonam pacto iter pedes temporis momento confecerat, cum ipſe expeditus in equo celerrimo curſu tota nocte feſtinans, Corinthum ægre poſtera luce pervenerit. Cui Nicon leniter ſubridens: At ſcito, inquit, fili, me heſterna die ſub noctem appuliſſe. Quod ipſum teſtabantur Corinthii, qui illum pridie adventantem viderant. Quare magis magiſque admiratus Lacon, aliis poſtea, quod viderat, narrare non deſtitit. Hoc vero non temere, aut fortuito caſu accidiſſe credendum eſt, fuit enim velut proœmium quoddam futurorum, quod indicio eſſet Niconem apud Lacedemonios depoſitum iri tamquam theſaurum quemdam ſacrum & inexhauſtum.

Argis peregrinus. 31. Corinthi ergo brevi ſpatio verſatus, multiſque per pœnitentiam cooperante gratia illuminatis, viam Argos tendentem ingreſſus eſt. Et cum Enorium veniſſet, quod Enorienſes agricolas docet. agricolarum ruſticorumque diverſorium eſt, omneſque abunde eruditos ad pœnitentiam erexiſſet, abire jam parans, neſcire ſe viam finxit, ducemque poſtulavit, non qui viam oſtenderet minime ignoranti, ſed qui ſtupendi, quod brevi editurus erat, miraculi ſpectator eſſet, haud ignarus, priuſquam peteret (ſic enim veriſimile eſt) dignum hoc præmio, ac mercede futurum, quem deligerent, & illi quidem libentiſſime obſecuti ſunt. Cum vero una incederent, & dux ille crebra ſuſpiria ducens identidem lamentaretur, dixit ei Nicon, Ut apparet, fili, propter filium, qui tibi ante triduum mortuus eſt, hoc modo ſuſpiras, gravique mœrore conficeris, atqui ſi filius morbo conſumptus eſt, ejus mater poſt nonum diem bene valens repente, Deo ſic melius providente, ex vivis excedet, ſed abi, fili, & fortiter omnia ſuſtine, quæ Dei nutu eveniunt, & hanc ad coronas certiſſimam viam eſſe puta. Dimiſſo ad hunc modum agricola, cœptum iter ſolus proſequebatur. Ille autem paululum retrogreſſus, quodam in clivo quietis cauſa concedit. Hic vero quibus verbis rem veram quidem, ſed ad perſuadendum propter eximiam dignitatem difficillimam explicare poſſit oratio! Solent enim homines ſuæ imbecillitatis conſcii, res plerumque paradoxas, & a Deo in honorem ſanctorum mirabiliter effectas, impoſſibiles arbitrari, nec facile illis aures, nec fidem præbere. Nam cum iter ſuum per ſubjectam vallem teneret Nicon, agricola, qui edito in loco ſubſtiterat, perſpicue illum, & vallem ſubeuntem vidit, & mox inde in aera ſublatum, crebriſque lampadum luminibus undequaque collucentem: Viæ duci arcana patefacit. Suſpenſus in aëre ambulat. idque tamdiu vidit, quoad ille ab oculis per aëra incedens ereptus eſt. Domum itaque reverſus omnia, quæ oculis vel auribus hauſerat, cum ſtupore referebat, omneſque pari cum admiratione audientes, Deum collaudabant, qui magna & mirabilia in electis ſuis operatur. Obiit autem & agricolæ conjux, prout illi prædixerat. Ita divini Niconis res orationem omnem, cogitationemque vincunt.

32. Enimvero cum Argos, ac Nauplium ipſum pœnitentiam prædicans intraſſet, Johannis quoque illius ædes adiit, qui Blacenterius appellabatur, quem ex præſtigiis quibuſdam, veneficiſque cautionibus gravi cum filia & diuturno morbo confectum videns, itaut reliquæ ſpem ſalutis nullam haberent, & anhelitu ſolo ſe mortuos non eſſe declararent, tantæ eorum calamitati condoluit, fuſiſque ad Deum precibus, ſola divini nominis invocatione, manuſque contactu utrumque perſanavit, ac mali deinde cauſam in medium extulit, magicas præſtigias, quæ ad propinquæ arboris radices obrutæ ac defoſſæ fuerant, erui jubens, quibus illi niſi ſanctus mature adfuiſſet, miſeram vitam infelici exitu claudebant. Et quæ Argis quidem ab eo geſta ſunt ad hunc modum ſe habent. Multi porro & apud Argos & apud Nauplium virtutis, pietatiſque cultores per illum facti ſunt. Argis Johannem Blacenterium cum filia præſtigiis exſolvit.

33. Inde vero digreſſus, Spartam verſus iter flexit, Dorienſiumque regionem ingreſ- Dorienſium urbes luſtrat.

fus, cum duo ibi templa erexiſſet, & pœnitentiam omnibus ſuaſiſſet, Mainen petiit, atque inde Calomatam, tum recta Coronam, & Methonem, & Miſponem, quæ incolæ Burtanum vocant. Arcades etiam luſtravit, ac demum reliquis omnibus vicis, oppidiſque peragratis, gentibuſque innumeris ad pœnitentiam melioremque vitam traductis, Spartanam viam iniit.

Ægrotans majorem habitum ſuſcipit.

34. Cum vero ad Morum, id loco nomen eſt, perveniſſet, levi morbo tactus in proximum quod opportune aderat, antrum ſeceſſit, ubi graviore mox valetudinis incommodo affectari cœpit. Febris ardens erat, qua vexabatur, nec enim novum, mirandumque eſt, ſi quid adverſi viris ſanctis contingat, ſive ad exigui limi expurgationem, ſive ad virtutis experimentum, ſive ad aliorum etiam diſciplinam, ut horum exemplo fortiter pati, & ingruentibus malis non cedere diſcant. Et quoniam vir magnus conſummatæ initiationis gratiam conſecutus nondum fuerat, divinum dico magnum habitum, qui tamen operibus ſuis perfectionem omnem jam dudum expreſſerat, accerſitis e vicinia ſacerdotibus ac monachis, hunc ſibi concedi rogavit, qui ſolemnibus peractis, profeſſionis ad vitam ducentis ſymbolo, divinum inquam, & apoſtolicum amictum illi impoſuerunt.

35. Cum autem ingens populi multitudo conveniſſet, ut ejus benedictionem expoſceret (omnes enim virtutis ſuæ illecebra ad ſe rapiebat) magna tandem inter eos exorta eſt ſitis, quod aquæ in illis locis copia nulla eſſet, ac ne humoris quidem veſtigium ullum, ita ut animis plerique jam prope deficerent. Quod cernens Nicon, & iniquam hominum ſortem miſeratus, proſternens ſe in terram,

Fontem virgæ ictu elicit.

Deum ſupplex exoravit, deinde crucigera virga terram percuſſit, ſtatimque in omnium oculis aquæ latex effluxit adeo puræ ac limpidæ, adeo potabilis & nectareæ, ut oculos ipſos priuſquam guſtaretur nitore ſuo delectaret, dulcedine vero ipſam Hymetrii mellis ſuavitatem ſuperaret; quodque mirandum in primis omnique oratione majus eſt, ſolis precibus, virgæque ictu expreſſus erupit, manetque ad hunc diem antiqui miraculi index ac teſtis, ex quo tunc temporis affatim haurientes, qui ſiti urebantur, Deo laudem omnes ejuſque famulo reddiderunt. Quid ergo nunc virga hæc quæ miraculum hoc fecit, ab illa Moſaïca differt? Siquidem hæc, quemadmodum illa, ſolo ictu aquæ fontem elicuit. Niſi forte hanc illi anteponas, quod illa crucis ſymbolum patrandis miraculis adumbraret; hæc vero res ipſa fuerit, non imago.

Lacedæmoniorum legatione evocatus.

36. Tranſactis in ea ſpelunca diebus octo, a morbo recreatus, Spartam ire tum abnuens Amyclas contendit. Quod ut ſenſere Lacedæmonii, feſtini ad illum primarii cives & alii e plebe certatim convolarunt, enixe orantes, ut Spartam uſque venire velit. Invaſerat enim civitatem peſtifera lues, & plurimos incolas abſumebat: propterea venire illum cupiebant, quod ſe divinis ejus precibus liberandos confiderent. Ille vero & cetera miſericors, & in eos maxime, qui ejus populus & ſors futuri eſſent, tamquam futura præſagiens, eoque in illos propenſior, & legationem benigne excepit, annuitque petitioni, & ingruentis mali depulſionem ſpopondit, ſi modo ipſi Judaïcam gentem ex urbe ſua pellerent, ne exercrandis, ut aiebat, moribus, piaculiſque religionis ſuæ diutius eam contaminarent. In his, ait, ſi me audieritis, & peſtis a vobis recedet, & ego quod ſupereſt vitæ ducam vobiſcum. Quibus verbis monita alia ſubjiciens, ſacras etiam Hieremiæ voces ſubinde adſpergebat: *Viæ tuæ fecerunt hæc tibi & iniquitates tuæ prævaluerunt, & duro ludo percuſſa es.* Cumque illi ejus oratione commoti ſeipſos condemnarent, atque omnia, quæ juſſerat, facturos promitterent, nihil amplius cunctatus, cum legatis ipſis profectus eſt, non eſt canterio, aut lectica vectus, nec multo comitatu ſtipatus, ſed ſolo virtutum choro circumſeptus. Ad ejus porro adventum & lues ceſſavit & Judæi urbe pulſi ſunt.

Spartam it eamque eadem ſtipe.

Peſtem ab Urbe pellit & Judæos.

37. Nec vero Lacedæmone amplius excedendum, ſed in ea perpetuo manendum conſtituit, ita ut non facile alio pedem efferret, niſi cum neceſſaria res quæpiam aliquo vocaret: ac tum quoque gradum citius referebat. Videres igitur occurrentes quotidie ex univerſo Peloponeſo ægrorum omne genus catervas, quibus ille non minus animi quam corporis curam impendebat. Mellitis enim adhortationibus ad pietatis eos zelum ſuccendebat, & ſalutem cuique ſuam pœnitentiæ ope deſpondebat. Fortunata vero Lacædemon! quæ talem medicum civemque ſortita es, cujus divinis præceptis ac diſciplinis, ad omnem virtutis formam multo certius rectiuſque quam inanibus olim Licurgi legibus effingebare.

Templum exornare parat & aggreditur.

38. Ingens erat, ardenſque Niconi deſiderium, templum Domino, ac Salvatori omnium a fundamentis condere; cupiebatque adeo *magnificentiſſimum, atque ornatiſſimum*, cujuſmodi ſpeciem quamdam cœlitus per viſum oſtenſam acceperat, excitare. Tempus ergo adveniſſe ratus, cœlum ſuſpiciens, cœlumque ipſum cogitatione tranſiliens, operisauſpicia prima precibus duxit, ſpem ſuam omnem fiduciamque in cœleſti auxilio & numine defigens. Peracta prece confirmatus, nec ſumtuum multitudinem reputans, nec viribus ſuis majus eſſe, quod moliebatur, ſola in Deum qui omnia poteſt fide fretus, ad catholicam eccleſiam conſcendit, populique concione advocata his verbis exortus eſt: » Quantopere vos adamarim, filii, « & noſtis ipſi, & conjici hinc poteſt, quod «

» vitam vobiſcum ducendam cenſuerim. Si » qua ergo apud vos mea eſt gratia, quod fe- » cero, & ipſi facite. Tum ad Dei amantem Theopemptus epiſcopus ſuſpectus Lacedæmoniis. Epiſcopum converſus (THEOPEMPTUS is erat Athenis quidem ortus, ſed Lacedæmoniis a Deo juxta nomen ſuum miſſus) ſic eum » affatur. » Exeamus ad forum, vir diviniſſime, » litaniam cum ſacro clero populoque obeun- » tes. Et illo mox annuente, ternos lapides inter eundum humero impoſuit, nemine, quid ſibi lapides illi vellent aſſequente. Ut vero ad forum pervenit, lapidibus in ter- ram projectis. Hic, filii, inquit, Dei nutu, ut Templum Chriſto, Deiparæ, & Cypriano martyri. indigno mihi ſignificavit, decretum eſt tem- plum ipſius domini noſtri JESU CHRISTI omnique laude dignæ Dei genitricis, & egre- giæ martyris Cyriacæ nomini ſacratum, quod ſaluti auxilioque civitati veſtræ futu- rum ſit, ædificari. Nunc ergo illud tempus eſt, quo veſtram in Chriſtum fidem & pie- tatem declaretis. Ad hæc illi minime refra- gantes, ſed dicto audientes, nec tamquam filii reprehenſione digni, ſed velut ſervi ob- ſequentes, promtis omnes animis, viri ſimul ac fœminæ, & privati & magiſtratus ſum- ma ſtatim alacritate, velut ſigno dato, ad opus accincti, nunc terram egerunt, nunc materiam convehunt, alter alterum ſtudio & diligentia vincere contendunt. Efficax enim ad perſuadendum eſt oratio, quando vitam ſibi paria ſuadentem habet. Ac pecu- nias quidem partim præbebant, partim ſpon- debant, & opportuna operi omnia ultro pollicebantur, magnoſque adeo cum opera ſumtus conferre, id ab eis optabile ſcilicet & laude dignum ducebatur. Denique Hie- Hier. 6. remiæ oraculum huc pertinere diceres: *Pro- batorem dedi te in populo meo, & ſcies, & probabis vitam eorum.* Poſtquam vero plurima brevi congeſta eſt materia, & alii alia ſtructuræ idonea ſuppeditarunt, ita ut vel hinc quanta Niconis gratia, & quam Deo gratum id opus eſſet, liquido appareret, ſub- ſtructionem adortus eſt, cum ejus formam funiculo ante deſcripſiſſet, & porticus infe- riores, ſuperioreſque duxit, præſtanti arte omnia perficiens, ac domo tandem omni ex parte clauſa, tectum injecit, incolis om- nibus in laboris partem venientibus, præ- ter Johannem unum, cui Arato cognomen fuit.

Johannes Arianus templi ædificationi impedit. 39. Hic enim ſolus invidiæ ſtimulis con- citatus, aut dæmonis potius ſcelere ac fraude impulſus, ira odioque adverſus Niconem inſaniebat, divini operis argumentum ad probrum & injuriam ſuam rapiens, procli- vior ſiquidem eſt malitia, ut ad pejora fe- ratur, quam ut melioribus inhæreat. Non ceſſabat egregius ille ſancto in os obloqui, cœptoque operi ne colophonem adderet, omni ope prohibebat. Prorſus enim cum reliquis Laconibus illi non conveniebat, ſed e diametro adverſabatur; unde & Judæorum A fugam injuria & immerito factam affirmabat, eamque civibus vitio vertere, atque illos hoc nomine fugillare & traducere non verebatur; cumque opificii cujuſdam obtentu, quo poliri & illuſtrari textilia ſolent, horum unum in urbem introduxiſſet, interceſſit illico Nicon, bellatorque juxta Prophetam factus, conſueta lenitate paululum intermiſſa leoninum animum induit, & fuſte, qui prope jacebat, arrepto, Judæum male acceptum foras extruſit; formidabiliorque hoſtibus, quam Hercules ille ſua clava viſus eſt. Ju- dæorum enim gentem uſque adeo averſaba- B tur, ut nec lingua, nec auribus uſurpare il- lorum nomen vellet, ut jure in illum Da- vidis verba convenirent. *Qui oderunt te, Do-* Pſal. 138. *mine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſce- bam, perfecto odio oderam illos & inimici facti ſunt mihi.* Propterea nomina eorum labiis meis non commemorabo.

Judeis favens, Niconem male tractat.

40 Hæc vero cum audiiſſet a furore no- men trahens Aratus, rabie tumens, ut ſem- per litium amans & impudens, atque ad im- mania præceps eſt improbitas, in ſanctum an- C gelum irruere, convitiis onerare, præſcin- dere, minis deterrere: quamquam inanis hæc illi ſtrepitus erant, & pro larvæ terricu- lis habebantur. Qui leni ad eum voce, nec enim contendere prorſus nec alterari norat: Abi, inquit, ad te redi, infelix, deſle ſcelera tua, brevi enim ſenties, quis arrogantiæ fru- ctus, & qualia nequitiæ ſint præmia. His di- ctis, & tamquam in mortui, quod aiunt, aures effuſis, ad monaſterium regreſſus eſt. Hominis enim animum verba non penetta- rant. Quare non deſtitit amens ab incœpto, D quin adverſus ſanctum de more fremeret, præſcindens illum, figenſque tota urbe di- gnis furore, & inſania ſua probris & contu- meliis, quin etiam minas intentabat, neſciens ſtupidus & vecors, quod non glorietur ma- litia adverſus virtutem, nec proficiat inimi- cus contra electos Dei, ut ſcriptum eſt, *Et* Pſal. 88. *filius iniquitatis non apponet nocere eis.* Quid tum autem conſecutum eſt? Tantum abfuit, ut ejus minis ac maledictis avocaretur, ut in his potius, Domini exemplo, tamquam laudibus triumpharet. Dominus autem de E cœlo auditum fecit judicium, & malitia ju- ſtiſſimas pœnas dedit. Verba in rem miſero abierunt. Nam dignos amentiæ ſuæ fructus triſti, & miſerabili vitæ exitu percepit. Nec tarda fuit vindicta, qualis ſæpenumero divina bonitate converſionem præſtolante contin- gere ſolet, ſed e veſtigio; derepente, nec opi- nantem, ut mox dicam, oppreſſit.

Terribili viſo pœnas dat & moritur.

41. Nocte proxima objecti ſunt infelici duo ſenes in ſomniis, quos alii duo ſeque- bantur, forma quidem Eunuchi, ſed longe quam humana præſtantiore, ab his vero fla- gris cædi ſibi videbatur, & his verbis incre- pari: Quomodo tu eo provectus es audaciæ, « ut Dei ſervum contemnere & convitiis ap- «

» petere non dubitares? Deinde in obſcurum poſt verbera carcerem detrudi, & cum veniam multis oraſſet, vix tandem cædendi finem feciſſe: nec tamen e cuſtodia dimiſiſſe. Expertectus igitur gravem ſtatim in febrem incidit, accitoque Nicone ad ejus pedes advolutus, miſericordiam imploravit. » Cui beatus: Quæ in me perpetraſti, ait, ea » tibi frater, quantum in me eſt condonabun» tur. Sed quoniam vitæ finis tibi cœleſti de» creto præſtitutus eſt, nemo erit de cetero, » quemadmodum ait Propheta, qui Dei con» ſilium diſſipare poſſit. Et his dictis, ad mo» naſterium reverſus eſt, illi vero tertia poſt dies infelici morte vitam eripuit. Ex quo metus ingens, ac trepidatio Lacedæmonios invaſit: nec repertus eſt quiſquam e minimis & maximis, qui ad Niconem non advolaret, ejuſque juſſis pareret, fidem enim fecerat omnibus exemplum, qui Chriſti ſervos ludibrio habent, *Quoniam utique eſt fructus juſto, & Deus judicans eos in terra.*

42. Sed conſequens eſt, opinor, ut ea nunc exponam quæ in templi ipſius ædificatione mirabilia contigerunt. Effoſſo igitur fundamento, ac juſtam fere in altitudinem producto, lapis occurrit mole ingens, minimeque tractabilis, & quem loco movere Herculeus quidam labor videretur, qui & a numeroſa hominum manu conjunctis viribus impulſus immobilis ſtetit. Nicone autem levi manu attingente, penna levior factus, faci illime ejectus eſt. Dum erigitur, dæmones qui magno civium damno locum inſederant, prope quos, opinor, templum illic extrui Deo viſum fuerat, ſucorum ſpecie evolantes, opifices labori intentos, haud leviter perſtrinxerunt; at ſanctus & illos ſtatim precibus ſuis ac ſignaculo ſanavit, & vulnerum auctores loco pulſos ad abyſſi latebras detruſit. Ita lapis ſine cruore ſublatus & nefarii ſpiritus per Niconis imperium profligati. Iis enim qui Deo ſoli vivere volunt, quique acceptam gratiam non corrumpunt, omnia ſemper obſecundant.

Nicon ingens ſaxum precibus eruit ex fundamentis.

43. Quia vero ſacræ ædis molitioni operam navantibus tum non parva erat multitudo, facileque conſumebantur quæ Chriſtiani ad eorum victum conferebant: vini porro probi ac integri penuria ſumma erat; ipſemet ad vinarium vas accedens, quo infuſum pridie vinum fuerat a cive quodam tenuioris fortunæ; ſed immaturum acerbumque adeo, ut ex odore ipſo vitium deprehenderetur; omnipotenti Deo ſupplicavit, ut acidam vappam in melius converteret. Quid hic egit mirabilium auctor qui glorificaturum ſe ſpopondit, quorum ipſe operibus glorificaretur? ſicut nimiam olim marrhæ amaritudinem in dulces aquas, & aquam rurſus in vinum ad Canam Galileæ converterat, ita tunc exorante ſancto, ex acido corruptoque, optimum & cor hominis valde lætificans vinum facit, quod operis ad multos dies ſtupentibus, Deumque laudantibus exuberavit, eademque fide nixus in reliquis etiam vitæ ſumtibus abundabat, ut nihil habens omnia tamen poſſidere juxta Apoſtolum videretur. Dei enim providentia & larga ejuſdem copioſaque dextera, quæ aperitur & omnes implet ac ſuſtentat, ſuos minime deſtituebat.

Vinum acidum in melius mutat.

44. Nec ſolum in ſumtibus videre erat uberrimam affluentiam, ſed in opere etiam ipſo quotidianos proceſſus & incrementa, cui laborans ipſe cum ceteris, momentum haud leve ſpiritu potius quam corporis viribus conferebat: ita ut poſtridie in ædificio amplius ſemper aliquid, quam pridie reliquerat, acceſſiſſe, ac modo cubitum, modo plus etiam operi adjectum offenderent. Sed & materia, quæ interdiu penitus abſumta fuerat, eadem noctu ad Niconem divinitus tranſmiſſa, poſtero die omni ex parte redundabat, ut fidem ex eo capere liceret, divinum revera id opus eſſe, Deique nutu elaborari, nec minus ex ignea columna, quæ ſupra fabricam noctu, inde ad cœlum pertinens cernebatur, quam a ſe procul viſam adjacentium locorum accolæ affirmabant.

Fabricæ ſe ipſa crescit materiis ſuppetentibus.

45. Die quodam cum amoris fideique, quam erga eum primores urbis profitebantur, periculum facere placuiſſet, quoniam ad mercedem fabris numerandam ne obolum quidem habebat in promtu, perſuaſit eis, ut injecta in ipſius collum catena per urbem vinctum mancipii more raptarent. Cujus rei fama ſimul ad populum pervenit, reique cauſam intellexit, certatim omnia, quæ trahentibus debebantur, exſolvit, & preces a Nicone pro pecunia recepit. Hac autem catena quid beatius dici poſſit, quæ puræ ſanctæque illius carnis contactu ſanctificata, & habitantis in eo ſpiritus particeps effecta, morborum, ægritudinumque liberatrix evaſit? Per quam dæmones ab energumenis fugantur, prodigia fiunt admiranda, curationeſque aſſiduæ omnibus, qui fide integra ſuam illi cervicem ſubjiciunt. Nam etſi ferrea eſt ejus natura, at divinam virtutem adepta eſt, quam dæmonum acies perhorreſcunt, angeli reverentur, triumphat vero exultatque ſacrum templum, hanc velut aureum quoddam monile, pretioſumque mundum in ipſa beati corporis ædicula ſuſpenſam cuſtodiens, unaque etiam divini capitis pileolum integumentum, quod omnium generum morbis præſtantiſſimo eſt remedio, quæ nos ipſi pio ſenſu adorantes, & ſanctitatem inde hauſimus, & inſidentem in illis divinam gratiam experti ſumus.

Niconem vinctum mercedem operis ſui.

46. Sed ad Niconem redeat oratio. Perfectum jam templum erat, & ſacrum monaſterium, aut ſacrum potius diverſorium, tabernaculumque in terra cœleſte, ac terra ſublimius, tanta erat templi, tam varia & multiplex

Templum abſolvitur & conſecratur.

multiplex pulchritudo, columnarum nitor colorque, lapidum fulgor, picturæ, artisque elegantia, materiæ omnis varietas oculos rapiens, omnia demum pari venustate & magnificentia, quæque cum Phidiæ, & Zeuxidis, ac Polygnotis operibus comparata, nullius illa pretii vel exigui fuisse demonstrarent, ut quamvis indicaret nemo, perspicuum tamen spectantibus esset divino consilio, ac divina etiam manu perfecta & ornata hæc fuisse. Sola templo deerat dedicationis consecratio. At Nicon summo in eam curam studio intentus, cum omnia quæ usui forent, scitè præparasset, adiit ipse religiosum, de quo diximus, episcopum, oravitque, ut ad templum ecclesiastico ritu initiandum descenderet, poliebanturque etiamnum sacræ mensæ columnæ ab artificibus, quarum una latomorum negligentia ita confracta fuerat, ut avulso fragmento ceteris brevior esset. Hoc ergo vitium sancti metu tegere cupientes, fragmentum columnæ agglutinarant, sed frustra; male enim coagmentata minime cohærebant, nec sanctum latuit, quod clam eo factum putabant: quia prope aderat ad cor loquens, qui finxit singillatim corda hominum, qui ab eo non est passus, quod gestum fuerat ignorari. Quare postquam ad templum cum episcopo cleroque pervenit: Stulte, ait omnibus audientibus, per absentiam nostram aliquid hic factum est. Sed verborum sententiam tum quidem nemo intellexit; postmodum autem res patefacta est, cum episcopus ceromaticum columnis imponeret, tum enim columna illa inutilis apparuit, quæ forma quidem & craffitudine persimilis, longitudine autem ceteris brevior erat: cui quod deerat ligneo fragmento supplere artifices conati, cum diu frustra desudassent, fragmentum enim modo brevius, modo longius videbatur, Nicon genibus ter flexis, solemnique prece coram veneranda Dei matris imagine rite peracta, desperati operis idoneus auctor inventus est, nec diuturnus labor fuit; admota manu lapis in ceræ modum emollitus excrevit, reliquorumque mensuram æquavit, nec minus apte quam illi suo loco stetit, mirante factum episcopo, & consecrationis solemnia non sine stupore ac metu prosequente.

Columnella facta a Nicone prædictis inserta.

47. Nec destitit ex eo tempore sacrum hoc templum Spiritus-sancti gratia illustrare. Quodam ergo die cum incruentum in eo sacrificium offerretur, columba auri specie fulgens in adytis circumvolitare visa est, & alias rursum sub vespertinos hymnos cum sacra biblia legerentur, sonus quidam exaudiri, tum columba eadem specie per adyta volitans, hinc sese in pervigilem lucernam subito insinuare. Accidit etiam non raro, ut lucernæ in templo suspensæ nulla ventorum vi impulsæ, suopte nutu agitari inter se moverique viderentur. Peragebantur ali-

Miracula templum illustrant.

A quando vespertinæ laudes, prima autem hebdomadis dies erat, cum sphæristarum aperto gymnasio juvenum frequens manus infra sacram ædem constitit; aque inter alios prætor Gregorius, pars & ipse certaminis, cum indigenis ludens; ludi enim amans erat, ludicrisque supra modum capiebatur. Et quoniam inconditæ clamantium voces, tam ludentium, quam spectantium exaudiebantur, adeoque perstrepebantur, ut a sacris hymnis avocarent, & mentem in illis figere non sinerent; zelo Dei percitus Nicon celeriter adproperat, belluinamque hominum barbariem libera voce, & qua justos uti decet libertate castigat. At prætor vir amari alias ingenii, & tum maxime ludo intentus, ut qui a paribus se vinci doleret, impotenti adversus sanctum actus rabie, præscindere maledictis, manusque ad vindictam ausus attollere, urbe denique expelli jussit; jamque ducebatur hilari pacatoque vultu Domini sui exemplo, leviusque injuriam quam ceteri maximos honores ferebat. Ceterum nec sera, nec pedibus, ut poëta dixit, tarda fuit ultio, quando velocius junctisque vestigiis contumeliosum secuta est. Nam cum primum ad excipiendam sphæram manum sustulit, paralysi repente icta est; idem porro membris omnibus statim solutus & enervatus, ad catholicam ecclesiam aliorum manibus elatus est, ubi acutissimis & gravissimis doloribus excruciatus, mortem præ illis in lucro ponens, lamentabiles questus edebat. Cumque magna medicorum sedulitate curaretur, & remedia omnia infra malum essent, ita ut inanis ac vana omnis ab illorum arte spes esset, causam exquirit episcopus, cur tam repentinus morbus invasisset: erat enim & ipse medicinæ artis peritissimus. At ille, quæ in Niconem admiserat vel invitus expositi, hunc mali sui fontem & caput esse non dissimulans. Quo cognito, episcopus objurgavit ille quidem hominis temeritatem non leviter; tum opportuno consilio auctor fuit, ut fastum poneret, & a Nicone supplex illatæ injuriæ veniam oraret. Norat enim unde certæ medicinæ spes esset. Paruit ille, abjectoque fastu, ac prætoriæ potestatis supercilio, Niconem multis precibus per nuncios accersiit, qui quidem acceptæ injuriæ oblitus, dicto citius adfuit, didicerat enim ut contumelias pati, sic easdem ultro remittere, aut potius benefactis & officiis compensare. Prætor autem ut illum vidit, ad ejus pedes se abjicit, & qui modo turgidus animusque ferox iras tantum & injurias spirare videbatur, supplex factus, erroris veniam lugubri voce rogat, ejusque preces, unicum salutis suæ pharmacum implorat: semper nimirum imbecilla res est vitium, fortis autem ac stabilis virtus. Quid ergo ad hæc divina mens? An exprobravit hominis amentiam effrenatamque audaciam? Aut as-

Gregorius prætor in Niconem injurius paralysi corripitur.

Veniam ab eo petens sanatur.

pernari orantem & tantiſper abnuere viſus A eſt? Minime gentium. Qui enim faceret, qui diſcipulus [aut acerrimus potius] mitis illius & pacifici imitator erat, ad benefaciendum magis, quam ad plectendum natura comparati? Itaque non ſolum veniam dedit, ſed ſanitatem etiam precibus ſuis admota manu reſtituit: itaut cibum ſtatim ſumeret incolumis, & libere atque expedite loqueretur, miraculo vel oculis ipſis qui ſpectabant fidem vix faciente.

Niconarcana de Sclero Barda reve & de Barda Phoca.

48. Huic ipſi & Scleri Bardæ rebus poſt B ejus e Babylonia reditum, audire cupienti (nec enim abdita, intuentis gratiæ exſortem illum eſſe arbitrabatur) narravit Nicon, Sclerum quidem ad imperatores reconciliatum feſtinaſſe: ejus vero cognomine alterum ipſius audaciæ ac rebellioni ſucceſſiſſe, attamen nec illi profuturam tyrannidem, nec imperatoribus ſuperiorem fore. His ergo prædictionibus conſentaneus fuit eventus, &.

984. eum qui prædixerat admirabilem declaravit. Ac prætoris quidem Gregorii, ſanctique res hoc modo ſe habent.

Baſilius Apocaucus prætor Bulgarorum metu per Niconem liberatus, & morbo.

49. Non longo poſt tempore, Baſilius cognomento Apocaucus, prætoris munere C nuper auctus, Corinthi verſabatur; iſthmumque illum præſidio contra Bulgaricos incurſus tuebatur. Graviter autem illum angebat non ſolum moleſtus ac difficilis morbus quo tenebatur, ſed multo magis urgens metus & pavor Bulgaricæ incurſionis; fama gliſcente, gentem illam tota Epiro graſſatam, in Helladen atque in Peloponeſum copias convertere. Proinde miſſis Spartam nuntiis, Apocaucus Niconem evocarat; enim vero compleranr ejus aures quæ de illo paſſim narrabantur, præcipue quæ de ſumma illius in Deum fiducia & libertate acceperat. Ex quo autem virtutis ejus illecebris capi cœperat, D beatum ejus vultum cernere vocemque audire votis omnibus geſtiebat, ſemper enim apud omnes gentes in pretio & veneratione fuit vera philoſophia. Divinus quidem vir caritate præſtans, Apocauci petitionem propenſo animo accipiens, antiquius nihil habuit, quam ut Corinthum celerrime contenderet. Quo appellens non ſolum morbo ægrum ſua præſentia liberavit, ſed metu etiam ac terrore Bulgarorum, illos alio curſum ſuum flexiſſe ſignificans. Ita omni ex parte fauſta & jucunda Baſilio fuit Niconis oratio. Cum ergo dies ſeptem illic poſuiſſet, E malorumque impendentium Ilias per eum diſcuſſa & ſubiata eſſet, domum revertit. Ubi ſenſuum habenas uſquequaque contrahens, intro ſemper flectere cogebat, adeo ut majore in mediis tumultibus tranquillitate, quam eremicolæ deſertis in locis frueretur. Sed poſtulat res, ut quæ in via mirabiliter geſta ſunt commemorentur. Iter enim faciens cum altero pio viro ac religioſo eodemque preſbytero, cum obſcura nox eſſet, ambo in vetuſtiſſimum templum quietis cauſa ingreſſi ſunt, ſtatiſque ante ſomnum precibus perſolutis, cum ſomno humi ſe dediſſent, experrectus poſtmodum ſacerdos, quaſi lucernæ faculam videt in illa noctis caligine, diffuſis ſupra crucigeram Niconis virgam radiis corruſcantem, totumque templum ſplendore ſuo colluſtrantem. Obſtupefactus igitur hoc viſo, divinum hunc virum eſſe ſenſit, matriſque memor, quæ diuturno confecta morbo, multos annos lectulo affixa jacebat, pro illius ſalute implorandum cenſuit. Vix animi ſenſum expromſerat, cum ille fidem hominis adeo conſtantem admiratus pannoſi, quo tegebatur, amictus oram ſecans, potrigenſque ſacerdoti: Vade, ait, frater, & ſacra Theophaniorum ſanctificationis aqua hanc imbuens, da ægræ potandam, & Dei gloriam mox videbis. Paruit mandatis preſbyter, matrique intinctum pannum attulit; quo delibato, res mira, ſubito convaluit, quæ orci januis proxima fuerat, & Dorcadis inſtar incolumis e lecto proſiliit.

Niconis baculus media radix.

Ora ægram lavat.

50. Ita Niconi ne parerga quidem, quæ obiter agebat, miraculis carebant. Spartam autem repetens, ut dixi, cum itineris ſociis more ſuo philoſophabatur, de illa æterna vita differens, eoſque melliſluis ac divinis monitis ad pietatis amorem mirifice incendebat. Cum vero viam quæ Amyclis huc ducit, attigiſſent, ſuavique illa ejus illecebra deliniti attentius audirent, quia & æſtas erat, & meridies æſtuſque oppido ingens, & ardor intolerandus, viæ comites ſiti graviſſima cruciari cœperunt: nullus porro toto illo ſpatio vel fontis latex, vel fluminis, aut torrentis decurſus, aut alia demum aquæ copia erat. Quare conſternati animis, humoque prope viam proſtrati, vitam ægre ſpiritumque præ ſitis ardore ducebant. Quod eorum diſcrimen miſoratus Nicon, primum ad ſolita precum auxilia ſe convertit, deinde crucigera virga humum, in qua precatus fuerat percuſſit: nec mora, ô mira iterum, Chriſte mi, opera tua! aqua dulciſſima & clariſſima, potuique aptiſſima ex terræ viſceribus erupit, cujus hauſtu miſeri illi, qui tabeſcebant, recreati corroboratique, ſanctum virum alacres præcipua cum admiratione ſecuti ſunt. At enim, aqua illa, quæ ſic efluxerat, perennem in fontem verſa, manet etiamnum & commune viantibus depellendæ ſiti ſolatium præbet. Ubi &, ſacellum poſtea ter beati nomine ab accolis monachiſque per Zoſimam pium virum & moribus laudabilem a fundamentis excitatum eſt. Ergo qui e fonte illo in dies hauriunt, ſuavique ejus potu reficiuntur, inſtitutum iter hilarius Deum Niconemque prædicando conficiunt.

Fontem vivificum ex ſiti ægra elicit.

Johannes Malacenus a calumnia liberatus precibus Niconis.

51. Lacedæmonem vix redierat & veræ philoſophiæ monaſterium ſuis redditus, tenebat, cum paucis poſt diebus, quoniam invidia quieſcere neſcit, ab improbis quibuſdam malevoliſque hominibus per calumniam accuſatus Johannes ille Malacenus, nobilitate

generis ac ſplendore, necnon humanæ ſapientiæ laude non inter Lacedæmonios modo, verum etiam tota Hellade ac Peloponeſo facile princeps: accuſatus autem apud eum, qui tunc imperii ſceptris poticbatur, Baſilium ſcilicet Romani minoris filium, regum omnium fortunatiſſimum, cujus & vita illuſtris, & imperii ſpatium longiſſimum fuit, & victoriæ ac trophæa de hoſtibus quamplurima: per quem & Bulgaricæ gentis princeps anno 1009. ut memorant hiſtoriæ, Samuel ille viribus & robore inexpugnabilis, in Creta cum innumerabili Bulgarorum multitudine fractus ac ſubactus eſt. Mittuntur itaque ab imperatore ſatrapæ duo militum legionem trahentes, ut Malacenum ex improviſo comprehendant, vinctumque ad reginam urbium ducant. Defectionis enim, perduellioniſque crimen in eum concinnantes æmuli, imperatorias aures falſæ accuſationis calumnia oppleverant. Ut ergo in Lacedæmoniam pervenerunt, & virum cujus cauſa miſſi fuerant, comprehenderunt: evocat ille confeſtim virum Dei, quem ob egregia facinora præcipuo in honore habebat, gravique dolore anxius, Ora, inquit, ora pro me miſero, ſerve Dei, ne imperatoris ira male peream. Quem ſanctus blandis contra, melleiſque verbis reſpondens, confirmare animum juſſit, nihilque triſtius formidare. Tum eximia quadam vi caritatis, menſæ ſimul accumbens & lætitiæ poculum, ceu poëticum illum cyceona malorum omnium oblivionem mœrenti propinans, oraculum adjecit, regiam potius benevolentiam adepturum, vitam anteacta beatiorem acturum, altiores ad honorem gradus conſcenſurum, de omni denique moleſtia & calamitate triumphaturum, & me, inquit, videbis, & in patriam ſub vitæ finem revertere. Nam & hac quoque, ut ſupra dictum eſt, a Patre luminum ornatus gratia fuerat, ut futura æque ac præſentia prævideret, atque omnia ſane, ut prædixerat, evenerunt. Malacenus ergo tamquam a prophetica & divinitus agitata lingua hæc audiens, nihilque penitus abigens, vehementer exhilaratus eſt, navigationemque conſalutato Nicone ſecuro animo exorſus eſt. Poſtquam ad imperatorem pervenit, & conficta ab æmulis criminatio, veritatis luce, ſed Niconis maxime precibus diſcuſſa eſt, majorem deinceps apud imperatores gratiam, ampliores honores, gloriam ac famam adeptus eſt, adeo ut principem in ſenatu locum obtineret.

Baſilius imperator anno 978.

Niconis vaticinium.

52. Tranſacto poſt hæc tempore non brevi, cum Malacenus Conſtantinopoli adhuc eſſet, Nicon ad immortalem beatamque ſortem tranſiit. Quod ille cum accepiſſet & dulcem illam ſpem, qua futurum ex ejus verbis non dubitarat, ut acceptabilem ejus vultum adſpiceret, ſibi quodammodo ereptam ſentiret, vehementer angi animo, variiſque cogitationibus æſtuare cœpit, gravem præterea vitam ducere, niſi quod ille promiſerat, re perfici videret. Fide igitur confirmatus (neque enim expers illius erat ſcientiæ, qua cognoſci Dei myſteria ſolent) quid agit? quo ſe convertit? Pictorem advocat arte, manuque inſignem, & qualis habitu, veſte, capillis ſanctus fuiſſet verbis deſignat: tum aptis coloribus in tabula totam ejus imaginem exprimi jubet. Reverſus domum pictor, pretiumque operæ ratus, quod juſſus fuerat quam accuratiſſime poſſet exequi, poſt varios conatus fruſtra tandem ſe laborare animadvertit. Nec enim ex ſola narratione poterat quamvis peritiſſimus artis, & exercitatiſſimus eſſet, quem numquam viderat, ad veram ſimilitudinem exprimere. In hac igitur cura verſanti, vehementerque dolenti, quod oris lineamenta effingere non poſſet, ante oculos repente extitit monachus quidam, qui in ædes clam penetrarat, ſtatura procerus, habitu eremitico, obſoleta veſte amictus, coma ſqualens, capillitio barbaque niger, in omnibus denique beato viro ſimillimus. Nam & virgam manu gerebat, cujus apex in crucem deſinebat, qui pictore comiter ſalutato, mœroris ſollicitudiniſque cauſam ſciſcitatus eſt. Ille vero & cauſam mox aperuit & operis definitionem demonſtravit. Tum leni ad eum voce monachus: Me, inquit, adſpice, frater, mihi per omnia ſimilis eſt, quem depingis; ut ergo acrius in illum oculos intendit pictor, penituſque circumſpexit, illum ipſum eſſe agnovit, quem Malaceni verba deſignarant. Quare ad tabulam reflexus, ut conſpectam formam imitaretur! O rem admirandam, ſacram ter beati effigiem in tabula ſuis lineamentis ſuapte expreſſam ſponte videt. Cumque miraculo ſtupefactus ad ſanctum ſubito *Domine miſerere* cum horrore inclamans, ſe convertiſſet, illum amplius non vidit, jam enim avolarat. Itaque ad delineatam divinitus formam, reliqua colorum pigmenta adjiciens, perfectam imaginem, qualis hodie in ſacro beati fano ſuſpenſa viſitur, omnibus numeris abſolvit, ſtatimque ad ſpectabilem Malacenum cum illa properans, omnia illi, ut acciderant, ordine percenſuit. Quibus ille auditis, cum ex oblata pictori Niconis ſpecie ne in hac quidem parte inanem fuiſſe ejus prædictionem animadverteret, ingenti gaudio perfuſus, mirabilium Dei operum laudes, & quantam a ſpiritu ſancto gratiam ſortitus Nicon eſſet, prædicare numquam deſtitit.

Imago Niconis divinitus expreſſa in tabula.

53. Sed Malaceni quidem, & ſacræ imaginis hiſtoria ſic habet. Nunc autem de beatiſſimi viri exceſſu neceſſario nobis etiam dicendum eſt. Erit ſiquidem & utilis & ſalutaris audientibus narratio. Appetebat ergo tempus, quo cœli amans, virtutis ſpirans columna vir Dei infera hæc relinquens, ad

Deum, quem impenſe amarat, proficiſcetur, & pro laboribus præmia, quæ ſperarat, mercedemque reciperet. Et quia ſuprema vitæ dies, quam Deo revelante præviſam & cognitam habebat, in illa diceſſus ſui cogitatione totus erat, cupiebatque cum apoſtolo diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Leniter ergo cum ægrotaſſet, in monaſterii veſtibulo exponi ſe juſſit, civitatiſque primoribus evocatis, cum genere omni monachorum ac ſæcularium, primum quidem alto quodam ſenſu mentis, ſumma animi modeſtia ſingulas vitæ ſuæ partes, & quæ occultarat ab origine patefecit. Deinde & patriam, & genus, & modum abdicationis, divinum inſuper, ſincerumque æterni patris amorem, quem infixum animo gerebat, quibus à Deo muneribus affectus, quanta Spiritus-ſancti gratia decoratus fuiſſet; omnes denique res ſuas ordine commemoravit: exitumque imminentem, & quam acri deſiderio ad Deum pergeret, ſignificavit. Quam ad orationis partem cum veniſſet: »Ego quidem, inquit, »filii & viſcera mea, quos parturivi, & genui »in Spiritu-Sancto, ad Dominum omnium & »Deum noſtrum abeo, & reſolutionis meæ »tempus inſtat: vos vero monita mea memoria ſemper retinere oportet, & animarum »ſalutem ſerio amplecti, ſcientes poſt diſceſſum ex hac vita, pœnitentiæ vim nullam »fore. Illis autem ejus obitum communem orbitatem ſuam reputantibus, & ſeparationem hanc profuſis lacrymis planctuque lamentantibus, ceſſare eos a luctu jubebat, qui carnalium hominum proprius eſſet, ac Deo potius gratias agere, ut eos decet, qui in eum credunt, & ſpe meliore ſuſtentantur.

Obitum ſuũ prænoſcit, & ad eum ſe comparat.

Suos hortatur ante mortem.

54. Poſt hæc paræneſim alteram ſpiritu afflatus (quibus ſirenibus, aut quibus olorum cantibus non ſuaviorem?) exorſus eſt. »Filii mei cariſſimi, & deſiderabiles, attendite, »inquit, vobis ipſis, & quæ à me monita »accepiſtis, quæque modo dicturus ſum, pari »cura obſervate. Oportet enim vos Dei timorem præ oculis perpetuo verſare, pietatem »undequaque colere, ab eccleſia non recedere. Arrogantiam, turgidoſque ſpiritus, dira »& peſtifera animi vitia procul ſemper habete, veram autem humilitatem alacres amplectimini: tum ante omnia maximam, & »latiſſime omnium patentem virtutum, caritatem, inquam, adverſus Deum & proximum omni ſtudio ſectamini. Hæc enim eſt »vinculum perfectionis virtutum, & quod ſal »pani, hoc virtutibus eſt caritas; ac majorem humilitate caritatem hinc videre eſt, »quod Dominus ipſe per ſuam erga nos caritatem humiliavit ſemetipſum, & ſimilis noſtri factus eſt. Ad hæc, filii, hoſpitalitatem ne »obliviſcamini, mendicum & nudum ne deſpexeritis, infirmos viſitare non pigeat, pauperum miſereri, proſtratis & afflictis opem »ferre, liberare oppreſſos de manu injuſti & iniqui: fraternum amorem retinete, invidiam, æmulationem, mutuum odium, & reliquas vitiorum peſtes a vobis removete. Addam & aliud, quod minime quidem laborioſum, ſed purgandis animæ maculis peropportunum didici, peccantibus erratorum facilem veniam date, hoc enim gratum in primis, ſi quicquam eſt Deo, abſtergendiſque malis noſtris aptiſſimum. Oportet etiam vos, fratres, viduas tueri, orphanos protegere & egenis liberaliter erogare, fornicationem omni contentione fugere, temperantiamque adamare, ſine qua Deum nemo apoſtolo teſte viſurus eſt. Erga famulos æquo & benigno animo eſſe, malum autem pro malo nulli rependere. Sed & commiſſa identidem ſpiritualibus viris confiteri, ad eam rem quam maxime idoneis. Ad hunc modum, ſi vitam veſtram compoſueritis, orphanos ego vos, patris orbitatem lugentes, cariſſimi non relinquam: ſed curam veſtri patri illi committam, qui omnia ratione & ſapientia produxit qui communis omnium parens, & dominus & curator eſt, ſalutem omnibus abunde impartiens.

55. Hæc & plura horatus cum eſſet, non humana ſapientia, ſed Spiritus-ſancti dono, ac munere verba fundens, ut idem illi, quod olim Hieremiæ a Deo dictum videretur: *Ecce ego dedi ſermones meos in ore tuo.* Poſt manus illis orando impoſitas, poſt ſuprema, ut potuit, dictæ ſalutis officia, cum denique adjeciſſet: *Deus cum caritate veſtra ſit vobiſcum,* oculos in cœlum intendens, *Domine*, ait, JESU CHRISTE *Deus, in manus tuas commendo ſpiritum meum*, & puram ſacramque cum his verbis animam efflavit, & ad immortalem, beatamque ſortem, velut olympionices quiſpiam, angelorum cœtu dignus, vitæque ante actæ, & laborum præmia percepturus evolavit. Tum vero, tum ſcilicet Spartanæ urbis populus univerſus, totaque adeo circumjacens provincia, omnium ordinum atque ætatum, Niconis tranſitu evulgato, ſummo animorum ardore hinc inde confluxit & apum inſtar ad favos advolantium, ad ſupremam beati viri benedictionem accurrit. Magni adeo præmii & honoris in parte numerans, vel ad ſepta ipſa propius acceſſiſſe, & beatum vultum oculis conſpexiſſe. Itaque fervebant viæ, & compita concurſantium turbis, miracula vero creberrima emicabant. Quin ut fidei ſuæ ſpecimen darent nonnulli, agreſtius quiddam rudi temeritate auſi ſunt, alii ſqualentis comæ cinnos præcidere, alii barbæ pilos, alii partem aliquam obſoleti pallii vel ſtraguli auferre, adeo in votis omnibus erat, aliquid ex ſancti reliquiis ad vitiorum morborumque curationem decerpere: quos ſane ſpes ſua non fefellit, promptam enim ſalutem adepti, quotquot erant, incolumes domum, lætique redierunt.

Migrat e vita magno populi ſtu & concurſu.

Sepelitur ab episcopo.

56. Ecclesiæ verò clavum id temporis regens, de quo sæpe jam dictum est, episcopus vir & fama illustris, & virtute supra famam illustrior, cum reliquo sacerdotum, & cleri, monachorumque agmine funeris solemnibus rite procuratis, purum, sacrumque corpus congrua veste involutum, summota, ut licuit, populi turba, quæ divino spectaculo satiari non poterat, in loculum depositum, ex quo mox unguentum fluvii ritu ab sacro tabernaculo scaturire cœpit, nec in posterum ullatenus exaruit, unguentum inquam, & specie inusitato, & vi ac facultate inexplicabili. Videres enim & claudos hoc liquore perunctos, rectis pedibus exsilire, & cœcos visum recipere, & furiosos pulsa rabie sui compotes fieri; diras demum febres & tabes, & aquas intercutes, & sexcenta morborum genera sacri olei ope ab hominibus, quorum ex numero Johannes Sabbatii filius fuit, citissime profligari. Enimvero initia flexusque vitæ, ut dixit quispiam, adsimilis finis consequitur. Quod si quid interdum secus accidat, id & raro prorsus & præter morem contingere.

Unguentum profluit ex sepulcro.

Miracula posthuma.

57. Restat ut de miraculis, quæ sancti viri mortem consecuta sunt dicamus, non omnia quidem recensentes (cui enim liceat, cum tam multa in dies facta sint, ac ne nunc quidem fieri desinant,) sed ita ut pauca de multis ad Dei gloriam, qui sanctos suos honorat, libantes, cetera conscriis relinquamus. Hic igitur Sabbatii filius, ex diuturno morbo in paralysim membris omnibus solutus cum incidisset, ad divinam ædem delatus, unguentoque ex sacris reliquiis manante delibutus, protinus convaluit, totoque corpore consolidatus, suis pedibus currens ad matrem rediit.

Johannis Sabbatii filius paralyticus.

Basilii Apocauci prætoris servus.

58. Prætoris munere præcipua cum laude perfunctus Basilius Apocaucus prætor, quem supra memoravimus, priusquam rediret in patriam, Lacedæmonem venit, ut sacram beati thecam adoraret, suumque in illum amorem ac studium testaretur. Discedens autem, collectum vasculo sacrum unguentum, quod sanctificationi, malisque & morbis omnibus depellendis esset, domum tulit. Domi ergo quemdam ex famulis, quem in intimis habebat, gravi lethalique morbo decumbentem, & desperata per medicos valetudine deploratum nactus, divino quod gerebat unguento Gregorium (id enim servo nomen erat) certa fide spem fulciens inunxit. Res mira! sub mediam noctem e lectulo repente diffiliens æger, suisque pedibus ingrediens, sonora voce, qui modo elinguis erat, uxorem vocat. Apocaucus ad vocis sonum excitus accurrit, & sanitati aut vitæ potius restitutum cernens, modum causasque interrogat. Tum ille, Monachum sibi quemdam adfuisse, ait, insignem cruce virgam manu gerentem, vultuque corporis eremitico, & lethalem morbum protinus depulisse. Adstans enim mihi aiebat monachus ille, (cujus etiam vultus lineamenta designabat, e quibus Apocaucus sanctum fuisse didicit) manuque prehendens, Deus, inquit, propter Apocauci fidem, vitam tibi Metanoitæ precibus largitur, & cum hoc dicto statim abiit; ego vero integram valetudinem adeptus sum.

Elita Energumenus.

59. Elita quidam ab impuro dæmone vexatus, vinculis constrictus ad beati templum perductus fuerat: constrictus autem, quia dæmonis æstu actus in furias omnia quæ manibus corripuisset, discerpere ac dilaniare cogebatur. Simul ac vero divinam arcam attigit, (sic enim potius appellare fas est) & stillante unguento illitus est, evanuit dæmon, liberumque, ut si infestus ei numquam fuisset, suique compotem dimisit.

Energumenus alter a Plagia.

60. Alius e Plagia non ignoto in Corinthi finibus vico oriundus, usque adeo & ipse a fero spiritu agitabatur, ut nunc vestes dilaceraret, nunc per abrupta vallesque præceps impelleretur, interdum sepulchra ipsa penetrans, caput pulvere situque cadaverum deturpabat: obvios præterea quosque dentibus appetens, & spumas in ore versabat, & linguam fœdo spectaculo exertabat. Hic vero ad sacram pariter beati ædem pertractus, pariterque inunctus, haud dissimili modo liberatus est. Qui virtutis ansam postmodum inde arripiens, melioris vitæ mutationem per angelicum divinumque habitum professus est, & hanc velut gratiam sancto non injustam rependit.

Spartana pedum usum recuperat.

61. Spartana insolens mulier dæmonis livore tam gravem in pedibus paralysim contraxerat, ut hi clunibus a tergo affixi, ambulandi officium negarent, & genibus repere quadrupedum more cogeretur. Jacebat misera sub fornicibus monasterii, & sanctum pro salute sua multis lacrymis verbisque precabatur. Nocte quadam, lucente luna, monachum e templi gradibus descendentem, rectaque ad se venientem videre visa est: qui cum, ut propius adfuit, virga quam gestabat, leniter feriens diceret: Surge mulier, & pedibus insiste; illa vero stridula voce id fieri posse negaret, ut quæ diuturna paralysi adstricta, movere illos prorsus nequiret: tum demum asperius aliquanto iterans: Surge, inquit, infelix mulier, nam Dominus JESUS CHRISTUS per Metanoitæ intercessionem te sanavit. Quo dicto, rejectis illico scipionibus, surrexit, & sanis firmisque pedibus ceu Dorcas altera exsiliit, graduque conscendit. Ac medicus quidem jam abierat, illa autem tamquam nihil significantia verba ingeminans, *Kyrie eleyson*, & *Gloria tibi sancte Dei*, sine modo vociferabatur. Sæpe enim inspératum bonum, & quæ ex eo nascitur lætitia, de statu suo dimovere solet. His igitur vocibus excitata civitas universa, ad templum

accurrit, reque cognita, Deo laudes ejuſque famulo meritas perſolvit.

Alia cancro laborans.

62. Eo autem ipſo tempore aliud miraculum ſecutum eſt, nam mulier altera ex indigenis cancri ulcere peſſimo excarnificata, ſummumque in diſcrimen extra humanæ opis ſpem adducta, ut novum hoc miraculum agnovit, occaſionem haud aſpernata, ſpei divinæ plena, templum petit, partemque exulceratam ſacro oleo linit: tum verme, qui rodebat, ſtatim ejecto, plenam, ut ne veſtigium quidem mali ſupereſſet, incolumitatem refert.

Elita ſerpentem evomit.

63. Elita item alter, cum ſerpentem viſceribus excepiſſet, miſerandum in modum ab eo depaſcebatur; jamque in malo immedicabili aliud potius nihil habebat, quam ut mortem omnibus inviſam exoptaret. Verum & hic quoque præter expectationem ſancti Niconis ope curatus eſt. Cum enim miraculorum, quæ in templo fiebant, fama permotus, ad ſacram thecam acceſſiſſet, & lacrymis ac precibus quas immenſus dolor expreſſerat, invocato Nicone, ad levandam ſitim, qua uri cœperat, e lampade, quæ ſupra feretrum pendebat, clanculum in os inſtillaſſet, ô divinam ſapientiam! nauſea vomitum provocante, vivum ſimul ſerpentem ejecit, qui ad ſubjectam ſacræ thecæ arcam reptando delatus, repente extinctus eſt. Quod cernens loci præfectus monachus, ligni pulſu convocata civitate, ſerpentem e ſublimi loco ſuſpendit, & rem, ut geſta fuerat, commemoravit.

Monachus ſerpentem egerit.

64. Alius quidam vir, vita honeſtus, fide fervidus, habitu monachus, in maritima Calommatæ ora natus, ſerpentem ſimiliter in viſceribus geſtabat, acerbamque mortem expectabat. Qui cum primum ad templum venit, debitamque Salvatori Chriſto & venerandæ Deiferi Patris imagini adorationem exhibuit, manibuſque & ipſe ſuperiorem æmulatus arrepto lychno oleum hauſit, nauſeam quidem nullam paſſus eſt: alvo autem commota, ad ſeceſſum egreſſus una cum excrementis anguem ipſum varias in partes diſſectum egeſſit.

Calommatarum erga Niconem religio.

65. Itaque incolumis celerrimam opem adeptus eſt, & fidei ſuæ congruentem, & in gratiam maxime Calommatarum, qui ſincero affectu ac ſtudio ſanctum omni cultu proſequebantur, non ſolum in ejus vita id teſtati, cum in eorum patria, ut dictum eſt, pœnitentiam prædicaret; verum & poſt mortem multo magis: quippe qui longitudinem laboremque itinerum nihil morati, huc cum familiis quotannis, quemadmodum ipſi perſæpe oculis noſtris vidimus, (tametſi nunc ſeu tempus ſeu vitæ humanæ infirmitas alacritatem hanc recudit) venire non intermittebant, ut ſolitis honoribus conventibuſque ſuam in illum fidem declararent, & recordatione, metuque opinor divi, atque horrendi prodigii, quod apud eos, ut mox dicam, acciderat. Mos enim erat ejus olim tractus ruſticis cædibus ac latrociniis infeſta itinera habere: quod ut facere deſinerent, cum multis verbis hortatus eſſet Nicon, fruſtra laboravit, quia cœleſtis doctrinæ ſemen dæmonum ſuperſtitioni addictæ mentes non admittebant. Accidit ergo, ut viatores quidam quos illi de more adorti rebus omnibus ſpoliarant, ad ſanctum mœſti recurrerent, calamitati ſuæ remedium flagitantes: quos ille ut bono animo eſſent juſſit, Dei præſidio fretus ad prædatoriam illam manum feſtinus advolans, minis exterritos (nec enim precibus erat locus) omnia quæ abſtulerant viatoribus reddere coëgit. At illi ad ingenium mox reverſi, & hanc velut ignominiam ulciſci cupientes, ſancto viro inſidiari ex eo tempore non ceſſarunt, quoad aliquando pœnitentiæ prædicationi intentum, opportuni agreſtium ferarum inſtar in eum irruere, capillos vellere, pugniſque, ô ſceleſtas manus! contundere auſi ſemivivum reliquerunt. Divina vero ultio tantum nefas horrendo ſupplicio mox expiavit. Dehiſcens quippe tellus totam illam latronum catervam cum colle, cum agris, cum tectis, & vicinia univerſa, ceu Dathan olim, atque Abiron, funditus hauſit, & tamquam nativo tumulo miſeros ad orcum detruſos contexit. Quo deinde congeſtis aquis partim ex terra ipſa enatis, partim hinc inde confluentibus, in paludem, qualis nunc cernitur, tota loci facies converſa eſt, formidabilis hiatus memoriam æterno monumento conſervantem, quin etiam faſtigium quoque templi, quod Michaëlis cœleſtis militiæ principis nomen olim geſſit, media in palude prominet, & certum prodigii ejuſdem indicium eſt.

Gregorius Paphlago monaſterii S. Niconis abbas.

66. Ad reginam urbium profectus aliquando fuerat monaſterii præpoſitus, idemque ſacri templi cuſtos, Gregorius Paphlago, ut imperatori preces offerret, monaſteriique jura per auream bullam confirmanda curaret. Interea dum Biſantii commoratur, Lacedæmonem, reliqua Græcia, & Peloponeſo peragrata, venit cubicularius quidam ab imperatore aurei tributi cauſa miſſus, qui ut pecuniæ turpiſque lucri percupidus erat, magnas cum ceteris civibus, tum ſacro in primis cœnobio moleſtias exhibebat. Solent enim civitatum imperia & exactiones, non æquis & benignis, ſed durioribus, ut plurimum, & inhumanioribus delegari. Fruſtra autem monachi, quibus auri nihil erat, immitem ferumque precibus lenire ſtudebant, qui aurum ſitiens, velut aſpis ad incantantium voces, obſurdeſcebat, & tamquam ſpinarum ſonum ſub lebete, quod ſcriptum eſt, omnia illorum verba contemnebat, quin & ferocius inſoleſcens, poſt atroces minas in carcerem eos detruſit, ac monaſterium ip-

Cubicularius imperatoris monachis infeſtus a Nicone caſtigatus.

sum expilare deprædarique vecors meditabatur. Quod ceteri audientes, qui in eo exercebantur, ad sanctum precibus exorandum se convertunt, præsentemque ejus opem sine mora experti sunt. Etenim proxima nocte minaci atque indignabundo vultu ad cubicularium veniens, multis eum verberibus excepit, eo quod, inquiens, (ejus enim verbis utendum est) monasterii curatores, cum ipsi nihil deliquissent, vinculis mancipasti. Quod nisi eos statim exemeris, acerbus præterea vitæ exitus te manet. Profuit Palatino ad saniorem mentem hæc afflictio. Mane igitur & vinctos eduxit, & ad templum properans, sacræ thecæ advolutus, cum lacrymis audaciæ suæ veniam a sancto petiit, discessurum extemplo se Lacedæmone promittens, & civibus aurum quod exegerat relicturum, quod reipsa præstitit. Nam aureis septuaginta duobus ad Beati loculum abjectis, conscenso equo, protinus excessit. Aurum ergo qui monasterio tunc præerat, Constantinopolim misit ad præpositum. Is vero coemtis hoc pretio sacris pixidibus, aliisque pretiosis vasculis non paucis, ad monasterium omnia detulit, quæ ad hunc usque diem templi usibus percommoda cernuntur, & splendorem illi non parvum addunt, variis alioqui & egregiis omnium generum ornamentis refèrto, cuta in primis ejusdem præpositi. Hic enim vir optimus & magnificentissimus divino zelo succensus, omnem operam posuit, ut templi vetustatem abstergeret, ejusque speciem penitus renovaret. Tum donariis deinde quamplurimis auxit, columnarum fulgore, politorum lapidum coloribus variis, picturarumque præstantissimarum varietate condecoravit; porticibus etiam & vestibulis gradibusque circumcinxit, ad eam denique dignitatem extulit, qua hodieque spectatur, & præclarum divini viri consilium pietatemque tacito præconio declarat.

Antiochus dux ethnicorum.

67. Sed ad impium Antiochum convertenda est oratio. Præerat is ducis potestate ethnicorum regioni: eo autem inter cetera vitæ flagitia processerat amentiæ, ut ipsum Beati testamentum violare non dubitaret. Itaque finitimum ethnicorum oræ monasterii prædium invadens, sedem in eo, reclamantibus monachis, tentoriumque fixit; & ne quid sceleri deesset, cum locum profuso circum cruore contaminasset, impuro in libidinum cœno nefandisque flagitiis suo illic more volutabatur, quoad dignos tandem temeritatis suæ fructus a sancto percepit. Is ergo per noctem formidabili trucique ore illi adstans, post horribiles incussos terrores, crucigero demum baculo latus lethali plaga percussit, qua excitus cum exeuntem e tentorio percussorem notasset, famulis quidem, ut eum comprehendant, cruda & lamentabili voce imperabat: verum illi neminem videbant. Ex quo demum mali fontem miser agnoscens, sanctum fuisse intellexit, qui vulnus instixerat, invasoremque suum ex suis sedibus pellere satagebat. Quare conscenso mox equo Lacedæmonem contendit, sed stadia haud amplius triginta processerat, cum doloris acerbitate victus, ex equo descendens, media in via turpiter in suorum manibus exanimatus interiit, atque in eo quod in Proverbiis legitur expletum est; *Animæ iniquorum immaturæ peribunt, & perversi in morte repentina.* Miserum porro illius cadaver Spartam delatum sequenti nocte, ut constans fama est, ignis incertum unde in loculum irrumpens utrumque simul consumsit, & in cinerem redegit. cap. 3. ex 70.

Michael Charosphactes.

68. Non minus pavendum est quod sequitur. Michaël ille Charosphactes, vir scilicet illustris, nullique inter Lacedæmonios nostros honore, gloria, operibus secundus; ad hæc facundia, indole, forma, suavitate morum, sapientia, aliaque omni laude præstans adeo erat, ut in ore omnium cum suavissimo sensu versaretur. Sed quoniam difficile est humanæ naturæ hostis insidiis numquam succumbere, rectique iter usque ad finem inoffenso pede decurrere, deflexit vir incomparabilis, & invidiæ face accensus contra monasterium impotenter exarsit, levissimo cujusdam agri prætextu, quem lædere monasterii pecora dicebantur. Ergo collecta facinorosorum hominum manu, cum ad locum veniisset, primum quidem Zosymum monachum annis gravem, qui monasterii res procurabat, nihil ejus canos, nec virtutem reveritus, veste sua spoliatum, atque in terram prostratum, pugnis fustibusque ita vexavit, ut tantum non exanimem reliquerit; deinde Syracusanum illum Dionysium imitari volens, in agrestes etiam operas, famulosque sævire parabat, nisi fuga saluti suæ consuluissent; tum vero monasterii res omnes Mysorum prædæ amens exposuit, non caulis ipsis pecorumque septis parcens, quibus etiam flammas subjecit, ne quid esset quo tegi capræ oveseque, & a furum ferarumve insidiis defendi possent. Ita demum quasi parta victoria ovans in equo miser exultabat, cum subitam illatæ sancto injuriæ vindictam expertus est. Nocte insecuta, terribili, ut in his solebat, aspectu dormienti se objicit, gravissimisque & acerrimis verbis increpans: Quid tibi mecum, ait, ut tantum « audaciæ furorisque concipere, & contra nos « Deumque ipsum insurgere non reformides? « Sed diuturni insolentiæ hujus conatus non « erunt, sentiesque tandem haud optabilem « exitum fore, ac docebit experientia quantum « mali sit temeritas, & projecta in Deum « ejusque servos arrogantia. Atque his dictis, « recessit. Michaëlem vero ardentissima illico febris invasit, & cum febri paralysis. Itaque domum relatus mortem expectabat, cum

iterum ipſi tamquam in mentis exceſſu oblatus Nicon, ſuccenſere porro, eademque cum minis exprobrare. Unde ad conſanguineos, qui aderant, converſus: Non videtis, ait, monachum iſtum, qui mihi dira omnia minitatur? Tum expelli & abigi eum jubebat. Verum illi, quia neminem videbant, amplius mirabantur. Paulo poſt cum ad ſe quodammodo rediiſſet, ex utriuſque viſi argumentis mali ſui cauſam conjectans, ſtultitiam ſuam reprehendere, calamitatemque lamentari cœpit. Heu, heu! inquit, quia mihi nunc contra quam Job contigit. *Timor enim, quem non timebam, evenit mihi, & quod non verebar accidit.* Deinde ſceleris emendationem pœnitentia promittens, & quod tum cetera quæ inconſulto egerat, corrigeret, tum aularum cancellos ferreis repagulis obvallaret, morbi finem unice deprecabatur. Ceterum ejus preces a Deo exauditæ non ſunt. Dominus enim qui finxit ſingillatim corda noſtra, pravum, fictumque hominis animum intuens, *qualis in pleriſque ſolet eſſe mortalium*, qui tempore quidem afflictionis Dei recordantur, aſpernantur autem cum exemti malis fuerint, irritam atque inanem ejus orationem abire paſſus eſt. Quare ingraveſcente vi morbi, in luctuoſis illis vocibus oppreſſus eſt; gravi ferocibus ſuperbiſque documento, ut ira ſua moderate uti diſcant, Deique judicia reformident.

Maligni monaſterii prædium diripientes.

69. Maligni quidam ſpiritus quoſdam ex ethnicorum gente, quos indigenæ Milingos pro Myſmidonibus vocant, homines crudelitatis, & latrociniis innutritos incitarant, ut monaſterii pecora in prædio, quod diximus, prædarentur. Jamque abactis ovibus & capris, domum ſecuri, ut putabant, lætique cum ingenti præda revertebantur, cum ſanctus ſuo more in ſomniis apparens, duos ſecum validos feroſque canes ducere viſus eſt: & primum quidem ſceleſtos colaphis cædere, tum deinde canes in eos immittere, quorum illi morſibus excitati cum eſſent, ô rem ſtupendam! alii ore oculiſque diſtortis reperti ſunt, alii collo in tergum reflexo, plerique vibices ex canum morſu toto corpore impreſſas cum acerbiſſimo cruciatu oſtendebant, omnia denique quæ per ſomnum objecta fuerant, vera & non vana fuiſſe compertum eſt. Unde ad ſcelerum pœnitentiam verſi, ſuam ipſi audaciam, temeritatemque damnare cœperunt, deinde amicos rogare, ut ad ſacrum monaſterium quantocitius veniam a ſancto, præmiſſa pecorum reſtitutione, precaturi contenderent. Quo perfecto, prædaque interim ex voto redintegrata, priſtinam ſtatim incolumitatem receperunt, domumque multum ab illa naturæ immanitate mutati redierunt.

Monaſterium S. Nicolai in portu Spartano.

70. Monaſterium eſt ad Lacedæmonis portum in urbis conſpectu ad occidentem ſitum, in quo mirificus ſummuſque inter pontifices Nicolaus præcipua colitur veneratione. In eo ſub magiſtri diſciplina novitius quidam adoleſcens exercebatur, Lucas nomine, qui hodieque monaſticæ vitæ, & ſacerdotii dignitate clarus vivit jam caneſcens, cujus ex ore non ſemel audivi cum narraret, quanto & quam eximio beneficio a Nicone affectus eſſet. Afflarat illius genas peſtilens quædam aura, atque ita eas totumque os deformarat, ut ad ſummos dolores hoc etiam incommodi accederet, quod cibum præter ſuccos decoctæ pultis, aut medullarum quæ extrinſecus infundebantur capere nullum poſſet. Humana porro remedia nihil juvabant, nec aliud reſtabat, quam ut divinis ſe traderet. Ergo ad ſancti opem recurrit, & ante venerandam ejus imaginem pro ædis ſacræ veſtibulo ubi habitabat ſuſpenſam conſiſtens. » Sancte Dei, inquit, ſi tibi obſcurum non eſt, qua ad te fiducia, graviſſimi morbi exitum petiturus accedam, adeſto mihi indigno, & me ope tua fraudari noli. In Deo enim, & in te ejus *famulo ſalutis meæ ſpes omnes collocavi.* Hæc ille defixis in imaginem oculis cum oraſſet, Deo inſpirante, beati templum cogitatione ingreditur, fideique plenus, pulverem qui in ſacro loculo hærebat, labiis ſuis abſens delibat, & procul poſitus cum implorat, quem præſentem per gratiam eſſe poſſe non dubitabat. Quem vero non delectet novæ, & ſubitæ curationis miraculum? Solvitur in ſomnum poſt preces adoleſcens: in ſomnis autem viſus eſt ſibi in occiduo graduum, qui ad ſacram ædem ducunt, aſcenſu ſtare, ubi præter divinam domini imaginem, quam antiphoneti appellant, ipſius etiam Niconis effigies expreſſa eſt; cumque hanc mali levamen orans adoraret, vocem ab eadem ſancti effigie prodeuntem audire, quæ juberet, ut deprompto e lychno, qui prope cum locum pendebat, oleo affecta membra perungeret; quod dum facere ſe per ſpeciem ſomniat, manu ad lucernam vix pertingente, cum oleum capere non poſſet, lychnus ipſe inverti, totuſque in eum infundi viſus eſt. Quo ille caſu pavefactus, abeunte ſomno, cum evigilaſſet, ô rem admirandam, & lychnus olei plenus, & ipſe incolumis omni malo depulſo inventus eſt, ac primum ſane, quod in ſomnis geſta res eſſet, ægre ſibi perſuadebat: poſtquam vero rem certam eſſe comperit, Deo gratias, & Niconi agens, præpoſitum & monachos intempeſta adhuc nocte ad ſpectaculum excitavit.

Lucas novitius.

Antiphoneti imago Niconis.

Oratorium S. Niconis in quo ſtramine Procopius ruſticus.

71. Quidam hodie ſuperſtes ex iis qui prædicto in monaſterii prædio commorabantur, acris humoris influxu videndi facultatem amiſerat, maloque jam inveterato humanæ artis remedia nihil proderant. Quare his omiſſis, ad communem, gratuitumque medicum converſus, ſeipſum in oratorio, quod in ipſo prædio Niconis nomini dicatum erat, coram ſacra ejus imagine conſtituit,

tuit, & manus mentisque oculos attollens: Discute, ait, tenebras meas, ô primæ veræque lucis hæres, libera me a malo, quo premor, abeat circumfusa hæc caligo, videre venerandam imaginem tuam liceat, & templi adspectu recreari: narrabo & ipse, omnibusque prædicabo mirabilia tua. Sic orabat Procopius, (hoc enim nomen est) & sanctus exaudita prece, voti compotem tridui spatio fecit. Sed operæ pretium est, nec jucundum minus curationis modum animadvertere. Oblatus enim illi est in somnis alterius cognominis monachi specie, qui superstes & ipse in monasterio vivit, Procopium de nomine appellans, causamque rogans, quid ita in templo versaretur. Cumque ille causam exposuisset, supinum eum reclinare visus est, & dextrum pedem ejus pectori infigere; manibus autem oculos contrectare ac veluti serpentem ex illis educere, proculque abjicere. Quo in viso expergefactus æger desiderata luce frui, plenisque oculis, ut qui optime cernunt, omnia videre ac Niconis laudes prædicare cœpit.

Michael Argyromites miles.

72. Alius ordine ex militari, suis, quod difficile esse apostolus docet, stipendiis contentus militans, hodie superstes, & Argyromitæ cognomento notus, Michaël nomine, genere quidem Corinthius, sed domo Lacedæmonius, ex atra bile de mentis statu dejectus, horrendis spectris agitabatur, furensque ac fremens omnibus ipse horrori erat, alios dentibus, alios manibus, ni retineretur sævum in modum appetiturus. Hunc propinqui post desperatam omnibus medicamentis valetudinem, vinculis alligatum ad sancti patris domum vi tandem pertraxerunt, & mira beati catena! post servidas preces ad sacram thecam circumdatum, cum oleo demum e lapide deprompto, æditu sancti nomen, quasi salutare quoddam carmen succinente, perunxissent, sanum, suique compotem receperunt, & cum eo domum alacres, lætique redierunt.

Imago Niconis ovantis lapidi impressa.

73. De sancti vero imagine non hominis arte, vel manu facta, quæ olim quidem lapideæ tabulæ impressa medio in templo visebatur; postea autem in templi vestibulo juxta sacrarium defixa est; in qua crucigeræ etiam virgæ species ad vivum reddita cernitur, longum esset commemorare, cum miraculum id omnium linguis ad hanc diem celebretur, & tabula ipsa fulgentem sine coloribus effigiem gerens omni voce clarius rem expromat, quemadmodum scilicet in ea stante sancto, Deumque precibus propitiante, quo tempore Lacedæmoniorum regio universæ terræ motu propemodum delata est, Deo civium intemperantiæ, flagitiisque irato, ut piis quibusdam viris tunc temporis significatum est, relicta in saxo orantis vestigia fuerint, quæ argumento essent summæ illius erga Deum fiduciæ atque gratiæ, & quod sperare per eum possint, qui rebus afflictis tanti patroni opem advocarint.

Lacedæmon. aterræmotu concussa.

74. Stephanus ille inter publicos olim ministros notissimus, qui monasticam postea vitam amplexus, in ea nunc etiam perseverat, cum olei penuria aliquando premeretur, famulo præcepit, ut monasterii officinam, in qua oleæ asservabantur, petens, expresso ex illis succo, hydriam impleret, & cum ea rediret. Quod cum fecisset, haud diu dilata est ultio. Nam proxima nocte dormienti Stephano sanctus adstitit, similisque graviter objurganti cum factum exagerasset, & reum pronuntiavit, & temeritatis pœnas daturum minatus est. Cumque anxius ille, quo se purgaret nihil habens, tantum imposterum nihil tale aggressurum confirmaret, evomere jussus est oleum quod acceperat, & quidem evomere sibi videbatur: at sanctus magis, magisque evomere jubebat, & cum responderet ille, nihil amplius olei superesse, instabat nihilominus ut vomitum urgeret. Tum nisi, inquit, raptum oleum e vestigio restitueris, intestina ipsa cum vomitu ejicies. Pavefactus his Stephanus consurrexit, somniique vim agnoscens, oleum protinus ad officinam retulit, omnibus testatus periculi plenum esse res monasterii quoquomodo attingere.

Stephanus ex publico ministro monachus.

75. Hujusce famulum Gregorium paucis post diebus apoplexia tactum, & a medicis deploratum, Nicon solus, cum ad ejus templum confugisset, illico persanavit, quemadmodum insculpta argenteo monasterii thuribulo littera, ipsaque adeo rei gestæ iconculis expressa historia liquido testatur.

Gregorius Stephani servus.

76. Manueli infanti, tenero adhuc & lactenti, obtrita pudendorum pars altera erat, gravi periculo, ne intestina deorsum defluerent. Quo metu consternatus cum matre parens, & filii casum post tentata medicamentorum omnia genera ægerrime ferens, tandem anniversario ter beati dormitionis die festo, quando & nobis indignis monasterii præfectura tradita est, indictione 11. anni sexies millesimi sexcentesimi quinquagesimi, miraculorum memor quæ in dies a sancto fiebant, delato ad sacrum loculum filio, pronus in terram profusis lacrymis mirificam arcam rigans, pro ejus salute obtestatus est, nec eo contentus, digito indice partim fluentem ex feretro liquorem, partim lucernæ oleum colligens, obtritas pueri partes simul imbuit; incredibilique celeritate sanitas, erumpente & purgato statim ulcere, consecuta est.

Manuel infans.

Auctor hujus operis fit abbas S. Niconis.

77. Ego ipse qui rudi lingua hæc scribo, quid dicam, aut quid loquar? injurius enim in me, injurius in veritatem fuero, nisi collatum in me beneficium commemorem. Salsus quidam humor a cerebro ad gingivas delapsus, sinistrum dentium latus acutissimis, & intolerandis plane doloribus affecerat sic,

Liberatur dolore dentium.

ut cibum, negantibus officium reliquis etiam dentibus, capere nullum liceret, vitæque ipsius omnibus cariſſimæ jam tæderet. Mentis igitur oculos, & ipſe ad miſericordiæ auctorem ſurrigens, ejuſque famulum in auxilium advocans, ut me tam gravi dolore levatum vellet, toto animi ſenſu mœrens dolenſque orare cœpi; nec mora, ô immenſam, Chriſte, benignitatem tuam! velut frigidiuſculam quamdam auram dentes afflantem ſenſi, detumeſcentibus genis, dolorem ſenſim remittere, ac ſenſim profligari. Quo nomine acceptum beneficium recolens auctorem gratiæ laudo, prædico, eique gratias ex animo immortales ago.

Puella a latronibus abducta eripitur.

78. Accolæ quidam prædii illius, quod ſæpe memoravimus, latrociniis ac cædibus barbarorum in morem dediti, nocte quadam in ruſticorum domum irruentes puellam abduxerant, vendere illam cogitantes, & pretium inter ſe dividere: ſed eluſit eos conatus, puellæ ſiquidem clamor parentumque vicinos excitavit, qui ſubito advolantes *Kyrie eleiſon* quanta poterant contentione vociferabantur, Niconis effigiem manibus præferentes. Ille vero minime cunctatus eſt. Vix paululum progreſſi latrones erant, cum offuſa oculis caligine cæci fiunt. Itaque metu ſimul & ſtupore perculſi, ſupplices procumbunt, & puellam ſe reducturos pollicentur. Neque enim mali ſui cauſam ignorabant. Mirum dictu! cum voto nebula repente diſcuſſa, viſum receperunt. At infelices prava conſuetudine victi, & an caſu id factum eſſet, ut exiſtimabant, experiri volentes, iter ſuum cum puella proſequebantur. Redit iterum cæcitas, pronique in terram ruunt, ut illi olim qui ad vitæ ducem capiendam venerant. Tum demum errorem ſuum, ſceluſque ex animo agnoſcentes, & ſanctum cum lacrymis implorare, & veniam delicti hæſitationiſque flagitare, ac puellam ſine fraude reſtituendam promittere. Quo facto, & lux eorum oculis extemplo, & puella parentibus reddita eſt, metu non levi omnibus injecto, ne quid ſimile in animum inducant.

Johannes equiſo.

79. Adnumeretur & ceteris, quod nuper admodum Johanni accidit, homini externo equorum curatori, & in his domandis exercitatiſſimo. Is pauperculæ cuidam in monaſterii conducto habitanti, & panificio vitam ſuſtentanti, manu injecta panes ſine pretio vi abſtulerat, ac ſcutica, quam gerebat, cædere illam ad cumulum injuriæ non dubitarat; cujus querelis ejulatuque audito, nonnulli e monaſterio foras prodierunt, ut miſeræ opitularentur; fruſtra vero temulentum hominem hortando lenire conati ſunt, qui exaſperabatur magis & monitis probra atque impias in Niconem contumelias rependebat. Poſt hæc ille ad Dominum rediit, qui ipſum ut ſceleratum & improbum male mulctavit. Adfuerat enim non ſine divino conſilio, ut ſervi facinus ulciſceretur. Adfuit autem & vindex ſanctus, nec ultra quinque horarum ſpatium pœna dilata, cordis palpitationem cum deliquio & mentis alienatione hominis injecit, itaut in terram prolapſus, Corybantum more agitari volutarique non ceſſaret. Ad hæc ſerpentis ſpeciem quamdam videre ſe dicebat e ſinu prorumpentem, & dexteram qua male abuſus fuerat circumplectentem, atque his ſpectris miſer ad ceteras calamitates horribili modo cruciabatur, & miniſtrantes a ſe procul arcebat. Quidam vero ei de tali apparitione, pro amicitiæ jure compaſſi, illum ad beati templum perduxerunt, ut unde plaga prodierat, inde pharmacum peteretur. Nec defuit ſolita votis benignitas. Simul ac enim injecta ægro fuit mirifica catena, mox ad ſe rediens, invocare ſanctum, ejuſque opem inconditis hujuſmodi verbis implorare cœpit. Multo, inquit, tibi ſancte facilius eſt, animo bonus cum ſis, ſanare, quam lædere. Quod ſi vulnus mihi juſtas pœnas commerito inflixiſti, haud dubie, & curare me, & malo liberare potes, profuſæ enim primæ boni largitricis divinitatis exemplo, bona omnibus largiri conſuevisti. Hæc vero cum oraret jurejurando ſimul confirmabat, ſe numquam ad priſtinam temeritatem relapſurum, ac ſe deinde partim oleo lucernæ, partim aqua, qua ablui ſacra theca admota ſpongia ſolet, identidem adſpergens aut inungens, non amplius triduo id fecerat, cum incolumis, ſuique compos & integra mente factus eſt.

Aquileienſes duo fratres.

80. Duo fratres genere Latini, patria Aquileienſes, cum in Lacedæmoniam mercatus gratia veniſſent, alter illorum, cui nomen Vitali, morbo correptus eſt difficillimo, & cum eo diu colluctatus, in rabiem tandem verſus, furere & modis omnibus inſanire cœpit, fratre inopinato caſu obſtupeſcente, communemque cladem miſerabiliter lamentante. Vicini ergo, qui officii cauſa convenerant, nunc verbis, ut fieri ſolet, dolorem linire, & conſolari ſtudebant, nunc quotidiana ſancti miracula commemorando hortabantur, ut ad ejus templum irent, & catena Vitalis collo impoſita, mali exitum expectarent. Et ille quidem ſurda hæc aure non audiebat, difficile tamen ducebat ſine cuſtode rem exequi. Tum quia non ſatis tutum, nec ſuſpicione vacuum peregrinis erat extra diverſorium longas moras nectere, ne ſua videlicet furum rapinis exponerent. Tum quia gravis præterea monachis futura res videbatur, non facile permiſſuris, ut furioſi homines ſine congruenti cuſtodia in templo conſiſtant. Quoniam ergo in his illum difficultatibus hærere ſentiebant, aliud conſilium ſuggeſſerunt, ut eminus ipſe preces pro fratris ſui ſalute offerret; quod ille amplexus ſacram ædem animo ſibi præponens, quanta potuit mentis contentione precatus

est. Et quia fessus, fractusque erat assidua cura & labore vigilandi, ut quieti aliquantulum indulgeret, ægrum in lectulo reclinatum fasciis lorisque constringendum, ac januas ipsas clavibus, pessulisque obfirmandas censuit. Ita demum sub meridiem, cura domus aniculæ cuidam domesticæ relicta, quieti se dedit. Vix horæ spatium effluxerat, cum adest ad laborantis cubile, æque in remotos atque in proximos miracula spargens Nicon, & Vitalem, ô admirabilem providentiam! non solum doloris acerbitate levat, sanumque & incolumem corpore, animoque præstat, sed & vinculis eximit & porrecta manu e grabbato excitat. Deinde nomen, & quis esset indicans, ejus oculis se subducit, at ille ad fratrem profectus, cum omnia enarrasset, mirabilium auctori Deo, ejusque servo gratias uno ore professi sunt.

Puer ab alto præceps a Nicone servatur.

81. Tempus erat, quo fructus autumnales in foro prostant, & puer qui in monasterio educebatur, ut ætatis illius est ingenium, venales fructus avide appetebat, sed quia pecunia carebat, & qui gratis daret, nemo reperiebatur, in monachi cujusdam cella marsupium nactus, pecuniam inde in sinum effudit: verum id ex voto minime successit, superveniens enim monachus, remque odoratus, injectis puero minis, adductisque foribus, pavore trepidum intus occlusit. Ille vero desperabundus, inopsque mentis & consilii ac dæmone, ut apparet instigante, per fenestram quæ forum ad meridiem spectat, præcipitem se dedit: & cum altitudo non minor quam sex ulnarum esset, subjectaque graduum area duris ac præruptis lapidibus constrata, ad hos tamen illisus, incolumis, ô mirabilium opifex Christe! illæsusque sola Niconis invocatione servatus est. Quotquot enim in foro erant, ruentem puerum conspicati, sancti nomen invocarant, qui nisi adfuisset, obtrita proculdubio, & comminuta pueri ossa forent. At vero salvus ille permansit, nisi quod in semore quadam Dei providentia leviter perstrictus, ne miraculum hoc somnii potius, quam verisimile videretur, intra decimum quintum diem omni ex parte curatus est. Videre tum erat confluentem populi turbam in fenestræ obtutu defixam, reique gestæ fidem suis ipsorum oculis haurientem. Quidam porro magis curiosi ac tamquam specimen ejus aliquod exquirentes non ex superiore illa, unde puer deciderat, sed ex subjecta depressiore fenestra, pomorum quædam genera demiserunt, quæ strato solo, cui puer incubuerat, afflicta, pulveris instar sic evanuerunt, ut nullum pene sui vestigium relinquerent.

Conclusio operis.

82. Quod vero benigne semper juxta pollicitationem suam, & amanter Lacedæmonios omnes cura sua ac patrocinio prosequatur, ab ingruentibus malis, morbis, periculis vindicet, & terra, marique tutetur, norunt Lacones ipsi, & re ipsa experiuntur, quamvis nec factis, nec verbis gratiam sancto referre studeant; quodque mirandum est magis, qui publicis triremibus in regiam classem adscripti se committunt, non clam modo ejus ope & auxilio sepe fruuntur; sed oculis ipsis præsentem interdum vident, nunc inter remiges sedentem, nunc ad proram gubernacula regentem, & nautas animis ac viribus confirmantem: quod illi quidem omnibus ultro narrare gestiunt, propensam erga se Niconis benignitatem demonstrantes. At enim orationem nostram longius hoc modo producere, & singula sancti miracula numerando percensere, & supervacaneum fuerit, & operæ immensæ atque infinitæ, citius enim stellas aut arenam numerabis.

83. Quare cum hæc, quæ commemoravimus, ad declarandam ipsius in Deum fiduciam, summamque eximiis virtutibus partam familiaritatem sufficiant; cetera, quæ dicendo assequi nemo possit, tacita relinquantur. Et hæc quidem a me tibi, ô sacrum ac divinum caput, compendio, & in transcursu dicta sint, an pro dignitate nescio. Verum tuo tamen beneficio, qui ea ipse dicturo mihi suggesisti, quæ pacato benignoque vultu excipiens, propitium mihi Christum redde, quem ipse quidem supra modum semper adamasti, ego vero plurimis, proh dolor! criminibus offendi. Tum mihi monasterium hoc, meque ipsum bonus custos protege, sancte Nicon, gloria & laus mea, tuis superne vigiliis & advocationibus mentem meam illuminans, supplicemque tuum liberans; hinc quidem ab occultis utrorumque hostium insidiis, qui perniciem exitiumque mihi moliri non cessant, illinc vero ab æternis gehennæ, & implacabilibus pœnis. Non enim inani hæc verborum ornatu, nec ad gratiam, audientiumque voluptatem ementiti sumus, sed simplici, minimeque infuscata narratione recto filo veritatem secuti, ne posteros lateant, quæ per inhabitantem in te Spiritum-sanctum mirabiliter gesta sunt, de multis pauca libavimus. Tuis autem precibus utinam omnes, qui te salutis ducem delegimus delictorum veniam a Christo consequamur, cujus misericordia & bonitas immensa, quem decet omnis gloria, honor & magnificentia cum experte principii Patre & sancto ac vivifico Spiritu semper & nunc, & in æterna sæcula sæculorum. Amen.

VITA SANCTI NILI CONFESSORIS,

A B. BARTHOLOMÆO CRYPTÆ FERRATÆ ABBATE græce conſcripta, & a Sirleto S. R. E. cardinali in latinum converſa.

Ex mſ. Vaticano eruit noſter Johannes Durand.

OBSERVATIO PRÆVIA.

FLoruerunt olim in ordine monaſtico celeberrimi duo Nili, ſanctitate & doctrina inſignes; quorum primus ſæculo V. ex præfecto Urbis factus monachus, monaſterium Conſtantinopoli ſitum ſub Theodoſio juniore magna cum laude adminiſtravit. Hujus epiſtolæ aliaque non contemnenda opuſcula habentur in Patrum bibliotheca, citanturque in concilio II. Nicæno act. IV. Alter decimo ſæculo Roſſani in Calabria natus, poſt matrimonium vitam amplexus monaſticam, plures congregavit diſcipulos vitæ ſanctimonia in primis commendandos, ac demum condito in agro Tuſculano Cryptæ Ferratæ monaſterio, circa annum milleſimum ad ſuperos evolavit. Ejus res præclare geſtas a quodam ejus diſcipulo conſcriptas fuiſſe obſervavit olim Cæſar Baronius, idque ipſum patet ex hac ejus vita quam modo proferimus, ubi auctor tamquam teſtis oculatus loquitur, maxime vero ſub finem, ubi Sancti enarrans exequias hæc habet: Totam quidem noctem illam in pſalmis & hymnis funebribus TRANSEGIMUS. Mane autem facto bajulantes lectum cum cereis, thurificationibus & pſalmorum cantu, ADDUXIMUS reliquias, ubi fratres expectabant. *Diſcipulum autem illum haud alium fuiſſe a beato Bartholomæo tertio poſt S. Nilum Cryptæ Ferratæ abbate colligimus, cùm ex inſcriptione, quæ vitæ ejus præfigitur in codice Vaticano 6151. hoc modo:* Hanc vitam beatus Bartholomæus ſcripſit; *tum ex breviori ejuſdem S. Bartholomæi vita, in qua hæc legimus:* Hymnorum elucubrator, ac nimium ſapienter res geſtas ſui præceptoris & multorum ſanctorum deſcribens, &c.

Porro cum Græcus eſſet S. Bartholomæus, Græciſque fratribus ſcriberet, acta etiam S. Nili græco ſermone compoſuit, quæ quidem latine olim fecit eruditus vir Federicus Metius epiſcopus Thermularum, ex cujus tranſlatione excerpta quædam ſuis inſeruit Annalibus eccleſiaſticis Cæſar Baronius, unde in Laurentii Surii collectionem vitarum ſanctorum poſtea tranſiere. Verum præter Metii verſionem, eadem etiam acta tranſtulit e græco Guillelmus Sirletus S. R. E. cardinalis, trium linguarum peritiſſimus, nec minus eruditione quam purpura illuſtris. Is cum eſſet ex Calabria oriundus, pietate ac religione motus in conterraneum ſuum Nilum, illius vitam latinam facere aggreſſus eſt, nec inani certi labore. Sirleti interpretationem cum in codice Vaticano reperiſſet olim noſter Johannes Durand, *ſtatim accurate deſcriptam tranſmiſit ad Mabillonium, eamque cum legiſſet Adrianus Valeſius, tunc publici juris faciendam cenſuit. At variis ſtudiis applicato doctiſſimi viri & amici votis ſatisfacere non licuit.*

Quod vero ſpectat ad duplicem S. Bartholomæi vitam, utramque breviſſimam, etſi primam græce & latine ediderit cum quibuſdam aliis ſancti Nili opuſculis aſceticis Petrus Poſſinus de republica litteraria non ſemel benemeritus, tamen cum Sirleti tranſlatio longe antecellat, eam nihilo minus ut hic darem auctores fuerunt mihi amici mei.

VITA ET CONVERSATIO ſancti patris noſtri Nili.

1. QUum maxime deceat a Deo incipere & in Deum deſinere, merito & nobis inde initium ſumendum eſt. Gratia Domini noſtri JESU CHRISTI, & caritas Dei Patris, ac Sancti-Spiritus communicatio cum omnibus iis ſit, qui attente nos audituri ſunt, ac meam tenuem mentem adjuvet, qui beati Nili ſanctas actiones memoriæ ſum mandaturus. Non enim humana adhortatione, aut conſilio adductus ſum, ut id operis tentarem: neque enim his miſeris perditiſque temporibus aliqui ſunt, qui hujuſmodi res inquirere aut audire velint; quin immo contra multi ſunt qui hæc ludibrio habent, quique quâvis re potius, quam ſanctorum hominum hiſtoriis, aut legendis, aut ſcribendis delectentur. Quodque pejus eſt, neque antiquis, neque recentioribus ſancte ac mirabiliter factis fidem adhibent, quum ad ſalutarem viam aures obſtruxerint, unum illud ſibi proponentes, iis tantum fidem adhibere, quæ illorum vires ac facultatem non excedunt: quæ vero illi non poſſunt perficere, neque ab aliis & poſſe perfici exiſtimant; immo vero ea ut fabulas inſectantur. Quamobrem inviſibilem mentem, Deum, inquam, & Patrem Verbumque principio carens, & Patri coæternum, atque omni ex parte ſanctum, & ejuſdem ſubſtantiæ Spiritum, noſtræ orationis fundamentum atque originem præponentes, ita narrationem aggrediamur. Quamvis ſentiamus nulli alii utilem fore præter quam nobis ipſis, qui dum in ea conſcribenda verſamur, paulum a terrenis rebus animum erigentes, non mediocrem utilitatem aſſequimur: quemadmodum unguentarii ex diuturna aromatum pertractatione odorem ſecum referunt; ita & qui ſanctorum virorum actiones aſſidue legunt fieri non poteſt, quin ad illorum imaginem ſeſe effingant. Quod cum ita ſit, conſentaneum eſt ut primum dicamus undenam hic fuerit, hic, inquam, celebris vir Nilus, cujus vitam ſumus conſcripturi, ut nihil deſit iis qui omnem illius hiſtoriam cupiunt perdiſcere.

Nili patria.

2. Ruſſanum urbem omnibus notam eſſe arbitror, quum non ſolum Calabris regionibus præſideat magnitudine ſimul & potentia, locus admodum munitus: ſed præcipue ob eam cauſam, quod quum omnis finitima regio vaſtata eſſet atque deſerta, A Sarracenorumque prædæ, ac violentiæ expoſita, ſolum hoc oppidum ab ea vaſtatione immune extitit, id quod non humana ope, ſed Deiparæ ac ſanctiſſimæ Virginis, quæ locum illum in primis tutatur, auxilio factum eſt: ſiquidem cum ſæpe impii Agareni noctu irrupiſſent, atque arcem expugnare tentaſſent, ſimul atque ad mœnia acceſſiſſent ſcalis prope admotis, fama eſt e ſuperiore loco mulieri ſimilem purpura indutam illis apparuiſſe, faces manibus geſtantem, hiſque illos propellentem, atque e muro deturbantem, idque verum eſſe teſtabantur, qui ex illis aufugerant. Ea igitur in urbe B. Nilus B natus eſt, ibique corporis originem ſortitus eſt, qui genitus Dei donum fuit. Etenim poſt natam ſororem parentibus marem filium cupientibus hic genitus eſt, atque ad templum ſanctæ Deigenitricis oblatus promto animo fuit; qui cum eſſet bonæ indolis, ac mentis & ingenii excellentis, omnes coævos prudentia ſuperabat, quod ex ejus reſponſis facile perſpiciebatur, tum etiam ex ſacræ ſcripturæ diligenti lectione; tantaque cum prudentia præceptores interrogabat, ut illos in admirationem adduxerit, undenam puero tantum ingenii, ut de divina ſcriptura poſſet C percontari. Illud etiam in puero admiran- Quid B. Nidum erat, quod ab ineunte ætate ſanctorum lus legebat. patrum vitas ſemper in manibus habebat, quippe qui illas nimium adamaret, Antonii, inquam, vitam, Sabbæ & Hilarionis, ac ceterorum qui in catholicæ eccleſiæ ſanctorum numerum ſunt aggregati, quorum, ut dixi, hiſtorias magno cum ardore volvebat, ex quibus addiſcebat, ut malorum oſor eſſet, ac principum familiaritates averſaretur, omnemque curioſitatem exoſam haberet, ac pro nihilo faceret ea quæ incantationes dicuntur, atque exorciſmos, quamvis neque hujuſmodi libris caruerit, ob ingenii acrimoniam ac ſtudii diligentiam. Principum familiaritas vitanda.

D 3. Quum igitur non multo poſtea ejus parentes e vita exceſſiſſent, atque apud ſororem ille educaretur, ac magna cum pietate inſtitueretur (& illa enim Dei amantiſſima erat) quamvis vitæ jugum ſubierit. Cum ad ætatis florem perveniſſet, nemo erat qui admonitionum freno illum reprimeret, ac juveniles impetus cohiberet, qui aſſiduâ doctrinâ ad meliora illum dirigeret, nemo epiſcopus, neque ſacerdotum, nullus dux, aut eorum aliquis qui ſolitariam vitam degunt, rarum enim erat temporibus illis in ea regione monachorum genus, ut, ne dicam, ſi qui erant, depravatos mores habe-

bant. At diabolus quum prævideret quantam ille utilitatem hominibus eſſet allaturus, quodque illi adverſarius atque hoſtis acerrimus futurus erat, ex his quæ præceſſerunt facile dæmon ventura conjicit, quum hæc, inquam, conjiceret, cœpit ex mulieribus quaſdam quæ matrimonio nondum erant copulatæ, ad juvenis pulchritudinem inflammare, necnon & ad canendos pſalmos vocis concinnitatem, & ad omnium denique rerum dexteritatem, quam adoleſcens ille præ ſe ferebat. Quapropter multiplices illorum laqueos non effugit, ſed velut cervus corde percuſſus ab illarum una capitur, quæ alias pulchritudine, & naturæ excellentia anteibat, quamvis obſcuro genere eſſet edita; itaque cum illa rem habuit, atque filiam ex ea ſuſcepit. Divina vero providentia, qua omnia gubernantur, quum prævideret maximam utilitatem, quam per illum homines eſſent percepturi, quodque illo intercedente multi cœlorum heredes futuri erant, non permiſit ut in vitæ cœno is volutaretur; ſed primùm illius menti adeo infixit mortis memoriam, ut aſſidue eam in animo haberet: fecit etiam ut pœnas peccatoribus paratas ſemper ſecum meditaretur; permiſit etiam ut maximo rigore ac febre vehementiſſima correptus, morbo affligeretur, ut eo pacto in diem mortem præ oculis haberet.

In laqueum diaboli incidit.

B. Nilus filiam habet.

4. Quodam igitur die, nulli ſuo conſilio communicato, adit quoſdam qui illi pecuniam deberent, ita dicens: Vineam pulcherrimam inveni, ac neceſſe habeo illam emere. Cumque ex illis cepiſſet quantum dare potuerunt, reliquum prætermittens, inde ſe amovit, morbo vehementer laborans. Cui ad monaſterium dux præibat monachus quidam nomine Gregorius: cumque ad fluvium quemdam perveniſſet, atque illum ingreſſus vellet pertranſire, tunc manifeſte agnovit divinam opem illum comitantem, quæ ad proprium miniſterium illum dirigebat. Etenim cum in medio eſſet fluvio, morbo veluti gravi quodam pondere levatus eſt, atque ita promto & alacri animo reliquum viæ tranſegit. Quare lætus pſallebat: *Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilataſti cor meum.* Quum acceſſiſſet Mercurii monaſteria, viſis illis divinis viris, Johannem, inquam, magnum illum ac celebrem Fantinum, atque angelicum Zachariam, reliquoſque qui opere & doctrina excellebant, illorum contemplationem & ſanctum habitum admiratus, lacrymarum plenus, divino quodam zelo eſt affectus. Cumque illi ſenilem mentem in juvenili corpore conſpexiſſent, ac mores ſtabiles, atque illius ſuavitatem admirati quam in lectionibus recitandis præ ſe ferebat, nec non & ingenii acrimoniam, mentis oculo prævideret, Spiritus gratiam, quæ in poſterum in illo erat amplificanda, illi plurimas benedictiones impertierunt, & pro eo ad Deum oraverunt.

In monaſterium ſe recipit.

5. Non multo poſtea litteræ a totius regionis præſide ad monaſterium perlatæ ſunt, quibus indicebatur, ne quis illi manus inferret: quod ſi quis id auſus fuerit, confeſtim illi manus amputetur. Quibus litteris attoniti ii qui cœnobiis præerant, conſilium inierunt, ut illum alio mitterent, ubi hujuſmodi principum imperium non eſſet, atque ibi in monachorum numero aggregarent, ac ſeipſos principibus infenſos minime redderent. At vide etiam hic angeli ac dæmonis pugnam; hujus quidem ſtudium erat, ut virum hunc a vitæ tumultibus ac fluctuationibus eriperet, & ad terræ promiſſionem dirigeret, quæ iis contingit quibus divina philoſophia curæ eſt; unde & Deo amicus evaderet non ſecus quam alter Moyſes; dæmon vero omnia tentabat, omnemque, ut aiunt, lapidem movebat, ut tanto bono impedimento eſſet, quod fruſtra eſt aggreſſus. Neque enim omnia terrarum orbis imperia in unum locum congeſta ſatis eſſe potuiſſent, ut beatum Nilum ab animi propoſito averterent. Atque illud primum hic divinus vir ſibi propoſuit monaſterium petere, quod ſancti Nazarii nomine appellabatur, atque ibi votum explere. Quod cum animadverteret humani generis adverſarius, impedimenta objicit quibus detineretur, quominus ad ulteriora procederet; laqueos ſcilicet rerum humanarum, quibus irretitus reflecteretur. Ei Deo pſalmis atque hymnis laudes recitanti, atque ad littus exeunti, ut ad maris aquam ſpectaret, barbarus unus occurrit ex ſarmentis proſiliens, ac veluti vipera olim divi Pauli manum momordit, ita illum corripuit atque ad ſe rapiebat. Non multo poſtea Sarracenorum multitudo irrupit, nigrorumque Æthiopum deformes oculos atque facies trahentium, quique prorſus dæmonibus ſimiles erant; atque ex altero latere multitudo navium ad terram ſubductarum, quæ navigationis tempus expectabant. Hæc cum vidiſſet beatus Nilus, ac rem novam & inſuetam conſideraſ, non mente excidit, neque vultum mutavit, aut orationem; ſed tacite pectori manu admota, ſanctoque crucis ſignō ſeipſum armans, audacter aliquorum interrogationibus reſpondit; aliis autem omnibus veluti quodam freno Dei providentia detentis, atque ad dicendum retardantibus, ſolus is qui eum corripuerat, ſecum loquebatur, quis eſſet? unde aut quo tenderet? Cumque omnia perſcrutatus, patriam, genus atque hominis propoſitum cognoviſſet, hominis, inquam, vera omnia nuntiantis: admiratur barbarus juventutis florem, nondum enim trigeſimum ætatis annum perfecerat; itemque veſtium pulchritudinem, adhuc enim mundanis deliciis utebatur: admiratus etiam in reſpondendo pru-

Eſt dimiſſus B. Nilus, monachus fit.

dentiam ; ad illum inquit, non opus erat te talem exiſtentem monachorum laboribus tam tempeſtive addicere ; ſed in ſenectute, cum nullum malum per ætatem poteris perficere, tunc, inquam, tale certamen ſubire poſſes. Minime, inquit prudens vir, non placet Deo nos invitos bonos eſſe ; ſed neque ſenex poteſt placere Deo, quemadmodum neque tibi remex infirmus, aut regi miles ſegnis. Quare ergo nunc juvenis volo ſervire Deo, ut ſenex ab illo glorificer. Hæc cum audiſſet infidelis ille Agarenus, ac velut reveritus viri virtutem, immo a ſuperiore prudentia immutatus illum liberavit, oſtendens illi viam, nihil durum dicens aut faciens, ſed illi bene precans ad virtutem adhortatus eſt.

Prudens B. Nili reſponſum.

6. Poſtquam igitur mutuo disjuncti ſunt, Dei providentia in ſuum miniſtrum opem atque auxilium oſtendit in medio ignis camino, in mediiſque leonibus, ſerpentibus & ſcorpionibus, atque ab omni humani hoſtis potentia illæſum ſervavit, ut & ipſe agnoſceret humanæ naturæ imbecillitatem, cum videret ſeipſum proprio auxilio deſtitutum. Tunc, inquam, tunc timor & tremor illum corripiunt, ac mortis timiditas in mentem venit. Cogitans enim ad qualium laqueorum multitudinem inciderat, neque pedes ad viam dirigere poterat, ſed totus trepidans crebro reſpiciebat poſt ſe, in horam expectans ab illis conſueta cæde obtruncari. Sarracenus autem ut vidit illum neque panem, neque peram afferentem, nec vini ſolamen aliquod, capiens panes aridos ac nimium delicatos accurrit poſt illum, vocans nomine fratrem, atque ut expectaret admonens ; quod majorem ei timorem injecit, vera eſſe quæ ſuſpicatus fuerat exiſtimans ; quare animam Salvatori noſtro Jesu Christo commendans expectavit. Cum hunc vidiſſet Sarracenus formidantem, ac præ timore expalleſcentem velut mortuum, cœpit vehementer increpare, atque illi objicere animi imbecillitatem : Nos, inquiens, triſtamur pro te, quod nihil ſcilicet habeamus, quod tuo honore dignum ſit, neque de nobis ipſis cogites ea quæ minime decent ; accipe hæc exigua quæ Deus elargitus eſt, atque in pace tuum iter peragas. Acceptis igitur panibus homo Dei tamquam a Deo illi miſſis, atque attonitus in tanta Dei benignitate atque ope, neque oculos in cœlum erigere audebat, velut erubeſcens ad Deum oculos intendere, in terram autem defixum aſpectum habens, multa cum animi dejectione, multiſque cum lacrymis David voces emittebat. Quid retribuam tibi, Domine, pro omnibus quæ in me contuliſti beneficiis. Tu enim, Domine, ſuſcepiſti me ex utero matris meæ, neque concluſiſti me in manibus inimicorum. Deinde pectus ac latera ſua verberans, ac quaſi animum percutiens, dicebat : *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto ejus. Benedic anima mea Domino, & noli oblivi ſci omnes retributiones ejus.*

Sarraceni pietas in B. Nilum.

7. Interea cum jam iter quod ſupererat perfeciſſet, atque ad ſupradictam manſionem acceſſiſſet, obviam illi venit juſtorum hoſtis dæmon, equitis perſonam indutus, atque hic ad illum inquit, Quo tendis, clerice ? Num eo animo huc proficiſceris, ut monachus fias in hoc ipſo loco ? Ut quid ita male deceptus es ? Vere melius domi tuæ ſedens animam tuam ſervare potuiſſes, quam ingreſſus medias inter has feras. Cœpitque monachos reprehendere, infinita convitia infundens illorum vitæ, avaros, inanis gloriæ cupidos, ac ventri ac gulæ deditos illos vocans ; & quod unus lebes coquinæ illorum mei una cum equo hoc capax eſſet, adeoque ego & equus in medio ſtare poſſemus. Cum autem juſtus vir illi reſponſurus eſſet, ac dicturus : Tu quis es qui judicas ac culpas Dei ſervos ? Dignus enim eſt mercenarius cibo ſuo ; ille aures ut aſpis obturans, curſim abſceſſit ab eo. Sanctus autem ille ſanctæ crucis ſigno ſeſe armans, ac Deum precans, ut illum tueretur atque ſervaret, ne umquam id committeret, quod monachum aliquem judicaret ac condemnaret ; alacri animo ad ſanctam illam manſionem adiit, ac cum adoraſſet eum qui ibi præerat, atque omnes fratres, atque illos hortatus ut dominum ; ab illis ut filius, aut ut frater dilectus benigne acceptus eſt.

A ſuſcipiendavita monaſtica dæmon eum avertere conatur.

8. Cum autem illum vidiſſent nimium ex itineris labore defeſſum, benigne illum exceperunt piſcibus, vino atque aliis monachorum cibariis quibus uti conſueverunt. Ipſe autem animadvertens multa ex his quæ ei apponebantur novitiis eſſe inutilia, neque ſatis decentia eos qui juventutis vigore laſciviunt, atque Chriſti jugum ſubire in animo habent, prætermiſſis illis, pane & aqua tantum corporis uſum explebat, indignum etiam earum rerum participatione propter immenſam Chriſti caritatem ſeipſum reputans. Ad hæc omne ſuum propoſitum omniaque ſua ipſius præſidi aperit, illum obſecrans, ut ita animatum monachorum habitu indueret, adeo ut non plures quadraginta diebus in ea manſione commoratus ſit ; ſed ex ſui animi ſententia ad ſanctos patres quibus initio adjunctus fuerat, redierit admonitionibus ac ſpiritualibus præceptis munitus. At monachorum rector ſimulatque illum conſecravit, alterius monaſterii gubernationem illi volebat committere. At is audiens, adeo hæc ægre ferre viſus eſt, ut manibus ad Deum erectis, adfirmarit ex illo tempore, ſi quis patriarcham illum deligere vellet, nequaquam libenti atque æquo animo, ſe quamvis dignitatem accepturum, ſatis illi eſſe aſſeverans in aliorum monacho-

In monaſterio ut ſe habuerit.

rum ordine ſe Deo ſervire, nec decere plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem. Non ſolum autem hæc non admittebat, verum etiam & aliis quibuſdam legibus ſe coarctabat, quibus veluti multa ſummatim comprehendentibus incumbens, reliquas omnes actiones laudabiles amplectebatur. Sunt autem hujuſmodi, corpus in caſtitate & puritate ſervare, ut oblationem & donum oblatum Chriſto, atque ab avaritia omnium malorum radice adeo abſtinere, ut ne unum quidem obolum poſſideret: ac neque rectorem aliquem aut monachum a monaſterio ejicere, ut in illorum locum ipſe ſufficeretur. Cum has regulas, ſumto evangelico habitu, ſibi circumſcripſiſſet, multas ac maximas tentationes ſubiit. Pugna enim adverſus eos qui reſiſtunt ſemper eſſe ſolet, juxta id quod dictum, *In via hac qua ambulabam abſconderunt laqueum mihi.* At divina ope communitus, ac propria alacritate concertans, hæc uſque ad extremum vitæ ſpiritum immobiliter ſervavit. Cum igitur quadraginta dies in ſancti ac magni martyris Nazarii monaſterio permaneret, ubi & ſanctum habitum ſe induit, per totos hos dies neque panem, neque vinum guſtavit, neque aliud ex his quæ igni conficiuntur; ſed vivebat arborum fructibus, & oleribus contentus. Multum autem illi hoc ad male patiendum fuit homini a delicioſa vita repente ad auſteram hanc vivendi formam tranſlato. Neque enim deſidia abſtinentiæ pondus levabat; aut multo ſomno otium tranſigebat: ſed totum diem in pulchre ſcribendo conterebat, ut monaſterio manuum ſuarum monumentum relinqueret, neque quod otioſus panem manducaret condemnetur. Noctem autem in oratione, pſalmis & genibus flectendis ducebat, tribus certaminibus ſibi propoſitis Trinitate munito, duplici continentia, corporis labore & afflictione, cum vigiliis peracta. At ne quis exiſtimet initia certaminum hujuſmodi extitiſſe, fines autem minus feliciter peractos: ſed quemadmodum principium approbatum, ita & poſtremum Deo fuit acceptum. Manifeſtum autem hoc erit Dei gratia adjuvante, & oratione progrediente.

Quid die agebat.

9. Quodam die adiit illum ex familiaribus veteribus quidam, qui cum laudaſſet eum, quem erga Deum bonum animum præ ſe tulit dum in mundo vitam degeret, & rurſus in monaſtica converſatione; cumque beatum illum prædicaret, propterea quod bonam partem elegit quæ non auferetur ab eo. At is: Si bonum, inquit, eſt, ô frater, quod laudas, quare & tu non æmularis? Propterea quod, inquit, non exiſtit mihi amictus, neque lana confecta tunica. Statim autem ſurgens ſanctus vir, demto ſibi quem gerebat amictu, novum ac maxime delectabilem ei dat excuſationes importunas finxit.

Amice vitam monaſticam perſuadet.

A genti, ac quamprimum zonam diſſolvens ſtudebat ſeſe exuere, ut & tunicam illi daret: Cape, inquiens, hæc, frater, modo, ne bona parte priveris, de me vero abjecto illius ſervo Dominus providebit. Cum ille viri magnanimitatem perſpexiſſet, immenſamque caritatem atque efferventem zelum, non permiſit illum omnino exui, erubeſcens nudum videre: amictum autem ſolum capiens, ac ſibi imponens, Pœnitens, inquit, credo Domino noſtro JESU CHRISTO, & ſpero in ſanctas tuas orationes, quod ob recordationem hujus amictus ſtudebo & ego Deo placere, ac certamen ſubire pro meæ animæ B ſalute: quibus dictis, diſceſſit attonitus atque hominis virtutem admirans.

10. At ſanctus Nilus cum petiiſſet a monaſterii cellario unius pecudis pellem, hanc manibus conficiens, ac benedictionibus variam exornans ſuis humeris impoſuit, ſecum cogitans eum qui dixit, *Circuierunt in melotis & pellibus caprinis.* Propoſitum autem hoc unum illi erat vitam apoſtolicam & zelum propheticum in animi promptitudinem ſuſcipere, atque ad illos aſſidue aſpiciens, ex illis formabat interiorem atque exteriorem hominem, caput inopertum habebat, C juxta apoſtoli præceptum, una vero tunica omne tempus induebatur, evangelicum dictum ſequens, pedeſque nudos gerens, propterea quod ita a propheta ſunt cum admiratione hujuſmodi pedes approbati: quamvis ab hujuſmodi laboribus atque afflictionibus extremæ ſenectutis infirmitas atque imbecillitas illum amovit, tamen ab animi virtutibus ne ipſa quidem mors abſterruit, quominus in illis primas principatum haberet, neque illius memoriam futuri ævi delebit oblivio, ſiquidem juxta Apoſtolum manent hæc tria, ſpes, fides, & caritas. At interea ad ea quæ cœpimus redeamus.

Apoſtolicam & prophetici imitatur.

D 11. Erat regulus quidam, quem comitem vocant in regionibus illis, durus ac nimium inhumanus, nullam ſuæ ſalutis rationem habens: utens autem tyrannide atque arrogantia, ſervituti ſubjecit innocentem animam cujuſdam, qui ad illud monaſterium, ubi beatus Nilus verſabatur, pertinebat. Quodam igitur die cum ille tyrannus intruiſſet in monaſterium ad explendum proprium ventrem, neque enim ob animæ utilitatem. Cum eſſet diſceſſurus, præfectus nihil auſus eſt ea de re dicere, veritus arrogantiam atque illius impudentiam, advocavit B. Nilum, in quo admirabilis loquendi libertas inerat, atque illum adhortatur, ut terribilem illum principem aggreſſus, animæ quam injuſte occupaverat, liberationem impetraret. Qui velut a Deo juſſus, atque indubitata fide armatus, adiit temerarium illum, & opere, & verbis, ſpiritualibus admonitionibus utens, quemadmodum a præfecto audierat, admonens ut de propoſita re cujus gratia venerat.

Hoc

Hoc autem nimium contradicente, atque petitionem renuente, quod neque ſi angelus e cœlo deſcenderet, neque alicui homini eſſet obtemperaturus, ut ejuſmodi animam eriperet; beatus Nilus mortis ſtimulum injecit, conſiderans mortis recordationem idoneam eſſe, ut & lapideam animam moveret. At hic neque ita flectebatur, duritie tanta detentus, ut nihil ſentiret: ſed arroganter reſpondit, inquiens: Abi, ſenex, decem anni adhuc ſuperſunt vitæ meæ, intra octo annos animi mei cupiditates explebo, atque inimicos meos mihi ſubjiciam, ut ego volo; duobus autem poſtremis annis pœnitentiam agam, & me Deus ut meretricem & latronem amplectetur. Tunc beatus Nilus a Sancto Spiritu afflatus reſpondet, inquiens: Attende tibi ipſi humilis homo, quos enim ſperas decem annos vivere, atque animi tui appetitiones implere, decem dies ſoli ſunt. Noli igitur errare in ſomniis & vaticiniis te ipſum decipiens. Cum hæc audacter dixiſſet, atque ad monaſterium reverſus celerrimum tyranni illius interitum præfecto nuntiavit. At arrogans ille vir rigore ac febre repente correptus jacuit uſque ad nonum diem immedicabili morbo detentus, ac decimo die commota in illum ſeditione ab iis qui oppidum habitabant, cumque omnes ita ſentirent ut ille interficiatur, ipſe hæc audiens ab ea quam adulterabatur furia, apprehendit temere enſem, atque omnes ſuos diſperſit apparens ſolus. Timore autem magis detentus, ac fuga ſibi ſalutem volens comparare, a ſuis impeditus, & curru decidens a vita exceſſit, atque ita ab his quos ſæpe injuria affecerat, capite obtruncatus fuit, atque canibus in cibum appoſitus eſt, & perfecta fuit prædictio S. Nili, neque intra aut infra illos dies quos prædixit, ſed decimo.

Prophetia B. Nili.

Revertitur ad Mercurii monaſterium.

12. Poſt autem hos dies rediit B. Nilus pater noſter, Spiritu-ſancto ac fide plenus, ad ſanctos patres qui in Mercurio habitabant, ſolet enim ſimile ſimili ſuo gaudere, atque omnes illum videntes apoſtolica vita, zelo, habitu atque exercitatione præditum, admixtamque habentem humilitatem cum pudore fronti præſidente, exultaverunt atque exhilarati ſunt, ac Deo gloriam in illius facto tribuerunt. Ipſe autem omnes adorabat, atque ut angelos Dei glorificabat; præcipue autem affectione atque caritate maxima venerandum patrem Phantinum proſequebatur, atque ille viciſſim eam benevolentiam aut majorem in hunc præ ſe ferebat. Dixiſſes Petri & Johannis, aut Baſilii & Gregorii amicitiam illorum inſeparabilem benevolentiam eſſe. Cum enim ſæpe illi conſiderent, atque ſcripturas legerent, omnes fratres ad illos conveniebant, optantes audire ſermonem utilitatis ab illorum ore, atque audientes ſermonem lepidum ab ore beati patris Nili: conſiderantes autem ſul-

A gentem gratiam in ſancto Phantino, nihil aliud exiſtimabant hos eſſe, niſi Petrum & Paulum, quorum vitam ac fervorem imitabantur.

13. Quidam vero ex fratribus proficiſcentes ad adorationem magni patris Johannis, cœperunt laudare B. Nilum ad utilitatis magnum argumentum atque occaſionem in regiones illas a Deo miſſum, adjicientes & illud, quod neque panem neque vinum participat, exercitationis genus maxime ſublime geſtans. Juſſit igitur illis pater ille, ut hunc ad illum mitterent; quo adveniente atque cum gaudio ſuſcepto, jubet magnus pater Johannes dari ipſi poculum vini maximum, volens cognoſcere an ſecundum Deum eſſet illius converſatio. Sumto autem poculo, B. Nilus benedictione petita, libenter ipſum totum ebibit ad extremum uſque, neque damnum quod e vino fit repente abhorrens, neque proprium judicium illius patris diſcretioni præferens, ſed ſectionem voluntatis rationalis aut irrationalis, ut ſalutis maximum argumentum reliquis anteponens. Tunc magnus ille admiratus ſecum viri ſapientiam atque obedientiam in omnibus hypocriſeos ſimulatione carentem (tentavit enim illum & in aliis, immo docuit ut pater verum filium) ad præſentes dixit: Nonne dixerunt patres quod abbas Nilus non guſtabit vinum? Ut videtur, alia vident homines, alia dicunt. Statim igitur ſurgens Nilus pœnitentiam agens, inquit: Concede mihi, honorande pater, quod numquam feci aliquid boni coram Deo, tamen continentia, pater, ut tu rectius noſti, expedit omnibus in omnibus, ſenibus quidem, ut juvenibus exemplum præbeant; nobis autem adoleſcentioribus atque novitiis, ne flammæ carnis majorem ſuggeramus materiam, neve feram agreſtiorem ac magis inſuperabilem reddamus. Verumtamen venerandæ tuæ manus ſanctiſſimam benedictionem fuiſſe aſſecutum, ſive per vini poculum, ſive per panis fractionem, tanti eſt ut cum patriarcharum gratia conferri atque æquari poſſit. His auditis magnus Johannes ſubridens, vultu & ſpiritu exultans, multo plures benedictiones illi adjecit, atque orationibus eum locupletavit, atque admonuit ut modeſte ſe exerceret, ne forte in morbum incidens, aut ſenio depreſſus, tunc neceſſario cogendus ſit inquirere, quæ habitui aut monachorum profeſſioni non conveniunt. Atque ita quidem eo tempore illum apud ſe detinuit, illius ſuaviſſima lectione maxime delectatus, ac ſenſuum recta explicatione, ac divinarum ſcripturarum interpretatione. Magnus enim ille Johannes aſſidue divi Gregorii theologi orationi plurimum ſtudii inſumebat, adeo ut multa peritia quam ex illarum lectione ſibi comparaverat, alter apud omnes theologus haberetur.

B. Nili obedientia.

Mira B. Nili humilitas.

14. Quodam autem die dum legeret eum-

dem librum B. pater Nilus, ac ſenex vellet enodare unum ex dogmatibus a theologo Gregorio elaboratis, ſenis interpretatio Nilo haud ſatisfecit, quippe quæ a magiſtri vero ſenſu aberraret. Cumque vellet alibi eamdem ſententiam apud eumdem auctorem clarius dictam proferre, atque dogmatis rectitudinem cujuſmodi eſſet patefacere, vehementer a Johanne increpatus eſt, quaſi non liceret illi adhuc juveni imperito, & in vitæ perturbationibus verſanti hujuſmodi ſecreta perſcrutari. At is audiens nullo pacto turbatus eſt, neque paulum a fide & caritate qua illum perſequebatur dimotus eſt; ſed ita illius convitia ſuſcepit, ut ſitiens aquæ vas plenum; etenim illum ut Johannem-Baptiſtam obſervabat, ſæpe autem ita locum ubi ejus pedes ſteterant, oſculabatur, ut in eccleſia ſanctum altaris gradum. Veſpera autem adventante, cum is cellam adiiſſet quietis gratia, ſubiit illum cogitatio qua vehementer perturbari videbatur, an vere B. Johannes illum arguerit, quod theologi ſenſum male perceperit, ne forte hæreſis ejus interpretatio reputata ſit; an id fecerit, ut ejus arrogantiam ac mentis ſuperbiam reprimeret, quæ cogitans paulum dormitavit. At is qui omnium juſtorum obſervat depravationes divinorum greſſuum, ne ſupplantentur aut furtim in laqueos incidant, volens & beatum hunc conſolari, apparet illi per quietem habitu & figura duorum preſbyterorum magnorum, ita dicentium: Nos ſumus Petrus & Paulus, videntes autem te triſtem de divinis dogmatibus, venimus ut te doceremus omnem veritatem. Dixerunt autem illi & ſenſus theologi intellectionem, quantum Dominico voto placebat, & abceſſerunt. At is ad ſe rediens, neque enim dormiebat, gloriabatur autem in eo quod opportune apparuerat, & verba in ore habebat, mentem vero verborum non perſcrutabatur, atque hæc per totum matutinum tempus: circa vero diiuculum ſilentium profundum agens, cum revelationis profunditatem eſſet perſcrutaturus, invenit id quod mel exiſtimabat abſinthio amarius, atque occultam theologiam manifeſte hæreſim exiſtere graviſſimam. Tunc ingenio acri præditus vir ille, velox ad dignoſcendum purum ab impuro, ac ſincerum a falſo, perdiſcens maximum omni ex parte dolum intelligibilium hoſtium, atque inopinatam verſutiam illorum, accurrit ad ſervatoris crucifixionem, atque abjecto & humili corde humi ſtratus, petiit ut a mente & cordis penetralibus prophani ſenſus inſcriptio aboleretur, quod repente eſt aſſecutus. Cum enim e loco illo ſurrexiſſet, ex illa hora nullo pacto poterat memoriter pronuntiare, neque principium neque finem ſententiæ illius, cui pertinaciter primum inhærebat. Adiit autem & ad magnum artificem Johannem, ac pœnitentiam oſtendens omnia ei aperuit; at ſenex ridenti vultu, manu apprehenſa, dixit: Viriliter age, fili, & confortetur cor tuum, ac tentationes dæmonum ſuſtine, ut & tu illos expugnans, multorum animas in ætate tua corrobores, lumen & ſal in mundo errantibus oſtenſus. Atqui ego novi ingenii acrimoniam a Deo tibi conceſſam atque orationis leporem, atque intellexi te recte ſancti mentem excipere; ſed veritus ne in præſumtionis præcipitium incidas, quod ſæpe evenit iis, qui ut tu, in curſu nimium veloces ſunt, melius judicavi ex tua triſtitia me exhilarari, ut apoſtolus docet, quam Sanctum Spiritum contriſtari, te ob præſumtionem, & mentis ſuperbiam lapſo. His & multo pluribus dictis, orans atque benedicens illum a ſe dimiſit. At ſanctus pater Nilus ſatis ac ſatis proficiens atque creſcens in Dei contemplationibus, atque aſcenſionibus & deificationibus omnium virtutum matrem amplexus eſt quietem, ingentes divitias ex hac potens lucrifacere atque infinitam ſapientiam, atque illud imponens aliis patribus, propterea quod omnia illius conſilio ac precibus operabantur, quodque is volebat ratum apud omnes habitum eſt.

15. Spelunca eſt non longe a monaſteriis in ſublimitate precipitii poſita, habens in ſe & aram Michaëli exercitus Angelorum principi cognominem, locum quieti aptiſſimum iis qui non alieni a quiete ſunt. Hoc in antro fortis vir ille, Heliæ zelo ſumto, atque Helizei tolerantia, atque omnium ſanctorum patientia, aſcendit habitaturus plurimo cum gaudio ac promtitudine: ubi ſolitarie degens, ac Deum ſuſcipiens, immo vero illi aſſiſtens, atque inviſibilem ut viſibilem proſpiciens, multa ac maxima certamina.... confecerunt, virtutes æmulatus, ita horum præmia aſſequi ſtudebat, quæ nemo poterit aut ſermone proferre, aut litteris mandare: propterea in occulto facta ſunt, atque ei ſoli nota, qui omnia occulta ſcit, niſi quis hæc a fine velit conjicere, id eſt a gloria & remuneratione, quam a Deo Patre eſt aſſecutus. Pater enim, inquit, tuus qui videt in abſcondito reddet tibi in aperto, atque Eos qui glorificant me, glorificabo. Ecquiſnam hac tempeſtate tanta gloria atque honore affectus eſt, ut beatus hic, non ſolum a fidelibus regibus, & principibus, patriarchis ſimul atque ſacerdotum principibus ejuſdem ac diverſarum linguarum; verum etiam & ab infidelibus, tyrannis, inquam, carnalium ac terrenorum dominis, qui vel ejus nomini honorem exhibebant, quoniam illum de facie non noverant. Omnia autem hæc ſunt argumenta ferventis viri caritatis in Deum, atque humilitatis ad ſublimia perducentis, multorumque jejuniorum, vigiliarum ac pœnitentiarum, infinitarumque afflictionum, necnon & ardentium tentationum, ac bellorum viſibilium & inviſibilium,

In Spelunca habitat.

corporaliumque ægrotationum a * militiæ spiritibus valide illi inductarum, eo quod illum viderent magno cum ſtudio eo properare, unde ipſi ceciderunt.

* f. malitiæ.

16. Quoniam autem ex multis recte factis illius, pauca quædam recenſere in animo habemus, quæcumque nobis, quos ſupra noſtrum meritum ex animo amababat, a mendacio abhorrens illius lingua narravit, ut nos admeliora promtiores redderet, palæſtrarum aut digladiatoriæ artis magiſtros imitatus, hæc litteris mandemus in eorum gratiam, qui ex omnibus his utilitatem percipere voluerint, non miracula maxima aut res prodigioſe geſtas demonſtrantes, quibus infantium hominum, aut infidelium aures obſtupeſcunt; ſed labores immenſos, atque afflictiones, quibus apoſtolum gloriatum fuiſſe novimus; nihilominus & hæc imperitis ſæpe incredibilia videntur, his autem qui vel paulum experti ſunt, zelum ingignent ac memoriæ excitamentum. Ille carnis angelus ſubjecit quidem animam & ſpiritum legi ſpiritus, nihil prorſus permittens mentem cogitare ex his quæ inferiora ſunt, atque humi repunt; ſed ad perſcrutandam divinam legem illum excitabat, atque ad perficienda divina mandata ex animo adhortabatur. Subjecit etiam carnem ſpiritui, plurimum illam inſtituens atque inſtruens, ac vehementer in ſervitutem redigens, ut obtemperans illi eſſet, neque ſpiritus ac rationis freno repugnaret.

Per plures dies a cibo abſtinet.

Docuit enim illam, ut per duos dies, aut tres, aut quinque cibi patiens foret, præſertim cum ſemper minus nutrimenti ſumeret, quam opus eſſet, ac quidvis comedebat, neque iis quæ appetebat libenter fruebatur, abſtinebatque vino atque omnibus eduliis quæ igni conficiuntur; flagellabat etiam ipſam vigiliis, & pſalmorum cantu, dumque per totam noctem partim ſtaret, partim genibus flexis Deo ſupplicaret. Quoniam vero eſt & in bonis dæmonum verſutia, quæ imperitis ſuggerit, ut ultra modum exercitationem protendant, omnia ille modo ac menſura operabatur, ut ſi quid deeſſet ex iis quæ ſibi peragenda propoſuerat, pigritiæ oſtendatur eſſe quod deerat, atque ut debitam a ſeipſo conſuetudinem exigeret; ſi quid autem abundantius ſolito cogitatio illi ſuggerebat, dæmonum hoc eſſe opus, atque omnino ſibi fugiendum dolum animadvertebat.

Laboni ac contemplationi vacat.

17. Unde a matutina hora ad tertiam uſque velociter pulchre litteras exarabat, tenui ac denſo utens calamo ſingulis diebus quaternarium perficiens, ita adimplens præceptum quod operandum eſſe imperat. Spiritus vero gratiam una cum apoſtolis ſuſcipiens, uſque ad ſextam cruci aſſiſtebat Domini cum Maria & Johanne, pſalterium recinens, ac mille genuum flexiones faciens, ſervato & hic mandato, quod ſemper orandum eſſe præcipit. A ſexta autem hora uſque ad nonam ſedebat legens, ac perſcrutans legem Domini ac poëmata ſanctorum patrum ac doctorum. Hoc enim divinus apoſtolus ſcribit; *Attende*, inquiens, *lectioni*. Nonam autem horam perficiens, ac veluti thuris vaporationem ad Deum mittens veſpertinum hymnum, exibat foras deambulans ac delicians, ac paulum ſenſum recreans, jam diei prolixo labore defeſſum, in ore habens apoſtoli dictum, quod *Inviſibilia Dei a creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur*, atque illud; Ab operibus opificem comprehendentes. Multas etiam orationes atque dicta Theologi ac reliquorum doctorum in pectore geſtabat, ſemper in his mentem occupatam habens, nullum oſcitantiæ locum exhibens, ſimul atque diſciplina ingenium exacuens.

Qualis ejus cibus.

18. Cum ſol occidiſſet, accedens ad menſam illam. Lapis autem hic erat maximus, ac patella in illa teſtæ fragmentum, participabat grato animo cibum, qualem ille ſolebat; interdum quidem panem ſolum, & aquam in menſura, interdum vero legumina cocta, quandoque vero arborum fructibus ſolum contentus erat, ſoliſque ſtudebat ſtrenuus ille interdum frui ſiliquis quæ ultro innaſcuntur, myricis, inquam, & comariis, atque hujuſmodi pomis, ſed quod non admittebat ad hæc præfectus vere effectum ut utris in pruina, rediit rurſus ad panis uſum. Quid multis opus eſt, tot vivendi formas percurrit, quot a ſingulis priſcorum patrum perfectas eſſe legit. Quadraginta quidem dies non ita jejunus permanſit, ut nihil guſtarit, ſuſpicans in laudibus hominum invidiam, ac ſuperbiæ dejiciens graviſſimum cornu; ter viginti pertranſiit, bis in ipſis guſtans ſolum a muliere pia nutritus; atque hoc cum perdidiciſſet perfectum fuiſſe a practica Theodoreti hiſtoria. Quare & experientia illud comprobans, invenit vera eſſe quæ ſcripta legerat. Pertranſiit unum annum, menſe minus, nullo prorſus liquido obſonio deguſtato: at veſperi aridum panem poſt ſolis occaſum comedens, duo negotians magna ex his, ea ipſa re e quatuor virtutibus ſibi augens temperantiam; etenim ſibi placebat etiam naturali defluxu corpus liberare, quod & ſanctorum plurimi appetiverunt: multum autem confert hujuſmodi operi aquæ penuria, ut ſanctorum quidam dixit, ac reprimere cogitationis nugacitatem, dubitantis, ac non credentis ea quæ admirabiliter, atque magnifice a ſanctis patribus effecta eſſe recenſentur. Omnino enim omnes audivimus eum, qui in miniſterio furni tres annos tranſegit, neque umquam bibit atque ea in re perfectum. Quod cogitans beatus hic ne forte omnimodus pulmonis defectus periculum non mediocre illi afferret, ab opere deſtitit: neque enim ſitis illum offendebat, ſed uſque ad octavum diem, ſolumque ex affectione

loquebatur dictum illud: *Agglutinata est pavimento anima mea, vivifica me secundum verbum tuum*: postea vero *Exsuscitasti spiritum meum, & consolatione affectus vixi.* Confirmat autem dictum, quod est: Siti sitim medetur; fames vero famem non reprimit. Sanctam autem quadragesimam transegit totam nihil aliud sumens, nisi solam remunerationem, atque id propterea quod per singulos dies petierit panem quotidianum; tamen & hos dies sæpe sine potu perfecit.

Noctem pene insomnem in recitandis psalmis transigit.

19. Quilibet igitur dies illi in studio erat, ne regulas prævaricaretur, noctem etiam in eodem studio atque opere transigebat, una hora somni debitum explebat, neque enim habebat quid consumeret digestio: quod autem e nocte supererat, ad psalterii recitationem insumebat, ac quinquaginta genuum flexionum mensuram, quæ est nocte media & matutinis hymnis peragebat. Sæpe enim cum sua ipsius cogitatione pugnabat » dicens: Qui in cœnobio versantur, dies quidem in laboribus tolerandis transigunt quotidie jejunantes, nocte vero vigilant hymnis » incumbentes ac lectioni, psallentes tot ac » tot, atque eleemosynis, & hospitalitates plurimas operantur. In nobis autem in hac apparenti quiete desidentibus nisi abundaverit » justitia, & divinus labor, vana erit fides » nostra, & mores indecentes.

Vestis ejus saccus e caprarum velleribus contextus.

20. Erat autem ejus indumentum saccus e caprarum velleribus contextus, singulis annis unus, zona autem erat funiculus nonnisi semel in anno solutus. Quapropter & multitudine pedunculorum vexatus tolerabat, nec se excutiens, neque paululum movens in illorum laceratione. Ramus etiam inerat in fronte speluncæ, ubi formicarum examen inhabitabat, in quem ramum dejectus saccus ille a beato Nilo, ab omnibus vermibus purgabatur. Ita enim vocandi sunt pedunculi illi tempore exasperati, a quibus formicæ pœnas exigebat, quare justum illum infestabant. Cubile illi non erat, neque scabellum, non arca aut loculi, non marsupium neque pera, sed neque atramenti vas quum describendis libris vacaret, ceram autem cum in ligno impegerit, ita tamen multos libros exscripsit. Hæc a me collecta sunt, exigua quidem si cum aliis actionibus illius majoribus conferantur, at aliis admodum magna, non ut ex iis aliqua illi accessio fiat, sed ut videamus quantum in virtutibus profecit, & quem ad finem bona initia perduxit. Virtutes, inquam, paupertatem, omnium rerum inopiam, continentiam, vigilias, orationes, secessum, castitatem, humilitatem, & reliqua; ex quibus imago & similitudo Dei comparatur, lacrymarum autem ardentium effusiones atque amaros gemitus, pectorisque percussiones, frontis etiam ad terram collisiones, quis cogitare ac pro dignitate dicere posset?

Tentationibus vexatus, ut eis refle-ret.

21. Increpationes vero, convicia, contumelias ac probra quæ ipsemet sibi ipsi objiciebat, ut hostem denique seipsum cavens, insidias quoque, bella ac dæmonum invasiones per cogitationes & manifestas visiones oblatas, corporeos etiam labores ex difficillimis morbis contractos, vix ipsemet qui hæc passus est, posset ordine recensere. Sæpe oppugnatus valde est ac tentatus, ut secessum derelinquens in cœnobia descenderet, quod eo animo dæmon faciebat, ut maledici ut fugacem ac timidum redarguerent. Quum igitur in multam necessitatem atque angustias ab inimicis humani generis redigebatur, adeo enim illum tumidum reddebant ob cogitationum vim, ut spelunca illum non caperet. Tollens igitur asperum indumentum quod ex alio anno supererat, ligno imponens, neque enim virgam habebat in humero, & descendens usque ad viæ dimidium ubi arbor sublimis stabat, quasi arbor illa esset beatus Phantinus, aut alius quispiam sanctorum patrum, ita sibi persuadebat. Postea pœnitentiam agens ante arborem illam stabat, ut interrogatus a patre, & reddens adventus sui rationem, ac rursus conviciis affectus atque ab illo irrisus, ac fratribus objicientibus, En tibi eremita. His modis & cogitationibus inexpugnabilibus hostes dejiciens redibat ad antrum, ut in aliquem carcerem, tolerans ac secum reputans, Bonum est mihi magis mori, quam gloriam meam ut aliquis evacuet. Sæpe illi oranti ac psallenti cogitationes dicebant, Aspice in ara, fortasse aut angelum aut flammam ignis, aut Sanctum Spiritum aspicies circa ipsam, ut multi viderunt. Ipse autem claudens oculos, tantum seipsum affligebat pœnitentiarum multitudine, ut ejus sudor veluti aqua in terram distillarit. Subjecit autem illi pravus dæmon & acutissimam carnis inflammationem, ipse autem spinarum attritione, atque urticarum aggrestium fustigatione dolore dolorem extinguebat. Quandoque sedenti ob longas vigilias, ac paulum ex labore recreanti astiterunt ipsi duo dæmones, alium quemdam medium tenentes, cujus veluti latera aperientes, atque omnia ejus intestina extrahentes in terram projecerunt. At hic cursim surgens, & ob nauseam evomens amariissimam bilim, in posterum se corroboravit.

Romæ omnibus ad orationem confugit.

22. Aliquando Romam profectus orationis causa & quorumdam librorum investigatione, vidit in templo apostoli Petri in transitu mulierem Alemannam, corpore sublimi ac magno. Hujus formam repræsentantes versuti, ostendebant sancto illi psallenti, legenti, ac scribenti, ac quidvis aliud facienti. Cumque hoc bellum invalesceret, cumque nihil haberet quod inimicis opponeret, ad Deum confugit, ipsi propriam imbecillitatem nuntians, ac seipsum projiciens ante propitiatorium in contrito atque humili

corde ad Salvatorem ita dicebat: Domine, tu ſcis quod infirmus ſum, miſerere mei, & adjuva me, atque cripe a bello impurorum dæmonum, quod reliquum vitæ meæ apud me deploratum eſt. Hæc cum dixiſſet humi proſtratus, ac paulum dormitans, videt ante ſe ſtantem pretioſam crucem, atque in ipſa ſuſpenſam viventem Dominum noſtrum, atque in medio ipſorum ſuſpenſam papyrum puram ac tenuiſſimam, ac clamans cum timore multo, ait ad illum: Miſerere mei, Domine, atque benedicas mihi ſervo tuo. Tunc Salvator dexteram manum e clavis extrahens, ter illi benedictionem elargitus eſt, atque divina viſio finem habuit, ſimùlque & bellum omne atque carnis tentatio diſceſſit, quodque minime potuerunt perficere multæ inediæ, ſitis atque vigiliæ, potuit perficere humilitas & propriæ imbecillitatis cognitio.

Socium asper abhorret, quem vitæ ſeverior vis impatientem poſſet abire perſuadet.

23. Cum vero ſanctus hic remiſſus atque in ſpiritali lætitia permaneret, adiit illum quidam frater, obſecrans ut pateretur illum ſecum permanere, fortaſſe enim per ipſum ſalvabitur: vix autem aſſecutus quod optabat, ad ſanctum ait: Pater, tria numiſmata habeo, quid vis faciam de illis? Abi, inquit is, da hæc pauperibus, & tollens paſterium tuum, ſequere mandata Salvatoris. Statim autem iſta fecit, ac non longo tempore tolerans cum ſancto patre, atque ab illo ediſcens recte deſcribendi difficilem artem, triſtis ob exiguum victum atque duriſſimam exercitationem, cœpit inquirere excuſationes in peccatis, ac ſubtiliter inveſtigans diſſidii occaſiones, quibus B. Nilum in iram excitaret. At ille ſemper in mente habens Domini præcepta tamquam illi ſoli injuncta, ac recordatus quod qui dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit gehennæ ignis, numquam illi verbum malum dixit. Tunc autem ei manſuete ac leniter dixit: Frater cariſſime, in pace vocavit nos Deus huc atque in caritate & ſpiritu manſuetudinis, non autem in amaritudine aut ira & furore. Si autem adeo tibi gravis atque abjectus viſus ſum, atque oculis tuis appareo intolerabilis, vade in pace quocumque tibi libuerit, ac mihi peccatori ne ſis moleſtus. Scio enim ego te non potentem, immo vero nolentem excutere atque a te abjicere ſpiritum ambitionis, quod te ad imperii ac ſacerdotii principatum ſuſcipiendum excitat. Abi igitur ac tuum appetitum perfice, atque accommodatum hoſpitium aut diverſorium invenies. At ille plus a dæmone irritatus, cum videret ſuas ſecretas cogitationes a B. Nilo redargui, iratus ait: Da mihi tria illa numiſmata, & abibo: quid enim mihi optus erat pauperibus ea elargiri, niſi mandatis tuis paruiſſem? Reſpondet ſtatim pater: Scribe, inquit, mihi, frater, in chartæ fragmento ſuſcepiſſe me mercedem illorum in regno cœlorum, ac pone hoc in propitiatorium, & ego nunc præbeo tibi tria numiſmata. At hic volens experiri unde illi facultas erat, ne obolum quidem habenti, tria numiſmata promiſſa ſolvere, propria manu rem juſſam perfecit, atque in propitiatorium impoſuit. Tunc aſſumens illum pater deſcendit ad Caſtellii cœnobium, atque illinc mutuatus tria numiſmata, dedit cum caritate fratri illi, qui ſuſceptis nummis receſſit, atque omnia quæ B. Nilus prædixerat executus eſt, ut voluit, ac paulo poſt obiit. At ſanctus pater noſter Nilus reverſus in ſpeluncam ſedens in patientia & tolerantia multa, intra paucos dies tria pſalteria deſcribens, tunc enim dicitur ex his aliquos perfeciſſe per quatuor dies, ſolvit debitum quod propter mandatum Chriſti contraxerat.

Dæmon cum exercitus vexat.

24. Videns autem juſtorum hoſtis, quod in omni invaſione victus, atque a beato viro dejectus eſt, luctam ab interiore homine ad exteriorem transfert, atque incipit illum affligere in laboribus, ac gravibus corporis morbis, ut eum a diurnis miniſteriis impediret, atque ab oratione cœlum penetrante, ſibique inimiciſſima. Quid igitur adverſus illum machinatur, tumore graviſſimo atque intolerabili afflictione comprehendens vocis inſtrumenta, eum mutum prorſus affecit, atque edendi facultatem omnino illi eripuit. Verumtamen & in hoc multo magis ſuperatus confundebatur pravus hoſtis. Quanto enim magis ille excludebat vocem pſalmorum modulatricem, tanto vehementius hic ad Deum mentem intendebat, atque inſeparabiliter divinis cogitationibus fruebatur. Ut autem præ fame non periret, aqua aridum panem molliens, eo victu utebatur.

A S. Phantino viſitatus ægrotans ducitur ad monaſterium.

25. Non multo autem poſtea venit ad viſitandum eum ſanctus Phantinus, crebro enim ſe viciſſim conveniebant, mutuo ut duo lumina ſe illuſtrantes: qui B. Nilum hortabatur multa cum conſolatione panem pro hebdomada ſuſcipere; cujus beneficii gratiam compenſabat Nilus ex ſuarum manuum labore. Cum autem B. Phantinus illum ita male morbo agitatum vidiſſet, multis precibus ad monaſterium adduxit ſuum, omni cum ſtudio, ac Deum ex toto animo pro ejus ſalute obſecrabat. At patientiſſimus Nilus cum non poſſet aliud quidquam guſtare, niſi ſolam aquam, eamque vi & labore, idque per multos dies; in mentem ei venit, ſi paululum piſcis haberet, caperet ex illo, atque ita comedendi aditus ei patefieret. Reſiſtens igitur octo dies, aut in mentem alicui rem patefacere, præſertim cum videret ſingulis diebus aliquem ex fratribus pertranſeuntem, atque ad piſcandum proficiſcentem, ac rurſus cum piſcibus redeuntem, poſt multam luctam ac pugnam, qua tali appetitui reſiſtebat, ecce venit quidam ex mundo afferens cophinum piſcium plenum,

Oblatos piſces comedere recuſat.

partim quidem ſartagine, partim igne aſſorum, illum obſecrans ut ex illis guſtaret, Quoniam, inquit, veſpere cum audierim quod tibi acciderit, exii piſcari in nomine ſancto tuo, & orationibus veſtris adjuvantibus, ſatis piſcium percepimus, ac decet ex ipſis te participare, pater optime. Tunc beatus Nilus hominem quidem emiſit benedicens, ac magnopere illi gratias agens pro labore, ſecum autem ita loquebatur: Hæc non Deus paravit, neque angelus, non enim ſum ex timentibus ipſum, ut voluntatem meam faciat, ſed hoc opus diaboli eſt, poſtquam me ſenſit hujuſmodi appetitui obnoxium; ſcriptum eſt enim, Ne concupiſcas: & vivit Dominus, non ingredietur ex his in os meum. Erat autem tunc monachus quidam profectus ex ſuperioribus regionibus, qui nimium amabatur ab ipſo, propterea quod bene ſciebat canere & vocem pulcherrimam habebat: hunc vocans ſanctus, dedit illi, quemadmodum erat cophinus, his verbis loquens: Accipe hoc munus hoſpitale, quod tibi Chriſtus miſit, qui capiens receſſit. At Deus videns maximam ejus patientiam ac tolerantiam, illi opem præſtitit, atque illum liberavit a dolore & morbo quo afflictabatur, morbo intus in collo fracto, ac multo ulcere per os exeunte.

In antrum reverſus a dæmone vexatur.

26. Paululum igitur refectus repetiit antrum, aſſuetum genus vitæ, ac ſeceſſum ut propriam parentem amplexus. At diabolus non deſiſtebat, dentes adverſus illum exacuens ac prælians, ſive a divina providentia permiſſus, ut fere vitam auferret ſancto illi viro. Cumque pro more una nocte vacaret orationi, atque pſalmis invigilaret genibus flexis, in antro ab eo ex lapidibus inciſo, ac ſplendoris lumine omnia perluſtrante, (erat enim æſtatis tempus) apparet illi dæmon ante oculos ut Æthiops, clavam manibus geſtans, qua ſancti caput percutiens dejecit illum in terram, ac ſemimortuum dereliquit. Una autem hora intermiſſa ad ſe rediens ſanctus, agnovit diaboli invidiam, atque infinitum adverſus illum livorem. Cumque nimium ei caput doleret, ac dimidium faciei cum dextro oculo tumidum ac lividum eſſet, immo & brachium diſſolutum & conquaſſatum, non amplius poterat ſtare, atque orationis miniſterium perficere; jacens autem in ſolo, Dominum invocabat, *Deus*, inquiens, *in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina. Erubeſcant & revereantur quærentes animam meam*, ac reliqua pſalmi. Itaque tranſegit omne tempus illud infinitis laboribus atque calamitatibus immenſis vexatus. Cumque multi conſulerent medicinæ curam ſuſcipere, nullo pacto hoc fecit, agnoſcens diabolicum dolorem immedicabilem eſſe, atque manibus humanis incurabilem. Decurſu autem temporis facto, atque feſto ſanctorum apoſtolorum adventante, convenerunt in cœnobium illorum imitatores Phantinus ac Nilus, ut viciſſim ſe cohortarentur tamquam bonos apoſtolorum filios. Cum igitur per totam noctem hymnos canerent, ac fratres exultarent in ſanctorum doctrina atque ſcripturarum explicatione, adhortabatur magnus Phantinus ſanctum Nilum ſurgere atque legere encomium in apoſtolos conſcriptum a ſancto Johanne Damaſceno iambicis ac metricis verſibus exornatum. At B. Nilus animadvertens nullo pacto eſſe mandatum illud negligendum, quamvis pene ſemiaridus eſſet, ſurrexit cum omni gaudio ac promtitudine, atque ipſe lectionis principium fecit, ac pravus ille morbus paulatim a corpore abſceſſit. Hoc autem divinum beneficium ſentiens B. Nilus præter expectationem, nemini aliquid dixit, donec finitum fuit matutinum, ac tunc pœnitentiam petens a B. Phantino, illi gratias agebat, utpote per illum tali afflictione liberatus: at ille contra ad ejus obedientiam atque ad apoſtolorum interceſſionem miraculum referens, humilitatem exercebant, Deum glorificantes. At multiplex Dei diſpenſatio incomprehenſibilis, quid circa ſuum ſervum provideret, neſcio, tamen permiſit illum uſque ad ſenectutem exigua quædam ægrotationis ſigna ſecum geſtare, quæ illum admonebant divinæ opis circa illam ægrotationem. Ad omnia autem hæc victor evadens propter eum, a quo amatus eſt, Deum, is qui ſanctorum omnium fuit æmulator, ac mandatorum Chriſti obſervator, ad aliam armabatur luctam ac pugnam diaboli; decebat enim in omnibus propulſari dæmonem, atque ita B. Nilum coronatum exiſtere.

Inſidiatum illi volunt divinitus ſentit.

S. Phantinus præſcit hoſti & ſibi mortiferi eventûs ſignum & diſcedit.

27. Eo tempore beato Phantino extaſis contigit, ut autem vere dicamus mutatio dexteræ Excelſi, ac veluti Jeremiam audimus capite ac mento abraſo Jeruſalém in luctibus verſantem obambulaſſe, atque exiſtimationem delirantis ſtulti de ſeipſo exhibuiſſe; ſed ad eumdem modum erat videre hunc virum vere prophetam ac beatum affectum eſſe; ſive enim ſenſibilem hujus regionis vaticinans deſtructionem, ac miſerandam Agarenorum invaſionem, ſive omnimodam virtutis everſionem, ac monaſteriorum ad vitia declinationem atque vulgaritatem, quod magis credendum eſt: verum & ipſe obambulabat luctibus deplorans eccleſias, monaſteria, libroſque, has quidem dicens aſinis & bordoniis repletas eſſe ac coinquinatas, hæc vero igni combuſta ſunt, inquit, & perierunt, hi vero quod araneis pleni ſunt & evanuerunt, fracti ſunt, neque deinceps habemus quoſnam legamus. Cum autem videbat aliquem e ſuo monaſterio fratrem, ut mortuum eum lugebat, ego te fili interfeci. Hæc & hujuſmodi faciebat ac loquebatur, neque ſub tecta tolerans ſtare, neque cibum

guſtare, ſed per deſerta oberrans vivebat agreſtibus oleribus. Hæc in maximam triſtitiam induxerat Nilum celebrem, ac pene nocte & die lugebat & ipſe boni ſocii ac cooperatoris privationem, ſæpe enim eum ſecutus eſt, ut ſuaderet ad monaſterium reverteretur, atque ibi conquieſceret, non paruit, dicens: Qui in monaſterio habitant non ſunt mihi fratres: ſi enim eſſent, mecum lugerent. At ipſi contra, me furentem, ac mente captum vocant. Scito igitur, dilecte pater, quod ad ſuperiorem regionem demigrabo, atque ibi perficiar, atque ad monaſterium meum non amplius revertar. Atque hic beatus fecit ut dixit, apprehendens locum quem Deus ante omnia ſæcula illi præfinivit ut perficeretur.

Invitatur S. Nilus a fratribus ut eis præſideat.

28. At ſanctus pater Nilus reverſus ad ſpeluncam in patientia perambulabat per anguſtam portam, ac tribulatam vitam quam pauci inveniunt. Veniunt igitur ad illum beati Phantini monaſterii patres, hortantes ut deſcenderet, atque illis rectorem præficeret, quem ejus ſanctitas elegerit: erubeſcebant enim etiam eum ipſum nominare, cognoſcentes cujuſmodi eſſet. At is cedens illorum hortationibus, atque una in monaſterium ingreſſus, ingreſſus etiam ad eccleſiam orandi gratia, atque omnibus eum comitantibus, perfectis orationibus, germanus frater B. Phantini, Lucas nomine, accurrens, atque pedes ſancti apprehendens, juramentis illum, atque adjurationibus pertimeſcentibus, perque ſanctam Trinitatem, & ſanctos patres obſecrabat, ut eorum paſtor eſſe & ductor dignaretur. Quid igitur effecit vir ille ingenio acris? Detinentis manibus validior effectus, atque ad eumdem modum illius pedes amplexus, iiſdem vinculis quibus ille uſus fuerat ſupplicavit, ut ſcilicet ipſe talem provinciam ſuſciperet, qualem B. Nilo imponebat; erat enim & ipſe, quamvis ſacrarum ſcripturarum non admodum peritus, ſed nihilominus frater ad gubernandum idoneus & prudentia & vita. Compoſitis igitur omnibus ut Deo gratum erat; atque cum & fratres & rectorem benedictionibus, & admonitionibus communiſſet, & hac tentatione liberatus eſt benedicens Deo.

29. Tempus autem eſt deinceps Deo approbante, & de magno ac beato patre STEPHANO mentionem facere, qui ejuſdem ſtudii æmulator, atque concertator extitit, ut non ſolum arbor a ſancta radice cognoſcatur, verum etiam & a ſanctis ramis & fructibus laudetur. Spero autem, Deo adjuvante, neque hujus viri memoriam inutilem nobis fore, ſed quamvis magnarum actionum imitatores eſſe non poſſimus, tamen illorum memoria cum fide & operibus illorum factis, multorum peccatorum remiſſionem nobis conciliabit, ut didicimus. Hic Stephanus adhuc adoleſcens vigeſimum prope annum

S. Stephanus quale initium diſciplinæ.

agens, agreſti autem atque humili genere natus, patre orbatus, habens matrem & unam ſororem, tanta ſimplicitate ac bonitate, ut ſi quis illum Jacob patriarcham aut ſimpliciſſimum Paulum nominaret abbatis Antonii diſcipulum, non immerito id diceret. Hic monaſticæ vitæ amore captus, atque Chriſti evangelium ſupra matrem ac ſororem amplectens, ac ſibi ipſi anteponens, a Deo ad beatum Nilum directus eſt; atque cum illi ſole jam occidente aſſediſſet, ne unum quidem verbum dicens; ad illum pater, Quid quæris, inquit, frater? qui reſpondit: Monachus fieri cupio. Cui magnus Nilus, Si monachus, ait, fieri vis, ego oſtendam tibi monaſteria ad quæ proficiſcaris, hic enim non poſſes habitare, cum nihil ſit unde vivas, atque periculum eſſet ne fame perires. At is, Monaſteria, inquit, novi, ſed mihi non placent, hic autem mihi cordi eſt habitare. Rurſus rogatus an aliqua habeat, quumque reſpondiſſet quod verum erat, adhortabatur ut rediret ad nutriendam matrem ac ſororem. Atqui minime, inquit, redibo, non enim ego, ſed Deus illas alit. Denique cum non poſſet pater a ſe illum propulſare, dedit quod habebat dimidium panis: ipſe vero jejunus permanſit uſque ad craſtinum diem. Quum enim eſſet paraſceve, finem habebat & dimenſus cibus. Hic autem fuit alter annus illius adventus illuc. Videns autem pater illum natura ſimplicem atque ſegnem, quod contrarium erat illius urbanitati, triſtabatur quidem ejus ſegnitie atque cruciabatur, non tamen paululum illi objiciebat, ad evangelica præcepta mentem intentam habens: at illum admonens cum æquitate & manſuetudine, ſtudebat ſolertem atque urbanum eum reddere, cujuſmodi ipſe erat, nondum enim manifeſte ſciebat, quod natura ipſa haud facile mutatur. Ubi igitur ſe a ſcopo errare videt, ac tres anni jam perfecti ſunt, ſecum cogitabat pater, Num ſi frater aut filius, aut ſobrinus mihi eſſet, non & injuriis & convitiis ad correctionem uſus eſſem? experiamur igitur e converſo aliam corrigendi formam in illo, ne frater remaneat incaſtigatus. Tunc cœpit auſteris verbis illum increpare, ſæpe autem & manu perterrefaciebat, volens enim conſuetas orationes eum docere ac pſalterium, neceſſe erat & verberibus eum cogere; ipſe autem omnia ſuſtinebat æquo animo, atque neque duriſſimam exercitationem, neque aſſiduas vigilias extimeſcens, in omnibus æmulans magnum patrem; neque convicia & increpationes exoſas habens. Quare & a Deo ſervatus eſt diabolicarum tentationum expers. Sæpe enim interrogatus a B. Nilo, quibuſnam cogitationibus perturbatur, reſpondit, Quod ne unam quidem habeo cogitationem, tantum dormito plurimum, & ob id male me habeo. Tunc facit illi pater ſcabellum

Verbis duris & increpationibus, &c. ipſum probat.

unum pedem habens, atque ei dicit: Tu quidem habes pedes duos, & ſcabellum unum, en tres pedes, atque ita ſedens exercitationem non negligenter operaberis. Hic præceptum accipiens, nuſquam alibi deinde niſi ſcabello illo ſedebat, & in meditatione, in eccleſia, & dum comederet: Victus vero ſæpe a dormitione, atque in terram procumbens, interdum brachio, nonnumquam vero facie conterebatur. Rurſus profectus ad legumina coquenda, ac ponens pluſquam vas capax erat, vi repente effractum; quadam vero die cumulans omnia fragmenta oſtendit patri errorem ſuum confeſſus: hic autem ad illum: Et quænam utilitas qui mihi ſoli confiteris? abi ad monaſteria, atque hæc oſtende ut agnoſcant omnes quales nos eremitæ ollarum effractores. Tunc acceptis fragmentis adiit Phantinum ſanctum ac rem omnem enarravit. Ipſe autem intentionem divini ac ſibi conſentientis hominis aſſecutus, congregans omnia fragmenta ac funiculo illigans colloque appendens, fecit illum ita aſtare prandentibus fratribus, quo facto remiſit illum rurſus emendatum ad antrum ubi erat pater Nilus.

30. Obambulans vero aliquando B. Stephanus invenit aſparagos, quos colligens, coctos appoſuit in hora cœnandi. Sumens autem ex ipſis pater ac præter conſuetudinem exiguam voluptatem ſentiens, ſocium interrogauit an & ipſe eamdem delectationem ſentiret. Hoc autem annuente, extra projicere a patre juſſus eſt; hi enim, inquit, cum natura amari ſint, a diabolo conditi dulces evaſerunt; tantum patres ſancti continentiæ ſtudioſi exiterunt, ac naturam aſſiduo ſtudio ſuperabant. Ad hæc judicavit B. Nilus curare & impoſſibilem partem beati Stephani, atque illum mittit cum litteris ad virginem beatiſſimam Theodoram vere Dei donum exiſtentem, quæ eo tempore chriſtianam philoſophiam exercebat in loco quodam Arenario dicto, quæque paucis aliis virginibus præerat, anus ſancta, prudentiſſima, ſapiens, & ab incunte ætate monaſticam atque aſperam vitam ducens, cui neſcio an Roſſana tellus ſimilem progenuerit: quæ ut filium legitimum diligens ſanctum patrem, a juvenili ætate. Perſuadet ſuſcipere matrem ac ſororem ſancti patris in monaſterium, ubi legitime Domino ſervientes, ac magnopere acceptæ omnes annos vitæ perfecerunt. Cumque tempore meſſis ad monaſterium ſe contuliſſet B. Stephanus, meſſemque illic perfeciſſet, repetiit monaſteria, atque omnibus viribus cum fratribus collaborabat, duplicem pugnam exercens, continentiam ſcilicet atque quotidianum laborem.

Mittitur ad S. Theodoram.

31. Impiis ergo Agarenis omnem Calabriæ regionem incurſantibus eodem tempore, cum jam Mercuriacas regiones eſſent invaſuri, neque monaſterium intactum relicturi, neque monachum aliquem excepturi, fama pervulgata eſt, quod diffugerant ad caſtra propinqua. Tunc jam & beatus Stephanus, cum eſſet in magni Phantini cœnobio, aſcendit cum fratribus ad propinquum caſtellum, cum non poſſet ad ſpeluncam redire propter urgentem famam. At patere ſuperiore loco ſpeluncæ proſpiciens pulverem pedibus concitatum, atque adventantium Saracenorum multitudinem, ab illorum incurſationibus cogitavit abſcondi, ne deprehendatur ſimilis Dei potentiam tentanti. Capiens igitur aquæ vas, adiit occultum locum, ubi ſine timore latuit. Nocte autem illa ambulans per montem illum, atque ex conſuetudine David ſecum circumferens, immo Davidis regem, audiit ſtrepitum velut equorum pedum obambulantium, atque illum circumdantium; ac primum cogitans hominem aliquem eſſe nihil locutus eſt, pſalmum volens perficere; ut autem vidit illum, neque recedentem, neque appropinquantem, ait ad eum, quiſnam es tu? Ac ſimul dicto audit contritam urnam aquæ, atque illum evanuiſſe. Tunc beatus ille ex operibus artificem cognoſcens, cœpit rurſum pſallere ac dicere; *Circumdantes circumdederunt me inimici mei, & in nomine Domini ultus ſum eos.* Se autem reprehendebat atque cogitationem ſuam alloquebatur, Quod paulo ante hic nos ſit aggreſſus noſtra ſegnities in cauſa extitit, propterea quod ore theologamur, mente autem a ratione peregrinamur. Ac ſæpe dicebat nulla alia re adverſus monachos dæmones excitari niſi oſcitantia in oratione, neque attendere ſermonibus ex ore prolatis. Tunc igitur B. pater Nilus, quum dies illuxiſſet, ad ſpeluncam profectus, invenit etiam eo uſque Saracenos adveniſſe, neque abſtuliſſe aſperam tunicam, qua ipſe viciſſim utebatur, implentes illam malis agreſtibus quæ ibi erant. Deſcendens autem, & ad monaſterium, ac videns omnia ſubverſa atque deſolata, ſuſpicatus a Saracenis B. Stephanum fuiſſe comprehenſum ſive in ſpelunca, ſive in monaſterio. Cœpit igitur nimium triſtari, ac ſecum dicere. » Vere miſer Nilus, Stephanus in ſervitutem abiit, » vere enim expectans nos, aut hic aut in mo- » naſterio captus eſt. Vere dignum eſt nos » abire, & ſimul cum illo ſervire, atque hæc dicens lacrymabatur, timens impudentiam atque impuritatem paganorum. Coactus autem rurſus ponere animam pro amico ſuo juxta Domini præceptum; hæc igitur cogitans abit, atque in media via publica ſedet, expectans tranſitum Saracenorum. Non multum temporis interceſſit, & ecce adveniunt fere decem equites, indumenta, arma, faſces, ac totam denique Saracenorum figuram præ ſe ferentes; quos cum vidiſſet beatus pater, ſtatim ſurrexit, ac ſeipſum ſignans pretioſæ crucis ſigillo, ſtetit expectans illos; at illi a longe agnoſcentes

Saracenorũ incurſio in Calabriam.

agnoſcentes illum, deſcenderunt ab equis, & pedites advenerunt, atque illius pedes adoraverunt: auferentes autem a vultibus eorum vela, tunc agniti ſunt a patre ex oppido eſſe, quodque idcirco id faciebant, ut loca tutarentur, atque ab eis diſcens omnes fratres incolumes eſſe, cumque illis beatus Stephanus ad ſpeluncam rediit Deo gratias agens.

S. Stephanus ſportulam atque mandato ſuffam in ignem projicere jubet.

32. Abeuntibus autem Saracenis, rediit beatus Stephanus, ac priorem viam ſectabantur. Cum autem ipſe eſſet in monaſterio, erat quidam ſenex ibi tempore meſſis ſportulas componens, atque ab hoc diſcens contexere ſportas, fecit unam ſportulam atque in ſpeluncam attulit, exiſtimans patrem Nilum ea re gaviſurum. At is videns, ait ad illum: Veni frater Stephane, perficiamus & nos unum mandatum, ſi quidem ſine impoſitione atque conſilio hoc effeciſti, projiciamus atque comburamus ipſum, ita enim dicit magnus ille Baſilius; ac dicto ſimul ſurgens accendit flammam atque injecit ſportulam. Cum autem vidiſſet illum eam rem moleſte tuliſſe, neque cum gratiarum actione, ſed cum murmure, permiſit ſportulam prorſus comburi, atque eum liberavit ab affectione qua eam rem proſequebatur.

Pſalterium ſuum abeuntis dat.

33. Quodam autem die venit ſenex a quo edoctus fuerat ſportas contexere, quærens a patre ut concederet ſecum ire ad graminis inquiſitionem. Hic autem juſſus abiit. Habens igitur ſenex pſalterium, quum in quodam loco depoſuiſſet, oblivione traditum amiſſum eſt. Veniens autem ſenex ad ſanctum, pro amiſſo pſalterio cruciabatur; at pater videns eum vehementer triſtari, miſericordia in illum motus eſt, ac cœpit increpare beatum Stephanum ac dicere vere tu ſtolidus es, atque ſenſus expers, quare non exquiſiſti pſalterium? tuus eſt error; æquum igitur eſt ut tuum pſalterium auferat ſenex: atque auferens dedit ſeni, atque is lætus abiit.

Eutychius vir nobilis ipſius ſe diſcipulum efficit.

34. Alias rurſus eum miſit pater Nilus Ruſſanum, ut membranas emeret, atque profectus rediit cum alio quodam ſene nobili ex oppido Ruſſano nomine Georgio, qui interrogatus a beato patre quidnam vellet, reſpondit: » Sedenti mihi quodam die domi » meæ, atque vitæ vanitatem cogitanti, atque » peccata mea, occurrit mortis timor, atque » judicii exactio. Hæc igitur cogitans paulu- » lum dormitavi, & video me ipſum egre- » dientem per magnæ urbis portam, in qua » ſanctorum apoſtolorum collocatum eſt habi- » taculum, ubi audiens divinæ melodiæ ſoni- » tum, qualem numquam audivi, motuſque » ſum ut viderem quinam ſunt pſallentes, ac » deinde aſpicio totum locum plenum formo- » ſis eunuchis, atque albis veſtibus indutis ve- » lut angelis, atque inter illos ſtantem te quem » nunc video: in epiſcopi autem ſede admo- » dum ſpecioſum juvenem ac ſplendidum, cujus pulchritudinem impoſſibile eſt exprimere. Dum igitur ingrederer in templum, ac ſpectarem omni ex parte pulchritudines illas, atque audirem bene ſonantem melodiam, video duos ex his qui candidis veſtibus induti erant venientes, miſſos ab eo qui in throno præſidebat, ac mihi dicentes: Veni, vocat te ille Dominus. Ego vero multo cum timore profectus, atque ſtans coram illo, audivi ipſum tibi dicentem: Iens tondeas illum. Tu autem accedens me totondiſti, atque monachum feciſti. Statim ſomno excitatus, cœpi cogitatione dubius eſſe, ac dicere vere phantaſma eſſe quod mihi apparuit, neque a Deo miſſum. Ego enim numquam cogitavi monachus fieri, tamen illud mecum deliberavi, ſi eo die aliquis ex monaſteriis domum meam frater adierit, vere volùntatem Dei eſſe me monachum fieri: quod ſi hoc nequaquam factum fuerit, tamquam rem quæ temere evenerit me contemturum. Simpliciter autem egreſſus ad veſtibula, video ſtantem fratrem Stephanum, cumque didicerim ab eo adventus cauſam, ſtudioſe omnia bene diſpoſui atque te adii. Nunc autem ut Deo videtur, & tibi ſancto patri; fac in me. Hos autem ſermones audiens beatus & Deo amicus pater, ait ad illum: Nos, ô cariſſime frater, non Dei aut virtutis cauſa in ſolitudine hac ſedemus, ſed cum non poſſimus regularum monaſticarum pondus perferre, in hanc ſolitudinem conceſſimus procul ab hominibus, ut aliqui leproſi & peſtilentes. Tu autem bene facis animæ tuæ ſalutem procurans, abi igitur ad cœnobia, ubi & animo & corpore quieſces. Hic autem ut adamas ferri percuſſionibus non flectitur, ita hic ad patris ſermones quibus eum tentabat ſe habebat. Cum autem Dominicus dies adveniſſet, in quo cœnobia paulum corporalis refectionis ſumunt; ſecum adduxit illum pater Nilus ad Caſtellani dictum monaſterium, ubi abunde nutrimento pleni ac vino mediocriter ſumto, cum e menſa ſurrexiſſent, ait pater ad ſenem: Domine Georgie mane hic paululum, quouſque abiens ad viſitationem aliorum ſanctorum revertar. Hoc autem dixit, volens illum ibi omittere in reliquum. Quod animadvertens ſenex ſtatim reſpondit: Non eſt æquum, cariſſime pater, ſed quocumque dominus abit, eo & canem ſequi convenit. Admiratus autem pater illius exemplum, ſecum illum aſſumſit, atque uno animo redierunt. Ait autem illi Georgius in itinere: Exiſtimaſne mihi, optime pater, aliquid deeſſe domi meæ deliciarum, ac cujuſvis delectationis, atque ut puerum epularum frequentia me capi cenſes? Certo ſcias quod neque continentia, neque alia quævis afflictio me commovebit. Ego enim in multas regiones peragratus multorum bonorum ac malorum particeps factus ſum ac dominus,

» tuis precibus motus pater corroborare me; ut quæ mundanæ gloriæ causa perpessus sum, & eadem tolerantia & propter illius caritatem mala patiar. Ne quid igitur aliud deliberes, Deus enim me ad te misit: itaque fieri non potest ut a te separer. His auditis, magnus Nilus caritate majore eum prosecutus est, ac deinceps ut patrem illum observabat. At is contra plurimam illi fidem adhibens, ac sperans illius intercessione cœlorum regni se heredem futurum, amavit illum ut Deum. Verba autem quæ ab illius ore audiebat, aut admonentis, aut divinam scripturam interpretantis, ita accipiebat, tantaque delectatione in illis audiendis afficiebatur, ut & eamdem haberet affectionem quam is qui dicebat: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Quare & incredibilem tolerantiam illam sustinebat, repente ab ea in qua educatus fuerat consuetudine ad hanc translatus quam multi experti, illico avolarunt. Quod autem maxime mirum videri potest, id est, quod cum numquam litteras edidicerit, ita psalmos canebat ac regulas, ut omnibus audientibus de se admirationem præbuerit; cumque his & pater Nilus in illius nocturna ac concinna cantione plurimum recreatus fuerit. Principio igitur ut consuetus cum paulum temporis nactus esset, enarrabat ad aliquem quemvis quæ vidit & audivit in mundo, postea a patre interpellabatur ita eum increpante: Vah! qualis historiographus Lucas factus est aut Mathæus, atque is pulsans os, aut pectus suum surgebat: at solus existens tantum sibi maxillas percutiebat, seipsum increpans atque verberans, donec abunde lacrymasset.

Injuste damnatum sua prudentia liberat a cruce.

35. Cecidit autem tale quidpiam in castro Bisignano. Adolescens quidam illorum qui nimium sunt incompositi occurrit Hebræo redeunti a negociatione, atque captus amore ac desiderio eorum quæ ille ferebat, gladio hunc percutiens interfecit, atque auferens asinum illius cum onere, fuga usus est; detentus hujus affinis ab iis qui nunc publica administrabant traditur Judæis, ut pro interfecto Hebræo crucifigatur. Quod cum didicisset sapientissimus Nilus ab affinibus ejus qui condemnatus fuerat, ad injustos judices hæc scribit: » Oportebat quidem » vos legisperitos juxta leges & judicia pro» nunciare, secundum legem quæ præcipit pro » septem Judæis unum Christianum mori. Aut » igitur dent Hebræi e suis sex reliquos, ut in» terficiantur pro eo qui crucifigendus est: aut » si omnino vobis visum est bene latas leges » pervertere, is quem cum his litteris ad vos » mitto nobilis est ex primis Russani: detur hic » Judæis crucifigendus, ac pauper ille libere» tur, ut cum illo conjux ac filii misericordiam » consequantur. Vocans igitur abbatem Georgium B. Nilus, ac nihil illi revelans ex his quæ scripserat, dat ei epistolam atque Bisignanum cum mittit. Susceptis autem litteris ac lectis, judices aiunt seni: Ita, heu! frater, « pater scribit, ut demus te Judæis crucifigen- « dum, an tibi cordi est? Paratus, inquit ille, « sum omnia quæ Dominus meus scripsit per- « ficere. At si nemo est qui bene crucem sciat « componere, ego recte novi eam conficere. « At hi reveriti senis promtitudinem, atque ejus a quo missus fuerat magnificentiam, pauperem liberarunt, atque senem magno cum honore remiserunt.

Plures sibi conflantur discipuli.

36. Adhuc autem Sarracenis impiis per loca illa grassantibus, cum non possent sedere in speluncis beati patris (illac enim futurum erat iter ad Phrussatum.) Visum igitur patri de relinquere ea loca, atque apprehendere confinia patriæ, ibique permanebat, ubi sancti Adriani exiguum oratorium constructum erat, existimans numquam eo gentem aliquam venturam, propterea quod devius erat locus. Hoc autem facto, coeperunt quidam eorum, qui spiritu pauperes erant, quos ad propriam cœnam vocavit Dominus, adire ad patrem, & eum precari ut eorum societatem admitteret: at is misericordia motus, illos suscepit, illorumque corporum atque animarum salutem negotiabatur. Paulatim autem procedente tempore, congregati sunt usque ad duodecim fratres aut plures, & Deo coadjuvante, monasterium locus evasit, plurimis quidem regulæ asperitatem effugientibus, qui latam viam angustæ præposuerunt; at Dei amicis omnia tolerantibus, ut regnorum cœlestium participes evaderent.

Sibi detrahentes manifestius mitigat.

37. Erant igitur duo fratres consanguinei prope habitantes, qui a diabolo tentati, atque invidia percussi, coeperunt B. Nilo detrahere, atque in omnibus eum carpere; seductorem ac magum, hypocritam ac mendacem, ac quovis alio nomine appellantes. Quibus auditis, beatus pater studebat quovis modo eorum invidiam placare, atque extinguere, eorumque corda lenire, quod non multo post effecit. Illis enim calumniantibus, ac valde maledicentibus, hic e contra non desistebat benedicens, ac laudes multas apud omnes de illis nuncians, adeo ut sanctos illos vocaret. Cum autem rursus illi parum aliquid occasionis quærebant, aut jumento clausum aliquem locum transeunte aut quod sepes a ventis concussa fuerit, agressi justum illum, infinita convicia objiciebant impudenter pugnantes, atque contumeliantur. At pater admonens fratres, ut nemo aliquid responderet, gestans suo in ore Davidicum illud: *Posui ori meo custodiam, cum consisteret peccator adversum me*: abibat; atque illi ita eum videntes, vociferantes dicebant: Vides hypocritam, seipsum sanctum fecit, nos vero diabolos, nonne bene dicebamus nos, quia diabolus te huc adduxit, ut in diem præliaremur? At is audiens, nihil respondebat; sed vespera adventante aut

ſequente die, cum illos videbat ad cœnam ingreſſos, adiens illos pœnitentiam agebat, ab illis veniam petens; poſtea comedens cum illis, ac ſimul gaudens pulchra ſua conſcientia illorum animos placabat, ac cum gaudio ad ſuam cellam revertebatur. Cum autem aliquantum temporis proceſſiſſet, moritur frater major natu, qui in manibus ſancti patris, ſi quid poſſidebat, dereliquit. Inſuper & fratrem ſuum, atque ipſe omnia poſſidebat, Deo ita volente.

Ira abbatis Georgii obſecuta.

38. Quodam vero die venit filius abbatis Georgii in monaſterium, ſecum agens vitulos tres nimium pulchros ac magnos; vocans igitur pater Nilus ſenem, ait illi: Cur » hæc afferri huc juſſiſti? At hic ligans manus » ut ſi coram magiſtratibus aſſiſteret, cum timore reſpondit; Cariſſime pater, quoniam » laborant fratres ut quotidianum panem operentur, bonum eſt, ſi juſſeris, ut habeant » hanc modicam conſolationem. Ait ad illum » pater, Non opus habent his fratres, magis » illis expedit ut laborent, ſed abiens jugula » & diſtribue pauperibus. Statim autem ſenex audiens, & neque paululum moratus, accinctus manibus ac gladio abiit, & quod erat juſſus quamprimum perficiebat, ac penitus abſolviſſet, niſi a B. Nilo fuiſſet revocatus. Tunc agnoſcens pater eam in illius animo diſpoſitionem eſſe, quam in Abraham fuiſſe legimus, ne interficias eos dixit, quam brevis eſt utilitas; ſed duos dabimus indigentibus monaſteriis, in quibus major eſt frequentia; tertium vero partientes cum vicinis noſtris neceſſitatem noſtram explebimus, omne enim quod uſum excedit avaritia reputatur. Facientes autem, ut pater inſtituebat, eo anno frumentum multum collegerunt, & omnes laudarunt Deum ac glorificabant.

Fratres eum monaſterii comedentes dæmones agnoſcit & increpat.

39. Quodam vero die, tres fratres ad molendinum profecti cum tribus animalibus oneratis, poſt confectum ac tritum frumentum revertentes, cum ad monaſterium adveniſſent, vident in itinere pyram ignis accenſam, ac dicunt: Nunc in monaſterio jejunant, faciamus hic panem, ac comedamus: ne forte jejuni euntes, & nos cum illis jejunemus. Feceruntque ut conſtituerunt: at pater in ſpiritu eos videns talia facientes, juſſit cellarii præfecto, ut reverſis fratribus a molendino diceret: Comedamus panem. Statim igitur illis reverſis, ac rurſus cum beato Nilo & ſociis comedentibus, poſtquam e menſa ſurrexerunt, vocat illos pater ſolos » & dicit: Quare paruiſtis diabolo conſulenti » vobis in via panem facere atque comedere? » Numquid a monaſterio longe aberatis? An » mei ſervi eſtis, ut me extimeſcentes clam » comederetis? Vos fratres mei eſtis & panis » veſter labor eſt, neque aliquis invitos vos » coget bene facere. Hoc igitur cognoſcentes, » numquam aliquid contra canones faciatis.

A At hi audientes pœnitentiam egerunt, ac polliciti ſunt ſe numquam aliàs hujuſmodi delicta commiſſuros.

Item quod ea abſente mulier ingreſſa fuerit eccleſiam.

40. Aliàs rurſus cum pater in monaſterio non adeſſet, venit quædam virgo volens illum alloqui, neſciens quod magis eligebat cum aſpide, quam cum muliere converſari. At fratribus in cellis quieſcentibus, videns hæc in eccleſia neminem eſſe, ingreſſa orabat. Videntes autem illam ingreſſam fratres immurmurabant, quippe quæ præter ſolitum fecerat; At illa ediſcens patrem non ibi adeſſe, ſtatim abſceſſit. Deſcendens igitur magnus pater poſt quartum diem, ac fratribus ad orationem illius convenientibus, cœpit eos increpare ac dicere, Taleſne monachi eſtis vos, ut una mulier profecta vos conculcarit & coinquinaverit eccleſiam noſtram, vere magna pœna digni eſtis. At hi attoniti rei miraculo, pœnitentiam egerunt, ac veniam petierunt.

Georgii monachi obitus.

41. At vero beatus vere Georgius vehementer in Dei via proficiens, atque ei placens in continentia, afflictione, atque obedientia ſine diſcretione, atque humilitate maxima, propriæque voluntatis abnegatione, quod martyrium & eſt & nominatur, ad Dominum migravit laborum præmia percepturus. In hoc magnopere Deo gratias egit, certo ſciens quod vere probatam frugem atque acceptabilem oblationem primitiaſque Deo obtulit Georgium. At ipſe tenaciter in animo deſcripta habebat evangelii præcepta, illud ſcilicet, *Vos autem nolite vocari Rabbi neque Magiſtri;* numquam contentus fuit audire aliquod nomen quod gloriæ indicium aliquod haberet; ſed ſemper humilem animum gerens, ut quemvis alium fratrem ſe infimum oſtendebat. Quocirca & filiis deſertæ amplificatis, & in diem ab eo ſpiritaliter genitis, & ad evangelii normam paſtis, aliis principatus nomen omnibus diebus vitæ ſuæ tradidit, quorum unus erat & primus omni ex parte beatus ac ſanctus Proclus, vir ſæcularis diſciplinæ peritiſſimus, librorumque externorum ac noſtrorum, editorum atque edendorum poſtea proprium cor, bibliothecam quamdam compoſuerat, qui dicebatur, priuſquam monachus fieret, juvenis admodum adhuc exiſtens in caſtro habitans hujuſmodi exercitationem habuiſſe: ſingulis diebus jejunaſſe ad veſperam uſque, atque lectioni operam navaſſe, cibiſque & potibus ad libidinem inflammantibus abſtinuiſſe. Circumibat a veſpera uſque ad matutinum omnes caſtri eccleſias, pſalterium recitans totum, & ad ſingulas eccleſiarum portas pœnitentiam agens, quæcumque ſibi ipſi conferebat, nemo enim videbat exercitationem illius in occulto actam. Ad monaſticum ſtadium ingreſſus & a beato patre noſtro Nilo virtutis perfectionem adeptus, tantæ continentiæ & exercitationi ſeſe injecit,

De Proclo S. Nili diſcipulo.

ut mortificarit omnia ejus membra ſuper terram, acerbiſque ægrotationibus reſtiterit, uſque ad extremum ſpiritum. Sed cum actiones illius propriam pertractationem poſtulent, multum utilitatis lectoribus allaturam, ad Deum qui omnia novit, quique unicuique pro ejus meritis reddit, nos referemus, ad noſtri patris Nili narrationem revertentes.

Ingens terræ motus.

42. Eo tempore cum terræ motus ingens Roſſanum apprehendiſſet, multis cum imbribus nocte atque die ingruentibus; cumque hi qui ſuperiorem partem habitabant ad inferiora tranſmigraſſent, cumque domos atque eccleſias obruiſſet terræ motus ille, neque alia loca reveritus eſſet, niſi ſolam eccleſiam quæ ſanctæ Pacis nomine appellatur, admirabile atque horrendum omnibus ſpectantibus miraculum omnibus immutatis atque ex aliis aliis effectis. Quod autem maximam admirationem affert, illud eſt quod in tanta calamitate ne unus quidem homo aut jumentum periit. Hæc igitur multis beato patri narrantibus, attonito viſum eſt ingredi atque res geſtas videre. Modus autem ingreſſus hujuſmodi fuit: cum inveniſſet in itinere dejectam vulpis pellem, atque hoc capiti ſuo circumligans, amictum autem in virga ſuſpendens humeris geſtabat, ita pertranſiit totum caſtrum a nullo cognitus: pueri autem videntes ipſum in tali habitu obambulantem, ſequebantur illum lapidantes ac dicentes: Aha tu vulgaris monache, aliique Phranum illum appellabant, nonnulli Armenium, ipſe autem ſilens circumſpiciens omnia, veſpera jam facta, abit ad magnam eccleſiam, atque a capite projecta pelle, induens ſe vili amictu, ingreditur cum lacrymis nocturnis atque deſiderio ingenti adorare ſupra modum puram atque immaculatam Virginem Dei genitricem, ſuam ducem atque advocatam. Videns autem ipſum eccleſiæ ædituus qui Camiſcas dicebatur, qui ejus magiſter olim fuerat, atque alii quidam ſacerdotes, cum agnoviſſent beatum patrem eſſe, venerunt & ad illius pedes acceſſerunt, admirati in admirabili ejus adventu. Ipſe autem omnibus quæ utilia ſunt enuntians, multumque illos juvans atque a ſe dimittens, permanſit in eccleſia cum ſuo ipſius præceptore, illi conſulens ut e mundo exiret, atque ſuam animam ſervaret; qui numquam cum muliere fuerat colligatus, neque ventri aut gulæ deditus, neque ſegnitiei; avaritia autem tantum erat irretitus quantum muſca aranearum telis implicatur. Quare & » pater talem illi parabolam narravit: Qui ven- » tris neceſſitate coacti ſunt, merito ſervitia » tolerant: tu vero cum nulla ventris neceſſi- » tate detinearis, cur fruſtra affides iis, quæ » nihil a ſtercore differunt, atque putrem odo- » rem eorum participas? Ad hæc ille: Vere, » cariſſime pater, multi ſumus, qui tuam vitam » beatam dicimus, & ſæpe deliberavimus ſanctitatem tuam adire: ſed cum non poſſimus « ſine vino nos vivere, perterriti ſumus illud « facere: Venite, inquit, & facite vobis ipſis « novos utres concluſos, atque illos ipſos vino « implete, e quibus haurientes abunde bibite. « At eo rurſus excuſante excuſationes in pec- « catis, neque admonitionibus quieſcente, pro- « funda nocte magnus pater ſurgens, ab illis « regionibus ſeceſſit, uno tantum verbo ad « avarum illum dicto: Heu mihi, præceptor, « tunc pœnitentiam ages cum nihil proderit. « Quum igitur paululum temporis proceſſiſſet, ac ſanctus pater in monaſterio matutinos hymnos recitaret, dolor intolerabilis apprehendit illum, ut cum non poſſet miniſterium perficere, exierit, atque ſeipſum dejecerit in jacentem humilem lectum, atque ita dolores pertulerit. Interea ecce frater conſobrinus illius Camiſcæ curſim advenit, afferens epiſtolam ex ipſo ad patrem hujuſ- « modi: Veni, pater ſancte, aſſume multas « divitias quas importune atque inutiliter cu- « mulavi, ad meæ ipſius animæ perditionem, « ne forte diabolus eas corripiens, me exper- « tem lucri reddat: ecce enim jam morior, « & me divinum judicium ſuſcipiet. Hæc le- « gens pater, volebat quidem illum adire propriis viſceribus victus, laboribus autem graviter detentus, quod volebat nequaquam poterat perficere. Ait autem litterarum nuntio: Non opus habet Chriſtus avunculi tui « pecuniis, ipſe enim dixit: Reddite quæ ſunt « Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Is « vero ait: Age ambula, fortaſſe enim illum « vivum non offendes. At hic curſim rever- « tens, invenit illum mortuum, atque omnia illius a publico direpta.

Camiſcam ſuum olim magiſtrum avarum monet ut divitias dimittat & pœnitentiâ agat.

43. At ſanctus ſtatim poſt ſuam diſceſſionem, gravis illius opprimentis eum doloris admiratione ac ſtupore affectus eſt, ineffabilem Dei providentiam ſupra modum admiratus, quod volentem ipſum aliquid præter illius voluntatem perficere & invitum detinuit. Fratribus autem in monte operantibus, atque inciſas arbores præcipitantibus, eas, inquam, arbores quas exſcindebant, ut terram frugiferam efficerent eam, quæ antea lignifera ac ſilveſtris erat, dixit Spiritus ſanctus proprio ſervo, Exi ad montem eos viſere qui laborant, ſiquidem inimicus noſter diabolus circuit quærens quem devoret. Statim autem ſurgens ambulavit, ac toto illo die non deſtitit omnes fratres circumviſere, alloquens atque eos ad orationem hortans aſſiduam, & in nomine Jesu Christi adverſarium perſequi. Videns autem diabolus ducis ac rectoris cuſtodiam ſubditorum monachorum, circa horam decimam dejiciens magnam arborem, atque unum canem interficiens, abſceſſit confuſus. Quibuſdam vero fratribus canis mortem moleſte ferentibus, dixit magnus pater: Bene, ô fratres, divina vox juſſit ſemper orare nos, ne intre-

Fratres hortatur ut omnem tentationem aversentur.

mus in tentationem : volens enim diabolus fratri alicui ſuum ipſius furorem inferre, quem in canem oſtendit, prohibitus eſt ab angelo Dei, quemadmodum ait pſalmus: *Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* His ſermonibus & moribus eos docebat ſemper orare, atque ita dæmonum inſidias evitare.

Diſcipulorũ probat obedientiam in eruditione vitæ.

44. Ut autem & a rerum terrenarum affectione eos amoveret, atque eos erudiret, ut obedientiam & ipſi vitæ anteponerent, aliud fecit non minus quam reliqua memorabile. Mos erat B. Nilo ex virtute non ex natura profectum in omni re ſeipſum cul- B pare; unde ſæpe ſecum cogitans ſeceſſus ſuavitatem, & paupertatis vitam ſollicitudinibus vacuam, quodque cum fratribus ſedens monaſticæ vitæ ſtudioſus ad virtutem parum proficit, periculum autem eſt ne retro labatur. Hæc omnia conſiderans, multorum contubernio contriſtabatur, vel uſque ad verborum converſationem, quippe quæ a mentis contemplatione illum dimovebat, atque ab interiore ſtudio, cujus experti fuerunt ſoli Antonius, Arſenius, ac Johannes Colonus, Dei afflatu referti patres. His cogitationibus opponebatur apoſtoli dictum: *Nemo quæ ſua ſunt quærat, ſed ea quæ multorum ſunt, ut ſalvi fiant.* Viſum eſt igitur tentare ipſos in quodam perverſi mandati opere, & ſiquidem ſine diſcretione atque curioſitate juſſis aſſenſerint, admittere cohabitationem atque ſocietatem, ſiquidem ita & illi poterunt ſervare, & ipſe proprium ordinem ſervare : ſi vero reſtiterint, ad ſeceſſum redire. Ob hanc igitur cauſam matutinis hymnis una in eodem loco concinentibus, ait ad illos magnus pater : Multa vincta plantavimus, ô patres, idque nobis pro avaritia imputatur: propterea quod plus eſt quam noſtro uſui D conveniat; venite exſcindamus ex ipſis, neque derelinquamus niſi quantum nobis ſatis ſit. Hæc dicens ac videns illorum conſenſum, ſumens ſecurim in humero advolavit ad pulchriorem ac fœcundiorem vineæ partem. Itemque omnes eum ſecuti ſunt, ne unum quidem verbum proferentes, neque dixerunt: Homo inſanit, & neſcit quid facit, hoc numquam factum eſt neque auditum, ſed oratione facta cœperunt ſe percutere a matutina uſque ad tertiam horam. Tunc intelligens pater filiorum obedientiam concertantem cum his qui patrum ſanctorum E memoria ea virtute excelluerunt, dedit Deo dextram nihil eis præferre ad extremum uſque ſpiritum. Eo igitur opere celebri effecto per omnem Calabriam atque Siciliam, nemo poterat rei cauſam comprehendere. Sed hi quidem dicebant monachos ebrios effectos; hi vero, quoniam pater iratus eſt; alii quod cum multa ſint vineta, ea agricolari non poſſint. Neque hoc mirum, cum neque ipſi qui incidebant, hoc ſcirent, niſi hi quibus A ipſe magnus pater myſterium narravit.

Præparatos ad menſam piſces dat pauperi.

45. Cum olim ſancta dies Paſchæ advenisſet, attulit quiſpiam in monaſterium piſces pulchros ac magnos unius cophini pleni, ut fratres paululum conſolationis ſumerent ex longo & multo jejunio, atque abſtinentia. Cumque vidiſſet pater eos paululum exhilaratos ex piſcibus illis, permiſit quidem illos ſquamis mundaſſe, laviſſe, atque ad coquendum præparaſſe : quumque quidam mendicus adiiſſet monaſterium, dedit illi omnes illos piſces, ne unum quidem derelinquens. Ita eos erudiit ex animi affectione pſallere illud, *Domine, ante te omne deſiderium meum.* Atque illud, *Pars mea es, Domine, & ſors nimium optabilis.*

46. Oratorium quoddam eſt in ſummitate Roſſani jucundiſſimum, nomine ſanctæ Anaſtaſiæ, conſtructum quidem ab Eupraxio regio judice Italiæ atque Calabriæ : monaſterium autem beatæ Virgini dicatum erat. Hujus præſidentiam ſuſcepit ab eodem Eupraxio Conſtantinopoli commorante monachus quidam nomine Antonius, qui pecuniarum facultatibus præditus, atque a morte ſollicitatus, veritus principum rapacitatem, C ad aſylum ac turrim confugit beatum patrem Nilum, huncque omnium bonorum ſuorum procuratorem conſtituens, ita deinde tranquilla mente e vita migravit. Quod audiens Dei diſpenſator, & miſericordia commotus, non tantum ob mortuum, quantum ob ſtatum monaſterii (erat enim ex illo tempore everſum ac diſperſum) ingreditur ad urbem, & quæ relicta fuerant a defuncto pauperibus partitus eſt & eccleſiis & monaſterio; omnem autem operam adhibebat Virginum monaſterium inſtituit. manſionem illam ſtabilire, & virgines ibi collocare, quæ profeſſione dignæ eſſent, quod D Deo adjuvante perfecit, omnes diſperſas congregans, & gubernatricem illis præficiens condignam : adhortatus omnes caſtri habitatores earum curam ſuſcipere, ut imbecillioris partis, & magnam virtutem inde profecturam : hoc addens, Si quis veſtrum mortuus fuerit, & voluerit conjux illius deinceps caſte vivere, non habens autem quo confugiat, ne ſecundis nuptiis copuletur, veſtrum eſt delictum, qui non datis operam, ut talis urbs unum monaſterium virginum habeat.

Viſitatus a metropolita & aliis. Terrore eis incutit divini judicii.

47. Cum autem adhuc ille in caſtro moraretur, ac paulum a morbo eſſet detentus, E ingreſſus eſt & metropolita Calabriæ THEOPHILACTUS, cum ipſo autem & domeſticus Leon viri litteratiſſimi ac ſapientiſſimi. At pater noſter Nilus fugiens populi perturbationem, atque amicum ſibi ſeceſſum ſemper amplexus, exiit paululum ab urbe ad templum eremi ſtudioſi ac Baptiſtæ Johannis, cujus vitam imitabatur, ibique Deo converſabatur, atque Chriſtianæ philoſophiæ vacabat. Exiit autem ad ipſum metropolita, do-

meſticus atque reliqui domini, atque ex ſacerdotibus nonnulli, populique pars non minima. Deliberarunt autem in via quid quis interrogaret divinæ ſcripturæ ſecretorum, non tam diſcere quam tentare illum volentes. Sedens autem ex adverſo ſanctus ille, ac videns illos ad ſe venientes, ſecum ait: Ecce nunc hi venientes ad ocioſos ſermones nos injicient, ſed Domine JESU CHRISTE libera nos a laqueis diaboli, & da nobis intelligere ac loqui quæ ad rem fuerint, atque ea facere quæ tibi placita ſunt. Atque hæc cum oraſſet, aperit quem in manibus habebat librum, & caſu incidit ad revelationem factam beato ac ſancto Simeoni, qui in admirabili illo monte commorabatur. Illis igitur accedentibus, ac per adorationem ſedentibus, dedit magnus pater librum domeſtico ut legeret, ubi ſignum erat. Is aperiens os cœpit nimium eleganter ac prudenter legere; cum autem veniſſet ad locum ubi dicit, ab decem millibus vix unam animam inveniri in inſtantibus temporibus quæ ad angelorum ſanctorum manus perveniat, cœperunt omnes velut uno ore dicere, Abſit, non eſt hoc verum, hæreticus eſt qui ita dixit. Ergo & nos fruſtra baptizati ſumus, crucemque adoramus, ac participamus Corpus ſanctiſſimum, ac Chriſtiani dicimur. Hæc & conſimilia omnibus contradicentibus, videns beatus quod metropolita & domeſticus nihil ipſis dicunt, manſuete reſpondit: Si autem vobis, inquiens, oſtendam & magnum Baſilium, Chryſoſtomum, Ephrem ſanctiſſimum, necnon & Theodorum Studitem, ipſumque Apoſtolum, ipſum denique ſanctum evangelium idem & ſentientes & dicentes, quid patiemini vos inconſiderate ora veſtra patefacientes & Sancto Spiritui contradicentes, & ſanctorum patrum horribiles ſermones hæreticis nominibus ſubjicientes propter veſtram ipſorum pravitatem. Dico autem vobis, fratres, quod ex omnibus quæ decreviſtis, nulla vobis gratia apud Deum, quæ idola aut quam hæreſim omittentes ad Chriſtum accurriſtis. Audet aliquis veſtrum dicere me eſſe hæreticum, & ingredietur in ſuam ipſius urbem, neque ab omnibus lapidabitur atque interficietur? Igitur vobis certo perſuadeatis, quod niſi multa virtute præditi eritis, nemo vos ex pœna eripiet. His ab omnibus auditis, nimium attoniti cœperunt ingemere ac dicere: Væ nobis peccatoribus ac miſeris.

* f. honorabiles.

Propoſitas ſibi de ſcriptura varias difficultates ſolvit.

48. Ait autem illi Nicolaus protoſpatharius: Quare pater evangelium dicit, *Qui dederit uni ex minimis poculum aquæ frigidæ, non perdet mercedem ſuam?* Hoc, inquit pater, ad eos qui nihil habent dictum eſt, ne quis ſe excuſet ſe ligna non habere ut aquam calefaciat. Quid autem facietis vos, qui & ipſum aquæ frigidæ poculum a paupere aufertis? Hoc autem tacente, ſurgit alter & ait: Vellem audire, ſancte pater, ſi ſervatus eſt admirabilis Salomon an periit? Agnoſcens autem in ſpiritu fornicationis paſſione detentum, reddidit illi reſponſum: Vellem & ego de te, ſi ſalvus eris an perdendus: quæ enim utilitas mihi eſt Salomonis ſalus aut condemnatio? Non enim illi, ſed nobis præceptum eſt: *Quicumque aſpexerit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam.* Atque illud: *Si quis templum Dei corrumpit, corrumpet hunc Deus.* De Salomone vero quia numquam invenitur in ſacra ſcriptura pœnitentiam egiſſe poſt commiſſum peccatum, quemadmodum invenitur Manaſſes, quis poteſt dicere ſalvum eſſe? Ad hunc ſurrexit quiſpiam ſacerdos & ait: Sancte pater, quodnam fuit lignum quod comedit Adam in paradiſo & condemnatus eſt? Agreſte, inquit hic, malum. Ridentibus autem omnibus, ait S. Nilus: Ne rideatis in hoc, qualis enim fuit interrogatio, hujuſmodi fuit & reſponſio. Lignum illud Moyſes non nominavit, magiſtri omnes energiam dixerunt, id eſt effectum, ſpeciem autem non viderunt; quod autem ſcriptura occultavit, qui nos revelare poſſumus? Tu autem omittens inquire quomodo formatus es & poſitus in paradiſum. Tu enim, ut Adam fuit, es; & quodnam mandatum immo mandata, quæ cum acceperis non ſervaſti, quocirca & a paradiſo, quin a regno expulſus es: prætermittens etiam ſcire quomodo poteris ad paradiſum reverti, id eſt ad priſtinam gloriam & honorem, interrogaſti nomen ligni ediſcere, quod unum ex omnibus eſt, quodque cum didiceris majorem dubitationem afferet, quænam folia & quæ radix? quis cortex, magnuſne an parvus? Ecquis poteſt interpretari quod numquam oculis vidit? Reſpondit domeſticus & ait: Interrogabo & ego, pater. Quidnam eſt quod dicit theologus Gregorius, quonam pacto ſervabit facile aliena, qui perdidit propria? At pater ad illum: Id tibi dixit ille magiſter, ne confidas, ut per mulierem poſſis ſervari, quod & Apoſtolus puniendum eſſe dixit, quidnam ſcis mulier ſi virum ſervabis, omnino illa conſuetudinem habente virum perdendi. Si enim illa quæ ex Adam carnibus exiit, & conjuncta illi exiſtens, atque, ut ita dicam, ſoror aut filia, immo vero plus quam hæc, tranſgreſſioni virum ſubjecit ac perdidit; quomodo ad virtutem applicabit, ac ſervabit a te aliena, ſententiâ, poſitione, habitu ac formatione? Attende igitur tibi ipſi & a conjuge tua tibi caveas: hæc illi dicens & alia multa parabolis quibuſdam ad monaſticam vitam illum adduxit. Omnino enim illum amabat propter prudentem ipſius animum. Hic reſpondit: Vere, pater ſancte, omnia utilia conſulis atque admones: Sed ait ſanctum evangelium, quod *quos Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Reſpondit

illi magnus pater, Si quidem homo separat bene dixisti, ne separet; si autem est separans verbum ejus qui dixit: *Qui non dimiserit domos, aut fratres, aut conjugem, aut filios, aut reliqua, non est me dignus*; quis est qui hoc quod Deo placet impediat? Ecquis scit an Deus sit qui conjunxerit, & non corporeus amor, atque carnis voluptas? Quemadmodum Apostolus ait, quod propter adulteria unusquisque suam ipsius conjugem habeat. Hæc & plura his audientes, magnamque utilitatem assecuti, redierunt admirati virtutem, atque beati illius sapientiam, adeo ut ipse metropolita dixerit: Deus scit, magnus hic monachus est.

Oblatam medicinam accipere renuit.

49. Crastino autem die cum descendisset illinc sanctus Nilus, atque ad castrum introiisset, adiit illum Judæus quidam nomine Domnulus, qui erat illi notus a juventute sua, propterea quod legis nimium erat peritus, atque artis medicæ eruditus. Cœpit igitur hic ad beatum dicere, audivi exercitationem virtutis tuæ, atque multæ continentiæ, & agnoscens mixtionem & compositionem corporis tui, admiratus sum quomodo non incidisti in morbum comitialem; sed si jubes ego nunc dabo tibi medicinam ad complexionem tuam, ut illam habens omnes vitæ tuæ dies nullam infirmitatem timeas. Ait illi magnus Nilus: dixit ad nos ex vobis Hebræus quidam, *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine*. Confidentes igitur nos ad medicum nostrum Deum, & Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, non necesse habemus tuorum medicamentorum. Tu autem non aliter poteris simplices Christianorum irridere, ac seducere, nisi jactando postea quod tua pharmaca Nilo impartieris. Hæc audiens medicus nihil sancto respondit.

De Deo loqui cum jubet.

Erat autem alius cum ipso qui ait, dic nobis aliquid de Deo; optamus enim aliquid a te de Deo audire. At pater ad illum: Similis est ô Judæe, sermo tuus homini imperanti puero, ut manu apprehendat sublimem arborem, & ad terram illam detrahat. Tamen si vis paululum de Deo audire, cape tuos prophetas cum lege, & veni in eremum ubi ego secedo, ubi attendens lectioni tot dies quot Moyses in monte, interroga postea, & ego respondebo: Vacate enim & videte, quoniam ego sum Deus. Etenim si nunc aliquid tibi de Deo loquar, super aquam scribam, & in mare seminabo. Responderunt simul, & dixerunt: Non possumus hoc facere; etenim extra synagogam expelleremur, & a propriis lapidibus obrueremur. Ita, inquit pater, & patres vestri in infidelitate mortui sunt, ut ait evangelista, quod multi ex primatibus crediderunt in JESUM, sed propter Judæos non confitebantur, ne a synagoga ejicerentur, dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei. Hæc cum dixisset, discedens ab illis ad monasterium & cellam reversus est, ut contemplationi, & divinarum scripturarum indagationi vacaret.

Irridentibus vestem monasticam, futuram Dei ultionem prædicit.

51. Et paulopost exeunt ad illum Nicolaus protospatharius, & domesticus Leon, cupientes audire utilem doctrinam, atque illius admonitionem. Atque cum jam satis collocuti essent, atque admoniti; sanctus in suam cellam ingressus est, Deo rursus operam daturus: illi autem extra quodam in loco recumbentes in gramine, & exiguum amictum cujuspiam fratris invenientes, vicissim suis capitibus imponebant, domesticus inquam & protospatharius ridentes, simul atque jocantes; quod perspiciens sanctus per fenestram, atque illorum nugacitatem cognoscens, vehementer increpavit, atque ait: Quod vos nunc irridetis ecce veniet hora in qua quæretis magno cum desiderio eo indui, & indigni reputati eritis. Et simul cum hoc prophetico sermone horror, atque capitis dolor domesticum apprehendit, qui confestim domum repetens atque in lectum se dejiciens, jussit vocari sibi aliquem piorum sacerdotum, qui profectus interrogavit vocationis causam, atque invenit illum mortuum; quo facto timor injectus est his qui cum illo a monasterio redierant, atque omnes admirabantur S. Nili prædictionem.

Eupraxi S. Nili contemtor divinitus punitus.

52. At quidam improbi atque adulatores homines Constantinopolim adeuntes detrahebant atque calumniabantur homines ad aures regalis Eupraxii; quod scilicet ejus monasterium dissiparit, & Antonii res ad se transtulerit; qui hujusmodi calumniis deceptus, scribit cuidam suorum procuratorum sancto Nilo minans, ad eum modum: Quod Deus me sanum dignabitur istuc conferre, ut videam quisnam est iste monachus Nilus, & regius Eupraxius. Cum autem ipse cum superbia & arrogantia multa advenisset, & constitueretur a regibus judex Italiæ, atque Calabriæ; omnes optimates regionis accedebant ad illum cum donis & adulatione, ejus protectionem & auxilium aucupantes. At divinus pater noster Nilus, ne videretur, aut minas hominum extimescere, aut confidere in principibus, quos propheta cum contemtu vocat filios hominum; atque in eis nullam ait esse salutem; neque cum adulatione aut assentatione accessit, neque donis minas illius temeritatis placavit: quiescens autem solum in proprio monasterio Deum precabatur, pro totius mundi ac principis animæ salute, quæ res in majorem furorem inflammavit superbum illum ab omnibus honoratum, & a sancto manifeste contemtum. Quapropter petiit inquirere adversus sanctum iniquitatis occasionem: non enim possibile est cognosci vestigium serpentis supra petram, quemadmodum neque pravitatem principis in viro coronato. Ea igitur in re persistenti,

ac perverſe agenti repentina pernicies invecta eſt, & oratio venerandi patris eum anticipavit. Morbus enim quiſpiam cancer nomine in glande membri virilis exortus, medicorum circuitus infectos atque inutiles reddidit, pœnaſque exigebatur intemperantiæ inſtrumentum, propterea quod intemperanter naturæ leges injuria affecit. Reſipiſcens igitur ac redarguens ſuam ipſius adverſus ſanctum temeritatem, erat enim prudens vir, etſi poteſtatis excellentia excœcatus erat; ſervus apparet qui nuper minax ac ferox erat, ſi quo pacto ſolum & illius viſu dignus fieret, ac benedictione, & venia. At pater ad præſens remorabatur, ut eum de facie cognoſceret; neque illum ad monaſterium proficiſci ſuſcipiens, neque ipſe volens ire, & votis illius ſatisfacere ad eum modum ſalutem illi operans. Sciebat enim in tempore proprio, & ſuperbia opportune adverſus arrogantes uti. Ut igitur per triennium a Deo miſſus morbus ille paulatim occultas partes conſumens, acceſſit deinceps maxime opportuno membro & mortem minabatur hujus interitu. Tunc illum adit animæ medicus illius epiſtolis adductus. Videns igitur ſanctum regius Euprax, & apprehendens pretioſos illius pedes, tantam lacrymarum multitudinem effundit eos exoſculans, ut omnes aſſiſtentes, & una ipſe pater Nilus collacrymaret. Nihil enim aliud erat videre, quam meretricem in cordis compunctione ſervatoris pedes detinentem, ac peccatorum veniam petentem. Videns autem pater illum luctu ſatiatum, ut infantem propria mamma; extendens manum apprehendit atque illum erexit. At is omnibus jubens exire ab eo cœpit aperire cum animæ paſſionibus, & corporis morbos, & cum lacrymis dicebat, En cariſſime pater triennio nocte & die hoc graviſſimo morbo cruciatus ſum acerbiſſimis doloribus atque putri odore vexatus, quem neque unguentorum multitudine attrita, neque pannorum vetuſtorum crebra mutatione, quæ ſepties in die fit, a me poſſum ejicere. Erat autem malum, ut beatus dicebat, ſub veſica veluti urinæ profluvium liquefactum & habens nihil ex ſeparatis membris. Rurſus igitur manus juſti retinens regulus & lacrymis illas implens dicebat, miſerere mei propter Dominum imitator Chriſti, & dignare pretioſis iſtis manibus me tondere intemperantiſſimum, ſi quidem vovi me monachum fieri. Ait autem illi pater, Non licet tibi homini prudenti, ac nimium perito vulgarium hominum verba ſentire aut loqui, omnes enim divino baptiſmate digni facti, qui ab omni peccato incommaculatum non ſervarit illud, ſine omni confeſſione debent rurſus beatum hoc baptiſma, quod ob multam miſericordiam ac bonitatem Deus hominibus elargitus eſt, divitibus ac pauperibus, regibus ac ſervis, ſacerdotibus ac pontificibus, omni denique animæ volenti in uno temporis momento rejuveneſcere velut aquilæ juventus, atque omnibus prioribus delictis liberari. Quod autem dixeris ut te tonderem, non eſt penes me id facere, cum nullum habeam ſacerdotii ordinem. At hic eſt metropolita (forte enim tunc illuc erat) metropolita, inquam, ſanctæ Severinæ, hic epiſcopi & archimandritæ ſunt, ipſi tuis votis ſatisfaciant, at ego quis ſum ut eo munere fungar? Is rurſus manus exoſculans divini patris adhortabatur, ſimul adjurans ne alicui alii hujuſmodi opus prætermitteret; ſed per illum ſancto atque apoſtolico habitu indui, & apud Deum ejus interceſſorem fieri. Illius igitur lacrymis pater adductus, propriis manibus eum totondit, & ſanctæ humilitatis indumenta eam induit, molle & circumfluenti veſte antea uſum, præſente metropolite Stephano, cum epiſcopo caſtri, atque aliis nobilibus & ſacerdotibus.

A S. Nilo ſacerdotium indutur.

Reſipiſcens ſanatur.

Cupit fieri monachum.

53. Præſto autem erat & Domnulus Judæus medicus, de quo & ſupra mentio facta eſt, omnia ſpectans, atque egreſſus cum admiratione præſentibus dixit: Hodie vidi miracula quæ olim facta eſſe audivi; nunc prophetam Daniel leones manſuefacientem, quis enim umquam potuit manum huic leoni imponere? Ac novus hic Daniel, & comam abſcidit, & cucullum impoſuit. Et hæc quidem Hebræus. Regulus autem poſt factum omnem evangelicum ordinem in illo, adhortatus omnes ad guſtandum, omniaque ipſe diſponens, aſſiſtebat veluti famulus promtus ad miniſtrandum, qui non multis ante diebus e cubili non poterat proſpicere, roboratus Spiritus-ſancti & ſancti viri gratia. Juſſus autem aſſidere ſancto petiit, ut poſt menſam depoſitam ipſe comederet. Quo facto, omnes obſtupuerunt in corroboratione, & promtitudine viri, ac Deum admirabantur. Ad hæc omnia bona pauperibus, eccleſiis atque indigentibus manu propria diſtribuens, omnemque ejus familiam diſponens, & libertate donans, tertia die migravit ad Dominum, cum omni contritione atque gratiarum actione, fideque ac ſpe plena ac forma excedens ad eum, qui per prophetam dixit: *Nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur, & vivat vitam æternam.*

Pie obiit.

54. Poſtea vero quam depoſitum fuit ejus corpus in monaſterio S. virginis Anaſtaſiæ, adit divinum patrem dictus metropolita, oſtendens illi baſilici teſtamentum; ubi mobilium atque immobilium ejus facultatum eum procuratorem conſtituit. Quod videns beatus ille, atque animadvertens illarum rerum occupationem diaboli laqueum atque inſidias eſſe; omnia committens eidem metropolitæ juſte diſtribuere, tamquam omnia inſpicienti Deo reddituro rationem, ipſe ad proprium monaſterium rediit, ſibi ipſi atque Deo incumbens, atque obediens ſanctis angelis

Nilus renuit fieri procurator bonorum baſilici.

gelis admonentibus, atque collaudantibus: *Transmigra in montem tamquam passer*, quoniam qui ex nobis sunt peccatores intenderunt arcum humanarum rerum, scilicet procurationem atque studium, & paraverunt sagittas in pharetra, id est eas, quæ ab illis mentibus injiciuntur pravas cogitationes, quibus in obscuro sagittare machinantur dæmones rectos corde.

Puris Polyeuctis filium a dæmone liberat.

55. Hoc igitur cum admirabilis pater una cum sanctis fratribus Deo in orationibus offerret, venit quidam ad illum militiæ dux, Polyeuctus nomine, ab habitatione Mesiviani Calabriæ, afferens secum suum filium a validissimo dæmone detentum. Procumbens igitur ad pedes beati patris, adhortabatur illum ut misereretur ejus filium, ut a gravi spiritu eum liberaret. At ille vere imitator Christi humilitatis, Crede, inquit, homo, numquam Deum obsecravi, ut humilitati meæ curationum dona mihi largiatur, aut pravorum dæmonum fugationem; utinam multorum peccatorum veniam a Deo possem impetrare, & liberationem pravarum cogitationum quæ mihi semper negotium exhibent. Veni igitur frater potius & pro me Dominum obsecra, si quo pacto a dæmonibus me circumdantibus possim liberari. Tuus enim filius unum dæmonium habet, idque invitus, fortasse & ad salutem propriæ animæ, sive ad præteritorum peccatorum redemptionem, sive ad futurorum sectionem. Egò vero mea segnitia, ac negligentia singulis diebus servus fio infinitis dæmonum ad meæ ipsius animæ perditionem. His dictis, secedens paululum dies quosdam latuit, timens ne quo pacto sano effecto eo qui a dæmone correptus fuerat, exiret fama per totam regionem, neque permitterent illum in loco illo quiescere. At Polyeuctus muniens seipsum fide & spe, tolerabat in monasterio jejunans, ac se affligens, atque cum lacrymis dicens: Non recedam hinc, quousque filius meus curatus sit. Videns autem beatus divinam ejus fidem, ac patientiam, misericordia motus est in illum, atque in ejus filium, & monasterium petens secum tristabatur, dicens; Quid huic viro faciam nescio, utrimque enim nobis tentatio inest, sive sanetur ejus filius, sive non. Tamen nullo pacto volens neque aspicere dæmone illo correptum, vocans sacerdotali ordine indutum jubet illi ire ad oratorium, & orantem super infirmum oleo candelæ eum ungere ac dimittere. Ea autem re facta, adolescens ille statim sanatione dignus factus est, dæmone per illius sensus veluti fumo egresso. Quod videns ejus pater, & gaudio cum admiratione affectus est, assumit eum & procumbit ad genua ipsius, Deo atque illi gratias agens, qui solo jussu dæmonem a filio fugaverat. Infremens autem illi B. Nilus, interminatus est ne cui diceret, Deus enim tuum filium, non ego curavi, & benedicens illis dimisit domum in pace glorificantes Deum. Eo autem modo multos a dæmonibus admirabilis ille curavit monachos ac laicos, hos quidem oleo per sacerdotes ungens, ipse numquam admittens ne manus quidem signo eos notare. Hos vero mittens ad beatorum apostolorum & martyrum monumenta quæ Romæ sunt, qui in via mundabantur, beato patre apertissime illis apparente ac dæmones ab illis fugante. Id autem factum est ne eorum fides in sanctum vana appareret & labor ad eum confugiendi inanis. Etsi enim propter animi humilitatem, pro illis manifeste non orabat, vitans humanas laudes: sed humanitate victus, ab occulto cellæ loco ardentibus orationibus dæmones fugabat, ac morbos expellebat, quæ omnia si singillatim vellem litteris mandare, deficeret mihi tempus: satis est autem piis ex parte totum conjicere ut ex unguibus leonem. Dedit autem illi gratiam omnium rex Deus non solum omnes afflictos, ac variis morbis detentos curare; verum etiam & urbes integras periculis eripere. Declarabit autem hoc ita esse id quod dicetur.

Russanis tumulti antibus veniam impetrat.

56. Dominabatur olim utriusque regionis, & Italiæ, & Calabriæ, nostræ regionis victor Magistrus, primus, ac solus dignitate præditus a piis regibus ad dictas regiones missus; quarum Magistrus magnificentia ac dignitate elatus, consilium iniit humanis cogitationibus acceptum, atque utilem, divinæ autem voluntati prorsus adversantem, ut finis ostendit. Cogitavit enim in unaquaque Calabriæ regione perficere navigia, & ipsis non solum custodire, ac tutam servare quam obtinebat regionem; verum etiam & vicinam Siciliam inimicam vastare. Id autem non ferentes Russani cives, ut insueti hujusmodi ministeriis servire, his jam confectis, cum essent mare ascensuri, zeli fervore accensi, quo super omnes Calabros afficiuntur, simul irruentes, ac tumultuantes navigia combusserunt; & eas quæ caravellæ appellantur secuerunt. Id autem in maximam iram adversus Russanenses Magistrum excitavit; quippe qui & reliquis castris auctores extiterant, ut idem facerent. Quod animadvertentes Russanenses, condemnata priorum imprudentia, duorum alterum decreverunt, aut prorsus solum versare, atque aufugere, maloque malum mederi: aut pecuniarum effusione rem placare. Cum autem neutrum illis cederet, consilium ineunt nimium utile, ad inconcussam turrim patrem Nilum confugiunt, eum hujusce rei intercessorem opponentes, qui sua virtute furorem principis sopiret. Tunc admirabilis vir nihil immoratus, sed Christi nomen opponens, urbem adiit, & civibus decentia consuluit, cui parentes fores patefaciunt, sibi persuadentes Magistrum iram sedaturum.

Cum omnes autem ſacerdotes nobiles ac magiſtratus ejus vultum formidarent, ſolus Dei ſervus occurrit, & pro omnibus cauſam dixit; cujus virtutem princeps reveritus, atque loquendi libertatem admiratus, ſimulque relucentem in illo Spiritus ſancti gratiam, hujus prævaricationis judicium ei commiſit, ad quem ſanctus benigne admodum reſpondit, Fatendum eſſe, inquiens, malam atque inordinatam rem geſtam eſſe, ſed ſi excellentium quorumdam virorum fuiſſet opus, merito iraſci poſſes, ſed cum præcipue multitudinis conatus hic ſit, licetne tibi tantam multitudinem gladio interficere, & urbem omnino hominibus vacuam reddere, quod neque Deo, neque regi gratum extiterit? Ad quem Magiſtrus, Non, inquit, gladio trademus illam, neque interficiemus, ſed illorum bona proſcribemus, & fiſco applicabimus, ut hac pœna emendati, non amplius aliquid hujuſmodi aggrediantur. Et quænam, inquit ſanctus, tuæ excellentiæ erit utilitas, ſi regia marſupia onerans, tuam animam perdes? Quomodo tibi remittentur a Deo debita tua, non ſolum a Deo ſuperno rege, ſed etiam a terreſtri principe, non dimittenti his qui ſimpliciter atque imprudenter adverſati ſunt tibi, hodie exiſtenti & cras ablato & morienti? At ſi nobis objicis regiam majeſtatem, neque crimen vis abſolvere, permitte me ad illius pietatem ſcribere, me, inquam, humilem & abjectum, & ſi quid juſſerit ejus pia majeſtas omni cum promtitudine perficiemus. Ad quem Magiſtrus, Novimus, inquit, regis in te benevolentiam, & propterea damus tibi tantum nummorum mulctam quæ ſupra duo millia eſſet. Quod autem magiſtratuum capita fregerint & ignominioſa verba haud æquum eſt impune prætermittere. At S. Nilus & horum veniam impetravit, ſolutæ pœna non plus quinquaginta nummis.

Pro reverentia S. Nili parcitur Gregorio Malcino.

57. Cum autem B. Nili interceſſione hæc bene eveniſſent, converſus eſt furor ad illorum dierum miniſtrum nomine Gregorium Malcinum, quem multo ſtudio atque ingenti obſecratione B. Nilus valuit ex ejus manibus eripere: quem videns Magiſtrus, neque habens quomodo evacuaret cordis fervorem, beatum Nilum reveritus, ſurgens cum ira execratus eſt illum, & omnes qui in illius domo erant, ab equo & bove uſque ad gallinam & canem & reliqua omnia. Ipſo autem timore correpto, nihilque prorſus reſpondente, verſus eſt ad ſedendum, propterea quod protoſpatharius erat: ad quem Magiſtrus: Abi, inquit, cum conſimilibus tuis ſtultis, atque effigiem Nilo effingite, nec deſiſtatis illum adorare, illique gratias agere; ſiquidem per regis caput plus vos non vixiſſetis, gloriam dediſſetis. Quum autem omnia hæc perfeciſſet, pacificorum beatitudine vere dignus ad monaſterium reverſus eſt, A Deo gratias reddens, omniaque ejus benignitate facta eſſe ſibi certo perſuadens, multum quidem triſtis, quod viveret inter eos qui operantur iniquitatem, quodque mundi vanitatem videret, & inanes perturbationes cœleſtium ſpeculator & ſeceſſus vere filius; quodque cum turbis & principibus converſaretur, gravia paſſus ac periclitans propter ea quæ ab aliis injuſte videbat committi: ſæpe autem & juſte. Quoties enim pro defenſione afflictæ animæ ab iis qui Deum non timent, pedeſtre iter perfecit & atflictionem pertulit, hyeme quidem capiti imbrem ſuſcipiens, & B amaritudine ærīs manus & pedes torpeſcens, & totum corpus divexatum, propterea quod una tantum tunica amiciebatur; æſtate vero calore, labore, fame ac ſiti afflictus, quæ omnia generoſe ſuſtinebat propter mandatum quod admonet, Libera eos qui ad mortem abducuntur, & redimere eos qui interficiuntur ne parcas.

58. Interdum pater dum proficiſceretur ad redimendum quemdam qui ab injuſtis vexabatur, a patribus coactus eſt imponere ſibi viles quaſdam pelles in pedibus propter glaciem & frigus vehemens. In itinere vero C cum per lignum quoddam effet tranſiturus, cum pedem ſupra illud impoſuiſſet, diaboli opere propter pellis lubricitatem ſupra lignum cecidit, & adeo magnum vulnus in crure accepit, ut pene animus illi defecerit, & ob laborem, ob frigus, & ob ſanguinis defluxum, periculumque ei fuit ne e vita diſcederet ac finiretur. Educens autem ab ejus pectore quod ſemper ſecum geſtabat munimentum, hoc autem erat inſtrumentum ac novi teſtamenti theſaurus, hocque oculis, labris, & pectore amplectens atque dicens: In manus tuas commendo tibi ſpiritum meum, paululum recreatus eſt, aut, ut verius dicam, ad ſe rediit. Viſus eſt autem illi angelus Domini confortans illum, atque pharmacum imponens ut mel dulce. Statim igitur ſurgens, & alacris effectus, validius quam antea viam perfecit, ejus qui illi apparuerat adjumento, & ſanguine firmato neque amplius defluente, & dolore amoto prorſus. Dicebat autem ſanctus ſæpe, Dei adjutorium in multis rebus ſenſiſſe, ut autem tunc numquam auxilium ſenſerat maximum, celerrimum, & omni conſolatione E pleniſſimum. Hic igitur proprie dici poterit, *Cum ceciderit non collidetur*; cito enim erigentur greſſus hominis recta ambulantis ac viam Domini volentis.

Inimicus boni ſimulat vulnerem pro, ut negotio omnia.

59. At inimicus humani generis videns a B. Nilo tantam utilitatem hominibus afferri, non minus ad animam quam ad corpus pertinentem, ſtudebat pro viribus omnem gloriam omneſque mundi facultates ante oculos illi præponere, quibus & illum ad virtutes hebetiorem redderet, & mundum ejus utilitate privaret. Multi enim eo-

Oſtentat ſibi pecuniam reſtituit.

rum qui illum viſebant, ingentes pecunias afferebant, & prætexebant monachorum indigentiam & pauperum diſtributionem. Is autem ut ſtercora ea vitans, dicebat venientibus ac præbentibus, quod ſcilicet fratres a Davide beati prædicantur, ſi labores manuum ſuarum manducaverint, & alienis peccatis non communicaverint: pauperes autem adverſus vos clamabunt tamquam eorum bona detinentes, me autem admirabuntur ut nihil habentem & omnia poſſidentem.

Eunuchum Cœtonetum cum videre nullum deſiderantem convenit.

60. Eunuchus Cœtonetes ingreſſus quoque Ruſſanum, videnſque beatum numquam eo ad ſe accurrentem (noverat enim illum ex fama) tunc dicebat admirans ad præſens: Ubi commoratur hic Nilus monachus, & quomodo non acceſſit cum aliis ad me, cum audierit meum adventum? Id enim aeque ipſe patriarcha auſus fuiſſet, arroganter ſcilicet meum adventum contemnere. Ipſi autem qui aderant, reſponderunt. Is quem dominatio tua dixit monachus, neque patriarcha eſt, neque patriarcham timet, ſed neque omnibus formidabilem regem; ſedet autem ſimul cum paucis monachis in monte, nullo egens auxilio humano, neque enim latitudine regionum effertur, neque multitudine ornatuum colligatus eſt. Quapropter neque cum aliquo diſceptationem ullam habet, monoceros animal hic eſt, ſuis ac Dei legibus vivens, ac ſi vi volueris illum cogere, numquam poteris ejus aſpectum videre. His auditis, Cœtonetes ac magis virum admiratus, ſcribit illi epiſtolam vehementiſſimam, in qua & adjurabat illum, ne ſi aut eum viſeret ipſe Cœtonetes, ſe abſconderet; aut dignaretur ad oppidum Ruſſani adire, atque ei benedicere, atque eis qui cum illo erant. At B. Nilus partim juramentis adductus, partim autem quia ſperabat per illum pauperes juvare, oppidum & Cœtonetem adit. At is viſo aſpectu prophetico immo angelico, oſculatus eſt illius pedes, & apprehenſum manu introduxit in cubiculum ſuum, ac jubens cuidam ex ſuis ut evangelium afferret, ait B. Nilo: Quoniam, ſancte pater, cum mendacii opinione fides hominum amittitur, volo jurare ad confirmationem eorum quæ a me tibi enuntiabuntur. At ſanctus cum videret id evangelio prohiberi his verbis: *Ego autem dico vobis non jurare omnino, ſit autem ſermo veſter, Eſt eſt: Non non, quod autem his abundantius eſt, a malo eſt.* Quare, inquit, incredulitatis argumentum facis jusjurandum, & ab iniquitate congreſſum exordiri, omnis enim qui paratus eſt ad jusjurandum, ad fallendum & ad mendacium promtior, ut e converſo. At Cœtonetes: Conſentaneum eſt, inquit, neque vobis Dei ſervis mentiri, neque diffidere iis qui cum fide res narrant. Quare audi & ſermonibus meis fidem adhibeas: Nemo eſt mihi conſanguineus in hac vita niſi ſola mater impotens, me nimium adamans. Sunt autem mihi divitiæ multæ & facultates ingentes, ſervorum multitudo & pecorum examen innumerabile. Decrevi igitur omnia hæc conferre ad monachorum monaſterium conſtruendum. Si tamen compunxit Deus ſanctitatem tuam, Conſtantinopolim una mecum petere, ut ex tuis manibus ego & parens evangelicum habitum ſumamus, faciam autem te ita regibus quemadmodum nunc mecum aſſidere. Hæc verba mellis & picis plena audiens diſcretionis lumen Nilus, non corruptus eſt ſublimibus his verbis ac promiſſis, ſed pedetentim manum in pectus conjiciens, ut illi ſemper mos erat, & crucis ſignum ſibi faciens, Cœtonete, reſpondit, intentio quidem veſtræ pietatis ac prudentiæ laudabilis eſt & Deo accepta. Ad hunc enim adducens nos Servator parabolice dicebat, quod *ſimile eſt regnum cœlorum theſauro abſcondito in agro, quem qui invenit homo abſcondit, & præ gaudio vadit & vendit omnia quæ habet, & emit agrum illum.* Mihi autem inutile eſt derelinquenti eremum & pauperes mecum compatientes & collaborantes, per urbes vagari, & curarum moleſtias ſuſcipere. Numquid defecit a Conſtantinopoli monachus aut præfectus, ut per me tondeantur qui ibi a mundo ſegregantur? Si autem præfers illam meam dejectionem, quæ nullius momenti eſt, aggredere extremas has regiones quas nos incolimus, & nobiſcum anguſtam viam ambules. Numquam enim poteris pauper ſpiritu evadere, priuſquam omnino corpore pauper fueris: quod animadvertens perfecit qui nunc inter angelos verſatur Arſenius. Omnia autem tua derelinque poteſtati illius qui dixit: *Meum eſt aurum & argentum, & quicumque non abdicaverit omnia quæ habet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.*

Cœtonetes proponit monaſterium conſtruere dummodo Nilus velit venire Cp. quod ille recuſat.

Revertenti ad monaſterium Nilo apparet dæmon ſub ſpecie puellæ.

61. Ad hæc Cœtonete inſtante, ac ſuam voluntatem fieri debere contendente, eum derelinquens beatus exiit, & jam ambulanti cum David, & ad proprium revertenti monaſterium in dicendo, *In via hac qua ambulabam abſconderunt laqueum mihi*, occurrit illi in medio itinere una puella monacha, quæ accurrens ante illum projecit ſeipſam in tranſitu, qua neceſſe erat beatum illum tranſire. Tunc divinus vir ſpiritualem fortitudinem ſuſcipiens, & ſathanæ dolum cognoſcens, percutit ipſam baculo manus ſuæ infremens, avolavit autem quamprimum nihil moratus juxta proverbium, atque abiit. Ex eo igitur tempore decrevit neque ſe, neque quemvis alium ex fratribus ſolum iter facere. Boni, inquit, duo, meliores uno, & *væ ſoli, quoniam ſi ceciderit non eſt qui erigat illum.* In his omnibus ſuperior factus pater noſter Nilus adverſario propter eum a quo amatus eſt Deum; & probatus palæſtrita oſten-

ſus in fumis patientia & in objectione lapidum ex quibus panes fierent. Ad hæc totius mundi gloriam proſternens & pecuniarum averſionem, quorum cauſa aliquis dæmonem adorat, idque non ſemel ſed ſæpius, in multiſque aliis tentatus, & vincens multifariam multiſque modis. Decebat autem ipſum & deinceps in pinnaculo templi probari ſi contentus fuerit ex hoc dejici. At vide quomodo & in hoc imitator Domini ac magiſtri extitit.

Epiſcopatum Roſſanenſem fugit.

62. In illis enim diebus mortuo qui Ruſſano præerat archiepiſcopo, atque alio inquiſito qui in demortui locum ſuccederet, una voce inopinate beatum patrem apprehendere omnes decreverunt, & vi hunc eccleſiæ throno locare: quippe qui vitam ſupra doctrinam bonam præ ſe ferebat, & doctrinam quæ cum vita certabat. Eo igitur propoſito, cum omnes irruiſſent, anticipat quidam & rem patri narrat, exiſtimans ſe rem gratam ei facturum cum hujuſmodi rem nuntiarit. Et quidem non ab opinione aberravit, gratias enim *illi* agens beatus pater, & tunc & poſtea dimiſit in pace, jubens illi dari & benedictionem. Ipſe autem meditans id quod evangelio continetur, *Cognoſcens autem* Jesus *quod venturi eſſent ut raperent, atque eum regem crearent, ſeceſſit ſolus in montem.* Secedit autem & hic ad interiorem montis partem cum uno fratre, eo conſilio ut tamdiu lateret, donec deliberatio illa pertranſiret. Occupantes vero monaſterium ſacerdotes cum magiſtratibus, cumque diu perveſtigaſſent, neque eum invenirent, plurimum ingemebant ſpe decepti: cumque magis inſtitiſſent, neque aliquid proficerent, facilius enim unicornum ſuperare, quam illum de ſuo propoſito dimovere, redierunt & alium epiſcopatui præfecerunt. At ſanctus exultans Domino cum propheta dicebat: *Tenuiſti, Domine, manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Quid enim mihi eſt in cælo, & præter te quid volui ſuper terram? Ante te enim, Domine, eſt deſiderium meum;* & tu, inquam, Domine, ſcis, quod diem hominis non appetivi. Ea igitur mente beatus detexit brevis vitæ hujus gloriolam & humanos honores deteſtatus eſt, nunc autem conſtituit illum Dominus ſupra decem urbes, ut vere pollicitus eſt; neque enim quoniam ſacerdotium non ſuſcepit, talentum non amplificavit, plures enim ſervati ſunt ex doctrina oris ejus in cœnobio aut in monaſterio quam urbs illa continet habitantes.

63. Blatton quandoque ab Africa revertens cum multis captivis, propterea quod ad tempus Sarracenorum rex illi adverſatus fuerat, excuſatione eo quod ejus ſoror illi nupſerat, quod nequaquam verum erat, applicuitque ad littora Ruſſani, & maxima cum inſtantia ſanctum accerſivit, cupiens audire ab ipſo decentia, & otationes ipſius lucrari. Poſtea vero quam archiepiſcopus commiſit illi omnia cordis ſecreta, ait ei beatus: Audi conſilium meum, neque amplius redeas ad viperarum genimina; poſt enim quam nimium tibi adulati fuerint, ſanguinem tuum bibunt, gladio te perimentes, & de pace Calabriæ ne anxius ſis, neque labores, neque enim id omnium auctori Deo gratum eſt. Ait autem ad illum conſobrinus metropolitæ: Vides, pater ſancte, quot Dominus animas liberavit. Reſpondit illi ſanctus: Non animas liberavit, ſed corpora: prodeſt autem multis & corporum afflictio, quibuſcumque libertas multum damni affert, quemadmodum furentibus concluſos ſervari atque inedia affligi. Quod ſi hæc quæ videntur miſera, non afferrent ſalutem, numquam a Deo fieri permiſſa eſſent. Decet autem eos qui poſſunt hujuſmodi hominibus ſubvenire. His auditis atque patris admonitionibus ſervatis, quod prædictum eſt in illo jam fuit perfectum. At ſanctus pater partim ex nimio exercitationis labore, partim longa ætate, agebat enim jam ſexageſimum annum, impotens jam neque amplius longum iter potens perficere, equo utebatur ad infirmitatis remedium: majore enim parte itineris abſtinentiæ cauſa illum pertrahebat. Hunc equum dum ſanctus cum archiepiſcopo colloquitur, quiſpiam a dæmone ſubductus, furatus eſt ac diſceſſit; per viam autem, tempeſtate ſuborta, deſcendens ab equo ſub una arbore expectabat, donec tempeſtas ceſſaret. Tonitru vero cœlitus delapſum infelicem illum percuſſit, & ad inferos detruſit, quum non paruerit ei qui dixit, *Damno afficere juſtum virum haud æquum eſt.* Et *Qui furatur non amplius furetur, ſed laboret operans propriis manibus, ut habeat unde participes faciat indigentes.* Et ille quidem miſer peccatum ſuſtra commiſit. Quidam vero craſtino die tranſeuntes per eam viam & equum cognoſcentes in loco paſcentem, ad monaſterium reduxerunt & juſto proprium.

Qui ſanctı furatum ſuum equum ſil. minepercutiunt.

64. Alius militum quiſpiam motus ad equum rapiendum a monaſterio, & ad ſolis occaſum veniens, ut equum videret, noctis tempus expectabat ut commode illum poſſet rapere. Obambulans autem totam noctem neque prorſus potuit monaſterio adhærere, ſed vallibus & præcipitiis occurrens ſatis oberravit. Quum autem dies illuxiſſet, ante ſe monaſterium vidit, & miraculo attonitus ingreſſus eſt pœnitens, & propriam imprudentiam confeſſus.

Miles equum furaturus veniens ad monaſterium tota nocte oberrat.

65. Illo autem tempore incurſantibus impiis Agarenis Calabriæ regiones, atque omnia diſſipantibus, ſanctus pater caſtrum occupans cum fratribus ſervatus eſt. Tres autem ex illis qui in monaſterio reſtiterant a Sarracenis detenti ſunt atque abducti. Judicavit autem beatus non eſſe hos deſpicien-

Tres S. Nili diſcipuli a Sarracenis detenti, ſanctitatis ejus intuitu, etiam cum monachis diminuitur libertas.

dos, ſed ut propria membra eſſe inquirendos, & ad proprium locum reducendos. Cumulatis igitur a frumento & vino aliiſque frugibus quaſi centum aureis, & burdonem quem habebat Baſilius dux Calabriæ dans cuidam ad eam rem aptiſſimo, Panormum miſit ſcribens epiſtolam ad Notarium pium hominem, atque eorum qui ibi erant Chriſtianiſſimum: qui Notarius oſtendens dicto Ammiram ea quæ a ſancto erant miſſa, interpretans autem illi & admirabilem epiſtolam, attonitus eſt in ſapientia & pietate beatiſſimi, atque agnoſcens illum Dei amicum eſſe, & omnis bonitatis plenum, ſiquidem virtus & apud hoſtes in veneratione eſſe ſolet, accipiens monachos & decenter alliciens, & detinens autem apud ſe memoriæ cauſa atque teſtationis bordonium, illos remiſit cum ſociis, addens & multas pelles cervorum, & nuntians patri hujuſmodi verba: *Tuus error eſt propunitione tuorum monachorum, quoniam primum non te mihi notum reddidiſti. Si enim hæc cognoviſſem, miſiſſem tibi meum ſignum, quod ſi in platea ſuſpendiſſes, non neceſſe fuiſſet e monaſterio diſcedere, neque aliquo pacto perturbari.* Hæc audiens divinus Nilus & admirans Dei œconomiam, in illo Samſonis problema dixit, quod vere nunc *de comedente exivit cibus, & a crudeli egreſſa eſt benignitas*, adjiciens & hæc ad Albaræ promiſſa, quod omnia hæc tibi dabo ſi cadens adorabis me.

Oblatus ſibi a Baſilio duce quingentos aureos ſuſcipit.

66. At prudentiſſimus Baſilius dux tantum fidei & caritatis habens erga patrem ſanctum, quantum centurio erga Salvatorem, attulit illi uſque ad quingentos aureos, addens hæc verba: Non ab injuſtitia, inquit, hæc mihi adſunt, ſed ab enſe. Cum enim cepimus Cretam cum feliciſſimo Nicephoro, cum non adeſſet rex, opportune invenimus apud quemdam preſbyterum indumentum Præcurſoris ex pilis cameli confectum & ad cervicem cruentatum, quod capiens beatus ille, omne aurum mihi largitus eſt. Ita igitur aureos illos habitos accipe per Dominum, & ora pro me. At Nilus rerum humanarum vere contemtor, neque ad illos reſpiciens, ait ad illum quaſi mortis timorem excuſans, Viſne, inquit, ut ob ſtercora hæc aliquis inſidietur ac me interficiat, & ita amicum perdas? At is rurſus: Permitte, inquit, ut his pretioſas altari veſtes emam. Abi, inquit Nilus, & in catholicam oppidi eccleſiam deponas, ubi ſervantur, hinc enim rapi poſſent. At permitte, inquit, oratorium maximum ac pulcherrimum conſtruere; non enim illud luteum videre poſſum. At pater ita: Neque me videre poteris; & ego enim ex luto compoſitus ſum. De oratorio autem nihil ſollicitus ſis, ab impiis enim Agarenis deſtruetur, & omnis Calabriæ regio illorum manibus tradetur. Id autem prævidens beatus pater noſter ſuo oculo prophetico, & volens cedere divinæ iræ, noluit abire ad orientales partes ſuſpicans ac verens quam de illo opinionem illi habebant. Uſque enim ad Chriſti amatores reges ejus fama pervenerat, & honorem ab illis aufugiens. Elegit autem locum ubi diverſaretur Latinorum regionem, quippe qui illis ignotus eſſet, neque tanto honore afficeretur. Quanto autem magis ipſe humanam gloriam vitabat, tanto vehementius cœleſtis gloria eum decorabat, omneſque ut unum ex apoſtolis illum amplectebantur, & eumdem honorem concedebant. Profectus enim Capuam, ut priora omittam, propter rerum multitudinem & honorem maximum aſſecutus a principe PANDULFO & primatibus, adeo ut epiſcopum ſibi ipſis illum voluerint præficere, & ita factum fuiſſet, niſi mors principem præveniſſet.

In Caſinenſi monaſterio ſummo cum honore recipitur.

67. Tunc vero vocantes ſancti Benedicti qui in monte Caſelino morabatur præfectum, ALIGERANUS ſanctus hic appellabatur, illi præceperunt ut beato Nilo monaſterium darent quale vellet e ſancti Benedicti habitationibus. Proficiſcente autem ſancto Nilo dictum inclytum monaſterium, obviam venit omnis monachorum multitudo uſque ad montis fundamenta, ſacerdotes, inquam, ac diaconi ſacras ſtolas, ut in die feſto induti, cereoſque atque thuribula manibus geſtantes, ita beatum ad monaſterium deduxerunt, non alium videre ſibi perſuadentes quam divum Antonium Alexandrenſem ad illos venientem, aut divum Benedictum ab inferis excitatum, eum, inquam, qui leges illis ſcripſit. Ac recte quidem cogitabant, neque eos fefellit opinio. Omnes enim qui ex illis corporeis aut animorum afflictionibus tenebantur, curati ſunt, & omnes utilitatem ab illo perceperunt. Qui in orationibus verſabantur, doctrinam; qui operibus incumbebant, ducem; qui peccatorum mole premebantur, emendationem; qui in virtute verſabantur, adhortationem; qui ſani erant, continentiam; qui ægroti, medicinam; & ut breviter dicam, quemadmodum olim Iſraëlitis manna unicuique pro ejus appetitu guſtum præbebat.

Ad monaſterium Valle-lucion deducitur.

68. Quare neque in illis erat ægrotus, ita & in his admirabilis vir exiſtebat. Curans igitur illos divina ejus præſentia, & ſpirituali lætitia eos implens; nimium autem & ipſe admiratus in bono illorum ordine, & bene inſtructo ſtatu, & admirans ac laudans illorum vitam, magis quam noſtram, comitatus eſt rurſus ab abbate & aliis primoribus viris ad monaſterium, quod cum ſuis filiis oportebat illum incolere. Id autem vocabatur Valle-Lucion. Obſecrarunt autem illum & præſes & fratres cum omni ſua fraterna ſocietate ad maximum monaſterium aſcendere, & græca voce in illorum eccleſia canonem implere, ut ſit, inquit Deus, omnia

in omnibus, quod & propheta prædicens clamabat, quod leo & bos simul pascentur, & simul eorum filii erunt. At divinus Nilus primum renuebat humilitatis causa: *Quomodo*, inquit, *cantabimus canticum Domini in terra aliena*, qui hodie sumus abjecti in omni terra propter peccata nostra: tamen ut simul consolationem assequamur ex mutua fide, & ut magnum Christi nomen glorificetur, contentus fuit hoc facere, & informans a fructibus Latiorum suorum canticum ad sanctum patrem nostrum Benedictum, quo hymno omnia ejus miracula continebantur, assumensque omnes suos fratres qui plus quam sexaginta erant, ascendit ad monasterium Casilinense, & vigilias exercuit concinna armonia, habebat enim secum fratres prudentes, & idoneos in lectione & psalmorum cantu, quos in utroque ipse edocuerat. Perfecto autem canone, convenerunt ad illum omnes monachi cum appositione illorum abbatis, eo enim usque bonum ordinem servant, & attoniti a splendore spiritus prodeuntis ab ejus aspectu, cupiebant vehementissime & ab ore illius verba audire; quare & quæstiones multas illi objiciebant. Age, inquientes, quod est monachi opus, & quomodo misericordiam invenire possimus. At beatus aperiens os suum Romana lingua usus dixit: Monachus est angelus, opus autem illius est misericordia, pax, sacrificium laudis. Quemadmodum enim Deo sancti angeli, nulla facta intermissione, hostiam laudis offerunt, vicissim autem pacem habent in caritatis vinculo, miserantur autem & adjuvant homines ut minores fratres; ita enim decet verum monachum facere, misericordiam ostendere erga inferiores, & peregrinos fratres amare, in pace æqualis honoris participes his qui magis in virtute proficiunt, non invidentem, fidem autem non fucatam, & spem habere, & erga Deum & erga eum qui pater spiritualis est: qui hæc tria possidet angelicam vitam in terris degit; qui vero contra facit, id est qui infidelitatem habet, odium ac misericordiæ inopiam, totius mali domicilium fit, & dæmon manifeste apparet atque est. Ex quo enim aliquis monachi vitam profitetur, non amplius hominis habitum retinet; sed ex duobus alterum fit, aut angelus, aut dæmon; persuadeo autem mihi, fratres, de vobis meliora, & quæ salutem vobis afferant. Hæc & hujusmodi quæ plura sunt quam ut nunc scribi possint, admonente patre, omnes cordibus compuncti sunt, & quidam ex illis respondens dixit: Quare David inquit, *Cum sancto sanctus eris, & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris?* Hoc, inquit pater, ad Deum ait propheta, non ad hominem, Deo enim convenit quod consequitur, non homini: *Quoniam tu humilem populum salvabis, & oculos superborum humiliabis.* Audivit enim David Deum dicentem, quoniam *vivo ego Dominus, si recte ambulaveris mecum, recte ambulabo & ego tecum.* Et iterum scriptum est, ad obliquos, quod æque est ac si diceret ad perversos. Obliquas vias mittet Dominus & non homo. Hominibus autem mandatum est diligere inimicos, benefacere his qui illum odio habent, & malum pro malo nemini reddere.

Prius tamen ascendit ad Casinense, & ibi more Græcorum vigilias celebrat.

Quid monachus & quod ejus opus.

69. Rursus alius interrogavit: Quid est quod inquit Abbacus propheta: *Requiescam in die tribulationis meæ, ut ascendam ad populum incolatus mei.* At sanctus respondit, Apostolo dicente, omnia hæc in figura illis contigisse, scripta sunt autem ad nostram doctrinam: ego omnem scripturam in meam ipsius utilitatem interpretabor. Adam enim audiens, Cain, Lamech, & omnes qui Deo peccarunt, cogito me esse hujusmodi, non illos. Hoc igitur dictum prophetæ homini convenit prudenti, sedenti infra in mundi silva, secum cogitanti ac dicenti, quousque oro & quæ dico non intelligo? tunc subdit dicens: Servavi, id est consideravi & meditatus sum labiorum meorum orationem, oro autem quod si reddidi retribuentibus mihi mala, hoc & illud patiar, & *judica me, Domine, secundum justitiam tuam, & secundum innocentiam meam Deus.* Et quod *Deus manifeste veniet, & non silebit; ignis in conspectu ejus exardescet, & inimicus comburet quæ in circuitu ejus sunt.* Hæc & hujusmodi considerans prodeuntia ex labiis meis, animadvertens autem me ipsum his diversa facientem, timuit cor meum, & contremuerunt ossa mea, vis & robur genuum meorum subtus me conturbata sunt, adeo ut pedibus sistere non possim. In hac igitur tribulationis meæ die non aliter judicavi posse quiescere & liberari a tremore & timore, nisi ascenderem eò ubi populus peregrinationis meæ, ubi sunt omnes peregrini atque hospites, & quorum conversatio in cœlis est. Quoniam ficus mea & olea mea, vitis & jumenta mea nihil mihi proderunt in die afflictionis, neque post mortem aliquem mihi fructum afferent. Si autem fecero quod deliberavi, exultabo tunc in Domino, gaudebo in Deo Salvatore meo.

Locum propheticum Abbacuc explicat S. Nilus.

70. Ea autem re ita explicata juxta moralem sensum, ait ad sanctum alius: Ecce, pater carissime, mittor ab abbate ad ministerium, unde non exiguum malum assequar. At canon præcipit obedientiam sine discretione habere, utri igitur paream, nescio. At pater dixit: *Obedite præpositis vestris & cedite, ipsi enim vigilant pro animabus vestris tamquam rationem reddituri*, Apostolus inquit. Quare nos omnia cordis nostri secreta abbati confitentes, ad judicium suum omnia referamus. Rursus alius dixit: Si semel in anno corpori meo gratificabor & carnem comedam, numquid est peccati admissum?

Alias sibi monachorum quæstiones.

Cui patet: Etsi omne tempus, inquit, sanus existens, in una hora lapsus per præcipitium fregeris crus, numquid mali est? Hæc & plura his ex scripturis objicientes rogarunt illum, & de sabbati jejunio. At hic brevem responsionem dans, destitit, dicens: *Qui comedit, non comedentem nequaquam contemnat; Deus enim utrumque accepit. Tu autem quare judicas fratrem tuum?* Sive igitur comedamus nos, sive vos jejunatis, omnia in gloriam Dei faciamus. Quod si nos corripitis, quoniam sabbatum non jejunamus, videte ne quo pacto inveniamini adversantes sanctis patribus & ecclesiæ columnis, Athanasio, Basilio, Gregorio & Johanni Chrysostomo, & aliis infinitis & sanctis synodis, qui id neque fecerunt, neque statuerunt faciendum. Quin & de Ambrosio vestro magistro, de quo scriptum est in ejus vita quod omnem hebdomadam jejunarit, excepto sabbato & die Dominico. Ego vero neque ipsum sanctum Sylvestrum arbitror adversantem sanctis patribus hoc jejunium instituisse; neque enim ullum ea de re canonem potestis ostendere, nisi solum apud eum qui ejus vitam conscripsit, cui nemo facile credit, propter auctoris incertitudinem. Verum nos prætermittentes verborum pugnas, nihil enim mali est jejunium, Apostoli sententiam dicamus, quod neque cibus neque potus commendat nos Deo; & quæ sequuntur. Utinam & miseri Judæi crucifixum adorarent Dominum, & jejunarent vel ipsos dies Dominicos. Parum enim refert, aiunt illi, & non est peccatum die Dominico jejunare, & si peccatum, inquit, est, quomodo sanctus Benedictus Dominicis & festis diebus jejunans, neque jejunio a die Paschæ abstinuit. Quare sciendum est omnem rem propter Dominum factam esse, neque rejiciendam, ne ipsum quidem interficere, ut & Phinees, & Samuel ostenderunt. Et nos igitur benefacimus sabbatum non jejunare adversantes execrandis Manichæis, lugentibus in hoc die & calumniantibus vetus testamentum, quasi non a Deo datum; non vacamus autem ab operibus, ne assimilemur impiis Judæis Dei interfectoribus. Et vos necessario jejunatis, vos ipsos præexpurgantes diei sanctæ resurrectionis. His & pluribus aliis monachi utilitatem & jucunditatem percipientes, admirati sunt omnes in sermonibus lepidis ab ejus ore prodeuntibus, ac dicebant, Numquam vidimus hominem ita sacram scripturam interpretantem. Atqui vere existimabant & recte dicebant. Omnium enim perturbationum mentem purgatissimam habens & cœlesti lumine illustratam, ejus sermo erat semper sale conditus, segnibus quidem & infirmis adjumenti stimulus, ferventibus autem & ultra sepia transilientibus frenum comprimens atque capistrum: his autem qui ab utroque eorum declinabant, & medium iter perficiebant, jugum bonum & suavis dux. Omnes ad illum venientes a longe aspiciens cogitabat, & prædicebat illorum adventum, causam, & rerum eventus perdicta confirmabat. Illud certe scio quod si omnes qui sub cœlo vivunt convenissent, ab eo petentes consilium utile, non ab eo aberrassent. Erat enim ejus consilium ut Dei consilium, omni prudentia plenum & utilitate, quod servatum, utilitatem; neglectum autem perniciem maximam afferebat. Atqui possem multa capita de ea re contexere, nisi longior essem, & infinita rerum materies molestiam lectoribus præberet. Unum autem ex multis hoc est.

71 PANDULPHO Capuæ principe, de quo supra mentio facta est, mortuo: ejus conjux nomine AVARA, non minus viro toti regioni illi dominabatur atque imperabat. Hæc zelo imperii, immo invidia diaboli detenta, suggerit duobus filiis suis superstitibus, dolo interficere unum comitem, qui illi consobrinus erat, quem suspectum habebat, quemque ab omnibus honorari videbat. Consanguinea enim quædam illorum eum ad congressum vocans, atque simpliciter ingressum, occasionem istam hujus fratres ingressi, aggressi illum sunt & gladio interfecerunt. Horum mater pœnitentiam fictam non veram faciens, patrem ad se vocari jubet, tamquam ab illo acceptura æquivalentem delicto pœnam. Cum autem sanctus venisset, obsecrationibus motus, & urbem apprehendisset, omnes confluxerunt per publicas vias, ut pretiosum illius aspectus caracterem spectarent, & illius benedictionis participes essent. In quibus una ministra monasterii præposita, cum suo presbytero juniore & ætate deliciante, congregans autem & suas virgines exiit ad occursum sancti. At beatus prophetico oculo videns res illarum non declinavit earum occursum, sed occurrit illis ut flammea romphæa, austera voce & torvo vultu illis dicens: Quid vobis cum hoc juvene? Vos quæ apparetis virgines, quid cum illo conversamini? Non cognoscitis hunc virum esse, ipseque non novit vos esse mulieres? Deum non timetis neque homines reveremini, vere non video in vobis fructum justitiæ. Hæc illæ audientes, cum deberent verecundari, erubescere, atque admirari viri sancti reprehendendi libertatem, recesserunt dicentes, Hujusmodi homo non est servus Dei, sed diabolus. Et statim crastino die presbyter ille deprehensus est cum præpositæ consanguinea rem habere, & per totam urbem illam divulgatum est.

Damnat in sacris virginibus presbyteri consortium.

72. Pervenit igitur sanctus ad Avaræ palatium, quæ illum videns ad pedes procedit tremens, confessa & concessionem petens. Hic autem illam erigens dixit: Ne ita facias, & ego enim homo peccator sum, nondum assecutus potestatem solvendi aut ligandi,

Avaræ principissæ pœnitentiam indictam respuenti prædicit filii ejus mortem, &c.

vade autem ad episcopos, quibus talia faciendi potestas commissa est, & fac ut illi tibi præceperint. Ad hæc respondit: Episcopis quidem confessa sum meum peccatum, & dederunt mihi pro pœnitentia ut ter in hebdomada psalterium recitarem & faciam misericordiam cum egentibus. Obsecro autem tuam sanctitatem, serve Dei, ut & a te quæ expediunt audiam & remissionem peccati accipiam. At sanctus dixit psalterium quidem recitare, & dare eleemosynam tibi & indigentibus utile est, at ei qui injuste occisus est, salutem non affert, neque illorum qui eum lugent mœrorem aufert. Quid enim tantum das quantum abstulisti? Quod si vis a me humili accipere consilium & facere voluntatem Dei, en dico tibi trade unum ex filiis tuis iis ad quos interfectus pertinebat, ut faciant quidquid illis libuerit, & tunc a peccato libera eris. Dixit enim Deus: Quod de manu hominis fratris tui exquiram animam ipsius, hominis scilicet, qui effundit sanguinem hominis, pro sanguine ipsius ejus sanguis effundetur. Et rursus: Omnis qui accipit gladium gladio peribit. Neque enim es tu Saül imbecillior rege, neque judice Jephte qui propter proprii mandati transgressionem, proprios filios morti tradiderunt. At hæc respondit non possum hoc facere, timeo enim ne forte illum interficiant. Tunc beatus zelo plenus respondit: Hæc ait Spiritus-sanctus: Sanguis filii tui effundetur, pro sanguine illius quem injuste interfecisti, & peccatum hoc non delebitur ex domo tua usque in sempiternum. Nemo enim ex tuo semine dominabitur in hac urbe, sed expelletur & persecutionem patietur, & superabitur a propriis inimicis pro iis quæ commisisti propria potentia freta, neque didicisti quod *Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & sublevat.* His illa auditis, cœpit lugere ac lamentari, atque implens manus auro, offerebat justo, existimans hoc illum placare. At ille vere nullis passionibus obnoxius, neque lacrymis mulieris mollis effectus, neque auri multitudine inescatus, neque ejus potestatem subveritus, abscindens amictum tunicæ, & ut cervus exiliens abiit, hæc secum considerans, ut ipse postea referebat, quod dixit, inquit, diabolus: hic monachus lutum est, madefaciam illum aqua, id est mulieris lacrymis, & jam faciam illum liquidum: adeo ut de eo faciam quidquid libuerit. Ita opere perfecit illud: *Estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Similiter etiam & apostolicum præceptum: *Ne communices peccatis alienis.* Et tunc quidem beatus Nilus ad monasterium reversus est. Non multum autem temporis præteriit, & ejus prædictio finem sortita est, minor enim filius dictæ zelo imperandi majorem in ecclesia orantem gladio trucidavit. Ille autem rursus a Gallorum rege propter eamdem caussam vinctus abducebatur. Ac deinde intra breve tempus omnis jactantia atque imperium ei ablatum est. Ne autem aliquis eorum qui nimium temerarii sunt sævitiam objiciat beato patri in peccantes, zelator enim erat ad vindicandam legem Domini, quemadmodum Helias ille propheta, cujus aspectus caracterem secum ferebat, idque non solum in externis nihil ad illum pertinentibus, verum etiam adversus eos qui maxime illi proprii esse videbantur ac veluti membra quædam: tantum autem ab affectu erga suos aberat, quantum sequens oratio declarabit. Recensebo autem & hoc ad securitatem legentium & ad correctionem eorum qui Heli imitantur.

73. Filius sororis beati Nili, a qua & educatus hic fuerat, versabatur in monasterio simul se in pietate exercens, nimium bonæ indolis, ut ad utrumque aptus. Hic quandoque cum fratribus iter faciens, & argenteum poculum ferens, limpidissimo fonti occurrit. Cum igitur vellent ex aqua bibere, ipse sacrum poculum projiciens in metalli puritate natans bibit & simul omnes. Id audiens beatus, & nimium adversus illum iratus multum objurgavit, & adeo aversatus est, ut ne illum umquam quidem videre voluerit, aversio autem illius erat, ut si a Deo alienatus esset, supra virgam & flagellum castigans prudentes viros. At frater increpationis mœrore detentus, & aversione patris conturbatus, & in ægrotationem gravem incidit in qua & mortuus est. At beatus in omnibus ægrotationis suæ diebus ingrediens atque egrediens in ecclesiam, ejus cella in transitu existente, numquam prospexit in locum ubi erat, neque illum adiit usque ad mortis diem, quamvis ab omnibus annotatum fuerat cum cœpit ægrotare frater, & beatus Nilus videret quod non esset surrecturus ab infirmitate illa. Tunc igitur quidam ex senibus videns patrem lacrymantem post mortem, & lugentem privationem illius, adiit illum privatim alloquens, tamquam animam ægre ferens de tribulatione fratris cum qua exiit a corpore propter aversionem patris. At hic nisi, inquit, ego eum aversatus essem, Deus eum non assumsisset, persuadeo autem mihi quod hujus parvæ tribulationis causa maximo gaudio digna effecta erit ejus anima, siquidem non injustus Deus a carcere eripere, & in carcerem detrudere. Hujusmodi erat discretio prudentissimi patris nostri Nili supra omnes sanctos patres nostros. Superabat enim eos qui maxime exercitatione excellebant, discretione; eos autem qui maxime discretione valebant, exercitatione; eos autem qui simplicitate, cognitione; eos autem qui cognitione peritissimi erant, innocentia; eos qui vita probata pollebant, doctrina; eos vero qui doctrina, vitæ probitate; eos autem qui utroque excellebant, utriusque excellentia. Admirabilis moribus, alienus omnino

Nepotem sic delinquentem etiam morientem vide-re non vult.

nino a mundo, fortis atque inexpugnabilis ab affectibus, ſublimis in intelligentiis, ſuperbis viris non cedens, compatiens vero humilibus.

Furem captum libertate donat & equo monaſterii quem furatus fuerat.

74. Furatus eſt aliquando quidam Longobardorum, equum monaſterii, & accedentes duo ex fratribus petierunt veniam a B. Nilo, ut perſequerentur & apprehenderent eumdem equum, quoniam nimium utilis erat monaſterio, quod & fecerunt. Prævenientes enim fratres labore multo ad caſtrum ubi erat fur, ubi illius oppidi magiſtratus ſolum nomen beati Nili audivit, ſtatim apprehendens equum & furem ligatum fratribus tradidit. Illis igitur reverſis ad monaſterium & patri cum gaudio procumbentibus ac dicentibus: Quod tùarum orationum cauſſa adduximus equum, & eum qui rapuerat. Vocat autem beatus Longobardum, & ait illi: Vere tu frater amas equum hunc? niſ., inquit, illum amarem, nec furatus fuiſſem. Tunc pater capiens equum illi dedit addita ſella & freno dicens: Si illum amas, accipe & ambula. At hic abiit gaudens & exultans. Cum autem cœpiſſent fratres ſuſurrare adverſus patrem Nilum, vocans pater illos admonuit his verbis: Diſcite fratres quod rerum aut bonorum qualiſcumque amiſſio, peccatorum eſt imminutio. An non ſumus digni gerontici unum caput perficere? Si Deus vult nos miſereri, nos volumus a mundo ſegregari, & illi adhærere. Ii vero reſponderunt: Id nobis moleſtum eſt, pater, quod poſt multos labores, poſt longa itinera, cum inveniſſemus rem amiſſam, tunc furi eam didiſti? Quibus pater dixit: Id feci ut vos docerem opere inimicos diligere, & benefacere calumniantibus vos, & omnia poſſidere ut nihil habentes, ut evangelium & apoſtolus nos docent. Ita quidem beatus pater Nilus hæc ſentiebat & docebat, ſemper in ore habens dicta beatorum & ſapientum doctorum, & quovis modo ſtudens verba opere confirmare, & diſciplina prudentiam, & ut doctrina erat, ita eſſet & vita. Non ſolum autem ſeipſum; verum etiam & eos qui cum illo erant ita informans atque inſtruens, cum a Salvatore didicerit: *Vos eſtis lux & ſal terræ.* Sæpe enim ſicubi dictum, aut ſententiam, aliquid ex canonum inſtructionibus, quod morum emendationem doceret, ad ſe vocans fratres, veluti hæreditatem quamdam ac ſortem illis diſtribuebat, admonens ut ea ſecum in pectoribus geſtarent intelligentibus quidem ſublimia & doctа; ſimplicioribus autem faciliora præcipiens. Et unicuique medicamentum adhibebat pro malo quo detineretur, & diſciplinæ emplaſtrum ſingulis aptum imponebat, ut ſi quis guloſus & ventri deditus eſſet, continentiam eum docebat: Si quis libidinoſus, caſtitatem; ſi quis inanis gloriæ cupidus, humilitatem; ſi quis autem loquax & verbis pugnans, illi Jacobi apoſtoli epiſtolam legendam præbebat. Ubi apoſtolus ait: *Si quis autem putat ſe religioſum eſſe non refrenans linguam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio.* Si quis autem indocilis eſſet, nec memoria valens, ſcribens ſententiam in fragmento chartulæ ſuſpendebat illi ad collum, aut ad brachium, donec in pectora recondidiſſet. Ita beatus Nilus faciebat mutos loqui & ſurdos audire & cœcos videre, barbaros theologos efficiebat, & antea jumentorum paſtores, poſtmodum hominum magiſtros, & multos quidem a gravibus dæmonibus liberavit, plures autem a paſſionibus immundis, & conſuetudinibus malis, majora autem prioribus ſubſequentia.

75. Cum autem multa habeam de eo dicere, temporis anguſtiis detineor, quo minus poſſim id facere: ad finem enim mea feſtinat oratio. Poſt mortuum celebrem ALIGERNUM, *(a)* qui bene & ſancte divi Benedicti monaſterium rexerat, ſucceſſit illi rector qui non noverat ſanctum Nilum quis eſſet, ut autem verius dicam, neque Deum. At ea quæ breviter ſubjiciam id quod circa ipſum accidit declarabunt. [a]

5. Nilus abbati Caſinenſi quæ futura erant prædicit.

76. Cum beatus Nilus quodam die illum viſeret, forte illum invenit in inferiore monaſterio, ubi conſtructum eſt templum pulcherrimum ac delectabile ſanctiſſimi Germani, aquarum multitudine & pulchritudine circumfluens. Invenit autem ipſum præpoſitum cum primoribus monaſterii qui ſe lavabat & prandentem. Donec igitur beatus Nilus in eccleſia illum moraretur cum multis fratribus ſuis, audit citharœdum ingreſſum eſſe, ut in prandio citharam pulſaret. Tunc beatus Nilus dixit iis qui ſecum erant: Memores eſtote fratres mei verbi, quod non tardabit ira Dei venire ſupra homines hos, ſurgite eamus hinc, atque ita dicens diſceſſit. Non multum temporis pertranſiit, & præpoſitus a principe captus eſt, propterea quod illi rebellionem parabat, & oculis ei effoſſi *(b)* ſunt. Monachi etiam in gravem morbum incidentes, uſque ad mortem cruciati ſunt, aliqui vero ex illis mortui ſunt. At ille citharista ad furandum abiens, comprehenſus, poſt multos cruciatus, & ipſe oculis privatus eſt, & omnes ebiberunt iræ Dei poculum, juxta ſenis prædictionem. Sed hæc poſtea. [b]

Nilus relicta Valle-Lucii tranſit ad locum minus commodum & pauperem.

77. Beatus igitur Nilus cum in monaſterio, quod Valle-Lucion appellatur, quindecim annos perfeciſſet, & fratribus multiplicatis, & omnibus rebus neceſſariis exuberantibus, & monaſterio magno effecto ejus interceſſione, cum antea non hujuſmodi eſſet, ac

(a) Obiit IX. cal. Decembris anno 986. ſucceſſorem ſortitus Manſonem Pandulfi principis conſobrinum, cujus favore potius quam fratrum electione, immo pleriſque repugnantibus, intruſus eſt, teſte Leone Marſicano, Chron. Caſin. lib. 2. cap. 12.

(b) Quo modo id factum exponit idem Chron. c. 16. l. 2.

videret fratres non multum curæ habentes ſpiritualis miniſterii, & canonis diligentiæ, quemadmodum antea informati fuerant, ſed lata via ſe oblectantes & inter ſe contendentes quis major eſſet, multum autem eos adjuvabat & levitas prædicti præpoſiti, quippe qui & dona ſuſcipiebat, & pietatis oſor eſſet. Hæc videns beatus atque intelligens rerum abundantiam multis cauſam eſſe intemperantiæ & impietatis, inde migravit, & obambulabat locum quærens ubi anguſtum & tenuem cibum, qui neceſſitati tantum ſubveniat, inveniret, ut vel inopia rerum neceſſariarum plurimi veluti freno ad exercitationis divinæ ſtudium redigerentur. Quamobrem cum multi ex confinibus accurrerent, & ad ſe illum vocarent, & proprias habitationes offerrent, quidam vero & monaſteria præparata, nullo pacto ipſe accepit. Non enim in illis inveniebat quod quærebat, ſolitudinem ſcilicet & quietem, & ab aliis alienationem. Dicebat enim quod non prodeſt monachis hujus ætatis remiſſio & laborum vocatio, non enim eſt otium illorum in oratione & contemplatione, & ſcripturarum ſtudio; ſed in rerum vanarum narratione, & pravis cogitationibus, & inutili curioſitate. Quare laborum occupationes inveniendæ ſunt, quæ a pravis cogitationibus & malis illos abſtrahant. Plurimi enim faciendum eſt illud: *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Ita & apoſtolicum mandatum perficitur, quique aſſidue prætereunt menſurate quieſcentes coronarum dignæ cauſæ erunt. Hanc juſti prudentiam aliqui fratrum non intelligentes, quin latam viam anguſtæ præponentes, remanſerunt prædicto monaſterio, alligati loci requici, & triſtati auſteritate ſancti. Numquam tamen invenerunt requiem omnes dies quibus illuc permanſerunt, neque illis deerat ſeditio & inordinatio, tribulatio & verborum pugna, poſtremo prorſus expulſi ſunt.

Locum exiguum in agro Gaietano præeligit.

78. At beatus una cum iis fratribus qui cum illo erant & ſancto Stephano, inveniens in Gaietæ regionibus exiguum locum, aut ut verius dicam pauperem cellulam, & contentus illius anguſtiis, & tenuitate, & aviditate habitavit ibi: primum quidem etiam corporalium rerum indigentia, paulo autem poſt pluribus fratribus Dei amatoribus confluentibus, omnia abunde ſucceſſerunt, opuſque aſſidue peragebatur, & pſalmi nulla facta intermiſſione canebantur, pſalmorum crebræ lectiones, genuum flexiones aſſiduæ, abſtinentia voluntaria, obedientia non coacta, & poſtea omnes florebant & fructum reddebant propter doctrinæ irrigationem & ſemina bene a patre noſtro Nilo facta. Sed neque ille inexpugnabilis certaminibus virtutis cedebat, neque a conſueta abſtinentiæ via & divinis operibus deviabat, ſed quanto magis corpore ſeneſcebat atque infirmabatur, tanto magis virtute refloreſcebat, ac potentior evadebat. Neque umquam fieri poterat ut jejunium prætermitteret, aut guſtaret, aut biberet tempore non conſtituto, ut ſenum mos eſt. Numquam carnes guſtavit, aut corpus lavit uſque ad ſuam mortem, idque provecta ſenectute. Centeſimum enim annum agens mortuus eſt quinque minus, morbis magnis ac variis vexatus non ſolum ſenii, verum etiam & corporalis exercitationis immenſa cauſa. Ad eum enim ſtatum ſeſe perduxit, ut ſi vellet comedere aut bibere, aut ſeipſum reficere, non permittebat eum conſuetudo id facere, ſed neque ſomni quantum ſatis eſſet particeps fieri poterat; ſæpe autem & in extaſi, plurimum temporis voce deſtituebatur, præſentes ſentiens, niſi quid in extaſi e ſacris myſteriis loqueretur. Ut illud, *Exaudi nos Domine*, aut *Sanctus, ſanctus* & hujuſmodi. Interdum & *Beati immaculati* ordine recitans intelligebatur. Si quis autem ex fratribus poſtea illum interrogaſſet: quidnam tibi accidit pater, & ubi fuiſti hactenus? Senui, inquiebat, fili & nugatus ſum, ac dæmone correptus neſcio quid fecerim. At iis qui importune de mentis contemplatione eum interrogabant jubebat eis dicere, quod ſenex dæmone correptus eſt, neque poteſt alicui occurrere. Quantum autem ſeipſum humiliabat, tanto magis celebris ejus fama per totum vagabatur, atque omnes currebant ut illum viderent atque ejus colloquia audirent.

Gaietæ præſidis conjux ægre poteſt illum convenire.

79. Quodam vero die Gaietæ præſidem conjunx precata eſt ire ad adorandum ſervum Dei; & ait illi vir: Faciamus primum illum certiorem, ne forte moleſte ferat, & triſtis a noſtra regione aufugiat, & privemur tanto bono. Tunc igitur nunciant illi hoc, adhortantes multum illum, cognoſcebant enim quod vehementer mulierum colloquia fugiebat, quodque numquam mulier in ejus monaſterium ingreſſa eſſet. Reſpondet igitur illi S. Nilus dicens: Compatiaris mihi per Dominum, quod cum eram mundanus dæmone correptus ſum, & ſanus factus ſum a Deo ex quo monachus effectus ſum, nunc autem ſi videro mulierem, ſtatim dæmon revertetur, & me cruciabit. Hæc mulier illa audiens & conſiderans, plus animata & alacris evaſit ad illum videndum, & tantum reſtitit donec venit, & ejus adoratione digna facta eſt. Prædixit tamen ne aliqua fœmina ex urbe, ſed viri illam comitarentur. At beatus pauca quædam de temperantia, caſtitate & eleemoſyna & timore Dei eam inſtruens, dimiſit cum gaudio ad domum ſuam: ipſe tamen onus magnum reputabat ac vehementer abhorrebat optimatium hominum congreſſum atque conſuetudinem, ut occaſionem inanis gloriæ & animæ damnum. Cogebatur tamen id admittere interceſſio pro iis qui ab illis affliguntur atque injuriam pa-

tiuntur, quos multos sæpe solis litteris a carceribus & suspendiorum laqueis eripuit, & si quis ejus epistolas collegisset, nimium utilem ex illis librum composuisset.

80. Ita autem fecit & ad concivem suum PHILAGATHUM archiepiscopum. Cum enim prædictus aggressus est Romæ thronum, non contentus ornatus magnitudine qua Deus ipsum admirabiliter decoravit, atque supra omnes extulit, utroque enim regno excellebat. Is quidem ut futura cognoscens, misit ad illum hortans locum dare humanæ gloriæ, quippe qui hac ad satietatem usque jam usus esset, & quiete ad monasticam vitam rediret. Ille vero non destitit ab armis, donec egressus rex cum præside, quem is insequebatur, intolerabilis iræ malum commissum est. Privatus enim ab ipsis opportunioribus membris, oculis inquam, lingua & naribus in carcerem detrusus est miserabilis, & a nullo visus. Hæc audiens pater Nilus, & tribulatione illa corde motus, coactus est in hoc senio, morbo & tempore non apto, quadragesima enim erat, Romam adire & regi supplicare. At rex cum patriarcha audito ejus adventu, ei obviam venerunt, & ex utroque latere apprehendentes ejus manus adduxerunt ad patriarchatus locum, medium collocantes, & illi a dextra atque a sinistra deosculabantur ejus manus, quamvis regis ita gestis nimium tristaretur, tamen omnia perferebat, si quo pacto petitionem assequeretur & ait ad illos: Concedite per Dominum mihi peccatori supra omnes homines & jam semimortuo seni, quod indignus existo hujusmodi honore; immo meum est adorare vestros pedes & vestras dignitates venerari. Attamen veni ad vestras amplitudines, non gloriam appetens, aut dona, aut census maximos, sed gratiam ejus qui vobis multum servivit, & multis malis affectus est, qui post baptisma vestrum utrumque suscepit, quique a vobis oculis orbatus est. Precor vestram pietatem date mihi illum, ut ego & ille simul sedentes, nostra peccata simul lugeamus. Tunc rex paululum lacrymatus, non enim omnia ex ejus voluntate facta fuerant, respondit beato: Omnia sumus parati perficere quæ tuæ sanctitati accepta sunt, si tu paueris nostræ obsecrationi, & contentus eris sumere monasterium in hac urbe quale volueris & nobiscum semper esse. Sene autem renuente urbis conversationem, dixit se illi daturum monasterium S. Anastasii, qui ex illorum gente, Græcorum scilicet, esset, & jam quærebat quovis pacto id ab eo impetrare. At agrestis ille papa, id est pontifex nondum satiatus iis quæ fecerat adversus prædictum PHILAGATHUM, ad lucens illum, & sacerdotalem stolam dilacerans in illo, per totam Romam illum circumduxit; quod audiens sanctus senex, & nimium ea re tristatus, non amplius petiit a rege archiepiscopum. Ut autem novit hoc rex, mittit unum ex suis archiepiscopis, nimium eloquentem ad placandum senem, ad quem dixit sanctus: Abi, inquit, & dic regi & pontifici, hæc ait Caloierus senex, Concessistis mihi cæcum hunc, neque propter timorem neque ob magnam meam potentiam, sed propter solam Dei caritatem. Nunc igitur quæcumque illi adjecistis, non illi, sed mihi feciſtis; immo vero in ipsum Deum injuriam intuliſtis. Scitote igitur quod quemadmodum vos non compassi estis, neque misericordiam ostendistis erga eum qui a Deo manibus vestris traditus est; ita neque pater vester compatietur vos, neque miserebitur vestrorum peccatorum. At loquax ille episcopus apprehendens sanctum, non desinebat excusare regem ac pontificem. At senex inclinans caput ante illum, simulabat dormitare. Ut autem ille vidit neque prorsus illius sermonibus intendentem, surgens abiit. At sanctus statim cum sociis suis fratribus ascendens jumenta, per totam noctem illam pervenit ad monasterium, orationi & sibi ipsi attendens, & Deum assidue sibi concilians. Non multis autem post diebus pontifex quidem veluti tyrannus quidam ab hoc mundo abstrahebatur, ut quosdam audivi dicentes, oculos inflammatos habens, & extractos a loco proprio, & ad maxillas gestans, ita sepulchro traditus est.

Philagathum archiepiscopum exulem a rege & pontifice pellit.

Contra pontificem archiepiscopum invectus.

Similem ei Nilus prænuntiat fortem.

81. At rex pœnitentiam agere pollicitus, pedibus iter fecit a Roma ad Garganum montem ad Angelum exercituum principem cœlestium, & ejus reditus fuit per hospitium patris Nili. Cum igitur venisset supra monasterium, & vidisset cellulas fratrum circa oratorium, dixit: Ecce tabernaculum Israël in eremo, en cives cœlestis hierarchiæ, hi non ut incolæ, sed ut viatores hic versantur. At beatus jubens processionem fieri, occurrit illi cum omni fratrum congregatione, ac cum omni humilitate ac pietate eum veneratus est. At rex supponens manum & sustentans senem, ingressi sunt simul ad oratorium. Postea oratione facta, dixit rex sancto: Dominus noster JESUS CHRISTUS donec simul aderat apostolis, jussit illis non peram, non virgam, neque duas tunicas possidere. Ac rursus ad passionem proficiscens eis præcepit: *Sed nunc qui habet marsupium tollat & peram.* Et tu igitur cum jam consenueris, & ad cœlum sis profecturus, satage tuorum filiorum, ne forte te separato loci angustiis dividantur. Nos dabimus monasterium & reditus in quavis regni nostri parte tibi placuerit. At sanctus respondit: Davidem audisti dicentem: *Salva me, Domine, quoniam defecit sanctus, quoniam imminutæ sunt veritates a filiis hominum.* Et rursus: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Si qui mecum sunt, vere sunt monachi, & pro viribus servabunt mandata Christi, ipse qui

Rex accedit ad S. Nili monasterium, qui oblata ab eo respuit.

Anastasius rex & ejus Nilo ministerio.

hucusque mecum gubernavit, multo magis illorum sataget, & sine me, cui non in potentia potentis, neque in curribus viri beneplacitum est; sed in his qui sperant super misericordia ejus. His & multis aliis dictis, surrexit rex ut discederet; & rursus conversus ad senem, dixit: Pete a me, ut a filio tuo, si quid volueris, cum omni enim promtitudine id tibi perficiam. At beatus extendens manum ad pectus regis dixit: Nihil aliud opus habeo a tuo regno, nisi tuæ ipsius animæ salutem. Quamvis enim rex existas, tamen ut quivis alius ex hominibus moriturus es, & ad judicium te assistere oportebit, & rationem reddere bonorum & malorum: quæ rex audiens lacrymarum guttas effundebat. Postea coronam inclinans ad manus sancti, & benedictus ab illo simul cum omnibus qui secum erant, ibat per viam suam. Sed neque hic judiciorum divinorum finem evasit: statim enim Romam profectus, & seditione mota, secessit fugiens, & in itinere mortuus est. At patres murmurabant adversus sanctum, quod non suscepisset gratiam a rege, qui volebat illis monasterium largiri. At pater ad illos dixit: Ego quidem ut amens locutus sum quæ dixi, vos autem paulo post cognoscetis quæ sentitis. Postea vero audientes mortem regis, admirati sunt patris œconomiam.

B. Stephani mors & elogium.

82. Illis autem diebus ægrotavit beatus Stephanus lethalem morbum, animam igitur illo efflante, & sene illi assidente, congregati sunt fratres omnes circum, & ait magnus pater: Frater Stephane; is statim sedens manus ligavit, & attendebat animum patri beato, postea ad illum dicit: Benedic fratribus quoniam deficis. At hic extendens manus fecit quod illi jussum erat. Et rursus ait illi pater: Quiesce paululum, quoniam non amplius vim habes, & recumbens obediens fuit, mortuus est, etiam in morte obedientiæ servator existens. Postquam autem » ille expiravit, lugebat senex, dicens: O bone » Stephane, qui mihi adjutor atque collabo» rator extitisti, post tot annos separamur & » vicissim privamur. Et tu quidem vadis ad » requiem, quam tibi præparasti, ego vero ad » pœnam remaneo. Tu athleta & martyr es, » ego enim tibi carnifex fui. Id autem loquebatur senex, siquidem ad senectutem usque non destitit eum affligere, sciens illum certatorem generosum esse ac pugilem; veluti enim novaculam quamdam, aut aliud quodvis instrumentum illum habebat ad excitandos eos qui inobedientes erant & intolerabiles. Cum igitur in ecclesia aliquis stertebat, ipso interpretante sacram lectionem, dicebat ipse beatus Nilus simulans se ignorare: nemo est qui stertat nisi solus Stephanus, ejicite illum extra, ne forte doceat vos malum morem. Sæpe autem ex mensa eum ejecit cum injuriis atque contumeliis, ut im-

A modeste comedentem, eo pacto corrigens eos qui id faciebant. Denique si quid peccati commissum fuisset inter omnes fratres, Stephanus reprehendebatur ut omnium peccatorum reus. Neque hoc satis erat, sed cum fratribus laborans senex existens supra septuaginta annos, & ob senium nimium curvatus, & ob multas infirmitates, neque in æstate cum frumentum meteretur & trituraretur, a labore & solis ardore removebatur, quominus in area permaneret, & ubi opus vilius & sordidius & laboriosius erat, ibi ipse inveniebatur. Denique per omnes suæ vitæ dies non vidit remissionem labo-
B rum in quavis ætate. Cum autem ad beatam & sempiternam requiem immigravit, præcepit pater duplex sepulchrum construi, id est, quod duorum esset capax, eo consilio ut cum ipse beatus Nilus vitæ suæ cursum perfecerit, eodem sepulchro contegatur cum beato Stephano. At princeps Gaietæ nimium Dei amator, & multum fidei beato patri adhibens, cum didicisset causam sepulchri, Si pater obierit, huc illum deponam? an non ad urbem meam illum abducens ibi recondam, ut sit Gaietæ propugnaculum inexpugnabile? Hæc audiens beatus senex, & ni- S. Nilus tesciri studet.
C mium ea re tristatus, deliberavit rursus illinc transmigrare, & eò ire ubi a nemine cognosceretur; malebat enim male mori potius quàm sancti opinionem de se aliis relinquere. Immo apud omnes studebat sese iracundiæ obnoxium, contumeliosum, & omnium affectuum vinculo detineri. Multi autem stulti erant & scandalizabantur. Nos autem qui cum illo simul comedimus & bibimus indigne, certi sumus & testamur coram Deo & angelis ejus ita sanctum fuisse beatum Nilum, ut unum ex divinis patribus & omnes superasse qui hac tempestate sunt, sive signa fecerit sive non, quod....
D signa facere multi stulti quærunt, suæ ipsorum vitæ nullam habentes rationem, quæ res & apud multos hæreticorum inventa est: hoc autem dixi, non ut ejus gratiam miraculis caruisse significem, omnibus enim qui in capite oculos gestant, ea semper manifesta sunt, sed ut importunam & stultam interrogationem reprimam. Omne enim quod a Deo quæritur vita probata est, miraculorum autem multitudo & virtus, si cum vita bona conjuncta effulgeat, cara & jucunda
E est, quod si a vita dissentiat, contemnenda est. Sed ad propositum revertamur.

83. Deliberans igitur pater noster Nilus derelinquere monasterium quod Serperis vocabatur, ubi decimum annum in exercitatione perfecit, vix equo ob senium insidens, Romam venit. At fratribus ejus separationem lugentibus, dixit: Ne lugeatis, ô patres & fratres, eo enim parare locum & monasterium, quo congregem omnes fratres & dispersos hos filios meos. Illi autem non in- Romam profectus apud Tusculanum sedem figit.

telligentes quænam eſſent quæ dicebat, con- A
ſolationem habebant. Deo igitur ducente
ipſum ad præordinatum ſepulturæ ſuæ lo-
cum, juxta Dei providentiam pervenit ad
villam quamdam nomine Tuiculanum, quod
decem milliaribus a Roma diſtat. Circa quod
Tuſculanum conſtructum eſt monaſterium
paucorum fratrum ejuſdem generis in no-
mine S. Agathæ, atque ibi diverſans ſanctus,
atque ea verba prophetæ enuntians: *Hæc re-
quies mea in ſeculum ſæculi*, non amplius dein-
de aliquis potuit eum inde avellere, quam-
vis qui ibi fratres erant moleſtiam inferrent,
ac Romanorum optimatium nonnulli eum B
adirent ac ſupplicarent, ut Romam veniret,
& per ſanctos apoſtolos omnium principes
adjurabant: quibus reſpondit, quod omni
ex parte laudandos & beatiſſimos & ſummos
apoſtolos ii qui fidem habent ut granum
ſinapis, hinc adorare poſſunt, quamvis ego
indignus ſim etiam ipſos nominare. Ad hunc
autem vilem locum nulla alia ex cauſa veni,
niſi ut diem meum obeam. At dux illius
municipii GREGORIUS nomine, qui in tyran-
nide & iniquitate notiſſimus erat, nimium
autem prudens & ingenii acrimonia excel- C
lens, deſcendens & procumbens ad pedes
ſancti hæc dixit: Ego quidem, ſerve Dei al-
tiſſimi, ob mea multa peccata non ſum di-
gnus ut ſub tectum meum intres, & unde
mihi hoc, ut tu homo Dei ad me venias?
Quoniam autem imitans tuum magiſtrum
ac dominum prætuliſti me peccatorem juſtis
hominibus, ecce domus mea & totum ca-
ſtrum cum confinio ſuo ante faciem tuam,
ſi quid jubes, fiat ut vis. At beatus ad illum:
Benedicat, inquit, Dominus & te & vos
omnes domeſticos atque cives, quam mini- D
mam vero partem in tuo regno nobis con-
cedas, ut ibi quieſcentes Deum pro pecca-
tis noſtris placemus, & pro tua ſalute pre-
cabimur. Tunc GREGORIUS multa cum prom-
titudine fecit quod ille petiit.

S. Nili obi- 83. At fratres qui reſtiterant in monaſte-
tus. rio, poſt duos menſes audientes quod non
redit ad illos pater, demigrantes cum me-
lotis ac pellibus caprinis, & omni ſupelle-
ctile, pervenerunt ad locum dedicatum a
principe Tuſculani pro monaſterio. Cum
autem beatiſſimus pater didiciſſet eorum ad- E
ventum, exultavit ſpiritu, & illis ita ſignifi-
cavit: Satis mihi eſt, patres ac fratres, quod
propter Deum & ejus caritatem veniſtis huc-
uſque. Nunc igitur obſecro caritatem ve-
ſtram, ut expectetis donec ego ad vos per-
veniam. Dum igitur ſeipſum accingebat,
ut propriis pedibus iter faceret, erant enim
fratres fere tribus milliaribus diſtantes, con-
vocans fratres qui una illi ſtudebant, & præ-
poſitum Paulum, cui multis ante diebus præ-
ſtiterat præſidendi officium, erat autem vir
hic & ætate & prudentia canus, exercitatione
& philoſophia excellens, his partibus exi-

guas ſuas veſtes lacerans, nihil enim aliud
habebat ex mundo, ne minimum quidem
quadrantem, juſſit ut vivificantia Chriſti my-
ſteria participaret. Poſtea dixit præpoſito &
fratribus: Precor vos, fratres, ſi mortuus
fuero, ne moremini corpus meum terra te-
gere, neque in domum Dominicam depo-
natis, neque monumentum ullum ſupra me
conſtruatis, aut alium quemvis ornatum. At
ſi omnino vultis aliquod ſignum imponere
loco in quo poſitus ſum, æquale ſit a parte
ſuperiore ut peregrini illic requieſcant; ete-
nim & ego peregrinus fui omnibus diebus
quibus vixi, & memores mei eſtote in ſan-
ctis orationibus veſtris. His dictis, & bene-
dicens illis & bene precatus, extendit pedes
ſuos & ſeipſum declinavit in cubili ſuo. Fuit
igitur duos dies non converſans neque ocu-
los aperiens, & admirabantur illum viden-
tes, quoniam non ut moriens videbatur, ſed
ut requieſcens, ſolum autem labia movens,
& dextra manu ſe ſignans cruce, exiſtimia-
batur a præſentibus orare. At quidam ex
fratribus admovens aurem ori ipſius hunc
ſolum verſum intellexit, *Tunc non confundar
cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.* Cum
autem dux Gregorius eam rem audiſſet, feſ-
tinans deſcendit a caſtello ſuo, ſecum me-
dicum Michaëlem artis medicinæ peritiſſi-
mum ferens, & procumbens beato, lugens
dicebat: O pater, pater, quare ita celeriter
me dereliquiſti? Quare peccata mea execra-
tus es, & me dimittis? Exoſculans autem
ejus manus dicebat: Ecce non amplius pro-
hibes me oſculari manus tuas, quemadmo-
dum antea faciebas, Non ſum, inquiens,
epiſcopus aut preſbyter, neque diaconus, ſed
ſolum monachus exiguus: quare igitur vis
oſculari manus meas? Hæc autem dicens
tantum lacrymabat, ut omnibus præſentibus
lacrymas excuteret; tangens autem & me-
dicus ejus pulſum, affirmabat eum non mo-
riturum, non enim eſt in illo febris, neque
aliud mortis ſignum, & revera ita erat. Diſ-
cedentibus autem illis cum eſſet hora lucer-
narum, erat autem memoria apoſtoli Johan-
nis & Theologi, viſum eſt fratribus ſanctum
ad eccleſiam ducere; recordati enim ſunt
deſiderii & amoris quem ille in ſanctorum
memorias præ ſe ferebat. Et quemadmodum
ſemper dicebat, quod decet monachum in
oratorio mori, niſi neceſſitas prohiberet. Hoc
autem facto, & veſpertino hymno finito, ſol
cognovit occaſum ſuum, & ipſe tradidit ſpi-
ritum; & opus erat dicere, ſol occidit cum
ſole, & diſceſſit lumen a terra in die illa, &
lucerna a facie videntium. An non & ipſe
prævidit præſentem caliginem & defectum
ſanctorum docentium & illuſtrantium alios?
Et ubinam aliud ſolamen noſtra tempeſtas
reperit, quale id erat quod in die illo ami-
ſit? Multos enim invenies continentiam exer-
centes, qui nullam aliam utilitatem aliis af-

ferant docendo; nonnullos vero plurimos, doctrinæ quidem vacantes, ab operibus tamen desistentes: quibus omnibus ille excellens ambidexter vere existebat, utroque oculo, & doctrina scilicet, & vita pollens. Præterea in hac tempestate quæ non oculo, sed ambobus caret, & tenebris maximis degit: quod ita futurum & ipse longe antea in extasi prospexerat; videbat enim omnes homines atque omnia animalia, omneque reptile super terram in cœcitate & tenebris versari, caliginem vero profundissimam, & nefandam supra orbem terrarum fusam, atque ea quidem antea. Nunc autem cum terrena omnia dereliquerit, spiritu cœlos inambulat is qui sempiterna memoria dignus est. Totam quidem noctem illam in psalmis & hymnis funebribus transegimus.

Ejus exequiæ.

84. Mane autem facto bajulantes lectum cum *cleris, thurificationibus, & psalmorum cantu, adduximus reliquias ubi fratres beatum expectabant. Cum autem e regione illis facti sumus, & psalmorum cantus audierunt, exiere & obviam nobis venerunt omnes, juvenes, senes, parvi & magni, toti lacrymis madefacti & amare lugentes: deponentes igitur ad terram lectulum, & psalmis omissis, omnes simul lugebamus communem calamitatem, privationem, & nostram orbitatem. Nihil autem aliud erat videre, aut conjicere, quam quod de Jacob scriptum est, cum venerunt filii ejus ad aream quæ ultra Jordanem est; & laborem magnum & validum nimium inciderunt: etenim & nos parva area circumdabat, & novus Jacob mortuus jacebat in feretro, & filii Israel lugebant, & incolæ illius regionis, quicumque cum Gregorio principe inventi sunt, qui non solum quæ nos faciebamus spectabant; sed & collugebant, & consecuti sunt donec reliquias ad locum perduximus, & in prædestinatum locum deposuimus; quemadmodum ipse nobis præceperat. Permansit autem in sepulchro omnis fratrum societas una cum duce prædicto, operans & in patientia laborans, propterea quod locus impræparatus erat, quotidianum panem animæ & corpori convenientem. Multi autem ex ejus filiis spiritualibus, qui antea dispersi erant, propter ejus legationem & intercessionem apud Deum convenerunt, & ad illius sepulchrum cubuerunt viri vere desideriorum quæ ad spiritum pertinent, & pleni gratia & virtute. Quorum omnium intercessionibus digni nos habeamur, qui legimus atque audimus divinos ac virtutis plenos labores illius, participes fieri ipsorum gloriæ in regno cœlorum in Christo Jesu Domino nostro, cui gloria cum Patre & Sancto Spiritu, nunc & semper, & in sæcula sæculorum. Amen.

* f. cereis.

HYMNUS AD B. NILUM e græco versus.

Hoc die sanctus pater atque rector
Nilus e terra penetravit alta
Sidera, & magni fruitur beato
Regis honore.
Hoc die cœtus coiere fratrum
Ad sacrum patris tumulum frequentes,
Quique disjunctis morabantur ante
sedibus adsunt.
Ceu puer charam quærulus parentem
Quærit atque illam reperit carentem
Spiritu, ingenti cumulat priorem
Vulnere plagam.
Sic vident Nilum comites jacentem
Quis manu sancta benedixit, atque
Recta felicis docuit tenere
Dogmata vitæ.
Dum chorus multum lacrymans gemensque
Exitum patris dolet, atque ad illum
Hæc ait, Cui nos miseros beate
Nile relinquis?
Ille ad æternum properat parentem,
Ad beatorum superum catervas,
Hinc tuum oramus genus & nepotes
Respice fautor.

Officium beati Nili celebratur 26. Septembris. Beati vero Bartholomæi 11. Novembris.

VITA ET CONVERSATIO
SANCTI PATRIS NOSTRI
BARTHOLOMÆI JUNIORIS CRYPTÆ FERRATÆ.

Proœmium. 1. Nihil eſt quod magis ad bonorum operum imitationem excitare ſoleat, quam ſanctorum patrum memoria, atque eorum quæ illi egerint ſincera narratio; quæ magno cum ſtudio conſideretur, & benignorum filiorum auribus tradatur. Æmulationis enim veluti ſtimulum quemdam auditorum animis injiciens, amore ferventes, atque ad illorum actiones imitandas alacriores reddit, utque idem ſtudium ſubeant hortatur: præſertim ſi ea recordatio de iis fuerit, qui noſtra tempeſtate ut luminaria effulſere, quique bonorum operum ſplendore ad idem iter ſubeundum reliquos ſunt hortati.

Quod cum ita ſit, talium virorum actiones litteris mandari, eaſque annuis honoribus celebrari debere haud indecorum, ſed operæ pretium eſſe arbitror. Etenim ſi qui ex carne & corruptione nati ſunt, cum aliquid de ſuis parentibus quod generoſum ſit audiunt, audientes geſtiunt, neque facile ab earum actionum narratione mentem avertunt; ſed attentos animos ad ea quæ de illis recitantur habent, ac ſtudent fortitudinem & trophæa imitari: quanto magis qui in ſpiritu geniti ſunt, atque incrementum ætatis, quæ ſecundum Deum eſt, in diem capientes, atque ad menſuram ætatis, quæ ſecundum Chriſtum eſt, pervenire ſperant: nonne & ipſorum politiam ac ſinceram vitam, rectoque facta libenter audient, atque ſtudioſius perſcrutabuntur; ut illorum memoriam indelebilem ſuis cordibus circumferentes, eorumdem veſtigia imitantes, eadem quoque præmia & coronas conſequantur.

2. Qua in re merito quis dubitare poſſet, ſi illi ſuorum heroum res præclare geſtas multo cum ſtudio conſcripſerunt, tantumque diligentiæ impoſuerunt, ut ne una quidem illorum actio ſilentio ſit prætermiſſa, quamvis nullam utilitatem hominum vitæ eſſent allatura. Noſtrorum vero heroum præciariſſimas res geſtas, ita ſplendidas, venerandas, magnas atque admirabiles, quæque præter ſplendorem multum utilitatis ſecum afferunt, oblivionis profundo ſinamus obſcurari, ac diuturno temporis curriculo occultari.

Si enim quam veriſſime hi ſua nomina in libro vitæ ſtuduerunt ſcribi, noſtris laudibus non opus habent, ſed nobis multis exemplis A opus eſt, qui in hac vita verſamur, quique carne hac degravamur, atque ab inviſibilibus inimicis impugnamur aſſidue. Illi enim res quas illinc expectabant, iis quæ in manibus habebant præferentes, ſuperioris urbis hæredes fieri cupientes, ipſique regio throno aſſiſtere, & incorruptibili lumine illuſtrari, fluxa & ea quæ prætereunt prorſus contemſerunt, nullamque omnino carnis providentiam habuerunt: quocirca & apud homines laudem aſſecuti ſunt ac venerationem; Deo vero amabiles evaſerunt, atque ad angelo- B rum ſortem & gloriam digne pervenerunt.

3. E quorum numero unus eſt divinus pater noſter Bartholomæus, tantoque admirabilior, quod non in propria, neque in his quæ affinem, ſed diverſam linguam habent, & peregrina terra, quod non parum eſt ad viri laudem, tantum virtute effulſit, ut in illo perfecta ſint omnia Dominica præcepta. Effulſit enim quod in illo lumen fuit, non ſolum in Italia, ſed in omni confini regione C & urbe, fuitque lucerna non ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſita, quodque ſuper candelabrum lumen erat orbi oſtendens; neque urbs abdita & latens, ſed ſuper montem poſita, & virtutum fulgoribus fulgurans. Fuit ſal non foras projectum, ſed cum ſtudio inquiſitum, & ſuaviter ſumtum, omnemque amaritudinem & inſuavitatem ab animis expellens. Quamobrem amabilis & admirabilis extitit, & clarus non ſolum confiniibus, ſed omnibus imperantibus, principibus, ipſiſque regibus; quique eo tempore Romanæ eccleſiæ præſidebat, atque apoſtoli- D cæ ſedis gubernacula viciſſim ſuſceperat pontifex, hunc nimium carum habebat, atque ab hujus lingua pendebat, omniaque quæ ab illo dicebantur, libenter pontifex audiebat & perficiebat. Sed hæc proprio loco dicentur. Aggrediatur autem nunc oratio ea quæ maxime ſunt opportuna.

4. Hic natus eſt in Calabrorum terra, pios parentes ſortitus, a teneris unguiculis monaſterio traditur; virtutem autem ſibi conVictricem elegit, atque in puerili fremitu canam oſtendebat mentem: non enim ludis vacabat & jocis, neque adulationibus, curſibus & ſaltibus, quibus ut plurimum juventus ſolet delectari; ſed orationi incumbens & lectionibus, Deique pietatem exercens, & Bartholomæus puer in monaſterio traditus ut ſe gerebat.

ad virtutis ſummum faſtigium accelerans. Omnium autem quæ recte gerebat jejunium erat præcipuum, quod ad ultimum uſque ſpiritum ſervare ſtuduit. Tunc autem puer nimium exiſtens, in propinquo vico ab iis qui in ea manſione primas tenebant, mittebatur. Igitur ut puer, ſi quid manſioni illi opus fuiſſet; comedentes autem ſæpe eos qui illic erant inveniens, atque una cum illis comedere rogatus, non tolerabat, decenti excuſatione illorum precibus occurrens: cum enim in cœnobio, inquit, pranſus ſim, ſatur ſum: ita hos rejiciens, jejunus ad manſionem revertebatur. Illicque rurſus a monachis ad prandium vocatus, ſimilia faciens, jejunii bonum inviolatum ſervabat.

S. Nili fit diſcipulus.

5. Cum ita igitur ipſe in hac ſocietate optime eſſet educatus, beatiſſimi Nili fama ut Dei angelus, per omnes partes perveniens, omnes virtutis ſtudioſos ad ſeipſum convertebat, Nilum, inquam, juniorem, qui & ipſe Calaber erat. Quietis autem & receſſus amore detentus, patriam quæ illum genuerat derelinquens, locos ex locis permutans ad Latium pervenit. Hominum enim gloriam ut virtutis impedimentum fugiens, maxime deſertis locis ſeſe tradidit. Sed quoniam juxta Domini vocem non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita, non quidem latebat, ſed tuba penetrabilius, hujus virtutem fama perſonans manifeſtum hominem reddebat. Ergo & in Campaniæ partibus cum monaſterium conſtruxiſſet ad illum perrexerunt ſexaginta monachi, cum quibus una venit qui nobis nunc ad narrandum præpoſitus eſt Deo carus puer Bartholomæus.

6. Rurſus igitur & hic monaſterium, & priorum laborum, & ſudorum reſumtio; & rurſus Deo gratus juvenis cum prioribus ſe extendere ſtudebat, adeo ut aliquando cum lectio incidiſſet, omneſque obdormiſſent, ſolus hic remanſerit cum patre vigilans, ac difficilia ſcripturæ loca inquirens, quæ a magno illo ſolverentur: adeo ut pater admiratus, illis ſegnitiem objiceret, quippe qui ſomno gravi tenerentur, nec adoleſcentulo ſe in vigiliis æquales oſtenderent; ac illius ſtudium, ac quam in rebus ſeriis promtam operam navabat, acceptam ſe habere affirmabat. Quid deinceps accidit? decebat magnum patrem Nilum longis laboribus ſolutum fructus percipere, atque ad meliorem vitam immigrantem incorrupta frui ſempiternitate, quæ res evenit, in bona enim ſenectute vitam diſſolvit, & quem dilexit Chriſtum, ad eum peregrinatur.

Ejus tertius ſucceſſor extitit.

7. Cumque duo poſt hunc fratrum principatum ſuſcepiſſent, tertius admirabilis Bartholomæus muneri ſucceſſit, non honorem ſequens, ſed quem honor ſequeretur, ac multo magis ab eo qui ſecundum Deum comitatus erat coactus. Quamvis autem ætate imperfectus eſſet, & inferior qui tali co-

A natui ſufficeret; tamen & hic humilitatem oſtendens ac modeſtiam, non ſolum talis congregationis dux eſſe voluit, ſed unum ex his qui intellectu & prudentia excelleret ſibi ſocium gubernationis delegit, quamvis invidia non diutius id longius progredi permiſit. Ubi autem lux ſupra candelabrum poſita eſt, & lucere bene præparata eſt, quid opus eſt dicere, quam iis qui ſub illo regebantur erat exoptatus, quamque facilem iis qui illum adibant ſeſe exhibebat, iis qui longe erant admirationem ſui concitabat, iis vero qui prope illum habitabant, ſe amabilem B reddebat; ſermone dulcis, cognitione ſapiens, & circa cantuum elucubrationes vehementer elaborabat: cujus rei teſtes ſunt omni ex parte docti cantus quos ad ipſius ſupra modum immaculatæ Virginis divini Verbi matris, ac reliquorum ſanctorum laudes compoſuit; quique omni ſcientia referti erant, & concinnate. Quodque maxime eſt admirabile, quod & his quæ præ manibus habebat, diligentiam atque curam adhibebat, ut gubernaret ſcilicet eos qui illi erant commiſſi.

Sub eo monachorum numerus augetur, templumque S. Mariæ erigi.

8. Cum igitur ſapienter & ut Spiritus-ſanctus exigit, commiſſam ſibi adminiſtrationem geſſiſſet; ac ſocietas illa cui præerat C mirum in modum proficeret, monachorum multitudo in dies augebatur, tantamque divina gratia ei opem afferebat, ex illius ſententia res diſponens, ut in aliena regione populum in Deiparæ Virgini nomine ingentem coadunarit, templumque perpulchrum beatiſſimæ Virgini erexerit. Hoc, inquam, quod ab omnibus peregrinis atque indigenis viſitur, ubi Deum celebrare conſuevimus, multiſque imaginibus illud adornavit, ſacriſque vaſis ac veſtibus pretioſis & delectabilibus.

Miraculum.

9. Sed non erit ab re quod, dum templum D conſtrueretur, miraculum contigit memoriæ prodere. Cujuſmodi beatus ille exiſtebat, iſtiuſmodi miniſtris utebatur. Columnis ſanctis hic vir templum ipſum fulcire in animo habebat; cumque una ex his in ſublimi eſſet loco, quibus illam efferendi negotium commiſſum erat, ad declivem locum detrahentes, ut ſine manuum opera deferretur, præparaverant. Cumque lapis ipſe vehementi cum motu præceps deſcenderet, unus ex monachorum cœtu ſaxi neſciens deſcenſionem, E in medio itinere qua illud currebat, ſtabat, alias res agens, quodque fiebat non animadvertens. Cum vero qui lapidem projecerunt, ipſum recta decurrentem vidiſſent, monachum vero ne minimum quidem advertentem, neque ad alteram viæ partem declinantem, ad illum ſunt vociferati, illum admonentes ut ſaxo ruenti cederet, hic ſenſim converſus cum lapideam columnam deſcendentem vidiſſet: Siſte, inquit, atque illico inanimatum ſaxum monachi illius verbo velut compedibus devinctum jacuit, omnemque

que impetum repressit. Hoc quidem ita se habuit cum maxima omnium admiratione.

Aliud miraculum.

10. Alterum illo non minus admirabile postmodum evenit. Prope templum murus existebat ex luto & lapidibus compactus, sub cujus umbra beatus hic corpus laboribus defessum paululum recreabat. Sed hic paries sive ob insidias dæmonis malorum auctoris, sive fortuito, ut sæpius evenire solet, ei qui sub illo jacebat monacho perniciem minabatur, id tamen clam. Itaque in quadam nocte corruens in terram prostratus est. Sed ô celerem Dei opem! ô velocissimum in ejus servos subsidium! murus in eam partem in qua monachi lectus erat cecidit, monachus vero cum grabbato dormiens, remque omnem, prorsus ignorans, alibi servabatur. At postea dicemus quæ supersunt. Nunc vero eo redeamus, unde digressa est oratio. Atque iterum ad divinum Bartholomæum nos convertamus, ac dicamus quam venerabilem illum virtus ipsa apud omnes reddidit, quodque antea breviter perstrinximus, nunc manifestius explicemus.

Simul nemo præinjungitur propter commissum peccatis dignitati exitii.

11. Qui apostolicæ sedi eo tempore præsidebat cum esset juvenis, quod utinam numquam contigisset, voluptatibus delinitus ac victus, humanum incurrit delictum. Sero autem a malo resipiscens, atque commissi peccati veniam quærens, hujus intercessionem sibi delegit, quo pacto sperabat fieri posse, ut Deo reconciliaretur: quamobrem hominem ad se vocat, at quanta cum reverentia & benignitate? aperit huic delictum commissum, convenientem medicinam expetit. Hic vero non throni excellentiam obstupuit, non in honoris sublimitatem aspexit, non munerum aut honorum rationem habuit, quod plurimi faciunt animarum medici, sed ad malum quod curatu difficile erat. Quamobrem opportunam illi sectionem adhibens, Non licet, inquit, tibi rem sacram agere, sed operam dare ut divinum numen tibi propitium reddas, quod peccatis adversus te irritasti. *Ille nulla cum mora throno derelicto, statim ut privatus apparuit. Et ita quidem pontifex se gessit.*

Gaieta capitur, intercedente B. Bartholomæo, liberatur.

12. Quantum autem & principibus carus exstiterit, oratione declarabimus. Cum Salerni princeps Gaietæ imperantem tyrannice invasisset, in bello illum cepit, ac vinctum Salernum adduxit. Qui cum Gaietæ domino consanguinitate conjuncti erant, omnem, ut dicitur, lapidem movebant, ut illum ex vinculis & tyrannicis manibus eriperent. At nullo pacto poterant. Ubi autem de re ipsa desperabant, ac nullibi auxilium erat, omissis omnibus, ad tranquillissimum portum confugerunt, ad nostrum, inquam, patrem. Postea quam igitur cum Tusculanæ urbis primatibus rem communicarunt, illuc sanctum virum adducere student, quid non dicentes, quid non facientes eorum quæ animum poterant flectere, lugebant miserabiliter, ferventer supplicabant, manus amplectebantur ad illius pedes provoluti, cum dicerent se non dimissuros, neque discessuros propterea quod præter eum neminem alium habebant, quem sperarent illi misero posse esse adjumento. Flectitur horum supplicationibus, qui non poterat committere ut animam dolore afflictam videret, subit itineris laborem, ut pro amico animam offerat juxta Domini vocem. Quid igitur ex ea re fit? Quidque eos qui illum glorificant, multo magis extollens, hac in re dispensat? Ubi princeps audiit hunc prope esse, multa cum turba ad illius occursum exit, non enim ignorabat hujus viri sancti virtutem, sed bene perspectam illius probitatem habebat: itaque humaniter eum accipit, ac blande amplexatur. Sed post hæc reliqua narrationis pars mihi erit suavissima. Etenim etsi oratio paulo a proposito digredietur, tamen majore admiratione erit dignior. Monachus quidam prope Salernum habitabat, hujus sancti viri famam apud omnes celebrem audiens, ac de ejus exercitatione & exacto atque incomposito & abjectissimo vivendi modo, tunc cum illum vidisset a principibus comitatum, passus est quiddam humanum, falsa esse quæ de illo audierat suspicans, Numquam, inquiens, qui in ea gloria est & satellitio, virtutum quas audivi effector esse credi posset. Cum ita sentiret monachus ille, cumque adveperasceret, ad somnum conversus est, atque illico tale somnium illi apparuit. Videbatur mulierem perspicere pulchritudine supra modum effulgentem, purpureo habitu indutam, illique adversantem, atque ea quæ de illo suspicatus fuerat objicientem. Cur, aiebat, non profectus meum eremitam adorasti? Cum autem hic ad aspectum obstupuisset, ex habitu vero & splendore qui ab illa exiliebat, sanctissimam Deiparam illam esse conjiciens, cum tremore multo ac formidine ad illam respondit: Ecquis, inquiens, ô hera tuus est eremita? At hæc ad illum: Qui nunc, inquit, urbe mhanc adiit monachus BARTHOLOMÆUS nomine. Ego enim hunc eremitam & habeo & voco. Cum ita monachus audisset, e somno excitatus, & rem visam considerans, magno cum studio sanctum convenit, atque ea quæ de illo falsò cogitaverat ei aperit, quodque illi in somnis visum erat, veniamque petens & assecutus, domum lætitia affectus rediit. Itaque monachus sanctæ Dei Matris provisione adjutus, quam de sancto illo viro opinionem antea habebat eam recepit. Gaietæ vero princeps non solum vinculis & carcere ereptus est, verum etiam & alterius principatus potestatem a principe, Bartholomæo intercedente, est adeptus. Atque ita lætus ad propriam regionem rediit, Deo gloriam referens atque ejus sancto viro plurimas gratias agens.

De Johanne ſcholaſtico.

13. Addatur his quæ dicta ſunt & ſcholaſticus Johannes dicta confirmans, & oſtendens ſanctorum erga ſanctum virum caritatem. Hic ex Sicilia inſula motus, audita hujus viri virtute, ingenii præſtantia & prudentia, cupiebat & e facie illum agnoſcere, ejus ſermonibus frui & orationibus. Quod igitur volebat opere perficiens, viam eſt aggreſſus, atque intra paucos dies monaſterium adiit. Quodque cupiebat, quoad potuit aſſecutus, Romam pergere in animo habuit, atque apoſtolorum principes Petrum & Paulum adorare, quod & fecit. Cum igitur illos adoraſſet, non multos dies ibi commoratus, cumque a beato illo viro non eſſet aſſecutus, ut ibi cum aliis ejus gubernationis atque curæ particeps eſſet, (quæ res divina diſpenſatione fortaſſe facta eſt, ut quam & ſancti apoſtoli in eum virum ac totum terrarum orbem caritatem haberent, illi manifeſtum fieret) condemnata ſancti viri inhumanitate ut ſævitia, ad ſuam regionem abſque hujus colloquio & oratione redire conſtituit. Navigium igitur aſcendens, viam ſubiit. At hic quidem ita & conſtituit, & faciebat, providentia vero Dei alia tentabat. Ut enim mari navis applicuit, adverſus ventus irruens aliàs aliis locis hanc impellebat. Multis igitur diebus cum hic in mari oberraret, totus ingemebat animo conſternatus, non enim aliud quam ex maritimis aquis maritima mors imminebat. Cum igitur ipſe cum his qui una navigabant in ea fluctuatione verſaretur, ob idque conſilii expers quidnam eſſet facturus: interea navis quædam altera eo ſeſe admovere viſa eſt, ubi vero ab iis didicit quod e Melpha eſſent, ac Romam iter tenerent, ut & illum una ſecum veherent, ab iis impetravit. Quo facto, proſpere illis navigatio ſucceſſit, ac Romæ portum tenuerunt. Ubi Johannes ſcholaſticus e navi exiit, atque in loco quodam maritimo quietem, & laborum ceſſationem cepit triſtis atque animo anxius, cum quid ageret illi incertum eſſet. Atque ei ſic animo affecto, duo viri apparuerunt per mare ad illum venientes, qui ſanctis, atque apoſtolorum ſummis Petro & Paulo ſimiles erant. Cumque prope acceſſiſſent, Salve, inquiunt, amice, undenam venis, aut quo tendis, qui ſolus maxime hic dejectus es? Hic timore correptus, quæ fecerat, quæque illi contigerunt, enunciavit. At hi imprudentiam ei objicientes; Haud recte, aiunt, tibi conſuluiſti. Cur diſcedens ſancti patris Bartholomæi *precibus non te armaſti*, orationum viatico non teipſum communiſti? Ita ne cum celeritate, & gaudio ad propriam domum putabas te poſſe reverti? At hic ad nimium virorum qui illi aſtabant terrorem attonitus, Quinam vos eſtis, tremens inquit? Statim igitur alter dexteram manum porrigens S. Pauli apoſtoli templum oſtendit, Mihi, inquit, domus illa dicata eſt, alter vero digito Romam protenſo, divini Petri eccleſiam oſtendens, Mihi, inquit, magna ædes illa ſacra eſt. Cum ita dixiſſent, ab ejus oculis evanuerunt. Ubi igitur ex habitu atque oratione apoſtolorum principes illos eſſe animadvertit, quæque dixerant memoria repetens & recte intelligens, Romam iterum repetit, ſanctoque viro illi omnia veluti digito intento indicat, commiſſique erroris veniam petit, atque commeatum, ut ſcilicet illius orationibus munito liceret domum reverti, quæ aſſecutus, lætus recto ac proſpero itinere ad ſuam regionem pervenit.

Famis emporefamem divinitus ſibi miſſam recipit S. Bartholomæus.

14. Per omnem ergo regionem divini viri nomen pervolabat, atque infinitam multitudinem ſingulis diebus ad eum pertrahebat, quorum alii quidem ſermone illius nutriebantur, alii vero quæ ad corporis uſum pertinerent referebant ſatis abunde; quidam vero utrumque obtinebant. Verum opus erat & illum hominem oſtendi. Cum enim fames quandoque vehemens ingruiſſet, atque eo ubi ſanctus vir immorabatur, omnes indigenæ & peregrini veluti ad portum confluxiſſent, cumque monachorum res in anguſtum eſſent redactæ, (& juſtis enim in neceſſitatem incidere uſu venire ſolet, ex judiciis quæ divino oculo, qui omnia perſpicit, nota ſunt) videns beatus vir eorum qui eo confluxerant, multitudinem, ciborumque quibus corpori opus eſt monaſterium penuria laborare, ſiquidem & præ advenarum multitudine cibaria deerant, nec emi poterant, cum tellus ſterilis facta eſſet. Ad hæc & amicorum præſidia prorſus defecerant. Non ferens homo Dei afflictas animas atque famis violentia cruciatas videre, de fuga cogitat, quod & fecit, iter quod Romam tendit cum duobus aliis monachis ſubiens. Sed quiſnam te, Chriſte, non admiretur ob res admirabiles & remedia quæ ad malorum ſolutionem ſapienti cum providentia abs te adhibentur? Illi vero beato viro iter facienti dormitatio incidit, qui eo ſomno detentus, his qui ſecum una iter faciebant, paululum, inquit, e via declinantes, locum ubi dormire poſſim mihi parate. Quo facto, ſancto homini humi cubanti divinum ſomnium aſtitit, quod hujuſmodi ſpeciem habere viſum eſt. Videbatur ſibi videre quemdam ſacrata & ſacerdotali ſtola indutum, qui illi aſtabat, & fugam objiciebat, atque ut ad monaſterium rediret, eum adhortabatur, nec de immenſa Dei miſericordia deſperaret, neque puſillanimitate eum irritaret, qui aperit manum ſuam & implet omne animal benedictione. Videbatur autem hic magnus Gregorius eſſe qui dialogos conſcripſit, qui & beato ad manum dedit vaſculum quoddam admirabilem quemdam odorem emittens. E ſomno igitur attonitus ſurgens, quod juſſus erat abſque dubio fecit, atque ad mo-

naſterium rediit, bene ſperans ac ſibi promittens. Cum vero reverteretur, vidit quemdam e Tuſculano oppido ad monaſterium venientem, quem cum vidiſſet, ſenſim his qui ſecum erant converſus dixit: Hic evangelia venit nunciaturus, & vere ita erat facturus, centum enim tritici modios juſſus erat ab hero beato Bartholomæo afferre. Ex eo igitur tempore larga manu indigentibus ea quæ ad victum pertinerent diſtribuebat, divina benignitate fretus, & pontificis illius hortatu qui ei apparuerat. Satis hæc ſunt ad oſtendendam divinam in beato Bartholomæo caritatem atque gloriam, qua Deus ſervum ſuum honoravit, quaque erga alios ſanctos qui illum præceſſerant familiaritate uſus erat. Sed oratio me hortatur, ut de miraculis mentionem faciam, quæ non ſolum Deus ipſe abunde per illum dum viveret fecit, verum etiam & poſt mortem. (a) Fuit admirabilis Elias Theſbites cum cœlos claudere atque aperire potuerit; atque Gedeon in vellere & area experiri. Verum ille propter populi contumaciam, atque cordis duritiam, hic vero ob acierum imbecillitatem aut diviniorem aliquam fortaſſe diſpenſationem. Haudquaquam minus admirabile eſt quod beato Bartholomæo Deo adjutus oſtendit: quod cujuſmodi fuerit, oratione declarabimus.

15. Æſtivum tempus erat & caloris vehementia, area frumento plena erat, frumento, inquam, non integro, neque ſpes ulla erat poſſe illud inſtaurari; ſed cum jam contritum eſſet, & operarii ad tritici collectionem properarent, ut plerumque evenire ſolet, repente nubium concurſus, turbineſque, tonitrua & caligo maxima aërem obtenebravit, cœlumque noctis inſtar obicurum erat, atque imminebat pluvia ingens, cujuſmodi fortaſſe numquam antea contigerat; jamque pluere incœperat, mœror autem agricolas gravis detinebat, quem & blaſphemiæ ſubſequebantur, atque alia quæ a triſtitia provenire ſolent. At homo Dei, qui ſimul aderat, operarios animans & ad laborandum alacriores reddens, primum hortatoriis ſermonibus a blaſphemiis atque a mœrore illos avocabat. Deinde & ad prandium vocavit: Abite, inquit, filii, atque comedite, & Dominus miſericordias ſuas nobiſcum faciet: ita operarios adhortatus, cumque uno in area derelictus, genu quidem ad orientem inflexit, labiis vero ſubmurmurans cum lacrymis Deum precabatur, ut propitius fieret, pluviamque detineret, quæ maxima frugum calamitas futura erat. At quidnam fecit is qui celer eſt ad opem præſtandam, quique voluntatem eorum qui illum timent facit? Numquid ſuum ſervum neglexit, aut ad illius preces tardus fuit? Minime quidem, ſed vetus illud prodigium hic renovans, pluvia enim ad loca omnia quæ circum erant vehemens deferebatur, ad aream vero illius juſti ne minimum quidem accedebat. Quæ cum omnes vidiſſent e triſtitia ad maximam animi tranquillitatem converſi ſunt, atque gratiarum actiones Deo offerebant, ejuſque ſanctum magnificabant. At ille vere humilis corde, atque diligentiſſimus Chriſti mandatorum obſervator, ſemper ſui ſimilis erat, atque in iiſdem quibus Deum colere ſolitus erat aſſidue perſeverabat, jejuniumque ita ſervabat, ut ſolis neceſſariis contentus viveret, ac tantum ſeſe humiliabat ut neque ab aliis cognitus ſit an ipſe præſideret, vigiliiſque ſeipſum reprimebat, ut fere cum iis qui corporis expertes ſunt, ſimul verſaretur. Ad hæc & manibus laborabat aſſidue. Etenim admirabilis ille vir pulcherrime ſcribebat, ſi quando ei ſcribere contigiſſet, atque ita eleganter id faciebat, ut nullam harum rerum ſtudioſis anſam præbuerit. De una tamen re mentione facta ad illius obitum, atque ad ea quæ mirabiliter tunc contigerunt, orationem convertam, ibique dicendi finem faciam.

16. Cum divina ope monaſterium maximum numeri incrementum accepiſſet, oportebat & animalia ad monachorum miniſterium aliaſque familiæ utilitates, quibuſcum & equi enumerantur; e quibus unus quiſpiam quandoque ſolus derelictus, cum ſanctus tum a monaſterio abeſſet, furibus ad rapiendum facilis expoſitus eſt, ſequutus eſt equus fures aliquantiſper, Deo ita diſponente, ut & ibi emendarentur, atque ejus ſanctus, quamvis abſens, gloria afficeretur. Fures autem videntes equum illos ſequi, gaudentes iter accelerabant. Sed narrationi mens adhibenda eſt, non enim injocunda erit, ſed præterquam quod miraculum habet & leporis multum præ ſe fert, ubi enim furtum, ut ipſi arbitrabantur, eis ſucceſſit, & lucrum in penetralibus erat, ac multæ ſpei pleni feſtinabant, repente equus conſtitit lapidi ſimilis, neque minimum quidem ſeſe movens. Cum autem hi fuſtibus illum onerarent ac propellerent, ac funibus deinceps apprehenſi quantum poterant protraherent, ipſe ut res aliqua inanimata ſtabat, ne paululum quidem illis cedens, neque ulterius progredi tolerans. Cum igitur fures deſperarent poſſe illum ulterius procedere, tentabant an retrocederet per eam viam qua venerat. Ubi autem ſenſit ſe retro commeare, ô rem miram! velociſſime ambulabat & promptitudinis plenus viam peragebat. Hoc illi videntes interea ſtupore detinebantur. Referentes autem equum, atque miraculum perpendentes, ad monaſterium pervenerunt, peccata confitentes, atque juramento affirmantes non amplius ſe ea quæ prius exercebant velle aggredi, ſed propriis manibus laboran-

(a) Additur in Græco: *Quæ multam habent cum admiratione credibilitatis auctoritatem, & fidei certitudinem.*

tes ſibi victum parare. Atque hi quidem ita ſe geſſerunt. In omnibus autem Deus glorificabatur, qui multo glorioſiores reddit eos qui illum glorificant. Poſtea vero quia decebat eum perfecto curſu, ac ſervata fide juxta divinum atque admirabilem Paulum, multis laboribus ac ſudoribus finem facere, diſſolvique & cum Chriſto eſſe, & vitæ origini Trinitati aſſiſtere, quantum homini fas eſt, in morbum incidit in quo & beatum finem ſortitus eſt. Ipſo autem die quo e tabernaculo peregre diſceſſurus erat, monachus quidam nomine Leontius, qui (a) & ætate alios antecedebat, & ex eorum numero qui primas obtinebant, finitis hymnis matutinis, ut mos erat, ſomno ſeſe tradens, vocem tonitrui ſimilem audit. Vox autem hæc declarabat. Parata eſt Bartholomæo ſedes, in quam nullus ſuccedet. Hic audita voce trepidans, & e cella exurgens ac proſiliens, interrogabat eos qui illi occurrebant an & ipſi vocem audiiſſent. Hi cum ſe audiſſe nihil reſpondiſſent, atque, inquit, vel in Tuſculano eam vocem exauditam eſſe arbitror: Vox quidem beato Bartholomæo parata bona nobis declaravit, & quanam gloria ille ſe oblectaturus ſit. Inclinato autem die beatus ille ad Dominum migravit, nuncque in cœlis eſt, Deum videns, & ab eo viſus quem adamavit, cui ſervivit, apud quem nunc ſine medio pro nobis intercedit. Non æquum autem eſſe arbitror miraculum, quod poſt ejus obitum contigit, ſilentio prætorire, quod par erit voci quæ a monacho Leontio audita eſt, quodque ea comprobatur.

17. Alter quidam monachus Franchus nomine in ægrotationem inciderat, atque naturæ debitum quamprimum exſolvere videbatur. Cumque vox illum defeciſſet, mortuus ac ſpiritus expers putabatur, immobilis, nullumque vitæ ſignum præ ſe ferens. Factus eſt igitur fratrum concurſus, ut par erat, atque hi quidem ut ſepulturæ traderetur, conſulebant; hi vero ut paululum exequias prorogarent. Dies jam ad noctis principia acceſſerat, quique jacebat ſimiliter mortuus reputabatur. Cum igitur funebre lavacrum illi pararent, ut aquam infuderunt, atque in utramque corporis partem eum verſarent, repente qui mortuus cenſebatur, revixit; qui paulo ante mutus erat, loquebatur, atque his qui illum lavabant ſuccenſens: Cur, inquit, fratres, mihi vim inferre aggreſſi eſtis? Quare me ſuavem ſoporem percipientem exſuſcitaſtis? At hi, te mortuum, inquiunt, eſſe videntes per totum diem, nunc lavare decreveramus. Quique jacebat, ad illos, ego, inquit, ſive cum corpore, ſive extra corpus videbam meipſum in quodam loco ſolum obambulantem, ac duas columbas me præcedentes, quarum una quidem candida, altera vero nigra, quæque circum me volabant, alba quidem a dextris, nigra vero a ſiniſtris. Cum igitur illæ ita me antecederent, atque ego ſequerer, in quemdam locum pervenimus. Locus autem ille ineffabili lumine & odore refertus erat, in quo loco conſiſtens, atque animum intendens, patrem noſtrum vidi ſtantem, ac circum ipſum pauperum catervam, ipſumque in medio manum extendentem, ac panem diſtribuentem. Ubi autem oculos convertens, me vidit: Quid tu hic Franche, ait, quiſque te huc conduxit? Ego vero ut potui, inquam, pater vero rurſus Quonam pacto, inquit, fratres noſtri degunt? Recte, inquam, Deo & precibus tui adjuti. At hic, Redi, inquit, ad monaſterium, ac fratres admone, ut quam illis traditionem dedi, eam ſectentur. His dictis ad interiorem partem viſus eſt penetrare. Cum autem ille abiret, atque ego illum ſubſequerer, non enim patiebar ab eo divelli, in quamdam urbem devenimus, cujus pulchritudinem humana lingua exprimi impoſſibile eſt. Cum autem in quoddam eorum quæ ibi erant templa, pater ingreſſus eſſet, & ego una adiiſſem, ibi ſedem vidi nimium illuſtrem, ad quam aſcendens pater conſidebat. Duo autem quidam illi aſtiterunt, quorum facies ſupra ſolem effulgebat. Converſus igitur & me videns, & huc, inquit, Franche venis, ad monaſterium redeas, & quemadmodum a me audiſti, admone fratres ut in virtute perſiſtant, atque in bonorum operum exercitatione & patientia, atque in meam heram ac reginam ſpem meam contuli. Cumque hoc diceret oculos ſurſum elevabat fore ut non derelinquamini, neque a vobis ſegregabor, neque in hoc ſæculo neque in alio futuro. Hæc pater dixit, & ego oculum ſupra caput ejus erigens, mulierem vidi in terribili throno conſidentem, cujus pulchritudinem, atque exilientem ab ea ſplendorem verbis haud poſſum aſſequi, ac circum ipſam ſplendidos quoſdam in tremore illi aſſiſtentes, & adoratione, qua conjectura collegi ſanctam Deiparam eſſe, his viſis & auditis e palatio exii, ac rurſus columbis illis mihi præviis huc deveni. Hæc igitur monachus quæ viderat, atque audierat nobis nuntiavit. Nos vero cum duabus de cauſis ita eſſe noſtis perſuaſerimus, & ab ejus vita quam maxima cum virtute & diligentia tranſegit, atque a miraculis quæ per ejus manum Deus perfecit, firmo propoſito, nihil dubitantes ferventi deſiderio ejus memoriam celebrantes, ac reliquiarum urnam amplectentes, interceſſorem ac legatum apud Salvatorem noſtrum & Deum habere expetimus, ut hujus interceſſionibus atque Reginæ noſtræ ſemper virginis Deiparæ auxilio, niſi ea aſſequamur bona quæ ipſe ſortitus eſt, partem ſaltem percipiamus cum omnibus ſanctis, qui gratias agunt Chriſto Deo noſtro cui glo-

[a]

(a) In Græco: *Dignitate presbyter.*

ria una cum cœterno ejus Patre, & cœterno vitæ ac bonitatis fonte Spiritu-ſancto, nunc & in ſempiterna ſæcula.

Finis vitæ ſancti patris Bartholomæi.

EJUSDEM VITA BREVIS PER ALIUM QUEMDAM.

BArtholomæus unus e numero ſanctorum pater noſter, ex Ruſſana urbe originem ducens, ex qua & magnus pater noſter Nilus junior. Natus ex piis & divini amoris ſtudioſiſſimis parentibus, quique inſignes nobilitate erant. Aiunt enim illuſtres judices & Italiæ primates hujus majores, a Conſtantinopoli profectos fuiſſe. Conſecratus igitur primum, non manufactus, & gratus exiſtens, doctis præceptoribus traditus eſt. Atque intra paucos annos a parentibus ad quoddam monaſterium eorum quæ prope erant, adductus, prope diem & ſenes divinis moribus anteceſſit. Unde & meliorem cupiens profectum facere, ac ducem præſtantiorem quærens, audit quemadmodum B. Nilus ejus conterraneus & ſanctitate, & apud Deum fide ut ſol effulgebat, atque per omnem orbem ejus nomen fere notum erat: quæ cum audiſſet, vehementi quodam deſiderio accenſus, omnibus derelictis, crucem tollens, omneſque lateris, levis atque alacris, ut cervus ſitiens quem cupiebat adit. Suſceptus eſt igitur pietatis cultor puer a beato Nilo, qui in Campania commorabatur. Qui cum ejus bonam indolem audiiſſet, expanſis, ut aiunt, manibus illum ſuſcepit, ſibi perſuadens quod pulcherrimum ſuæ virtutis ſucceſſorem relinquet. Statim igitur, angelico habitu indutus, adeo ſe illius imitatorem exhibebat, ut omnibus ſui admirationem concitaret. Jejuniis igitur, vigiliis, orationibus, meditatione & divinorum eloquiorum auſcultatione, maximaque humilitate, & divina obedientia ſuam ipſius mentem expoliebat, atque illuſtrabat, quo B. Nilus magis lætabatur, quam ſexaginta aliis quos ſecum habebat. Ubi vero vitandæ ambitionis cauſa Nilus locos multos permutavit, atque eo tempore e Campania Romam ſe contulit, atque una cum illo B. Bartholomæus ſanctorum apoſtolorum adorator, atque in Tuſculano exiſtens, ab illo admonitus, libros pulcherrime deſcripſit. Poſtea cum B. Nilus ad Dominum migraſſet, quem ex animo adamabat; quo facto, omnes Bartholomæum monaſterio præficere rem æquam exiſtimabant. At hic juventutem excuſans, lacrymis hujuſmodi munus detrectabat, atque aliis parere æquius exiſtimabat. Cum alii duo præpoſiti eſſent, ipſe tertius eorum numero additus eſt. Qui cum invitus munus ſuſcepiſſet, ſtatim laboribus ac ſudoribus multis uſus incœpit a fundamentis erigere celebrem eccleſiam nimirum glorioſæ Virginis Deiparæ, nec ſomnum oculis ſuis dedit juxta Davidis dictum donec poſtremam manum impoſuit. Ad hæc & gratiam ab immaculata Virgine aſſequutus, alter Joſeph apparuit, hymnorum elucubrator, ac nimium ſapienter res geſtas ſui præceptoris ac multorum ſanctorum litteris deſcribens: præcipue vero omni ex parte intactæ Virginis laudes. Præterea commiſſum ſibi gregem a Deo & ſacrata Virgine operibus & ſermonibus Deo acceptis dirigebat ac gubernabat. Deumque imitabatur miſericordia utens erga pauperes atque innumeris eleemoſynis in eos qui cum pietatem colerent, inopes erant. Multoſque ex perditione ad Deum revocabat, plurimique illo auctore ſalutem a Deo adepti ſunt, multis, inquam, pontificibus, principibus, ſubditis & imperantibus ſtimulus quidam fuit, ut a mundo ad Deum converterentur: quibus factis ad Dei gloriam, ad Dominum migravit, cui omnis gloria & honor in ſæcula. Amen.

INVENTIO, TRANSLATIO ET MIRACULA S. TROPHIMENIS VIRGINIS ET MARTYRIS.

Ex manuſcripto codice Vallicellenſi Romani Oratorii eruit Mabillonius.

Circa ann. 1050. COmpellitis nos, cariſſimi fratres, aliqua ſanctiſſimæ Trofimenis miracula, quæ per eam Dominus operatus eſt, faleratis verbis perſtringere: qui vix valeam etiam communes apices ſentinis vitiorum mulctati ad liquidum elimari. Quapropter fraternæ caritatis requiro commodum, ut pro nobis interveniatis apud Deum & Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, quatenus noſtri januam cordis aperiat ad exprimenda ejuſdem miracula, qui dudum vilis aſelli humanas loquelas edere juſſit. Credo equidem, immo veraciter tenco, veſtro interceſſu, hoc magis ad demulcenda multorum corda perducere, quam pro noſtræ imperitiæ ſuadela aliquid exornare. Advecta ſiquidem hæc ſancta virgo Æolicis finibus, uti tumuli ipſius carmina deſignant, intemerata, littus Reginnarum, angelo duce, meruit obtinere. Quæ cum injurioſe ad prædicti littoris oram in ſuo tumulo deliteſceret, tandem aliquando mulier quædam relicto fluvio Dei nutu quo ſordes veſtium vel operatio coli ablui ſolent, cœpit tundere ſuper ſanctiſſimæ Trofimenis tumulum fortiter, quod vulgo mulierculæ filatum vocant. Cumque ſpelea vicina ex hoc ſubtilius reſonarent, & illa, ut dictum eſt, fortiter tunderet, ſubito manus illius arefactæ, amiſerunt quod tenebant officium muliebre. Illa ergo medullitus fracta dolore, cum ab hujus loci accolis interrogaretur, quæ illius infirmitatis eſſet mœſtitia, ait, Niſi mihi preſbyteros qui hic morantur, convocaveritis, vobis omnino nullum audebo dare reſponſum. Et illi: Quare, inquiunt. Illa autem: Timeo quia qui arefecit manus meas, ne forte vernaculum linguæ meæ decutiat. Illis igitur temporibus in prædicto loco plerique Parthenopenſes preſbyteri commorabantur pariter cum ſacerdotibus Amalfetanis; idcirco quia, ſicuti plane nunc decernitur, multæ eccleſiæ erant ſacerdotibus Chriſti præditæ, quæ modo pene deſtructæ ſunt ac viduatæ. Convocatis etenim presbyteris, ſeriatim quæ acciderant mulieri illi ſummo conamine cœpit referre: quo viſo, ſacerdotes miraculo, ac talia attoniti audientes, veloci curſu concite pergunt ad littoris A ora, ubi tumulus beatiſſimæ martyris erat advectus. Cumque Domini ſacerdotes diu tentarent ex qua parte latentem tumuli theſaurum poſſent annotare, & noſcere ſeu viri an mulieris eſſet religio, inſtinctu afflati divino, verſi ad prædicti tumuli caput reperiunt carmina poëtali facundia ita cælata.

Qui tumuli cauſas ingreſſus diſcere quæris,
Martyris hic Trophimes, intactæque virginis artus
Et pia membra cubunt, quæ dum præcepta prophani
B *Temporis & mundi polluta altaria vitet,*
Sicanios fugiens devota puella parentes,
Æquoris in medio naturæ ſorte quievit,
Membra dedit Reginniculis, animamque Tonanti.
Hinc Chriſti inter odoriferas depaſcitur aulas.

Quis ergo hujuſce rei prærogativa non obſtupeſcat? quando præſago ſpiritu poëta facundus in jam dicto tumulo talia poëmata pinxit atque cælavit? Ergo cum a jam dictis ſacerdotibus prædicta carmina legerentur, & cernerent quod in eodem tumulo dumtaxat pretioſa margaretæ lateret, maturo curſu ad epiſcopi Amalfitanæ ſedis limina properant, ut theſaurus qui omnibus diu incognitus fuerat, cunctis fidelibus promulgaretur. Illo igitur tempore pontificali culmine redimitus PETRUS (a) eccleſiam gubernabat Amalfitanam. Is etenim nimio ductus amore, cum ab eiſdem ſacerdotibus ordinatius tale tantumque miraculum attonitus perhauſiſſet, accito ſuo diacone ac primicerio, ceteriſque preſbyteris, omni cum diligentia eiſdem, ut audierat, cœpit referre ſermones. Qui dum venerabilis epiſcopus, ſicut ad magnæ feſtivitatis diem inſula exornaretur, adjuncto ſecum clero Reginnas properant, ubi virginale decus margaritumque pretioſum degebat. Itum denique eſt, & utriuſque ſexus conventicula facta, jubente epiſcopo, ſacerdotes, adſcitis ſecum hujus incolis loci, cœperunt amplecti ſanctum onus, turba fidelium procul ſpectante, & laudibus quibus poterant gratiarum actiones in com- [a]

(a) Petrus Amalphitanam rexit eccleſiam ab anno circiter 1048. ad 1070. ex Ughelli Italia ſacra.

munc Domino rependente. Suppositis etenim humeris, dum ad septa ubi nunc ejus basilica cernitur esse, sanctum onus omni conamine vellent portare, nullo modo est permissum mirum in modum vel quantulumque saltem exagitare. Quocirca cum in istiusmodi opere cursus diei esset finitus, & sese nec moveri, neque constructa attrahi penitus permisisset; usus tandem bono consilio episcopus, jussit adduci pulcherrimas vitulas, quæ jugo liberrimæ & coitus essent ignaræ, ut ad id officium ipsæ prærogarentur. Ergo his adductis, & jugo iliarum cervicibus posito, tanta velocitate sacrum permotum est onus, ut non illud ab illis, sed illæ ab illo viderentur portari. Ast ubi nunc ejus ecclesia est constructa cum fuisset delatum, fideliſque plebicula accensos cereos manibus tenentes, Domino psalmodiam decantarent; mulier cujus arefactæ fuerant manus, dum circa ejus feretrum posita curaret avidius attrectare, ita ad eam pristinæ salutis officium est regressum, quasi nullius incommodi aliquando fuisset perpessa. Convocato igitur in unum Christicolarum cœtu, episcopoque jubente, ut omnes accensos manibus cereos retinerent, & modulatis vocibus pariter laudes sacratissimæ virgini exhiberent, adductis sarculis, ubi nunc ejus sanctum cernitur constructum altare, ibi præfatus locum designans episcopus, & sacerdotes nudatis cruribus fodere vicissim cœperunt. Cavato namque mausoleo, & non minime in altum defosso, cum eo locello quo inventa fuerat in aromatibus pretiosis sanctum recondiderunt corpus, ubi nunc ad laudem nominis ejus multa fiunt mirabilia, Domino cooperante. Tempora siquidem passionis ac persecutionis illius quia evidentius non annotantur, nullus fidelis obsecro ambigat. Quæ nimirum tot beneficia sibi petentibus præbet, procul dubio pro Christi nomine sanguinem suum incunctanter effudit. Quid mirum si terrenus judex illiusque persecutor incertus sit, cum per eam Dominus plurima acceptissima miracula operetur; cujus munia sanctitatis & insignia miraculorum hic constat esse, illic sine dubio ubi est requies beata inter angelos archangelosque gaudens exultat cum sanctis martyribus sociata. His igitur prælibatis, quia finem postulat sermo, & valetudo me mei pectoris coanguſtat, obsecro ut si ineptum quid inveneris, ô lector, non noxam, sed potius veniam cede. Credo equidem me præmium a Domino recepturum, si vestro qui legitis interventu merear adjuvari: unde supplex sanctitatis vestræ posco suffragia, ut non me judicetis indignum, quasi aliquid ex meo descripserim, & percontans ac discens hoc scripsi quod a viris fidelibus est relatum.

Libet, fratres carissimi, de sacratissimæ virginis Trophimenis miraculis, Domino annuente, aliquid sub brevitate perstringere, quia jam, ut conjici potest, de inventione corporis hujus cunctis fidelibus satis est promulgatum. Valde etenim præposterum est judicandum, si hæc non intimatur fidelibus auribus, per quam Dominus non desinit sedulo plurima miracula operari; cum & ille qui hoc pangere visus est, ab inaudita valetudine & incognita medicis fertur ab illa esse curatus. Merito itaque hanc nos oportet laudare, quæ privilegio sanctitatis suffragia uberrima sibi pie petentibus numquam præbere desistit. Quis ægrorum vel ægrotantium ad ejus pie basilicam accelerans non illico recipit sanitatem? Languoribus quippe variis & diversis præventos infirmitatibus non solum invisiviliter, sed etiam visibiliter fertur curare. Sed quia modo reticetur, quomodo visibiliter curaverit atque curet, eo quod alia ad illius miracula vertitur stylus, suffragante eadem, dicetur in subditis. Hoc denique privilegio, fratres, sancti martyres sunt donati, ut qui ad eorum contubernium pia devotione ac mente fideli accesserint, ægroti vel ægri, non solum exterius, sed etiam interius a nævo & sorde purgentur peccati. Sancti igitur apostoli per quos ecclesia Dei fidei sumsit initium, & a quibus martyrum sunt dedicatæ primitiæ, cum in uno conclavi sederent, hoc a Domino responsum acceperunt: *Accipite*, inquit, *Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Alibi autem: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, spernit eum qui me misit.* Ecce hoc voluit Dominus esse membra quod est etiam & ipse caput. Ipse etenim Dominus virtutes operatur in sanctis, qui pro universo mundo pretiosum sanguinem fundens, ab erebi baratro eosdem triumphando revexit. Hinc siquidem psalmista plenus Spiritu-sancto agebat cum diceret: *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ, Benedictus Deus.* Et alibi: *Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt, & justitia tua exultabunt;* tua, non sua. *Confiteantur tibi Domine opera tua, & sancti tui benedicent te: gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur, ut notam faciant filiis hominum potentiam tuam & gloriam magnificentiæ regni tui.* Igitur expositа corporis hujus inventione, qualiterque secundis impellentibus zephyris eam ad Reginnarum advexerint oras, evidentius enodata, ad translationem sancti corporis articulum ejus vertentes, divina favente clementia, illud scilicet propaletur, quod luce clarius multis fidelibus est designatum.

Temporibus itaque eximii principis Beneventani SICHARDI (a) nomine, cui pene tota [4]

(a) Sichardus filius Sicconis anno 833. factus est princeps Beneventanus, occisus anno 840. ex brevi Chronico Beneventano penes nos mſ.

Ausonia obtemperabat, facta est non minima dissensio inter utrumque populum, Amalphitanum videlicet & Salernitanum. Itaque dum sui regni gubernacula præfatus princeps moderatissime gubernaret, & primi civitatis ejus consilio & fortitudine summa pollerent, quidam Amalphitanorum majores natu linquentes natale solum, hujus se dominatui sponte propria subdidere. Qui cum ab eo infinita dona perciperent, missis occulte epistolis arte qua poterant, atque blanditie suos semper affines atque fratres monebant, ut propria quæque diriperent, & ad prædicta dona quantocius festinarent. Qui cum talibus, ut dictum est, diu monitis fundarentur, protinus illis fertur tale remisisse consultum: Vobis argentum aurumque nobis & cuncto populo nostro, nisi totam Lucaniæ regionem & finitima prædia jurejurando distribuerit, vestris suasionibus assensum numquam præbemus. Interea firmata clam conditione, factum est ut Tyrrheni æquoris insulas, Ausoniæque universa loca glorioſus princeps circumiret, quatenus corpora sanctorum quotquot inveniri possent, Beneventum debito cum honore deferret. Plebeio consilio dantes operam natu majores Amalphitanorum, antequam hæc inclyta Longobardorum gente regio desolaretur, ablata est a propria aula Christi beata martyr, ita ut vestra fraternitas est auditura. Appropinquante itaque termino desolationis civitatis jam dictæ, cum populus formidine maxima teneretur, ne forte ingruentibus Longobardis, a propria frustrarentur patrona, collecta multitudine populorum, ac destinatis navigiis, pergunt ubi sancta Dei martyra delitescebat. Disrupto igitur altari, sub quo Christi virgo degebat: & Petro secundo imponente antiphonam: *Laudate Dominum in sanctis ejus, laudate eum in firmamento virtutis ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus*; cœperunt milites Christi quo tumulata erat sarculis fodere, cleroque hanc antiphonam pariter alternatim canente: *Surgite sancti de mansionibus vestris, & proficiscimini in viam præparatam, locum sanctificate, plebem benedicite, & nos famulos vestros in fide custodite.* Cumque avidius animo devoto in hujusmodi perdurarent opere; tandem animo diu desideratam quam quærebant sub tribus cameris mire constructis reperiunt sanctam Christi martyrem illibatam, in suo uti fuerat temporibus priscis tumulata loculo. Locellus autem ipse super nitidissimas pomices sedens, habebat tres ampullas pretiosi operis: quarum una quæ gestabat oleum miri odoris, residebat ad caput ejus: reliquæ vero una observabat ipsius sancti pedis vestigium, altera alterum. Quis enim, quantum conjici potest, ambiget hoc ad gloriam sanctæ Trinitatis pertinere, & ad testimonium psalmistæ compro-

A bandum, qui unicuique animæ fideli sectanti justitiam & odienti iniquitatem Spiritu sancto inflammatus aiebat: *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus tuus oleo letitiæ præ consortibus tuis.* His itaque gestis, tanta profecto odoris fragrantia est circumquaque diffusa, ut non solum qui aderant omnium odoramenta aromatum degustarent; verum etiam hi qui ad observanda navigia perstiterant, affererent non usquam se sensisse tantæ virtutis odorem. Ut autem omnibus hæc visio esset manifestata,
B navigiis derelictis, nautæ currunt haud procul a littore: & ecce Petrum episcopum cum suo Petro archidiacono ceterisque presbyteris reperiunt propriis ulnis in tenuissimo pabone (a) sanctam martyram simul gestantes. Qui cum nimio tumultu & populi vociferatione episcopus opprimeretur, sisteretque aliquantisper ante ejusdem basilicæ sanctæ vestibulum, attrectata a quibusdam virgo prædicta, ex membris illius felici rapina furtim quæque poterant diripiebantur. mira res, & aguita cunctis fidelibus, ita guttatim sanguis ejus fluebat terra tenus post
C annorum curricula, iterum ceu proprio carnificis & laniſtæ jugulo feriretur. Concursio interim utriusque sexus ob istius spectaculi decus haud secus erat, tamquam si triticeæ messis tempore formicas videas propriis cervicibus viciſſim grana vehere, donec prumptuaria repleant, quibus udis temporibus sustentari valerent, & sua edulio tenuissima corpora satiari. Venerabile namque sanctæ Trophimenis corpusculum nautica pinus cum ingenti honore dum Amalphim deferret, collocaverunt in ecclesia beatissimæ Dei ge-
D nitricis semperque Virginis Mariæ honorificentissime. Quo etiam pontificali præcepto quidam obtemperantes e clero die noctuque fidele servitium exhibentes, ad gloriam ipsius nominis certis dierum horis cantica laudis explebant. Expleto igitur octavi diei cursu, intempesta nocte, quando sopore gravi corpora fessa premuntur, in extasi positus prædictus episcopus, videns in visione jam dictam martyram Christi rubicundo pallio coopertam, aliasque illam virgines obsequentes, sibique manu intentantem, atque compellatione minaci dicentem: Cur, epi-«
E scope, meum temere tumultum ausus es vio-«lare, pariterque meum cunctis corpusculum«re, elare popellis, & ex corpore meo quod-«dam artus violenter divelli? Nempe quia«nullus pudor mei ergo fuit, scias te proximo«moriturum, cadaverque tuum e sepulchro«expellendum, & canibus comedendum. Om-«nes enim præsules dormierunt unusquisque«in throno suo: tu autem de sepulchro tuo«solus pelleris. Denique expergefactus epi-«scopus, cum tremebundus volvere secum

(a) Pabo seu pavo, est vehiculum unius rotæ, ut habent glossæ Isidori.

cœpisset

cœpisset quod in horrore viderat visionis nocturnæ, mox jubet fieri sibi sepulchrum in pariete quasi cubitis tribus in sublime a terra ad partem aquilonis in ecclesia B. Johannis Præcursoris atque Baptistæ, ubi sanctæ purificationis & baptismatis undâ nova soboles renascitur & proles fœcunda. Ast ubi episcopi jussio est impleta, & parata, ut dictum est, sepultura, mox e vestigio subsecuta est tam crudelissima febris, ut vix trium dierum spatio hac luce perfrui videretur. Tum decursis vitæ suæ temporibus, & finito termino quem nullus hominum præterire potest, gregi suo valedicens, ac secum sumens viaticum exivit hominem plenus dierum. His namque præmissis, cum non multo post istius terræ desolatio immineret, utriusque populi præstigio confirmato, Amalphigenæ, videlicet & Longobardorum capta est civitas ac depopulata penitus sine sanguinis effusione. Hujus siquidem civitatis loca dum hac illac lustrando pergerent, & circuirent cubiculorum penetralia & aditus ecclesiarum, si forte thesauros occultos & reconditos invenirent, præsertim cum opibus plurimis essent diuti, tandem aliquando veniunt ad tumbam qua episcopus e vicino sepultus jacebat. Qui dum sperarent ob fabricæ recentis obstacula quod in præsulis tumulo aurum argentumve lateret, confringentes invenerunt episcopi cadaver jam fœtidum in monumento, compage corporis & pene omnibus solutum membris. O incomprehensibile Dei judicium & ineffabilis virtus ejus! turba omnis retro coacta & sepulchrum dimissum est patens nequicquam apertum. Facto igitur exodio, cunctisque mœniis dirutis civitatis, adhuc ibidem civibus commorantibus, canes rabido ore latrantes, maturo cursu currentes abstrahunt e tumulo prædictum cadaver episcopi, uti vaticinatum fuerat a sancta Christi martyra, & eidem episcopo revelatum. Hinc est quod apostolis qui ad prædicandum missi fuerant, Dominus dicit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, spernit eum qui me misit.* Et alibi: *Qui autem erubuerit me in terris, & ego erubescam illum coram Patre meo qui est in cœlis.* Itemque factum est, ut per circuitum cuncta depopularentur, non solum civitatis munitio intrinsecus, sed etiam extrinsecus prædia cuncta concisionibus subjacerent: adeo ut continuum annum & eo amplius tantæ densitatis fruteta succrescerent, ut non aliud quam ab olim arbuscula intonsa putares, revera [dum hæc ita gererentur] unusque fieret populus Salernitanus, & mutuo conjugali se fœdere constringerent, quamquam ab eximio principe prædia infinita perciperent donisque plurimis augerentur qui aulæ regiæ dignitatem obsequi voluissent: tamen pœnitudine uti ob Longobardorum stropham, qui eos principi concusabant quod duci Parthenopensi quidam Amalphitanorum flecterent caput, cœperunt volvere secum, ut excidium quod nuper ex illis perpessi fuerant, illud in civitate facerent Salernitana. Hæc inter accidit ut principale culmen Beneventanæ sedis gubernacula disponeret ipso in tempore, & jura Salernitana Gastaldei guberna..... *Cetera desunt.*

ACTA TRANSLATIONIS SANCTI MENNATIS EREMITÆ ET CONFESSORIS,

AUCTORE LEONE MARSICANO MONACHO CASINENSI & S. R. E. cardinali Ostiensi.

Ex ms. Casinensi eruit Mabillonius.

OBSERVATIO PRÆVIA.

MEnnas seu Menna, cujus hic translationis acta proferimus, eremiticam vitam sæculo VI. *duxit in Samnitibus: cujus præcipuum studium semper fuit nihil in hoc mundo habere, nihil quærere, omnesque ad se caritatis causa venientes ad æternæ vitæ desideria accendere: multis clarus virtutibus ad superos evolavit anno a Christo nato* DLXXXIII. *sepultus eo ipso in loco*

quem vivens ſolitarius incoluerat. Ejus meminit martyrologium Romanum ad diem Novembris undecimam his verbis: In provincia Samnii S. Mennæ ſolitarii, cujus virtutes & miracula ſanctus Gregorius papa commemorat, *nimirum lib. 3. Dialogorum cap. 26. ubi de eo ex profeſſo agit. Acta tranſlationis quæ urgente potiſſimum Roberto inclyto comite anno* MXCIV. *facta eſt, deſcripſit Leo Marſicanus Caſinenſis monachus & S. R. E. cardinalis Oſtienſis, auctor coævus, pro ut ſequuntur.*

1094. QUod temporibus his noſtris noviſſimis ac periculoſis, in quibus videlicet juxta quod teſtatur apoſtolus, ſunt homines ſeipſos amantes, & omnes quæ ſua ſunt, non quæ JESU CHRISTI quærentes, & in quibus etiam jam, proh dolor! defecit ſanctus, & diminutæ ſunt veritates á filiis hominum. Quod his, inquam, temporibus revelationibus ſanctorum corporum ſuperna nos pietas viſitare ac lætificare dignatur, ſola illa ineffabili gratia & bonitate ſua hoc circa nos exhibet benignus ac miſericors Deus, ut uno eodemque opere & magis magiſque animet electos ad præmium, & peccatores incitet ad ſperandum, immo præſumendam veniam peccatorum: utque ille divini amoris ardor qui, quotidie abundante iniquitate, ſiniſtro quodam flatu in ſanctis etiam viris torpeſcere ſolet, quaſi gratiſſimo auſtri flamine reaccendi in pectoribus fidelium iterum valeat. Quapropter exultemus omnes & jocundemur in Domino, dum ad recolenda ſanctiſſimi noſtri patroni, glorioſi ſcilicet confeſſoris Chriſti MENNATIS ſublimia merita ſolemniter convenimus. Dignum etenim eſt & omnino certe digniſſimum, ut quoniam Dei gratia concedente ſacratiſſimum ejus corpus obtinere meruimus, omni ſpiritualis lætitiæ jubilo mens noſtra plauſibiliter hilareſcat, & ei potiſſimum a quo omne datum optimum & omne donum perfectum eſt, laudum gratiarumque rependere præconia non deſiſtat. Dignum & hoc nihilominus eſt, ut dum ejuſdem tranſlationis ſacra ſolemnia annua revolutione recolimus, ipſi quoque mentes noſtras a terrenis actibus & deſideriis ad cœleſtia ac perpetua transferamus: ut dum glebam ejus corporis tantopere apud homines in terris venerari conſpicimus; quantum gloriæ pondus apud angelos in cœleſtibus, ubi profecto verus & incomparabilis honor eſt, poſſideat, perpendamus. Sed libet jam tranſlationis ejus hiſtoriam ſecundum certiſſimam fidem geſtorum, ad fidelium populorum notitiam litteris tradere; ut nullo deinceps de tantæ hujus ſolemnitatis origine prorſus expediat dubitare: quin potius in laudem & gloriam Dei qui mirificat ſanctos ſuos, omni devotionis genere ſtudeat tam corde quam ore prorumpere, dicens: *Quis ſimilis tibi in diis Domine, quis ſimilis tibi, glorioſus in ſanctis, mirabilis in majeſtatibus, faciens prodigia?*

Cum igitur a ſancti hujus viri tranſitu A quingentorum circiter ſupputatio jam volveretur annorum, & tam pretioſus ac cœleſtis theſaurus viliſſimo quodam ac parviſſimo necnon ac vetuſtiſſimo, non dicam oratorio, ſed tugurio, ſatis indecenter requieſceret, in eodem ſcilicet monte ac loco, quo vitam ſolitariam, immo ſanctiſſimam egerat, non utique procul a Beneventi mœnibus, ſed quaſi millibus octo. Jamque decrèviſſet omnipotens Deus ſacroſanctas ejus reliquias, & ad ſui nominis gloriam & ad fidelium providentiam revelare; talis profecto ipſius diſpoſitione provenit occaſio. Quadam denique die, cum ROBERTUS egregius comes, RAINULFI ſcili- B cet comitis filius, vir plane & in ſæcularibus ſtrenuus, & in divinis devotus admodum, prout fas ſuppetit, ac ſtudioſus, cum latomis ac cæmentariis qui aulam ſanctæ Dei Genitricis apud Cajatiam ejus imperio ſtuſtudioſiſſime conſtruebant, ſederet, & ſatis anxie cogitaret unde vel qualiter ſanctorum reliquias poſſet adquirere, quibus juxta devotionem ſuam eamdem genitricis Dei baſilicam honoraret; contigit ordinatione divina, ut hora eadem domnus MADELINUS venerabilis abbas monaſterii ſanctæ Sophiæ de C Benevento, una cum domno GUISO abbate monaſterii ſancti Lupi, ad eum pro quibuſdam monaſterii ſui utilitatibus adveniſſet. Cumque pariter conſederent, & de quibuſdam inter ſe negotiis aliquantiſper tractarent; tandem inter loquendum percontatur comitem abbas, unde tandem ſanctorum reliquias ad ipſius eccleſiæ conſecrationem ſperaret. Animadvertens itaque vir prudens non ſine Dei nutu id ſe abbatem interrogaſſe, quod ipſe paulo ante verſabat in corde: Deus, reſpondit, & ſancta ejus genitrix providebunt hæc ad gloriam nominis ſui qualiter illis placuerit. Ad hæc abbas gratulabun- D dus: Quod mihi, inquit, repenſurus es beneficium, ſi non modo parvas aut forte ignotas vel dubias corporum ſanctorum particulas dedero, ſed integrum prorſus tibi ſancti cujuſdam corpus intra comitatus tui ditionem oſtendero, quod poſſis promereri continuo? Exhilaratus ad iſta plurimum comes, & in ſpem tantæ pollicitationis erectus, Nihil, inquit, eſt certe in toto honore meo, quod me irreprehenſibiliter dare & recipere te conveniat, quod non tibi præſto donetur, ſi quod promittis ore, opere fueris exſecutus. Subinfert protinus abbas: Non aurum a te, non argentum, ſeu quodlibet

ſæculare, quod nequaquam meæ profeſſioni competit, exigam: verum enim vero illud quod tuæ ſaluti, quod tuo honori, quod tuo denique officio potius congruat quæram. Volo igitur ſimul & flagito, ut omnium rerum noſtro monaſterio pertinentium in tuo dumtaxat conſiſtentium comitatu, cuſtodem, advocatum ac defenſorem te ab hodierna die conſtituas; ut ea quæ a pravis quibuſdam ſubtracta vel diminuta ſunt, eidem ſancto cœnobio, prout tibi poſſe fuerit, gratanter reſtituas. Quod videlicet modo ſi irrefragabiliter te exſecuturum ſponderis, quod ego quoque ſum pollicitus, protinus obtinebis. Promtiſſime comes univerſis mox ejus petitionibus annuit, inſuper etiam conjugem ſuam teſtem rei hujus ac mediatricem ſicut exegerat poſuit.

His ita firmiter utrimque depactis, retulit abbas comiti omnia quæ de ſancto hoc viro in dialogis beati Gregorii legerat, quod viderat, quod certo certius noverat. In monte, inquiens, qui hodie ex vocabulo ejuſdem hominis Dei mons ſancti Mennatis a loci incolis nuncupatur, referente beato papa Gregorio, idem vir Dei vitam ſolitariam duxit, ubi etiam poſt felicem ſui tranſitus curſum a fidelibus eſt ſepultus; parva admodum ſuper ejus memoriam eccleſiola fabricata, quæ hactenus licet ſemiruta durat, cujus procul dubio ſanctum corpus uſque hodie in eadem eccleſia requieſcit, ſicut hoc & a coævis noſtris, & a noſtris etiam majoribus frequenter audivimus affirmari. Nam & ad commendandam venerabilem ſancti ipſius memoriam memorabile uſque in hanc diem miraculum in eodem loco peragit omnipotens & mirabilis Deus. Prope ſiquidem ipſam eccleſiam fonticulus perſpicuus oritur, qui videlicet in uſibus viri Dei, dum adviveret, fuiſſe non immerito creditur. Hunc refert antiqua incolarum traditio, per ipſum viri Dei ſepulcrum habere meatum. Quam profecto aquam feminæ geniali lacte carentes, dum devote perbiberint, protinus abundantia cœleſtis gratiæ mirabiliter eorum ubera replet, & lactis copiam affatim ſubminiſtrat: quodque magis mirandum eſt, idipſum etiam quibuſque lactantibus fertur animantibus provenire.

His comes acceptis, lætitia ſimul & confidentia magna repletus eſt, & ad exquirendum, immo ad quærendum tam incomparabile margaritum totis viribus animum impulit. Perrexit itaque protinus comes cum abbatibus ſupradictis Alifas, indeque poſt biduum properavit Teleſiam. Inter eumdum autem, quemdam nutu divino ruſticum duas ligneas capſas ferentem offendunt, quas dato mox pretio emtas ad recondendas in eis corporis ſancti reliquias ſecum vehunt. Maxima ſiquidem fide fidens, procul dubio ſe reperturum quod cupiebat ſperabat. Ubi advenit Teleſiam, & comedit..... candente ſancti deſiderii flamma in pectore, minime id differendum ſeu recraſtinandum paſſus, confeſtim illuc cum eodem abbate profectus eſt, paucis ſecum aſſumtis, ut ſuſpicionem nemini faceret. Cavens tamen ne ſi forte vicini incolæ hoc præſentiſcerent, nullatenus id fieri paterentur, armatos aliquot de caſtro quod dicitur Tocius illuc convenire mandavit.

Cumque ad oratorium conductum veniſſent, & facta oratione foras egreſſi eſſent, advocans quemdam fratrum qui inibi commanebat, præfatus abbas, & oratorium illud rurſum ingreſſus, cœpit ab eo diſquirere, utrumnam certius ſciret locum in quo beati Mennatis corpus quieſceret. Tum ille: Sicut ex majorum, inquit, traditione, mi pater, *accepimus, certum habemus eumdem* eximium Dei confeſſorem in eccleſiola iſta pauſare: ſed certus pro certo locus quo lateat *cunctis manet incertus. Illis ergo in* hæc verba egreſſis, iterum comes nimium anxius & morarum impatiens, cum abbate & *aliis aliquot eccleſiam ipſam ingrediens,* eamdemque undique curioſe perſcrutando circumiens, maturabat id propter quod venerat agere: ſed ignorabat in quem poriſſimum locum deberet manus injicere. Verum cum ipſius oratorii pavimentum præ vetuſtate ſimul & injuria ſcabrum totum videretur atque defoſſum; ante crucem tantum, quæ inibi ſtabat, aliqua illius particula remanſerat ſolida, propter quod plerique ſuſpicabantur in eodem loco ſanctas jacere reliquias. At comes nequaquam hoc veriſimile reputans, & iterum eccleſiam iterumque regirans, aliquod lucidius indicium exquirebat. Tandem vero ſecus altare vir valde devotus pertranſiens, reſpexit ſubito poſt illud ſancti viri imaginem cingulo tenus depictam, & proprii nominis apicibus inſignitam. Exclamat continuo præ lætitia, quaſi non jam imaginem, ſed ipſam rei veritatem, ipſas ſancti Dei reliquias cerneret. Accurrunt omnes, videnteſque figuram ſancti viri ac litteras gaviſi ſunt, minime jam dubitantes reperturos ſe protinus quæ quærebant.

Primus itaque idem comes Chriſtum invocans, terræ foſſor accedit. Sequuntur & ceteri. Et primam quidem ſoli ipſius faciem quaſi arenariam calci commixtam inveniunt. Qua mox egeſta, terram reperiunt, & ea rurſum defoſſa, impingunt in calceum pavimentum. Itaque ſe voti compotes æſtimantes, magna cum aviditate illud dirumpunt; ſed eo remoto, in puram terram iterum incidunt. Eo igitur magis inſtare, & terram ipſam aliquanto altius fodere; quam cum nihilo ſegnius ejeciſſent, pavimentum item de tegulis reperiunt; & eo quoque omni inſtantia diſſipato, tertio iterum in ſimilem priori terram deveniunt. Itaque fatigati, quaſi diffidere & relinquere cœpta parabant,

cum fervor fidei ac devotio comitis quiescere nullatenus adquiescens, magis ac magis cœpit instare, inventamque terram instantius mandat eruderare. Quod dum fieret, tandem ad lapidem quo sanctum contegebatur corpus attingitur, eoque caute ac diligenter sublato, thesaurus omni pretio pretiosior invenitur, integrum scilicet & illibatum in ossibus Mennatis beatissimi corpus. Jam vero quis enarrare pergat laudes & gratiarum actiones in Deum, gaudia & gratulationes in homines? Sed quoniam sepulcri ipsius medietas ita sub altare sita erat, ut sine illius violatione moveri vel levari nullomodo posset; consuluit abbas ut archiepiscopo Beneventano id significaretur, quatenus ejus permissione liceret eis & altare confringere, & sepulcrum cum corpore simul ut erat levare. Verum comes prudentiori consilio usus: Nequaquam, ait, ne forte archiepiscopus non solum altare non violari, sed nec etiam corpus nobis auferre permittat, immo fortasse prohibeat; nosque postmodum si fecerimus, incurramus non leve peccatum: si non fecerimus, incurramus nihilominus voti simul fatigiique dispendium: & si non possumus, inquit, quod volumus; velimus id quod possumus.

Cum maxima igitur devotione ac reverentia jussit levari sacras reliquias, atque in duabus capsidibus ligneis nimis diligenter locari. Sicque acceptis illis cum laudibus & & canticis, gaudentes ac triumphantes inde progressi, eodem die qui erat pridie kalendas Aprilis ad villam, quæ Squilla dicitur, applicuerunt: ibique in excubiis sancti corporis noctem integram peregerunt. Altera vero die, quia sabbatum Palmarum solemnitatem præcedens illucescebat, innumera tam cleri quam populi multitudine confluente accipientes sanctas confessoris Christi reliquias, pedester comes ipse cum omnibus qui convenerant per millia circiter [septem aut tria nescio quot *antiqua manu insertum est margini*] profecti, cum ingenti tripudio & lætitia, cumque hymnis & confessionibus Cajatiam detulerunt, easque super altare beatissimæ Dei genitris Mariæ decenti honore ac reverentia posuerunt, glorificantes ac benedicentes Dominum, qui non deserit confidentes in se & de sua misericordia præsumentes. Acta autem sunt hæc anno incarnationis Dominicæ millesimo nonagesimo quarto, ad honorem & gloriam ejusdem Dei & Domini nostri Jesu Christi, cui simul cum Patre & Spiritu-sancto sit decus & gloria, laus & gratiarum actio, & nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen. Hæc igitur sacræ hujus solemnitatis est causa, hæc veneranda cunctis celebritatis hodiernæ materia: Et ideo quam bonum & quam jucundum, quam dignum, quamque justissimum est, ut in translatione sacri corporis omni tripudio gaudeat plebs devota fidelium, cui non dubium est congratulari exercitum etiam angelorum.

MIRACULA S. ANSELMI CANTUARIENSIS ARCHIEPISCOPI.

Ex mſ. reginæ Suecie eruit Mabillonius.

1109. CUm patris Anselmi miracula plura ferantur,
Quæ per eum Christus specialiter est operatus,
Res & apud paucos jam cognita vix habeatur,
Ut pateat quanti meriti fuit iste beatus,
Quædam distinxi, quæ dignum scribere duxi,
Subnectens operis prædicti materiei. (a)
Vir fuit in pago Pontif qui jungitur Augo,
Notus divitiis, sed marcidus ulcere carnis,
Servis vallatus, sed lepra contaminatus,
Actibus ipse bonis insistens quotidianis,
Fletibus admixtis, precibus cum multiplicatis
Christum pulsabat, Dominum sic efflagitabat
Quod super allisum dignetur flectere visum,
Qui mundando cutem sibi conferat ipse salutem.
At qui contritum cor respicit & sibi structum,
Ipsius ægroti non defuit anxietati,
Immo sibi mira subvenit & indice cura.
In somnis igitur quadam sub nocte monetur,
Quod si jam fieri sanus velit atque videri,
Hinc bene securus surgat Beccum petiturus,
Atque monasterii patrem secretius oret,
Omnibus ipse modis magis extorquere laboret,
Quod dignetur aquas sibi conferre bibendas,
Abluit unde manus dum missæ concinit actus.

(a) In mſ. codice reginæ Suecie extant hi versus ad calcem vitæ S. Anselmi ab Eadmero conscriptæ. Hinc conjicies horum etiam versuum auctorem fuisse prædictum Eadmerum.

Credulus hic monitis, & factus certior ipſis,
Impiger aſcendit illuc, ſed & illico tendit.
Indicat, Anſelmo ſummatim ſuggerit almo
Quæ ſibi per viſum fuerant oſtenſa ſupernum.
Qui ſtupet ex verbis, primoque repellit acerbis
Vocibus, atque monet, ne talibus ipſe laboret,
Non opus eſſe ſuum proteſtans quod petit ipſum,
Immo beatorum qui præceſſere virorum;
Se peccatorem, procul his ſed & inferiorem,
Quique ſuper tantis his auditi non mereatur
Quippe ſuis culpis poſcentibus impediatur.
At magis in precibus perſtabat homo miſerandus.
Altius ingeminans, quod ferret opem venerandus,
Nec pateretur ea fraudari ſe medicina,
Unde ſibi celerem credebat adeſſe medelam.
Vir tandem Domini clamoribus his ſtimulatus,
Et ſuper afflictum de more ſuo miſeratus,
Intrat in eccleſiam, precibus conſcendit ad aram,
Mane rogaturus pro cura corporis hujus,
Veſtibus atque ſacris indutus, miles ut armis,
Concelebrat miſſam, ſed non ſine fletibus ipſam.
Adſtat & ægrotus, proſternitur in prece totus,
Orans ex imis animi cordiſque medullis,
Jam ſibi promiſſum compleri cœlitus ipſum.
Atque myſteriis conſummatis ſacroſanctis,
Mira relaturus ſum, mira ſed expoſiturus,
Accipit e manibus abbatis aquas ſitibundus,
Queis deguſtatis devote, queis magis hauſtis,
Mox optata ſalus membris infunditur ejus.
Nam caro mundatur, nam ſpurca cutis reparatur,
Et ſic in laudem prærumpens Omnipotentis,
Non minus Anſelmum tollebat vocibus altis.
Quem compeſcebat vir ſanctus, eumque monebat,
Ne ſibi quid facti velit huic adſcribere tanti
Immo Deo ſoli perſolvat munia laudis,
A quo procedit totius cura ſalutis,
Talibus inſtructus, hinc & nimis exhilaratus,
Mundus & incolumis redit ad ſua pelle novatus.

Tempore quo ſanctus curam paſtoris agebat,
Et ſuper Angligenas primatus jure cluebat,
Pluribus ex cauſis in regni finibus ortis
Præcipue regis GUILLELMI, ſed junioris
Impete ſævitia cerebri comitante mania,
Eccleſias regni qua vexans diripiendo,
Non erat ille Deum reverens hominesve furendo.
Hæc per ſe quoniam ſedare nequibat ad unguem

Exiit e dulci patria Romam petiturus,
Conſilium domini papæ ſuper hoc habiturus,
A quo ſuſcipitur nimio præventus honore,
Urbis & a tota veneratur nobilitate.
Ejus in occurſum pompoſe nam properabat,
Præſulis ad tanti famam currens manicabat.
Tum quia ſemotis illuc de partibus orbis
Veneratis ſancti repetens ſuffragia Petri,
Tum quia notus erat mirandæ relligionis,
Actibus hinc multo ſatis expertæ rationis.
Aſt ubi cauſa ſui fuit adventus manifeſta,
Summo pontifici per eumdem quippe relata,
Ex tunc majorem ſibi prætendebat honorem,
Ut decuit tali perſonæ tam ſpeciali.
Nam retinens ſecum, ſibimet facit eſſe ſecundum,
Actibus in cunctis ſecretis & manifeſtis,
Ipſius ad laudem quamplurima ſæpe perorans,
Nunc in privato, modo cœtu multiplicato,
Sic ut multoties verecundaretur in iiſdem.
Urbis vero ſitus, quia morbidus haudque ſalubris
Noſcitur æſtivo ſub tempore, quin peregrinis,
Ex domini papæ conſenſu conſilioque
Tranſiit ad villam quæ Sclavia dicitur, in qua
Sæpe quieſcebat, corpus recreando fovebat.
Hæc quoniam alti conſtat ſita montis in ipſo
Sanior inde datur, clivique ſalubris habetur,
Nec procul a muris Romanæ ſiſtitur urbis.
Quo patris ad juſſum remeabat & ipſe frequenter
Grandia ſed quotiens tractabat & ipſe patenter,
Ipſius ad montis homines penuria grandis
Conficiebat aquæ jam temporis illud ad uſque.
Quod bene perpendens hujus cuſtodia villæ,
Inſuper & vitam ſanctus quam duxerat ille,
Et quia plura ſuis precibus jam commoda multis
Præſtiterit Chriſtus morborum tabe gravatis,
Alloquitur ſanctum, precibus circumvenit ipſum,
Ut ſignare locum putei dignetur ibidem
Quod mage cõveniens latici decreverit idem,
Dicens velle ſuum fore, ſi jam forte valeret
Id fieri, precibuſque juvamen ferre placeret
Quod non eſſet opus deſcendere vallis ad imum
Gurgitis ad limphas referendas montis in altum.
Audiit Anſelmus, tandemque precatibus ejus
Annuit, & laudat quod diſpoſuiſſe fatetur:
Aſſumtiſque ſibi ſociis, monachiſque duobus,
Exiit acturus fuerat quod ſæpe rogatus.
Sed mons ſublimis erat arduus & nimis ipſe,
Deſuper & rupes quo mons erat obſitus ipſe;
Unde videbatur dementia ſumma probari
Quod quis ibi vellet puteum ſaltem meditari.
Attamen antiſtes ſcripti non immemor extans
Quod qui habens fidei quantum ſit ſperma ſinapis,

Imperat hinc monti transferri, citoque movebit.
Ac tunc ipſe fretus ſpe ſicut erat bene ſuetus,
Inſpiciendo locum, perluſtrat ſtrictius ipſum.
Tunc prece præmiſſa, quæ ſemper erat ſibi promta,
Atque genuflexo, crucis exhibito quoque ſigno,
Ter feriens terram lapidi ſaxoque propinquam,
Juſſit ut inſtarent operi, puteumque pararent.
Non diffidentes, ſed in ipſo ſpem ſtatuentes,
Qui populo quondam per deſertum gradienti
Firma de petra produxit aquas ſitienti.
Perpaucis igitur tranſactis inde diebus,
Ex quo cœperunt in vertice ſcalpere montis,
Fons e veſtigio prorumpens cotis, & unda
Percutit aſtantes ſubito grandique ſtupore.
Hinc pro lætitia mentis cum laudis honore
Chriſtum magnificant, ſanctumque Dei repetitis
Vocibus acclamant, tum facti pro novitate
Muneris, & divi tam mira pro novitate.
Hoc & habetur ibi pro miro, nam patet omni
Cum mons procerus conſtet, modiceque cavatus
Fonte ſalubris aqua jugis & fit, & ipſe repletus.
Nam febrientibus hæc in potum ſumta medetur,
Inſuper & variis languoribus apta probatur
Ad Domini laudem quod pertinet indubitanter
Talia qui populo dat dona ſuo miſeranter
Præſul & ipſe quidem non expers laudis habetur,
Cujus amore Deus opus hoc patraſſe videtur,
Hinc Sclaviæ puteus patria vocitatur in omni
Præſulis Anſelmi puteus de laude perenni.

Ex eodem mſ.

DE VERBIS VENERABILIS ANSELMI.

VEnerabilis pater Anſelmus, dum adhuc eſſet abbas Becci, quadam die dum nimium mente meditabatur & nimium cogitando quaſi cogitationibus ſuis perturbabatur. Cui dixit quidam monachus ejus qui forte præſens aderat: Domine pater, pro Deo rogo dicite quid cogitatis, quia video vos cogitationibus veſtris turbari. Dicam, inquit. Ecce hoc cogitabam, ſi eſſet aliquis homo dives qui haberet gregem ovium, & vocaret puerum tam debilem & parvum, ut lupus veniens facilius tam illum quam ovem aliquam aſportaret, & illi oves ſuas commendaret cuſtodiendas, ita tamen ut ſi quamlibet ex eis perderet, anima hujus pro anima illius iret, Non valde timere deberet? Si autem uni cuilibet ipſarum ovium & forſitan infirmiori & ſtolidiori ceteras committeret dicens: ovis habeto curam iſtarum ovium, & ſcito quia ſi perdideris aliquam earum, ſanguinem ejus de manu tua requiram, & erit anima tua pro anima ejus, Numquid non timere deberet ovis illa? quam ſecuritatem habere poſſet? Ita eſt de me: Ego, inquit, ego ſum puer parvus, ego infirma ovis & debilis, ego facilis ad rapiendum quaſi quilibet alius, cui Deus credidit curam ovium ſuarum ut eas regam, cuſtodiam, paſcam, eo pacto ut ſi negligentia mea aliqua ex eis perierit, erit anima mea pro anima ejus & ſanguinem ejus de manu mea requiret Deus. Ideo timeo, ideo conturbor; quia ſcio horrendum eſſe in manus Dei viventis incidere. Et frater propitius ait, domine, ſit vobis Deus, quare talia cogitatis & dicitis? Nullus hoc cogitat quod cogitatis: ecce alii abbates gaudent & læti exiſtunt. Reſpondit: Forſaſſis Deus dedit illis ſecuritatem, ideo jocundantur & hilareſcunt; mihi autem non dedit, idcirco jure timeo, quia ſcio illum pecuniam ſuam exigere cum uſuris ab is quibus eam commiſit.

Dicta Anſelmi.

Judicium regale eſt judicium ſponte quæſitum, monachi judicium imperatum. Abſtinentia cujuſlibet ſeculàris potentis ex propria venit voluntate. Abſtinentia monachi ex prælati pendet arbitrio. Triſtitia regis vel cujuſlibet potentis eſt ſuperba. Triſtitia monachi ſuavis eſt & compunctione plena. Tria ſunt quæ hominem faciunt honeſte vivere inter homines: Verecundia, ſilentium, modeſtia. Quidam monachus Becci petebatur ad epiſcopatum eccleſiæ Belvacenſis, cumque S. Anſelmus abbas huic electioni aſſenſum præbere nollet, & monachum ſuum petentibus non concederet, dixerunt petitores: Domine, nos eligimus eum, non ipſe ſe ingerit, quare non vultis concedere quod petimus? Si, inquit, ipſe Deus me eligeret, adhuc timerem, quia ipſe per prophetam elegit Saülem, & per ſemetipſum Judam traditorem, qui ambo reprobati ſunt.

VITA BEATI GIRALDI DE SALIS,

SCRIPTA AB AUCTORE ANONYMO, Caſtellarienſi, ut videtur, monacho, circa finem ſæculi XIII.

Ex mſ. Caſtellarienſi.

Anno 1120. Girardi patria & parentes.

1. GYraudus igitur noſter ortus eſt de Petragoricenſi territorio, in vico cui vocabulum eſt Salis, & hæc fuit tanto viro terra natalis; ibi natus & alitus eſt per multum temporis, in medio perverſæ nationis, bellicoſæ ac ferocis: ceterum de natali cervicoſitate non plus traxit aliquid tale, quam piſces maris de materno ſale. FULCO dicebatur ejus pater, ADEARDIS mater: ambo inclyti & locupletati, generoſi & famoſi juxta nomen magnorum, qui ſunt in medio hujus maris magni & ſpatioſi, ambo milites ex conditione, Chriſtiani profeſſione, religioſi devotione; de quibus nobis ſermo grandis reſtat ad interpretandum. Sed uſque ad ordinem proſecutoris duximus reſervandum. Præclari igitur parentes præclaras tres ſoboles, quia præclara tria luminaria, præclare genuerunt, omnes futuros ad eremum, GRAUDUM vocantes primum, GRIMOARDUM ſecundum, FULCONEM noviſſimum. Sed uſque ad tempus ſuſtinendo de duobus ultimis fratribus, Gyraudus ſic a quodam commendatus eſt in verſibus:

Gyraudus gente generoſus, corpore, mente;
Petragoræ pago fulſit quia lucis imago.

Litterarum ſtudiis erudiendus traditur.

Ingenioſus itaque puer Gyraudus magnæ ſpei, & laudabilis indolis, litterarum ſtudiis traditus eſt a parentibus erudiendus in ſcholis. Erat enim primogenitus in multis fratribus, & ante eos traditus eſt artibus liberalibus; quibus non multo poſt fratrem ſequi ad ſcholas fuit maximæ curæ: unicuique ſecundum tempus & ordinem ſuæ geniturae. Domi timere Deum, & abſtinere ab omni peccato docebat eos devotiſſima mater. In ſcholis diſciplinam & ſcientiam monebat eos ſedulus magiſter, in quibus omnibus ſupra cunctos coætaneos ſuos enituerunt in brevi, non tantum eruditione linguæ magiſtræ, quantum unctione Spiritus-ſancti.

Mundum deſinere meditatur.

2. Religioſus itaque puer Gyraudus, comperiens in animo mundum poſitum in maligno, utpote quia domus ardet, & ignis inſtat a tergo, cœpit ſecundum ſapientiam congruentem ætati tam teneræ, revolvere in corde de logica illa ſingulari & unica quæ mortis non timet ergo; & poſt multos cogitationum accuſantium aut defendentium circuitus, ſacra illuſtris pueri deliberavit infantia, demum petere deſerta vel eremum: feciſſetque deſiderio ſatis, ſi teneritudo non obſtitiſſet ætatis. Animus tamen cum Martino aut circa eccleſias aut circa abbatias ſemper intentus, adhuc in ætate tenella meditabatur, mire in benedictionibus dulcedinis præventus: quod poſtmodum exſolvit devotus, tunc rei probavit eventus. Et vidit quod eſſet bonum & coram Deo acceptum: appoſuitque mittere manus ad aratrum, quatenus aptus regno Dei declinaret finaliter baratrum damnationis.

Ad Robertum de Arbriſello accedit.

3. Erat in diebus illis ROBERTUS D'ARBRISEL quidam vir ſpectabilis converſatione, & omni venerabilis acceptatione, hujus religio munda & immaculata erat coram Deo & omni populo, ſollicitum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo nequam. Is ergo de caducis & tranſitoriis curans parum, ex zelo cordis ſui ſolum ſalutem ſitiebat animarum; & circuiens per villas & caſtella, de domibus paternis abſtrahebat Chriſto virgines, alliciens ad ſpiritualia connubia, ſicut feciſſe legerat malleum hæreticorum beatum Hilarium de propria filia. Inter multas vero operationes ſpirituales ferventer inſtituit Fontis-Ebraldi locum & moniales. Erat fervens ſpiritu, & edoctus viam Domini, loquebatur ea quæ ſunt CHRISTI JESU. Stupebant autem omnes audientes, & mirabantur in verbis gratiæ quæ de ſaliva ejus egrediebantur. Excitatus Gyraudus puer præconio tanti viri, feſtinavit apud eum inveniri, ut ſub tanta ferula poſſet maturius erudiri. In quo facto conſilium videtur habuiſſe Spiritus almifici, dicentis per os Eccleſiaſtici: *Cum viro ſancto aſſiduus eſto, quemcumque cognoveris habere timorem Domini.*

Canonicorum regularium habitum, eo hortante, ſuſcipit.

4. Suſcipiens autem ſenex puerum cum devotione & alacritate animi, per dies aliquot notas faciebat parvulo vias Domini: qui dum adoleſceret & eremum tenderet ulteriorem, videns pater in juvene tam inten-

ſum fervorem, perſuadere cœpit ei religionem laxiorem, & coëgit renitentem. Suſcepit ergo de conſilio Roberti puer Gyraudus Domino oblatus habitum regularis canonici in monaſterio ſancti Aviti. Non longe erat monaſterium illud a villa de Salis, & a domo parentum, placuitque ambobus commodari Domino prædilectum talentum. Quo tenerius tantæ opinionis ſobolem diligebant, eo amplius de ejus converſione gaudebant. Ubi ſunt qui carnaliter amantes filios ſuos plorant inexorabiliter mortuos mundo, ut vivant Domino Chriſto? *Nolite flere ſuper mortuum*, ait Jeremias, *neque lugeatis ſuper eum fletu, plangite eum qui egreditur a Deo, ſcilicet per peccatum, quia non revertitur ultra, non videbit terram nativitatis ſuæ.* Parentes Gyraudi divino mancipati ſervitio, gaudebant, non fletibus tabeſcebant, ſicut & ceteri qui ſpem non habent.

In monaſterio ut ſe geſſerit.

5. Ingreſſus eſt Gyraudus cœnobium cum virginitatis odore, referto ſincero pectore ſpiritu manſuetudinis, & virtutum multiplici flore. Mira illi erga canonicos reverentia & patientia, ſubjectio & humilitas: ultra humanum modum & infantiæ metas vivebat in congregatione juſtorum, ordinabiliter ſibi, ſociabiliter proximo, humiliter Deo, velox ad audiendum & ad bona, tardus ad iraſcendum & ad mala, ſumme verecundus ac circumſpiciendus & ad verba, non circumquaque proſpicere, non curioſe per viſibile quodlibet evagari: non oculos effrontes ſuper ſingulos collocare, non ſanctæ regulæ Auguſtini iota vel apicem præterire, non mandatis divinis vel ſeniorum contraire, non in eluſionem diſciplinæ ſubterfugium, ut aſſolet, aliquando reperire: non evaneſcere in cogitationes, non velle haberi in oſtentatione, non in admiratione. Erat in puero juſtitia gratuita, per quam reddebat omnibus debita, Deo timorem, ſuperioribus honorem, coæqualibus amorem, ſpiritui proprio fervorem, pudorem & decorem, corpori candorem & mœrorem. Quis umquam vidit vel audivit columbam ſimpliciſſimam, virtutem verecundiſſimam, aut reſpicere attonite, aut ridere excuſſe, aut cachinnare convitioſe, aut loqui otioſe? Talibus virtutum fulgoribus coram Deo & angelis radioſus erat, & apud ſocios flagranter gratioſus.

Fit diaconus.

Et coëgerunt gradatim eum ad ordines aſcendere, uſque ad diaconatum: nam ex trepidatione & humilitate cordis ſemper abhorruit preſbyteratum, dicens ſe nolle augere reatum.

Iterum accedit ad Robertum de Arbriſello, & in cremium ſe recipit.

6. Gyraudus ſic habitans per longum tempus extra formam ſæculi, in medio regularis populi, ut ad virilem pervenit ætatem, cogitavit addere fortiora ad ea quæ fuerant parvuli. Viſitaverat pluries in illo temporis intervallo ROBERTUM religioſum & famoſum magiſtrum ſuum, & biberat de puriſſimo ejus pectore nobile Spiritus-ſancti templum, & vixerat, ut ab eo didicerat, ſacri præceptoris ad exemplum. Ad ipſum ergo rediit Spiritus-ſancti conſilio, a quo exierat, tum quia eum ſitiebat audire licentius, tum quia prædicando populis mereri volebat cumulatius, tum quia eremi cultor optabat, latiora declinans, degere anguſtius: ſancta quippe ruſticitas prodeſt ſibi ſoli, ſed docta caritas proximo & ſibi. Ardebat in clauſtro, ſed non lucebat mundo periclitanti, quia non erat in loco lucendi: videbat meſſem multam, ſed operariorum paucitatem, & mercedis ubertatem. Egreſſus eſt igitur ut copioſiora ſibi vindicaret merita: de paupere canonico factus pauperior eremita, & ſecundum Dei manum bonam ſecum amplicare cœpit Dei cultum & religionis gentem & locum. Ex tunc mutati ſunt veſtes & cibi, ex tunc ſollicitius & arctius vacare Deo & ſibi cœpit.

Mira ejus auſteritas.

7. Imprimis totus erat in cilicio, totus in cruce & martyrio, reſtrictus fuit in cibo & potu, & victu & veſtitu, paucis minimiſque contentus. Pallidus erat & macilentus, carnem ſpiritui ſubjiciebat, parcius quam neceſſe eſſet feminecis artubus indulgebat, corporis & mentis perpetua rutilavit virginitate, & mira ſe armavit aſperitate; omnes ſenſus corporis ſic erant mortificati, ut in mortem vitiorum viderentur conjurati. Omnibus diebus vitæ ſuæ, æſtate & hyeme, ſanus & æger, ſemel & non plus comedebat; languens & incolumis cilicium ad carnem gerebat, ſemper ad occaſum ſolis ſolvebat jejunium; pane arcto & aqua brevi, cum modico legumine perficiebat prandium; panis hordeaceus quanto nigrior, tanto ſibi carior, & quanto albior, tanto ſordidior. Vix ſal & ovum tangebat, aut caſeolum; vix quandoque piſciculum. Delicata gulæ, quia improperando negabat, & inter cœnandum ſua fletibus ora rigabat; in pulmentis leguminis admiſcebat aquæ frigidæ vel vini liquorem, ut omnem adnullaret ſaporem: ſæpius intactas epulas miſit egenis, ſæpe eſuriens miniſtravit plenis vino quod erat bibiturus ad horam, per infuſionem aquæ tollebat colorem, dulcorem & ſaporem: ſemper vini virtutem ſic enervabat, quia purum bibere crimen reputabat immane. Suadebatur ei aliquando contrarium, ſed non perſuadebatur; dicebat enim: Adam ejectus eſt de paradiſo comedendo, & redire nos oportet abſtinendo.

Qualis ejus veſtitus.

8. In diſcretis temporibus cilicium & cappa fuerunt illi indumenta, cappa groſſa, rudis & vilis, in ſui novitate aſperis & hirſutis inſita pilis: habens alimenta, & quibus tegeretur, his contentus erat: nullam corpori laxans, ſæpe novam pauperibus tribuit, cum a quoquam ſibi collata fuiſſet, quia veſte nova veſtiri erubuiſſet. Munditia, vilitas ei placuit,

placuit, paupertas ſibi ſemper, ſordes numquam; ſuperfluitatem vel gloriæ oſtentationem fugiens, ſolam recipiebat neceſſitatem vel exilem naturæ ſuſtentationem. Quid dicam ſuſtentationem an deteſtationem? utrumque ſi dixero, non me pœnitebit, veritatem enim dicam. De Johanne-Baptiſta dicitur, quod venit nec manducans, nec bibens, plane nec veſtiens. Hic autem frigidus & madidus, jejuna & nuda membra deferens ultra humanam conſuetudinem, dapes ſupernas & æternas concupiſcentias ſitiebat, angelorumque dulcedinem. Vivat, qui voluerit, ut manducet: Giraudus manducabat ut viveret. Solum tempus perditum reputabat quod in ſumendis cibis & potibus expendebat: pellibus vervecis contra frigoris inſtantiam corpus algidum tegebat nonnumquam, pelliceis numquam.

Bibinis ſemper carnibus.

9. Et quoniam mundo penitus erat crucifixus, totus rapiebatur ſupra ſidera fixus, pectore ſuſpirans ab imo, divina revolvebat in animo. Ex compaſſione mortis Domini, & peccatoris populi, necnon ob prolongationem miſeriæ, dilationem cœleſtis patriæ cum Maria Magdalena ad pedes Jesu lacrymabatur quotidie. O quoties totas noctes ducens pervigiles in oratione coram te, Domine Jesu bone, totus a ſe alienatus, & in ſagena tua tractus, ſæpe angelorum penetrabat concentus, incerta & occulta tuæ ſapientiæ multoties manifeſtaſti contemplanti, viſiones & conceptiones inſpiraſti meditanti, aperuiſti ei ſenſum copioſiorem in intelligentia ſcripturarum, reſeratione figuratum, ſcala & manuductione creaturarum? Quidquid enim aliis tribuere ſolet ſtudiorum exercitatio & meditatio in lege Domini, hoc Spiritus tuus ſuggerebat ei, & erat, juxta quod ſcriptum eſt, docibilis Dei, quercuum & ſagorum magiſterio didiſcit, quia omnis creatura clamat: Deus me fecit.

Inſtitutioni operam.

10. Giraudo itaque ſcientiæ innatæ, acquiſitæ & infuſæ, triplici acumine vigente, irruit in eum Spiritus Domini repente, ut prædicando portaret nomen Jesu coram omni natione & gente. Lucebat ut carbunculus, ardebat ut caminus, fulgebat ut ſidus, redolebat ut nardus, ex zelo caritatis calido, acuto, mobili, fervido & ſuperebulliente, coarctabat eum ſpiritus uteri ſui, nec conceptum ſermonem poterat continere. Diſſeminabat ergo luculenter & eleganter verbum Dei per univerſam regionem, & laxabat prudenter retia in capturam per varios actus. Erat ob lucrum animarum omnibus omnia factus, replens eundo patriam, evangeliſtæ faciebat opus, nec erat qui ſe abſconderet a calore ejus. Benevolos inſtruebat, diſcolos arguebat, nulli palpans & adulans parcebat, pro omnibus orabat, omnibus debita reddebat, non ætatem diſcernebat, non ſexum, non fortunam, non conditionem, non perſonam: ſummopere & tota diligentia operam impendebat, quomodo & qui non ſapiebant, ſaperent; & qui non ſapiebant, deſiperent; & qui deſipuerant, reſipiſcerent, gaudebat cum gaudentibus, &c.

Petrus epiſc. Pictavienſis ei vices ſuas committit.

11. Audita ſunt Giraudi præconia longe lateque, & celebri ſermone vulgata in epiſcoporum & prælatorum audientia. Primus dominus Petrus Pictavienſis epiſcopus, vir vita & ſcientia præclarus, dextram dedit ei interminabilis caritatis, committens ei vices ſuas, & ordinariæ auctoritatis: ſimilem auctoritatem quam plures epiſcopi commiſerunt ei, dare legem vitæ & diſciplinæ, & ſeminare ſemen ſanctum in populo Dei; optime enim noverant ſpiritu ferventem, non talentis incubantem, ſed lucris inhiantem; & ecce ſolito vehementius linguæ ſarculo cœpit evellere, deſtruere, diſperdere & diſſipare, ædificare, plantare & renovare, factitans prava in directa, & aſpera in vias planas. Exultabat ut gigas ad diſcurrendum per terras & vicos, urbes & caſtella, parare Domino plebem perfectam. Iraſcebatur vitiis, nec palpabat; afficiebatur perſonis quas amabat, accendebat gelidos, inflammabat tepidos, pungebat improbos, ſtimulabat pigros, hebetes acuebat; in arguendo libere perſonam, non noverat metuere. Diceres ignem urentem in conſumendo vepres vitiorum, ſecurem vel aſciam in dejiciendo ſupercilia ſuperborum. Explicabat peccatorum ſeriem & originem, prohibitiones & mandata, ut docti eſſent quid deberent agere, quid cavere. Poſt hæc more bonæ volucris ad latebras & ad nidum revertebatur in idipſum. Beati ſunt qui te audierunt & in amicitia tua decorati ſunt.

Monaſteria varia conſtruit.

12. Interea multi converſi ad Dominum per ejus miniſterium cœperunt ei offerre poſſeſſiones & prædia ad conſtruenda cœnobia, fundavitque ſeptem monaſteria pro viris, duo pro feminis. Nominavit autem Caduinum primum, Grandis-ſilvam ſecundum, Dalonem tertium, Bornetum quartum, Alodia quintum, Abſiam Gatiniæ ſextum, Caſtellaria ſeptimum: ibi ſepultus eſt & requieſcit in corpore, apud ſuperos in anima, ſicut dicitur, ab omni opere quod patrarat die ſeptima requievit. Alia duo nominavit Tutionem & Bibionem ad monialium regionem. In Tutione introduxit & incluſit moniales pater devotiſſimus, & cum eo ſacratiſſimus ejus præceptor dominus Robertus, cujus ſupra meminimus: inſtituitque Tutionem eſſe matrem & caput ordinis: Fontem-Ebraldi vero filiam Tutionis; quod obſervatum eſt per aliquantum temporis, donec propter aquæ penuriam Tutionenſes compulſæ ſunt mutare domicilium & intrare Fontis-Ebraldi monaſterium. Ex tunc irritatum eſt quod ſtatuerat pater: & mater filia, filia

vero facta est mater. In Bibiene vero præ ceteris locis animæ fundatoris complacuit, quia locus ipse pauperrimus fuit, frequentius locum frequentabat, crebrius ibi Deo festa celebrabat. Tot fundata per ejus industriam loca sancta fuerunt, quorum nonnulla jam alia genuerunt, & matres filiarum fieri meruerunt. In quibus omnibus instituit in victu & vestitu modum vivendi ad unguem secundum regulam S. Benedicti; nihil minui, nihil superaddi, nihil iterari, nihil omitti præceptorum, nil converti vetitorum, nec supra cogi, nec citra cohiberi. Sed jam ad historiam veniamus.

Fratres ejus Charontonis fluvium transeunt miro modo.

13. Quodam tempore fratres uterini Giraudi, Grimoaldus & Fulco, de scholis ad propria faciebant reditum, & necesse erat per Charontonis fluvium transitum habere: ex oppositа vero parte fluminis sine nauta & remige stabat navis; traductorem navis expectarunt diutissime, sed adveniente nullo flere cœperunt amarissime. Flentibus illis & conquerentibus advenit eis homo quidam, facie ignotus, & salutatis eis ex more, ex eis scisitabatur unde essent: de Petragoricensi pago, inquiunt, ad quem & tendimus, & domini Giraudi Tutionensis a quo paulo ante discessimus, fratres sumus. Cumque hoc dicerent, subito navis a portu soluta est: quod videntes duo fratres timuerunt amplius, verentes ne propter aquæ impetum navis descenderet inferius, & habere non possent ulterius: sed Dei pietas longe egit aliter; nam navis per medium alveum habuit rectum iter, & ad eos usque celeriter: quod ut ignotus homo vidit, stupescens ait: Vere, vere, ut apparet, ô pueri, diligit vos Deus omnipotens: ingredimini nunc navem, & ducam vos usque ad ripam. Revera sicut promisit, sic per aquam nimiam pueros transvexit. Egressi de navi virum illum ulterius non viderunt, sed in viam suam lætantes abierunt, unde & psalmos Deo cantaverunt, & ad suos usque incolumes pervenerunt. Hoc multis audientibus Giraudus narrare consueverat, quia in spiritu in iis omnibus interfuerat, & de se virtutem exisse senserat. Sed jam tempus est, ut quod de parentibus & dubbus fratribus Giraudi promiseramus, exsolvam.

Ejus parentes religiosam vitam amplectuntur.

14. Fulco ergo pater Giraudi, modo asper, modo lenis, secundum exigentiam temporis, postquam vixerat in populo, per consilium filii valefecit sæculo; cum enim ageret in extremis, suscepit religionis habitum, & post crementum meritorum pervenit adhuc juvenis ad obitum, & beato, ut credimus, fine cum Domino requiescens, mortuus est adolescens. Mater vero viduata tanto compare, consilio Giraudi monialis facta, habitum meruit immutare, & ut confessa est mater filiis, dum adhuc esset in hac vita, excepto solo filiorum patre, omnino viro permansit incognita. Clara conversatio duorum omnibus considerantibus esse potest speculum & exemplar morum.

De Grimoaldo sancto.

15. Grimoaldus autem depositо sæculi habitu professus est cum capellanita apud Tustonium, inde translatus, factus est prior apud Castellarium, & post mortem fratris electus est in abbatem Allodiensium; inde compulsus assumtus est ad Pictavienſis urbis pontificium. O Deus omnipotens, quam grave damnum! Non vixit in cathedra illa per annum, quid ibi gesserit dicere non possum, quia raptus est, ne malitia mutaret illius intellectum, aut quia tanto viro dignus non erat mundus: qui si duraſſet peramplius, fructificasset uberius, carnem abundantius domuisset. Sæpius protestatus est se malle fore leprosum quam abbatem; exulem vel martyrem, quam præsulem. Cumque ageret in extremis, ter vidit regem cœlorum, semel Mariam Christi Domini genitricem: nam pluries ante viderat apparentem, audieratque loquentem. Transiit autem sexto calendas Augusti, sepultus apud moniales Fontis-Ebraldi. Cui sepulturæ, Domino concurrere faciente, interfuerunt tres archiepiscopi, Burdegalensis, Rhemensis, & Turonensis: tres episcopi, Sueſſionensis, Meldensis, & Noviomensis: legatus unus, scilicet dominus Gaufridus episcopus Carnotensis, & cum plebibus innumerabilibus consul Andegavensis.

De Fulcone minimo fratre.

16. Fulco vero noviſſimus filiorum eremeticum habitum suscepit apud Boscavium, & beato fine quiescens pervenit ad bravium, post decursi in bonis actibus longi itineris spatium, non debebat vir ramificatus a tam gloriosa propagine in aliquo degenerare, sed in viam parentum ac fratrum fortiter ambulare. Sepultus est in capitulo Boscavii, ubi erat de primis loci illius pauperibus eremitis, & ibi jacuit temporibus aliquantis. Post multum vero temporis ad tantæ sanctitatis reverentiam honorificentius translatum est corpus ejus in ecclesiam, & dum levaretur, inventus est integer, & illæsus, ac caro carens caric, nec vestimenta sunt attrita quasi sepultus fuisset externa die: quod aspicientes stupore circumdati sunt assistentes. Fuerunt qui de panniculis & commissuris illis aliquid sibi scinderent, & in bursis pie retinerent. Cumque in diversorio sequestrati, scissuras illas vellent tollere pro reliquiis, nihil invenerunt omnes viri reliquiarum in bursis suis; a domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris. Hæc fuerunt parentum & filiorum glorioſa præconia. Jam nunc ad Giraudi insignia redeamus.

Giraldus apud Fontem Ebraldi prædicationis exercet officium.

17. Giraudo igitur prædicante regnum Dei, & dicta fratris confirmante, contigit dum ad moniales Fontis Ebraldi prædicationis gratia declinaret, ingressusque capitulum, vidit in mulieribus illis Deo & angelis abo-

minabile monſtrum. Nam crinium ſuorum tortura & circumdatura, more meretricis phaleras & manticas prætendebat poſterius, cornua anterius. Inſpectis ergo cornutis illis rationabilibus beſtiis, cœpit primo eas attrahere blanditiis; ſciebat namque generoſum eſſe hominis animum, ut ducatur potius, quam trahatur: & ſolitariam prius aggreſſus eſt abbatiſſam, ſciens quod alias facilius vindicaret per ipſam, nec facile membra præſtarent diſſenſum, ubi capitis præambulum viderent conſenſum.

Mirabilibus crinis tondendi repræſentatur.

18. Domina, inquit, abbatiſſa unum muſculum peto a vobis, quæſo ne negaveritis: aſſenſit abbatiſſa, in idipſum aſſenſæ ſunt & reliquæ omnes. Mox exercens linguam quam in talibus ſatis habebat diſertam, edidit eis apoſtolicam formam mulieribus impoſitam: *Non in tortis*, inquit, *crinibus aut circumdatura auri & argenti*: & incipiens ab hac ſcriptura Petri apoſtoli: Volo, inquit, ut ſingulæ detis mihi in continenti omnes capillos capitis veſtri. Quomodo enim tolerandum eſt in ſanctimoniali femina quod apoſtolus damnat in ſæculari matrona? Spiritu-ſancto ſuſcitante & per os Giraudi ſuggerente, tondentur univerſæ repente, & pro lege deinceps ſtatuitur, ut a nulla moniali in poſterum coma nutriatur.

Guillelmi epiſc. Pictavienſis & abbatum eremitarum de Giraudo teſtimonium.

19. Poſt tanta Giraudi, præconia libet inſerere GUILLELMI Pictavienſis epiſcopi, & eremicolarum abbatum teſtimonia. Vitam, inquiunt, religioſiſſimi ac famoſiſſimi viri Giraudi tangimus ſummatim, non ſeriatim exponimus. Epiſtolam ſuccingimus, non hiſtoriam teximus. Puer ingreſſus eſt cœnobium, inde migravit ad eremum; ſublimiter degebat in cœnobio, ſublimius vixit in eremo; excellenter religionem inchoavit, excellentius terminavit. Non Ægypti ollas, non Sodomæ flammas, non argenti auras, non vanitates reſpexit & inſanias falſas. Aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, de virtute in virtutem aſcendit, ad ſupremum tecti pervenit, canticum graduum intonavit. Veſtis ejus erat cilicium, potus aqua, legumen prandium, vita ejus crux & martyrium, nec æger, nec incolumis cilicio carebat, nec æger nec incolumis niſi ſemel comedebat, in omnibus geſtis ſuis Hilarionem redolebat, Antonium præſentabat, immo Chriſtus in eo vivebat. Totus ardebat & alios accendebat: nunc Johannes in eremo, nunc Paulus in publico, faciebat & dicebat, ſuper montem excelſum aſcenderat, unde Sion evangelizabat, multos inflammavit, multos ad eremum convocavit, multa loca ædificavit, in quibus normam beati Benedicti uſque ad minimum iota ſervandam ordinavit. Quid plura? Chriſtum amavit, Chriſtum prædicavit, Chriſtum imitatus, ad Chriſtum evolavit; ſi quid tamen rubiginis aurum contraxit vel imperfectum margarita; veſtris purgetur beneficiis, orationibus & lachrymis. Si hoc non eſt ei neceſſarium, ſed evolavit ad Chriſtum; oratio veſtra revertetur in ſinum veſtrum.

Diſcipulum ſuum amantis periculo liberat.

20. Erat in periculo maris quidam Giraudi diſcipulus, & cadens in mare opprimebatur fluctibus. In articulo naufragii illius magiſtri meminit, magiſtrum advocavit. Mox illo clamante, apparuit ei vir reverendi habitus, dicens benigne: Quem invocaſti, ecce adſum. Et continuo liberatus a tempeſtatis voragine, reperit ſe in littore.

Impudicam mulierem convertit.

21. Erat irretractabilis conſuetudo evangelizanti per provinciam viro Dei, quod in quacumque villa qui primus invitaret eum ad hoſpitium, annueret ei. Quadam die villam ſancti Maxentii erat intraturus, populo illi, ſicut & ceteris gentibus, verbum vitæ prædicaturus. Sed fatua mulier illo die invitans ſanctum in ſua, incertum eſt autem quid appetebat in viro, thorum ſcilicet an marſupium, ſperans ſe aliquid accepturam ab eo. Giraudus, ut audivit, venturum ſe eſſe ſpopondit. Noviſſime vero veniunt & reliquæ perſonæ honeſtæ, invitantes ſanctum, ſed renuit omnibus, dicens ſe eſſe ab una femina jam præventum. Et ut cognovit a dicentibus, quia lubrica eſſet, & nominis non boni: » Sinite, inquit, ſinite, poſſibile eſt « Deo etiam potius per me converti, quam « per eam me perverti. Sermone peracto meridie, juxta conditum Giraudus ſubintravit mulieris diſcolæ tectum; poſt prandium & cœnam clauſo die venitur ad lectum. At mulier capta laqueo oculorum ſuorum, viſa elegantia viri, acceſſit ad thorum invrecunde dicens ei: » Date, inquit, locum, & « in latus vos vertite, & ad dormiendum vo- « biſcum me recipite. Eſt ita, inquit ſanctus? « revera ait illa, oportet me dormire vobiſ- « cum, idcirco enim introduxi vos in locum « iſtum. Et ille, recedite, inquit, paululum, « & ad tempus, donec me præparaverim ad « hoc opus. Erat autem caminus accenſus in « domo & carbones multi ardentes in loco. Expandit ergo ſanctus prunas per atrium, & deſuper extendit proprium pallium, ſicque in hunc locum cubavit in medium, & advocata impudica hoſpita, exorſus eſt ita: Jam ſi nunc vultis hic mecum quieſcite, & « uſque in mane dormite. Cernens improba « meretrix, confunditur & compungitur, pedibus ſancti provolvitur, mutatur, & tondetur; atque in Fonte-Ebraldi recipienda perducitur.

Domum hoſpitis ſui ab incendio illæſam ſervavit.

22. Multi quorum Deus tetigerat corda, fuerunt hoſpites Giraudi per mundum, qui dum prædicaret, præbuerunt hoſpitium; dum domificaret, impenderunt adjutorium. Inter ceteros fuit unus, cui Giraudi præſtitum eſt meritis tale beneficientiæ munus. Ardebat villa, diſcurrebat favilla; flante aura, non erat ſpes quo ſalvaretur aliqua domus in illa. Videns ille bonus hoſpes humanum deeſſe

conſilium, divinum rogitabat adeſſe patro-
» cinium. » Giraude, inquit, hoſpes bone,
» commendo tibi domum meam ne flammas
» ingredi patiaris ad eam. Dicto citius flamma fugiens abiit, & receſſit, & domus integra & illæſa remanſit; flamma autem diffuſa eſt ſuper domos vicinas, & graſſata incendit a dextris & a ſiniſtris; domum vero hoſpitis omnino non tetigit ignis, neque contriſtavit, nec quicquam moleſtiæ intulit.

S. Bernardi elogium.

23. Dilatabatur religio Ciſtercienſis diebus illis, & a comite Campaniæ fundatum eſt cœnobium Claræ vallis. Ibi ordinatus eſt beatus BERNARDUS in abbatem primarium, & clariſſime ac ſingulariter triginta novem annis Claræ vallis rexit monaſterium. Singulariter enim effulſit in eccleſia ſancta Dei, & poſt apoſtolos ingenio ac ſtilo, facundia ac efficacia, diſciplina vitæ & doctrina ſcientiæ, opere & ſermone, virtutibus morum, ac jubare miraculorum nullus in orbe ſecundus ei. Ipſe fuit per quem patuit doctrina ſophiæ, præco Dei, doctor fidei, citharista Mariæ. Iſte eſt Bernardus, cujus videre faciem totus deſiderabat mundus: ipſius erat potiſſima cura ſalus animarum, converſio peccatorum, fundatio abbatiarum, dilatatio religioſorum. Hac de cauſa circuivit mare, & aridam, & univerſam pene nationem, donec deveniret provinciam Burdigalenſem & Narbonenſem. Hac occaſione Bernardus (a) & Giraudus viderunt ſe mutuo; & facti ſunt deinceps cor unum & anima una in Chriſto, glutino caritatis, & potuerunt eſſe contemporanei ſex annis vel ſeptennio.

[a]

24. Cum enim Bernardus abbatizaverit anno Domini milleſimo centeſimo decimo quarto, & Giraudus obierit anno Domini milleſimo centeſimo vigeſimo, conſtat verum eſſe quod diximus de contemporeitatis termino. Non minus adhæſit alius alio, quam ferrum adamanti; non minus vidit & agnovit alium unus quam ſeſe duo cherubim mutuo obumbrantia propitiatorium. Si videres Giraudum deducentem hoſpitem ſanctum & introducentem in monaſteriorum ſuorum nidulo, diceres redivivum David, deducentem arcam fœderis Domini in jubilo. Illuſtres itaque viri Bernardus & Giraudus in unum congregati ſimul veniunt Caduinum, ordini enim Ciſtercienſi volebat Giraudus incorporare monaſterium, juxta Bernardi magiſterium; ſed viri habitatores illius loci, filii Belial, non dominicis, ſed epicuricis (b) incluſi ovilibus, propter novitatem ritus, vilitatem habitus, & aſperitatem victus, penitus abhorrentes jugum ordinis, illo in tempore ſanctum Dei remiſerunt vacuum & ſine honore, dicentes corde, etſi non ore, « Bernarde, recede a nobis, ſcientiam viarum « tuarum nolumus. Et appoſuerunt adhuc ſancto peccare, roncinum quo vehebatur cauda truncare: nondum enim viſitaverat Caduinenſes oriens ex alto, ſicut poſtmodum, quando converſi ſunt ſub Pontiniaco. Bernardo ergo de finibus illis egrediente, & pedum ſuorum pulverem in teſtimonium illis excutiente, Giraudus conſolabatur eum blande. Venite, inquit, recedamus ab his ci- « vibus in nomine Domini, & dabo vobis do- « mum meliorem, tantum ne moveamini. « Non enim vos abjecerunt, ſed me: dicebat « autem Grandiſſilvam. Revera ſicut dixit, ſic « factum eſt: nam Grandiſſilvæ incolæ receperunt Bernardum (c) ſicut angelum Dei, & in obedientia perpetua ſe ſubdiderunt ei. O Deus omnipotens, quanta fecit ſervus tuus in regionibus illis, quanta audivimus & cognovimus ea, & patres noſtri, &c. Ibi pater ſanctus de ſexta quaſi parte unius hoſtiæ, tamquam ſingulus integram hoſtiam perciperet, totum conventum de Corona clementer communicavit, ibi viride folium potenter exſiccavit, ibi inſultantem de groſſitie colli equi ſui prudenter confutavit. Omnibus Giraudus interfuit, vidit, & audivit, & ad virtutem ſtupuit. Sed jam ad Pictaviam ſtilo redeamus.

[c]

Fundatio Caſtellariæ monaſterii.

25. Poſt dies illos, Petrus *Duvar*, unus de diſcipulis Giraudi, venit in burgum ſancti Maxentii diebus quadrageſimalis jejunii, & quibuſdam honeſtioribus caritate eum detinentibus retulit, quod venerabilis GUILLELMUS epiſcopus domino Giraudo magiſtro ſuo totam diœceſim ſuam expoſuit, & obtulit ad currendum & ædificandum religionis locum, quo congruit, & ipſe libenter annueret, & adjutorium impenderet. Cumque diverſi diverſa, & illa edicerent loca, demum quidam intulit Caſtellaria, utpote pratis & ſilvis, aquis & foſſatis, vaſtiſque ſolitudinibus abundantia. Adductus ad locum diſcipulus venit, & vidit, probavitque quod audierat, redienſque ad magiſtrum expoſuit quod viderat. Excitus Giraudus his ſermonibus, menſe Maio devenit ad burgum, ſermonem fecit ad populum, videre Caſtellaria exivit in craſtinum, & ea die primus in terra illa primum meruit accipere donum, & ſic reverſus eſt unde fecerat exitum. Circa vero Baptiſtæ natalitia, Petrum *Duvar* cum duobus aliis diſcipulis ad locum excolendum deſtinavit, & circa feſtum ſancti Bar-

(a) Vivente Giraldo, S. Bernardus nullam fecit fundationem in provincia Burdigalenſi & Narbonenſi, ſed nec niſi diu poſt Giraldi mortem; quapropter quæ hoc & ſequenti numero ab auctore referuntur, ex falſa traditione deſumta ſunt.

(b) Quæ hic narrat auctor, cum ea vitæ auſteritate & puritate, quam Giraldus ſuis in monaſteriis inſtituit, conciliari non poſſunt.

(c) Non vivente S. Giraldo, ſed anno 1145. quando S. Bernardus profectus eſt ad Toloſanos, ut patet ex epiſtola ejuſdem S. Bernardi 242. ad Toloſanos ſcripta anno 1147. poſt reditum ſuum: quos abbas ſanctiſſimus ſic alloquitur: *Sit vobis commendatus lator epiſtolæ venerabilis abbas Grandiſſilvæ, & domus ejus, quæ & noſtra eſt, & nuper nobis & noſtro ordini ab ipſo tradita, & eccleſiæ Claravallis ſpecialiter aſſociata.*

tholomæi ad conſolationem eorum dominum Giraudum virum juſtum & pium eis mittens in priorem ordinavit. Facta ſunt autem hæc omnia anno Domini milleſimo centeſimo decimo nono. Quodam die cum Giraudus ſecus Caſtellaria tranſiret, & locum Abſiæ peteret, ut ibi, ſicut in multis jam locis fecerat, de eremitario abbatiam conſtitueret, fratres illa vice non viſitavit, ut conſueverat, mandavitque fratribus ne tranſitum ejus ægre ferrent, ſed expleto Abſiæ opere eum venturum, veracius expectarent. Clerici etenim Abſienſes, ſicut & Caſtellarienſes erant & eremitæ, domino famulantes in puritate vitæ. Abſiam itaque pervenit, & quæ circa fratres deſideraverat, devote complevit.

Giraldus in morbum incidit.

26. Interea dominus tyronem ſuum tam emeritum, & virtutum ac operum numeroſitate refertum, volens remunerare, triticumque purgatum ſeptuplum in horrea cœlorum congregare, per febrem nuncium voluit evocare; repente cœpit infirmari, & cum eo fratres ſunt infirmati. Decubuit lecto & viciſſim univerſi cum eo. Quis non tanto patri infirmanti non coinfirmaretur? Ipſe tamen ſciebat quid de eo Deus eſſet facturus, ceteri neſciebant: exierat tamen ſermo inter fratres, quod magiſter iſta vice non moritur. Sibi placentia imaginabantur, & ex abundantia cordis loquebantur. Ceterum Dominus aliter diſpoſuerat.

Dedicunt Caſtellarias & ibidem domicilia ſanctimonialibus reſtituunt, divina illinc remanent.

27. Giraudus igitur ſciens quæ futura erant ſuper eum, recogitanſque quid Caſtellarienſibus promiſerat per ſeipſum, tractare cœpit de promiſſo inter diſcipulos quos ad hoc convocaverat in unum: qui omnes voce conſuluerunt unanimi, competentius, ſive viveret ſive moreretur, eum eſſe Caſtellariis, quam alibi. Filius ergo veritatis nolens irritare promiſſionis eloquium; accerſiri ſibi fecit dominum terræ qui tunc aderat, nomine Tirolium, porrexitque ejus preces in ejus ſinum; & adjuravit per dominum ne eum dimitteret in regione hominum Gaſtinenſium, ſed transferret Caſtellariis, intra conceſſionis ſuæ coram teſtibus factæ dominium; accepto mandato, mane facto, matutinis nondum finitis, Tirolius electis rectoribus in geſtatorio feretri Giraudum eduxit, atque diſcipulis Caſtellarienſibus dominica in paſſione gaudenter induxit: qui veniens tanta fuit infirmitate gravatus, ut dominica palmarum ad proceſſionem fratrum non poſſet incedere, niſi bajulatus. Corpore deficiens, mente fortior erat & potens. Cumque languor ingraveſceret, diſſenteriaque deficeret, atque in omnibus Deo gratias ageret, die Paſchæ portari ſe a diſcipulis in oratorium fecit: ibi Chriſti confeſſor Deo confitens, & diu mœrens, ſignum crucis adoravit, Dominique corpore & ſanguine egreſſum ſuum roboravit; factuſque ad horam in exceſſu mentis, & evaneſcens Domino, circumſtantibus ait in latino: Volucres video. Illis non intelligentibus & ſciſcitantibus quænam eſſent volucres viſæ, bonæ an malæ: ſubjunxit verus Iſraëlita: Viſitare me venit Dominus Jesus-Christus, & cum eo Petrus Pictavienſis epiſcopus, & dominus Robertus eruditor meus. O virum incomparabilem, qui in die mortis non eſt derelictus a Domino! virum, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo, & per ſeipſum deducere & introducere cum angelis in impireo.

Diſcipulos ad regulæ obſervantiam hortatur, & ut pauperem eũ ſepeliant.

28. Inter hæc Gyraudus cognoſcens quia moreretur, fratres qui aderant rogavit ſollicite ut ſui memorarentur; regulam præceptoris almificii beati Benedicti admonuit ſuſcipere, & per ſanctam obedientiam adjunxit tenere. Quid plura? de locis ſuis ac fratribus diligenter ordinavit, amicos & hoſpites Deo pro eis ſupplicans commendavit; ne ſe aliter quam pauperes fratres ſepelirent, vel ad ſui tumulum vigilare aliquos ſinerent imperavit; ſicque bajulatus ad lectum remeavit. Interea fratres ei ſuaſerunt, ſed non perſuaſerunt, ut aliquid ovi aut caſei guſtaret, in adjutorium ſuæ infirmitatis, ſeu præcipue ob reverentiam paſchalis ſolemnitatis.

29. At ille quaſi indignans oneroſis conſiliariis, ait illis: Ah! ah miſeri! quia talia « conſulere præſumſiſtis: & ego præcipio vo- « bis, ne aliquid tale comedatis. Manſit ergo « illo die & ſecundo vivus in medio populi ſui, diſputans & ſuadens de regno Dei, qui linguis hominum & angelorum loqueretur. Vix explicari ſufficeret, cum quantis lamentis ad ſeipſum, hortamentis ad populum, oblectamentis ad Dominum, devenit ad extremum vitæ terminum, imo ad initium, ſecundum illud Salomonicum: *Conſummatus homo tunc incipit.* Nunc aſcendebat ad Dominum cum Moyſe, dicens ei: *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo quos acquiſiſti tibi miniſterio meo*; nunc deſcendebat ad populum ſuum cum Apoſtolo dicens: In diſciplina quam ſuſcepiſtis perſeverate, fratres, quia hæc eſt via, & non eſt alia ſuper terram. Cantabant fratres, ſanctum Paſcha celebrantes. Giraudus etſi non cantabat, non plorabat tamen: quid enim ploraret qui veri phaſe, id eſt tranſitus ducebatur ad ſolemnitatem. At quoniam ea quæ de ipſo erant, finem habent, (teſtamentum enim hujus mundi *morte morieris*) dicamus, quin potius lugeamus tanti patris tam pretioſum obitum; muſica ſiquidem in luctu importuna narratio.

Ejus obitus. [4]

30. Anno igitur gratiæ milleſimo centeſimo vigeſimo (a) duodecimo calendas Maii, id eſt vigeſimo Aprilis, feria tertia poſt Paſcha, valde diluculo, Giraudus plenus dierum & virtutum, inter manus diſcipulorum migravit ex hoc ſæculo, primuſque ſuorum

(a) His concinit Chronicon Malleacenſe apud Labbeum Biblioth. nov.

appositus est populo; imponens eis, singulis qui aderant, manus, & salutans eos inter verba orationis, ultimum Deo reddidit spiritum. Mox per singulos illius albæ septimanæ dies, una vox discipulorum lamentantium, unus concursus non vocatorum populorum, virorum ac mulierum, simul in unum divitum & pauperum, nobilium & ignobilium, irruentium & se & suos tanto patri commendare desiderantium. Qui videre vel tangere tantam sanctitatem poterat, beatus erat. Adfuit dominus GUILLELMUS secundus, ADELENIUS nomine, Pictaviensis episcopus, inconsolabiliter flens, & ejulans, » & ex præcordiis clamans: Ostendite mihi » dominum meum, ostendite mihi dominum » meum, & intuens eum ita vilibus panniculis » laneis involutum: Auferte, inquit, ista hinc, « & induite illum secundum clericatus sui dia- » conatum. Factumque est ita, & factum est in die octavo Paschæ sepelierunt corpus Giraudi in Castellariis, locorum suorum novissimo, pauperrimo, & quantum ad tectum vilissimo, sed religioso, in beatæ Mariæ oratorio, a latere altaris sinistro.

Dum sepelitur tres apparent cruces.

31. Dum sepeliretur Giraudus a ministris intra oratorium, erat populus foris expectans horam exsequiarum: & apparuerunt illis tres cruces miræ pulchritudinis super oratorium pendentes in aëre: quas non omnes videre meruerunt, sed quibus datum est; quæ tamdiu manserunt, quamdiu exsequiæ duraverunt: & qui videbant mirabantur, nec aspectu satiabantur. Media ceteris amplior & excellentior erat rubicunda: duæ reliquæ ad similitudinem iridis, una viridis, altera candida.

Quid illæ portēderent.

32. Quid inter hæc, fratres, animadvertitis? magnum portentum abditumque sacramentum, Significatur quoddam divinum & a mundanorum corde peregrinum; excellens, ni fallor, meritum servuli, qui tanto & tam privilegiato signo meruit a Domino decorari. Cum enim crux a cruciatu dicatur, omnis amor crux est, quando desiderat hoc quod assequi non potest: tres ergo cruces, Dei, & sui, & proximi dilectiones. Purpurea crucifixit eum Domino per amorem transitoriæ asperitatis; nivea, sibi per electionem virginitatis; sed cærulea proximo per ædificationem utilitatis, instruendo de credendis & agendis. Unde Rabanus super Esther: Per virorem fidei, & candorem castitatis construitur fundamentum humilitatis. Quidam ternarium crucis referunt ad peccatores, quibus compatiebatur propter offensam Dei, metum inferni, & metum cœli. Alii ad sæculum proprium, cui crucifixus erat quoad divitias, delicias & honores. Reliqui ad Dominum Christum, post quem languebat ex crucis recordatione, ex miseriæ duratione, & gloriæ dilatione.

33. Aliter ipse sanctus crucium mysterium exposuit: qui episcopo GRIMOALDO fratri suo dormienti post mortem apparuit. A Giraudo ergo per visionem sibi apparente quadam de re quam facere cogitabat consilium petiit: sed ne facere deberet, terrendo prohibuit; post hoc sciscitabatur frater fratrem, vivens triumphantem, dicens: Magi- « ster, est veraciter credendum quod cruces « visæ sint ad exequias vestras? Cui ipse re- « spondit: Vere & absque ulla dubitatione « credendum est, quod viderint eas quidam, « quibus datum, sed non omnes: ostendit « namque Dominus quanta dilectione virtutem « sanctæ crucis agnoverim: apparuerunt autem « ibi tres cruces diversi coloris, quarum una « viridis, secunda purpurea, tertia candida: « prima quidem signavit abstinentiam carnis, « secunda martyrium cordis, tertia gloriam « æternæ beatitudinis. Et hæc dicta de crucibus « sufficiant.

Corpus ejus transferunt novam ecclesiam.

34. Sepulto corpore, & signato monumento in veteribus Castellariis, jacuit ibi decem septem mensibus cum duabus hebdomadis. Nam ex tunc translatis fratribus in loco quo nunc degunt, translata est gleba sanctissima c[illegible] conventu anno gratiæ millesimo centesimo vigesimo primo, mense Septembris, sexto calendas Octobris, corpus Giraudi incorruptum & integrum delatum est de loco primo, & sarcophago bituminato reconditum est, ubi est abbatia modo: oratorio tamen petrino nondum inchoato, vel ædificio aliquo lapideo. Hoc anno undecimo, scilicet calendas Novembris, Giraudus prior decessit, eique EMERICUS Petragoricensis in regimine successit. In diebus istius fratres facti sunt monachi, & ipse primus abbas hujus loci: demum anno gratiæ millesimo centesimo vigesimo nono, adjuvante fratres & exultante tota vicinia, circa corpus sanctum inchoata est petrina ecclesia, perfecta est autem anno trigesimo septimo, & anno gratiæ millesimo centesimo quinquagesimo sexto, dedicata a CHALONE Pictaviensi pontifice, ADRIANO summo antistite, LUDOVICO in Gallia regnante, assistente domno EMERICO primo abbate, pleno dierum, divitiis, gloria, gaudio & honore. Sed jam nunc applicemus calamum ad ea quæ gessit, & revelata sunt per Giraudum post obitum.

Monet Bernardum eremitam Plumbi, ut omissa pro defunctis officia compleat.

35. Piscator quidam Evrardus nomine, cum Bernardo primo eremita Plumbi habitatore degebat, victum & vestitum, manu, arte, navi & rete quærebat. Subiit animum dormientis nocturnis horis, quod madescentia retia non expansa reliquerat foris. Exiliit e lecto illa hora, pendentia expandit retia sine mora, circumspicit lunam & sidera, polum & æthera, serena & clara rutilare, nec canem aut gallum aut strepitum aliquem resonare, sed leniter lambentibus littora fluctibus applaudere tranquillum mare; & dum aspicit in visu noctis, ecce processio nive candidior innumerabilium senum & juve-

nam apparet Eurardo ambulans ſuper aquas maris, quaſi tendens verſus partes ſancti Michaëlis. Poſt primos emergant alii, & poſt alios ſemper ſcaturiunt novi, nec tantus aut talis grex viſus eſt alibi. His decurſis, vir venerabilis canitiei & habitus, totus quaſi divinus & athanaticus, ſemotus ab illis, & per mare gradiens ſicco veſtigio, aſſiſtit E- »vrardo, dicens ſalutato: Valetne Bernardus, »habitator loci diuturnus? Valet, inquit. Sur- »rexitne ad matutinas? Nondum, inquit. »Vade, ait, & dic ei ex parte noſtra: Modi- »cum fermentum totam maſſam corrumpit; »item tranſgreſſor unius factus eſt omnium »reus. Defunctorum ſervitia minus plene pera- »gis & peregiſti, quæ niſi reſtitueris cum multo »fœnore, bona multa perdes congregata in »omni tempore: quod defraudaſti, cito re- »ſtitue, quia jam rumpere tentat Atropos »filum mortis tuæ. His auditis, ait Evrardus? »Ecquis es, Domine? Ego ſum, inquit, GI- RAUDUS de Tutione. Dixit, & illico ſocios inſequitur pede ſicco. Tandem pulſata & prædicata hora canonica frater Bernardus audit & agnoſcit quid ex parte magiſtri denuntiat Evrardus: errata cum fletibus limat & corrigit, & quod minus egerat reſtituit, non tepidus, neque tardus, & complens vitam in languoris cruciamine: non diu vixit, ſicut ſanctus prædixerat.

Abbatia feſtivitas cujus genesis obtinet a Deo initium.

36. Conſueverunt abbates vicini illius regionis in honorem Giraudi annuatim concurrere ad feſtum ſanctæ ſuæ depoſitionis. Inter ceteros ſemel adfuit vir venerabilis & per omnia laudabilis dominus JOHANNES DE CALENCIO, primus abbas Boſcavii, qui regimen illud ſuſceperat quaſi duceretur ad mortem martyrii. Venerat ad feſtum tanti patroni, ſed & valefacere curabat inflexibiliter impoſito regimini, nec in hoc cujuſquam acquieſcere volebat perſuaſioni. Expletis quæ pertinebant ad diem feſtum, inſtabat iſte ut abſolveretur; ſed pater abbas omnino diſſentiens perſtabat ut ad Boſcavium reverteretur. Volebat filius præciſe remanere, volebat pater obnixe filium remeare. Dum inter utrumque lis amica necteretur in hunc modum, Giraudus interpellatur arbiter: diſſolvit perplexionis nodum. Nam accedens ad monumentum ſancti Boſcavienſis abbas ſurſum cor in æthere fixit, atque fide plena, devoto pectore, lacrymis fuſis, patri com- »muni dixit. Sancte Giraude, ad cujus ſto »monumentum, da mihi non poſſe reverti »ad Boſcavii conventum, ſed qui omnia po- »tes a Domino, fac me remanere tecum in »omnem eventum. Dicto citius febre corripitur ignota. Gratias agit Deo, mente devota, patrono Giraudo perſolvit vota. Mox lecto proſternitur, adſtantibus jocus adeſſe videtur, ſed ille ſe non rediturum ad propria, ſed moriturum die tertia pollicetur. Quærunt fratres, unde ſit certus: Reſpondit, quia Giraudi patrocinio immutabiliter in talibus eſt expertus. Quid plura? confitetur, ungitur, communicatur, fratrum reconciliatio petitur, die tertia defungitur, & primus abbatum in capitulo Caſtellarienſi ſepelitur: ſicut fratres audierunt, ſic viderunt, & de nocte pariter & de die. Sed jam omiſſis quæ ſcripſit antiquitas, ad noſtra tempora veniendum.

Thomas abbas novum templum cõſtruere & Giraldi corpus transferre meditatur.

37. Jacuit ergo Giraudus, & in eccleſia illa lapidea a ſiniſtris altaris ſub lapide marmoreo clauſus in ſarcophago petrino fortiter ſigillato & bituminato, centum viginti octo annis uſque ad tempora clariſſimi & religione conſpicuiſſimi ac prudentiſſimi viri domini THOMÆ abbatis. Ipſe anno gratiæ milleſimo ducenteſimo quadrageſimo octavo, in purificatione beatæ Mariæ, ſuſcepit regimen abbatiæ, & appoſuit cor ſuum inhærere Domino, & Giraudo ſervo ejus, propter quod appoſuit erga eum cor ſuum Dominus, & benedixit coronæ annorum ſuorum, & in temporalibus, & in ſpiritualibus, ſicut benedixit domui Ægypti propter Joſeph. Et cogitavit abbas THOMAS, ſecundum manum Dei bonam ſecum, augmentare in duobus cultum divinum, ſcilicet in ampliando Caſtellarienſis templi gentem & locum, & in elevando in ſublime a terra Giraudi corpus, ad ædificationem hominum. Durum ſiquidem & intolerabile videbatur abbati in communi humilitate terrenorum viſcerum ſordis & pulveris oſſamenta deprimi tanti viri, quem collocaverat Dominus in excelſis cum principibus, cum populi ſui principibus: & ſicut concepit, ſic executus eſt, & de templo.

Ejus fit tranſlatio.

38. Anno itaque Domini milleſimo ducenteſimo quadrageſimo nono, regiminis autem ſui anno vigeſimo (a) tempore paſchali, abbas Thomas, adjunctis ſecretioribus fratribus, fodit in altum, uſque ad ſepulchrum; & gaviſus eſt vehementer cum inveniſſet, licet cum difficultate, deſideratum theſaurum, & pannis holoſericis, ut decuit, oſſa involuta & munda ſervavit honorifice; donec thecam pro corpore, vas pro capite, fabricaſſet: quod & factum eſt: nam caput poſuit in vaſculo deaurato, corpus vero in feretro marmoreo in modum arcæ fabricato, & ſuper columnas ſex lapideas ſurſum elevato, in eodem loco, ubi prius jacuerat ſub pavimento. Factumque eſt grande miraculum in die illa. Nam pretioſo corpore collocato, & operculo ad rectius ſubmittendum per cordas elevato, omnes funiculi, præter unum rupti ſunt ſubito, & aſſiſtentium manus, quaſi ſine pondere & læſura; operculum lapideum tantæ molis ſtatuerunt in loco debito. Mirabatur artifex, quod tan-

[a]

(a) Si anno 1248. Thomas ſuſcepit regimen, annus vigeſimus ejuſdem regiminis anno 1267. incipit, non anno 1249. Itaque hic mendum irrepſiſſe in curia Amanuenſis manifeſtum eſt.

tam molem tam paucorum manûs & humerus in aëre ſuſtinuit, nec eam læſit etiam in modico neque contriſtavit.

In ſanctum blaſphemans operarius morte mulctatur.

39. Aliud quoque audivimus geſtum relatione dignum. Cum prædictus ſancti tumulus initiatus eſſet in fieri, THOMAS venit abbas, quotidie vehementius inſtabat operi, rogitans decenter, artificialiter & velociter compleri. Idipſum & faciebat ſocius ſuus architectus operis, nomine Colinus de Saliſo. Erat ibi unus de collegis Colini filius Belial, id eſt abſque jugo, qui tot admonitionibus indignatus eſt præ faſtidio; & non veritus eſt verbis improbis deſpumare convitia in ſanctum, & non impune, nec ad ſapientiam ei: » Pro neſcio quo, inquit, Giraudo, quem » vultis ſanctificare, Deo invito, oportet nos » accelerare plus ſolito. Cum has & hujuſmodi blaſphemias in virum ſanctum evomeret, increpavit eum ſocius ut taceret, alioquin cerebrum ejus effunderet. In ipſa nocte erat Colinus dormiens in cubili ſuo, & apparuit ei ſanctus Graudus, dicens continuo: Numquam te intromittas de injuriarum mearum ultione, quia potens eſt Deus punire æmulos meos, quoties voluero, gravi animadverſione: his dictis Giraudus diſparuit: & blaſphemum mox infirmitas lethalis arripuit; qui inde non convaluit, ſed horrenda morte peccatum blaſphemiæ luit.

Sancto convitium irrogans febre corripitur, facti pœnitens ſanatur.

40. Simile cuidam accidit de Partiniaco, cum ſancto Dei convitiaretur ore maledico. Ibant enim ex more quidam Partiniacenſes ſabbatis ad beati Giraudi vigilias; & iſte miſer conſtitutus in via irrogabat & peregrinis injurias & Giraudo blaſphemias, nec impune, in ipſa nocte blaſphemus febre corripitur peracuta, mors expectatur incontinenti ſecutura: nulla hora noctis quieta eſt vel ſecura. Mane facto ſacerdos accerſitur, viaticum petitur, confeſſio permittitur, confeſſor ex more hortatur, confeſſus tandem externæ blaſphemiæ recordatur. Quid plura? Veniam cum lacrymis deprecatur, emendandum ſe pollicetur; & quod ſi eum oculo clemente reſpexerit, peregrinus ejus, & ſervus erit in perpetuum, corda in collo viſitaturus ſanctum, tamquam qui meruiſſet ſuſpendium. Mira res! qui paulo ante ſecundum cauſas inferiores deſcendebat in interitum, nunc per virtutem Giraudi certificationis experitur antidotum; infra paucos dies veniens ad ſancti ſepulchrum, reſti in collo ſecundum promiſſionis votum: & qui paulo ante merita Giraudi ſibi ſoli vix ſufficere, & nulli alii valere dogmatizaverat impudenter; a modo Chriſti amicum cunctis annuntiat præpotenter.

Monacho Caſtellarienſi apparet.

41. Erat frater Guillelmus *Desjuvre* monachus Caſtellarienſis, & magiſter pauperis hoſpitii, ſenior bonæ vitæ & laudabilis teſtimonii; quadam die ceteris dormientibus dum pergeret ad eccleſiam, monachum ignotum reverendi vultus & habitus obviam habuit, dixitque ignotus domeſtico: *Benedicite*, illi non reſpondenti, *Dominus*; quia nec erat abbas, nec prior conventus, ait ignotus protinus: » Ne loqui timueris, ſed abbatem ex » parte mea ſalutabis, & ſic ei intimabis. Quod » potes facito, & de reliquo ſolicitudinem abbatiæ derelinquito mihi; ego namque pro » te ante Deum vigilo, qui locum & gentem » protego ſub meo azilo. His auditis, dixit » notus incognito: Quiſnam es tu? Et ille: » Quis ego ſum tu neſcis modo; ſcies autem » poſtea: ſequere me. Exiens ſequebatur eum, » donec ingreſſum eccleſiam videret intrare Giraudi mauſoleum. Et tunc cognovit quia B. Giraudum vidiſſet, qui hæc & illa ſibi dixiſſet.

Transfertur retro altare & miracula operatur.

42. Interim dum hæc circa Giraudum agebantur, per abbatis THOMÆ operam eccleſia prima in longum, latum & altum, in dies augebatur; & perfectum eſt omne conceptum renovationis opus, & poſitus eſt Giraudo retro altare majus poſt ciborium ex transverſo collocationis venerabilior locus. Ibi ergo de lateribus aquilonis Giraudus poſt altare in recto diametro ad orientem tranſlatus eſt, qui & permanet uſque in præſentem diem. Anno Domini milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo Agnetis ſecundo; perfecta eſt circa Girandem eccleſia renovata, & ab archiepiſcopo Burdigalenſium SIMONE rite dedicata. In qua per Giraudi merita fabricitantes refrigerantur, cæci illuminantur, claudi conſolidantur, ſurdi aperiuntur, multi loquuntur, dæmoniaci ſerenantur, guttoſi mitigantur, frenetici & epileptici reducuntur, blaſphemi benignantur, tumidi deficcantur, paralytici confortantur, morituri præſervantur, mortui ſpiritualiter ſuſcitantur, libet nunc inſerere pauca de multis, aliqua de univerſis.

Claudus curat.

43. In parochia de Marcheiſi homo quidam claudicabat uno pede, nec niſi ſuper baculum, quem vulgo potentiam vocant, poterat incedere. Hic habebat in eadem vicinia virum alium, qui neptim abbatis cujuſdam Caſtellarienſis duxerat in conjugium. Compaſſus ille paſſionibus convicini, quadam die inter familiaria colloquia dixit illi: Eſt quidam ſanctus nomine Giraudus ſepultus in Caſtellariis, quem ſi devote viſitando requiſieris, ab incommodo tuo ſalvus eris: & ego in pignus & obſidem me tibi conſtituo, quod requiſitus patrocinio non deerit tuo. Quid plura? Oportet eum credere qui diſcit, ſicut philoſophus in Elenchis dicit: Credidit homo ſermoni, quem collega ſuus dixerat, & votum emiſit. In craſtino via arepta, claudus & obſes ambo pervenerunt ad locum, viſitaverunt ſancti monumentum, æger convaluit ad perfectum, & dimiſit ibi potentiæ vehiculum in teſtimonii documentum, licet duobus annis portaſſet incommodum.

42. Alio

Item artificem casu conquassatum.

43. Alio tempore Petrum cognomento *Abrenuntio* neceſſitas reſarciendi tectum, ſupra pinnaculum ſutrini ſtatuit; qui caſu contingente in immane præcipitium ſubito totus ruit, illiſitque ad terram caput ejus tam valide, ut lapidem pergrandem ſuper quem corruit, pluſquam dimidium pedem cogeret terræ viſcera ſubintrare. Ingemuit ipſius Petri pater, qui caſu adfuit, & ait: Sancte Giraude, tibi commendo filium meum, ſancte Giraude tibi, &c. mirum auditu, ſed verum geſtu & dictu vel eventu! Sic conquaſſatus artifex ponitur in lectiſternium, geſtatur ad hoſpitium, experitur Giraudi beneficium, ſanus & incolumis infra paucos dies revertitur ad conſumandum inchoatum artificium. A Domino factum eſt iſtud, &c.

Simile beneficium alteri præſtit.

44. Johanni cognomento *Margnac* carpentario, contigit ſimile conſtituto in campanilis cacumine. Cum enim plures fabri lignarii campanam minorem in ſede ſua collocarent, iſte unus incaute ſtabilitus e medio omnium prolapſus eſt ad ima, ſtetitque ruina ante majus altare uſque ad pavimenti noviſſima. Qui dum præceps rueret, invocabat virginem Mariam & Giraudum ſervum Dei; idipſum & ceteri omnes conclamantes & compatientes ei. In tanti caſus fractione, non remanſit in vertice cadentis caro vel pilus, cutis vel capillus; diceres eſſe caput excoriatæ beſtiæ, nec aliud quam interitus ſperabatur ipſa die. Quid plura? ultra opinionem aſtantium, & vanam ſpem quampluriun, evaſit homo illa vice carnis interitum per beati Giraudi preces & meritum: in conſpectu mirantium ſtabat homo quem ruina proſtraverat, vivebat vir quem fractura necaverat. Vidi ego hominem poſtea, cui poſt evulſionem recollocaverant medici corium cum capillis, & aliquod præteritæ læſionis veſtigium perpendere non poteram in illis.

Lectus ejus ignis nec-dio ſervatur illæſus.

45. In veteribus quoque Caſtellariis in capella lapidea, in qua Giraudus jacuit primitus, crebra miracula fiunt divinitus. Nocturna per vices ibi radïcare videntur & corruſcare luminaria, ita quod reſplendet hortus inde, & loci adjacentis colonia: accenſa etiam ibi lampas cernitur aliquando ſine miniſterio humano. Eſt ibi lectus ligneus cum ſtramine & linteis, in quo, ut dicunt, Giraudus expiravit; quem Deus in medio flammarum ſine incendio illæſum conſervavit meritis ſervi ſui.

46. Cum enim ſubitum infortunium vehementi conflagratione totam capellam illam perimeret, in tantum ut etiam tectum & laquearia flamma conſumeret, lectus & altare cum ornamentis ſuis evaſerunt, ita quod nec odorem ignis habuerint. Tantam ſic quidem virtutem ſuper quatuor elementa ſervo ſuo Deus contulit, quod rebus ejus nulla creatura eo invito moleſtiam intulit, ſed ignis in hoc incendio, aër in trinæ crucis indicio, aqua in fratrum navigio, terra in duplici præcipitio voluntati ejus per omnia ſe obtulit. Sed nec cœlum, vel quinta eſſentia, ejus ſe miniſterio ſubtraxit, quando volucres cœli & tales volucres moriturus aſpexit. Duos etiam infantulos, ut circumſtantibus apparebat, emortuos ſuſcitavit in facie bajulorum; ut ei deſervire mereatur trina rerum machina, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum: & ad pleniorem dictorum fidem, duæ camiſiæ puerorum uſque hodie pendent ibidem.

Dementem feminam ſanæ reſtituit mentis.

47. Conivadæ in Archeſio demens & frenetica admodum erat femina; adeo ut in ſtagna ſeſe præcipitaret & in flumina: hauſerat in lucidis intervallis aliquam vel exilem de Giraudo memoriam, & quaſi a cunabulis noverat abbatiam. Quodam die ducente phanaticam impetu ſui ſpiritus, ſubiit animum ejus ingredi abbatiam a parte muri fluvio contigui, & accedere viſa ad murum, cum id non liceret niſi per ſtagnum medium, uſque ad collum præcipitem ſe dedit in fluvium: viderunt miſeram homines non ſecus quippiam operis actitantes: & miſſa longa pertica, tandem extraxerunt eam miſerentes; ſciſcitantibus quid quærebat; reſpondit, quod per ruinam maceriæ ſanctum Giraudum adire cupiebat; & porrecta ſibi miſericordiæ dextra, ducentes eam ad capellam ſancti Giraudi, ſolitariam ſtatuerunt intra: ipſi vero conſideraverunt & inſpexerunt finem rei extra. At illa viſo grabato in quo levita ſanctus obierat, manus injecit, & ſtramen cum omnibus pertinentiis foras ejecit; & neſcio quo occulto prodigio ſub ſancti cubili ſancto inventi ſunt coluber tortuoſus & buffo: quibus ejectis, & refecto femina lecto, ab illa die & deinceps perfecte compos mentis effecta eſt & ex toto. Simile accidit

Item militi.

cuidam militi, Petro *de Ambierre* nomine, qui inſaniam & alienationem mentis incurrerat ex vehementia amoris unius feminæ. Hunc ſoror compaſſa, in cubile ex abrupto projecit & ligari fecit: ſed poſt duos menſes fracto jugo, ruptiſque vinculis, aufugit uſque Mirabellum; & ibi abigebat muſcas de furnariis circumducendo flabellum. Inde hauriebat per vices lucidorum intervallorum interpolationes diverſorum ſanctuariorum, proſequens peregrinationes: tandem applicans Caſtellariis equos, & lanceam vibrans habentem in ferro pillum filtreum, quærebat ubi eſſet militum hoſpitium, & impingebat in oſtia & macerias portarum, per medium monaſterium. Facta cœna, cœpit furere vehementius a vino, intrans completorium, & clamoribus improbis illudens pſallentibus Domino. Eadem nocte tentus eſt & ligatus a ſuis: ſiluit, excepto quod exarando cum quinipulo parietes, per hoſpitium irruit. Mane facto, aliquantulum ſerenatus, orationes fra-

trum & reliquias ſanctorum humiliter petiit; capite nudato, pedibus & cruribus reverenter adiit ſanctuarium reliquiarum, in oſcula ruit, & uſque hodie perfecte convaluit. Sequebatur militem a longe ſororis maritus cum chordis & quadriga, vinctum reducere volens ad propria; ſed venit abbas THOMAS verens ne ex viſis motus relaberetur in amentiam, quadrigam duci juſſit illa nocte ad proximam grangiam. In craſtino revertentes ad propria, gratias egerunt abbati, quod modo dominus eorum, Giraudi meritis, valedixiſſet infirmitati. Erat in partibus illis miſera mulier, multorum mater filiorum, quorum unus dementiam diuturnam incurrerat, more lunaticorum. Per omnes ſanctorum famoſas memorias mater filium ob ſalutem circumduxerat; donec per Dominam noſtram de Cella, per ſanctum Theobaldum, tandem ad ſanctum Maxentium applicuerat: cumque filius ſine ſenſu permaneret ſicut prius, juravit mater quod non circumduceret ulterius. Audivit hoc quæ aderat pauper muliercula, & Giraudi cognoverat præconiſanda miracula, quæ accedens propius: » Ne, inquit, ita loquamini, & ad ſanctum » Giraudum hic propinquum proficiſcamini, » & pro certo ſancti virtutem experiemini; en » ipſe ſtat in veſtro itinere, & ego vos introducam uſque in ejus nemore. Sic dictum eſt, ſic factum eſt; cum autem mater cum filio appropinquavit nemori, torqueri cœpit patiens furia atrociori, ſolutiſque caſu quibus contingebatur vinculis, verſitans per devia, tandem feſſus & compos reſedit in via ſub arbore. Poſt hæc lentius cum uno filiorum mater perveniens ad locum, vidit filium quietum & cogitantem ſecum; vidit & gaviſa eſt multum: » Quomodo, inquit, » eſt tibi fili? & quid actum eſt tecum? & filius » ad matrem: quidam ſanctus, Giraudus no» mine, ſanavit me perfecte, ſequimini me, » & ego ad ejus eccleſiam vos ducam directe. Quid plura? præcedente filio, & ſequente matre, venitur ad eccleſiam; nec a dextris, nec a ſiniſtris obliquatur a via: gratiarum referuntur actiones; & ſic gaudentes revertuntur in patriam.

De puero.

A morbo caduco familiã quamdam præſervat.

48. Eſt una famoſa progenies in Chavigniaco, a qua ſingulæ ramificatæ perſonæ viſitare ſolent ſanctum Dei, cum muneribus, ſemel in anno. Tempore aliquo, illius proſapiæ juvenes & virgines, ſenes cum junioribus, annuatim videmus occurrere cum oblationibus, & ſub ſibilo auræ tenuis intelleximus ab aliquibus, quod ſi non apparerent in conſpectu Giraudi ſemel in anno, ſuis temporibus morbum caducum ſuſtinerent ſingulis menſibus; vel potius horrendis interirent cruciatibus.

Puerum a veneno.

49. Giraudus quondam curſor abbatis THOMÆ uxorem habebat, & parvulos, quorum unus vento vel veneno toto vultu inflatus, ſubito perdidiſſe putabatur oculos. Ignara mater filii quid agere deberet ſuper eum, reſiduum duxit oculos ſuos dirigere ad eum: deficiebat conſilium humanum, & ex totis præcordiis ſuis ſe convertit ad divinum. Spe concepta ſalutis ad abbatiam ſancti Giraudi opitulatione ſanatum reduxit, ut enim puer aſperſus eſt, & potatus latice ſacræ ablutionis, mox depulſus eſt omnis dolor inflationis.

Coſta ſcholaſtica ſervata.

50. Coſta Giraudi in vaſculo ſequeſtrata honorifice conſervatur, quæ diebus dominicis ad capellam ſancti Giraudi fidelibus populis illic vigilantibus deportatur. Quodam die lata & relata, ac depoſita incaute, furata eſt a quodam monacho hoſpite, qui, ut præſumitur, pedem excutere ſitiebat de religionis limite. Mox una ſententia majorum excommunicationum, una cura filiorum ſuperlectilem proſcrutantium, una confuſio latronum ſe occultantium. Nam in tanto facinore latro principaliter habuit complicum patrocinia, ſicut rei probavit eventus per intenta jurgia: cumque intelleXiſſent ſigillatim & per ſingulos fiendum ſcrutinium, videns latro nihil ſuæ induſtriæ prævalere latibulum, coſtam abſcondit in choro ſuper ſtallorum vehiculum: ibi poſt multos circuitus, cum exultatione univerſæ domus coſta inventa eſt, & in locum ſuum reſtituta. Fuerunt qui dicerent quod coſtam latro extra monaſterium efferre pluries voluit, ſed Giraudi virtute obſtante non valuit.

Febre liberantur infirmi.

51. Duo viri fratres de S. Maxentio venationis egreſſi gratia, applicuerunt in beati Giraudi nemore, quorum unus urebatur quotidianæ febris ardore. Is a longo tempore fuerat ſancti peregrinus, & offerebat ei quatuor numiſmatum munus. Ingreſſus ergo capellam in illa hora, obtulit quatuor denarios pro redemptione, & quintum ex devotione. Quo facto, exivit continuo quaſi triſtis, & mire cogitativus. Notavit hoc monachus qui forte aderat, & ſciſcitabatur ab eo quidnam ſibi contigerat; & ut cognovit febricitantem, horamque acceſſionis expectantem, ait illi: » Dormite, inquit, paululum » in grabato ſancti, & ibi requieſcite, & ego » vobis promitto quod inde ſurgetis cum per» fecta ſoſpitate: compulit eum oppido facere » quod hortabatur precibus violentis, & poſt ſomnum reliquit eum febris juxta verbum pollicentis. » Benedictus, inquit, ſanctus Gi» raudus a Filio Mariæ, & benedicta hora » qua veſtræ obtemperavi prudentiæ, quia num» quam fui ita ſanus, ſicut ſum hodie. His » dictis, cum fratre laudans & gaudens, ad propria remeavit.

Epilepticum curat.

52. Adoleſcens quidam ſacerdos, de verſus Chavigniacum, venerat ſemel ad abbatiam, ut viſitaret beati Giraudi memoriam. Erat enim epilepticus, vel caducus miſerabiliter, ſicut ubi noſtrorum aperuit lacryma-

biliter. Introductus ergo monaſterium, & compunctus corde præ tædio vitæ, nimium de medio circumſtantium virum venerabilem dominum GUILLELMUM, quondam abbatem Boſcavii, traxit ad ſecretum colloquium; & confeſſus eſt ei totum ſpiritum ſuum per ordinem, incommodique ſui non negavit originem, horroremque & magnitudinem: aſſeruit quoque mortem ſibi magis eſſe caram, quam vitam ducere tam amaram. » Et adjecit: Audivi ſanctum veſtrum pie ſo- » lere patrocinari epilepticorum miſeriis, oſ- » tendite mihi, quæſo, aliquid de ejus reve- » rendis reliquiis. Et monachus; Revera, in- » quit, ſolent hujuſmodi patientes has oſcu- » lari reliquias, & in capella veteri nocturnas » excubare vigilias, & ſic reverti compotes » ad domos proprias. Credidit homo ſermoni quem monachus dixit, & quod audierat implere efficaciter in animo fixit. Reverenter oſculatus eſt reliquias, quia jejunus, & obtulit devotionis munus. Nocte ſequenti cum lacrymis vigilavit; mane facto, coſtam devotus adoravit, & amplius non reverſus, ſanus in patriam remeavit. Non omiſit ex omnibus quas audierat obſervantiis verbum, vel ſyllabam, iota vel apicem: propter quod manum Giraudi per manum Dei bonam ſecum ſentit adjutricem.

52. Dominus Guillelmus *Figacæ* vir religioſus, manſuetus ac timoratus, de Clarevalle ſemel exierat, gratia viſitandi Pictaviæ religionem, habens in comitatu alium A monachum nomine Guillelmum Britonem. In via qua ambulabant, nocte ignis non reſtinctus per incuriam ſerviſorum, omnem propinquam materiam conſumſit, & pedem Guillelmi dormientis exuſſit. Augebatur in diés doloris acerbitas proficiſcenti, qui non ſuccenſendum cenſet rem naturalem patienti. Fuerunt qui dicerent ſacro pedem igne ſuccenſum propter tetram horroris caliginem, & angoris valetudinem, qui creſcere videbantur in immenſum. Sic tandem applicuit B Caſtellariis, ubi fideliter imbutus eſt de Giraudi virtutibus fulgidis, glorioſiſque prodigiis. Qui ſpe concepta, in craſtino viſitavit ſancti mauſoleum. Et ex tunc ſecundum dies antiquos convaluit ad perfectum, intrans cum ſuis, ambulans, & exiliens, & laudans Deum: Benedictus Dominus, qui non deſeruit locum & gentem Caſtellarienſium, ſed tantum ac talem nobis credidit civem ſanctorum & domeſticum ſuum. Regina Saba hauſit in Salomone ſapientiam: Heliſeus in C Helia, & Judæi in Romanis potentiam, Eſther in Aſſuero clementiam, Timotheus in Paulo ſanctimoniam, Berſellai Galaadites in David miſericordiam, angeli in Chriſto lætitiam; ſed nobis omnibus omnia iſta fiant prædulcis & perilluſtris præſentia Giraudi, Per Dominum noſtrum Jeſum-Chriſtum Filium Dei, cum quo vivit & regnat Deus in unitate Spiritus-ſancti per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

ACTA TRANSLATIONIS SANCTI UNIUS MILITIS LEGIONIS THEBÆORUM

AUCTORE RODULFO ABBATE S. PANTALEONIS COLONIENSIS.

Ex mſ. codice monaſterii S. Trudonis.

OBSERVATIO PRÆVIA.

CEleberrima apud Chriſtianos ſemper fuit inclyta Thebæorum legio, quæ cum diu ſub paganis imperatoribus ſtrenue militaſſet, ne profanis idolorum ſacrificiis pollueretur, vitam Chriſto litare ſponte elegit, ne devota ſemel ipſi fides vel tantillum violaretur. Cum enim Maximianus ducto in Gallias exercitu, in finibus Sedunorum ſacrificii cauſa conſtitiſſet; a ceteris copiis illa ſeceſſit, nec ullis tyranni juſſis aut minis adduci potuit, ut diis qui

non erant dii, hostias immolaret; immo hortante Mauritio duce, seipsos vero Deo dignas hostias obtulere. Verum non integra tunc Thebæorum legio apud Agaunum pro Christo occubuit. Erant & aliæ legionis ejusdem cohortes, quæ Treviris sub Tyrso, Bonifacio & Secundo ducibus: erant & Coloniæ Agrippinæ, quæ sub Gereone militantes, eodem animati spiritu pro Christi fide, Rictii-Vari immanitatem experti sunt. Ex his autem qui Coloniæ martyrium subierant cum S. Norbertus corpus aliquod expetiisset, præsenti translationi occasionem dedit, quam descripsit testis oculatus Rodulfus abbas S. Pantaleonis, is qui prius abbas S. Trudonis in Hasbania, Chronicon Trudonianum libris XIII. *composuit, editum tomo* 7. *Spicilegii Acheriani.*

INCIPIT TRANSLATIO unius martyris S. Thebæorum martyrum.

Anno 1121. 1. RODULFUS gratia Dei id quod est omnibus sanctorum martyrum memoriam pie amplectentibus martyrum consortium. Anno ab Incarnatione Domini MCXXI. turbatis jam ante per aliquot annos ecclesia & regno sub imperatore HENRICO*, cujus pater Henricus Leodii obiit, multi episcoporum & abbatum, & de omni ordine & gradu clerici & monachi expulsi a suis sedibus, hac illacque ferebantur propter communionem imperatoris quam vitabant: quia excommunicaverat eum dominus papa CALLIXTUS II. secutus in eum sententias prædecessorum suorum Gelasii & Paschalis. Hac tempestate eademque de causa, eoque maxime quia Frederici Leodiensium episcopi [a] electioni & consecrationi faveram, (a) expulsus sum & ego de cœnobio B. Trudonis idibus Aprilis, quarta feria Dominicæ Resurrectionis, cum in eo indignus præsedissem XII. annos & II. menses, & ut puto XIV. dies, susceptusque sum eodem anno misericorditer a domino archiepiscopo Colonienſi FRIDERICO, ejusdemque ecclesiæ studio, & fratrum electione positus sum abbas in cœnobio B. Pantaleonis extra muros civitatis, VIII. idus Septembris, cum jam vacasset a IV. calendas Januarii.

2. Nec multis post subsequentibus diebus, petente quodam Dei servo & prædicatore [b] magno NORBERTO (b) unum de corporibus martyrum Thebæorum, qui jacent in monasterio S. Gereonis, apertum est unius eorum sepulcrum in eodem monasterio juxta medium pilarium ad meridianam plagam, præsentibus tota nocte ad vigilias & ad fodiendum religiosis, clericis & monachis atque abbatibus, cum omni obsequio & reverentia atque devotione, inter quos & ego peccator mandatus affui. Elevato igitur superiori lapide de sarcophago, post octingentos & A aliquot plures annos martyrii Thebæorum, inventum est in eo corpus magnum, per scapulas amplum, per pectus & brachia torosum, indutum chlamide militari coloris purpurei, quæ ampla utrimque vestis dependebat usque subter genua ejus, quasi tribus digitis, genus pallæ non ignobilis. Super eam aliam habebat vestem breviorem, ignotam quidem nobis nomine, sed cognitam filo serico & colore nobilioris purpuræ, subtus ad carnem nihilominus vestis serica albi maxime coloris, sed tamen subrubea. Corpus totum intactum adhuc videbatur a mento B quod tantum de capite supererat, usque ad pedes, indissoluta adhuc superficie vestium, caligarum atque calceorum. Nam ut conjicere verius potuimus, sic casu pertransierat inter caput & mentum persecutoris gladius. Pars tantum illa ubi ventris mollities fuerat, tali suppressione pectus & ossa femoris videbantur magis turgere. Supra pectus illius signum Dominicæ crucis inventum est de aurifrigio factum, sicut considerari potuit, submicantibus adhuc in eo auri metalli scintilC lulis. Aurifrigii longitudo pene unius pedis extiterat, latitudo vix unius digiti. A genu usque ad pedes tibiæ ex directo & integro decenter compositæ, habentes adhuc caligas integras de palla, rotundis floribus ad modum oculorum caudæ pavonis circumquaque distinctas. In ipsis subtularibus juncti sicut prima die & a talo sursum erecti pedes adhuc continebantur, & quantum ad superficiem vestis nihil de toto corpore videri poterat, quod adhuc corruptum sive commotum umquam fuisset. Sub vestibus tamen, sicut D postea exitus probavit, ipsa caro jam prorsus in cinere resoluta fuerat cum ossibus, exceptis paucis de majoribus, sed favillæ super extantis incommota integritas, carnis quoque integritatem oculis admirantium figurabat. O quam glorioſum erat videre magnanimi militis Christi venustam formam, magnificeque vestitam, & quasi viventis adhuc viribus plenam, cujus caput, si sub simili incorruptione corporis adesset, dormire eum

(a) De electione Friderici Leodiensis episcopi fusius agit Rodulfus in Chronico S. Trudonis lib. XI. quem, si lubet, consule.

(b) Is qui instituto Præmonstratensium in diœcesi Laudunensi ordine, Magdeburgensis postea archiepiscopus creatus est.

potius quam mortuum crederes. Ad caput ejus cespis erat gramineus, locatus a capite usque ad cingulum, utraque parte laterum inter corpus ejus & sarcophagum: qui cespis, immo qui cespites, nam plures fuerant, sanguinei toti adhuc erant, sicut perfusi in terra fuerant fluente sanguine martyris, quando percussus in terram cecidit. Sed in aliorum trium martyrum sarcophagis hac occasione apertis, eadem magnalia vidimus. Pili herbarum in ipsis adhuc cespitibus rigebant, sicci tamen, sed concreto sanguine integri & rubei tenebantur. Testes mihi sunt martyres, quia propria, sed indigna manu tenui, oculis propriis aspexi, & aliis videre porrexi, ipsi quoque domino episcopo assidenti multumque præ gaudio & devotione lacrymanti. O quantum studium, quantus amor Christi, quanta devotio fidelium tunc temporis Christianorum, qui in tanta persecutione nec ipsos sanguineos cespites tollere neglexerunt. Quid moror? Ista nocturnis horis acta sunt sub magno quidem religiosorum virorum & fletu & cantu.

3. Mane facto, cum res tam gloriosa & desiderabilis audita fuisset a civibus, & ostensa pluribus illorum, nam apertum sarcophagum palla tantum tegebat, tota statim civitas infremuit, clamantes se malle mori quam tanto thesauro, tanto patrono privari. Erant etiam inter eos, qui corpus inventum ipsum esse sanctum Gereonem dicebant, propter habitus venustatem & corporis formositatem. Unde major & major fiebat tumultus in populo, contradicebaturque ab omnibus domno Norberto. Vix tandem sedatus est tumultus, præposito sanctæ Mariæ de Gradibus Theoderico pulpitum ascendente, & populum mitigante, & quod rei hujus consilium esset differendum promittente usque ad præsentiam domni archiepiscopi. Tunc nihilominus ad satisfaciendum populo, decretum est a majoribus ut sepulcrum lapide superposito clauderetur, considerata prius diligenter integritate corporis a fidelibus, ne quid furto de eo tolleretur.

4. Hæc acta sunt III. idus Octobris anno supradicto Dominicæ Incarnationis. Interea nocte & die usque VIII. calendas Decembris cum magna devotione & multo lumine sepulcrum custodiebatur, die circumsedentibus cum psalmodia electis ad hoc ejusdem ecclesiæ aliquibus clericis; nocte vigilantibus nihilominus cum psalmodia quibusdam aliis, interdumque juvantibus eos fratribus de sanctis apostolis. Igitur post aliquos ita interlapsos dies, VIII. ut diximus calendas Decembris, vocatus affuit domnus archiepiscopus, abbates, præpositi, & omnes congregationes civitatis: populus vero innumerabilis, magna reverentia magnisque laudibus secundo apertum est sepulcrum, & integrum repræsentatum est corpus sanctum. Tamen ex magni lapidis concussione caro quæ sub vestibus in favillam versa erat, per plurima loca superfederat, sicut etiam in talibus solet contingere, infuso post tot tempora occultis corporibus novo aëre. Ponuntur duo abbates induti vestibus albis & stolis, unus ad caput, alius ad pedes: quorum unus ego peccator ad caput ejus sedi, quamvis, ut superius dixi, de capite nihil præter mentum haberetur, sicut percussoris illud absentaverat gladius. Applicuerunt se etiam alii duo presbyteri clerici sancto levando corpori, nihilominus & ipsi induti vestibus albis & stolis, qui sacras manus pie apponentes, primum vestes collegerunt non integras, quia vetustas non patiebatur, sed per grandes & minores partes, sicut poterant diligentius. Circa scapulas vero & supra totum pectus & usque ad cingulum, multus inveniebatur sanguis superglobatus, sicut abscisso capite ex collo & venarum meatibus sparsim potuerit emanare. Collectæ igitur sunt omnes ejus vestes, sed istæ diligentius crasso sanguine, sed sicco graves, & per se in scriniolo uno decenter ad hoc parato positæ reverenter, cum quibus & balteus ejus militaris de nigro corio inventus & repositus est pene unius ulnæ longitudinis adhuc integras habens partes; a sinistro latere juxta latus ejus & balteum inventus est nodus ferreus ad modum ovi, rubigine prope consumtus, quem capulum gladii ejus fuisse credidimus, sed de gladio frustum nullum invenimus. Diligentius tamen postea quidam attendentes in ipsis partibus reliquiarum quas inde exoraverant, particulas ferri mihi protestati sunt se invenisse. Subtulares magnis partibus integris eodem scriniolo reconditi sunt: Caligæ prorsus in cinerem resolutæ. At ubi susceptis vestibus ad carnem & ossa colligenda ventum est, vix de ipsis ossibus, & hoc de magnis aliquid solidum apparuit, quod prorsus in cinerem aut in parvas particulas vetustas redegit. Mira res & valde gloriosa! Testor ipsos sanctos martyres, testor & ipsam multitudinem religiosorum qui diutius hoc viderunt, totus cinis carnis & ossium quasi calx noviter fusa candebat per totum sarcophagum. O quotiens ibi cantatum cum multis lacrymis fuit, *Et in sanguine agni.* Tandem collectus est cinis & cespis simul sanguineus, & ipse in pulvere, sed terrei atque subrubri coloris propter sanguinem resolutus, susceptusque in munda palla & pretiosa, in alio scrinio majore reconditus est.

5. Tunc elevatis utrisque scriniis, multa oblata sunt ad fabricandum feretrum sancto martyri. Domnus archiepiscopus obtulit scutellam argenteam, deinde singuli quique, prout devotionem habebant. Acta est etiam processio magna die illa circa claustrum & circa monasterium, pulsantibus signis & cantantibus clericis & monachis, laïcisque theu-

tonice in concrepationibus ſuis. Qua proceſſione finita, & ſanctis reliquiis in loculis ſuis ſuper altare in medio monaſterii collocatis, miſſa de ejuſdem ſanctæ legionis martyribus incœpta eſt, & jubente domno archiepiſcopo, a me peccatore cantata. Ante canonem vero, finito evangelio, domnus archiepiſcopus ſermonem fecit ad populum de his quæ tunc præ oculis habebantur & manibus, & quæ ad ſalutem animarum pertinebant de SS. Thebæis martyribus. Finita miſſa, dimiſſus eſt populus cum magna lætitia.

6. Ex hujus ſancti martyris reliquiis cura & devotio fratris noſtri ECHEBERTI (*a*) poſtea partes aliquas noſtro interventu impetravit a præpoſito ejuſdem monaſterii HERIMANNO, cujus ſtudio & devotione revelatum corpus tranſlatum fuit. Reliquiæ autem hæ ſunt. De veſte ſubtiliori quam ad carnem ſuam indutam habuit. De balteo ejus militari, qui circa lumbos ejus inventus eſt nigri corii. De ferro, ut videbatur, ejus gladii, confuſo cum ſanguine & cineribus veſtium & corporis illius, ubi quaſi in media vagina ferrum adhuc patenter ſublucere videtur. De ſanguine ejus cum pulvere carnis & oſſium & veſtium ejus. Nam purus cinis carnis oſſiumque ejus cum adhuc per ſe jaceret, ſimillimus erat calcis novæ aut farinæ candidæ. Poſtquam vero collectæ ſunt partes veſtium quæ integræ colligi potuerunt, & oſſa quæ penitus reſoluta non fuerunt, cetera omnia in uno pulvere collecta ſunt. Hoc eſt pulvis ſanguinei cæſpitis, pulvis oſſium, pulvis carnis, pulvis veſtium : quæ omnia ſimul confuſa album quoque prius illum confuderunt.

7. Hæc ideo tam diligenter exprimimus, quia pulverem carnis & oſſium colorem calcis noviter fuſæ habere diximus : ut cum alius color in iſto pulvere inventus fuerit, nemo tamen dubitet quin de vera carne & oſſibus ejus ſit : immo ſimul quoque de ſanguineis cæſpitibus atque de ejus ſimul veſtibus. Has ſcilicet reliquias cum mihi frater Ekebertus allatas repræſentaſſet, recognovi eas ſicut in ſepulcro videram, & ex earum præſentium occaſione, ordinem inventionis, ſicut hic legitur, aggreſſus ſum fideliter deſcribere, ſecundum quod vidi & manibus propriis, licet indignus, tractavi. Itaque prius eas vobis per eumdem fratrem miſi transferendas in eccleſiam B. Mariæ in *Dunc*, quatenus ex hoc noſtro ſcripto & ex earum præſenti contemplatione, nulli modo vel in poſterum dubium ſit, quod ex corpore martyris de ſancta legione Thebæorum martyrum ſumtæ ſint. Hortamur ergo & rogamus atque præcipimus, ut fratres noſtri qui morantur in *Dunc* diem feſtum martyrii eorum in die ſancti Gereonis cum XII. lectionibus a modo agant, & diem adventus iſtarum ad eos reliquiarum. Hæc ego peccator Rodulfus, fratres mei & filii mei cariſſimi, qui eſtis in cœnobio S. Trudonis in Haſbania, ſcripſi vobis de cœnobio B. Pantaleonis juxta Coloniam : ceteras reliquias quæ ſubnotatæ ſunt ſupradictus frater ſuo ſtudio collegit. Earum aliam ego certitudinem non habeo, niſi quod a Dei ancilla apud nos incluſa, & a fidelibus Chriſti eas accepit. De ſanctis virginibus, de ſanctis Mauris, de pileo S. Thomæ apoſtoli & cingulo ejus, de cera ab igne Dominico liquefacta, de ſancto Pancratio, de Sepulcro Domini. Data XVIII. calendas Octobris.

(*a*) Inſinuare videtur Rodulfus Echebertum, ſeu Ekebertum, hunc fuiſſe monachum dum eum *fratrem noſtrum* appellat: At mihi vehemens ſuſpicio eſt, alium, non fuiſſe ab Egeberto eccleſiæ Colonienſis ſcholaſtico, cujus præſertim opera Rodulfus creatus eſt abbas S. Pantaleonis, qui quidem Egebertus *poſtea regularis factus canonicus atque Monaſterienſis epiſcopus*, ut teſtatur idem Rodulfus in lib. XI. Chronici S. Trudonis Spicilegii tom. 7.

VITA S. BERTRANDI CONVENARUM EPISCOPI

AUCTORE VITALI APOSTOLICÆ SEDIS NOTARIO.

Ex mſ. codice Floriacenſi.

INCIPIT VITA S. BERTRANDI EPISCOPI, quæ ad inſtantiam domni Jacinti ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis, ad mandatum domni Willelmi archiepiſcopi Auxitani nepotis ejuſdem ſancti, edita eſt tempore ſcilicet Alexandri papæ, a magiſtro Vitale apoſtolicæ ſedis notario, qui de provincia Auxitana oriundus fuit, qui vitam & miracula beati confeſſoris, ex relatione tamen archiepiſcopi, & ab aliis qui eum viderunt in eccleſia ſua & plene noverunt geſta ipſius, & a fratribus Scalæ-Dei Ciſtercienſis ordinis ſcripſit veraciter & fideliter tali ſtilo.

mſ. 1. SAnctorum vita ceteris norma vivendi eſt, ideoque digeſtam plenam accepimus ſpeciem ſcripturarum, ut dum Abraham, Iſaach & Jacob, ceteroſque juſtos legendo cognoſcimus, velut quemdam nobis innocentiæ tramitem eorum virtute reſeratum enitentibus veſtigiis proſequamur. Ambroſiana hæc ratio nos in hanc ſententiam potiſſimum duxit, ut ſcribere debeamus vitam beati BERTRANDI epiſcopi & confeſſoris JESU-CHRISTI. Sanctus ergo Bertrandus clarus genere, ſed nobilior fide, virtutibus refulſit: cujus pater dictus Ato-Raymundus vir generoſus: mater quoque de claro titulo duxit originem, utpote quæ filia fuit veri comitis Toloſæ, qui cognomine vocabatur Scindens-ferrum; cujus fama celebris, claris operibus inſignita, longe poſitas provincias illuſtravit. Fuit autem oriundus de caſtello Setio, quod incolæ commutantes conſtruxerunt, exinde caſtrum quod Inſula nuncupatur. Placuit autem utrique parentum, ut juxta Apoſtolum, ab infantia ſacras cognoſceret litteras, quæ eum poſſent inſtruere ad ſalutem per fidem quæ eſt in CHRISTO JESU. Qui dum eſſet in ætate tenera, in operibus ſuis tamquam matutina ſtella refulgens, evidenter indicabat in flore, quam copioſam fructuum ſegetem & virtutum uberem germine produceret in ætate ſequente.

S. Bertrandi genus.

In armis ut ſe geſſerit.

2. Cum vero B. Bertrandus attigiſſet juvenile robur ætatis militaribus armis, eſt decoratus, & cum nonnullos temporalis militia erigat in peſtem jactantiæ, inflet & impellat in furorem ſuperbiæ, ad rapinæ trahat iniquitatem, denique in omni tempore involvat flagitium, qui in ſuis gloriantur lapſibus, putantes ea eſſe laudis, quæ ſunt criminis. Non tamen hunc potuit a ſtudio bonitatis evertere mala militiæ gloria: ſedula nimirum intentione, beati Martini ſequebatur veſtigia. Unde tamquam civis ſupernæ patriæ moribus inſudans honeſtis, miſeriam inopum & gemitum pauperum ſuis bonis relevare ſtudebat. Tanta enim liberalitate florebat, ut nobiles, ignobiles, divites, pauperes, ipſum haberent cariſſimum. Dabat enim hic operam ut non faceret proximo ſuo malum, & opprobrium non acciperet adverſus proximos ſuos. Pius, modeſtus, placabilis, ad iracundiæ motum neminem provocans, nullum contemnens: velox ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram, juxta Jacobum apoſtolum; inveniebat in ſingulis gratiam dilectionis. Neceſſe enim erat, ut quem divina perfuderat gratia, ab omnibus quoque amaretur.

Mundi gloriã deſpicit.

3. Non in divitiarum incerto & mundiali potentia ſpem ſuam vir beatiſſimus collocavit, ſed in virtutum præſidio quod ſtabile prorſus ac immobile permanet, totam mentem firmiter conſtituit. Juxta Petri apoſtoli ſententiam humilians ſe ſub potenti manu Dei, quæ ſurſum ſunt quærens, non quæ ſuper terram quærens, propriæ contemtor gloriæ, gloriabatur in Domino, ſine quo gloria carnis pulvis erit. Illam ergo ſolam altitudinem gloriæ ardenti requirebat deſiderio, quæ in ſuæ pulchritudinis ſpeculo & decoris veritate indeficienter conſiſtit, quam nullus commutationis turbo proſternit, nullus rerum caſus pervertit, nulla que ſpecies altercationis infringit. Hanc amabat, totus huic inhærebat, hæc illum fovebat, hujus amor a latere ſuæ mentis nullatenus recedebat. Non gloriabatur in pulchritudine corporis aut in robore virium, cum & ipſe formoſus eſſet, atque robuſtus: ſciens quia formæ dignitas, aut morbo defloreſcit, aut extinguitur vetuſtate. Formæ namque nitor rapidus eſt & velox, in omni vernalium florum mutabilitate fugacior. Vires quoque corporis decreſcunt quotidie & minuuntur, lapſum patiuntur atque ſuccumbunt.

Sed in solo Deo gloriatur.

4. Non ergo in his vir beatissimus suam A statuebat gloriam, non in fugitivis labilibusque bonis quæ festinant ad precipitem cursum, ad lapsum properant, ad fugam accelerant, quæ tanta levitate feruntur, tanta velocitate moventur, ut quietem nesciant, tranquillitatem ignorent, sequaces suos turpiter confundant, & multa doloris strage & amaritudine repleant: quorum amatores valentia deserit, pungit molestia, vilitas abjicit, recondit obscuritas. Non igitur in his, sed in Domino jactans curam & glorians, sequebatur apostolum, qui raptus usque ad tertium cœlum, tamquam vehemens tuba B intonans, Spiritu-sancto terram relinquens, loquitur secundum altitudinem cœli, docens evidenter in quo amicus Dei debeat gloriari. *Qui gloriatur, in Domino glorietur.* Ecce igitur habebat secundum Deum prudentiam, quæ regebat ejus militiam, & malitiæ coërcebat audaciam. Cum multa nempe cautela & prudenti solertiâ congruis virtutum gradibus militabat, recte vivendi studio insudans attente, qui non se in operibus suis sed Deum cupiebat prædicari. Peregrinabatur in terris, sed ejus conversatio erat in cœlo: C quod ad opus bonum spes futuræ remunerationis adduxit, & ipsum solum volebat sui operis testem, a quo se recepturum credebat tota fidei firmitate mercedem.

5. Iste vir, cum non esset de parentibus infimis, sed sub habitu militari posset viribus & potentia sua nonnullos opprimere, aliena diripere, & multa mexercere malitiam, noluit exequi temporalem militiæ potestatem ad bonorum perniciem. Hic est qui potuit transgredi & non est trasgressus, & facere malum & non fecit, ideo stabilita sunt D bona ipsius in Domino: qui post aurum non abiit nec speravit in pecuniæ thesauris: unde fecit mirabilia in vita sua. Sub armis ergo secularibus cœlesti serviebat militiæ, & egregiis moribus virtutum exempla posteritati relinquens, supernæ militiæ glorioſum assumsit certamen. Ceterum, ut causa brevitatis præteream multa silentio divinæ gratiæ munia in quibus vir Dei summo opere nitebat, illam utique dignam laude prosequi cupio virtutum ejus prærogativam, quæ in paucis admodum reperitur, maxime in fervore ju- E ventutis quæ noscitur pronior ad peccandum.

Quam cautus in verbis.

Erat igitur utilis in verbo discretus in silentio, non referans inconsulte ostia linguæ, iniquis detractionum morsibus neminem lacerans, convictorum amaritudinem non aspernans, sale nigra non respergens, non afficiens contumeliis, illud adimplens oraculum: *Beatus qui tectus est a lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, & qui non attraxit jugum illius, & in vinculis ejus non est ligatus. Jugum enim illius ferreum est, & vinculum illius vinculum æreum est.* Quoniam enim mors & vita in manibus linguæ; turpia vitabat cloquia quæ mores corrumpunt. Unde illud sibi congruebat quod scriptum est: *Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam.* Et: *Ori tuo facito ostia, & seras* auribus tuis. Quia secundum Isaiam: *Justitiæ cultus silentium.*

6. Illud & multo opere declinabat, superbiam dico, quæ multos & potius sæculi milites, quos gloria vexat inanis, conturbat, ad infima dejicit. Sunt enim nonnulli, qui seipsos cognoscunt & non amant lucem in tenebris, ambulant nescientes quid sint, ignorantes unde veniant & quo vadant: unde religione contempta humilitatis, quærunt se supra se: & longius evolantes, metam virtutis nusquam attingunt, ne seipsos inveniant. Excoecavit enim illos superbia sua, & unde venantur sublimitatis materiam reperiunt dejectionis culpabilem causam, juxta prophetam dicentem: *Dejecisti eos dum allevarentur.* Lilio quoque castitatis virum Dei jugiter floruisse nulli eorum extitit dubium, qui vitæ suæ munditiam & puritatem noverunt plenius: cujus virtutis eminentia cum in omni ætate præclara sit atque laudabilis, gratior tamen fructus ejus apparet cum germinat, & firmat radicem viriditatis, quæ laqueis & lapsibus Venetis solet facilius cedere.

Quam humilis & cautus.

7. Cum vir beatissimus exhiberet curam pervigilem in administratione dignitatis sibi commissæ, fama suæ bonitatis longius discurrente, quia civitas supra montem posita non potest abscondi; Convenarum cathedralis ecclesia suo viduata pastore sollicite quærebat pastorem qui eam posset regere prudenter, & ipsius necessitatibus invigilaret propensius. Factum est igitur divinæ dispensationis clementia, ut illi quibus erat eligendi concessa potestas, invocata de more Spiritus-sancti gratia, supra nominatum virum Tolosanæ sedis archidiaconum eligerent in episcopum: cujus virtutem potius acta quam dicta narrabant. Venerunt ad claustrum beati *(a)* Stephani ejusdem loci, episcopo & conventui electionem indicantes. Seniores simul & juniores gaudent de promotione justi viri, dolentes penitus quod eorum ecclesia filium suum mitteret longius. Quid plura? ducunt electum ad civitatem Convenarum, virum in singulis optimis optime notum, qui neminem pretio tentaverat ut altioris dignitatis culmen attingeret. Duxerunt virum, inquam, lilio castitatis præclarum, humilitatis placidum speculo, misericordiæ plenum operibus, more solemni in cathedrali ecclesia intronizantes. Concio clericorum laudibus plena resultat, in multo gaudio populorum multitudo lætantur. Præcedente tempore consecratus est a domino Bertrando *(b)* beatæ recordationis venerabili archiepiscopo in ecclesia Auxitana

Vir quinque Convenarum.

[a]

[b]

(a) Id est ecclesiæ cathedralis quæ S. Stephano sacra est.

(b) Videtur legendum Guillelmo; qui tunc sedem Auxitanam occupabat.

quæ

quæ juxta majorum ſtatuta decem civitatum dicitur eſſe metropolis.

8. Poſt cujus conſecrationis ſolemnitatem, cum vir ſanctus ad ſuæ civitatis eccleſiam rediiſſet, divinum ibidem celebraturus myſterium, factus eſt de more viventium ingens concurſus, gaudium in clero, & lætitia magna in populo. Hanc nimirum eccleſiam clementiſſimus rex Francorum, poſtquam eripuit civitatem prænominatam a tyrannica rabie gentilium, poſt adeptam victoriam ſibi datam divinitus, ejecta prophanæ gentis ſpurcitia, inſignibus decoravit ac regalibus cum monte & ſuburbio, & ad majorem honoris ſublimitatem illud majeſtate regali adjecit, ut qui prædictam regeret eccleſiam auctoritate pontificali, de regio jure comes Convenarum exiſteret, & tam ignobilibus quam etiam nobilibus jure dominandi cunctis præeſſet. Tantæ nobilitatis eccleſiam, etſi minus locupletem, regendam commiſit ſancto Bertrando divina clementia. Dedit igitur vehementius operam, ut eccleſia reciperet decorem domus Dei & locum habitationis gloriæ ejus. Circa eccleſiam clauſtrum conſtruxit, quantum permiſit loci illius anguſtia, impediente præcipitio rupium: ibidemque religionis amator, canonicos inſtituit, qui ſub regula S. Auguſtini eccleſiaſticis mancipa-rentur obſequiis. In monte quippe domus non erat, & ecce temporibus hujus ſancti, meritis exigentibus ſuis, homines acceſſerunt, & in monte civitatem habitationis reædificaverunt: & juxta prophetam, ſeminaverunt agros, & plantaverunt vineas, & fecerunt fructum nativitatis, & locus qui multis temporibus deſertus fuerat, habitatores recepit.

9. Sanctus itaque Bertrandus ſignipotens fulgore virtutum, plebem ſibi commiſſam lingua, mente, vita prudenter regebat, & virtute miraculorum hominum infirmitates curabat: dumque parochiales eccleſias viſitaret, dies vocationis advenit. Morbum incurrens febrilem, viribus corporis cœpit repente deſtitui, & intelligens diſſolutionem corporis ſui, fecit ſe deferri ad cathedralem eccleſiam. O virum in omnibus laudabilem! qui tota devotione erigebatur ad cœlum, & cum gravius urgeret infirmitas, faciebat ſe portari a fratribus in oratorium ante altare beatæ Virginis Mariæ, in cujus honore fundata eſt cathedralis eccleſia, ubi in contemplatione ſuſpenſus, vacabat orationi propenſius, & Domino Jesu Christo & miſericordiſſimæ Matri ejus ſe recommendans, attentius ad vitæ præſentis exitum cum plena exultatione, tamquam certus de præmio devotionis, properabat. Denique vir ſanctus poſt conſolationem diſcipulorum & doctrinam, & epiſcopalem benedictionem eiſdem exhibitam, laudabili fine diem clauſit extremum, decimo ſeptimo calendas Novembris: quem utique lingua, mens & vita, opera, virtutes & ſigna fideliter narrant ad Chriſtum migraſſe, & ante thronum Altiſſimi inter ſanctos & ſublimes confeſſores Jesu Christi gloria fruens, immarceſſibili regnat felicitate, ubi cum ſanctis regnat in æternum. Magna nimirum & valde mirabilis clementia Chriſti, qui poſt tranſitum ſancti viri contulit eidem gratiam faciendi virtutes & ſigna. Nam manifeſte datur intelligi & occultata fide conſtat eſſe perſpicuum, quod beatus Bertrandus Convenarum epiſcopus fidelis Chriſti ſervus & prudens, cujus vita innumeris reſulſit miraculis, poſtquam migraverat a ſæculo, majora noſcitur beneficia præſtitiſſe. More enim ſolito & multo frequentius poſtmodum mirabili virtute coruſcant ſignorum, ſtatim namque omni mora poſtpoſita, Domino diſponente, virtutes renovantur ſancti pontificis, declarantur & ſigna copioſius.

10. Inter cetera vero virtutum inſignia, quibus eum divina perfuderat gratia, quæ ſanctum efficiunt, noſcitur habuiſſe integræ caſtitatis puritatem, veræ humilitatis devotionem, hoſpitalitatem ad omnes, maxime tamen ad domeſticos fidei. Erat itaque caſtus non ſolum corpore, ſed & mente, ut nullo doli ambitu, ſincerum adulteraret effectum, non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior, ut ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit mentis, adeo quod domus bona ipſo veſtibulo debet agnoſci. Humilitatis virtutem uſque adeo fideliter conſervabat, ut in nullo uſquequaque declinaret ad ejus contrarium. Non vero quorumdam vanam hypocriſim inaniter curabat, ſicut plerique faciunt, qui ſub fallaciæ ſpecie humilitatem ad fucum præferunt, ad veritatem abjurant. Sunt enim qui nequiter ſe humiliant, & interiora eorum plena ſunt doli. Non ſic iſte, non ſic, ſed ſine fuco, ſine fraude veræ humilitatis cuſtos indubitanter extitit. Liberalitatis virtus tanta in eo cognoſcitur fuiſſe, ut hoſpitibus & peregrinis, pupillis & orphanis, viduis, leproſis & quibus eſt pudor aliena ſubſidia appetere, nulla ratione beneficentiæ gratiam abnegaret. Propter caſtitatem decoratus, propter humilitatem exaltatus, ob beneficentiam valde gratus, Deo & hominibus placere meruit. Eccleſia ergo Convenarum tanti patris ſollicitudine in ſancta converſatione perfecta opinione claruit, rebus neceſſariis crevit. Novit veſtra dilectio, fratres cariſſimi, quæ præmiſimus, & magna didiſcimus parte, relatione domni Wilelmi venerabilis archiepiſcopi Auxitanæ ſedis, nepotis ejus, quem in prima ætate apud ſe nutrivit, & eumdem fecit applicari ſtudio litterarum, & canonicavit eum in eccleſia ſancti Stephani, (a) unde ipſe fuerat canonicus, & exinde ad dignitatem epiſcopalem aſſumtus, per lineam germanitatis ſancto Bertrando noſcitur fuiſſe [4]

Episcopus comes Convenarum.

Canonicos inquisitores in ecclesia sua instituit S. Bertrandus.

Sancte moritur.

Laudatur de castitate, humilitate & liberalitate.

(a) Cathedrali Toloſana.

conjunctus. Mater vero prædicti metropolitani erat germana beatæ & recolendæ memoriæ beati BERTRANDI (a) archiepiscopi Auxitani, a quo iste nomen accepit; nondum tamen in præsentem lucem effusus, sed clausus in utero matris. Quod eodem veraciter docente, dum in Auxitana sede suæ narrationis auctoritate multa virtutum exempla colligerem & præsenti scripti proposito co mandante addiscerem. Sic accepi ex ordine.

[a]

11. Mater ejus genuerat filios, sed morte interveniente facile eosdem perdebat. Quadam ergo die, cum loqueretur cum fratre suo archiepiscopo de morte liberorum, questa diutius ab eo tale responsum accepit: Soror mea, fructum quem utero deportas consecra Domino: si fuerit puella, sacrificabis eam sub voto & religione sanctimonialium: si vero masculus fuerit, nomen meum imponas, & facies eum litteras doceri, & offeres eum Domino: quod sic rerum eventus, Deo disponente, clarius indicavit. Fatemur utique quoniam non spe quæstus ad gloriam commoti ad scribendum venimus, sed hujusmodi viri gratiâ, qui patrueli gloriâ S. Bertrando conjunctus fuisse dignoscitur. Et sicut hujusmodi sancti virtutem, ita quoque & illius religionem, cujus causâ præsenti instamus proposito, multis ut veris audemus efferre præconiis, sed non præsumimus, cum sit scriptum: *Lauda homines post mortem, magnifica post consummationem.* Surgit autem congruus ordo doctrinæ, ut aliquam S. BERTRANDI miraculorum partem seorsum ac separatim officio stili demandaremus, quoniam in narrandis singulis non esset data facultas, & liber excresceret in opus immensum. Decens enim ut & sancti viri virtutes & signa non jaceant sepulta silentio; sed per scripturæ memoriam jugiter vivant in sæculo. Partim igitur accepimus in ecclesia sua ab iis qui eum viderant & ejusdem gesta noverant, plenius miracula scripsimus. Partim & illa scribenda duximus, quæ referebant fratres Scalæ-Dei de ordine Cistercienſi, dum apud eos sederet, & de schola virtutum eorum assumeret exempla verborum.

Auctor S. Bertrandi miracula suscipit narranda.

12. Tempore igitur quo vir Dei sublimatus cathedra pontificali Convenarum regebat ecclesiam, erat quædam femina titulo nobilitatis insignis, sub cujus dominatione multa erant constituta castella in eadem diœcesi. Obsessa stabat a dæmone; vexabat eam dæmonium; loquebatur tacenda atque dicenda, crinibus effusis per terram volvebatur supina, membrorum motus inæqualis, enormis, & inordinatus; oculorum revolutio horrenda quamplurimum, rictus oris terribilis; facies olim formosa, tota deformis. Dolebant parentes dolore nimio pro eo quod esset opprobrium & confusio omnium, duxerunt eam ad basilicam sancti Justi viri. Quantum poterat jejuniis & orationibus insistebat. Quadam igitur Dominica die ingressus est vir Dei prædictam ecclesiam, celebraturus ibidem missarum solemnia, parentes & amici prænominatæ mulieris, rogant illum ut accedat ad illam, & liberet obsessam. Denique vir Dei confisus de misericordia Christi, altius orationi incumbit, & officio pietatis conjunctus, lacrymas & preces attendens rogantium, in nomine CHRISTI JESU adversus dæmonem fortis athleta, surgit in prælium. Dæmon cœpit acrius fremere, obsessam crudelius vexare: sed ecce sanctus episcopus aquam benedictam super eam aspergit cum oratione devota, & invocata gratia Sancti Spiritus, imperat dæmoni confidenter ut exeat. Et confestim liberata est mulier a dæmonio per virtutem Spiritus-sancti & orationem apostolici viri; statimque ad majorem certitudinis augmentum & revelationem CHRISTI JESU, in repentina liberatione multum evomuit sanguinis quæ fuerat a dæmonio vexata, & omnes qui viderunt dederunt laudem Deo, qui tam sanctum elegit pastorem in Convenarum ecclesia, qui ecclesiam sapienter regeret, & dæmonia ab obsessis ejiceret. In hujus nimirum consideratione miraculi, omnes qui aderant erant repleti stupore nimio, & lætabantur in gaudio magno; sed illi potissimum mirabantur gaudentes & exultantes, ad quorum opprobrium infirmitas dominæ videbatur spectare. Ibant igitur omnes gaudentes & divulgabant ubique tanti virtutem miraculi. Mulier etiam infinito repletur gaudio, & ait Deo gratias & sancto episcopo per cujus orationem liberaverat eam Dominus a vinculo dæmonis, quæ pristina libertate percepta, cœpit e vestigio in formam sanitatis reduci. Vividus color redditur vultui, linguæ modestia, oculis venustas, stabilitas cervici, & omnis denique motus membrorum cum summa compositione servabat incolumitatis vestigia. Mulier hæc generosa multis temporibus de tanto miraculo perhibuit testimonium, cum iis qui viderant & crediderant non solum dum dominus sanctus episcopus terris viveret, sed & postquam feliciter ad sanctorum consortium in cœlum migrasse cognoscitur.

Mulier a dæmonio vexata ejus precibus liberatur.

13. In quadam villa erat mulier formosa facie, quæ fallaci laqueo Veneris unum diaconem tanto libidinis ardore succenderat, ut præter eam nihil optaret habere, præter eam nihil videretur amare. Amor illicitus, amor perditionis, & noxius amor, religionis voto amor contrarius, & a clericorum conditione, schola virtutum persuadente, sejunctus, mentem prædicti clerici inebriaverat, & corpus ejus commaculaverat, & erat ligatus in vinculis ejus, & sic illius colla jugo submi-

(a) In serie archiepiscoporum Auxitanorum nullus reperitur Bertrandus, nisi Willelmus I. cui hic narrata conveniunt, binominis fuerit.

ferat ut a miſera captivitate nulla ratione poſſet evadere. Requirebat conſilium quomodo poſſet ab amoris noxia peſte recedere, & neminem inveniebat qui poſſet eum ab ejus retiaculo liberare. Gravis nimirum iſta dementia. Non amicorum dehortatio, non pœna verborum, non denique virtus medicamenti plerumque ſufficiunt hanc peſtem auferre, hunc dolorem præcidere, hunc furorem extinguere. Sic iſte captus erat, & vincula ejus nemo ſolvebat, ſine ſpe libertatis tenebatur adſtrictus, & a caſtitatis lilio receſſerat impudicus. Sed ecce factum eſt divina gratia, ut ſanctus epiſcopus ingrederetur hanc villam ubi hæc fiebant, & tamquam ſollicitus paſtor cupiens ovem ſuam reducere ad ovile Domini, corrigebat diaconum, »dicens: Quid eſt quod audio de te? Debuiſti »vas tuum poſſidere in ſanctificatione & pu»ritate vitæ, ut dignus eſſes ad miniſterium »Dei. Congruum tibi erat, nam voto tenebaris »adſtrictus, cum ad ſanctos ordines acceſſiſti, ca»ſtitatem ſervare, fugare fornicationem quæ »animum ligat, corpus commaculat. Mini»ſtrum altaris vitæ munditiam decet habere, »nec uſquequaque corpus ſuum libidinis in»quinamento fœdare, nec cor ſuum inclinare »ad Veneris iſtud. Poſt correctionem ſancti epi»ſcopi, reſpondit diaconus dicens: Pater gra»tias tibi ago, quod rependitur monitis con»grua viciſſitudo, paterno verbere caſtigas »quos diligis. Ego utique graviter deliquiſſe »cognoſco, & contra officii mei legem egiſſe »confiteor. Ceterum invitus trahor & rapior »nolens ad perditionis amorem, & liber»tatis gratiam nuſquam reperio. Ago quod »nolo, & quæ odio facio.

Miſſus impudicæ virginis gemitu.

14. Tunc vir Dei intelligens altius vulneratum cor ejus, convertit ſe ad mulierem dicens: »Ut quid blandimentis tuis meum »filium perſequeris? Quare oblectationum »tuarum amaritudine amariſſima meum mi»niſtrum cruciaris? Numquid, miſera mulier, »non times ſummi judicis iram incurrere, qui »tam nefanda ſcelera non conſuevit impunita »relinquere? An ignorat laſcivia tua ſine pœ»na tanti delicti atrocitatem . . . . . ? De»ſine amplius mulier impudica, deſine am»plius, ab incœpta deſiſte nequitia, & tui fu»roris amorem averte. Tunc mulier ſceleroſa contemnens monita ſancti epiſcopi, iniquitatis verba profudit; & dum loqueretur, nova quædam venit ſuper eam virga terribilis, & mox in conſpectu circumſtantium vexata graviter a dæmonio expiravit: illico ſimul vitam amittens & animam, quo facto timore magno & vehementi admiratione repleti ſunt qui aderant.

Per judicium aquæ frigidæ detegit puer puerî ex fornicatione nati.

15. Quædam mulier non habens unde filium ſuum nutriret, requirebat a patre præſidium: qui ut adimeret omnem occaſionem petendi beneficium, dicebat ſe numquam filium habuiſſe ab illa. Venit ergo mulier ad virum Dei, & ante præſentiam ejus conſtituta ſuper hoc propoſuit querimoniam dicens: Ad gemitum cordis mei inclina, « pie pater, aurem tuam, quia inops & pau- « per ſum ego. Infelix ego mulier omni ex- « poſita miſeriæ, fornicatorio concubinatus « amplexu hunc quem vides puerum præſen- « tem vulgo natum concepi & peperi, & non « poſſum ipſum nutrire. Anguſtia rei familia- « ris, acerbitas vehementius conturbat viſcera « mea, & acrius excruciat animam meam, « quia pater ejus patrem ſe negat, & exutus « pietate paterna filium non recognoſcit, « quem genuit, & omne beneficium negat fi- « lio ſuo. Videor ergo miſera filium meum mori « pro eo quod non habeo unde ſuſtentem vi- « tam ejus; unde vita mea in timore & in ge- « mitibus, quoniam in fame perit filius meus. « Excuſat matrem immoderata paupertas, & « ejuſdem innocentiam evidentius judicat in- « gens penuria. Accuſat patrem veritatis con- « ſcientia teſtis, quæ docet eum filium habere, « quem negat occaſione retrahendi beneficium. « Præterea arguendus eſt criminis, qui tametſi « habeat filium, negat nutrimentum: præſer- « tim cum non deſunt ſibi facultates. Dic ergo, « Domine, ut me adjuvet qui reliquit me ſo- « lam miniſtrare. Tunc ſanctus epiſcopus, con- « ſiderato gemitu mulieris, juſſit hominem ante præſentiam ſuam conſtitui, monuit & inquiſivit, & increpavit eum pro eo quod negaverat debitam nutrituram filio ſuo, qui more ſolito negationis protulit verbum, & ſe puerum iſtum non genuiſſe teſtatur dicens: Audiſti, optime pater, aſtutæ mulieris que- « relam, quam manifeſta falſitate reſpergere « non erubuit, tamquam calumniatrix nequam, « in me innocentem falſum intendere crimen « præſumſit. Ego breviter reſpondeo, & me « ab hac muliere filium habere nulla ratione « cognoſco. Ex rationibus intendentis & im- « pellentis etſi non diſcurrebat eadem verborum ſeries, eadem tamen nihilominus colligebatur ſententia. Tunc ſanctus epiſcopus ad experientiam fidei accedens, confiſus utique de miſericordia Chriſti, ante ſe juſſit afferri vas plenum aquâ frigidâ. Appoſitus eſt lapis intrinſecus, benedixit aquam & dixit homini in nomine Christi Jesu, extrahe lapidem de aqua frigida, (a) & ſi confidis de [a] innocentia, appareant innocentiæ ſignа; ſi vero non, contrarium. Tunc homo cum temeritate & ſumma audacia manum miſit in aquam, & lapidem extraxit, & ſtatim virtute divina manus tanta combuſtione exarſit, quod cocta videretur in ferventiſſima aqua, & recepit in filium quem prius negaverat; & nutrivit illum. Senſit teſtis doloſus in aqua frigida ignis incendium, qui contemſerat epiſcopale mandatum, & apprehendit omnes timor

(a) Frequens fuit olim judicium aquæ frigidæ ad detegenda occulta crimina; qua de re vide quæ retulimus in lib. 3. de antiquis eccleſiæ ritib. cap. 7.

& admiratio, & magnificabant Deum, qui mirabilis est in sanctis suis.

Venatores ad ejus preces prædam capiunt.

16. In Villa-nova suum ingressus hospitium, vocavit servos patris familias, dicens eis: Habetis aliquid de venatione vestra? Qui dixerunt ei: Jamdudum, pater, de venatione nihil accepimus, & licet habeamus instrumenta venandi nonnulla, erepta tamen nobis est diu venationis gratia. Mox vir Dei præsentari sibi laqueos jussit, & benedixit eos, & jussit pueris ut ad venandum exirent. Confestim executioni mandatur præceptum, & post modicum temporis spatium magnum capreolum afferunt venatores, & cognoverunt B episcopi benedictionem non cecidisse in irritum: & benedicebant Dominum, qui voluntatem episcopi tam repente compleverat. Multis quoque temporibus, quamdiu prædicti laquei superfuerunt, in eadem domo gratia venationis remansit.

Homo iniquus divinitus punitur.

17. Die quadam præstabat ducatum cuidam homini, & ecce in via miles quidam habens illum exosum occurrit in via, & manu profana rapuit eum equitantem post episcopum, ut esset securior. Rogavit vir Dei tyrannum, ut quem manu sacrilega violenter sibi abstulerat, redderet sibi hominem: C sed miles preces ejus contempsit. Quod videns episcopus ingemuit, & canonicæ ultionis non distulit exercere gladium, & mox miles plagam sensit in oculis cœlitus missam, & sicut Cain impressum est signum in palpebris oculorum habentium motum continuum: unde invitus reddidit hominem.

Mulier sterilis ejus precibus fœcunda redditur.

18. Quidam habebat uxorem suam, cui negata erat gratia generandi prolem. Ingressus est vir Dei villam ubi isti permanebant: venerunt ante præsentiam sancti pontificis, exponunt cum gemitu cordis ei suam sterilitatem, quam non intulerat senectus, sed vitium naturæ. Ab utroque diligenter inquisivit sanctus D episcopus utrum post contractum matrimonium, coitum legitimum contagione adulterii experientia recipiendæ prolis maculasset. Uterque sub fidei attestatione stipulatur se non transtulisse ad alienum thorum. Tunc sanctus episcopus jussit sibi offerri panem & & vinum, benedixit & dedit eis, monuitque ut sobrie & juste viverent, & fideliter expectarent in Christo se prolem habituros. Factum est ergo ut vir ille suam uxorem cognosceret, quæ concepit, & desideratam soboлem peperit viro suo. Cui per orationem sancti Bertrandi ingrata sterilitas ei advenit jocunda fœcunditas.

Piscator nonnisi sibi designatum a sancto piscium numerum capit.

19. In quadam villa in hospitio suo juxta fluvium quem Nestam incolæ nominant, præcepit cuidam piscatori, ut juxta numerum quem audierat, sine mora.... pisces piscator de aquis extraxit, & licet labori diutius incubuisset ut plures & alios caperet, non nisi sicut sanctus episcopus dixerat, in captura piscium voluit acquiescere fluvius piscatori.

A Hoc etiam vir Dei miraculum fecit semel, iterum & tertio in eadem domo, & juxta propositum numerum nec minus nec amplius, sequebatur captura piscium. Sed vice ultima præcepit piscatori vir liberalitatis magnificus, ut multitudinem caperet piscium copiosam. Ad fluvium velociter currit piscator, jam fidem securam accipiens & certitudinem, ut pote qui ex mandato episcopi in captura piscium, sæpius ipse miraculorum inspexerat gratiam; de latebris gurgitum currunt celeriter pisces ad hamum, & festinanti multitudine piscium onustus piscator redit B ad domum ubi erat vir Dei, plenus eleemosynis & bonis operibus; & qui hoc viderunt admirati sunt valde.

Sua benedictione alterum frumentum reddit.

20. In villa quadam invitavit quidam homo sanctum episcopum ut manducaret cum illo, & paratis dapibus fecit illum discumbere sub arbore quam nucem nuncupant. Post quam exempta est fames, epulæ mensæque remotæ, qui paraverat convivium dixit: Rogo te, pater, ut per benedictionem vestram arborem istam benedicas sub qua discubuisti. Mox arborem benedixit episcopus, eamque virtutis gratiam in se recepit postmodum, ut nulla sterilitatis species sibi auferat annuam sui ubertatem jocundam. Accidit plerumque ut arbores sui germinis circumquaque positæ, & intemperie aëris quos pariunt fructus amittant; sed hæc sola nuces conservabat, & nullam repentina immutatione perdens plenitudinem gloriæ suæ. Lætatur præ ceteris mater fœcunda tempore debito, sterilitatis ignara.

Herbas noxias ingas suffocat.

21. Sicut est consuetudo, mulieres purgabant agros, resecantes falcibus noxias herbas, ut seges liberius excresceret, & creditorum seminum copiosius messem colligeret. Dum huic labori mulieres instarent, pertranseuntem vident episcopum de more benedicentem eis, & dicunt ei: Audi, Domine, voces ancillarum tuarum; herba pessima quæ dicitur lolium, hactenus in locis consuevit crescere, & multitudine sua suffocat segetes, non permittit agros fructificare, nec semina credita reddere. Unde sanctitas tua benedicat agros istos, ut maledictione puniat hanc noxiam herbam, ut ab agris recedat sterilitas, & tuis meritis de cetero segetum non ingrata sequatur ubertas. Supra nominatam E herbam confestim maledixit episcopus, & ulterius nullo tempore in illorum agrorum cultura illius herbæ noxia pestis apparuit. Magna nimirum & mirabilis fides episcopi, cujus virtutem sentiunt aquæ, arbores, agri. Aquæ siquidem virtutem ejus noverunt cum, licet frigidæ essent, per orationem tamen episcopi in manu trahentis lapidem temere manifestæ aduſtionis reliquerunt vestigia. Alibi & fluvia intellexerunt virtutem ejus, cum tot sibi pisces miserunt quot ipse petierat. Saltus & nemora virtutem ejus sensérunt, cum

vix extentis laqueis ad ipſum venationem ſine morâ miſerunt. Ejus virtutem arbor agnovit, cum poſt benedictionem epiſcopi congruo tempore extitit ſterilitatis ignara. Pulchritudo quoque agrorum virtutem epiſcopi prædicat, in cujus gratia ab eiſdem receſſit herbarum malitia, & provenit ubertas jocunda.

Vinum a cellerario celatũ divinitus effunditur.

22. Sicut conſuetudo ejus erat in quo virtus largitatis florebat, multi ſummopere comitabantur eum, & die quadam cum eſſet multa inopia vini, dixit cellerario ſuo: Ad viſitandas noſtras volo exire parochias, & ſi potes eſculentum & poculentum nobis miniſtra. Cui reſpondit cellerarius: Domine, vinum non habemus. Et ait epiſcopus, ſi habes vinum, contra conſcientiam tuam loqueris, judicet Dominus & oſtendat. De monte igitur deſcendit epiſcopus, & diſcubuit inferius in domibus conſtitutis juxta eccleſiam ſancti Juſti. Interea vero factum eſt ultione divina, ut vinum quod negarat cellerarius ad pavimentum eccleſiæ repente pronumperet, & fuſum eſt vinum tamquam cupiens ſequi vocem epiſcopi. Obſtupuerunt & omnes qui viderunt, & admirati ſunt plurimum, & magnus timor apprehendit cellerarium qui fuerat locutus mendacium. In quo facto ſane intelligentes recte poſſunt colligere quod ſcriptum eſt ab amatoribus chriſtianæ philoſophiæ, quoniam res temporales uſibus humanis commodæ, cum dantur niteſcunt, cum retinentur vileſcunt.

Vas vacuum oratione vir. impletur.

23. Tempore quodam cum vinum vix poterat inveniri in partibus illis, in una de vallibus ſuis ingreſſus hoſpitium, conſideravit viri & uxoris ejus ſolicitudinem quam habebant circa frequens miniſterium, & ait illis: Sollicitos vos eſſe conſpicio. Qui dicunt ei: » Inter anguſtias & preſſuras coar- » ctantur viſcera noſtra, quia vinum non ha- » bemus niſi valde modicum quod adjacet fæci » in fundo dolii; & jam ex inde non poteſt » extrahi quod ſine turbine poſſit aſſumi. Tunc ſanctus epiſcopus dedit ſe orationi, & aquam benedictam ſuper aſpergens, dolium reſperſit, & benedixit vas fere vacuum. Dextera Domini fecit virtutem, qui fecit in nuptiis in Cana Galileæ vinum ex aqua, & implevit hydrias de vino, implevit & dolium vino per orationem ſancti viri. Nam utique in eadem hora cœpit vinum excreſcere, & cum tanta inundantia ad ſummum copia venit, ut non ſolum ex inde vas repleretur, ſed & inundaret exterius unda vini uberrima. Et omnes videntes hoc, intellexerunt mirabilem virtutem Dei eſſe in confeſſore Chriſti, & lætati ſunt convivæ magnificantes Dominum. Hoc quippe miraculum aliquid ſimilitudinis habet cum illo quod ſcribit beatus papa Gregorius, cum loquitur de ſancto Benedicto patre monachorum & duce, & enuntiat per ejus merita oleum creviſſe in dolio & repleviſſe ad ſummum. Vir Dei Benedictus operibus miſericordiæ totus exuberabat, & ideo per merita fidei ſuæ oleum inundabat de dolio. Sanctus quoque Bertrandus largitatis diſcipulus, & omnium operum miſericordiæ ardentiſſimus amator, illud per merita fidei & orationis obtinuit a Domino, ut vinum redundaret in dolio, cujus mater vitis terrena non fuerat quam neſciebat, & vineam quam torcular nullum expreſſerat. Sed per fidem ſancti epiſcopi, dolio vinum intrudit cœleſtis gratiæ virtus, miraculis omnium bonorum operum factis indeficiens, qui de ſeipſo in evangelio dicit: *Ego ſum vitis vera.* De vite vera vinum deſcendit in dolium, quod aperte indicavit ſanctum ſacerdotem potentem virtute ſignorum. Qui convertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontem aquarum, ſub duce patriarcha Moyſe filiorum Iſraël, is voluit nimirum & iſtum decorare epiſcopum virtute miraculorum, & per ejus orationem vinum excrevit novum, non tempore vindemiarum collatum, ſed virtute creatum Altiſſimi. Adhuc loquitur in ſimilitudine ſicut olim Helias ille propheta ſignipotens præbuit mulieri farinæ incrementum & augmentum olei; ita quoque data eſt a Domino virtus epiſcopo, ut vinum quod erat in modica quantitate in fundo, per fidem ejus creſceret in immenſum. Et lætati ſunt convivæ, & bibentes exultaverunt, pro eo quod Dominus mirificavit ſanctum ſuum.

Sacerdotis impudici dominum maledictione facit corruere.

24. Sacerdos quidam a ſancto multoties correptus epiſcopo quod infamia fœdaretur incontinentiæ, tamquam incorrigibilis & contumax nolebat a culpa recedere, ſed deterius ſtudebat contra mandatum epiſcopi in libidinis furorem prorumpere. Denique poſt multas dehortationes cum vidiſſet ſanctus epiſcopus rogando & hortando ſe nihil proficere, die quadam cum pertranſiſſet ante domum ſacerdotis, maledixit domui tamquam proſtibulo; & ecce virtus divina miſſa repente de cœlo domum percuſſit ab omni angulo, & licet multo & lapideo eſſet firmata robore, tamen cum ingenti præcipitatione corruit tota domus. Sic igitur per virtutem ſancti viri percuſſit Dominus domum ſacerdotis, ut ſaltem tali injecta formidine adjiceret veri mandatum epiſcopi & notum caſtis amare. Huic nempe miraculo illud occurrit conſimile quod beatus papa Gregorius ſcribit in vita ſancti Benedicti, ſpiritu omnium juſtorum pleni, ubi denuncians malitiam ſacerdotis cujuſdam, qui amator libidinis, & bonis gravatus alterius, tamquam invidus & inimicus Dei mulieres compellebat pſallere eo in loco unde poſſent Benedicti conturbare religionem. Sed Benedictus ab eo loco tranſivit ad alterum, & domus ſacerdotis corruit uſque ad fundamentum. Temporibus ſancti Benedicti invidiæ domus

deſtruitur, temporibus ſancti Bertrandi incontinentia domus ſacerdotis percutitur.

Ædificans domum in cimiterio punitur divinitus.

25. Homo quidam alienæ poſſeſſionis avidus, firmabat columnam cupiens ædificare domum in cimiterio ſancti Gaudentii. Nuntiatum eſt epiſcopo quod homo ille locum ſanctum eccleſiaſtica auctoritate officio ſepulturæ conſtitutum, in ſuum præſumebat transferre dominium. Amator igitur libertatis ſanctus epiſcopus venit ad hominem, & increpavit eum dicens: » Ut quid occupas » terram, quam tui juris non eſſe cognoſcis? » Locus iſte ſanctus eſt, in quo domum ædifi» care deſideras, & debitus ſepulturæ morien» tium non viventium debet hic domus ædi» ficari, & tu locum tribulationum & liberum » contra humana & divina jura, ad perniciem » bonorum tuorum & detrimentum animæ tuæ » tuis uſibus vindicare præſumis. Iniquitatis » hæc opera ſunt, nec jure hereditario poſſi» denda. Fuge hinc & incœptam relinque ma» litiam. Sed temerarius homo conſilium epiſcopi ſalubre contempſit, & ejuſdem præceptis obtemperare renuit, & magis ac magis operi illicito inſiſtere cœpit. Tunc zelo rectitudinis ductus epiſcopus, non diſtulit exercere gladium canonicæ ultionis, & hominem ferire cenſura canonica. Quid plura? filius iniquitatis & diffidentiæ, innodatus vinculo excommunicationis traditus eſt ſatanæ in interitum carnis, & ſtatim per merita ſancti epiſcopi invitus mutavit propoſitum, cadens in languorem perpetuum. Infelix qui epiſcopo credere noluit, accubuit lecto, & numquam ultra convaluit, & timor apprehendit omnes qui hoc viderunt, & glorificabant Deum qui talem dederat illis epiſcopum.

Mulier impudica adulterium negans divinitus punitur.

26. Vir quidam in præſentia ſancti pontificis accuſabat uxorem ſuam de crimine adulterii. Uxor ejus prophana, præceps & temeraria, doloſis labiis culpam celare cupiens, acceſſit ad genua ſacerdotis, extendens manum & dicens: Juro me per hunc ſanctum non perpetraſſe adulterium. Et ecce in eadem hora manus extenſa facta eſt arida, & numquam ulterius liberata eſt; percuſſa manus commiſſum narravit adulterium, quod fraudulenter occultaverat linguæ officium. Mulier hæc celavit delictum & ſenſit flagitium, quæ ſi confeſſa fuiſſet culpam, meruiſſet veniam, ſicut mulier evangelica quæ non erubuit coram convivantibus venire ad pedes Jesu, quantis gemitibus uberrimo lacrymarum fonte perfundi, oſculari pedes Domini, lacrymiſque rigare & tergere capillis, donec a fonte miſericordiæ verbum bonum audiret diſcurrere; quia dilexit multum dimiſſa ſunt ei peccata multa: hæc non imitatrix illius, noluit verum fateri, & non erubuit eſſe doloſa teſtis mendacii, quam conſcientia deturpabat, actio accuſabat. Unde propter mendacium occurrit flagellum debita occultari noxia pœna. Vitandum mendacium ſicut legitur in propheta: *Loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo; & Juramentum mendax ne diligatis.* Multas & alias virtutes & ſigna in præſenti vita fecit dictus epiſcopus quæ non ſunt ſcripta in libro hoc: ſed hæc ſcripſimus tranſcurrendo ſub brevitate, recipientes certitudinem ſancti ad decus eccleſiæ, & ſancti epiſcopi religionem, & gloriam Domini revelandam, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis.

Incarceratus a pediculis & a captivitate S. Bertrandi meritis liberatur.

27. Poſt tranſitum vero ſancti viri, de quibus dicendum eſt ſecundum moderationem quæ eſt prope omnium rerum pulcherrima, quæ *nos reprobos quidem quos damnat* defendit, & quos damnavit, dignos ſolet facere ſolutione, unde & ſi non pauca quæ ad coarctationem bene vivendi proficiant ſcripta ſint, ſerius tamen cum adjici poſſint quam plura, ne velut ſemeſſas verborum noſtrorum epulas reliquiſſe videamur, incœptum proſequamur convivium. Quædam igitur miracula ex multis quæ operatus eſt per curſum vitæ præſentis, curavimus poſteritati relinquere, nam ſingula nulla ratione poſſemus. Hæc igitur quæ accepimus ex vera quorumdam relatione, quorum non eſt præſumptio aliquo levi favore vera falſis miſcere, volumus in ſcriptis redigere. Accidit itaque temporibus illis quibus S. Bertrandus ad Chriſtum migraverat, ut quidam vir notus & familiaris ejus nomine Bertrandus caperetur a quodam, & clauſus eſt in fundo turris, & adſtrictus in miſeris vinculis catenarum, erat in tenebroſo carcere; quod grave nimium captis eſt tædium: arcebatur catenis quod eſt valde moleſtum, denique fame & ſiti cruciatus pediculorum factus eſt pabulum, quorum multitudine inceſſanter ſcaturiens omnia membra tenebat, undique longa circumdatus erat catena prædictæ miſeriæ, urgentibus continuo ſtimulis, expediri mundarive non poterat. Dies ſine quiete, in nocte palbebræ ejus non inveniebant dormitationem, & ſi quis eſſet ſomnus, laborioſus erat: clamabat infelix, lugebat, dolebat; quid faciat, quo ſe vertat ignorat, jam de vita deſperat, & mortem deſiderat. Denique ineffabilis clementia Chriſti mentem miſeri hominis illuſtrat. Excitat captivus animum, vocat in auxilium ſanctum Bertrandum. Nolebat utique divina gratia ut virtus ſancti epiſcopi conſeneſceret, ſed ejuſdem amplius fama clareſceret. Factum eſt igitur ut toto corde invocaret in adjutorium ſanctum Bertrandum, dicens: » Pie pater, credo te ad Chriſtum migraſſe » feliciter, adjuva me, & ab hac pediculorum » funeſta rabie me propitius libera. Auditæ ſunt preces ejus, & ſtatim tamquam ſtetiſſet jubentis imperium, tota illa prænominata miſeria in terram cecidit. Mundatus eſt miſera tota contagione per virtutem ſancti Bertrandi, & jam de tanto patrono ſecurus inſtat ferventius orationi. Rogat, plorat, ſupplicat, ut a vinclis ipſum eripiat: cum lacrymis,

ſingultibus crebriſque ſuſpiriis iterat preces uberius: & cum hæc fierent divina miſerante clementia venit ſanctus epiſcopus, quem in loco præſenti dilexerat, viſitat amicum in carcere, vincula rumpit, liberat captivum, extrahit de turre illius loci qui dicitur Caſtellum-forte. Quid præterea? qui captivus fuerat tulit catenam, quam ſuſpendit ante glorioſum ſepulchrum ſancti confeſſoris, ad laudem & gloriam JESU CHRISTI.

Captivum a vinculis ſolvit.

28. Fama ſancti epiſcopi longe lateque volante, miles quidam nomine Petrus cepit manu violenta hominem quem multis nexibus & firmiſſimis cum omni ſollicitudine ligavit ad lignum, & velut inſultando, in verbum veritatis cœpit erumpere dicens: Nunc exerceat vires quas poteſt ſanctus Bertrandus, qui conſuevit nonnullos a pœna captivitatis exſolvere, & ſi poteſt, tibi condoleat, vincula quibus aſtrictus teneris diſſolvat, & tibi libertatem reſtituat. Dolet ligatus, gemit, ſuſpirat, ante virtutem ſancti pontificis vocem proſternit interni doloris. Mira res! mox beneficium ſenſit captivus, quo ſanctus epiſcopus perplexos admodum nodos vinculorum repente confregit, captivum fecit illæſum abire, quem tyrannica manus ſumſerat nimia crudelitate vincire. Venit igitur ante ſepulcrum ſancti epiſcopi, & poſt gratiarum actionem, miraculum quod evenerat circumſtantibus indicabat, & dicebat: Mirabilis ſanctus iſte, qui & militem inſultantem confudit, & vinculis innodatum potenter abſolvit.

Captivi vincula diſſumpſit.

29. Cum igitur opera ſancta clareſcerent, quidam nomine Arnaldus tenebatur in vinculis in caſtro quod Campanum nuncupatur. Cœpit tacita mente revolvere quomodo exinde poſſet exire; plura excogitat, meditatur attentius, & opportunitatem fugere non reperit: perfundit lacrymas, trahit ſuſpiria, clamat de profundis, orat cum lacrymis, vocat in auxilium S. Bertrandum, & ecce pius confeſſor Chriſti dolenti compatitur, accedit ad miſerum, vincula rumpit, ſolvit compeditum, & qui captivus extiterat, venit ad ſepulcrum ſancti epiſcopi, agens gratias, & ſuſpendens catenas. Ego quoque indignus ſervus Chriſti & Auxitanæ eccleſiæ clericus, qui hoc opus ſcribendum accepi, & mandatum domni WILLELMI archiepiſcopi prælibatæ ſedis & ſanctitatem & miracula S. Bertrandi tempore ſchiſmaticorum, quibus ſacroſancta Romana eccleſia multarum turbine procellarum fluctuabat, ſignificavi ALEXANDRO ſummo pontifici viro catholico in palatio Lateranenſi, in præſentia venerabilium cardinalium, memoriter teneo me vidiſſe in provincia mea juvenem quemdam cum vinculis ferreis confitentem ſe captum fuiſſe, & in illis vinculis poſitum, & liberatum per meritum S. Bertrandi. Juvenem prædictum vidi ego cum commorarer in paſcuis cum quibuſdam quorum cura erat armenta regere, quibus mater mea commiſerat, ut cum eis pergerem ſub voto peregrinationis ad ſepulcrum beati Bertrandi, cujus patrocinio prædicta genitrix mea me commendarat attentius. Solebat & ipſa hunc locum frequentare diligentius, & ut ego eſſem ſuæ devotionis imitator ardentius commonebat. Veni ergo cum prædictis ad venerandum tumulum ſancti pontificis. Venit in comitatu noſtro prædictus captivus, & ingreſſus eccleſiam poſt gratiarum actionem, ſuſpendit vincula ferrea inter cetera quæ habebantur ibidem ad laudem Domini noſtri JESU CHRISTI & gloriam, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis.

Mulier contracta curatur.

30. Mulier quædam nomine Maria deſtituta membrorum officio, affixis poſtremæ parti calcaneis, gravi & longo detinebatur oppreſſa languore; ſed cum jam diutius lecto accubuiſſet, parentum & amicorum ſuorum cura ceſſavit: vertebatur in tædium, non erat qui bene faceret, qui vultu pietatis ad eam reſpiceret. Nam longa infirmitas vix fidelem amicum inveniet. Quid ergo miſera mulier? mortificatis membris vivit in corpore jam ſemimortua, vivit & mortem deſiderat, optat mortem nec mori poteſt, pertrahit longas impia vita moras; gemit in die, torquetur in nocte, & ut liceat mihi aſſumere verba Ambroſiana, ſicut aqua ſtativa vermes generans omnino contemnitur miſera mulier. Denique unum ſemper eſt ſolatium, miſerum tamen, ſed neceſſarium, ut ejiciatur a domo tamquam cadaver mortuum, excludatur exterius, non habeat ſolatium, patiatur exilium. Sic accidit, expellitur a domo, velut corpus exanime collocatur in quodam vehiculo, in anguſta domo conſtituta plura loca perluſtrat, relevatur utcumque ſua calamitas largitione eleemoſynarum quas porrigit ſibi fidelium pia devotio: non ipſa, ſed domus ejus currit velocius, trahentium manibus diverſas circuit villas, diverſa requirit hoſpitia, quo poteſt modo vitam ducit miſeram, afficitur tædio, cruciatur ſupplicio. Inter hæc audit celeberrimam famam miraculorum S. Bertrandi, currit ad montem feliciter, implorat divinum auxilium, tota cordis contritione rogat Chriſti clementiam, ut per merita beati Bertrandi ſanitatem ſibi reſtituat; ſed miſericors & miſerator Dominus reſpiciens in orationem humilium, & non ſpernens preces eorum, lacrymas mulieris poſuit in conſpectu ſuo. Venit ergo ſanctus epiſcopus ad mulierem, membra contracta ad directam revocat compoſitionem, vires infundit, erigit contractam, ſuſtentationis baculum porrigit, viam oſtendit. Mulier repente attonita gaudio, de carcere progreditur, proſilit ad terram, ad ſepulcrum ſancti viri feſtinanter accelerat, virtutem ſancti denuntiat, oſculatur ſepulcrum, viſitat frequentius, currit

ad gentes, divulgat miracula populis, exaltat, miratur plurimum de tanta virtute, & cum baculum ſibi oblatum prædicta mulier perderet, mox deſtituebatur viribus, & efficiebatur contracta. Mira res! baculum reddebat ſibi ſanctus epiſcopus, quo accepto, fiebat incolumis, ſurgebat e veſtigio, & exercebat officia ſua.

Baculi S. Bertrandi quanta virtus.

31. Quidam vero furatus eſt ſibi baculum, & ingreſſus Hiſpaniam virtutem prædicabat tanti miraculi, populis indicabat baculum, cui pro reſpectu ſancti epiſcopi multam exhibebant reverentiam, & exinde ille baculus multas oblationes recepit. Ille pro lucro gaudebat, ſed mulier lugebat, & ante ſepulcrum contracta jacebat; denique poſt multas lacrymas atque ſuſpiria patronus ejus ſibi baculum reddit, multis aſtantibus in eccleſia, qui ſub voto peregrinationis advenerant. Solito mulier ſurrexit velociter, circumſtantes mirantur, & reddunt laudem Deo, commendantes virtutem ſancti epiſcopi: recuperavit mulier baculum, & inceſſum habuit liberum; non tamen virtus in baculo, ſed in ſancto epiſcopo. Mulier hæc multis temporibus iſta divulgavit miracula in locis pleriſque, & diem claudens extremum, jacet ſepulta juxta baſilicam Genitricis Dei, in qua quieſcit corpus ſancti pontificis. Parcat mihi auditor, ſi prolixa ſibi videatur præſens narratio, quia judicio noſtro tam præclara virtus miraculi non in diſcurſu debet paginæ commendari.

Obſeſſa a dæmone mulier liberatur.

32. Mulier quædam indigena & de villa quæ vocatur *Aram*, erat obſeſſa a dæmone, vexabatur ab immundo ſpiritu, incutiebat terrorem dentibus, erat intimis & notis abominatio, confuſio & abjectio hominum. Parentes & amici exhorrebant quamplurimum, & conſortium ſuum vitare cupientes, negligebant eam, quoniam facta eſſet vas contumeliæ & habitatio tenebrarum. Mulier igitur conſiderans in tantum ſe adductam contemtum, & opprobrio tanto expoſitam, de domo ſimul & valle egreditur, venit ad cathedralem eccleſiam Convenarum, ubi quantum poterat vigiliis & orationibus diligenter inſtabat, & ante venerabile ſepulcrum S. Bertrandi jacebat, ſuſpirabat patrocinium, ſancto epiſcopo ſeſe commendans attentius. Factum eſt ergo die quadam in præſentia multorum, ut obſeſſam dæmonium vexaret acrius, & ſentiens adeſſe virtutem ſancti epiſcopi fugeret ab obſeſſa. Liberata eſt ergo mulier a dæmonio, & ab eo tempore illius furoris in ea non apparuerunt veſtigia, & egit gratias Deo & ſancto Bertrando, & omnes qui viderunt ſimul cum ea.

Mulier muta recuperat linguæ officium.

33. Quædam mulier, exigente morbi natura, perdidit linguæ officium. Torquebatur ſecum tacita mente quid ageret: quod cogitationum turbine volvebat, verbis expedire non poterat, quia muta erat. Grande A quippe ſolatium cum quis ſuas quas patitur ſollicitudines amicis ſuis indicat ſermonum officio; & per contrarium maxima eſt triſtitia loqui ſaltem non poſſe neceſſaria, & non habere virtutem ſermonis, qui ſummopere conſiſtit laudabilis & neceſſarius, ſi recta intelligentia & definita moderatione animi gubernetur. Mulier igitur iſta non inveniens conſilium reſerandi clauſtrum oris, cogitavit in mente, ut a ſancto pontifice poſtularet præſidium; venit ante ſepulcrum ejus, lingua tacet, corde clamat, & poſt multas vigilias & longa quæ ab imis trahebat ſuſpiria, exauditæ ſunt preces ejus, & loquebatur benedicens Dominum & ſanctum pontificem, per cujus meritum recuperaverat linguæ officium.

Cæcus & ſurdus viſum & auditum recuperat.

34. Crebreſcente fama ſancti pontificis, quidam homo cœcus & ſurdus cum filio ſuo & filia ſibi miniſtrantibus, inter ceteras populorum catervas ivit ad ſepulcrum piiſſimi patris, imploraturus auxilium. In multas lacrymas & alta revolvebatur ſuſpiria miſer iſte, qui & auditum amiſerat, & in tenebris permanebat. Hic igitur inſtat ferventius orationi, fundit fletus, querelas emittit, quas ipſe proferens non audiebat, in cordis viſceribus ſingula quæ loquebatur cum ſollicitudine vehementi verſabat. Denique cum fatigata mentis conſtantia labore poſtulandi lucis & auditus non ſit in vacuum, & cordis compunctio, devotio integritatis augetur, incrementum ſuſcipit fides, de cœleſti ſede properat medicus, confert opem laboranti ſanctus epiſcopus, citius dicto ab auribus removetur obſtaculum, velamen aufert ab oculis. Quid multa? & ſurdus audit & illuminatus eſt cœcus.

Tres pueri capitis liberantur.

35. Miles quidam cepit tres pueros, & miſit eos in turri, qui vexati diutius clamaverunt ad Dominum, & exaudivit eos, & invocabant creberrime S. Bertrandum in præſidio: & Dominus ac Salvator noſter qui eſt juxta omnes qui tribulato ſunt corde, & ſalvat humiles ſpiritu, preces puerorum audivit, & qui tres pueros de fornace liberavit qui erant in Babylonia, eripuit hos tres de carcere, miſitque eis S. Bertrandum, qui in virtute CHRISTI JESU liberavit eos de carcere, & eduxit eos de tenebris & umbra mortis, & vincula eorum diſrupit.

Miles hydropicus ſanatur.

36. Miles erat diœceſanus & longa detentus ægritudine, tantum paſſus eſt in ventre tumorem, ut aſquiten vel timpaniten incurriſſe crederetur, & erat vita ſua tam ſibi multo onuſta. Denique cœpit clamare ardentiſſimo deſiderio ad Dominum, ut ſanaret illum per merita ſancti Bertrandi. Et ecce quadam nocte cum omnes amici ſui deſperarent de vita ejus, ipſe in thalamo ubi quieſcebat pro nimia anguſtia, de lecto perrexit ad humum, & ſuper faciem terræ tamquam mortuus jacuit, ſed lingua mentis quantum poterat

clamabat

clamabat ad Dominum & S. Bertrandum, & inter mentis anguſtias venit medicina de cœlo, & liquor qui ventrem extenderat, & in modum tympani lucidum fecerat, liberos meatus invenit, & admixtus urinæ per virgam ſicut erat immoderate prorupit, & velut gurgitem aquarum multarum in terra reliquit, & curatus eſt omnino. Sequenti die qui viderunt mirati ſunt valde, & ipſe tempore congruo reſumtis viribus repræſentavit ſe ante ſepulcrum S. Bertrandi, pro ſalute recepta grates exſolvens uberius in gratia JESU CHRISTI Domini.

Sacerdos cæcus lumen recipit.

37. Cum igitur tantorum fama miraculorum longe poſitas illuſtraret provincias, quidam ſacerdos de terra Bearnenſium ad illius infirmitatis pervenit incommodum, ut oculi ejus obducerentur caligine, & lumen amitteret. Contabeſcit anima ejus in amaritudine amariſſima, quia ſibi negatur facultas ſolita exercendi negotia. Accepit itaque multorum relatione quoniam S. Bertrandus *multis infirmis procurat ſolatia*. Urget infirmitas, monet neceſſitas, ut quærat remedium, imploratur auxilium. Venit ergo ad deſideratum ſepulcrum ſancti Bertrandi, inſtat cum omni diligentia vigiliis, hymnis & orationibus, dulcem quoque & divinam pſalmorum harmoniam mente vigili & meditatione laudabili pſallere ſtudebat propenſius: hortabatur clericos eccleſiæ cum multa ſupplicatione ut ipſum juvarent orationibus, & obtinuerunt orando ut prædictum lumen per merita ſancti pontificis recuperaret, & tunc obtulit ſacrum textum evangeliorum ſuper altare Virginis Mariæ, quem fecerat ſcribi de ſumtibus propriis. Factum eſt igitur ut viſum reciperet, & egit gratias Deo, & cum magno gaudio regreſſus eſt ad nobilem Bearnenſium patriam, qui accepto miraculo tanto dederunt laudem Deo.

Scribo fanatus reſtituitur.

38. Illud præterea inſigne miraculum neglectæ vetuſtatis non debet caligine obduci, quod totius incedit fines Provinciæ, Burgundiam, Lotharingiam penetrat, Theutonicas nationes ingreditur. Accidit igitur ut quidam Theutonicus ad limina S. Jacobi pergens, in via incurreret deſipientiæ morbum. Pervenit itaque cum ſociis ſuis ad venerandum epiſcopi tumulum: orat, plorat, ſuſpirat; mox ejus preces exaudit ſanctus epiſcopus, ſenſum reformat, renovat rationem, mentem reſtituit, deſipientiam tollit, furorem extinguit: qui fuerat deſipiens permittit ſe tractari, non lacerat veſtem, non ſtridet dentibus, non perſtrepunt vaniloquia, moderatur inceſſum, ſenſate loquitur, revocatur ad ſenſum, ad ſe revertitur, ſalutem plene recuperat, & benedixit Dominum qui eſt benedictus in æternum.

Mutus loquela.

39. Quidam gravi detentus infirmitate lecto accubuit, & cum diu ægrotaſſet, cœpit aliquantulum convaleſcere; ſed linguæ ma-

nuſque deſtitutus officio, ſe repræſentavit ante glorioſum ſepulcrum ſancti epiſcopi, ubi ſe reſolvit in gemitum cordis, & lacrymis compunctionis: quo facto, & manus quæ ad os duci non poterat plenam ſanitatem recepit, & ſoluta ſunt vincula linguæ ejus.

Captivo libertas.

40. Quidam captus tenebatur in vinculis, & qui eum per crudelitatem tyrannicam ceperat, minis inhumane illum tractabat. Cumque vidiſſet captivus multiplici ſe expoſitum calamitati, toto corde invocavit Dominum, ut per merita S. Bertrandi eum liberaret a captivitatis miſeria: prope nimirum eſt Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Factum eſt ergo ut viſitaret Dominus miſerum, & confeſtim miſit ad illum ſanctum epiſcopum, qui virtute miranda confregit vincula, liberavit captivum, & ſecurum adduxit ante ſepulcrum ſuum cum gloria & honore regis altiſſimi, qui eſt mirabilis in ſanctis ſuis.

Contractus curatur.

41. Alio quoque tempore accidit in Francia ſabbato Pentecoſtes, facto jam veſpere, quod quidam vir in comedendo panem contractus & membrorum valetudine deſtitutus eſt ita mirabiliter, ut cum genu ſtomachus, calcaneuſque cum crure, & cum brachio pollex conglutinati ſunt. Cui mox portato a ſua matre ad Cantuariam in Anglia, ſanctus Thomas, ſolidata ejus baſe tibiaque reformata præcepit apparens: Vade hinc & ſtatim recede, quia non poſſum tibi plus ſatisfacere. Eſt enim glorioſiſſimus Chriſti confeſſor BERTRANDUS in Vaſconia prope Alpes Hiſpaniæ, ad quem ſi abieris, totus ſanaberis & priſtinam recuperabis incolumitatem. Hoc audito, vir & mater ſua illico diſcedentes per ſtratam publicam, venerunt ad S. Mariam de Rupe-amatoris, deinde Toloſam, de Toloſa recto tramite uſque ad urbem S. Bertrandi, (a) ubi de nocte vigilando cum candelis ſuis ante ſepulcrum ejus, & ſuffragia implorando, vir cœpit caleſcere, paulatimque reſumto naturali vigore ac calore, ſanus & incolumis penitus eſt effectus. [a]

Captivum liberat.

42. Quadam vice factum eſt, quod Sancius Parra de Oltia cum exercitu ſuo totam terram circa urbem Convenarum depræda-vit, in qua præda boves fuerunt S. Bertrandi, quos ut ſcivit captos ſanctus epiſcopus, illuc pergens, a Sancio Parra petiit boves: qui ſtatim negavit ſe nullo modo redditurum boves vel quicquam de prædatione, niſi ſibi redimeretur. Cui rurſus ſanctus epiſcopus dixit: Redde mihi quod priuſquam moriaris retribuam tibi. Audito reſponſo iſto Sancius Parra ſtatim reddit S. Bertrando boves, & ſic pacifice ambo diſceſſerunt. Poſtea vero S. Bertrando jam ad Chriſtum evocato, idem Sancius Parra in Hiſpania bello captus a Sarracenis, in obſcuro carcere miſerabiliter ja-

(a) Ita urbs Convenarum a S. Bertrando hactenus ſolet appellari.

cebat catenis onustus, debens in proximo A nus, & sic ambo inde recedentes, fuerunt adduci ultra mare cum multis aliis Christianis captivis: ad quem de nocte veniens S. Bertrandus lucidus & præclarus, & totum carcerem illustrans, dixit: Surge, Sanci, & sta in pedibus. Qui respondens ait: Quis es, domine? Ego sum, inquit, Bertrandus episcopus, cui boves reddidisti, paratus sum retributionem tibi reddere quam spopondi. Ad cujus vocem solutis nexibus ferreis quibus astrictus & ligatus erat, surrexit protinus, & sic ambo inde recedentes, fuerunt miraculose apud Rupem de Squito in Aspa juxta Oltiam lucescente aurora, ubi sanctus Bertrandus rogans eum, quatenus ecclesiam in qua corpus suum jacebat sepultum, honoraret & visitaret annuatim, valedicendo disparuit: atque Sancius Parra postquam fuit cognitus, tota congregata vicinia narravit quomodo abstractus erat a captivitate, & omnis populus dedit laudem Deo ac sancto Bertrando.

VITA S. STEPHANI

ORDINIS GRANDIMONTENSIS INSTITUTORIS

AUCTORE GERARDO

VII. PRIORE GRANDIMONTENSI.

Ex duobus vetustis manuscriptis Grandimontis, & tertio recentiori Majoris-monasterii.

OBSERVATIO PRÆVIA.

Sancti Stephani ordinis Grandimontensis institutoris res præclare gestas scriptis suis perplures celebrarunt auctores. Hanc in se provinciam primus omnium suscepisse videtur Stephanus de Liciaco, anno 1141. *creatus quartus Grandimontensis prior. Ipse enim, teste Bernardo Guidonis*, & dicta & facta S. Stephani conscribi fecit. *Quod quidem opus hactenus in tenebris delituit. Deinde Gerardus Iiherii anno* 1188. *unanimi fratrum consensu Guillelmo de Trinhiaco sexto priori suffectus, cum pissimum parentem suum Sanctorum albo referri satageret, vitam ejus & miracula fusiori conscripsit stilo, quæ nec ipsa lucem hactenus videre promeruit. Tertiam ex hac vita contractiorem, seu potius excerpta ex Gerardi opere non ita concinne adornata contexuerunt aliqui fratres in cellis habitantes, & quidem ut conjicio, ad suos proprios usus, labori prolixiori in tota vita carta committenda parcentes. Hanc vitam absque auctoris nomine primus edidit in sua bibliotheca nova Philippus Labbæus societatis presbyter eruditus anno* 1657. *Eamdem a Petro-Francisco* Chifflet *acceptam recuderunt Johannes Bollandus & Godefridus Henschenius ad diem Februarii octavam, sub nomine Gerardi VII. prioris Grandimontensis. Nam cum citatum a Carolo Fremontio Gerardi opus, cum ea quam præ manibus habebant vita contulissent, ipsissimaque illius verba in ea reperissent, illi posse & debere attribui minime dubitarunt: quamvis nonnisi excerpta quædam feriati fratris contineat, qui prolixiori parcens labori, integram describere noluit. Quarto pie memoriæ Carolus Fremontius Turonicus, ordinis sui reformator, ut suos ad sectanda legislatoris vestigia fratres excitaret, S. Stephani vitam Gallico composuit idiomate, ac Divioni prælo commisit anno* 1647. *Quinto denique reveren-*

dissimus Henricus de la Marche de Pargnac *novissimus ordinis præpositus generalis & abbas Grandimontis, simile opus Parisiis non ita pridem edidit. Hos præter auctores Guillelmus Dandina, cognomento de S. Savino, qui sub finem sæculi* XII. *Hugonis de Lacerta vitam eleganti stilo & accurate conscripsit, perplura de S. Stephano scitu dignissima & hactenus parum nota, illi inseruit. His adde Vincentium Bellovacensem, qui & ipse de S. Stephano agit Speculi historialis lib.* 25. *cap.* 46. *& seq. Bernardum Guidonis, S. Antoninum part.* 2. *tit.* 15. *cap.* 21. *& plures alios.*

Itaque ad illustrandam S. Stephani Muretensis memoriam, aliud nihil desiderari videbatur, quam ut Stephani de Lisiaco & Gerardi prioris VII. *lucubratio publici tandem juris fieret. Cum autem Grandimontensis monasterii bibliothecam mihi olim lustrare licuisset, inciderunt in manus amplissimi codices duo, Gerardi* VII. *prioris nomen præferentes, eleganter descripti, & ni me mea fallit opinio, ipsissima auctoris manu exarati; ad quorum exemplum Turonensis S. Martini Majoris-monasterii codicem recentiorem scriptum existimamus. Illos vero diligenter evolventi mihi occurrerunt in eorum uno post caput* 46. *inserta alia sexdecim capita cum subsequentibus versibus; quæ cum attentissime legissem, S. Stephani* dicta & facta, *jussu Stephani de Lisiaco primum collecta statim esse conjeci. Conjecturam hanc meam confirmarunt stilus paulo diversus & res in eis tractatæ, quæ* dictis & factis, *ut titulus præfert, apprime conveniunt. Deinde cum caput* 47. *præcedenti* 46. *optime cohæreat, nemo est qui non advertat sexdecim illos articulos extra numerum ibidem post completum opus insertos fuisse. Præterea cum vitæ a se conscriptæ tres Gerardus præmiserit præfationes, quarum tertia tantummodo nomen ejus præponitur, duas primas aliorum esse auctorum, quorum opus suo intexuerat ille, statim dijudicavi, ex quibus unam fuisse Stephani de Lisiaco vehemens mihi suggerit suspicio. Quapropter sexdecim illa capitula seorsim edenda operæ pretium duximus.*

Porro tametsi Gerardus ea quæ vera quorumdam veridicorum relatione *compererat, atque* oculis propriis *conspexerat enarrare se profiteatur; initia tamen vitæ S. Stephani parum accurate scripsisse fatendum est. Nam quæ de ejus Beneventum profectione anno ætatis suæ* XII. *deque ejus apud Milonem archiepiscopum totidem annis ibidem commoratione narrat, cum ejusdem Milonis episcopatus tempore, annorum vix duorum, conciliari minime possunt; nam anno* 1074. *ordinatus successorem habebat anno* 1076. *uti nostris in notis demonstravimus. Verum cum decani Parisiensis dignitate potitus fuisset Milo, antequam ad Beneventanam sedem eum eveheret Gregorius papa* VII. *haud absimile a vero videtur, sanctum Stephanum ætatis suæ anno duodecimo Parisios ad eum accessisse, & ibidem cum eo commorantem divinis humanioribusque litteris operam dedisse: eumdem postea creatum archiepiscopum Beneventum secutum, cum tunc ageret ætatis suæ annum vigesimum secundum; atque Milone post duos annos ad superos evocato, Roma aliquandiu cum aliquo cardinali conversatum fuisse.*

INCIPIT PRIMUS TITULUS in vita S. Stephani confessoris primi patris Grandimontensis ordinis.

Ann. 1124.

QUoniam proprium est servorum fidelium, quos constituit Dominus super familiam suam, intendere super discipulos suos, ne a statu rectitudinis labantur, in quo nimirum major ratio salutis ipsorum, quibus A cura commissa est, consistere creditur. Cum caritas pastoralis non quærit quæ sua sunt, nihilominus discipuli semper habent intueri vitam boni doctoris, qui cum beato Paulo dicere potest, imitatores mei estote, ut deinde sumant in omnibus exemplar necessarium conversationis suæ. Illum enim cujus adjutorio veritas fidelibus referatur a Domino, verbis simul & operibus dignum est, ut ipsi fideles super omnia visibilia diligant, Quod nos certe fratres Grandimontis possumus di-

cere de STEPHANO reverendiſſimo noſtræ religionis paſtore primo. Quamvis enim ad fidei lumen jamdudum venimus; tamen per hanc ſemitam juſtitiæ quam aggreſſi ſumus, nullatenus recto calle tranſire poſſumus, niſi ductorem ſequamur, ſcientem vitare cuncta periculoſa divortia, ſicut ovis quæ paſtorem ſuum ad uberrima paſcua ducere volentem, herbis præſentibus inhærens, ſequi contemnit, aut a lupis quandoque devoratur, aut tenuis atque deficiens balando neſcia quo tendat, excluſa remanet ab ovili. Magna quidem ſalus omnium diſcretio paſtoris eſt, gloria diſcipulorum magiſter ſapiens eſt: tunc quoque ſolummodo parietes ædificii firmi ſunt, cum a fundamento non diſcrepant, quod ſapiens poſuit architectus. Summum igitur gaudium noſtrum, fratres dilectiſſimi, poſt fidei perceptionem, ſit bonum habere paſtorem, cujus profecto miracula inceſſanter oculis aſpicimus, & indeficienter manutenemus. Quæ ſunt enim alia tributa noſtra vel agriculturæ magnæ, aut ingens poſſeſſio pecudum, ſive quæſtus per eccleſias, unde tot fratres congregati in unum quotidie paſcamur, niſi pura fides ipſius? Nos mercedem lacrymarum atque jejuniorum ejus percipimus, [illegible] longæ paupertatis, quam indeſinenter amplexatus eſt, fructus tota die colligimus, ut videtis, ubicumque tranſmutamur per obedientiam, non habentes ſuſtentaculum temporalium rerum, nec deficiendi metum, cum ſolummodo expectemus Dominum. Quemadmodum igitur in illo proverbio dicitur, cujus panem manducamus, ejus laudem teneamus; propterea Domini miſericordiam, fidei conſtantiam STEPHANI paſtoris noſtri memoriter commendemus, in quam per Chriſti gratiam ſalutem ſperamus æternam. Taceo quia nullus noſtrum qualibet ſapientia ſua hujus viam libertatis tentans arripere, niſi clare præmonſtrata & undique ab omni cupiditatis ſervitute clauſa foret ab iſto patre: vel certe ſi quis tentaret, conſummare neſciret, ut videmus de pluribus in incœpta paupertate non perſeverantibus. Unde jucundius memoriam hujus patroni venerari debemus. Hæc autem idcirco dicimus, ut fratres benevolos reddamus, & attentos ad legendum ea quæ de præfato viro poſita ſunt in hac ſcriptura, communi cauſa videlicet, quoniam diligi non valet quod penitus ignoratur; fides enim ex auditu, ut ait Apoſtolus. Præſertim cum fides adhibenda ſit relationi diſcipulorum illorum, a quibus iſta audivimus. Veracitet namque per viſum & auditum cognoverunt a principio, & adhuc ſuperſtites verborum ſuorum veritatem operibus atteſtantur. Verumtamen ſi multa fuiſſent appoſita de perfecto viro Dei, quæ non omnes imitari, ſed admirari poſſumus, idcirco tamen ea negligere non oportet auditores, immo cariùs amplecti, ut per hæc fragilitatem noſtram ſubtilius agnoſcamus, & mundemus aciem mentis in exemplis tanti Patris. Tanto enim quiſquis proficit in Deum, quanto magis per bona alterius vilitatem ſuam attendit. Et hæc eſt in humano corpore membrorum firma concordia, quia manus & pedes, licet minime videant, diligunt tamen oculos per quos ad neceſſaria diriguntur. Et nos quoque diligamus excellens meritum venerabilis STEPHANI, quoniam ad utilitatem omnium noſtrum tanta gratia collata eſt ei divinitus. Quiſquis autem verbum veritatis audire ſolummodo renuit, aut vix aut numquam illud operando ſervabit. Hoc autem pro eo dicitur qui in hac ſtultitia detinetur. Sed Deo gratias agamus, quoniam a fratribus remota eſt penitus hujuſmodi arrogantia. Porro quia tractatum per capitula diſtinximus, ideo ſententias breviter in ſerie lectionis poſuimus, ad intelligendam verborum ſeriem facilius, & a modo propoſitum exequimur.

Item alius titulus.

Cum omnibus hominibus ad cognoſcendum & diligendum creatorem ſuum eadem gratia minime ſit collata; illi procul dubio celebriori memoria digni habiti ſunt, qui profuſius divino afflati Spiritu, moribus & doctrina clarius refulſerunt, & in eccleſia Dei profuerunt amplius: de quorum immenſa multitudine unum habemus præ oculis, ſanctum STEPHANUM videlicet, primum poſt Dominum Grandimontenſis ordinis patrem, qui redemtoris ſui ſequens veſtigia, paupertatem ſpiritus in tantum dilexit, quod in terra nihil fere voluit poſſidere; cujus virtutes referre opus eſt, ut credimus, aliquibus profuturum; ſed noſtræ ſcientiæ tenuitas & tarditas ingenii ad ea nempe non ſufficit. Ceterum ipſius merita converſationis ejus proclamat auſteritas, & teſtatur exemplum converſandi ſuis ſequacibus derelictum. Quis enim noſtris temporibus devotius audivit Dominum in evangelio dicentem: *Qui non renuntiat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quis expreſſius mancipavit effectui illud JESU-CHRISTI conſilium: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum & tollat crucem ſuam & ſequatur me.* Porro nullius perfectionis evangelicæ ſurdus auditor, nullius juſtificationis divinæ obliviosus lector, ut Chriſtum lucrifaceret, ita omnia dereliquit, quod non pecudes, non terrarum poſſeſſiones, non reditus, non quæſtus, vel aliquod aliud unde ſibi neceſſaria miniſtrarentur, in mundo retinuit. Rebus itaque pauper & nudus, ſed cœleſtium virtutum theſauro præditus, in fide ac dilectione illius qui ait ſuis diſcipulis: *Nolite ſolliciti eſſe dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Scit enim Pater veſter cæ-*

leſtis, quia his omnibus indigetis, ſine ſollicitudine & occupatione mundanæ rei, cœpit primum quærere regnum Dei & juſtitiam ejus. Unde non immerito credendum eſt illum in terra cœleſtem duxiſſe vitam, & frequentiſſime guſtaſſe manna abſconditum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit; nec corporalis alimoniæ nimiam potuit habere penuriam, qui totam in Deo poſuit ſpem ſuam, ſicut propheta ait: *Jacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet.* Quod nos qualeſcumque diſcipuli ejus, fide meritiſque ipſius nobis hactenus accidiſſe fatemur; & quia omnibus paupertatis hujus propoſitum ſequentibus ita ſemper eveniet, confidenter credimus & ſperamus. Scimus enim quantum fidelis eſt ille qui ait: *Non vidi juſtum derelictum, nec ſemen ejus quærens panem.* Quantam autem gratiam ob fidei ſuæ meritum & carnis macerationem in conſpectu Altiſſimi vir iſte adeptus eſt, ad eorum notitiam qui divinæ pietatis opera libenter audiunt, veraci relatione narrandum ſuſcepimus; ſed ab ortu ejus & infantia ſumendum eſt exordium. De his tamen quæ in miraculis & dinoſcendis fratrum cogitationibus per eum Dominus operari dignatus eſt, pauca dicturi ſumus, ne forte incredulis veritas mendacium eſſe videatur, & creduli ex paucis quæ audierint dicant quia omnia poſſibilia ſunt credenti.

Item alius titulus Geraldi venerabilis prioris Grandimontenſis VII. *in vita ſancti Stephani confeſſoris.*

Omnibus Chriſti fidelibus divina permiſſione Grandimontenſis eccleſiæ miniſter humilis atque indignus, ſalutem. Ne miremini, dilectiſſimi, neque ſtultum vobis videatur atque inſipidum, ſi univerſitati veſtræ ſcribere præſumo, nomenque noſtrum in initio hujus ſcripturæ ponendo, cum non hoc de jactantia, aut inani gloria, ſeu aliqua intentione perverſa, ſed voluntate bona & humili conſcientia, in caritate perfecta, ut credimus, ſuffulta divina gratia, cum qua deſideramus, qualiter beatus confeſſor STEPHANUS Grandimontenſis ordinis inſtitutor primus, ab infantiæ ſuæ rudimentis Domino Deo noſtro fideliter ſervire propoſuit, cujus vitæ propoſitum converſationemque admodum dignis laudibus plenam, moreſque ſanctiſſimos atque miracula quæ Deus omnipotens ſua benigna gratia per ejus merita glorioſa operari dignatus eſt, in quantum Dominus donaverit, volumus, ſi poſſumus, ut vera quorumdam veridicorum relatione comperimus, & oculis propriis perſpeximus, ſub brevitate fideliter ſcripto commendare. Reſipiſcant igitur inſipientes falſidici, oblatrantes & contradicentes veritati. Obmuteſcant dico, quia Dominus verax eſt, & omnes viæ ejus judicia & veritas. Ipſe enim quæcumque voluit fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſſis. Et quid mirum? omnia poteſt, quæcumque vult operatur. Intelligant igitur & percipiant increduli & erubeſcant infideles, quia Deus beatum STEPHANUM mirificavit, & mirificando laudabilem reddidit, nec voluit occultare diutius ſanctitatem ipſius, qui velut gemma latebat in ſterquilinio oblivionis. Exultent & lætentur fideles Dominum timentes, vera amantes, vana ſpernentes, mundana contemnentes, eo quod Deus eis demonſtraverit lumen veritatis, ac lucernam quæ abſcondita erat ſub modio, quamvis videretur poſita eſſe ſuper candelabrum, id eſt beatum virum STEPHANUM, quem Dominus Deus omnipotens ſua bonitate mirifica voluit univerſis manifeſtari populis. Gaudete, inquam, vos viri Grandimontenſes, quibus Dominus talem ac tantum paſtorem providit, qui vobis fideliter oſtendiſſet veritatis viam, juſtitiæ ſemitam, ſanctæ religionis regulam, caſte vivendi formam, vigiliarum jejuniorumque obſervantiam, recte vivendi normam, corrigendi mores diſciplinam, amandi amplectendique paupertatem conſtantiam. Hæc ſunt opera pro quibus gaudere vos admoneo, & in quibus debetis operam dare, quia vobis in his & aliis juſtitiæ fideique operibus exemplum præbuit. Amator etenim fuit veritatis, ſectator juſtitiæ, & ſanctitatis fundator, & inſtitutor optimæ ac venerandæ religionis, nutritor caſtitatis, conſervator integerrimæ virginitatis. Quapropter vos admoneo, cariſſimi, quatenus eum in quantum potueritis imitemini, ſectando juſtitiam, conſervando patientiam, amando humilitatem veram, tolerando paupertatem voluntariam ac neceſſariam, habendo fidem rectam, ſpem certam, caritatem non fictam. Hæc ſunt veræ bonitatis ſanctitatiſque opera, quibus extitit adornatus atque redimitus B. STEPHANUS pater veſter ſanctiſſimus: quem ſi audieritis & ejus viam ſequi volueritis, bona terræ viventium comedetis, & regem gloriæ in decore ſuo videbitis, cum ad regnum cœleſte, ipſo beato STEPHANO ducente ac viam demonſtrante, perveneritis, procurante Domino noſtro JESU CHRISTO, cui eſt honor & gloria per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Explicit titulus Geraldi venerabilis prioris ſeptimi Grandimontenſis in vita S. Stephani confeſſoris & eremitæ perfectiſſimi.

I. *Incipit vita ſancti Stephani confeſſoris.*

Fuit igitur in Arverniæ partibus homo quidam nobiliſſimus nomine STEPHANUS, cujuſdam oppidi, quod dicebatur Tiernium ſeu Ternas, dominus & vicecomes, & uxor ejus CANDIDA nuncupabatur. Qui nimirum non ſine cauſa talia ſortiti ſunt vocabula. Erant enim filium habituri, qui de virginitate, & diutiſſima corporis afflictione tamquam de redolentibus liliis roſiſque vernan-

tibus a Domino erat coronandus. Cui ſane præſagio eventus rei poſtmodum fidem fecit. Divino namque nutu natus eſt eis filius, qui ſemper virgo permanſit, & in ſignum coronæ quam meruit, de nomine patris STEPHANUS eſt appellatus : quem progenitores ſui more nobilium diligenti ſtudio educatum, cum ad intelligibiles perveniſſet annos, ad diſcendum litteras tradiderunt ; tanto carius cum diligentes, quanto & elegantioris formæ & bonæ indolis puer cœpit apparere. Creſcente itaque puero, & in litterarum ſcientia magis magiſque proficiente, patri ejus cœlitus eſt inſpiratum, ut ad glorioſum corpus B. Nicolai, quod de Mirrea metropoli Liciæ nuper (a) tranſlatum fuerat Barium, cauſa orandi feſtinaret. Illuc namque ex diverſis mundi partibus fidelium populorum multitudo tunc temporis concurrebat, tanti confeſſoris glorioſa interceſſione peccaminum ſuorum veniam petitum. Parente igitur illo ſumtus & ſocios eligente, iter cum vellet arripere, & filium ſuum, quem unice diligebat, ſecum ducere, perurgebatur admodum gravi tentatione. Timebat enim ne infantiæ ſuæ teneritudine, vel itineris longitudine puer debilitaretur ; dimittere autem C eum nolebat, quia eum ante omnia diligebat, & ideo abſque eo eſſe non poterat. Et quid plura ? Ipſe cum eo ad ſacratiſſimas reliquias lætiſſimus properavit, ignorans quid de eo Dominus Deus facere decreviſſet. Erat enim jam duodennis. Volebat autem omnipotens Deus ac diſponebat quatenus puer ea ætate ſibi ſervire inciperet, qua filius ſuus a parentibus ſecundum carnem ad templum deductus eſt ; & quemadmodum puer Chriſtus remanſit in Jeruſalem, ignorante Joſeph & MARIA, ſic puer iſte remanſurus erat in itinere, patre ignorante & Deo diſponente.

[a]

II. *De infirmitate pueri apud Beneventanam civitatem.*

Cum autem, Chriſto ducente, poſt factam orationem pater cum filio feliciter remearet, ut ex devoto devotior fieret, per Beneventanam urbem tranſitum fecit, ubi quid acciderit ſine dolore quis poterit enarrare ? nam ibidem infirmatus eſt puer, & gaudium quod de parvulo comite ſuo pater habuerat, verſum eſt in mœrorem. Triſtis ergo nimis effectus, orando, eleemoſynas largiendo, omnipotentis medici & B. Nicolai auxilium implorat, ſed de filii ſui ſoſpitate nullum comperit indicium. O pietas patris, ô providentia ſupernæ diſpenſationis ! poſtulat pater pueri ſanitatem, ſed Deus puero alium providit patrem.

(a) Veram peregrinationis Stephani vicecomitis Tiernenſis cauſam ignoraſſe videtur Gerardus hujus vitæ auctor : nam conſtans eſt omnium auctorum ſententia corpus S. Nicolai Barium tranſlatum fuiſſe anno 1087. ac proinde aliquibus poſt annis quam peregrinationem ſuſcepiſſet.

III. *De archiepiſcopo Beneventanæ civitatis Milone.*

Erat enim tunc in eadem urbe archiepiſcopus beatiſſimus MILO, qui de Arvernia oriundus huic viro ab infantia fuerat notiſſimus. Hic cum videret quod puer non convaleſceret, ob votum & amorem nobiliſſimi viri, rogavit eum ut ſuum ſibi dimitteret filium. Qui de illius amicitia certiſſimus, & de prudentia & probitate non ignarus, infantulum quem reducere non poterat, ei tamquam fideliſſimo viro fideliſſimum commiſit depoſitum, obſecrans multis precibus B ut ſi puer evaderet, illum faceret erudiri, quatenus ſciret legem ejus, cui jam parvulus fuerat oblatus : ſicque caro pignore deſtitutus, deſolatus & mœſtus ad propria reverſus eſt. Poſt paucos vero dies, divina operante clementia, puer ſanus factus eſt, & quaſi oblitus patris & patriæ, hilaris & gaudens in terra fuit aliena.

IV. *De puero inſtruendo ab archiepiſcopo.*

Unde archiepiſcopus plurimum lætus non ſolum factis tradidit eum litteris imbuendum, verum etiam ipſe, velut pius pater & fidelis doctor, bonitatem & diſciplinam & ſcientiam ipſum ſtudioſius edocebat. Semper enim puerum a ſcholis vacantem operibus ſuis aſſidere faciebat, vel cum diœceſis ſuæ placita pertractaret, vel cum Romani pontificis, cui Beneventum ſedes atque thalamus eſt, cauſis ſive judiciis intereſſet. Talibus quippe negotiis propter veritatem & manſuetudinem & juſtitiam quæ in eo evidenter eminebant, frequentiſſime inſiſtere cogebatur. Sed ſicut ait apoſtolus, *Quis novit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit ?* D

V. *De Dei providentia erga puerum.*

Ut doctorem inveniret juſtitiæ, ut patrem haberet ſpiritualem, carnalis pater ad exteras nationes filium duxit, neſciens quid faceret. Ceterum ille ſciebat, qui cum puero & de puero aliquid magnum facere cogitabat. Egreſſus eſt enim puer de terra & de cognatione ſua & de domo patris ſui, ut inter gentes quas neſciebat, vivendi formam diſceret, ad quem poſtmodum maxima multitudo hominum vel de Hur Caldæorum & E Ægyptia ſervitute ad terram promiſſionis & virtutum montem ocius convolaret.

VI. *De religioſis Calabriæ, & vita & converſatione eorum.*

Florebat enim eo tempore in Calabriæ finibus juſtorum quædam religioſa congregatio, tanto bonis cœleſtibus uberior, quanto ab omni cura temporalium erat remotior. Pecudibus poſſeſſionibuſque, ac univerſis rerum mundanarum occupationibus ita penitus renuntiaverat, quod unde profeſſores ſui

ad tumultum sæculi revocarentur, non habebat. Et ut dilatato corde per arctam viam quæ ducit ad vitam, quicumque ad eam accedebant, incederent, nullus in ea aliquid proprium possidebat: sed sicut in Actibus apostolorum legitur, erant illis omnia communia, & dividebatur singulis prout cuique opus erat. Verumtamen nullos nisi seipsos habebant ministros, ut major locum minoris obtineret, & præcessor fieret ministrator. Corporalis autem subsidii sollicitudinem solummodo in Deum projecerant, unanimiter in claustro viventes, & obedientiam humani generis reparatricem pro suis viribus in omnibus custodientes; & quia mundum sibi & se mundo crucifixerunt, & in cruce Christi gloriabantur, operum prædicatione testimonium perhibentes veritati, tantam apud Deum & homines invenerant gratiam, quod & virtutum gratia redundabat, & in cibis & vestibus humanæ naturæ sufficientiis non carerent. Hoc itaque propositum sapientissimus archiepiscopus MILO in sermonibus quos ad populum faciebat jugiter commendabat, & cum eorumdem patrum aliquem videre poterat, ut Christum in servo suo loquentem audiret, omni postposita sollicitudine totus ei vacabat. Audiebat enim de conversatione eorum, unde postmodum clericorum, laïcorum, aliorumque religiosorum vitam ad altiora inflammabat, proponens eis exemplum istorum ab omni cupiditate, quæ radix omnium malorum est, caventium, solisque cœlestibus inhiantium.

VII. *Qualiter appetebat virorum supradictorum imitari exemplum.*

Cum igitur STEPHANUS jam pueritiæ metas excedens, hunc sanctissimum virum in hujusmodi vita cerneret adeo complacere, desiderio imitandi mores & actus illius religionis attentius investigare studuit, & fideliter memoriæ commendavit. Fecerat enim Christus Dominus in ejus pectore mansionem, & ideo amore illius omnia deserere cupiebat, sed qualiter perfecte id agere potuisset, tamquam prudentissimus adolescens & Deo plenus diligentissime deliberabat.

VIII. *De visitatione terræ nativitatis suæ ac parentum suorum.*

[a] Eruditus itaque & nutritus a S. Milone Beneventano archiepiscopo (a) duodecim annis, accepta licentia ab eo, decrevit in cor- [b] de suo quatenus visitaret (b) patriam & parentes suos, qui cum vidissent eum, ultra modum lætati sunt & congratulabantur ei veluti a mortuis surrexisset. Cumque ibi moram aliquam fecisset, retro per Dei misericordiam ad ipsum archiepiscopum redire disposuit. Cumque Romam fuisset ingressus, comperit eum viam universæ carnis jam fuisse ingressum, & tunc remansit apud quemdam prudentissimum virum sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalem, cum quo in Romana curia per quatuor continuos annos (c) intrans & exiens, & de diversis diversarum religionum actionibus, & dispensationibus totius ecclesiæ catholicos viros sæpissime disputantes audierit. Cumque de omnibus quæ spectant ad salutem animæ, & etiam ad sæculi salutare consilium sufficienter edoctus fuisset, & conceptum desiderium serviendi Deo ad executionem operis animum perurgeret, a Romano pontifice, cui bene notus erat, devotissime petiit, ut ordinem quem in Calabria observari didicerat, in remissionem peccatorum suorum, quæ ut reor pauca erant, sibi alicubi observare concederet. [c]

IX. *Qualem se habebat apud Romanum pontificem.*

Licet autem supererogare, si vel legere, vel audire, vel desuper inspiratum esse contingeret, unde primum bonum & mensuram confertam & coagitatam, & super effluentem, redeunte Domino expectaret. Cujus piæ petitionis affectum admiratus admirabilis pater apostolicus, ætatem juvenis & severitatem ordinis considerans, primo quidem obstupuit, deinde promittendo ei honores ecclesiasticos & immensa beneficia, ut a tali petitione pariter & voluntate desisteret, monuit; fortasse existimans, quod vel levitate, seu aliqua ingruente tentatione per tam arctam & arduam viam vellet incedere. Verum quanto magis pius pater probando spiritum, si ex Deo erat, illum ne talia postularet dehortari videbatur, tanto ad exequendum quod proposuerat, & quod poscebat impetrandum ille ferventior efficiebatur & instantior.

X. *De confirmatione beati Stephani per summum pontificem.*

Comperta itaque ac probata ipsius constantia, Christi vicarius tandem quod petebat annuit, & auctoritate sua apostolica & po-

(a) Hic cespitat auctor non parum in his quæ de Stephani apud Milonem archiepiscopum Beneventanum per annos XII. commoratione narrat, cum constet Milonem vix duobus annis sedem Beneventanam occupasse. Id certe patet & ex brevi Chronico Beneventano apud nos mss. ubi ad annum MLXXIV. Milonis ordinatio consignatur, ejus vero obitus anno sequenti, Roffredi vero ejus successoris electio anno MLXXVI. Et ex instrumento ipsius Milonis apud Ughellum relato, in quo Milo primum sui præsulatus annum cum anno Christi MLXXV. componit. Mabillonius existimat Milonem superstitem fuisse anno MLXXVIII. quo *per auctoritatem papæ Gregorii septimi & per testimonium Milonis archiepiscopi, qui prius decanus Parisiensis, ab apostolico ordinatus est archiepiscopus Beneventanus, quem de hac re intercessorem apud papam habuit Johannes* quidam construxit cellam S. Florentii prope Dolum in Armorica. Verum aliquot ante annis intercedere potuit Milo quam cella illa construeretur, & certe invictissimis Ughellus probat argumentis Roffredum Milonis successorem sedisse anno MLXXVI.

(b) De hac parentum visitatione silet vita a Bollando edita.

(c) Si quatuor continuos annos post Milonis mortem moram fecit cum quodam cardinali S. Stephanus, ordinis sui fundamenta jacere non potuit ante annum MLXXX.

testate, qua cunctis præeminet mortalibus, omne bonum quod ageret ei in pœnitentiam & virtutis præmium injunxit. Tunc ille de jussione summi pontificis, quam multum optaverat gaudens, cumejus benedictione discessit a curia, & quasi futuræ conversationis jam medium habens, visum est ei bonum ea intentione redire ad patriam, ut quod corpore nolens & inscius reliquerat, mente & corpore spontaneus & prudens desereret.

XI. *De ingressu Arvernie vel patrie sue.*

Iter igitur arripiens in ingressu juventutis suæ Arverniam regressus est, sed parvam ibi faciens moram, a parentibus & fratribus, & cognatis & amicis, qui de regressu ipsius admodum gaudebant solus latenter recessit.

XII. *De egressu patrie sue & de visitatione gratie divine.*

Cum autem egrederetur de patria sua, relictis parentibus suis, domo, & omni parentela, & cognatione sua, sciretque retro numquam se reversurum, respexit post se, ultimum vale facturus, & subito divinitus excussa sunt omnia ossa ejus, ita ut videretur sibi quod disjungerentur & solverentur omnes ejus junctura : unde credimus quod signum hoc fuit indicium futuræ sanctitatis ejus ac bonitatis : quapropter dicere potuit veraciter, *Dirupisti, Domine, vincula mea.* Perambulans & perlustrans plurimarum provinciarum partes, ea loca quæ ad serviendum Deo & agendum pœnitentiam magis sunt idonea diligentissime considerabat. Sciebat enim quod quærentibus & diligentibus Deum frequentia hominum, & copia rerum nociva sunt, utilia vero paupertas & solitudo.

XIII. *De loco eremi apud Muretum invento.*

Denique peragratis multis eremis & solitudinibus, & de canonicorum, monachorum, eremitarumque vita illa quæ imitanda sunt memoriæ commendans, in Aquitaniam ad nemorosum montem, qui non longe distat ab urbe Lemovicarum, & Muretum dicitur, Christo ducente, pervenit, ubi fontes reperit & rupes, terramque desertam & inviam, quæ novo hospiti suo potum frigidissimum & domum ventis expositam offerens, afflictionem corporis & requiem mentis manifestis indiciis promittebat. Porro tota silvestris & sterilis, & fere omni tempore hiemalis, hominibus insueta, assueta feris, aliud non poterat polliceri.

XIV. *De ingressu eremi.*

Sed non metuit tentationes qui sensit Dei consolationes, nec nimis esurit panem hominum, qui frequenter comedit panem angelorum : cujus rei non ignarus servus Dei, in spem ejus de quo legitur, quia erat in deserto cum bestiis, & angeli ministrabant ei, fervens & intrepidus ad unum accessit fontem, & gaudens de solitudine, quam juxta cor suum ad ducendam pauperem vitam aptam invenerat, omnibus diebus vitæ suæ ibi se Deo serviturum spopondit, & cum quodam annulo, quem de omni substantia mundi tantum habebat, semetipsum castissimum virginem Christo desponsavit, dicens :

XV. *De professione ejusdem.*

Ego STEPHANUS *abrenuntio diabolo & omnibus pompis ejus, & offero atque reddo meipsum Deo Patri & Filio ejus & Spiritui sancto, trino & uni Deo vivo & vero.* Et scribens professionem suam, posuit eam super caput suum, & dixit : *Omnipotens & misericors Dominus, Pater, & Fili, & Sancte Spiritus, qui semper & idem permanens vivis & regnas trinus & unus Deus ; Ego frater* STEPHANUS *promitto tibi me a modo servaturum in hac eremo, in fide catholica ; & propter hoc pono cartam istam super caput meum, & annulum istum in digito meo, ut in die obitus mei sit mihi hæc promissio, & hæc carta scutum & defensio contra insidias inimicorum meorum. Quæso, Domine, ut reddas mihi vestem nuptialem, & in numero filiorum sanctæ ecclesiæ me annumerare digneris, & ad cœnam nuptiarum Filii tui, sanctissime Pater, animam meam de corpore exeuntem, caritatis tuæ vestem indutam in regnum tuum cum sanctis omnibus introducas : Qui vivis & regnas Deus cum Filio tuo & Spiritu sancto per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Item dixit : *Sancta* MARIA *mater Domini nostri* JESU CHRISTI, *Filio tuo & tibi commendo animam meam & corpus meum & sensum meum.* His dictis, non est ultra reversus ad sæculum, sed facto de virgultis parvo tugurio, anno ab Incarnatione Domini MLXXVI. trigesimum agens ætatis suæ annum, eremum habitare cœpit in jejuniis, vigiliis ac orationibus continuis serviens Domino die noctesque.

XVI. *De cibo ejusdem.*

A die namque illa cibus ejus panis & aqua fuit, & interdum farinulæ siliginea modica sorbitiuncula, quæ ceteris ceterarum farinularum sorbitiunculis minus sapida, necessitati utcumque servit non delectationi. In senectute tamen sua, a tricesimo scilicet conversationis suæ, anno modico vino usus est propter stomachum, quem ciborum ariditas & penuria nimis arctaverat ; sed carnem vel sagimen nullo tempore conversionis suæ sanus comedit aut æger. Ceterum, si quis scire voluerit unde etiam illa tenuis substantia, qua corpus ejus sustentabatur, illi aderat, præsertim cum diu solus in eremo habitaret nec exiret ad sæculum, revocet ad memoriam quomodo Abdias prophera Domini in spelunca

ſpelunca abſconditos pro Dei amore pane pavit & aqua, & noverit quod nihilominus circumſtantium vicinorum caritas ſola divina inſpiratione huic Dei ſervo deferebat. Qui enim Danieli in lacu leonum incluſo prandium miſit per Abacuc, qui per miniſterium corvi & viduæ Heliam a famis liberavit injuria, qui quotidie dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum, hominis tantæ fidei, quem ad ſe diligendum abſconderat in abſcondito faciei ſuæ a conturbatione hominum non potuit obliviſci. Solis igitur intentus cœleſtibus, alimenta corporis a devotione fidelium, refectionem vero mentis & unctionem Spiritus a divinæ contemplationis beneficio affluenter ſortitus eſt.

XVII. *De lorica ferrea qua induebatur.*

Nam quomodo non guſtaret quam ſuavis eſt Dominus, & dulcedinis ejus ſtillicidia ſtillantia non haberet, qui corpus ſuum caſtigando & in ſervitutem redigendo per diſtrictam abſtinentiam, etiam lorica ferrea contra carnis inſidias & mentis laſciviam tamdiu inceſſit armatus, quouſque toto exſiccato corpore, plenam de ſeipſo obtinuerit victoriam. Ad cujus eximiæ perfectionis cumulum tantæ parcitas veſtium, lectique acceſſit durities, quæ cunctis humanæ conditionis facultatem cernentibus vires hominis videatur excedere.

XVIII. *De indumentis ejuſdem.*

Indumenta namque quibus ſuper loricam induebatur, nullo tempore augebantur, nullo minuebantur; ſed in hyeme & in æſtate ad repellendum frigus, & cauma æqualia ſemper erant & eadem.

XIX. *De ſtratu ejuſdem.*

Stratus vero in quo poſt nimiam carnis ſuæ fatigationem ad quieſcendum ſe modicum conferebat, adeo durus erat & quieti contrarius, ut in eo dormiens vexari poterat non foveri. Erat enim ex tabulis ligneis inſtar ſepulcri in terram conſertis, omni ſtramento, omnique lecti ſtramine carens, præter illam tunicam ferream quam ſemper ad nudam geſtabat carnem, & viliſſimum dumtaxat habitum, quo deſuper manebat indutus; illa ad ſtratum veniens ſecum afferebat, illa de ſtrato ſurgens ſecum deferebat. Eo abſente ſtratus ejus nudus erat & vacuus; eo præſente talibus culcitris talibuſque linteolis erat ornatus. Sed quis ad hæc non miretur? quis non obſtupeſcat? Siquidem, ut verum fateamur, parcus in cibo, parcus in lecto, parcus in ſomno fuit.

XX. *De perſeverantia in divinis officiis.*

Exceptis etenim eccleſiaſtici officii regularibus debitis, agenda videlicet diei & beatæ Mariæ, & fidelium defunctorum, a prima die qua venit in eremum, uſque ad ultimum diem vitæ ſuæ, ordinem de ſancta Trinitate cum novem lectionibus & horis canonicis, ſingulis diebus ac noctibus devotiſſime celebravit.

XXI. *De genuflexionibus ejuſdem.*

Numerum autem genuflexionum ejus, quas terram deoſculando, & cum fronte naſoque percutiendo humiliter faciebat, ſcire non poſſumus, quem utique propter earum ſæpiſſimam iterationem ipſum etiam credimus ignoraſſe. Scimus tamen quod manibus ac genibus in modum cameli earumdem aſſiduitate genuflexionum callos contraxerat, & naſum curvaverat in obliquum.

XXII. *De pſalmodia & orationibus ejus.*

Pſalmodiam vero & familiares orationes in tantum amabat, & gratiam illius excellentiſſimæ contemplationis in qua Deus melius cognoſcitur, tam efficaciter habebat, quod nunc hujus dulcedine raptus, nunc illarum occupatione detentus, frequenter biduo aut triduo a corporali vacabat edulio; & quia non potuit lucerna accenſa latere ſub modio, longe lateque ſanctitatis ejus opinio divulgata eſt, & veniebant ad eum undique multi ſuæ ſalutis monita audire cupientes. Verum ſi pro eorum colloquio quibus ſervata caritate deeſſe non poterat, ea quæ orando facere vel dicere conſueverat, ſtatutis horis ſive temporibus quandoque non impleret, differri quidem poterant, non omitti. Poſtquam enim ab eo, qui advenerant, recedebant, quæcumque hora tunc eſſet, antequam comederet vel dormiret, omnia quæ de conſuetis orationibus neceſſario intermiſerat, omni cum devotione reſtituebat. Unde plerumque uſque in craſtinum nullum ſumebat cibum, Chriſti diſcipulorum imitator verus, qui propter venientes & redeuntes manducandi ſpatium non habebat. Purus igitur rigiduſque ſui exactor primo ſuæ converſionis anno, humano carens ſolatio ſolus in eremo fuit; ſecundo quemdam de ſæculo in ſuam recepit cuſtodiam ſuamque diſciplinam, quem alter poſtea ſubſecutus eſt. His duobus ſolummodo diu comitatus fuit; plures enim ad auſteritatem converſationis ejus accedere trepidabant. Verumtamen diſtrictionis ſuæ regulam & menſuram poſſibilitatis ipſe nemini imponebat; ſed quemadmodum inchoaverat ſibi quidem crudelis & aſperus, aliis pius longeque moderatior erat. Sciebat enim quod ſecundum collatam ſibi cœlitus gratiam alius alio fortior eſt, & non omnia poſſumus omnes.

XXIII. *De prudentia quam habebat erga diſcipulos.*

Nec quærebat diſcipulorum ſuorum corpora necare, ſed vitia: unde tamquam fidelis diſpenſator & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, in cibis & veſtibus, ceteriſque humanæ fragilitatis neceſſitatibus, eis æquo libramine indulgebat: hoc tantum ab eis exigebat, ut Dominum ſuper omnia diligentes ei veraciter dicere poſſent, *Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis.* Ac poſtquam diſponente Deo diſcipulorum ejus numerus crevit, non quaſi unus ex illis in illis factus, ſed minor omnibus illis.

XXIV. *De humilitate ejuſdem.*

Nam, ſicut conſuetudo religionis eſt, in refectorio ad menſas ſedentibus & veſcentibus illis, ille humiliter humi reſidebat, legendo paſſiones ſanctorum vel vitas patrum, ſeu aliam ædificantem ſcripturam, ut corporea alimenta capientes, illius ſententiæ recordarentur, *Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo quod proceſſit ex ore Dei.* Legerat quippe, legerat, inquam, & memoriæ mandaverat, *quanto major es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam;* & illud: *Qui voluerit inter vos major eſſe, erit omnium ſervus.*

XXV. *De doctrina ejuſdem facta ad diſcipulos.*

Quam prudenter autem & quam ſollicite de religionis obſervantia, de morum maturitate & de omnibus quæ ad ſalutem animæ ſpectant, quæ viva voce ſanctorum ſententiis & exemplis diſcipulos ſuos, & eos qui cum eo loquebantur docebat, quemadmodum in ſententiis ſuis ſcriptum eſt, ſub ſilentio præterimus. Nimirum ad ea evidentiſſima ſanctitatis ejus indicia feſtinamus, quibus fides magis eſt adhibenda quam verbis. Quis enim novit cogitationes hominum, niſi qui finxit ſingillatim corda eorum, & intelligit omnia opera eorum, aut cui voluerit ipſe revelare?

XXVI. *De cognitione cogitationum diſcipulorum ſuorum.*

Cujus gratiæ prærogativam ab illo Patre luminum a quo omne datum optimum, & omne donum perfectum, tam efficaciter vir iſte acceperat, quod præſertim diſcipulis ſuis quid cogitabant, & tentationes quas a diabolo patiebantur, apertiſſime dicebat, & qualiter pravis cogitationibus & importunis tentationibus viriliter reſiſterent, tamquam pius pater & de ſalute eorum bene ſollicitus, eos inſtruebat.

XXVII. *Quantam vim obtinebant orationes ejuſdem apud Deum.*

Frequenter etiam cum eorum poſcebat infirmitas, ne in hoc mari magno & ſpatioſo hujuſmodi fluctibus ſubmergerentur, ſuis eos orationibus juvabat. Erant enim preces ejus tantæ virtutis ante Dominum, quod ipſo cooperante, ab ipſis dæmonum faucibus & pravis machinationibus hominum captos poterant liberare; quod ut manifeſtum ſit, de pluribus miraculis, quæ per fidem & orationes ipſius Dominus operari dignatus eſt, hic breviter duo narremus.

XXVIII. *De milite per eumdem a quodam crimine liberato.*

Igitur miles quidam generoſus cujuſdam immenſi criminis tenebatur reus. Hic enim, cum inter alios, qui ad eum viſitandi gratia venerant, cum eo ſemel affiſteret, quaſi unus de ſtultis hominibus locutus eſt. Ait enim: Obſecro te, ſerve Dei, noli pro me Dominum deprecari. Admirans autem ille, reſpondit ei, Quid hoc eſt frater? Cur ita loqueris? Miles ait: Quoddam peccatum in tantum diligo, quod nullatenus illud vel odire vel relinquere volo. Timeo autem ne hoc mihi contingat, ſi tu pro me rogaveris. Tuis ergo orationibus aliis auxiliare, mihi vero minime. His dictis, miles diaboli receſſit lætus, ſed fidelis athleta Chriſti triſtis remanſit & anxius. Ingreſſus capitulum, tabulam pulſat, fratres congregat, ſed præ lacrymarum impetu qua cauſa id ageret, vix illis inſinuat: tandem reſerato eis ſermone militis, jubet, hortatur, ut pro ſtultiſſimo milite cum eo Dominum ſtudeant exorare. Nec mora peccator rediit, & de jam dicta ſtultitia veniam poſtulans, corde & ore ſuæ iniquitati renuntiavit. In quo utique facto datur agnoſcere quantam caritatem habuerit, qui, donec errantem proximum ad viam veritatis reduceret, preces cum lacrymis Domino fundere non ceſſavit. Eſt & aliud fidei ejus præclariſſimum opus, huic non diſſimile.

XXIX. *De familiari cujuſdam liberato.*

Nam homo quidam in re familiari ſatis opulentus, victualia quæ fidelis populus ei in eremo aſſidue commoranti caritative mittebat, ferre conſueverat; ſed quia longe manebat ab ejus cella, nec ad eam una die poterat pervenire, in itinere ſibi proviserat hoſpitium, in quo iens hoſpitabatur & rediens. Noverat autem illius hoſpitii Dominus hunc Dei ſervi famulum habere divitias, & ideo ſuadente diabolo tradidit eum duobus latronibus, qui ut ad redemtionem illum cogerent, in ſpeluncis & in cavernis terræ cum eo latitabant, ligatum eum tenentes & captum. Poſt aliquot vero dies nunciatum eſt ſervo Dei quod familiaris ſuus in via qua ad eum veniebat, ab ignotis hominibus furtim fuerat captus, & quo neſciebatur adductus. Quod ille audiens prius per

multa loca diligentiſſime fecit eum requiri, ſed nullatenus potuit inveniri. Tunc fratribus ſuper hoc conquerentibus & dolentibus dixit: Cur eſtis anxii? Scio cui manifeſtum eſt de homine, ubi ſit, & quo modo ſe habeat. Nudatis igitur pedibus eamus in oratorium, & gloriosæ Virginis matris Domini, in cujus obſequio captus eſt, imploremus auxilium. Nullus enim carcer nulluſque locus eſt, de quo ſine mora eum nobis reddere liberum ipſa non poſſit: & cum hoc factum fuiſſet, ecce craſtina die diluculo, proditor hoſpes cum duobus latronibus & homine quem ceperant, ad cellæ januam pulſantes aſtiterunt. Homo vero qui captus fuerat & ligatus, ſolutus & liber, fures & traditor vinculis erant ligati; quod frater oſtiarius intuens, & de miraculo multum gaudens, patri ſpirituali, qui more ſolito eadem hora diſcipulos inſtruebat, ſecreto manifeſtavit. Sed Chriſti ſervus gaudium mentis vultu diſſimulans, verbum quod incœperat minime prætermiſit, dans fratribus exemplum, ut non in miraculis, ſed in ſolo Domino gloriarentur. Deinceps completo ſermone, fures ac proditorem a vinculis quibus erant religati ſolvit, & cum fratribus Deo & beatiſſimæ Virgini MARIÆ gratias agens, tutos & liberos abire permiſit.

XXX. *De affluentia virorum ac mulierum venientium ad eum.*

Veniebant itaque ad eum multi parvi & magni, pauperes & divites. Erat enim celeberrimæ opinionis, omnibus proficiens, nocens nulli. Non enim erat manus ejus extenta ad accipiendum & ad dandum collecta, ſed libentius conferens quam capiens, ſpiritualem temporalemque alimoniam mendicantibus læto animo & hilari vultu liberaliter erogabat, arguebat peccantes, & de peccatis ſuis mœſtos conſolans, quid agerent indicabat: juſtis pius, afflictis compatiens, egenis miſericors, omnibus pater erat.

XXXI. *De fragrantia miri odoris quæ ab ipſo procedebat.*

Viri autem odoris fragrantiam cum eo loquentes & aſtantes circa eum ex ipſo procedere ſentiebant, cujus rei plures adhuc legitime teſtes inveniuntur. Quæ profecto fragrantia non ſolum ſicut ſentientes fatebantur & aliis prædicabant, totius ſuavitatis auctorem in eo requieſcere teſtabatur: verum etiam, quantum nobis datur intelligi, meritum erat, quo integerrima virginitas & humilitas animæ & corporis, quæ in eo eminebant, etiam in hac vita dum viveret donabantur. Patientiam vero qua jejunando, vigilando, frigus æſtuſque tolerando, crucem Dominicam corde bajulabat & corpore, caritatem, ſobrietatem, diſcretionem, & hilaritatem quibus cunctis indigentibus conſulebat, ſeque præbebat affabilem, longum eſt enarrare. Deus hæc omnia novit: nos enim per omnem narrationem noſtram, ea de ipſo tacenda fore cenſuimus, quæ noſtri temporis fidem forſitan facerent hæſitare. Redolebat tamen adeo converſationis ejus ſanctitas, quod etiam ſupremos homines ad ſui notitiam poterat convocare.

XXXII. *De adventu cardinalium Romanorum.*

Excellentiſſimi namque cardinales, GREGORIUS videlicet & PETRUS DE LEO, inter quos poſtmodum de prælatione Romani papatus, ut notum eſt, ſchiſma fuit, cum a ſummo pontifice in Galliam miſſi legatione ſua in partibus Lemoviciniæ fungerentur, ad hunc virum Dei pariter convenerunt. Qui primo vivendi formam quam habebat, deinde a quo eam didicerat, vel ſi eſſet canonicus aut monachus ſeu eremita, tandem cur in arido gelidoque monte, cur in terra ſterili & inculta, ſine animalium & omni temporalium rerum amminiculo curam hominum agere cœperat, diligenter quæſierunt.

XXXIII. *De reſponſione beati Stephani ad cardinales.*

Quibus ille, quemadmodum cunctis ſecum loquentibus facere conſueverat, humiliter reſpondens, de doctore ſuo venerabili MILONE Beneventanæ urbis archiepiſcopo primo mentionem fecit, illum Chriſti ſermonem in corde ſuo recogitans: *Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt.* Sed cardinales de tam celebri viro illum loqui audientes, in verbis ejus paululum hæſitaverunt. Sciebant enim illius ſanctiſſimi viri obitum longo retro tempore extitiſſe. Quo agnito, Dei ſervus ait, Dubitatis ſuper hoc, Domini mei? Certe ſi non feſtinaretis, & liceret auſcultare utrum vera diceremus, illico probaretis. Tunc illi uſque ad ultimum verbum, quidquid ille diceret, ſe libenter audire promiſerunt.

XXXIV. *De aſſertione cujuſdam abbatis Lemovicenſis ad ſupradictos cardinales pro beato Stephano.*

Dicebat autem eis quidam abbas Lemovicenſis qui eos adduxerat, nequaquam ſuſpicemini quod iſte Dei ſervus falſum proferat verbum: prius enim permitteret amputari caput ſuum, quam ſcienter in aliquo mentiretur ſermone. Tunc ortus a principio ſeriatim illis retulit, qualiter in pueritia ad Beneventum a patre ſuo ductus eſt, ubi a ſancto MILONE duodecim annis educatus, hanc regulam didicerit, de cujus etiam vita & doctrina mirabili multa quæ ipſi noverant interſeruit. Quocirca eum vera loqui cognoverunt, & quicquid ulterius dixerit, læta-

bundi receperunt. Solutis ergo universis eorum quæstionibus, quoniam quidem paratissimus semper aut ad satisfactionem omni poscenti se rationem de ea quam habebat fide & spe, in fine locutionis suæ subjunxit, & ait: Itaque cum de fallaci mundo, ducente nos Christi gratia, voluimus exire, a Romano pontifice in curia ubi cum quodam cardinali a transitu sapientissimi & sanctissimi doctoris nostri archiepiscopi MILONIS fueramus, prout melius potuimus nostram suscepimus pœnitentiam, & cum ipsius præcepto & obedientia in remissionem peccatorum nostrorum hujus paupertatis & abjectionis viam sequi proposuimus: & si sanctos & laudabiles eremitas, quos per totam septimanam absque corporali cibo divinæ contemplationi vacasse legimus, fragilitate nostra non possumus imitari; tamen, quia a via publica aliquantulum declinavimus, & fratres qui in Calabria sine pecudibus & possessionibus Deo serviunt, utcumque sequimur, in extremo judicio, cum Christus venerit judicare vivos & mortuos, ejus misericordiam expectamus. Et ecce vestibus monachorum & canonicorum, de quibus interrogatis, non utimur, ut videtis, quoniam etiam tantæ sanctitatis vocabula nobis non usurpamus. Nam canonicorum institutio quæ habet potestatem ligandi atque solvendi quemadmodum apostoli, supereminet potestati monachorum, ideoque, ut diximus, usurpare vitam illorum minime audemus. Tanta namque perfectio ad regimen ecclesiarum est necessaria, quod perfectos earum rectores vix aut numquam imitari sufficeremus, imperfectos vero & inutiles nullo modo sequi debemus, nec solum nos oportet cupiditatem a nobis expellere, sed etiam omnia unde posset procedere: quin etiam si ecclesias nos habere contingeret, quo modo curam ageremus aliorum, qui mortui sumus mundo, & membris abscissis a sæculo, pedibus caremus ad ambulandum, ore ad loquendum, & ideo nec nostri curam agimus, vel possumus; quanto minus & aliorum, quemadmodum pastores ecclesiæ. Nomine autem monachorum non utimur, quia nomen sanctitatis vel singularitatis sortiti sunt vocabulum, quamquam omnes Christiani possunt vocari monachi: attamen illi specialiter monachi dicuntur, qui sui amplius curam * agunt, nec aliud cogitant nisi tantummodo de Deo. Eremitarum vero vitam imitari minime valemus, quia in hoc specialiter est vita omnium eremitarum devitare sæculi tumultus, & permanere in cellulis suis, quatenus vacent orationi & silentio.

* f. non agũt.

XXXV. *De extolientia viri justi facta a cardinalibus.*

Quibus auditis, cardinales legati ipsius prudentiam & humilem responsionem admirantes, omnibus qui illic aderant, constanter aiebant: Dicimus vobis, ut testificamur, quod aliquem huic viro similem nusquam invenimus, Sanctus enim Spiritus loquitur in eo. Et conversi ad eumdem Christi militem, taliter locuti sunt: Homo Dei, si fuerit possibile, ut usque in finem ita perseveres, profecto cum apostolis in regno cœlorum numeraberis; hæc sunt enim illorum vestigia. Sicque data ei benedictione, & communicatis invicem orationibus discesserunt ab eo. Ubi si divinæ pietatis dispensationem diligenter & caute perpendimus, evidens miraculum possumus intueri. Voluit enim Christus, ut servus suus qui a suo vicario apostolico, scilicet in exordio propositi sui bene agendi habuerat præceptum, a viris apostolicis vicarii sui vicariis, in fine suæ conversationis sanctitatis haberet testimonium.

XXXVI. *Similitudo.*

Hic enim quamdam comparationem ac veriſſimam, Deo annuente, facere possumus, ut melius sanctitas ac bonitas ipsius ostendatur, & quemadmodum Deus omnipotens ejus sanctitatem certis voluit declarare indiciis. Recolamus igitur verborum illorum quæ scripta sunt in Johannis evangelio de Johanne Baptista, ubi dicitur, quod *miserunt Judæi ab Jerosolymis sacerdotes & levitas ad Johannem, ut interrogarent eum: Tu quis es? Et confessus est, quia non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum, Quis ergo? Helias es tu? Et dixit, Non sum. Propheta es tu? Et respondit, Non. Dixerunt ergo ei: Quis es tu, ut responsum demus his qui miserunt nos? Quid dicis de te ipso? Ait, Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini, sicut dixit Isaias propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis.* Intelligite verborum consonantiam. Missi sunt sacerdotes & levitæ, a quibus? scilicet a Judæis. Unde? ab Jerosolymis. Cui? Johanni videlicet. Ad quid? Ut interrogarent eum. De quo? Si ipse esset Christus. Similiter & isti duo legati missi sunt; sed a quibus? A viris religiosis. Unde? A Lemovica civitate. Cui? scilicet B. STEPHANO. Ad quid? Ut interrogarent eum. Interrogatus est Johannes triplici modo, utrum esset Christus, an Elias, an propheta? quod totum, ut audistis, negavit causa humilitatis, quamvis veraciter hæc omnia de se affirmare posset, si vellet, juxta testimonium scripturarum. Nam Christus dicitur unctus, & ipse unctus est oleo invisibili, id est repletus Spiritu-sancto, secundum Lucam, ex utero matris suæ; hæc est unctio spiritualis, de qua dicitur: *Unctio ejus docet vos de omnibus.* Dominus autem JESUS suis discipulis, dum loquitur de Johanne, dicit: *Helias jam venit, & fecerunt in eum quæcumque voluerunt, & si vultis scire, Johannes ipse est Helias.* Alibi Dominus loquens ad turbas, interrogavit:

Quid existis in desertum videre? Prophetam? Dico vobis: Et plus quam prophetam. Similiter autem & B. STEPHANUS requisitus est ab eis, an esset canonicus, aut monachus, seu eremita? quod totum, ut in superioribus dictum est, causa humilitatis vitavit, ne videretur ab hominibus, quamquam verissime totum de se profiteri posset. Canonicus enim regularis interpretatur, & ipse juxta evangelii regulam, quæ est caput omnium regularum, in quantum valebat, vivebat. Monachus vero solus vel custos sui dicitur, ipse solus quia in solitudine spirituali locum sibi præparaverat ad habitandum cum Deo, ut dicere posset veraciter, *Elongavi fugiens in solitudine & mansi.* Hæc est solitudo spiritualis de qua dicitur: *Sedebit solitarius & tacebit.* Hæc est custodia sui, unde dicitur monachus, id est custos sui ipsius. Unde dicitur: *Omni custodia serva cor tuum, quoniam ex ipso vita procedit.* STEPHANUS autem beatissimus solus sedebat, id est quiescebat, & custos sui effectus erat, quia de omni supellectili mundana nihil penitus sibi vel discipulis suis retinuerat, nisi parum solitudinis, in qua nimirum cum fratribus suis Deo serviret. Eremita dicitur ab eremo, seu anachoreta, id est remotus. Quis umquam amplius potuit B. STEPHANO esse a sæculo remotior, qui nihil sibi, ut diximus, in mundo penitus retinuit? Omnia omnino pro Deo reliquerat, eremum colebat, quia ibi pœnitentiam nimis austeram die noctuque fideliter peragebat. Et quemadmodum dicitur de Johanne, dum deinde interrogarent illum quis esset, vel quid diceret de seipso, cum non esset Christus, vel Helias, aut propheta, ut responsum darent his qui miserant eos, ipse ait: *Ego vox clamantis in deserto.* Similiter & isti duo legati B. STEPHANUM interrogaverunt dicentes: Quid ergo dicis de te ipso, cum fateris quia non canonicus aut monachus vel eremita, quia his tribus ordinibus seu gradibus fulcitur omnis vita religiosorum, quibus humillima ratione, veluti Johannes, ut superius scriptum est, respondit. Itaque cum de fallaci mundo, &c.

XXXVII. *Item de extollentia ejusdem.*

Nunc igitur, dilectissimi, animadvertite & intelligite qualiter divina bonitas sanctum suum majoribus dignioribusque personis similem reddebat verbo & opere. Attamen non æquiparamus Johanni-Baptistæ, cui Christus Dominus tantum contulit testimonium, quod inter natos mulierum eo major non surrexit; sed quia bonum nobis esse videtur, ut comparatione actuum tanti prophetæ, quo nemo, ut asseritur, major, actus B. STEPHANI dum aliquatenus in aliquo assimilari possunt, amplius & melius resplendeant. Non enim contra dignitatem prophetæ loquimur, si ejus primitus dicta vel facta ostendimus, & postea, utcumque possumus, ei similem in aliquo B. STEPHANUM demonstramus. Cum Johannes evangelista de Domino JESU CHRISTO dicat, quod *cum apparuerit, similes ei erimus.* Certe scimus quod Johannes Baptista vestiebatur pilis camelorum, & esca ejus mel silvestre ac locustæ: STEPHANI erat esca, ut diximus, panis lixivio confectus, sive pultes de siligine, quas raro sumebat; vestis lorica ferrea. In his itaque ostenditur austeritas prophetæ, & austeritas sancti confessoris. Benedictus Deus per omnia, qui tales ambos fecit, & facere sic potuit. Amen.

XXXVIII. *De perfectione ejusdem orationis & confirmationis erga discipulos circa finem.*

Octavo namque die ab eorum recessu, hoc est pridie nonas Februarii, nullo adhuc tamen dolore vexatus, ab exteriorum cœpit vacare colloquio, seque totum contulit doctrinæ discipulorum suorum & orationi. Scivit enim per Spiritum-sanctum diem sui obitus propinquare, voluitque eos in proposito paupertatis ad quod venerant confirmare, & suis apud Deum obtinere precibus, ut in eo semper vellent perseverare. Cum autem de diligendo Deo, de amanda paupertate, & de observandis institutionibus quas eis fecerat, eos ardentissime commoneret, accidit per Dei providentiam quod ipsi coram eo unanimiter astantes dixerunt.

XXXIX. *Quomodo conquesti sunt discipuli apud patrem spiritualem.*

« Sanctissime pater, quamdiu tecum fuimus, « pro tuo amore Deus nobis præbuit necessa- « ria; sed post mortem tuam quomodo vi- « vere poterimus? Cuncta nobis aufers tem- « poralia, & unde sustentabimur? Ad hæc « pius pater in fide Christi firmissimus sic re- « spondit:

XL. *De responsione ejusdem ad discipulos.*

« Deum solum vobis relinquo, cujus sunt « universa, cujus etiam amore cuncta pariter « & vosmetipsos reliquistis. Si amando pau- « pertatem ei constanter adhæseritis, nec ab « hac veritatis via declinaveritis, ipse juxta « providentiam suam, qua mirabiliter guber- « nat omnia, vobis quod expedire noverit, « largietur. Si vero, quod absit, amando tem- « poralia ab ejus amore recesseritis, nolo vo- « bis relinquere unde ad ipsum impugnandum « pascamini. Sciatis autem pro certo quod in « hac solitudine fere quinquaginta (a) annos « complevi, quorum alii in magna egestate, « alii in magna fertilitate transierunt. Divina « vero bonitas sic semper ad mensuram mihi « omnia contulit, quod in egestatis tempore « [a]

(a) Guillelmus de Dandina in vita Hugonis de Lacerta, ait sanctum Stephanum *quadragesimo & sexto conversionis sua anno fere* ad cœlum migrasse.

„ nihil neceſſarium defuit, nec in ubertate
„ quicquam ſuperabundavit. Similiter vobis
„ eveniet, ſi vitantes omne ſuperfluum, nam
* f. nemo. „ neceſſaria* reminem damnavit, in hac re-
„ gula de evangelio ſumta perſeveraveritis.
Cumque per quatuor dies hæc & alia quæ in libro regulæ aliiſque voluminibus ſcripta ſunt multo ferventius ſolito eis diceret, ita quod manifeſte cognoſcerent loquendi gratiam ei duplicatam fore, quinto die ſummo diluculo lethalis dolor ejus invaſit membra. Tunc in oratorium ſe portari fecit, imperans fratribus ut divinum celebrarent officium, ſuiſque orationibus inſtanter Domino B ſupplicarent, quatenus in pace animam ejus ſuſciperet.

XLI. *De tranſitu beati Stephani confeſſoris.*

Tandem finita miſſa, poſt ſacram unctionem, poſt receptionem Corporis & Sanguinis Domini, fratribus flentibus pſalmoſque cantantibus, octogeſimo ætatis ſuæ anno in ordine diaconatus, ſexta feria, ſexto idus Februarii, dicens: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum*, feliciter migravit ad Dominum.

XLII. *Item de tranſitu ejuſdem.*

[a] Mox vero monachi de Ambaſiaco,(a) cum capellano ejuſdem vici & magna plebis multitudine, ad cellæ januam pulſaverunt, cum mœrore clamantes & dicentes: Boni viri, boni viri, nolite nobis celare domni STEPHANI mortem. Vere ſcimus, vere ſcimus quia mortuus eſt noſter amabilis pater. Janitor autem hæc audiens, & volens eos a ſepultura removere, quatenus fratres tanti funeris exequias ſine tumultu digne & devotiſſime celebrarent, quaſi conſolando dixit eis: Quid eſt hoc? Dicitis quia mortuus eſt? Immo multo melius ſolito illi credimus eſſe. D

XLIII. *Miraculum pueri de Ambaſiaco.*

Cui ſacerdos, qui cum monachis & populo venerat, ait: Domine, bene ſcimus quia mortuus eſt. In vico etenim noſtro puer quidam modo in extremis poſitus ab heri & nudius tertius loquelam amiſerat, qui cum a matre ſua exitum præſtolante ſervaretur, ſubito in hæc verba prorupit: Video, inquit, ſcalam lucidiſſimam, cujus altera pars cœlum, altera tangit Muretum, & angeli E multi deſcendunt per eam, ut animam domni STEPHANI Deo gratiſſimam perducant ad gloriam. Quod mater ejus audiens, mirata eſt valde, & egreſſa domum vocavit me & monachos quos videtis, & narrans nobis hoc verbum quod puer dixerat, duxit nos in domum ſuam, qui pariter ante puerum venientes, cum ad intimationem mulieris requireremus ab eo quid diceret, tam nos quam plures alii qui illic aderant, ab ore ejus idipſum audivimus, & ſubjunxit: Nunc audio circumquaque per eccleſias & per monaſteria ſonare ſigna; & iterum ait: Hoc erit vobis indicium quod dico veritatem, quia jam moriar, nec ultra loquar vobiſcum, ſed aſcendam cum ſanctiſſimo patre & angelorum multitudine. Quibus dictis, expiravit, unde ſine dubio credimus verum eſſe quod dicimus, migraſſe ſcilicet glorioſiſſimum patrem. O felix viſio! & quis congruentius virgini teſtimonium debuit perhibere, quam virgo? Ambo namque virgines erant, & fidelis Dei ſervus, & puer qui vidit & retulit viſionem. Quanti enim meriti fuerit apud Deum hic athleta Chriſti, aliud miraculum quoque potenter oſtendit.

XLIV. *De revelatione tranſitus ejuſdem apud Turonenſem civitatem & Verzeliacum.*

Nam mira Dei diſpenſatione deceſſus illius apud Turonum & Verzeliacum eodem die divulgatus eſt: quæ duo loca ab invicem & a Mureto adeo remota ſunt, quod niſi miraculoſe id fieret, fieri nequaquam C poſſet. Cujus rei teſtes idonei fuerunt peregrini Lemovicenſes, qui illuc cauſa orandi tunc erant, certamque rei veritatem poſtmodum fratribus retulerunt.

XLV. *Quomodo tranſitum ſuum per noctem revelavit cuidam canonico.* *

*S. Gaucherus.

Sequenti vero nocte cuidam canonico familiari ſuo per viſum apparuit, habitu roſeo decoratus; nec mirum ſi roſeo, quia Chriſti martyr extiterat. Cui congaudens in viſione ſua canonicus ait: Pater mi, quæ « cauſa fuit hujus præfulgidæ veſtis, quam uſ- « que modo non induiſti? Romani pontificii « mihi a Chriſto collati ſignum eſt, inquit. Ad « hæc canonicus reſpondit: Benedictus ſit Deus; « nam per talem papam recte ſancta regetur « eccleſia. Illico evigilans intellexit illum mortis debitum perſolviſſe, & celeriter ſurgens pro commendatione animæ ejus ex integro divinum decantavit officium. Mutua namque caritate ambo inter ſe condixerant, ut ille qui diutius viveret exequias alterius celebraret.

XLVI. *De nuntiis ad legatos Romanos miſſis.*

Dato itaque ſanctiſſimo corpore ſepulturæ, diſcipuli ejus jam dictis cardinalibus tranſitum illius per litteras & nuntium mandaverunt. Cumque in concilio quod apud Carnotum congregaverant, eis litteræ redderentur, mox obitum ejus omnibus denuntiantes, coram omni conventu archiepiſcoporum atque pontificum, & ceterorum ſapientium de virtutibus ejus & fidei puritate quam inveſtigaverant, multa bona locuti ſunt. Quibus auditis, omnes qui aderant Deo gratias ege-

(a) Gallice *Ambazac*, vico media a Muréto leuca diſtante, ubi erat cella ſeu prioratus a monaſterio S. Auguſtini Lemovicenſis dependens.

runt, & facta abſolutione, cardinales dixe- A
» runt : Nos oravimus pro illo, nunc vero
» deprecemur illum, ut oret pro nobis ad Do-
» minum, quia ſine dubio plus poſſunt nos
» juvare illius ſancta merita, quam illum no-
» ſtra ſuffragia : cum Chriſto namque vivit in
» gloria.

XLVII. *De electione domni Petri Lemovicani ſecundi prioris.*

Pio igitur patre deſtituti & orbati fratres, de conventu ſuo unum, PETRUM ſcilicet Lemovicanum, in priorem & ſpiritualem B patrem ſibi concorditer elegerunt. Hic prius in ſæculo venerabilis ſacerdos, nunc vero in religione paternæ traditionis & voti quod fecerat æmulator exiſtens, Deo & hominibus carus & amabilis erat : ſub cujus regimine, grege Dominico in augmentum religionis proficiente, locum de Mureto in quo Deo ſerviebant, diuque cum ſanctiſſimo patre ſuo ſervierant, monachi S. Auguſtini calumniari cœperunt.

XLVIII. *De inquiſitione diverſorum locorum.*

Sed qui potius auferenti tunicam pallium volebant dimittere, quam unde ad placita & litigandi conſuetudinem traherentur habere; locum alium vigilanter perquirere curaverunt, ubi caput religionis ſuæ convenienter conſtituerent, libere & quiete ſervire Deo potuiſſent. Locis itaque diverſis ſedulo peragratis, nullo tamen idoneo reperto, tandem divinitus illuſtrati, ſalubre conſilium omnes unanimiter inierunt, ut prior ſcilicet cum omni humilitate & devotione miſſam celebraret, & cum fratribus univerſis affectu præcordiali Domino ſupplicaret, ut clementer eis conſuleret, & quod poſtulabant indicare non differret. O mira Dei clementia & perenni memoria commendanda ! Potuit fortaſſe livor Dei ſervis moliri calumniam, ſed unde eos comprimere voluit, inde amplius dilatavit. Nam immenſa & ineffabilis ſuperna diſpenſationis providentia latiorem locum, & ad obſervantiam religioſæ converſationis & ſitu & nomine magis idoneum, eis a mundi conſtitutione paraverat, cujus loci nomen etiam per ipſam divinam vocem audire meruerunt.

XLIX. *De revelatione loci Grandimontenſis.*

Priore namque, ſicut condictum erat, miſſam celebrante, cum *Agnus Dei* ter cantatum fuiſſet, & tam ipſe quam omnes alii fratres ardentiſſime Dominum exorarent, quædam cœleſtis vox audita eſt dicens : *In Grandimonte, in Grandimonte, in Grandimonte.* Hanc ſane beatiſſimam vocem prior & nonnulli de fratribus audierunt. Finita vero miſſa, quæſivit prior a fratribus, ſi cœlicam audierant vocem, & cum unus eorum confeſtim coram omnibus diceret : Ego audivi eam ter dicentem *in Grandimonte*, & alius ſimiliter, cuncti affluenter lætati ſunt, & conſolati ſunt, & confortati vehementer divinæ pietatis largitatem, propter glorioſæ revelationis felicitatem, mirari, laudare & glorificare ſtuduerunt. Et quia in Grandimonte adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum milites Chriſti, ne perderent cœleſtia, ſemper erant pugnaturi, merito ibi auditum eſt nomen ejus, ubi victoria quam ab antiquo humani generis hoſte Chriſtus habuit quotidie celebratur.

L. *De ædificio ejuſdem loci.*

Pergentes igitur ad locum divina revelatione compertum, ſatis enim Mureto vicinum eſt, (a) eccleſiam & domos ad habitandum juſſione Domini cujus erat, omni cum feſtinatione fecerunt. Quibus vili ſchemate utcumque pactis, reverſi ſunt Muretum, ubi nonnulli de fratribus remanſerant, & accipientes ſanctiſſimi patris ſui glorioſum corpus, traſtulerunt illud in Grandimontem, pauciſque ſcientibus reconderunt ſubtus preſbyterium ante altare. [a]

LI. *Miraculum de pane dato cuidam militi.*

Cum pater pius viveret, BOSONI DERESES illuſtri viro die ſancto cœnæ panem diſtribuit, quem ille diu revertenterque ſervavit, & multis languentibus fruſtatim diſtribuit, quos omnes virtus divina ſanitati reſtituit, multaque miracula uno pane perpetravit.

LII. *De milite ſanato miraculum.*

Poſtmodum vero miles quidam, qui RAIMUNDUS DE PLANTADIO dicebatur, ad illam novam Domini plantationem ſe deferri fecit, ut in orationibus fratrum recipi meruiſſet. Hic eo morbo, qui paralyſis dicitur, ita corporis medietatem amiſerat, quod ex illa parte nullum ejus membrum in aliquo prævalebat. Loquens ergo cum priore, verbo quo poterat, petiit ut in eccleſiam ad altare duceretur, cumque a quodam filio ſuo ex uno latere, & ab ipſo priore ex altero, totus fere portaretur, poſtquam ſuper lapidem ſub quo ante altare ſanctiſſimi hominis corpus ſepultum erat, pedes ſuos tenuit, libera voce exclamans ait : » Sinite me, nolite me juva- « re, ego enim in hoc loco, in quo pedes te- « neo, modo ſanus factus ſum. Dico autem « vobis quod hic ſanctus jacet aliquis tumula- « tus, pro cujus meritis & amore mihi Deus « contulit ſanitatem. Increpavit autem eum « prior, & ut nec ipſi, nec alii qui cum eo erant hoc dicerent, vehementer prohibuit. Sed quanto inſtantius hoc prohibebat, tanto qui ſanus factus fuerat, præ gaudio validius clamabat : Hic ſanus factus ſum. Et qui ſine

(a) Una dumtaxat leuca diſtat Grandiſmons a Mureto.

humano juvamine etiam a janua eccleſiæ ad altare paulo ante progredi non potuit, ſolius divinæ miſerationis auxilio ad domum propriam nunc incolumis remeavit: ſicque totus ſanus factus eſt, ut deinceps in ejus corpore illius ægritudinis nullum remaneret veſtigium.

LIII. *De diſcipulo ejuſdem ſanato.*

Nihilominus autem quidam ejus diſcipulus, qui lumen amiſerat exterius, proſtratus & orans ad ejus ſepulcrum, priſtinum recepit viſum.

LIV. *De panno qui non potuit comburi.*

Pannus etiam, quo ſacræ oſſium ejus reliquiæ involutæ fuerant, a ſacerdote qui decentiori panno eas involverat, ſemel & iterum atque iterum projectus in ignem comburi non potuit.

LV. *De verbis correctoriis quæ habuit prior ſecundus ad eumdem, inſpectis miraculis poſt tranſitum ejuſdem.*

Inſpectis itaque prior miraculis timuit ſibi & aliis quietem minui, & internæ ſuavitatis dulcedinem tardius experiri, ſi populorum turbæ miraculorum cauſa, locum ad quem venerant frequentarent. Et veniens ad ſepulcrum hominis Dei ante altare, tamquam ſpiritualis paupertatis verus amator, ei ac ſi » viveret, ita loquutus eſt: » Serve Dei, tu » oſtendiſti nobis paupertatis viam, & toto co» namine tuo docuiſti nos incedere per eam. » Nunc vero de arcta & ardua via quæ ducit « ad vitam, ad latam & ſpatioſam quæ ducit » ad mortem tuis nos miraculis vis revocare? » Prædicaſti ſolitudinem, nunc in ſolitudine » fora, nundinaſque vis congregare. Non du» cimur curioſitate, ut tua miracula videre » velimus; ſatis tuæ credimus ſanctitati. Cave » igitur de cetero ea miracula facias, quæ » tuam extollant ſanctitatem, & noſtram de» ſtruant humilitatem. Non ſic laudi tuæ pro» videas, ut noſtræ ſis immemor ſalutis. Hoc » tibi præcipimus, hoc a tua poſcimus caritate. » Quod ſi aliter feceris, dicimus tibi, & per » obedientiam quam tibi promiſimus, con» ſtanter aſſerimus, quia oſſa tua inde extra» hemus, & ſpargemus in flumen. Ergo quia pura fides & caritas vera magis amant opera quam ſigna, taceamus multa miracula, quæ dum adhuc viveret ab ipſo audivimus & legimus fuiſſe facta, & quotidie in procuratione omnium noſtrum ſine poſſeſſionibus pecudibuſque ac reditibus, Deo cooperante, fieri videmus. Sequamur autem ipſum per oſtenſum nobis ſanctæ converſationis exemplum, ipſo auxiliante, qui vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

LVI. *De Petro Lemovicano nepote ſecundi prioris per viſionem ſanato, miraculum.*

Petrus Lemovicanus preſbyter reverendus frater Grandimontis, nepos Petri Lemovicani ſecundi prioris Grandimontis, columbinæ ſimplicitatis & floridæ virginitatis ſplendore vernabat, fluvioque lacrymarum frequenter affluebat, & tam Marthæ quam Mariæ officium ſollicite gerebat. Qui divina permiſſione cœpit acriter ægrotare, cumque pondus graviſſimum languoris amariſſimi vix portare ſufficeret, primo patri noſtro Stephano ſanctiſſimo, patronoque ſuo prænominato, humiliter ſupplicavit, ut divinam clementiam clementer exoraret, quatenus dolorem nimium ſic temperaret, ut ipſum quoque modo ſuſtinere valeret. Poſtea divinæ gratia benignitatis duos cœleſtes modices fulgentes & glorioſos, ſcilicet Stephanum Chriſti famulum, & Petrum Lemovicanum patruum ſuum, videt æger ad ſe venientes, linteamenque niveum afferentes, quo totum corpus ſuum a capite uſque ad pedes cœperunt leniter extergere, quod dum facerent, quicquid linteamine tangebant mox ſanatum fiebat. Quo facto, dixerunt hic totus eſt ſanus. Quo dicto, diſparuerunt. Petrus vero Lemovicanus perfectæ ſanctitatis munere lætificatus, mirabilem Dei patrumque prædictorum viſitationem mirari & laudare cœpit affectuoſe. Hoc autem miraculum fidelis ſocius & cariſſimus frater meus ipſe primum mihi, poſtmodum vero ceteris fratribus, rogatu meo, vultu demiſſo & verecundo manifeſtavit.

LVII. *Item aliud miraculum de quadam muliere.*

Homo quidam erat in territorio Pictavienſi cum uxore ſua Petronilla nomine. Iſti vero affectuoſe diligebant fratres noſtros de Alonia, & multa bona eis ſæpiſſime largiebantur & multotiens eos viſitabant, credulitatem magnam habentes in eos & in B. Stephanum. Habebant autem fratres iſtos pro filiis, eo quod prole infœcundi & ſteriles permanebant. Erat enim illis conſuetudo talis quod annuatim in feſto B. Stephani procurabant fratres pro amore & honore ipſius, & veniebant ad eos ipſa die, afferentes quæ eis erant neceſſaria. Cum autem ex conſuetudine in feſtivo die ipſius cum omni apparatu ſuo gaudentes & exultantes viamque carpentes venirent, & ipſa mulier ſupra dorſum jumenti ſidens procederet, ecce ſubito jumentum illud, neſcio quo caſu pedem incaute poſuit & mirabiliter corruit, & illico mulier illa cadens de aſello expiravit. Videns autem vir ejus uxorem ſuam eſſe defunctam, cœpit ejulando clamare & dicere: » Heu me, « heu me miſerum! heu me deſolatum! heu me « omnino deſtitutum! Uxor mea mortua eſt, « ſolus ſum, & non habeo conſolatorem ne« que

» que ſublevantem. O Deus, quid faciam? » quo ibo? quid agam? neſcio. Si rediero ad » domum meam, videbunt me vicini mei, » & audient me lugentem ac lamentantem, & » inimici inſultantes dicturi ſunt: Ubi eſt uxor » tua? quo remanſit, quo perrexit? Et ego » triſtis & anxius reſpondere minime potero. » Si huc diu perſtitero, obvium me habebunt » tranſeuntes per viam hanc, & interrogabunt » me quid mihi accidit, & circumdabor ru- » bore & anxietate. Si ad fratres perrexero, » anguſtiabuntur, dolebuntque, & converte- » tur gaudium eorum in mœrorem, & feſti- » vitas in triſtitiam. Et quid dicam? Verſa eſt » in luctum cithara mea, & organum meum » in vocem flentium. Cumque ſic fleret, & ita lamentaretur, & jam deſperaret, venit ei in memoriam, quomodo pro honore & amore B. STEPHANI eſſent in itinere; & ideo bonum ſibi viſum eſt, ut auxilium ejus fideliter expoſtularet. Reſumit igitur vires ſuas, » & in ſe reverſus dixit: » Deus propitius eſto » mihi peccatori. Per merita B. STEPHANI, redde » mihi uxorem meam, ut cum illo te laudare » queam. Appareat igitur nunc ſanctitas B. STE- » PHANI, pro quo eramus in hoc itinere nos ſervi » tui. Da nobis, Domine, auxilium ex iſta tribu- » latione, & revertatur, obſecro, anima ejus » ad corpus. Et dixit, Sancte Dei STEPHANE, » adjuva me. Sancte Dei STEPHANE, exaudi » me, ora pro me, nunc appareat gloria tua, » bonitas tua. Si quid potes adjuva me, & red- » de mihi uxorem meam, quia in tuo ſervitio » mortua eſt modo. Cumque talia locutus fuiſſet, cum omni fiducia acceſſit ad corpus » uxoris defunctæ, & ait: » Domina Petronilla, » Domina Petronilla, reſponde mihi. Domina » mea, amica mea, ſoror mea, reſponde mihi. » Et cum hoc dixiſſet, ad vocem ejus divino » nutu ipſa reſpondit: Heu mi domine, ut » quid pro me anxius fuiſti? Certe bene eram, multo melius extiteram. Tunc vir ejus gaudio plenus, aſſumſit eam, & iterum levavit eam, & poſuit ſuper ipſum jumentum, & cum gaudio & exultatione pervenerunt quo tendebant, & narraverunt fratribus ſuis quæ ſibi acciderant in via, & laudaverunt pariter Dominum, qui ſalvat ſperantes in ſe. Et factum eſt gaudium magnum illis in illa die & deinceps. Hoc autem mirabile ſignum preſbyter vitæ venerabilis & morum probitate conſpicuus veraciter enarravit.

A rantes expulerunt a ſummitate arcium, & corruit in terram, qui graviter colliſus occubuit, ſanguis vero ejus per oculos, per aures, per nares, ac per os defluebat. Quod cum viderent operarii vehementer ejulantes clamare cœperunt. Vir autem Domini STEPHANUS tunc temporis orationi inſiſtebat. Cum vero ſubito tantum clamorem audiret, vehementer expavit, & ſurgens illico ab oratione, tremefactus ac concitus perrexit illuc ubi corpus defuncti coopertum jacebat exanime. Flebant itaque cæmentarii & alii operarii graviter ſuper eum, quos intuens, ut erat vir magnæ auſteritatis ac probitatis, increpare cœpit, & expellere a loco illo, ac vehementer convitiari eos cur flerent, aut cur clamarent, dicens: » Recedite, « boni viri impoſtores, fugite ab iſto loco, non « eſt mortuus iſte operarius, ſed dormit. Et « expulſit eos foras, & clauſit oſtium. Tunc confidens & ſperans in bonitate Domini & meritis B. STEPHANI, vocat fratres, & congregat in capitulo, dicens eis: » Fratres & « filii mei, in imicus humani generis nos hodie « graviter invadere ac ſauciare tentavit. Ea « propter vos admoneo, ac vobis firmiter « præcipio, quatenus diſcalciatis pedibus cum « gemitibus & lacrymis veniatis ante altare « B. MARIÆ ſemper virginis, & poſtmodum « ad ſepulcrum S. STEPHANI. Et voce horribili « venerunt, oraverunt, fleverunt. Deinde prior STEPHANUS duxit ad ſepulcrum B. Patris noſtri STEPHANI, & voce horribili arguere eum incipit dicens: » Redde, redde eum veloci- « ter. Cur ſic nos afflixiſti? quare hoc ſu- « ſtinuiſti? Cito, cito, appareat bonitas tua, « virtus tua. Si quid potes, & certe credimus « quia potes, adjuva nos miſertus noſtri. Cum- « que compleſſet orationem, fidus de Dei miſericordia & de Dei genitricis auxilio, & de B. STEPHANI beneficio, cum fratribus acceſſit ad corpus defuncti, diſcooperienſque eum apprehendit manum ejus dextram, & quaſi increpando dixit ad eum: » Gerarde, ſurge, « ſurge dico, operarie, & ad opus tuum rever- « tere, ſurge velociter, nec moreris. Ad hanc « vocem reviviſcens homo ille ſurrexit & dixit: » Ecce, Domine, adſum & nullum ha- « beo vel ſentio malum. Videntes autem fratres qui aderant, timuerunt, & præ gaudio fleverunt, & laudaverunt Dominum & B. MARIAM matrem Domini, & B. STEPHANO gratias egerunt. Tunc venerabilis STEPHANUS prior, aperuit illis hominibus, quos inde expulerat, dicens eis: » Ecce magiſter veſter « Geraldus ſanus & incolumis perſeverat. Re- « vertimini igitur cum eo ad opus veſtrum. « Videntes autem hominem vivum, quem mortuum reliquerunt, ſtupefacti & admirantes clamare cœperunt: » O Domine Deus, « qui facis mirabilia magna ſolus, cujus no- « men eſt benedictum in ſæcula. Tu enim non « derelinquis quærentes te, Domine. Ecce vi- «

LVIII. *Item aliud miraculum.*

De magiſtro Geraldo.

Aliud non minus mirabile miraculum caritati veſtræ inſinuabimus. Tempore domni STEPHANI DE LICIACO venerabilis quarti prioris Grandimontis ædificabatur eccleſia in Grandimonte. Accidit autem quadam die cum operarii quemdam lapidem magnum ac quadratum ſurſum in altum deferrent, obvium habuerunt Geraldum magiſtrum operis ipſius, quem inviti & incaute igno-

» demus opera magna & prodigia quæ fiunt per B. STEPHANI merita gloriosa. Tunc STEPHANUS prior quartus, ac Deo dignus increpavit eos dicens: Videte, filete, cavete ne cui manifestum reveletur a vobis hoc signum. Si enim a vobis revelabitur, de vobis vindicabitur, & ita cum gaudio fit ab eis de cetero operis consummatio.

LIX. *Aliud miraculum.*

Aliud autem miraculum non minus mirandum narrabimus caritati omnium vestrum. Tempore hujus venerandi prioris erat puer in Grandimonte, Audoenus nomine, progenitus nobili germine, sed deditus erat nimiæ infantiæ. Sustinebatur autem propter nimiam teneritudinem juventutis suæ a fratribus, qui cum quadam die vellet ludere, ascendit ille puer super quamdam porticum, & ex transverso posuit se super eam, & cœpit se exagitare huc atque illuc. Videns autem eum presbyter quidam nomine Guido, vir religiosus, timuit ne tali enormitate puer ille periclitaretur, & accurrens ut eum increparet, antequam ad eum accederet, fortuitu cecidit, & collisus expiravit. Cucurrit autem sacerdos ille ad patrem spiritualem, & indicavit ei. Qui audiens, concitus venit ad puerum, & invenit eum jam defunctum. Et accipiens eum in ulnas suas, attulit eum ad B. STEPHANI sepulcrum, quod tunc temporis erat in claustrum conditum, & dixit: » Ecce, STEPHANE, vir amantissime, ecce filius » tuus, ecce discipulus tuus jam, ut cernis, » est mortuus, redde illum nobis, redde, aut » certe a loco isto projiciam te. Vide ne tardaveris, neque moram feceris. Vides quia » dolemus, quia affligimur, quia tribulamur, » da nobis consolationem & tuo nomini ho» norem. Nec mora, post orationem factam, recepit juvenis vitam. Gaudet prior cum fratribus, quia revixit adolescentulus, inde laudatur Dominus & extollitur B. STEPHANUS.

LX. *Item miraculum aliud.*

Per idem tempus fratres operabantur in nemore, & dum vellent ligna cædere, oportuit arborem vertere ab alio latere, quæ retinuit fratrem quemdam Johannem nomine, vidente jam dicto priore, qui ibi loquebatur forte cum quodam religioso homine. Frater autem ab arbore tenebatur, manus ejus cum brachio destruebatur, & a fratribus » cum eodem priore clamabatur: Quid agis, » B. Stephane? isti tuo discipulo in articulo » mortis posito festinus succurre. Et cum hæc dixissent, illico liberatus est, & laudaverunt Dominum, & B. STEPHANO gratias egerunt.

LXI. *Item aliud miraculum.*

In territorio Lemovicensi prope domum nostram de Podio-Gisberti, erat homo quidam, qui domum supradictam obnixe diligebat, & fratribus ibidem manentibus multa beneficia conferebat. Hic habebat matrem vetulam & multitudine dierum inveteratam. Accidit autem quadam die, ut anus febrium morbo corriperetur: tunc ait illi filius suus: Mater, jube ut eam ad sacerdotem, quatenus accipias de manu ejus corpus Domini & sanguinem. Cui mater: Utique, fili mi. Perrexit itaque homo ille ad presbyterum, & adduxit secum. Qui cum venissent, invenerunt eam jam mortuam. Tunc ait illi sacerdos: Cernis quia mortua est mater tua, & nihil potest ei proficere admonitio mea, præpara quæ facturus es, & mane, Deo volente, revertar ad te. Et his dictis presbyter reversus est, & homo iste cœpit contristari & mœstus esse, quia mater ejus obierat absque corporis & sanguinis Christi perceptione, & sine confessione. Tunc anxie cœpit nomen Domini invocare, & auxilium beati STEPHANI per totam noctem illam præstolari. Cumque diu hoc ageret, cum fiducia ad corpus matris accessit, & clamare cœpit vehementissime. O mater! ô mater! Cui illa respondens ait: Quid vis, fili mi? Cur me incitasti? Certe bene mihi erat. At filius ejus gaudens & exultans ait illi: O bona mater, si tibi placuerit, ut iterum vadam ad presbyterum, & tradat tibi corpus & sanguinem dominicum. Cui illa, Fiat voluntas tua. Ivit autem iterum homo ille ad sæpedictum presbyterum, & attulit illi veteranæ corporis & sanguinis Domini sacramentum; & facta primitus confessione communicavit, & statim iterum obiit, & lætati sunt qui aderant universi, & laudaverunt nomen Domini & magnificaverunt merita B. STEPHANI, pro cujus honore tale signum, Deo volente, contigit. Vir autem iste annuatim solitus est candelam afferre supradictæ domui in festo sancti STEPHANI, ob memoriam & reverentiam tanti miraculi. Qui hæc viderunt & audierunt, tam clerici quam conversi, veridici nobis retulerunt.

LXII. *Item aliud miraculum.*

Quodam autem tempore domnus STEPHANUS de Liciaco venerabilis prior quartus ægrotabat, & tunc temporis reliquiæ corporis B. STEPHANI erant absconditæ in quodam vase ligneo, ignorantibus fratribus quamplurimis; qui cum graviter febricitaret, jussit ut in quodam sercophago lapideo absconderentur. Quod cum præparatum fuisset, imperavit ut ante eum reliquiæ afferrentur, quatenus eo cernente condirentur. Ipse autem graviter dolore febrium perurgebatur. Cumque delatæ fuissent reliquiæ coram eo, ut exinde in alio vase honorifice tumularentur, ex improviso prior venerabilis a febribus omnino liberatur. Quod cum animadverteret domnus prædictus prior, exclamavit

» & dixit: Quare hoc fecisti? Putabam certe
» quod occasione hujus invalitudinis me mo-
» do tecum ante tribunal Christi veraciter du-
» cere velles, & tu quod nolebam mihi attri-
» buere præsumsisti. Certe noveris pro certo
» quod exinde tibi ingratus exisio. Quod de-
» siderabam prolongasti, & quod nolebam de-
» disti. Non curo de tuis miraculis; sed plus
» gaudeo de operibus tuæ sanctitatis, incre-
» duli & imbecilles, & infirmi signis & prodi-
» giis indigent, fideles & justi ac firmi fide
» his opus non habent. Hoc signum mihi esset
» salutiferum, si me præsentares coram Do-
» mino in regno cœlorum. Post hoc signum
aliud narrabimus dictu mirabile.

LXIII. *Item miraculum aliud.*

Miles quidam de Gasconia, consanguineus uxoris PONTII, quondam domini de Bainagio, quæ Gaillarda nuncupabatur, captus fuit a GUILLELMO DE GORDONIO in quodam procinctu, deductusque est apud Domam oppidum, missusque in carcerem, in domo cujusdam militis nomine GERALDUS, qui gravissime catenis, pedicis, manicis, & pondere ferri premitur. Ostia carceris & fenestræ clauduntur, & ipse intus graviter affligitur. Cumque gravi dolore torqueretur, & jam de vita sua desperaret, ad arma spiritualia recurrere festinat, & nomen Domini invocat & B. STEPHANUM, ut ipsum liberare & exaudire dignetur, modis omnibus cum lacrymis anxie expostulat. Sic certe assiduus in oratione, die noctuque illum interpellare minime cessabat. Et quid plura? Perseveranti salus a Domino promittitur. Sic namque in evangelio dicitur: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Dum autem miles iste in oratione perseveraret, dum assidue nomen Domini invocaret, quatenus ob amorem B. STEPHANI sibi auxilium conferre dignaretur de cœlis, mittitur ei B. STEPHANUS adjutor de supernis. Quadam autem nocte dum vehementer orationi insisteret, & auxilium a B. STEPHANO magnis vocibus quæreret, subito somno premitur, & quasi mortuus efficitur. Sed a B. STEPHANO ex improviso concutitur, & cur eum tantis clamoribus vexaret requiritur. Quæ cum miles stupefactus audisset, & quasi de gravi somno evigilans ait: Quis es, Domine? Cui ille: » Ego sum STEPHANUS quem tu invocare non » cessasti, & huc ad hoc veni, ut intentus sim » tuæ liberationi. Expergefactus autem miles ille, cœpit vehementius illum exorare, quatenus dignetur eum omnino liberare. Et quid? Cadunt manicæ a brachiis, & ex uno pede liberatur a pedicis. Cum autem sentiret se esse liberum, procedit ad carceris ostium quod invenit obseratum. Inde vertit se ad fenestram, quam reperit apertam. Considerans autem vallis profunditatem super quam eminebat domus illa ædificata, timuit perinde A prosilire; sed postmodum confortatus divino Spiritu, in semetipsum reversus, ait: Melius est mihi sic mori, quam iterum in carcere recludi, & statim confisus de bonitate Domini, & meritis B. STEPHANI, saltum illum fecit, & per Dei misericordiam illæsus evasit, cui fuit quidam juvenis obvius, qui ei postmodum extitit in itinere socius. Nec mora ad fluvium Dordoniam veniunt, naviculam sibi a Domino præparatam reperiunt, transmeato videlicet flumine, ad domum nostram de Vaisseras accedunt prospero itinere. Pulsantibus illis ad januas, fratres ex more surgunt ad matutinas, deinde B illis manifestatur quod miles ille per B. STEPHANUM a Domino sit liberatus. Cui fratres veniunt gratulabundi obviam, & adducunt secum in ecclesiam. Narrat eis miles quod factum fuerat, & quemadmodum Deus eum per B. STEPHANUM mirifice liberaverat. Gaudent igitur fratres de miraculo, laudes canunt & reddunt Domino, ac postmodum eum ducunt ad hospitium, ubi mansit per triduum. Qui hæc viderunt nobis fideliter ac veraciter narraverunt.

LXIV. *Item aliud miraculum.*

C Alio tempore ingressa est multitudo hominum maleficorum cum magistro suo nomine Lupardo, terram Lemovicani episcopatus, ut eam depopularet. Et quid dicam? Capiebantur homines, violabantur uxores, trucidabantur ipsorum infantes; unde factum est, peccatis eorum exigentibus, quod castellum de Peiraco tunc temporis forte ab illis captum est, & inter ceteros, quinque homines capti sunt, & recluſi in quodam specu subterraneo, quorum duo ex ipsis valde diligebant B. STEPHANUM & ordinem nostrum. Cumque sic a maleficis includerentur, & cippis & catenis fortiter ligarentur, affidueque D custodirentur, S. STEPHANUM sibi propitium homines illi requirere cœperunt, quorum unus Petrus nomine familiaris ac serviens erat cujusdam domus ordinis istius, quæ Bonavallis vel Serra dicitur, alter vero Geraldus de Montellio vocabatur. Hi duo cum ceteris tribus vehementer exorabant Dominum, quatenus per merita B. STEPHANI eos liberare dignaretur de manibus inimicorum suorum; qui cum ex corde vehementer orationi insisterent, ecce B. STEPHANUS apparet E illis fulgidus, & dixit eis: Surgite, ne timueritis, & me sequimini. Qui respondentes, dixerunt: Quis es tu, Domine? Et ille, ego » sum STEPHANUS Grandimontensis ordinis pastor primus. At illi præ gaudio flere cœperunt, atque dixerunt: O Domine, ô Pastor » excelsi, libera nos de inimicis nostris istis crudelissimis. Tunc viriliter assumens eos duxit » per medium castrorum, videntibus cunctis, & nemo alicui eorum nocuit vel nocere potuit, & ita liberi effecti per misericordian

Dei, per beatum Stephanum mirabiliter evaſerunt.

LXV. *Item aliud miraculum.*

Iterum narrabimus aliud ſignum mirabile. Homo quidam erat in territorio Lemovicenſi nomine Reginaldus, qui valde diligebat B. STEPHANUM & domnum Hugonem, ceteroſque diſcipulos ejus, ac totum ordinem noſtrum, cujus erat conſuetudo talis annuatim viſitare domum Grandimontis & domum Mureti, ac domum de Plania. Accidit autem quodam tempore dum ex more loca ſupradicta cum omni diligentia & uxore propria viſitaſſet, cum rediret ad villam in qua manebat, videret ipſam villam ſubito igni accendi: quod cum cerneret cœpit clamare » dicens: O Deus, quid faciam? Fatigatus ſum » ex itinere, nec valeo domum meam ab iſto » igne defendere. Succurre mihi hodie. Do» mine, memento quia B. STEPHANUM diligo, » & ordinem & diſcipulos ejus, a quorum vi» ſitatione nunc revertor. Ideo, Domine mi, » obſecro per miſericordiam tuam, quatenus » ob amorem B. STEPHANI, & per merita ip» ſius in hac hora ab ignivomis flammis do» mum meam cum omni ſuppellectili ſua li» berare digneris. Qui cum compleſſet oratio» nem, ignis ille numquam auſus fuit domum illam, nec etiam feſtucam unam lædere. Teſtabantur etiam homines villæ illius, quod cum ignis concremaret domos quæ conjunctæ erant domui hominis iſtius, ſequebatur feſtucas comburendo, domorum aliarum, inter paleas domus illius hominis, quas quaſi timendo omnino vitabat. Quod cum viderent qui aſtabant tam preſbyteri quam homines ceteri, laudaverunt Dominum, qui per B. STEPHANI merita hoc miraculum tantum coram illis feciſſet. Poſtea vero, tam Reginaldus quam preſbyteri & alii plures, hoc ſignum fratribus de Entreſis & Gaufrido preſbytero, qui nobis retulit veraciter & alacriter, narraverunt. Poſtmodum autem homo iſte iſtius ordinis habitum ſumſit, & uſque in finem nobis videntibus ac ſcientibus fideliter perſeveravit.

LXVI. *Item aliud miraculum.*

Petrus Bernardi fuit quintus prior Grandimontis.

Tempore domni PETRI BERNARDI prioris venerabilis, coadunato univerſali capitulo in Grandimonte, celebrata eſt tranſlatio corporis beatiſſimi STEPHANI, præſente domno GERALDO Lemovicenſi epiſcopo, ſequenti die præcurſoris ac præconis Domini Salvatoris: & erat ibi frater quidam nomine Guillelmus, qui nimia ſurditate ambarum aurium confundebatur anxie, qui cum videret ſanctum Dei a ſupradicto priore & ab omni conventu a clauſtro in eccleſiam tranſferri, acceſſit velociter ad ſarcophagum, & invenit ſotulares, accipienſque eos in ipſo ſarcophago B. STEPHANI, cœpit mittere digitos ſuos infra ſotulares, & inde extrahere quodcumque invenire poterat, ac in auriculas ſuas deinde tranſferebat. Cumque ita plenus bona fide ac ſpe certiſſima diutius feciſſet, auditum, quem amiſerat, velociter recuperavit, & poſtmodum ipſe veraci ſermone narravit.

LXVII. *Item miraculum aliud.*

Item dilectioni veſtræ aliud declaravimus miraculum minime tacendum, quod tempore domni GUILLELMI ſexti prioris Grandimontis, acciderit in Senonenſi civitate Galliarum. Erat enim ibi canonicus nomine GENULFUS, qui ordinem noſtrum bona fide ac voluntate & B. STEPHANUM diligebat, & ædificia cujuſdam domus noſtri ordinis conſtruere de ſumtibus ſuis fideliter fecerat. Hic autem cum ſupradicta civitas igne vehementiſſimo graviter concremaretur, domum ſuam fide plenus, atque de Dei miſericordia & de B. Stephani auxilio minime dubitans, fiducialiter ingreſſus eſt, dicens: Nunc « quæſo, Domine Deus, appareat virtus & « ſanctitas B. STEPHANI primi patris ordinis « Grandimontenſis, quatenus domum meam « & omnia quæ intus ſunt, pro ejus amore « defendas, ne ab hoc incendio concremantur; ſin autem cum illa ego concremabor. « Stabat vero vir ille trepidus, & cum a fa« mulis ſuis diceretur: Domine mi, recedite, « jam univerſa civitas accenditur & comburi« tur, ac flammæ undique domum iſtam lam« bere ſatagunt, nec poteſt certe evadere tan« tum incendium quin comburatur: Saltim « veſtræ perſonæ quæ nobilis eſt & digna omni « honore ſalutem & auxilium præbete. Quibus « ait: Nunc in iſto cognoſcam ſi ordo Gran« dimontenſis ſanctus eſt, ſeu vera ſunt S. STE« PHANI mira & ſtupenda quæ audivi, aut ſi « placent Domino ea quæ pro amore ejus in « ipſo ordine gratanter obtuli; & quid plura? « Depopulata eſt igne iſto civitas & ultra quam credi poteſt omnino deſtructa eſt, & canonici iſtius domus ſola divino nutu & auxiliante B. STEPHANO illæſa & incombuſta permanſit. Sic certe divina bonitas ſervum ſuum longe lateque multis & innumeris indiciis mirabilium ſignorum declarabat.

LXVIII. *Miraculum aliud.*

Quædam mulier benigno patri præſentans ova, juſſu illius ante illum pluresque alios tam viros quam feminas, qui cauſa ædificationis ad eum venerant, poſuit ea. Illico vir ſanctus Spiritu-ſancto illuminatus, alia ab aliis virga ſeparavit, & feminæ dixit. Hæc « ſi placet retinebimus, illa vero domum re« porta. Mulier ait: Domine, munuſculum « paupertatis meæ noli renuere. Ille reſpon« dit: Niſi moleſte ferres hujus rei cauſam tibi « declararem. Illa inquit: Pater non ægre fe« ram; immo tibi ſupplico ut hoc mihi mani« «

festare dignetis. Ille subjunxit: Quia hæc ova sunt gallinæ tuæ, illa vero alienæ, ideo nolumus ea retinere. Illa statim erubescens, & obstupescens ante ipsum sese prostravit, propriumque reatum coram cunctis præsentibus humiliter confessa, verbum illius esse verum asseruit. Quibus visis & auditis omnes qui aderant valde mirati sunt, & Dominum laudare cœperunt.

LXIX. *Item aliud miraculum.*

Quædam femina servum Dei devote visitans, inquit ei: Pater, hunc panem vobis offero. Ille protinus eam interrogavit, unde panem habuerat. Ipsa respondit: Justo labore meo ipsum perquisivi, agro namque meo messe vacuato, spicas quæ remanserant sollicite collegi, unde panem istum feci. Deinde panis divisus est, & cruentus inventus apparuit, & stuporem & horrorem maximum in feminam generavit. Mox vir spiritualis ait mulieri stupefactæ, quia reliquias segetis, quas lex divina pauperibus concedit, eisdem rapere præsumsisti, ideo justus judex ad terrorem & tuam correctionem & aliorum, hujusmodi miraculum dignatus est perpetrare.

LXX. *Item aliud.*

*Indicecesi Bituricensi antecepto-nati de Quara.

Cum fratres Muretenses patris reverendi mensam vilem & pretiosam fratri Amelio de Lacrozyla Fontiscrosæ * dispensatori super ea ab eo diligenter rogati, per Giraudum David mitterent, ipse nuntius causa fidei & devotionis, mensæ particulam abscidit, & pro reliquiis longo tempore servavit: qui parum de ligno sæpe radebat, & in aquam mittebat, multisque frebricitantibus bibere dabat, moxque Dei gratia cunctos curabat. Idem etiam eadem medicina a febre sanatus est. Interea contigit ut domus de Orca, ubi lignum erat, & quæcumque in ipsis erant comburerentur: lignum autem pannumque lineum & pellem candidam quibus erat involutum, divina potestas penitus ab igne protexit. Cujus miraculi magnitudo Giraudum David super rerum suarum amissione plurimum confortavit. Sed cum vita mirabilis præfulgeat miraculis, cumque eremita eximius, quo, teste Domino, inter natos mulierum major non surrexit, pauca vel nulla legatur fecisse miracula, non est summopere talibus immorandum & gloriandum. Suis enim discipulis in signorum gloria gloriantibus, sic ait magister humilitatis: *Nolite gaudere quia vobis spiritus subjiciuntur: Gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in cœlis.* Totis viribus summo regi supplicamus, ut nos meritis & precibus tanti patris nostri faciat perpetuo participes suæ felicitatis. Amen.

LXXI. *De milite curato de igne inextinguibili.*

In territorio Lemovicensi erat quidam miles claro quidem genere, non multa morum honestate refulgens. Accidit vero quod divino judicio flagellatus est morbo incurabili, igne videlicet inextinguibili, qui dicitur infernalis. Ignis ille inextinguibilis, utpote non deficiens, donec subjectam materiam omnino consumserit, pedem prædicti militis, carnem videlicet cum ossibus, nullo interveniente remedio, immisericorditer consumebat. Præfatus vero miles multos consulens medicos, & in eos expendens plurima, nullam potuit salubrem sibi invenire medelam. Tandem conversus ad Dominum, in toto corde suo contritionem cordis interiorem, per copiosam lacrymarum effusionem & exhibitionem bonorum operum, exterius manifestans, se ferri fecit ad domum Grandimontensem, non humanum sed divinum postulans consilium & auxilium. Vocato siquidem STEPHANO DE LICIACO, tunc temporis præfatæ domus gerente prioratum, prostravit se humiliter ante pedes ejus, ostendens illi dolorem corporis intolerabilem, se nihilominus in corde pati significans, verba proferendo magnæ humilitatis, & profusius lacrymando, credens, procul dubio propter peccata sua tam graviter a Domino flagellari. Quo viso, pater venerabilis obstupuit, quærens a milite quid peteret. Militi vero causa recuperandæ sanitatis humiliter & cum lacrymis respondenti dixit prior: Frater, non sumus medici, nec nobis nec aliis aliquid medicinæ corporalis consuevimus exhibere remedium. Dixit quoque miles: Domine, humano consilio destitutus pariter & auxilio, ad spiritualem confugio, postulans sanctissimas beatissimi viri STEPHANI confessoris reliquias mihi peccatori omnium miserrimo miserorum misericorditer ostendi. Credo namque per ejus orationum merita ab hoc incendio intolerabili, divina favente gratia, liberari. Prior autem timens sibi & aliis fratribus quietem minui, & internæ suavitatis dulcedinem tardius experiri, si populorum turbæ miraculorum causa locum illum sæpius frequentarent, utpote qui sæpius cum beato viro quasi cum vivo loquens homine, super miraculis quæ faciebat durius increpaverat, minitans ossa ejus inde extrahi & in flumen projici, nisi cessaret a miraculis, dixit ad militem: Frater, beati viri domini STEPHANI ossa vix aut numquam ab aliquo possunt videri; sed vade ad alios sanctos, ad quorum memorias miracula creberrime fiunt, & nos libenter orabimus pro te, ut Dominus tribuat quod tibi necessarium esse cognoverit. Miles vero respondit se nullo modo recessurum, donec saltem adeundi sepulcrum beati viri STEPHANI sibi licentiam indulgeret. Tandem convictus prior preci-

bus militis & ſociorum ejus, conceſſit ei licentiam adeundi viri beatiſſimi ſepulturam. Tunc gaviſus eſt miles plurimum, & de futuro remedio ſpem bonam concipiens, ad ſepulcrum beati viri per manus ſociorum ſuorum quam citius eſt deportatus. Mox proſtratus humiliter ante ſepulcrum, oravit cum lacrymis & multa devotione, ſperans ad Dominum, ut per merita ſervi ſui, cujus corpus ibidem requieſcebat, doloris intolerabilis daret ei remedium, & ulceris ſanitatem: lavanſque lapidem ſuper quo corpus beatiſſimi viri ſepultum erat, aqua, eamdem aquam infundebat ulceri, & conſeſtim extinctus eſt ignis, & curatus eſt miles ab ulcere pariter & dolore, & qui antea ſine humano juvamine alicubi progredi non valebat, ſolius divinæ miſerationis auxilio, nunc ad domum propriam ſanus & incolumis remeavit, ſicque ſanus factus, devotus de cetero erga Dei ſervitium & opera pietatis uſque in finem conſtanter perſeveravit.

LXXII. *Item aliud miraculum.*

Narrabimus adhuc dilectioni veſtræ miraculum minime ſilendum, quod tempore vitæ ſuæ miraculoſe acciderit. Quadam namque die, dum quidam familiaris ejus ex more de quadam villa ei panem afferret, obvios forte habuit latrunculos, qui in nemore illo per quod tranſitum faciebat, cauſa latitabant malignandi. Qui cum vidiſſent hominem jumentum pane onuſtum ducentem, gaviſi ſunt valde, & accipientes panem deſuper jumento, poſuerunt in terra, ut inde refocillarentur. Quod cum vidiſſet familiaris ille, » cœpit increpare eos, dicens: Quid eſt hoc » quod agitis, homines malitioſi atque perverſi? Panem iſtum quem violenter & in- » juſte rapitis, beato viro STEPHANO defero; » quapropter vobis ex parte Dei & Domini » noſtri JESU CHRISTI, & auctoritate bonitatis » ipſius prohibeo, ne ipſum panem amplius » tangere præſumatis; quod ſi feceritis, nove- » ritis pro certo vos iram & indignationem » Dei omnipotentis ſine mora incurſuros. Erat autem homo iſte fidelis, habebatque fiduciam magnam in Domino & in beato STEPHANO. Qui fures illi quaſi ſubſannando di- » xerunt: Etiamſi eſſet Deus præſentialiter, » non poſſumus panem hunc dimittere, quin » manducemus, ab heri & nudius tertius ne- » que manducavimus, neque bibimus, incom- » parabili fame cruciamur. Quid plura? Extrahunt gladios de vaginis, & invadere cupiunt panem atque frangere per fruſta, ſed minime potuerunt. Adfuit certe virtus divina, quæ ſic induruit panem illum, & debiles reddidit latrunculos illos, quod nullatenus panem incidere vel frangere valuerunt. Videns autem familiaris ille quæ fiebant pro- » digia, cœpit clamare, dicens: O miſeri! » O malefici! Nonne dicebam vobis? Certe nunc timeo de vobis, ne ignis de cœlo deſcendat, & vos omnes conſumat. Non credebatis mihi cum vobis dicebam, quia bonus ac ſanctus eſt homo iſte, cui panem iſtum defero, & qui increduli fuiſtis, Deus omnipotens vobis, quamvis indignis, ſanctitatem illius oſtendere voluit in hoc facto. Cui latrunculi ſtupefacti ac tremebundi dixerunt: Certe ſcimus quia vehementer peccavimus, & ideo pœnitentiam coram te toto corde agimus, & deduc nos ad ſervum Dei STEPHANUM, cujus piis precibus veniam de tanto reatu apud Deum conſequi mereamur. Familiaris autem ille cernens quod ex toto corde pœniterent, confortavit eos, & duxit illos ad virum Dei, cum funiculis trahens illos poſt ſe quaſi captivos ac miſeros. Cum autem veniſſent ad portam cellæ viri Dei, pulſavit ille familiaris, & indicavit janitori quæ ſibi acciderant in via. Ingredienſque cum latrunculis ad Dei hominem obtulit eos illi, & narravit ei per ordinem quæ facta fuerant. Quo audito, vir Dei convocavit ad ſe janitorem, & ait illi: Afferte nobis de panibus illis, qui nobis ablati ſunt. Interea latrunculi provoluti pedibus ejus, veniam poſtulabant ab eo, quatenus pro eis Deum omnipotentem rogaret, ut dimitteret eis hanc noxam. Veniente autem janitore cum panibus, accepit eos Dei ſervus, & quaſi ſubridendo frangere cœpit, & porrigere latrunculis, dicens: Nunc videte, filii mei, quomodo fragiles fuiſtis, qui recentes panes iſtos minime, ut aſſeritis, frangere potuiſtis? Ipſi tamen nihilominus magis ac magis veniam cum lacrymis & cum omni humilitate requirebant ab eo. Quibus ille, ut erat omnium mitiſſimus, benigne locutus, conſolatus eſt eos, & admonuit ne amplius talia facere præſumerent, ut relinquerent cui deſerviebant iniqui latrocinii & rapinæ negotium: & ſic dimiſit illos.

LXXIII. *Item aliud miraculum.*

Per idem tempus venit ad eum quidam homo de Monte-Cuculli nomine Geraldus, cujus uxor per multa tempora jacuerat clauda in lectulo, & ait ad virum Dei STEPHANUM: Serve Dei, quid faciam, quia conjux mea gravi infirmitate quotidie affligitur, nec habeo unde eam vel uno die etiam ſuſtentare queam? Angit me ac detinet paupertas nimia: non enim ab ea recedere valeo aliqua hora diei propter gravem infirmitatem ipſius, ut de aliquo labore me & ipſam refocillare poſſim; unde a vicinis meis frequenter & aſſidue admoneor, quatenus eam apud Montem-Maurilienſem deferam, ut ibi in domo pauperum victum & tegumentum habere poſſit. Quo audito, vir Dei interrogavit eum ſi legali matrimonio eam ſibi conjunxerat, vel quid ei promiſerat in manu capellani ſui, cum eam in uxorem ſuſcepe-

» rat. Cui homo ille ſuſpirans ait: Certe, Do-
» mine mi, ego miſer & dolens bona fide
» compromiſi ei, ut ſanam aut infirmam eam
» pro viribus meis conſervarem: quod uſque
» ad præſens fideliter prout potui adimplere
» curavi; ſed deinceps hoc facere minime po-
» tero, eo quod inopia ac paupertate conſu-
» mor. Cui B. STEPHANUS dixit: Vide, fili, ne
» aliqua penuria depreſſus eam dimittere præ-
» ſumas, ſed ſicut promiſiſti, ita fideliter ac
» veraciter adimplere feſtina; aliter enim vi-
» tam æternam conſequi minime poteris. Con-
» ſidera diligenter, ſi te talis infirmitas deti-
» neret, velles ut ipſa te derelinqueret. Audi
» quod Dominus in evangelio jubebat, *quod*
» *tibi non vis fieri, alii ne feceris:* Confortare
» igitur & eſto robuſtus. Dominus enim con-
» ſolator & ſublevator eſt pauperum ac pu-
» pillorum, & providebit tibi ea quæ fuerint
» neceſſaria, ſi tamen in veritate atque juſtitia
» permanſeris. Cum autem hæc & horum ſi-
milia locutus cum homine fuiſſet, dixit ad
» eum: Expecta paululſper donec revertar ad
te. Et ingreſſus domum attulit ei tourtam
panis & nummum unum, & incluſit illum
» in manu hominis illius, & ait ad eum: Eſto
» ſecurus, & vade, ac de iſto pane & nummo
» iſto procura uxorem tuam, prout tibi dura-
» verit. Cum vero deficiet, fiducialiter ad nos
» revertere, & ſic dimiſit eum. Reverſus au-
tem homo ille ad domum ſuam, gaudens
& exultans nuntiavit uxori ſuæ quæ ſibi vir
Dei dixerat: qui cum aperuiſſet manum
ſuam, in qua B. STEPHANUS nummum unum
incluſerat, illico ſic multiplicatus eſt num-
mus ille quod nullo modo manus ejus re-
tinere poſſet. Cadebant enim ex omni parte
nummi de manu ejus & multiplicabantur
videntibus illis. Unde ſtupefacti & admiran-
tes laudaverunt nomen Domini, & quamdiu
vixit mulier, nummi illi numquam defece-
runt, ſed ſemper ſuam neceſſitatem, largiente
Domino, ſuppleverunt: quemadmodum de
Helia legitur, qui miſſus ad viduam Sarep-
tanam, cujus hydria farinæ non defecit, nec
olei lecithus non eſt imminutus. Vir autem
ſic poſtea, poſt tranſitum B. STEPHANI, fratri-
bus apud Muretum totum fideli narratione
ac veraci indicavit, de quorum numero ali-
qui ſuperſtites exiſtunt.

A B C D

LXXIV. *De viſione quam vidit domnus Hugo de Lacerta apud Muretum.*

E

Quadam igitur die dum B. HUGO diſcipu-
lus B. STEPHANI confeſſoris, a Grandimonte
quo cauſa viſitandi paſtorem ſuum STEPHA-
NUM DE LICIACO venerat, cum ſocio ſuo
GUIDONE DE MILLIACO iter arripiens deſcen-
deret, & verſus domum noſtram de Caſte-
nato tenderet, accidit ut campana eccleſiæ
Muretenſis loci ad miſſam a fratribus pulſa-
retur. Qua audita, prædictus HUGO ſocio ſuo
» Guidoni dixit: Frater, ingrediamur domum
Mureti, ut miſſarum ſolemniis, Deo volente,
intereſſe poſſimus. Qui reſpondens, præſto
ſum, ait. Divertentes vero ad locum illum,
ingreſſi ſunt cum omni feſtinatione domum
orationis, & locum viſionis divinæ. Preſbyter
autem cellæ illius ſolus cum ſolo miniſtro
præparabat ſe ad officium miſſæ. Prædictus
etenim HUGO cum ſurrexiſſet ab oratione,
& oculos ſuos ad altare & miniſtros altaris
intentus ſublevaſſet, repente vidit ſanctum
STEPHANUM leviticis ornamentis indutum ac
refulgentem, velut diaconum altari & ſacer-
doti cum omni devotione honorifice mini-
ſtrantem, & etiam, ut ſibi videbatur, audie-
bat eum evangelium pronuntiantem, deinde,
ut moris eſt diacono, illum ſacerdoti obla-
tionem præſtantem. Quo viſo, vir Dei jam
ſæpedictus HUGO alacris efficitur, lacrymis
perfunditur, & a ſuperno lumine illuſtratur,
ac tanta viſione lætatur, cujus tam celeber-
rimæ viſionis ac glorioſæ viſitationis ut cer-
tiſſimos teſtes haberet, vocavit unum de fra-
tribus qui in eccleſia erant, quærens ab eo
quot vel quanti eſſent miniſtri altaris. Qui
reſpondens ait: Domine, non ſunt niſi
duo, ſolus videlicet ſacerdos cum ſolo mi-
niſtro. Revertente autem fratre illo in locum
ſuum, vocavit & alium idem B. HUGO, quæ-
rens iterum & iterum ab eo prædictum ver-
bum. Cui & dixit frater ille: Certe, domine
mi, neminem ibi video præter ſolum preſ-
byterum cum ſuo ſocio. Hoc autem totum
faciebat, quatenus ſibi melius crederetur,
cum poſtmodum ab ipſo alicui hæc tam ce-
lebris viſio manifeſtaretur. Scriptum eſt enim
in lege divina, *In ore duorum vel trium teſtium conſtat omne verbum.* His itaque
peractis, & ſacris miſſarum ſolemniis rite ac
venerabiliter pertractatis, ſanctus STEPHANUS
confeſſor egregius ac Grandimontenſis or-
dinis paſtor & pater primus, noluit diſcipu-
lum ſuum quem valde dilexerat, & quem
tanta ac tali viſione vel viſitatione cœlitus
illuſtraverat, inſalutatum dimittere, ſed con-
verſus ad eum alacri vultu & læta facie ei
ſubridens, palmas ſuas extendit, & ſtatim diſ-
paruit. Credimus ſiquidem quod vir Dei
STEPHANUS tali extenſione manuum con-
vocaret diſcipulum ſuum ad cœleſte regnum;
nam eodem tempore fideliſſimus HUGO fi-
deliter migravit ad Chriſtum. Cum autem
egreſſus eſſet a loco illo, & cum ſocio ſupra-
dicto lætus & lætabundus, vel de tanta con-
ſolatione ac viſione conſolatus, ſecum cogi-
tando, viam carperet, invaſit eum frater GUIDO
tali modo dicens ei: Dic quæſo, mi pater,
cui multa manifeſtare conſueviſti, & qui me
indignum multa familiaritate multoque a-
more jam dudum amplecti dignatus es, quid
eſt hoc quod hodie vidiſti? Certe credo quod
aliquid tibi Dominus revelare dignatus eſt.
Vide ergo, pater amantiſſime, ne mihi in-
digno peccatori tua benignitas tantam ſata-

» gat abſcondere viſionem. Cui ille: Certe
» neſcis quid petas, aut quid requiras a me,
» perge velociter & ambulemus ſimul. Deſine
» ab hac ſtultitia, & noli quærere, nec altum
» ſapere quod non oportet. Iterum frater ille
» adjecit: Precor, pater, nec moram facias,
» ſed indica mihi viſionem hanc quam vidiſti:
» animadverti etenim dum tecum eſſem in
» eccleſia, te plus ſolito ſollicitum eſſe circa
» altaris officium. Cur enim cupis abſcondere
» Dei donum & gratiam. Indica mihi pro Dei
» amore, quæ & qualis fuit illa viſio quam
» vidiſti. Cumque pater ille amantiſſimus hæc
& horum ſimilia a fratre illo audiſſet, pro-
» teſtatus eſt eum dicens; In virtute Spiritus-
» ſancti & ſub periculo animæ tuæ inhibeo
» fraternitati tuæ, ne cui dum vixero mani-
» feſtare præſumas hanc viſionem quam a me
» petis tibi enucleari. Cui ille reſpondit: Pro-
» mitto tibi per ſalutem animæ meæ, quod
» nemini pandam dum vixeris. Poſtmodum
ille ſanctiſſimus pater indicavit ei per ordi-
nem fideliter viſionem quam viderat, & ad-
» jecit: Scio me in proximo egreſſurum de
» ergaſtulo corporis mei, & ingreſſurum viam
» univerſæ carnis, quia vocavit me magiſter
» meus ad nuptias Agni immaculati, ut in-
» habitem in domo Domini omnibus diebus
» vitæ meæ, & ſatier ab uberibus conſolatio-
» nis ejus. Poſt tranſitum autem prædicti domni
HUGONIS, frater GUIDO hanc viſionem fra-
tribus revelare curavit.

GERALDUS DEI GRATIA Grandimontenſis prior VII.

I. *De revelatione beati Stephani.*

DUm ordo Grandimontenſium diu poſt tranſitum B. STEPHANI confeſſoris Chriſti, divina largiente gratia, religione, ſanctitate, ac bonitate, populis multiplicatus in magna pace, caritate, honore & proſperitate non modica perſtitiſſet, ultimo anno papatus LUCII III. PHILIPPO rege Francorum, & HENRICO rege Anglorum regnantibus, oborta eſt gravis diſſentio, peccatis noſtris exigentibus, Deo permittente, & inimico humani generis inſtigante, in ipſo ordine noſtro. Unde neceſſitas coëgit ut fratres invicem altercantes ad curiam accelerarent. Heu! heu! proh dolor, qui diu pacifici extiterant, modo facti ſunt diſcordes, qui ſeſe dilexerant, modo facti ſunt inimici: qui ſanctitatis virtute præminebant, in dedecus & ſubſannationem a multis rediguntur; & quid dicam? Flebant, lugebant, lamentabantur, anguſtiabantur pene omnes amici ordinis, eo quod viderent & audirent falſidicos & inimicos veritatis impia verba proferre, garrire, ſtrepere contra religionis obſervantiam, adverſus caritatem fraternam. Timebant autem de ordine ne ſubverteretur, mutaretur, deſtitueretur, cum aſpicerent, cernerent perturbari undique ſtatum ordinis, diſcurrere fratres ac vagari per ſæculum, alios invitos, alios ſpontaneos. Inviti defendebant ordinem, ſpontanei contra ordinem. Et quid plura? Diſperſi ſunt lapides ſanctuarii in capite omnium platearum. Qui ſoliti erant veſci in croceis, amplexati ſunt ſtercora. Caritas fraterna vertitur in odium, veritas in mendacium, bonitas in tædium, ſanctitas in opprobrium, ſobrietas in deriſum, humilitas in contemtum, religio in detrimentum, obedientia in nihilum, fere omnis virtus in vitium. Quid ergo? Facti ſunt cives Jeruſalem cives Babyloniæ, ſpirituales facti ſunt carnales, animales, beſtiales, contra quos Apoſtolus, *Cum ſit inter vos zelus & contentio, nonne homines eſtis? Nonne carnales eſtis, & ſecundum hominem ambulatis?* Quis, inquam, talia videret, talia audiret, & a fletu, a gemitu, a ſingultu, a ſuſpiriis, a lacrymis ceſſare poſſet? O Domine, Jeſu bone! ô Redemtor generis humani piiſſime! ô Paſtor ſempiterne! ó Pater miſericordiſſime! ó Salvator amantiſſime! quare hoc ſuſtinuiſti? quare hoc permiſiſti? quare hoc ut ſic fieret diſpoſuiſti, ut populus tuus veneno diabolico ſic male interficeretur, domus tua confunderetur, religio perturbaretur, ordo venerabilis ita tractaretur, ſubſannaretur, in detrimentum & dedecus verteretur? Ubi eſt, Domine meus, ubi eſt protectio tua, ubi eſt promiſſio tua *Non relinquam vos orphanos?* Quare non nos viſitaſti? Cur ſceleribus noſtris non obviaſti? Cur facinora noſtra non deleſti? Heu, Domine mi! hic deficit ſenſus, hic deficit cogitatus, hic ignorantes facti ſumus, hic reatum noſtrum cognoſcimus, hic peccatum noſtrum confitemur: unde veniam petimus, miſericordiam & indulgentiam a te Domine miſericorditer atque ſuppliciter poſtulamus. Indulge, Domine, quia potens es, quia miſericors, quia ſuavis, & mitis, pius, benignus, qui omnium miſereris, & nihil odiſti eorum quæ feciſti, Domine, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Parce, Domine, parce populo tuo, & ne des hereditatem tuam in perditionem. Fac cum ſervis tuis miſericordiam. Viſita nos in ſalutari tuo, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui. Et ſi oblocuti ſumus, Domine, iſta ſic dicentes, ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, ſed cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis. Adjuva nos, Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum. Forſitan ob iniquitatem noſtram, & propter ſcelus noſtrum cecidit cæcitas hæc ex parte ſuper populum tuum, talis tentatio, ut aliis eſſet ad probationem, ceteris ad peremtionem,

id

id est bonis ad bonum, malis autem ad malum; vel forte, ut qui in ordine latitabant, & sub ovina pelle seipsos arte simulatoria tegebant, agnoscerentur, unde & vitarentur, repudiarentur, contemnerentur, vel qui prædestinati non erant in ordine ut salvarentur, egrederentur: vel ut ordo pacem & concordiam vel bona spiritualia quæ amiserat, te miserante, consequi posset. Ergo, Domine, audi vocem deprecationis nostræ & intende orationibus nostris, & qui aperuisti oculos Agar ancillæ tuæ, aperi oculos cordium nostrorum, & revelare digneris nobis famulis tuis, ut voluntas sancta tua erga nos sit, ut laudemus nomen tuum assidue, quod est benedictum per sæcula. Amen.

II. *Item admonitio ad fratres.*

Igitur, dilectissimi, hæc audientes compungimini, & nolite peccare vel contristari; sed recolite quemadmodum Deus omnipotens miro & inæstimabili modo permisit peccatis hominum terram Jerosolymitanam ea tempestate, qua hæc apud nos facta sunt, in manibus Allofilorum transferri, populum suum ab eis interfici, captivari, torqueri. Hæc autem sæpissime in divinis libris inveniuntur, quemadmodum Pater misericordiarum suos patitur hodie habere ab initio sæculi persecutiones ac tribulationes. Quid enim de Noë justo factum est? Nonne passus est cataclismi tormentum? Nonne Abraham fidelis exul factus est? Nonne Moyses mitissimus hominum insecutus est a Pharaone? Et Israël Dei populus nonne persecutus est a Pharaone ipso & Ægyptiis? Quid David justus, quem Dominus omnium invenit secundum cor suum, passus est ab impio Saüle? Quid iterum & iterum filii Israël passi sunt a Nabuchodonosor, & a ceteris a quibus sæpissime captivabantur? Quid sancti patriarchæ? Quid prophetæ? Quid sancti apostoli & sancti martyres, & sanctæ ecclesiæ doctores, ab infidelibus passi sunt? Recolite ipsum Dominum patriarcharum, prophetarum, apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, ceterorumque fidelium, quo modo pro omnibus & a quibus passus est. Quid mirum si tanta vel talia ipse & sui passi sunt, si permisit nos tribulari, qui peccatores, qui fragiles, lutea vasa portantes, & ideo debiles & imbecilles sumus? Ne miremini igitur si ita factum est, quia a Domino Deo nostro sic permissum est, & est mirabile in oculis nostris: ab ipso enim est omne datum optimum & omne donum perfectum, qui suos in hoc mundo, ut audistis, permittit tribulari, torqueri, cruciari, ut postmodum ab eo consolentur, visitentur, remunerentur, coronentur, glorificentur. Unde Apostolus, *Si socii passionum fuimus, erimus & consolationis.* Et alibi: *Tribulatio patientiam operatur, probationem patientia, probatio vero spem, spes autem non confundit, &c.* Et alibi: *Quod lima ferro, quod fornax auro, quod flagellum grano, hoc facit tribulatio justo.* Ergo dilectissimi sustinete patienter persecutiones si venerint, tentationes si invaserint, tribulationes si occurrerint, necessitates si affuerint, dicentes cum Job beatissimo: *Si bona suscepimus de manu Domini, &c.* Consolamini igitur invicem in verbis istis, & audite Petrum apostolum dicentem: *Si quid patimini propter justitiam, beati.* Nunc autem viriliter agite, & confortetur cor vestrum, & expectate Dominum, quia veniens veniet & non tardabit. Cavete igitur ne amplius in vobis sint schismata, sed eligite carismata meliora, quia, ut ait Apostolus, servum Dei non oportet litigare; sed semper & assidue pax, patientia, gaudium, longanimitas, bonitas, benignitas, caritas non ficta, humilitas fructuosa, quibus virtutibus decenter ornati valeatis lucere tamquam luminaria in mundo, in medio nationis pravæ & perversæ, verbum vitæ continentes & supportantes invicem in timore Christi, imitantes & sequentes vestigia ac mandata patris nostri STEPHANI beatissimi, cujus memoria in benedictione est, quem Dominus Deus sua pietate nostris temporibus, in quos fines devenerunt, mirificavit ac revelavit tali modo:

III. *Item de revelatione B. Stephani.*

Cumque, ut prælibavimus, ista dissensio fere per triennium graviter perdurasset, ibant ad curiam fratres sæpissime, & revertebantur parum aut nihil proficientes, usque ad tempus CLEMENTIS papæ III. qui iterum post confirmationem ADRIANI, ALEXANDRI, LUCII prædecessorum suorum, regulam institutionesque confirmavit, privilegia innovavit, duosque priores qui tunc temporis invicem erant contrarii destituit, & licentiam eligendi priorem indulsit. Accepta igitur licentia fratres ab eo, completisque negotiis in pace & gaudio revertuntur, adunatoque universali capitulo in Grandimonte ex præcepto domini papæ in festo S. Michaëlis, tractatur ex more de eligendo priore, attamen non defuerunt, qui hoc ut non fieret perturbare nitebantur. Alii dicebant sic, alii vero sic, fere unusquisque suum quærebat priorem. Sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Cumque vidisset divina bonitas eorum corda vehementer ab invicem esse divisa, ex improviso affuit in eorum conventu Sancti Spiritus præsentialiter consolatrix gratia, quæ corda eorum vehementer accendit & inflammavit & in unum convertit. Facta est igitur in capitulo tranquillitas magna & exultatio, ita ut ibi videretur quod Deus omnipotens in medio eorum descendisset. Flebant igitur fratres fere omnes, & consolabantur invicem & lætabantur, Dominum benedicentes

cum gaudio, cernentes Dei præſentiam adfuiſſe. O divina bonitas! ô ineffabilis Dei pietas! ô inenarrabilis Domini ſuavitas, quæ quam citius vis omnia diſponis, omnia contraria ad tuum velle reducis. Quis utique tam cito poſſet mentes eorum, quæ ab invicem diſcordes erant, ad unitatem reducere & ad concordiam revocare, niſi tua præſens affuiſſet gratia? Verum eſt, Domine, verum eſt quod dicis: *Sine me nihil poteſtis facere.* Tibi laus, tibi gloria, honor, virtus & imperium, quia non derelinquis quærentes te Domine, nec præſumentes non de ſe, ſed de te. Cumque ſic viſitati fuiſſent a Domino & conſolati per dimidiam fere horam unanimiter concordantes dixerunt: Eligantur » fratres duodecim ex nobis, ſex clerici & ſex » converſi, qui, Deo volente, & facta primi» tus oratione, ſibi & nobis ac totius ordinis » utilitati provideant, & eligant paſtorem. Quod ita factum eſt, & Deo volente, atque univerſali capitulo conſentiente, GERALDUS eligitur a B. STEPHANO prior VII. Gaudent fideles & exultant, lætantur in laudibus divinis. Promittitur ei obedientia ab omnibus. Erant enim ibi fratres congregati fere numero quingenti, minus vero viginti, ducenti clerici & amplius viginti, & ducenti converſi & ſexaginta. His itaque ex conſuetudine peractis, tractatur de revelatione beati STEPHANI. Conſilio habito cum domno HELIA Burdegalenſi epiſcopo, & cum SEIBRANDO Lemovicenſi epiſcopo, & cum BERTRANDO Agennenſi epiſcopo, qui tunc temporis in Grandimonte convenerant, & acceptis litteris ab eis, & a ceteris epiſcopis, archiepiſcopis, abbatibus, principibus, ipſe prior GERALDUS duos de diſcipulis ſuis, Robertum ſacerdotem & Guillelmum fratrem converſum, verſus curiam cum atteſtationibus ſupradictis ut irent deſtinavit. Qui viriliter ſuſcepto impoſitoque ſibi negotio cum omni proſperitate, ac Deo ducente, meritis B. STEPHANI Romam venerunt. Suſcepti igitur a ſummo pontifice & a quibuſdam amicis ſuis cardinalibus, litteras atteſtationis quas ſecum detulerant oſtenderunt. Viſis perlectiſque litteris, domnus papa cum cardinalibus negotium iſtud, Deo diſponente, fideliter adimplere curavit, credens quod ſi ſuo tempore tale ac tantum opus perficere poſſet, magnum præmium apud Deum meritis B. STEPHANI perenniter obtineret. Habitoque cum ſuis fratribus conſilio, deſtinavit Dominum Præneſtinum epiſcopum, JOHANNEM ſancti Marci cardinalem & apoſtolicæ ſedis legatum, dans ei privilegium atque mandatum quatenus veloci curſu ad Grandimontem accederet, & ſanctum Dei honorifice, ut decebat, canonizaret, & ſanctorum catalogo conjungeret. Nobis autem & capitulo noſtro tale privilegium per fratres noſtros tranſmittere curavit in hunc modum.

A CLEMENS *epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis in Chriſto filiis* GERALDO *priori & fratribus Grandimontis ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Ideo ſacroſanctam Romanam eccleſiam Redemtor noſter caput omnium eſſe voluit & magiſtram, ut ad ejus diſpoſitionem & nutum, divina gratia præeunte, quæ a fidelibus gerenda ſunt ordinentur, & errata in melius corrigantur, & ad ejus conſilium in ambiguis recurratur, & quod ipſa ſtatuerit nemini, quantumcumque de ſuis meritis glorietur, liceat immutare, nam ſi forte promiſcua daretur* B *univerſis licentia, quacumque ſibi ſecundum voluntatem propriam occurrerent perpetrandi, & confuſa libertas, cum ſecundum perſonarum diverſitatem vota diſſentiant, in aliorum aliquando ſcandalum ſine juſti diſcretione libraminis commendanda ſupprimeret, & minus digna laudibus indebitis celebraret. Inde ſiquidem fuit quod bonæ memoriæ prædeceſſor noſter* URBANUS, *audita fama religionis & vitæ commendabilis puritate, qua ſanctæ recordationis* STEPHANUS *Grandimontenſis ordinis inſtitutor emicuit, quantis etiam miraculorum teſtimoniis omnipotens Deus ipſius voluit mando merita declarare,* C *legatis quos ad partes illas direxit pro quibuſdam negotiis eccleſiæ tractandis, plenam circa hæc inveſtigationem committere voluit, ut ex ipſorum ceterorumque virorum, quibus ſine dubitatione fides eſſet adhibenda, teſtimonio, ad id agendum conſulte procederet; quod & fidelium commodis & ejuſdem ſancti viri honori, qui hactenus velut in ſterquilinio gemma latuerat, congruere videretur. Nos etiam ex teſtimonio cariſſimi in Chriſto filii noſtri* HENRICI *illuſtris Anglorum regis, necnon venerabilium fratrum noſtrorum* GUILLELMI *Remenſis S. Sabinæ cardinalis,* BARTHOLOMÆI *Turonenſis &* HELIÆ *Burdegalenſis archiepiſcoporum,* D *&* SEBRANDI *Lemovicenſis epiſcopi, & dilectorum* BOBARDI *tunc S. Angeli &* OCTAVIANI *SS. Sergii & Bacchi diaconorum cardinalium, qui in partibus illis functi ſunt legationis officio, & aliorum multorum epiſcoporum plenius inſtructi de vita, meritis, & converſatione qua ſæpedictus vir ſanctus aſſeritur floruiſſe, & quod eum multimodis miraculorum indiciis divina voluit pietas illuſtrare, hujus executionem negotii dilecti filii noſtri* JOHANNIS *tituli S. Marci presbyteri cardinalis apoſtolicæ ſedis legati, duximus arbitrio committendam; per apoſtolica illi ſcripta mandantes, ut ad locum illum accedens & convocatis adjacentium illarum partium epiſcopis ceteriſque viris religioſis, ipſum inter ſanctos auctoritate qua fungimur nos denuntiet adſcripſiſſe, deinceps in ſanctorum catalogo numerandum, & per ipſius merita redemtoris ſuffragia decreviſſe cum reliquorum ſanctorum interventionibus poſtulanda. Datum Lateranis* XII. *calendas Aprilis, pontificatus noſtri anno* II.

Acceptis itaque litteris domini papæ, & recuperatis honorifice, ut decebat, nuntiis

noſtris, admodum lætati ſumus, & Deo gratias, ut potuimus, cum dignis laudibus exultantes & alacres reddidimus. Tunc omnis fratrum conventus cum magna devotione nobis ſupplicavit atque exhortatus eſt dicens: » Domine pater, veſtra diſcretio novit quo- » modo & quemadmodum pater ſpiritualis » domnus PETRUS Lemovicanus prior ſecun- » dus, domino ac venerabili patri primo B. » STEPHANO, & quaſi increpando ac minando, » cum cerneret quod Deus per merita ipſius » prodigia & ſigna faceret, eum ne taliter » ageret prohibuit, viriliter dicens: Quid eſt » hoc? quid eſt quod agis, Pater amantiſſime? » Quare vis nos ſervos ſanctitatis tuæ perpe- » trando miracula tua excludere ab hac pau- » pertatis humilitatiſque via? Nonne ſigna ac » miracula turbas congregationeſque homi- » num requirunt? Et quomodo poterimus per- » manere in ſecreto ſolitudinis, ſi undique » turbæ adveniunt, auditis & viſis miraculis » tuis? Numquid non credimus ſanctitati tuæ? » Certe credimus. Ut quid vexare nos cupis? » quid tibi & miraculis? Deſine, deſine, cave » dico ab eorum pompis, nihil tibi & illis. » Deſiſte, mi domine, aut ſi non feceris, certe » non diligam te, & ab iſto loco inhoneſte » omnino excludam te, & projiciam te in ali- » quem locum viliſſimum & inhoneſtum. Hæc » ſunt verba quæ habuit cum B. viro STEPHANO » pater amabilis, cauſa magnæ religionis & » humilitatis. Nunc vero ſi placet, pater bone, » humiliter & piis precibus flexiſque genibus » ſupplicare dignemini, quatenus tempore ſuæ » revelationis nos viſitare ac conſolare digne- » tur aliquibus ſignis. Vos enim cernitis qui- » bus tenetur Dei populus obligatus vinculis » cæcitatis atque infidelitatis, & niſi viderint » ſigna & prodigia, certe minime credent. » Signa autem dantur infidelibus non fidelibus. » Requirat itaque veſtra humilitas ab eo, ut » fiant & appareant aliqua miracula ejus me- » ritis & precibus divino munere in Dei po- » pulo. Quo audito, admodum gaviſi ſumus, & exultantes ac lætabundi eis diximus: Ve- » nite ergo & congregamini, & eamus ante » ſepulcrum beati viri, & invocemus nomen » Domini, ut qui eum mirificare incipit, di- » verſis dignetur eum honorare miraculis. Tunc fratres omnes veniunt, orationi inſiſtere non deſiſtunt, Dei quærunt auxilium, laudantes nomen Domini quod eſt benedictum in ſæculis.

IV. *De miraculo quod ante revelationem beati Stephani accidit.*

Cumque tempus revelationis appropinquaret, ecce homo quidam cæcus & ſenex ducitur in Grandimonte de parochia vici Ambaſiaci, quærens & poſtulans auxilium Domini & viri Dei Stephani. Et quid? Manibus ſui ductoris trahitur in eccleſiam, nobis videntibus atque præcipientibus, introA mittitur, ad altare deducitur, oratio a fratribus pro eo ſanando ad Dominum funditur, ſigno veræ crucis conſignatur, illico illuminatur, lumen recuperatur, ſanatus lætatur. Qui ſine ductoris manu ingredi non valuit, abſque ductoris auxilio, videns & lætabundus exivit. Hoc vidimus, hoc teſtamur, & teſtimonium iſtud verum eſt. Appropinquante autem feſto S. Auguſtini, & jam defuncto recenter HENRICO (*a*) Anglorum rege illuſtriſſimo, cum magna velocitate dominus legatus ac veloci curſu ad Grandimontem accedit. Convocatis igitur & coadunatis ibidem B epiſcopis, & archiepiſcopis, videlicet domno HENRICO Bituricenſe, RAINAUDO Apamienſe, qui tunc temporis a tranſmarinis partibus exul huc venerat, necnon & HELIA Burdigalenſe archiepiſcopis, & SEIBRANDO Lemovicenſe, & GUILLELMO Pictavenſe, & HELIA Xantonenſe, & ADEMARO Petragoricenſe, & GERALDO Caturcenſe, & BERTRANDO Agennenſe epiſcopis, abbatibus etiam & viris religioſis, & plebe innumerabili. Tunc etiam clerici, qui uſque ad tempus illud diſcordes extiterant, Deo inſpirante, C ad pacem redeunt, & videntibus cunctis quos ſupra nominavimus, in capitulo obedientiæ noſtræ jugo humiliter, ut decebat, colla ſubmittunt, & in oſculo pacis, a nobis & a fratribus devote ſuſcipiuntur. His itaque peractis, ac lætantibus & exultantibus in Domino univerſis, venimus ad locum ubi corpus B. STEPHANI cum digno honore humatum jacebat. Tunc domino legato jubente atque præcipiente a terra elevatur, & per clauſtrum cum magna devotione cereis ardentibus & thuribulis fumigantibus portaD tur, populo præcedente, & ſubſequente, cum hymnis & laudibus in eccleſia deducitur, & ſuper altare B. Mariæ honorifice ponitur. Domnus autem HENRICUS Bituricenſis archiepiſcopus & primas Aquitanicus, juſſu & præcepto domini legati, præparat ſe ad officium miſſæ in honore S. STEPHANI, & incipitur a cantoribus ſolemniter antiphona *Os juſti*. Deinde nos, accepta licentia a domino legato, in alia crypta præparamus nos cum miniſtris, ad miſſarum ſolemnia in honore B. STEPHANI celebranda: cumque miſſarum E ſolemniis cum omni devotione & timore intenti eſſemus, & ad canonem poſt *Sanctus* ingreſſi fuiſſemus, Ecce ſubito ex improviſo frater quidam preſbyter nomine Simon, venit clamans de eccleſia, quem ad cuſtodiendum B. STEPHANI corpus ibidem reliqueramus, adducens ſecum puerum, & dixit: Domine pater, domine pater, videte & aſ- « picite ſigna & miracula quæ Deus omnipo- « tens ſua mira omnipotentia modo per bea- « tum STEPHANUM patrem mirificum in puero « iſto mirabiliter nobis videntibus operari di- «

(*a*) Obiit anno 1189. apud Chainonem ſepultus in eccleſia Fontis-Ebraldi.

gnatus eſt. Nos vero cum de tanto clamore ac ſubito perterriti admodum fuiſſemus, nec mirum qui tanto pondere preſſi & obligati eramus, tamen ut potuimus reſpeximus, & ipſe qui tali neceſſitate ſilentium tali loco violaverat, quod nequaquam præſumeret, niſi miraculorum ſtupor eum cogeret, loqui » adjecit. Ecce, Domine, puer iſte quem vi» detis, ex utero matris ſuæ claudus extitit & » mutus & manibus aridus. Ecce pater ejus » quem agnoſco Helias-Valaris nomine, & » uxor ejus mater iſtius pueri, qui hoc teſtan» tur, & ideo a Lemovicenſi villa, cujus cives » ſunt, huc eum adduxerunt, ut Deus omni» potens per B. STEPHANUM ſanando viſitaret. » Ecce, domine, ecce videtis, libere loquitur, » ecce ambulat, manus ad libitum ſuum mo» vet. Puer iſte jam decennis eſſe poteſt. Cumque ipſo talia loquente ac dicente, ſtupefacti ac mirantes hæc diu cerneremus, conſolationis ac viſitationis ſupernæ præ gaudio palmas ad cœlum tendimus, lacrymas perfundimus, & ad terram proſternimur, Dominum omnipotentem, ut potuimus, corde & ore laudavimus, atque cum his qui ad ſpectaculum iſtud confluxerant ipſum benedixímus. Puer autem loquebatur, ambulabat, & populus Dei ſuper his gratulabatur. Erat autem puer pulcher aſpectu, & decora facie. Nos autem ad locum canonis, quem reliqueramus exultantes ac conſolati, de miraculis revertimur. Cumque ex more ipſum canonem feſtinantes proſequeremur, poſt conſummatam jam Dominicam orationem, ecce iſdem preſbyter qui ſupra adducens alium adoleſcentem majorem priore, filium cujuſdam burgenſis Lemovicenſis, nomine Petri de Uſerchia, & clamavit dicens: Do» mine, domine, ecce recens miraculum & » non modicum, adoleſcens iſte veſicam ma»gnam & non modicam in collo habebat, » quæ eum graviter affligebat, nec valebat » ſurſum aſpicere, nec faciem ſuam aliquor» ſum vertere, niſi ſimul cum toto corpore, » quia mentum ejus conglutinatum & conjun» ctum permanebat cum corpore. Venit autem » pater ejus quem cernitis, & obtulit eum B. » Stephano cum lacrymis, quatenus ei auxi» lium conferret de cœleſtibus, qui jam mi» randis coruſcat virtutibus: qui dum oration» vehementer inſiſteret, & auxilium divinum » quæreret, cœpit veſica fugere, mentum ejus » a pectore diſrumpere. Tunc puer correptus » dolore nimio clamare cœpit denuo, O Deus, » quia doleo, ſana me pro amore tuo, ſana » me per ejus merita, cujus poſtulo ſuffragia. » Cumque puer hæc diceret, illico ſanatus eſt. » Nunc ergo, pater mi, Deum benedicite, » qui nos viſitavit hodie. Ecce duo miracula tempore ſunt parvo. Ad hanc vocem presbyteri, totus in me contremui, cernens Dei magnalia, quæ facta ſunt pro beati viri gloria. Iterum lacrymis perfundimur, & ad terram proſternimur, manus ad cœlum tendimus, cum hymnis & cum laudibus Dominum laudare cœpimus. Adunantur & congregantur populi ad ſpectaculum talis ac tanti miraculi, laudantes nomen Domini & ſanctitatem beati Stephani.

V. *De puella ſanata.*

Completis igitur miſſarum ſolemniis, adeſt pro foribus tertium miraculum, miraculoſum atque glorioſum. Puella quædam de Berciaco vico cum ceteris advenerat, quæ manum dextram curvam & aridam ex utero matris ſuæ habebat. Venit & oravit, & fere per dimidiam horam ad orationem ſtetit, & quæ curva & arida manus extiterat, Dei virtute erigitur, ad ſignandum ſe extenditur, digiti ab invicem disjunguntur, opera Dei a populis laudibus extolluntur, a clericis hymni & cantica canuntur. Et quid dicam? repletur clamoribus eccleſia, mirantur atque extolluntur Dei magnalia, venerantur atque laudantur B. STEPHANI merita, cognoſcitur ac recipitur præſens Dei gratia. Quare? quia adducuntur cœci & illuminantur, claudi & curantur, muti & fantur, dæmoniaci & liberantur, amentes & mutantur, ægri & ſanantur, mortui & ſuſcitantur, ſurdi & adjuvantur. De quorum multitudine ſignorum pauca volumus, ſi poſſumus, admodum ſub brevitate tranſcurrere, ne verborum prolixitas ſit legentibus vel audientibus oneroſa. Bona enim ac brevis lectio aliquando legentibus ſit utilis eruditio, quantoque ſit prolixior, tanto eſt oneroſior. Et quid plura? quamvis multa divinitus apparuerint ſigna, tamen pauca ponuntur in hac pagina, de quibus veſtræ dilectioni veſtræque utilitati meliora, certiora, gratiora ſcribere propoſuimus. Nam die revelationis S. Stephani cum nocte ſubſequenti decem & ſeptem, gratia Dei operante ac meritis ipſius, patuerunt miracula. Quædam quidem vidimus, quædam minime vidimus, ſed audita credimus. Nam vicecomes Lemovicarum, ut fertur, ADEMARUS puerum a nativitate cœcum ipſa die revelationis per beatum STEPHANUM divinitus illuminatum duxit ſecum ad nutriendum. Hoc audivimus, ſed non vidimus, cum in illo loco fuiſſemus. Non enim omnia quæ ibi ipſa die facta ſunt vidimus, & ſi non vidimus, non credemus? Multo majora ſunt quæ audivimus quam ea quæ vidimus: nonne dicit Apoſtolus, Fides eſt ex auditu? ideo fides adhibenda eſt, maxime his qui veritatem loquuntur, ac veritati obediunt. Dominus enim dicit in evangelio, *Noli eſſe incredulus, ſed fidelis.* Et item: Qui non credit, recedit; & qui credit, accedit. Fides autem habet apud Dominum magnum meritum, ſi bonis ſulciatur operibus. Sunt enim quædam inviſibilia quæ oculis carnis nequaquam videri poſſunt, ſed ocu-

lis fidei veraciter conſpiciuntur. Attamen multotiens videri putantur quam pluribus nec videntur, ut eſt Corpus Dominicum; ponitur in altare panis & vinum, conficitur enim verbis divinis a ſacerdote, nec mutatur color vel ſapor in exterioribus creaturis, ſed interius viget virtus in ſubſtantiis ſanctitatis. Oculi vero exteriores hæc minime cernere poſſunt, niſi quæ exteriora ponuntur. Aperiendi igitur ſunt oculi interiores, id eſt intellectuales, ut videant & intelligant quæ intrinſecus latent. Exteriora enim exterioribus oculis videntur, id eſt panis & vinum, & interiora interioribus oculis cernuntur & contempiantur, id eſt Corpus & Sanguis Domini. Hæc ſunt ſacramenta & argumenta veræ fidei. *Fides enim eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Numquam autem credidimus niſi viderimus? Audite ergo Iſaïam, immo Spiritum-ſanctum dicentem atque minantem: *Niſi credideritis, non permanebitis;* & Dominus in evangelio: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.* Credite ergo, credite, ut permaneatis, videntes ſigna & prodigia, & audientes mirabilia quæ facta ſunt noſtris temporibus, largiente divina gratia, per beati STEPHANI veneranda merita, & nolite obdurare corda veſtra, quia potens eſt Deus facere ſupra id quod poteſtis credere.

VI. *Item aliud miraculum.*

Adhuc autem narrabimus aliud miraculum pretioſum atque jucundum quod accidit tempore ſuæ revelationis. Erat quædam mulier apud Lemovicas, mater uxoris Heliæ Valaris, de quo ſupra mentionem fecimus, cujus filius per Dei gratiam triplici miraculo ſanatus eſt. Hæc mulier per tempora multa ſurda extiterat, nec omnino aliquid audire valebat: quæ cum vidiſſet revertiſſe filiam ſuam & generum ſuum cum nepote ſuo ſanato a Grandimonte, requiſivit a filia ſua unde veniſſet, vel quæ eſſet neceſſitas cur tanto tempore abſentaſſet ſe a domo ſua: quæ innuens ei rem, indicavit quæ acciderant. Cui mater: O bona filia, ſi tibi placuerit ut retro pro me revertaris, forſitan Deus omnipotens per ſanctum ſuum me miſeram & indignam tuis laboribus tuiſque orationibus intervenientibus, reſpicere & conſolari dignabitur. Video nepotem meum omnino ſanatum; ſed audire nequeo. Revertere igitur, bona filia, quæſo, revertere enim, filia. Nudis pedibus ac veſte lanea induta, portanſque candelam in manibus. Venit accedens ad tumulum ſancti, & orationi incubuit. Quæ cum oraſſet & oblationem feciſſet, cum omni fiducia ad matrem reverſa eſt, & invenit matrem ſuam jam ſanatam, & quam ſurdam reliquerat, modo lætantem atque audientem divino munere ac meritis B. STEPHANI videbat & audiebat. Fit gaudium magnum & exultatio in domo illa, tam de puero ſanato, quam de vetula illa. Unde & filia ejus iterum cum gaudio reverſa eſt in Grandimonte, quatenus Deo & B. STEPHANO, qui domum ſuam meritis ipſius viſitaverat, gratias cum laudibus ageret, & miracula quæ in domo ſua acciderant omnibus manifeſtaret. Felix mulier & inclyta, quæ divinorum operum nuntiatrix eſſe potuit, & cui Dominus Deus glorioſi confeſſoris ſui ſuffragantibus meritis tanta beneficia largiri dignatus eſt. Numquam enim talia ac tanta miracula in tam famoſa villa abſcondi potuerunt. Unde & in eadem villa eo tempore multa ſigna, Deo volente, per beatum STEPHANUM perpetrata ſunt. Hoc autem preſbyter qui audivit & partim vidit, nobis veraciter retulit.

VII. *Item aliud miraculum.*

Factum eſt autem cum hæc feſtiva celebrarentur in eadem villa, & publice fere prædicarentur, audivit quædam puella pauperrima, quæ in utero matris ſuæ clauda extiterat, quod Deus & Dominus noſter in Grandimonte ad tumulum beati ac ſancti talia faceret, ingemuit & dixit: O Domine Deus, « quid faciam, quia non habeo conſolatorem « qui me illuc transferat, eo quod inopia & « paupertate permaxima aggravor? Sed ſcio, « Domine, te eſſe conſolatorem & ſublevatorem pauperum, tu eſto mihi adjutor & « conſolator in hac tribulatione mea, & per « merita beati STEPHANI, ſi vera ſunt hæc « quæ audio, & credo quia vera ſunt, auxiliare mihi miſeræ ancillæ tuæ. Tu enim hic « mihi per ipſum potes me juvare, quemadmodum ſi eſſem ante ejus ſepulcrum, hanc « fiduciam habeo in te, & in virtutibus ejus. « Fac ergo, Domine, fac miſericordiam cum « ancilla tua per ejus ſancta merita. Cumque « orationem ſuam compleſſet, reſpexit ad precem ejus, & exaudita eſt a Domino, & ut poſtulaverat, a Domino ſanata eſt, intercedente B. Stephano. Et ſic nimirum de die in diem divulgabantur ejus ſancti merita, & ſigna ac prodigia.

VIII. *Item aliud miraculum.*

Eodem tempore quidam burgenſis in eodem oppido Lemovicarum, nomine Stephanus, cujus uxor Mathildis nomine dicebatur. Hi habebant filium nomine Stephanum ex utero matris ſuæ jam fere per quatuordecim annos claudum. Qui cum audiſſent ſigna & prodigia fieri a Deo in Grandimonte, per beati STEPHANI bonitatem, ſtraverunt aſinum & impoſuerunt puerum claudum cum ſcabellis ſuper eum, & verſus Grandimontem cum magna fiducia venire cœperunt; & cum eſſent in itinere, jumentum illud neſcio quo caſu pedem ſuum incaute poſuit & corruit, & fracta ſunt ſcabella claudi

adoleſcentis. Quod cum vidiſſet claudus, » dixit matri ſuæ : Mater, nunc ſcio me ſa- » nandum fore, cum pervenero ad tumulum » B. STEPHANI in Grandimonte, & hoc eſt in- » dicium meæ ſanitatis, confractio ſcabello- » rum meorum quibus ſuſtentari conſueveram. Hoc dixit quaſi propheta recuperandæ ſuæ ſanitatis. Venientes autem ad ſepulcrum ſancti confeſſoris, oraverunt, fleverunt, & conſolationem a Domino meruerunt, & videntibus nobis omnibus, puer qui claudus fuerat ex improviſo ſurrexit, & erectus a Domino, ſuccurrente illi B. STEPHANO, hilaris & gaudens ire cœpit: quem accipientes propriis manibus poſuimus ſuper altare, currebat velociter a cornu altaris uſque ad aliud cornu, manibus ad cœlum erectis. Gaudebant omnes qui aderant, & præ gaudio alii flebant, alii lætantes hymnos & laudes Deo canebant, & ſancti STEPHANI merita prædicabant. Hunc autem puerum a parentibus ſuis donatum retinuimus nobiſcum ad nutriendum ob tanti miraculi teſtimonium.

IX. *Item aliud miraculum.*

Item quædam mulier nomine Johanna Brugiola de Monte gaudii, qui locus ſitus eſt juxta oppidum Lemovicarum, venit cum puero muto & manco. Erat enim infans ille enormis ad videndum. Os autem ejus diſtortum verſus ſiniſtram maxillam, & dentes inordinati in ore ejus erant, nec erat mirum, ſi loqui non poterat, certe comedere vix valebat. Manus ejus curva admodum & debilis erat, ſcilicet ſiniſtra. Et quid? oravit pro puero mater, ſupplicavit nomen Domini invocando, & auxilium B. Stephani poſtulando : quod cum feciſſet, meruit exaudiri a Domino, opitulante B. STEPHANO confeſſore reverendiſſimo, & ſtatim locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ, & timor magnus irruit ſuper eos, & benedixerunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus, atque ſanctitatem viri Dei omni admiratione pleni ac ſtupefacti extollere cœperunt. Divulgantibus fere omnibus ſigna & prodigia quæ quotidie Dei bonitate & beati viri meritis fiebant in Grandimonte ac multis in locis, in quibus memoria nominis illius habebatur, cœperunt multi venire concurſu & occurſu ex provinciis diverſis, ut meritis ipſius de neceſſitatibus ſuis mererentur a Domino Deo exaudiri. Inter quos venerunt duo juvenes quoddam ſudarium in manibus ſuis tenentes, qui a nobis requiſiti unde eſſent vel quid quærerent, aut cur illud ſudarium portarent, humiliter reſpon- » derunt : Domine, nonne vos prior eſtis do- » mus iſtius? quibus tale dedi reſponſum : Ita » eſt, filii mei. Et illi : Domine, nos de Le- » movicenſi provincia hac orti ſumus. Cauſa » pro qua huc ſudarium iſtud deferimus, hæc » eſt. Pater noſter quem habemus ſuperſtitem, modo in hac hebdomada, gravi urgente infirmitate defunctus eſt. Audientes autem ſigna & prodigia beati viri STEPHANI, invocare cœpimus virtutem ejus ſuper patre noſtro, ut Deus & Dominus noſter, ſi vera eſſent hæc quæ audieramus de viro iſto, ſuccurrere & adjuvare dignaretur per merita ipſius, quæ multa & magna ſunt nimis apud Deum. Cumque compleſſemus orationem noſtram, nec mora ſurrexit pater noſter & revixit : & ecce detulimus ſudarium iſtud in teſtimonium. Hæc cum audiviſſem, admiratus ſum vehementer, & glorificare cœpi nomen Domini cum ceteris qui hæc audiebant, & repleti ſunt omnes ſtupore & admiratione de eo quod contigerat illis, & quia Deus talibus ſignis tamquam apertis ſuum ſanctum decorabat & honorabilem reddebat.

X. *Item miraculum aliud.*

Poſt hoc autem mirandum miraculum narrabimus aliud ſignum quod tempore ſuæ revelationis, Deo miſerante, acciderit. Inter ceteros qui congregati fuerant infirmos, advenerat quidam juvenis de vico qui dicitur S. Hilarius juxta Beneventi (*a*) cœnobium, nomine Stephanus, qui cœcus a nativitate extiterat, eratque unicus filius matris viduæ pauperrimæ. Hic dum orationi ante ſepulcrum B. STEPHANI cum ceteris vehementer inſiſteret, & Dei miſericordiam anxius expoſtularet, ſanctumque STEPHANUM ut ſibi conferret auxilium magnis vocibus invocaret, ſubito adeſt virtus divina, quæ meritis beati Stephani ei reſtituit quæ numquam, ut ipſe poſtmodum nobis retulit, habuerat lumina. Hunc autem pro amore Dei ac pro honore glorioſi confeſſoris Stephani, quia pauper erat & indigebat, & ob teſtimonium tanti miraculi, in domo noſtra ad nutriendum & confovendum recepimus ac retinuimus.

XI. *Item aliud miraculum.*

Eodem autem die quo hæc facta ſunt, mulier quædam, quæ jam fere per octo annos lumen amiſerat, Deo propitiante & ſancto Dei auxiliante, nobis videntibus & multis aliis, feliciter recuperavit. Cui ipſa hora ob miraculi reverentiam contulimus parvi munuſculi alimoniam. Erat enim certe talis conſuetudo tunc temporis apud ſanctum iſtum de quo loquimur, quod plus auxilii, plus beneficii conferebat viduis, orphanis, virginibus, infantibus, pauperibus, quam divitibus. Hoc certe animadvertimus in miraculorum ejus operibus, & comprobavimus, & etiam aliud mirabile & miraculoſum. Dum enim pauca luminaria per diem ante eum coruſcarent, pauca vel nulla ab

(*a*) Beneventum erat monaſterium ordinis S. Auguſtini, duabus ab urbe Lemovica diſtans leucis, cujus reditus anno 1693. eccleſiæ Quebecenſi attributi ſunt.

eo fierent ſigna aut prodigia; ſed cum multitudo populorum occurrebat, & multiplex multiplicitas luminum ac cereorum circa eum accenderentur, & etiam omnis fere eccleſia intus & foris plurimis luminaribus ſolemniter coruſcaret, tunc ſigna & prodigia divinitus fiebant ab eo; quod cum animadvertimus, multotiens hæc cernentes, admiratione & lætitia replebamur, & urbana verba invicem, prout licebat ac decebat, loquebamur. Credimus certe quod Deus omnipotens tali honore ac tanto eum irradiare volebat, eo quod ipſe ſanctus, dum in mundo viveret, a mundi hujus cognitione ac veneratione, in quantum valebat, ſe viriliter & humiliter occultabat. Sæpiſſime vero contingebat, ut turbis advenientibus, vel cum illi ab aliquo magna donaria Dei amore offerrentur, ut inde Chriſti pauperes qui cum eo degebant ſuſtentarentur, ipſe cernens fugiebat, ac lacrymabili voce dicebat: Deus, abſconde me, „Deus, abſconde me. Cumque fratres ei di„cerent, & quaſi increpando eum reprehen„dentes: Ut quid, domine, modo fugis quan„do reverti deberes, etiam ſi fugiſſes, cum „cernis te a Domino viſitatum fuiſſe? Quibus ipſe humiliter, ut erat omnium mitiſſimus & benigniſſimus, verbis pacificis reſponde„bat: Timeo, fratres, ne Deus, quod abſit, „merita mea quæ fere parva aut nulla ſunt, „mihi indigno retribuat. Sic nimirum, ſic certe rerum temporalium vitabat ac fugiebat affluentiam & effluentiam, & ſi quando nequibat corpore, tamen corde.

XII. *Item aliud miraculum.*

Enarremus adhuc de his quæ vidimus vel audivimus aliqua ſigna. Inter cetera quæ ſuæ revelationis tempore fiebant prodigia, venerunt fortuitu peregrini in Grandimonte cauſa orandi, revertentes de Rupe-amatoris, ubi memoria beatæ Virginis Mariæ colitur, adducentes ſecum mulierem habentem manum aridam. Erant enim homines illi, ut audivimus, de Normannia nati, qui cum vidiſſent & audiſſent quæ rutilabant in Grandimonte tunc temporis divina opera per B. Stephani merita glorioſa, inſinuantes di„xerunt illi mulieri: Tange cito utcumque „poteris manu illa arida locum ubi quieſcunt „tumulata ſancti hujus membra ſacrata; quæ cum feciſſet, illico ſanata eſt.

XIII. *Item aliud miraculum.*

Eodem igitur tempore quidam homo amens, nomine Guillelmus, deductus eſt a matre ſua in Grandimonte, de vico ſcilicet S. Martini terræ Sudoris, ut Deus omnipotens per beatum Stephanum confeſſorem ei reddere dignaretur ſenſum & mentis ſobrietatem: quæ cum veniſſet, fere per triduum ad memoriam beati Stephani orando & poſtulando ſtetit: attamen ſancto Dei interce- A dente, adeptus eſt priſtinam mentis ſuæ ſobrietatem; qui poſtea lætus & exultans cum fratribus noſtris interfuit vindemiis, adjuvans & vindemians ſobrie cum eis.

XIV. *Aliud miraculum.*

Deinde narrabimus miraculum quod vidimus. Adhuc manebant in Grandimonte domnus legatus & Apamienſis archiepiſcopus, cum quo forte de quibuſdam negotiis tractabamus eo tempore vel hora qua miraculum iſtud accidit. Nox enim die jam recedente acceſſerat, & populus cum luminaribus accenſis tumulum ſancti viri circumdederat, & mulier quædam de Lemovicenſi epiſcopatu filium ex utero claudum, utcumque poterat adduxit; quæ ſtetit, oravit, & a beato Stephano auxilium anxia pro filio viriliter expoſtulavit. Hoc cum feciſſet, recepit illico filius ejus greſſum, & ſolidatæ ſunt baſes ejus & plantæ, & admiratæ ſunt turbæ. Tunc qui aſtabant populi traxerunt cordam cymbali, laudantes nomen Domini cauſa tanti miraculi, cujus ſonum cum audivimus, nos ſcilicet & archiepiſcopus ad eccleſiam venimus, claudum ambulantem invenimus, & laudem Deo reddidimus, ad altare deducimur, mirantes hoc miraculum. Turba adducit alium, qui cœcus jam extiterat, quem Deus viſitaverat, ad tumulum oraverat, pro quo lumen receperat, unde gaudet eccleſia cernens Dei magnalia, laudatur Dei famulus, congaudet omnis populus, videns divina munera, & Stephani prodigia. Archiepiſcopus miratus eſt de cœco qui illuminatus eſt, non habens ultra ſpiritum propter tantum prodigium. Ex una parte graditur claudus, qui tunc aſpicitur; cœcus aſpicit lumina qui numquam vidit talia. Hæc ſunt duo miracula, facta per parva ſpatia, quæ cernit omnis populus, unde laudatur Dominus, ſanctus Dei extollitur, inde laus Dei oritur, & pſalmus Deo cantatur, eo quod claudus graditur, luce cœcus perfruitur. Omnes laudemus Dominum, propter duplex miraculum, qui ſanctum ſuum ſervulum exaltavit in ſæculum.

XV. *Item aliud miraculum.*

Adhuc reſtant miracula quæ recipit eccleſia Grandimontenſis ordinis ſpatio illius temporis. Puella quædam adducitur de villa quæ Nobiliacus dicitur, non habens luminaria quibus cernantur omnia. Erant quaſi lapilluli, duri velut criſtalluli, unde ad ſanctum ducitur, & ad terram proſternitur. Orat ergo eccleſia pro illa Chriſti famula, ut lumen mundi videat, & Chriſtus eam exaudiat. Squammæ cadunt ex oculis, quæ erant ſimiles criſtallis, & videt quæ non viderat, quam tunc Deus reſpexerat. Maria iſta dicitur, quæ cernit & quæ cernitur, quod a nobis ſic quæritur, & ſic nobis innuitur. O

nova Chriſti munera ! O nova Chriſti gratia! quæ rutilat per ſæcula, & fulget in eccleſia, ubi ſanctus extollitur, ubi juſtus cognoſcitur. Quis umquam vidit talia quæ fiunt in eccleſia Grandimontenſis ordinis cum ceteris prodigiis? Laudatur Dei famulus, applaudit omnis populus, in hymnis & cum canticis, viſis tantis miraculis. Nunc igitur admiramini, ô filii cariſſimi, dantes honorem Stephano patri vero ſanctiſſimo.

XVI. *Item aliud miraculum.*

De cetero enarremus aliud laudabile ſignum, quod Deus & Dominus noſter ad honorem tanti patris & laudem ſui nominis eo tempore oſtendere ſuo populo voluit. [a] Apud Solemniacum (a) vicum quidam puer nomine Otgerius gravi infirmitate febrium uſque periclitabatur ad mortem: quod cum pater ejus Guillelmus & mater ejus Adelma nimio dolore affiicti vidiſſent, voverunt eum B. Stephano, & ſtatim convaluit, & ſanus factus eſt. Hoc ſignum preſbyter quidam nomine Petrus, qui vidit & audivit cum multis aliis, nobis poſtea fideliter retulit. Et etiam alius preſbyter nomine Guido, hujus ordinis frater, quod cum quadam nocte tempore revelationis beati confeſſoris Stephani cum ceteris fratribus cuſtodiret ſanctum ejus ſepulcrum, & plebs innumera utriuſque ſexus cauſa orandi adveniſſet, mulier quædam inter eos cum filia cæca affuit, quæ pro ipſa fundens orationem cum magna fiducia ad Dominum, quatenus ob amorem & honorem B. Stephani ſuæ filiæ viſum reſtitueret, quem fere per octo annos amiſerat, nec mora illico viſum recepit, & Deo omnipotenti qui viderunt aſtantes populi gratias egerunt, ac S. Stephano venerando confeſſori.

XVII. *Item miraculum aliud.*

Item alius frater Johannes nomine de Pulchra-arbore, nobis veraciter retulit, quod eo tempore venit quædam mulier de villa ſua nomine Petronilla, cum filio ſuo arido, cujus pater jam defunctus erat: quem cum vidiſſet frater ille, miſericordia motus eſt ſuper eum, & apprehendens de turba fiducialiter obtulit eum beato Stephano ad ſanandum. Quod cum oraſſent pro eo ipſe & alius nomine Aimericus, qui tunc temporis tumulum viri Dei forte cuſtodiebant, viſitavit Dominus Deus pro amore B. Stephani, & ſanatus eſt, & accepit mater ſua eum de manibus fratrum, & abiit gaudens & exultans cum ſanato filio.

XVIII. *Item aliud miraculum.*

Die autem revelationis miles quidam nobiliſſimus, nomine Eschivardus, cum locum portaret per clauſtrum cum ceteris ad proceſſionem, in quo erant reliquiæ corporis S. Stephani, a quartanis febribus meritis ipſius viriliter ſanatus eſt.

XIX. *Item aliud miraculum.*

Alius vero miles nomine Josselinus de Soloco, vir nobilis, per eumdem confeſſorem Stephanum ab ipſis quartanis eodem anno mirabili modo ſanatus eſt: qui poſtea cum fratre ſuo abbate Solemniacenſi ad tumulum beati viri, ut ei & Domino Jesu Christo gratias ageret, incolumis & gaudens acceſſit; ſic namque longe lateque Dominus Deus ſanctitatem ejus diverſis declarabat miraculis.

XX. *Item aliud miraculum.*

Cum autem hæc mirabilia quotidie ad ſepulcrum talis ac tanti viri in Grandimonte per merita ipſius, Deo diſponente, apertiſſime fierent, & rumor tantorum operum per diverſas regiones admodum pervolaret; accidit ut in oppido quodam quod Porgeria dicitur, homo quidam, nomine Johannes Gormundi, gravi uſque ad mortem fere per unum annum urgeretur infirmitate: non enim valebat manum ad os adducere, nec pedem movere, ut ipſe nobis poſtmodum retulit. Audiens ergo S. Stephani virtutem & inſignia, toto corde, quia ore nequibat, cœpit invocare nomen Domini, quatenus per merita beati Stephani confeſſoris clariſſimi ſibi gratiam priſtinæ ſanitatis reſtituere dignaretur, promittens & votum faciens, ut accepta ſanitate & incolumitate, poſtea ad ejus memoriam in Grandimonte gratulabundus acceleraret, quod & ita factum eſt. Completa oratione, illico ſanatus eſt, & ut voverat in Grandimonte venit, & Deo ac beato Stephano lætus & incolumis nobis cernentibus atque gaudentibus gratias peregit. Cui pro amore Dei & honore tanti miraculi cappam unam dedimus. Illo autem in tempore, id eſt in nativitate S. Mariæ Virginis, quinque miracula, tam cœcorum quam claudorum aliorumve infirmorum, Dei virtute & B. Stephano intercedente, ac meritis Dei genitricis, nobis videntibus & audientibus, mirabiliter ante tumulum beati Stephani perpetrata ſunt.

XXI. *Item aliud miraculum.*

Deinde in exaltatione ſanctæ Crucis cum divinis laudibus vehementer inſiſteremus, ecce ſubito clamor magnus in majori eccleſia, ubi corporis beati confeſſoris Stephani reliquiæ honorifice tumulatæ erant, oritur & vehementer extollitur. Cumque tanto clamore ſtupefacti eſſemus, & cito requiſiſſemus cur tantus tamque vehemens clamor in eccleſia fieret, comperimus quia mutus quidam, quem mater ſua ad ſanctum Dei virum,

(a) Solemniacum vicus duabus a Lemovicis diſſitus leucis, ubi habetur monaſterium ordinis S. Benedicti a ſancto Eligio fundatum.

virum, ſcilicet STEPHANUM, cum magna fiducia adduxerat, ob meritis ipſius recte loquebatur. Intermiſſis igitur divinis laudibus ob tanti clamoris fragorem ac venerandi miraculi honorem, egreſſi de locis matutinalibus cucurrimus ad locum, ubi qui a nativitate mutus extiterat, loquebatur. Jam enim turbæ eum cum cuſtodibus ante altare beatæ Virginis MARIÆ adduxerant, laudantes ac benedicentes Dominum, qui per beatum STEPHANUM illum viſitaverat. Cum autem illuc veniſſemus, invenimus eum loquentem ac dicentem: Date mihi ad bibendum, date mihi ad bibendum. Cucurrimus igitur velociter ad aquam quæ prope defluebat, & dedimus ei ad potandum, & hoc videlicet in teſtimonium tanti miraculi. Compleverat autem, ut nobis videbatur, juvenis iſte terminum jam fere duodecim annorum.

XXII. *Item aliud miraculum.*

Illis autem diebus alius juvenis qui fere per unum annum in lectulo languidus jacuerat, ad tumulum ſancti confeſſoris STEPHANI ab amicis ſuis delatus eſt. Cumque ad ſepulcrum ejus orarent, ecce ſubito languidus ille Dei virtute erigitur, & abſque alicujus hominis adjutorio incedere cœpit, & nobis cernentibus, qui tunc temporis ibidem eramus, videntes & aſpicientes, gradus lapideos, qui ante altare compoſiti ſunt, viriliter ac mirabiliter aſcendit. Erat enim hoc ſignum mirabile & dictu incredibile: nam brachia ejus erant quaſi lignea ſicca, & tibiæ ejus ſimiliter, manus ejus grandes & pedes, corpus ejus nimis macilentum, facies ejus pallida ac vehementer deformis. Quis umquam eum aſpiceret, qui non obſtupeſceret? Ex una parte compatiebamur ei, ex altera congratulabamur ei.

XXIII. *Item aliud miraculum.*

Adhuc autem non pigeat vos audire mirandum ſignum atque glorioſum, quod Deus omnipotens ſua mirifica bonitate per beatum virum STEPHANUM apud Glutorum villam operari dignatus eſt eodem anno ſuæ revelationis, id eſt in feſto S. Michaëlis. In præfata villa nundinæ, ut moris illius villæ eſt, celebrabantur: & ecce ſubito homo quidam, nomine Andreas, in ipſis nundinis febribus anxie invaditur. Cumque febricitaret pene uſque ad mortem, & videretur ſibi quod amplius vivere non poſſet, convocavit eccleſiæ preſbyteros atque clericos, ceteroſque amicos ſuos, & confeſſione facta, Corpore & Sanguine Domini noſtri JESU CHRISTI munivit ſe. Deinde juſſit præparari omnia quæ funeri ſuo erant neceſſaria, & dum exequiæ, ut viſum fuerat, pararentur, infirmus ille graviter cœpit nimio dolore affligi, & Nota. ad mortem uſque perduci. Quod cum viderent qui aſtabant, depoſuerunt eum de lecto in terra ſuper ſtramenta, ut moris eſt Chriſtianis mori, manuſque ejus ſuper pectus ejus implicantur, oculi clauduntur, anhelitus ejus fere ex toto extinguitur. Cumque cerneret ſe mori, ut potuit, in corde ſuo exorare & invocare cœpit B. STEPHANUM Grandimontenſis ordinis paſtorem primum, ut ſibi conferret auxilium: quod ſi faceret, ad tumulum ſuum, dum convaleſceret, concitus properaret. Et quid dicam? Ecce iſte qui ſic in corde ſuo loquebatur, nam ore nequibat, a circumſtantibus jam mortuus putabatur. Et quid? Ecce B. Stephanus confeſſor pius ac venerandus apparuit, & in ſpecie hominis candidiſſimi, cujus barba prolixa & candida; veſtimenta autem ejus erant alba ſicut nix, & capilli ejus candidi, cujus facies velut ſol rutilabat, habens phialam aqua ſalutifera plenam in manu ſua. Cumque Dei ſanctus funderet aquam illam ſuper corpus infirmi, quaſi ſubridens ac lætabundus ait illi: Noli timere, quia modo non morieris, ſed ſanaberis. Quod cum dixiſſet, diſparuit, & illico qui putabatur mortuus ſurrexit, & ſanus factus eſt, & narravit circumſtantibus omnia quæ ſibi acciderant, & mirati ſunt univerſi. Poſtea venit in Grandimontem, ut ſancto viro promiſerat, viſitare ejus ſepulcrum, & hæc omnia nobis veraciter viva voce retulit, & quemadmodum ejus corpus magnum accepit refrigerium ad effuſionem aquæ illius ſalutiferæ, ita ut videretur ſibi quod eſſet in paradiſo Dei.

XXIV. *Item aliud miraculum.*

Iſto in tempore juvenis quidam ruſticus de villula quæ vocabulo *Boiſſi* dicitur, repletus ſpiritu maligno, atque ira & indignatione plenus, adverſus fratres noſtros de Excluſa, cruces quas pro metis circa nemus ſuum poſuerant, violenter extraxit & igni combuſſit: quod cum feciſſet, arreptus eſt a dæmone, & cœpit eum vehementer exagitare & graviter affligere, ita ut neminem poſſet cognoſcere. Videntes autem ejus parentes hæc, prout potuerunt, in Grandimonte ad memoriam beati STEPHANI adduxerunt, ut Deus & Dominus noſter eum pro amore ipſius a dæmone liberaret, & ſenſum ei redderet: quod Deo volente & beato Stephano intercedente ita factum eſt. Deinde juvenis iſte ſenſu recuperato ac liberatus a dæmone, a nobis & a fratribus noſtris ex injuria fratribus noſtris illata veniam humiliter petiit & impetravit, ac promiſit quod deinceps nullam moleſtiam eis facere præſumeret. Cognoſcebat enim & confitebatur manifeſte, quod Deus eum pro tanto facinore ad flagellandum ſatanæ tradidiſſet. Sic nimirum, ſic certe poteſtis, ſi placet, animadvertere quemadmodum Deus omnipotens injuriam ſervorum ſuorum vehementer ulciſcitur, & bonitatem eorum ac ſanctitatem

diutius abſcondi minime patitur.

XXV. *Item miraculum aliud.*

Deinde enarremus aliud miraculum quod non eſt ſilentio prætereundum. In illis diebus infirmabatur quidam adoleſcens, nomine Petrus de Scola, apud vicum qui S. Hilarius dicitur in territorio Lemovicenſi. Hic autem cum gravi morbo periclitaretur, uſque ad mortem perductus eſt. Audientes vero ejus vicini & cognati convenerunt in unum, quatenus ei exequias præpararent; ſed mater ejus nimio dolore afflicta, ſubito arripiens ſtupeum filum, & accedens ad filium ſuum qui in terra jacebat exanimis, nihil penitus videns neque audiens, menſuravit eum a capite uſque ad pedes, ut inde beato Stephano, cui eum vovebat, & pro quo ei humiliter ſupplicabat, candela fieret, quam poſtea juvenis, ſi convaleſceret, ad ſepulcrum viri Dei gaudens & exultans deferret. Ita mater pueri anxia de filio, poſtulabat auxilium a B. Stephano, dicens quod ſi filium ſuum ei redderet, ad ejus tumulum, Deo volente, duceret, & omnes qui aſtabant ſimiliter orabant. Cernebant ut mortuum, plangebant quaſi viam univerſæ carnis ingreſſum. Mater ejus jam erat de vita ejus deſperata, unde flebat quaſi deſolata & viduata. Et quid plura? ad orationem matris reviviſcit facies juvenis; circa galli conticinium juvenem vivum & incolumem circumaſtantes aſpiciunt atque ſuſcipiunt. Omnes autem Deum tunc laudare incipiunt, & ſanctitatem beati Stephani dignis laudibus extollunt. Cujus etiam mater fere per totum annum nevit ſudarium, quod poſtea evoluto anno ad ſancti viri Dei ſepulcrum in Grandimonte detulit ſuper caput ſuum. Hæc autem omnia ab eo didicimus & a matre ſua & a conſobrino ſuo, & ab aliis qui cum eo venerant apud nos in Grandimonte.

XXVI. *Item miraculum aliud.*

Apud Auveriam oppidum erat quædam vidua nomine Dea, cujus filius nomine Belinus infirmabatur uſque ad mortem. Patiebatur autem morbum gutturis graviſſimum, ita ut nec quidem loqui, nec comedere, nec ſalivam deglutire valeret. Erat enim facies ejus & gula nimis livida, & lucens fere quaſi vitrea. Jacebat autem in lectulo ſuo quaſi mortuus, & de vita ejus pene omnes deſperabant. Mater vero ejus nimis anxia & triſtis flebat, lamentabatur, ejulabat, deſolabatur, crines ſuos a capite velut amens effecta evellebat, veſtimenta ſua ſcindebat, auxilium de ſupernis quærebat, nec exaudiri potuit pro filio uſquequo cum vovit B. Stephano. Cumque voviſſet eum ſancto Dei, & illum deprecata fuiſſet quatenus filium ſuum redderet; nec mora juvenis ille matrem ſuam cœpit invocare ac dicere: » Bona mater.

A Cui illa: Adſum, fili mi. Et cucurrit ad eum. « Tum ille: Mater bona, tres peregrini hac « nocte venturi ſunt ad hoſpitium, quos pre- » cor ut benigne & honorifice recipias, ac ſur- » ſum in altiori cœnaculo cum digno honore » aſcendere facias. Nam S. Stephanus ventu- « rus eſt cum eis, & poſt galli cantum me pri- « ſtinæ ſanitati reſtituet, & domno Petro ca- « pellano hic ante me lectum ad quieſcendum « præparare minime differas. Cumque hoc ita « diſſeruiſſet, ſiluit. Ignorans quid dixerit, ſicut poſtmodum nobis in Grandimonte ante altare cum matre & ſupradicto Petro preſbytero, audientibus multis ex noſtris fratribus, fideliter narravit. At vero mater veniens juvenis, cum hæc a filio audiſſet, aſtante ibidem ſæpedicto capellano & multis aliis, ſtupefacta & gaudio repleta, eo quod filium loquentem quæ jam ab heri & nudius tertius audire nequaquam poterat, cœpit præſtolari adventum B. Stephani & promiſſum cum fiducia ſui cariſſimi filii. Illis autem expectantibus & præ gaudio admirantibus ac curioſe vigilantibus, invicemque loquentibus, dum gallus ſemel aut bis vocem ex more dediſſet, ſubito ægrotus matrem ad ſe venire feſtinanter vocando imperat: quæ cito conſurgens, celeriter ad eum properat, & quid vellet clementer ab eo requirit. Cui ille: Mater « bona, ecce S. Stephanus confeſſor egregius « & venerabilis ordinis Grandimontenſis pa- « ſtor primus, me miſerum modo dignatus eſt « viſitare, & tres digitos ſuos in gutture meo « pie transfigere, & ita ſanare. Quæ ſi forte « dubitas, accelera & vide. Certe, Deo propitiante & B. Stephano intercedente, ſanus « & incolumis effectus ſum ac ſi malum num- « quam habuiſſem vel perſenſiſſem. Tunc ma- « ter accenſis luminaribus cum Petro ſacerdote & aliis qui ibi aderant, acceſſit ad filium, & inquiſivit diligenter utrum vera eſſent quæ dicebantur a filio, an non. Et cum diligenter exploraret, invenit pannos quibus coopertus erat juvenis ille, contagione morbi madefactos & tria foramina in gutture ejus, duo a ſiniſtris & unum a dextris ipſius gutturis, quorum trium foraminum cicatrices poſtea in Grandimonte, cum eum mater cum preſbytero ſupradicto & aliis quamplurimis adduxiſſet, ferentem in capite ſudarium & candelam in manu perſpeximus, ut quaſi in ore duorum vel trium teſtium ſtaret omne verbum. Nam illo in tempore congregatus erat generalis conventus in Grandimonte, id eſt in feſto S. Michaëlis. Et hoc ſignum viderunt & audierunt fere pluſquam ducenti fratres, qui ibi convenerant, & multi ex illis præ gaudio lacrymas fundebant, ac nobis videntibus & mirantibus cicatrices illas, quaſi veſtigia patris ſui pie oſculabantur. Nos vero in teſtimonium tanti miraculi tamque celebris digitos noſtros in cicatricibus illis inferre præſumſimus. Cum autem mater, ut ſupra-

diximus, filium ſuum ita ſanatum reperiſſet, ſtupefacta, & omni admiratione & exultatione plena cœpit clamare, & cum lacrymis dicere: Venite, venite, videte Dei omnipotentis magnalia & prodigia quæ fecit ſuper filio meo per B. STEPHANI merita; reſpexit certe miſeriam ancillæ ſuæ, liberans filium meum a morte per ſanctum ſuum & reſtituens vitæ. Congregata eſt igitur omnis multitudo populi oppidi Auveriæ in domo hujus viduæ, ut viderent ſigna & prodigia quæ Deus per B. STEPHANUM ibidem mirabiliter fecerat, & omnes mirati ſunt de his quæ videbantur, & laudaverunt Deum in cœleſtibus, qui facit mirabilia magna ſolus. Amen.

XXVII. *Item miraculum aliud.*

Adhuc non pigeat caritati veſtræ audire ſignum perſpicuum ac veritate perlucidum, quod tempore revelationis B. STEPHANI glorioſe ac manifeſte acciderit. Erat enim in vico Ambaſiaco homo pauper, nomine Stephanus, cui erat filius Petrus nomine ex utero matris ſuæ claudus & jam fere decennis. Hic enim quaſi quoddam reptibile reptabatur per terram cum volebat incedere. Cumque pater ejus audiſſet ſigna & prodigia multa quæ fiebant in Grandimonte, rogatu & conſilio vicinorum ſuorum puerum portavit ad tumulum B. STEPHANI confeſſoris. Cum autem ibi per biduum aut triduum moram feciſſet, fame coactus, & quaſi diffidens de Dei bonitate & B. STEPHANI ſanctitate reverſus eſt cum filio, nihil penitus proficiens, quia incredulus permanebat, nec perſeverare voluerat velut contemnens. Videntes vero vicini ejus & qui eum agnoſcebant, quod quaſi ſtultus & incredulus tam celeriter & enormiter receſſiſſet a tumulo viri Dei, nec ſpem aut fidem haberet in operibus divinis, quæ jugiter ibidem divinitus fiebant, increpare eum cœperunt, ac verbis duriſſimis fortiter redarguere, & cum omni fiducia ei dicere, Revertere miſer & miſerabilis, revertere cum filio in Grandimonte, & noli incredulus permanere. Reſume igitur, vires hominis fidelis, & tolle filium & pone ante altare & Dei viri ſepulcrum. Credidit igitur homo verbis fidelium, & in Grandimonte attulit filium, & latenter fugiens ibi dimiſit eum. Puer autem claudus ſic nequiter a patre incredulo dimiſſus permanebat jugiter ad januam eccleſiæ, petens eleemoſynam ab introeuntibus in templum. Cum autem perſeveraret pulſans, & prout noverat orare vel ab aliis inſtructus quæreret auxilium de ſupernis, ut Deus & Dominus noſter per merita B. Stephani * revelare dignaretur imbecillitatem ſui corporis, exaudivit deprecationem ejus miſericors & miſerator pius, qui ſalvat omnes ſperantes in ſe, & qui vult omnes ad agnitionem veritatis venire, aperiens ei ſinum miſericordiæ ſuæ, dando ei ſanitatem perfectam, quia conſolidatæ ſunt baſes ejus & plantæ. Hujus rei teſtes ſunt promiſcui ſexcenti viri & mulieres innumerabiles qui eum primitus agnoſcebant. Nos vero, ut de tanto tamque pretioſo miraculo certiores redderemur, & hilariores efficeremur, juſſimus eum adduci ad nos, quem vidimus erectum & ambulantem, atque ex ejus ore audivimus ſuam quam primitus habuit infirmitatem; deinde vero ſanitatem, quam per B. STEPHANI merita divinitus receperat, veraciter pronunciantem. Hæc vidimus, hæc audivimus, hæc teſtamur, hæc caritati veſtræ fideliter annuntiamus, ut credatis ſignis & prodigiis iſtis quæ auditis, & ſic fideliter credentes vitam æternam habeatis. Amen.

* Illuſtrare.

XXVIII. *Item aliud miraculum.*

Cum dicat apoſtolus Paulus, *Caritas non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ Chriſti;* & Dominus in evangelio: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, & Apoſtolus: *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo;* & idem Apoſtolus: *Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium;* ideo dilectionem veſtram modis omnibus exhortamur in Domino, fratres cariſſimi, ut corda veſtra ad audiendum & credendum præparetis, quatenus ea quæ de B. STEPHANO viro ſanctiſſimo patre noſtro in volumine iſto ſcripta reperietis, cum omni fiducia ac benignitate recipiatis, credatis, diligatis, pronuncietis; ſcientes pro certo quod in quantum potuimus, Deo inſpirante, ut ſupra diximus, vera & veriſſima conſcripſimus, nec etiam omnia quæ de eo ſcribenda erant vel ſcribi poterant, huic paginæ commendare voluimus. Quod ſi ſcriberentur, forſitan minime crederentur. Multa ſiquidem ſigna & miracula quæ per merita ipſius a Deo perpetrata ſunt diverſis in locis ſive provinciis, noſtris temporibus, quamquam a legitimis perſonis revelatione juridica facta audivimus, ſub ſilentio præterire diſponimus; ſed pauca & certiora huic ſcripturæ commendamus. Audivimus ſiquidem quod in Rodenſi epiſcopatu quemdam puerum Deus per eum ſuſcitaverit, cujus imago cerea apud quamdam domum noſtram, quæ dicitur S. Michaëlis, delata eſt, ubi in memoriam tanti miraculi in eccleſia conſervatur ac demonſtratur, & etiam in Rotenenſi epiſcopatu multa eum feciſſe ſigna, quæ ut nobis videtur, oblivioni minime ſunt tradenda. Nam uxor cujuſdam militis, ARNAUDUS nomine, domini videlicet cujuſdam oppidi, quod Rupis-exciſa vocatur, per ipſum ſanata eſt hoc modo: Menſe denique Auguſto anno videlicet ab Incarnatione Domini MCLXXXXII. ſupradicta mulier quæ FLORENTIA dicitur, genere ac nobilitate ſeu probitate florens,

ex improviſo febricitare cœpit, & gravi perurgeri moleſtia. Augebatur de die in diem infirmitas ejus, in tantum quod nec medici, nec aliquis alius ei proficere poſſet. Et quid dicam? pene uſque ad mortem deducta eſt. Cumque cerneret ſe mori, & fere de ſanitate ſua, tam ipſa quam vir ejus & ceteri, deſperarent, poſita eſt in cinere & cilicio, ut mos eſt Chriſtianis mori. Tunc ipſa, prout potuit, cum viro ſuo locuta eſt dicens: » Ecce vir meus, ut cernis morior, & viam » univerſæ carnis ingredior. Rogo te in no» mine Domini noſtri Jesu Christi, quate» nus me offeras, & voveas B. Stephano con» feſſori, primo videlicet ordinis Grandimon» tenſis inſtitutori. Tunc vir ejus ad vocem ipſius filum accipiens ſtupeum, menſuravit eum a capite uſque ad pedes, ac deinde cœpit filum cera ſuperinduere. Ipſa vero mulier, prout valebat, in corde ſuo B. Stephanum invocabat. Cum autem perſeveraret in oratione, ſubito apparuit ei B. Stephanus multitudine diſcipulorum ſuorum conſtipatus, & apprehendens manum mulieris dextram, » quaſi ſubridens, ait illi: Surge velociter, » non enim morieris, ſed ſanaberis ab hac in» firmitate. Hunc autem nemo videbat vel audiebat niſi ſola mulier. Cumque levaſſet eam B. Stephanus a lectulo infirmitatis ſuæ, ſurrexit mulier ſana & incolumis effecta, & ita diſparuit S. Stephanus. Vir autem ejus cum aſpiceret eam ſurgentem, nimio ſtupore circumdatus, requiſivit ab ea quid hoc eſſet, » dicens: Heu domina mea! heu! quomodo » ita eſt? Putabam te modo mori, nunc vi» deo te ſanam & incolumem atque hilarem » effectam, quid eſt hoc? Cui illa arridens ait: » Certe, mi domine, B. Stephanus, cui me » voviſti, modo dignatus eſt ad ancillam ſuam » venire, & cum multitudine diſcipulorum » ſuorum mihi indignæ mulieri apparere, & » ut cernis ſanam & incolumem bonus & ſan» ctus vir Dei me in pace dimiſit. Tunc facta eſt lætitia magna & exultatio in domo illa, & in omni caſtello illo in illa die & deinceps. Poſtea vero mulier illa viſitavit fratres noſtros qui habitant in provincia illa, & in confinio caſtelli ejus apud Auram-Ventoſam, & narravit eis quæ ſibi acciderant, & quomodo Deus per B. Stephanum viſitare & ſanare dignatus eſt. Tradiditque tres ſolidos Rotenenſis monetæ, quos deferrent nobis in Grandimonte ad faciendam ſtatuam ceream in memoriam tanti miraculi; quam poneremus ante tumulum B. Stephani.

Nota.

XXIX. *Item miraculum aliud.*

In eodem territorio apud caſtellum, quod S. Baudelius dicitur, erat quædam mulier nobilitate & genere perſpicua, quæ fratres noſtros permanentes apud Auram-Ventoſam, & ordinem noſtrum valde obſtixeque diligebat. Hujus vero mulieris filius parvulus tempore revelationis B. Stephani confeſſoris gravi infirmitate invaditur, & pene uſque ad mortem deducitur. Quod cum vidiſſet, mater ejus nobilis, anxia efficitur ac flebilis. Infirmitas autem pueri de die in diem augmentabatur, unde & ſupradicta domina anxior efficiebatur, ac dolore nimio perturbabatur. Quæ cum audiſſet virtutes B. Stephani, quæ aſſidue fiebant in Grandimonte, vovit cum B. Stephano confeſſori, & ſtatim puer, Deo volente, reſtitutus eſt priſtinæ ſanitati. Fratres qui hoc viderunt & audierunt veraciter nobis retulerunt.

XXX. *Item aliud miraculum.*

Item in territorio Lemovicenſi apud vicum S. Juniani erant duo homines genere & nobilitate perſpicui, quorum unus Iterius, alter Petrus vocabatur. Qui quadam die cum egrederentur de vico ſupradicto ad promovenda negotia ſua, obvium habuerunt quemdam militem profugum, nomine Geraldum de Oratorio, qui cauſa rapiendi, ſi aliquid fortuitu inveniret, terram illam cum complicibus invadere cupiebat. Cumque obvios haberet ſupradictos viros, gaviſus eſt valde, utpote qui de rapina ſe & ſuos fovebat. Capiens autem illos tranſtulit eos in terram aliam, ac retruſit in carcerem, ubi fame & inedia ac ferro afflicti fere per duos menſes moram fecerunt. Cum autem cernerent ſe nimis cruciatibus affligi atque torqueri, ac de ſua ſalute & liberatione fere jam deſperantes, clamare cœperunt ad Dominum, ut per auxilium veræ Crucis, quæ erat in Grandimonte, & per merita B. Stephani confeſſoris, primi patris ordinis Grandimontenſis eos liberaret. Factum eſt autem, Deo miſerante, cum ſic perſeveraſſent, per totam noctem illam ex intimo cordis affectu Deum deprecantes, adfuit illis divina miſeratio, quæ per virtutem ſupradictæ crucis vivificæ, & per merita B. Stephani, liberavit eos tali modo. Mane denique facto dici illius, quæ erat ante vigiliam B. Johannis-Baptiſtæ, ex improviſo ceciderunt manicæ de manibus Iterii viri ſupradicti, ſed de alterius manibus minime ceciderunt, uſquedum, Deo ducente, venerunt ad domum noſtram de Caſtaneariis, ubi a fratribus cum gaudio & alacritate pro honore & reverentia tanti miraculi ſuſcepti, per tres dies quieverunt. Fratres autem loci illius nuntium nobis generale capitulum celebrantibus in Grandimonte hac de cauſa feſtinanter deſtinaverunt. Quo audito, ultra modum gaviſi ſumus, & ad nos ut venirent fratres obviam illis tranſmittere curavimus. Venientes vero viri illi cum fratribus, a nobis & ab omni conventu honorifice ſuſcepti ſunt in Grandimonte. Manicas ſiquidem ferreas, quibus graviter aſtricti fuerant, accipientes de manibus eorum, cum hymnis & laudibus, & eoſdem paritet ad ſe-

pulcrum B. STEPHANI confeſſoris gaudentes obtulimus, ubi qui adveniunt in teſtimonium tam præclari miraculi, pendentes illas manicas aſſidue cernere poſſunt. Hæc autem omnia peracta ſunt anno quinto revelationis ejuſdem B. STEPHANI confeſſoris.

XXXI. *Item aliud miraculum.*

Eadem autem tempeſtate accidit & aliud miraculum non minus mirandum ac celebrandum. Gens enim peſtifera atque crudeliſſima, quæ cum magiſtro ſuo, Mercatore nomine, rapinæ ac malitiæ deſervire conſueverat, ingreſſa eſt cauſa rapiendi territorium Lemovicenſis epiſcopatus. Factum eſt autem, cum devaſtarent fere univerſæ terræ illius quæ ſita eſt juxta Grandimontem, & circumquaque diffuſi per terram illam, quidam illorum venerunt ad quemdam vicum S. Salvatoris, ubi capientes in proditione quemdam clericum nomine Geraldum, duxerunt captivum apud Ambaſiacum vicum, quem nimiis cruciatibus affligentes, verbiſque duriſſimis & increpationibus pariter comminantes, ac manicas ferreas ejus manibus applicantes, diſtricte ligaverunt ad ſtipitem, præſtolantes, ut mane facto eum diverſis cruciatibus interimerent, eo quod unum de conſortio ſuo apud vicum ſupradictum morte crudeliſſima perdidiſſent. Clericus etenim ille vir bonus erat atque ſuavis, & magnam fiduciam habebat in Domino, ut qui tali ac tanta proditione ab ipſis maleficis captus fuerat, nullo modo credere poterat, quod Deus eum ab ipſis diutius torqueri vel teneri permitteret: unde ſemetipſum orationibus atque vigiliis per totam noctem illam alacriter offerens, toto corde cœpit invocare nomen Domini, & auxilium B. MARIÆ Virginis. Deinde diverſis exhortationibus atque deprecationibus cœpit invocare B. STEPHANUM confeſſorem ſanctiſſimum, atque talibus verbis

» cum obnixe efflagitare. O beate STEPHANE!
» ô confeſſor ſanctiſſime! ô pater amantiſſime!
» mihi indigno, mihique miſero ſervulo tuo
» celeriter ſuccurre modo, ſuccurre, inquam,
» nam ut cernis captus ſum juxta ſepulcrum
» tuum, ubi multa miracula, ego indignus,
» oculis meis perſpexi, quæ divina largitate ac
» bonitate ſæpiſſime ſunt perpetrata. Eia nunc,
» domine, fac cum ſervo tuo miſericordiam,
» & libera me ab horum maleficorum crude-
» litate, ne gaudeant ſuper me omnes qui af-
» fligunt me. Surge in adjutorium meum, &
» oſtende potentiam quam te veraciter credo
» obtinere apud Dei benevolentiam. Si enim
» me liberare decreveris, & ad ſepulcrum tuum
» me ſalvum deduxeris, invocabo nomen tuum
» aſſidue, & tua magnalia non ceſſabo mani-
» feſtare. Cumque hæc, & horum ſimilia per totam noctem illam anxius diceret, appropinquante jam diluculo, ecce ſubito obdormiunt qui erant in habitaculo illo. Dum autem jacerent quaſi mortui, ex improviſo adfuit gratia Dei & auxilium B. STEPHANI. Liberatur etenim clericus, cui auxilium contulit Dominus, pro quo, ut credimus, rogaverat B. STEPHANUS, ut liberaretur a nexibus. Liberatur ſiquidem a ſtipite, nullo obſtante ligamine. Sed adhuc dependent in manibus ejus manicæ ferreæ. Videns vero ſe liberum, Dei quærit auxilium, ut per B. STEPHANUM ſuum ductorem prævium reducatur ad hoſpitium. Egreditur de domo cum fiducia, aperta reperit oſtia, quem divina clementia ad noſtra duxit lumina. Laudes canuntur Domino, quas noſtra pſallit concio, pro liberato miſero a pravorum ergaſtulo. Duræ franguntur manicæ, quas tranſtulit de carcere, ſuſpenduntur ad tumulum, propter tantum miraculum. Laudatur inde Dominus, & bonus paſtor STEPHANUS, per quem divina gratia fecit tanta prodigia.

XXXII. *Item miraculum aliud.*

Quinto anno revelationis beati Stephani confeſſoris accidit quoddam miraculum apud Anginiacum vicum in territorio Lemovicenſi, tali modo. Erat ibi preſbyter quidam nomine GERALDUS, genere & dignitate perſpicuus, capellanus eccleſiæ S. Martialis apoſtoli quæ ſita eſt in loco illo. Cui ex improviſo, neſcio quo caſu, talis ſurditas accidit, quod ſi omnia cimbala pulſarentur vel timpana ad aures ejus moverentur, nihil penitus audire poſſet, ut iſdem preſbyter poſtmodum in Grandimonte coram nobis pluribus retulit. Qui cum cerneret ſe auditum omnino amiſiſſe, perrexit in eccleſiam ſancti Martialis, ubi eſt memoria beati STEPHANI confeſſoris, ad altare B. MARIÆ ſemper Virginis, & ejuſdem B. STEPHANI confeſſoris, cujus dentem, quem eidem preſbytero dedimus, pro reliquiis accepit, indutus lineis, & manibus ablutis, conſignavit & tetigit undique aures ſuas, habens fiduciam magnam in Domino & beato viro STEPHANO. Qui nocte ſubſequente, & Deo miſerante, ſanctoque STEPHANO, ut credimus, ſuccurrente ac pro ipſo orante, meruit recuperare auditum, ita ſiquidem, ut ipſe poſtea nobis firmiter retulit, dupliciter quam prius audiſſet.

XXXIII. *Item aliud miraculum.*

Per idem tempus accidit aliud miraculum in Cadurcenſi territorio apud Saliniacum vicum. Erat ibi quidam familiaris fratrum de *Laſſiaiſſeràs* & de Podio Girberti, nomine Arnaldus, cujus filius Bernardus nomine, gravi corripitur febre in Auguſti menſe. Videns vero pater adoleſcentis filium ſuum quem valde diligebat, nimio dolore perturbari, cœpit anxius eſſe, & quid ageret ignorabat. Attamen miſit ad quemdam amicum ſuum Bernardum Conſtantini nomine, qui apud Sarlatenſem vicum tunc temporis mo-

rabatur, indicans ei infirmitatem filii sui. Nam isdem Bernardus suum nomen puero imposuerat, cum de sacro fonte baptismatis ipsum infantem elevasset. Unde anxius efficitur, & usque ad stratum pueri febricitantis concitus acceleravit; cumque venisset, invenit adolescentem jam penitus destitutum, nec videntem, nec audientem, sed quasi mortuum, in cilicio & cinere, ut moris est Christianis vitam finire, projectum. Pater vero adolescentis, & qui cum eo erant, flebant & lamentabantur super destitutione juvenis. Bernardus autem Constantini cœpit consolari patrem pueri & ceteros qui in illa domo » erant, talibus verbis: Fratres dilectissimi, vi- » dete ne fleveritis, neque dolore aliquo per- » turbemini, sed omnes invicem deprecemur » Deum omnipoentem, quatenus pro amore » B. STEPHANI confessoris Grandimontis, pue- » rum istum pristinæ restituat sanitati. Et placuit omnibus sermo iste, & voverunt eum omnes S. STEPHANO confessori sanctissimo candelam facientes, ac super eum ponentes, » atque dicentes: Sancte STEPHANE confessor » Dei egregie, succurre nobis hodie, ut revi- » viscat puer iste: nam si eum per te recupe- » rabimus, ipsum cum candela hac ad tumu- » lum tuum in Grandimonte alacres perduce- nius. Interim dum hæc agerentur, videbat visionem quamdam adolescens in hunc modum. Apparebat siquidem ei quidam senex capite candido, ac barba prolixa, indutus » nostro habitu, & dicebat ei: Veni mecum » in Grandimonte, ibique sanaberis ad tumu- » lum B. Stephani confessoris, Domino propitiante. Sequebatur eum adolescens, ut sibi videbatur, viam carpens, sed vir ille discedebat ab eo in itinere: unde puer qui quasi mortuus jacebat, magna voce cunctis qui aderant audientibus & mirantibus clamabat, » Heu! heu! ubi est vir ille qui me ducebat? » Nescio quo ivit. Et sic videntibus & gaudentibus cunctis qui aderant, Deo miserante, & beato Stephano pro ipso orante, redditur vitæ. Igitur qui adstabant interrogare eum cœperunt, qua causa sic clamaverit; quibus » ipse ait: Ignoro utrum clamaverim, an non: » sed mihi videbatur, ut a quodam sanctissi- » mo homine ducerer in Grandimonte, qui » aliquando recedebat a me, cum essemus in » itinere. Et hac de causa forte requirebam » ubi pergeret ille. Audientes siquidem hæc omnes qui ad exequias defunctionis ejus confluxerant, admiratione multimoda stupefacti laudare cœperunt nomen Domini, & beatum STEPHANUM magnis vocibus & laudibus extollere. Deinde præfatus Bernardus Constantini patrinus ipsius pueri duxit cum secum in Grandimonte, ut voverat, ad sepulcrum B. Stephani, quorum fideli narratione, audientibus quamplurimis, divina gratia largiente, hæc omnia didicimus.

XXXIV. *Aliud miraculum.*

Eodem autem anno quo hæc facta sunt, id est circa festivitatem S. Lucæ evangelistæ, accidit quoddam miraculum atque stupendum apud castelium quod dicitur Mons-Maurilienſis. Ignis ingens atque copiosus ex improviso cœpit vastare domos supradicti castelli, in quo permanebat homo quidam, nomine Petrus Soutarius, familiaris cujusdam domus nostræ religionis, quæ *Entrefis* dicitur. Habebat siquidem homo iste domum magnam inter ceteras quæ ab igne comburebantur, plenam utensilibus & bonis quamplurimis adornatam atque onustam, contra quam ignis vehemens quasi minando ut eam omnino incenderet atque popularet, veniebat. Videns vero familiaris supradictus ignem vehementem, cum summa festinatione de domo egreditur intrepidus, nihil secum de bonis omnibus educens vel rapiens, cœpit clamare magnis vocibus & dicere: « Sancte « STEPHANE, confessor egregie, atque institu- « tor ordinis Grandimontensis venerande, tu « scis quia toto tempore vitæ meæ, in quan- « tum valui, Deo inspirante, dilexi te, & filiis « atque discipulis diu est quod fideliter de- « servivi. Tunc qui adstabant omnes amici ejus, & qui venerant ut eum adjuvarent, cœperunt eum vehementer increpare atque redarguere, & ei cum magna indignatione dicere: Quid agis, miser homo ac misera- « bilis? Nonne comburentem atque devastan- « tem omnia ignem copiosum ad tui perni- « ciem venire cernis? Permitte, obsecramus, « ut alii ad exspoliandam domum ingredia- « mur, alii super tectum ascendamus, ut vel « sic domum tuam & omnia bona tua ab igne, « Deo volente, eripiamus. Quibus ille ait, ut « erat magnæ fidei & probitatis vir, quasi sub- « sannando & increpando respondit: Videte, « carissimi, videte ne feceritis, confido in Deo, « quia domus mea, Deo auxiliante, & beato « STEPHANO succurrente, nequaquam ab isto « incendio modo comburi vel devastari po- « terit. Recedite, recedite, aliis succurrite, « mihi vero minime. Est alius quem vos nesci- « tis vel videre potestis, qui me juvabit & « domum meam ab isto incendio liberabit. Et « iterum atque iterum clamabat cum magna « voce: Sancte Dei STEPHANE, mihi indigno « famulo tuo auxiliare, & domum meam quæ « tua est ab isto igne defende. Ad hanc vo- « cem subito ignis ille dissolvitur, fugit, & concutitur, domus illæsa ab ipso relinquitur, Deus vero benedicitur, & sanctus Dei STEPHANUS magnis laudibus extollitur. Nec mirum, quia ignis ille omnes domos devastaverat circumquaque, nec domum illam umquam tangere potuerat, quia virtus divina illam per B. Stephanum observaverat. Postea vero vir ille cum filio suo in Grandimonte venit, & Deo ac B. STEPHANO pro

beneficio hujus miraculi laudes & gratias retulit, & nobis veraciter ac fideliter hæc omnia reſeravit.

XXXV. *Item aliud miraculum.*

Accidit eodem tempore circa feſtivitatem B. Lucæ evangeliſtæ, apud vicum S. Juniani in territorio Lemovicenſi miraculum glorioſum tali modo. Iterius de Monte-Valerii, de quo mentionem ſuperius fecimus, quem Dominus Deus omnipotens ipſo anno per virtutem vivificæ Crucis, & ob amorem beati Stephani confeſſoris, de ergaſtulo carceris liberaverat, ex improviſo lethargico morbo invaditur, & fere uſque ad mortem deducitur. Flebant igitur ſui, & omnes nati ejus, eo quod viderent omnes tali ac tanta eum invaletudine laborare. Jam enim deſperabant de vita ipſius & incolumitate ſui corporis. Et quid plura? dirigunt ad nos nuntios, quatenus orationibus noſtris apud Deum & B. STEPHANUM ei auxilium conferremus. Audientes ſiquidem invaletudinem ſui corporis, graviter affligimur. Erat enim amicus noſter atque conſanguineus, genere quoque atque nobilitate perſpicuus. Unde fratres in unum convocantes, & rem ipſam eiſdem ſignificantes, injunximus ut pro eo orarent, & auxilium a Domino poſtularent, quatenus, intercedente beato STEPHANO confeſſore ſanctiſſimo, Deus & Dominus noſter ei auxilium de ſupernis conferre dignaretur. Poſtmodum vero veloci curſu nuntium noſtrum cum ferculis ægrotanti neceſſariis mittere curavimus. Cumque domum ægroti feſtinus intraret, invenit eum jam poſitum in cinere & cilicio, ut moris eſt Chriſtianis mori, amicos ejus ejulantes ac flentes, & exequias præparantes, clericoſque pſalmos pſallentes & canentes. Jacebat ſiquidem quaſi mortuus, nihil penitus videns, neque audiens. Erat enim vigilia Omnium-ſanctorum. Convocans eum cum magno clamore nuncius prædictus, & cum magno ejulatu cœpit »ei dicere: Domine Iteri, ecce adſum nun»cius domini prioris Grandimontis, obſecro »vos pro amore ipſius, & pro dilectione quam »erga eum habetis, quatenus in corde veſtro, »ſi tamen ore non poteſtis, orationem fun»datis ad Dominum, quatenus pro amore & »honore beati STEPHANI confeſſoris vos ex »hac invaletudine relaxare dignetur. Et quid dicam? ad vocem & admonitionem hujus nuncii infirmus ille cœpit eum in corde invocare, & prout poterat beato Stephano ſupplicabat. Tunc omnes qui aſtabant ſimiliter pro eodem orationem ad Dominum fundere non ceſſabant, & B. STEPHANUM oratione aſſidua deprecabantur, ut pro ipſo feſtinanter oraret. Facta autem oratione diutius ab omnibus, infirmus repente ſanatur, vultus ejus in melius commutatur, lætus efficitur. Ita ſiquidem ut veſtigium invaletudinis in ipſius corpore penitus non remaneret. Et qui prius flebant amici ejus, modo lætantur, eique congratulantur, & facta eſt lætitia magna & exultatio in illa domo die illo & deinceps. Poſtea vero venit ſanus effectus & alacer in Grandimonte tumulum beati Stephani viſitare, & ei gratias referre pro duplicato beneficio ſanitatis, & liberatione carceris facta in ſpatio parvi temporis.

S. STEPHANI DICTA ET FACTA,

Stephani de Liciaco, uti conjicimus, juſſu conſcripta, & a Gerardo Iterii in vita ejuſdem a ſe compoſita inſerta.

Hic breviter comprehenduntur atque concluduntur virtutes converſationis atque ſanctitatis beati Stephani confeſſoris.

SAnctus igitur STEPHANUS venerandi ordinis Grandimontenſis inſtitutor primus, dilectus Deo & hominibus, atque eremita perſpicuus, humilitatis, virginitatis, veritatis, obedientiæ, abſtinentiæ, patientiæ, fidei, ſpei, caritatis, prudentiæ, juſtitiæ, fortitudinis, temperantiæ, ceterarumque virtutum, ut ſuperius prædiximus, ornatu decoratus extitit. Parvus fuit, ut ita dicam, & magnus; humilis & altus, pauper & dives, ſpiritualia carnalibus, æterna temporalibus præpoſuit, & ſeipſum integre Deo ſacrificavit, & propter illum ſolum omnia reliquit. Specioſus corpore, ſed ſpecioſior corde; gratioſus ſermone, ſed gratior opere; nobilis genere, ſed nobilior ſanctitate, forma religionis, norma perfectionis & via fuit ſalutis. Vigiliis, orationibus, ſuſpiriis, gemitibus, lacrymis, genuflexionibus, jejuniis, eleemoſynis vacans ſtudioſe, vita ſpiritali & doctrina ſalubri florebat & redolebat. Pennis ſanctæ contemplationis frequenter ſurſum volabat, ardenti deſiderio in cœlis habitabat, totum cor in Domino figere ſatagebat. Divinitus illuminatus alios illuminabat, cœlitus inflammatus alios inflammabat, medullitus impinguatus alios impinguabat, funditus inebriatus alios inebriabat. Lorica ferrea die ac nocte indutus, armiſque divinis undique munitus regnum perenne tam ſibi quam pluribus aliis viriliter acquiſivit, & annis fere quinquaginta in propoſito ſanctitatis ſanctiſſime perſeverans, miles glorioſus ad regem glorioſum fine glorioſo VI. idus Februarii migravit, Stephanuſque merito vocatus, quanta ſit gloria & honore coronatus, non ſolum propriæ perſonæ miranda perfectio, verum etiam multiplex argumentum filiæ ſuæ, Grandimontenſis videlicet religionis, teſtatur & declarat.

II. *De caritate ejuſdem, manſuetudine, longanimitate, ceteriſque virtutibus.*

Sectabatur itaque vir iſte ſanctus omni bonitate plenus jugiter caritatem, manſuetudinem & longanimitatem. Diligebat Deum ex toto corde, & ex tota anima, atque ex tota virtute. Erat quoque tranquillus moribus, & ſerenus aſpectu. Gerebat vultum placidum, moderatam ſpeciem, ornatum aſpectum, quietum ſenſum, animum lætum, humilem ſapientiam. Semper opera bona factis amplius quam verbis oſtendebat; corpus fame caſtigans, jejunium potius quam epulas amans, dolentem conſolans, ſpem ſuam Deo committens, *orationi frequenter incumbens*, nihilque amori Dei præponens, quod credebat docebat, quod docebat imitabatur. Semper enim ante oculos ejus dies ultimus verſabatur, ſemperque mens ejus præcepta cœleſtia meditabatur. Orabat autem frequenter, quia didicerat quod oportet ſine ceſſatione Dominum rogare. Satagebat magnopere ne ſecundus cuiquam in operibus bonis inveniretur. Erat etiam erga Dei famulos valde humanus atque benignus. Caritatem vero ſuper omnia & ipſe diligebat, & omnibus ſervare mandabat. Exiſtebat utique in cunctis caſibus firmus, omniaque adverſa patienter ferebat. Pericula aliena in ſe pertimeſcebat, aliorumque caſus ſuos eſſe judicabat. Finem quoque vitæ ſuæ ſemper conſiderabat, metuens ne ſe tamquam fur hora illa inermem comprehenderet. Cum opere etiam lectioni vacabat, ſciens quod lectione ſenſus augetur & intellectus tribuitur, & quod lectio docet quid caveatur. Erat vero erga omnes humilis, nimiumque in humilitate fundatus, nulli ſe præponens, nullo ſe ſuperiorem deputans, ſciens & illud, quia ſi quis perfecta contentus erit humilitate, habebit ex illa gloriam; & quanto quis humilior fuerit, tanto eum altitudo gloriæ ſequetur. Habebat enim temperamentum in proſperis, patientiam in adverſis, mentemque nec gaudio nec mœrore a Chriſti umquam amore revocabat. Iraſcentem quoque patientia deliniebat, & blandimento iracundiam furentis temperabat, ac ſic alienam miſeriam tamquam ſuam lugebat. Eratque ei in greſſu ſimplicitas, in motu puritas, in geſtu gravitas, in inceſſu honeſtas, in jejunio hilaritas. Animus enim ejus in modeſtiſſimo corporis habitu apparebat. Erat etiam parcus in ſermone, blandus in eloquio, triſtem, immoque dolentem dulci conſolabatur affatu. Hoc proferebat ex labiis quod mentem ædificaret audientis, fiebatque ejus ſermo auditioni populi utilis. Nihil enim ex omnibus quæ egiſſet bonis, meritis ſuis tribuebat, nihilque in viribus ſuis umquam præſumebat, ſed omne opus ſuum ad Deum ſemper conferens, in cunctis actibus ejus auxilium implorabat. Bonum quod didicerat docebat, verba tamen operibus præcedebat; ſciens quoniam non eſt laude dignum quod docet quis, niſi dictis facta conjunxerit; ſed potius ſi quod docet & facit, tunc glorioſus habebitur. Unde & apoſtolus dicit: *Ne cum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar.* Hoſtem præterea inviſibilem orationibus & precibus repellere jugiter contendebat, pugnans ore, non gladio; orationibus, non telo; precibus, non ferro. Cunctis autem diebus, cunctis horis Dei flagitabat præſidium, ut dignus poſt mundi lucem poſſet pervenire ad bravium. Res temporales tribuebat egenis, ut per eaſdem mercaretur paradiſi delicias. Devitabat quidem ſuperbiam, amplectebatur humilitatem, Dei ſemper auxilium rogans, finem jugiter felicem poſtulans. Quis enim illo tempore humilitatem ejus cernens, non protinus compungeretur? aut quis amator pecuniæ ejus humanitatem ac parcimoniam, devotionem quoque & ſtudium aſpiciens, non confeſtim admirando obſtupeſceret? Nam quicquid bonorum in principio arripuit, uſque ad finem vitæ nullis negotiis paſſus eſt implicari; ſed integrum & ſanctum propoſitum ſervans, in nullo cœptam regulam commutavit. Sub habitu enim alterius ſemper alteri militavit, & quidquid habere potuit in mundo, Chriſto tradidit ex toto. Pollebat magis ac magis in vigiliis, in jejuniis atque in caritate. Erat enim in eleemoſynis largus, in vigiliis ſedulus, in oratione devotus, in caritate perfectus, in humilitate profuſus, in doctrina præcipuus, in ſermone paratus, in locutione cautus, in converſatione ſanctiſſimus, in nulla mundi compede catenatus, in obſequiis ſervorum Dei ſuccinctus, in redemtione captivorum ſollicitus, in egenorum largitione diffuſus, in duris paſſionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione fortiſſimus, in hoſpitalitate latiſſimus. Inter opprobria ſecurus, inter odia beneficus, in proſperis etiam & in adverſis cœlo ſemper intentus. Non enim poterat in eo invenire humani generis inimicus nec quod fraude deciperet, nec quod ſimulatione ſuſcaret. Sinceritatem quidem mentis vultus ſerenitate monſtrabat, & pietatem clementiſſimi cordis oſtendebat in lenitate ſermonis. Nihil quippe ejus animo clementius, nihil illius ſeveritate jocundius, jocunditate nihil ſeverius, nihil riſu gravius, nihil prorſus triſtitia ſuavius. Si pauperem vidiſſet ſuſtentabat; ſi divitem, ad benefaciendum cohortabatur, Deum teſtem invocans pro ejus nomine cuncta hæc ſe facere. Totus etenim viſceribus caritatis affluebat vir iſte ſanctiſſimus, crucem Dominicam mente & corpore bajulans, unum ſollicitus erat omnino peccatores ad viam veritatis reducere. Quotiens enim aliquem inveniret verbum Dei audire volentem, non cauſa cibi, vel cauſa ſomni,

non

non frigus aut æstus retardabat ab hoc opere Christi. Diversis itaque diversa monita salutis dare providebat, verbis suis, ut attentius audirentur, convenientia inducens ænigmata, quasi mel in cera reclusum prætendens, ita dicendo quibusdam.

III. *De consiliis quibusdam datis.*

» Plures sunt quibus hoc convenit, ut bona » quæ faciunt operentur, præcipue cum per- » ditionis credulitate. Quisquis enim detine- » tur in aliquo crimine, tamen idcirco cessare » non debet a bonis operibus, immo festinan- » tius studeat bona peragere quantumcumque » poterit. Hoc autem credat sine dubio, & » cogitet incessanter in corde suo dicens: Do- » mine Deus, hæc bona facio; sed tamen non » dubito me damnari sine fine, si moriar in » crimine. Tali vero intentione solummodo » bonum istud operor, ut merear resurgere ab » iniquitate mea. Et hæc est, inquam, utilis » credulitas perditionis. Nam si peccator assi- » due talia meditabitur, quantocius per hunc » cogitatum a pravitate liberabitur, & bona » quæ fecit dum in crimine permansit, reser- » vata fideliter erunt sibi a Domino, quæ non » habuisset, si tunc agere dimisisset.

IV. *Quale consilium militibus ad rapinas currere volentibus dabat.*

Militibus quoque consilium super rapina » petentibus ista dicebat: Frater mi, si volue- » ris, cum ad rapinam incedis, Christum po- » tes lucrifacere. Sed hoc in primordio verse- » tur in corde tuo, ut sic voveas Domino: » Deus meus, vadam illuc, non ut alicui no- » ceam, immo tuum militem solummodo in » hac via me deputo, quærens salutem om- » nibus privatis & extraneis. Interea cum do- » mini tui terreni necessitate coactus tantum » illuc ieris, curre prior quasi raptor, & quos- » cumque videris, fac ut ipsi fugiant; vel si » capiendi sunt ab aliis, prius illos apprehende, » ut postmodum liberos dimittere valeas. Et » ecce Christi monachus sub clypeo es abscon- » ditus, dum observaveris istud.

V. *Item ne aliquis de rapina eleemosynas faciat.*

» De rapina vero cave ne facias eleemo- » synas, quia majus est peccatum cum paupe- » ribus offertur, nisi tantum conquerentibus, » quam cum auferretur ipsis possidentibus. » Credebas etenim veraciter te in rapiendo » peccasse, sed de hoc quod obtulisti putas » esse absolutus. Deus autem sic acceptat tale » sacrificium, quemadmodum interfecto unico » filio tuo acceptares sanguinem, si cum au- » reos cypho tibi propinaretur.

VI. *Qualiter clericos & sapientes viros ut bene agerent instruebat.*

Præterea clericos & sapientes viros juxta A scientiam illorum & conversationem aliter ammonebat, non semetipsum per doctrinam exaltans, sed semper in humilitate deprimens. Unde cuidam sapienti consilium sub tentatione petenti tale fertur dedisse responsum: Numquid in corde tuo, domine « mi, cogitasti quod rectum esse judicares, « & dum cogitas placeret? Utique, respondit « ille. Rursus in animo tuo quicquam medi- « tatus es quod injustum sine dubio tibi pror- « sus appareret? Iterum ait: Etiam. Tandem « inquit homo Dei, Habes igitur in te ipso « quod quæris ab alio, ut compleas opere quod « B rectum mente discernis. Tunc sapiens ille « congruenter subdidit: Nequaquam hic so « lus habitas, plures sunt socii tui, Dominus « & angeli. «

VII. *Qualiter viros religiosos ad justitiam informabat.*

Religiosorum quoque mores ad justitiam informabat, dicens eis competenter: Cavete, « fratres, ne mundum ametis. Si sæculum se- « quamini, nequaquam assequemini. Si fugia- « tis ab eo, veniet post vos compellente Deo. « C Insuper dicebat discipulis suis: Quamvis suf- « ficienter religiosos viros procurare nequea- « mus, trahendi sunt tamen ad hospitium: « quoniam ipsa paupertas est utilis, & honesta « sufficientia nostra. Alioquin si dirigimus eos « alibi ad hospitium divitis, subvenientibus « erit lucrum quod a nobis removimus. Ea « vero nocte qua nobiscum conversantur, in « laudem Dei a sæculo custodiuntur. «

VIII. *Qua ratione meretricibus & histrionibus bona temporalia largiebatur.*

D Denique meretricibus atque histrionibus sua libenter etiam corporalia cum spiritualibus impendebat, dicens super hoc negotio: Peccator veniens ad nos, si verba cru- « delitatis audierit, Deum crudelem existi- « mans, iniquitati suæ gravius adhærebit. Fa- « cilius autem obediet annuntianti animæ suæ « salutem, si prius accipiat corpori necessaria. « Multi enim peccant ut inopiam suam ex- « pellant, quamvis pauperiores non ditiores « per scelera fiant. Unde si spiritualia mini- « stranda sunt illis, ut ab errore liberentur, « E multo magis temporalia danda sunt ipsis, « ut Christo famulentur, qui misericorditer « non ignoranter expectat eos ut convertantur. « At per hoc factum sapientes agnoscere pos- sunt quantum B. Stephanus Paulum secutus apostolum, supererogabat ad sananda vulnera illius qui inciderat in latrones, sed admirabili caritate peccatores retrahebat ab iniquitate, dicens eis benignissime, cum videret pœnitentes aliquantulum trepidantes: Frater mi, ne terrearis, Deum vincere non « potes, ut plus valeas peccare, quam ipse « dimittere. Parva sunt peccata tua, cum con- « vertaris ad Deum. Si meis adæquarentur, «

» amplius aggravareris. Certe Petrus apoſtolus
» nondum fraudes diabolicas perfecte cogno-
» verat, cum Chriſtum interrogaret, utrum
» fratri peccanti ſepties dimitteret: ſed Jesus
» multiplicavit veniam, non attendens diſci-
» puli ignorantiam. Talia pœnitentibus dice-
bat, obſtinatis autem & defendentibus ſe
rigidus erat, non diſcedens tamen a mo-
deſtia.

IX. *Qua ratione confraternitates ſæcularium hominum vitabat.*

Interea gratia familiaritatis rogabatur a quibuſdam, ut pro redemtione animarum & utilitate pauperum permitteret ibi fieri conjunctionem hominum, quæ vulgo ſolet appellari convivium fratrum: quod cum attentius inveſtigaverat, tamquam ipſe penitus ignoraret, ſolerter requirens quotiens in anno; referentibus & quaſi docentibus cavens a cupiditate, nolens perdere quietem
» viriliter reſpondebat: Vos annuum conſor-
» tium inſtituere monetis, nos autem conti-
» nuum illud obſervare nitimur. Quid enim
» aliud agimus quotidie niſi opera publica?
» Bona noſtra, ſi qua ſunt, communia ſunt
» omnibus. Scitote quoniam fratrum oratio-
» nibus alias prolixiores ſuperaddere nequi-
» mus. Quid igitur amplius vobis promitta-
» mus, ut veſtra magis accipiamus, quando-
» quidem alia non daremus? Poſtmodum diſ-
cipulis ſuis populi petitionem ſecreto decla-
» rabat dicens: Sic & ſic admonent nos, igno-
» rantes equidem ſub ſpecie bonitatis fieri ſi-
» moniacos; ſed abſit a nobis divinum vendere
» officium. Opus eſt enim mercenarii tunc
» orare cum aliquid datur, & a precibus ceſ-
» ſare cum nihil datur.

X. *De diſtributione eleemoſynarum.*

De pauperibus autem exterioribus quanta cura ſemper huic viro fuerit explicare non poſſumus. Deſtinaverat enim in corde ſuo jactans cogitatum ſuum in Domino ſingulorum eleemoſynas, prout ab aliis accipiebat, diſtinctis fideliter reponere loculis, dicens
» tribuentibus: Ut quid nos, frater, oneras?
Deinceps a nobilibus clericis accepta munera pauperibus ejuſdem ordinis reddere ſollicitus erat. Diſcrete ſciens quid orphanis, aut viduis, aut aliis univerſis deberet tribuere, ne maledictus eſſet opera Dei faciendo negligenter.

XI. *De differentia eleemoſynarum.*

Sed quæ de ipſa parrochia ſuſcipiebat, pauperibus ejuſdem parrochiæ ubi habitabat, non extraneis impendebat, hanc proponens
» rationem: Nos in locum iſtorum pauperum
» venimus aliunde, eleemoſynas debitas illis
» ſuſcipientes, quas ſi poſſumus oportet eiſ-
» dem reddere.

XII. *Qualiter ſe habebat erga pauperes.*

Quandoque vero die adveſperaſcente, cum multitudo nobilium virorum qui venerant eum audire diſceſſerat, egenorum turba cum eo remanebat. Tunc piiſſime paralyticos tamquam fratres oſculabatur, reſpondens diſcipulis ſuis admonentibus eum, ut ad ipſos fatigatus non ingrederetur: Modo « cum Chriſtus advenit, me recedere dicitis, « qui hodie moratus ſum cum ſæculi hujus po- « tentibus. Abſit hoc a me dedecus, ut Chriſto « non accurram. Veritas enim quæ fallere vel « falli non poteſt, numquam pauperes ſuos in « vanum direxiſſet huc, niſi ſciret aliquid apud « nos eſſe quod eis conferri poſſet. Ubi vero « tot nuntios inveniremus modo quos mitte- « remus ad ipſos, ut deberemus facere, niſi « Chriſtus adduxiſſet, qui ſolus eligere novit? « Nemo etenim ab eo pauperum vacuus reverſus eſt aliquando, illud jugiter mente replicans, quod Dominus in evangelio dicit: *Beati miſericordes quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*: necnon & illud: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum.* Et illud: *Verumtamen date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Nam ſicut de beato Job dicitur, janua ejus omni venienti patebat; ſic & ipſe cum Job poſſet voce libera proclamare: *Oſtium meum viatori patuit.* Erat pes claudorum & oculus cæcorum, orphanorum pater, ac viduarum conſolator, quique non carcere clauſis, non ægrimdine fatigatis, umquam ſuum, in quantum facultas ſuppeditavit, negavit auxilium; ſed omnibus miſericorditer conſulens miſeris præbuit adminiculum. Quem enim cæcum non ſuum vocavit heredem? Aut quem debilem non ſuſtentavit manus. Fores quippe ejus a miſeris erant obſeſſæ, & in his Chriſtum conſpiciens, eos amplecti geſtiebat, atque his indumenta tribuens, Chriſti ſub inopis veſte ſe tegere membra credebat. Hoc certe ſe reputabat perdere quicquid eleemoſyna non aſſumeret. Id ſe tutiſſime congaudebat recondere, quod egentium ſibimet dura neceſſitas auferret. Valde quippe devotus in eorum uſibus ſubſtantiæ exagerabat pondus, ut quo pauperior ſæculo eſſet, locupletior Deo fieret. Conſiderabat quidem quia quotidie deeſſe non poteſt quod peccetur, ideo nec quotidianæ eleemoſynæ deeſſent quibus piamina tergerentur. Et ob hoc cum Domino ſuo pecuniam dividens ſubſtantiam gaudebat ſociare cum Chriſto, faciens eum ſibi poſſeſſionum terreſtrium participem, ut & Chriſtus faceret illum ſibi regnorum cœleſtium coheredem. Illi ſcilicet aſſignabat facultates, ut ipſe eſſet cuſtos perpetuus, ſciens quod patrimonium Deo creditum nec res publica eripit, nec fiſcus invadit, nec calumnia aliqua forenſis evertit. Sciens etiam ſcriptum eſſe quod ea bene hereditas reconditur

quæ Deo cuſtode ſervatur. Hujus namque apud ſuos monita nihil fuerunt aliud quam magiſteria divina, fundamenta ſcilicet corroborandæ fidei, nutrimenta fovendæ animæ, gubernacula dirigendi itineris, præſidia obtinendæ ſalutis. Dignum ergo eſt ut eum religioſi imitentur & diligant, plebs colat, noxii timeant, quem ita divina virtus illuſtravit, ut ſub laïcali etiam habitu, habuerit a Deo collata dona doctrinamque melliſluam, & Spiritu ſancto conditam, deſiderio Chriſti ſalitam, de æterna beatitudine ſollicitam. Quique ſic religioſus extitit ac timens Deum, ut ſæculi oblitus dignitates, omne conſortium cum egenis & religioſis haberet.

XIII. *Item de eodem.*

Sed inter cetera ſemper fœnerabat pauperibus pauper ſine fœnore, & viduis ac pupillis conſolator exiſtebat, viduæ nimirum Sareptenſis imitator. Ipſe plerumque eſuriens ſui juris ſubſtantiam Chriſti viſceribus erogabat. Si infirmum vidiſſet, clementer conſolabatur. Si in Dei quempiam amore ferventem, cohortabatur ad ſtudium. Si quiſpiam ad eum æger deveniſſet, ita ejus fovebatur miniſterio, ut nec delicias urbium, nec matris deſideraret affectum. Tantum itaque ad obſequia debilium ſe ex devotione diffuderat, ut multi pauperum ſani languentibus inviderent, atque ita ob Chriſti amorem eorum aſſidue curam gerebat, ut omnes pauperes, eum quaſi patrem ſe habere proprium lætarentur. Sciebat enim quid in Lazaro aliquando dives purpuratus non fecerit, qualique ſuperba mens retributione damnata ſit. Idcirco magis ac magis erga omnes ſe miſericordem oſtendens, clementer miſeris jugiter ſuccurrebat. Quo enim dolente non doluit, vel quo pereunte non gemuit? Quem nudum vel verecundum non ejus veſtimenta texerunt? Vel quas pro ſpe æternitatis non pertulit anguſtias? Famem ſcilicet & ſitim. In tali itaque propoſito perſeverans, præbuit ſe in futurum vas electionis & utile Deo ad omne opus bonum paratum. Rutilabat quidem ſpecie, robuſtus erat virtute. Sic ſe præbebat quaſi quotidie moriturum, idcirco repugnantem carnem inedia ſubjugabat, & ultricis gehennæ ſæva tormenta præveniens, ipſe ſibi perſecutor exiſtebat & tortor. Nam ſi contuliſſet ſors temporis, cupiebat martyr fieri pro nomine conditoris. Sed quamquam cum pugno perſecutor eum non tranſfixerit, quotidianum ſibi libens ipſe martyrium indixit. Fuitque ei fames pro ungula, ſitis pro flamma, mundi calamitas pro beſtiis, abſtinentia pro craticula: qui ſub imagine martyrii veluti catena rigentis ferri, ſic dura lege conſtrictus ſemetipſum ſibi abnegavit, ut Chriſtum ſibi lucrifacere poſſet, illum deſiderans, illum ingenti aviditate ſitiens, qui pro amore hominis homo factus eſt; & ut nos ad cœlum traheret, de ſinu Patris in terram deſcendit, eique omnem ſui laborem, omnemque dilectionem infundens, bonam terram ſui cordis jugi cultu indeſinentibus exercitiis excolebat. Et veluti quis eſuriens ac ſitiens, ſic ille aviditatem quamdam ſuſtinens, illud crebrius Pſalmiſtæ dictum voce flebili conquerebatur, *Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam?* Et illud, *Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Et illud Salomonis: *Poſt te in odorem unguentorum tuorum curremus.* Porro ſectabatur in omnibus manſuetudinem & fidem, necnon & caritatem perfectam, quæ ſpiritalis ædificationis eſt vinculum. Studebat ſe vas ſanctificatum exhibere, ut habitatorem Deum in mentis ſuæ hoſpitio poſſet recipere. Salutaribus quoque actibus jugiter erat occupatus, ut quotieſcumque tentator accederet, quotiens hoſtis callidus aditum quæreret, clauſum ſemper adverſum ſe pectoris oſtium inveniret. Orabat frequenter ſecundum Apoſtolum pro omnibus hominibus, pro regibus, & his qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agerent in omni pietate & caritate, ſciens ſecundum eumdem apoſtolum hoc bonum eſſe & acceptum eſſe coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire.

XIV. *De extollentia viri juſti.*

Quid plura loquendo immorer? In omni converſatione ſua quaſi lucifer inter aſtra refulgens, inſtar magnæ lampadis micabat. Semper enim perfectos æmulabatur ad bonum. Semperque aliorum virtutes ſibi proponebat ad exemplum. Tardus erat ad loquendum, ſecundum Apoſtolum, & velox ad audiendum, eratque ſermone ſubtilis, humilitate ſublimis, eleemoſynis dives, caritate longanimis, vigil in jejunio, promtus eloquio, flagrans ſtudio ſanctarum ſcripturarum, nempe ut utile vas in Chriſti domo. Ad miſerorum eloquium non piger, ad orationem paratus, ad eleemoſynam profuſus, ad tribuendum largiſſimus, manſuetudinem colens, paupertate valde gaudens, bonitatem tenens, puritatem cordis ſemper amplectens, omnia omnibus prædicans, cui non fuit aliud vivere niſi Chriſtum cum dilectione timere, & cum timore diligere. O vere felicem ſæculi inimicum, cui mundus tantopere fuit crucifixus & ipſe mundo. Qui ita ſapientia extitit pervigil, lenitate placabilis, ut & ſerpentis aſtutiam cum diſcretione gereret, & columbæ ſimplicis animum non amitteret. Cujus quidem in mente virtutum omnium decorem collocavit valde ſobrium ſapientia domicilium, vere digniſſimum in quo Dominus habitaret templum, jejuniis

mundum, orationibus ornatum, puritate refertum, vigiliis exercitatum. Quis enim eſſet ita obſtinatus qui ejus modeſtiam intuens, non confeſtim admirando obſtupeſceret? aut quis arrogans ſobriam ejus vitam conſiderans, non illico ad æquitatem ſemetipſum converteret? Creſcebat nimirum in eo quotidie opinio famulatrix virtutum. Seminabat in plebem veritatis verba fructu fidei redundantia, ſufficienti ſale condita, & velut aromaticis unguentis infuſa. Tamquam ſpeculator etenim a Domino conſtitutus prædicabat verbum cum omni auctoritate. Inſtabat ſecundum Apoſtolum opportune, importune arguens, *obſecrans, increpans* in omni patientia & doctrina, ſuavem ſemper habens de his quæ Dei ſunt vel allocutionem plebis, vel collationem fraternæ familiaritatis.

XV. *Item de eodem.*

Sane ſi quem vidiſſet peccatis noxiis vulneratum & ſagittis diaboli confixum, mox adhibebat dignas curationes ſermonum & verbi Dei ſalubre medicamentum, oſtendens contra vulnera incentoris ſalubre malagma confeſſionis. Indiſciplinationes quoque & tranſgreſſiones ſuorum a regula honeſta & recta arguebat clementer, & tolerabat patienter. Eratque in eo mira in cunctis operibus diſcretio, & immutabilis erga omnes dilectio. Erat ergo STEPHANUS opere caſtus, fide catholicus, caritate diffuſus, interpretationibus cautus, in fide firmiſſimus, in operibus bonis promtus, in ſermone veriſſimus, in judicio juſtus, in conſilio providus, in bonitate conſpicuus, in caritate præclarus, Deo ſedule ſerviens, *errantes corrigens*, correctos fovens, obſtinatos ſpernens, humiles ſemper diligens. Exuberabat quoque in eo conſtantia fidei, puritas dilectionis, ſinceritas pacis, amor caritatis, atque ad æternam vitam doctrinæ ſuæ filios juſti ſtudio incitans, quos erudiebat hortatu, præveniebat exemplo, quæ docebat agens, & quæ agebat docens, nec aliud ore promens, aliud corde volvens; ſed quod ore docebat, opere corroborabat, & quale habebat verbum, talem & vitam; qualem etiam vitam, tale quoque verbum. Summa quoque bonitate ſubditos regebat, ſumma ſeveritate ſemetipſum domabat. Non ſatis erat terribilis in ſubjectis, nimium valde auſterus in piaculis, in ſe ſervabat cenſuram, in alios præferebat juſtitiam. Rigore utebatur in diſcuſſione juſtitiæ, miſericordia in definitione ſententiæ. Diſtrictionis vero cenſuram ſemper temperabat miſericordia, ſciens ſcriptum, quia *in eo quod judicat quis judicandus eſt*, & quod *potentes potenter tormenta patientur*, & quod *judicium aris duriſſimum his qui præſunt*. Hæc ergo ſedula mente pertractans in omni actione diſcretionem tenuit, nec in illo penitus intemperate ſe geſſit; ſed omnia diligenter diſtinguens, & in diſciplina & in modeſtia modum ſemper ac temperamentum ſervavit, diligens in primis Dominum ex toto corde, ex tota anima, atque ex tota virtute; deinde proximum ſicut ſeipſum. In lege Domini ſine laſſitudine perſiſtens, mores bonos nulla noxia converſatione inquinabat, vitam temporalem pro exilio ducens, vitam æternam omni concupiſcentia ſpirituali deſiderabat. Actus vitæ ſuæ omni hora cuſtodiens, oculum mentis ſuæ ad Deum ſemper defixum habebat, ab omnibus quæ lex vetat ſolerti cura abſtinens, a cogitatione quoque noxia animam revocabat, *ſciens hominem* & de cogitationibus judicandum. Nihil præterea de ſe præſumens, bona a ſe facta divino muneri adſcribebat, odientes etiam ad pacem invitans, diſcordes ad concordiam revocabat. Conſilium & opus ſuum ad Deum ſemper convertens, in omni conatu ſuo Chriſti auxilium flagitabat. Pedes ejus ſemper directi ad evangelizandum pacem, ad evangelizandum bona, ſub ſpecie honeſta animo benigno incedebat. Ac ſicut fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, ut det illis cibum in tempore neceſſario, ſic populum ſibi commiſſum omnimodis feſtinabat ſpiritali reficere cibo, clementer docens, optime inſtruens, a conſuetudine peccandi tota omnes virtute retrahere nitens. Erat præterea ſpiritu fervens, ſollicitudine impiger, moribus clarus, operibus ornatus omnique ſuavitate conſpicuus, in oratione aſſiduus, in jejuniis ſtrenuus, in eleemoſynis largus, atque ita inter divites & pauperes medius, ut pauperes eum quaſi patrem, divites quaſi ſuperiorem ſibi aſpicerent. Ipſe enim non ad perſonæ potentiam, ſed potius ad morum elegantiam attendebat, & tanto unumquemque eminentius honorabat, quanto vivere ſanctius didicerat. Erga egenos quoque & advenas ita ſe ſollicitum exhibebat, ut vere Chriſtum eſſe in ipſis fide integra crederet, & non tam illis quod conferebat, quam ipſi Chriſto ſe eadem conferre gauderet. Ipſis quidem miniſtrabat cibum, & oculis ſuſpiciebat cœlum. Ipſis alimenta præbebat, & Chriſtum cum fiducia invocabat. Ulnas tendebat in dando, mercedem proculdubio expectans ex alto. Nam quantam molem ſubſtantiæ Stephanus diſperſerat amore Dei ſuccenſus, noſtrum non eſt tantum referre. Quem enim pauperem non ejus penetravit eleemoſyna? aut quis clericorum non ejus ſubſtantia refocillatus eſt? Quis peregrinus non ejus eſt receptus hoſpitio? aut quibus advenis non ſuum impendit obſequium? quos curioſiſſime omnibus locis perquirens, damnum ſuum putabat ſi quiſquam debilis aut eſuriens beneficio ſuſtentaretur alterius. Ardentiſſima quippe fide toto Salvatori animo conjunctus,

reddebat ei quod ab ipso acceperat, ac per singulos ejus famulos Christum se videre credens, quicquid in illis conferret, contulisse se in Deum lætabatur, illud semper revolvens quod Dominus in evangelio dicit: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Et illud: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Et illud: *Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula.* Et: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Hujusmodi sanctus Stephanus studiis exercitatus divina gratia comitabatur uberius.

XVI. *De extollentia sermonum illius atque scientiæ.*

Et inter cetera bona sermo quoque ejus sapientiæ atque scientiæ & consolationis sale affluenter conditus erat. Humilitatem autem Christi supra modum & caritatem æqualiter possidebat. Non præponebat in honore locupletem pauperi, nec principem vel nobilem subjecto vili præferebat; sed his se austeriorem exhibens, illis modestiorem præstabat. Discipulos quoque suos non affligebat magistrorum more; sed benigne ac modeste fraterna caritate diligebat. Jam vero in perversis tolerandis æquanimitas qualis & quanta patientia erat? Instabat nimirum incredulos ad fidem suadendo flectere, obsequio ingratos lenire, contradicentibus leniter respondere, superbos humiliter supportare, existebatque ad omnem tolerantiam fortis, ad sustinendam injuriam mitis, ad faciendam misericordiam facilis. Tribuebat egenis substantiam, committens Christo pecuniam, ut ab ipso æterna perciperet præmia, dicebatque res suas non esse suas, sed pauperum, quorum procurationem quodammodo agere videbatur. Denique omnes opes in thesauris cœlestibus largiendo egenis condens, cunctam supellectilem justa operatione ad paradisum removebat: illic videlicet transferens, ubi fructus caperet possessionis æternæ, illic thesauros abscondens, ubi feliciter glorioseque viveret sine fine. Erat præterea hic idem vir beatus in fide Christi firmus, in opere justus, in judicio providus, in humilitate perfectus, in devotione præcinctus, moribus suavissimus, sensu doctissimus, animo pacificus, corde piissimus. Tenebat jugiter in actibus sinceritatem, in corde puritatem, in opere virtutem, in moribus disciplinam. Gerebat in simplicitate innocentiam, in caritate concordiam, in humilitate modestiam, in amministratione diligentiam, in adjuvandis laborantibus vigilantiam, in fovendis pauperibus misericordiam, in defendendis dogmatibus constantiam. Eratque semper sermo ejus caritate & lenitate conditus, quo mentes audientium tamquam luminare lucidissimum irradiabat. O vere imitabilem virum! O semen Abrahæ benedictum! O præferendum omnibus Stephani exemplum! Jure itaque Abrahæ filius nuncupatur, dum ordinem gloriæ paternæ dignitatis exequitur. Merito, inquam, Abrahæ soboles ascribitur, fide scilicet, non genere; imitatione, non progenie; devotione, non stirpe. Nempe Abrahæ benedictio meruit filium. Stephanus vero benedictus transfertur in numero filiorum. Ille Domino obtulit filium, iste potiora donis omnibus obtulit semetipsum. Et Abraham quidem tradidit heredem, hic nihilominus hereditatem. Ille sobolis innocentiam, hic omnem substantiam. Necesse ergo est ut similitudo officiorum similitudinem conferat meritorum. Postremo Abraham quod habuit pignus exhibuit; Stephanus vero totum quod habere in mundo potuit, Domini juri arbitrioque commisit.

Sed longum nunc est per singula virtutum ejus insignia verbis ire; præsertim cum liber jam supra modum refertus finem postulans sermonem rejiciat, & ariditas nostri sermonis attenuata, velutique longo tramite pene defessa, succumbat: non quod omnia quæ de B. Stephano narranda erant expleverit, quippe qui nec ad centesimum ejus, ut ita dixerim, attingere potuit; quanta in eo bonorum omnium ornamenta quæ sunt vel pretiosa vel maxima, quæ supernæ remunerationis contulerit prærogativa; sed quod velut quidam eminens in sublimi scopulus magna jam ex parte adultus, ipsa sui prolixitate fronti se enarrantis opponat. Confidimus enim non nostris, sed ipsius meritis opus cœptum fideliter atque feliciter ad finem usque perducere, si ipse dignetur pro nobis Christum Dominum interpellare in cœlis, qui ejus munere meruit tanta mirabilia operari in terris per eumdem Dominum nostrum, qui cum Deo Patre & Spiritu sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

Incipiunt versus de virtutibus ejusdem.

Grandimontensis fundator religionis
Post Christum Stephanus trivit caput ambitionis.
Hic fuit Arvernus, natalis gloria gentis,
Rex erat æternus tutela viri sapientis.
Christi discipulus fuit in Christo studiosus,
Excelsi famulus fuit excelso pretiosus.
Se Domino junxit, Deus hunc intrinsecus unxit.
Ipse Dei cultor, rigidusque sui fuit ultor.
Regi fidereo servire fruique trophæo
Vir contendebat, carnemque domare studebat,
Miles regalis mundi scelus exitialis
Vincere sudabat, sursumque volare parabat.
Nigris præclarus fuit hostibus hostis amarus,
Actibus & dictis erat oppositus maledictis.
Hic animam fovit, cui carnem subdere novit.

Se Domino vovit, quæ ſunt removenda removit.
Urbis opes ſprevit, meritorum culmine crevit.
Juſtitia plenus, dives fuit hic & egenus;
Maximus & minimus fuit, & ſublimis & imus,
Hinc divina virum fecit elementia mirum.
Felici vita felix erat hic eremita.
Vir fuit angelicus, divinæ legis amicus.
Provida ſimplicitas in patre ſacro renitebat,
Florida virginitas in patre pio redolebat,
Intima nobilitas hunc maturum faciebat.
Cum decus eſſet ei ſublimis progenici,
Nobilitas morum magis hunc reddebat honorum.
Virgo columbinus fuit a colubro peregrinus.
Vir Domino plenus fuit, a lubricis alienus.
Vir Domino gratus meritis erat irradiatus.
Diutius lotum cor fixit in æthere totum.
In Stephano nituit lumen vivæ rationis,
In Stephano viguit robuſti ſudor agonis,
Agnus cum docuit fraudem vitare draconis.
Agnus ei tribuit robur caſſare leonis.
Summopere ſtuduit placare caput bonitatis,
Et quantum valuit caput obruit impietatis.
Junctus amore polo gaudebat principe ſolo.
Princeps præclarus, famulo ſuper omnia carus,
Illi ſolamen felix erat atque juvamen,
Et dilectoris cuſtos erat omnibus horis;
Vir mentis mundæ gemitus promebat abunde.
Anxius & lætus fundebat flumina fletus,
Culpæ culpator, gregis extitit ædificator.
Pacis plantator, litis fuit evacuator,
Juris ſervator, fraudis fuit annihilator.
Intus & exterius fieri cupiens homo divus.
Stantia quærebat, labentia deſpiciebat,
Chriſto vivebat, mundoque mori ſatagebat,
Regia captabat, ſe regi ſacrificabat,
Lucida curabat, virtutum luce micabat.
Patris ſedulitas erroris facta cavebat,
Hermicolæ bonitas pietatis geſta gerebat,
Belligeri probitas inimici tela terebat,
Virginis integritas amplexum regis amabat.
Hic caruit vitio tenebroſæ duplicitatis,
Quod nituit radio reverendæ ſimplicitatis,
Credere conſilio non ceſſavit deitatis,
Affectu nimio ſociari glorificatis,
Gliſcens corde ſuo coluit regem pietatis.
Ebrius ille fuit dulcedine ſpirituali,
Militiæ ſtuduit fore conſors imperiali.
Hic ſibi diſplicuit luxus miſeræ brevitatis,
Quod ſibi rex tribuit vel perpetuæ novitatis.
Multimode viguit virtutis nobilitate,
Inde frui meruit paradiſi proſperitate.
Simplex & rectus cœleſti melle refectus,
Tam dape carnali, quam cibo ſpirituali,
Multos paſcebat, nudos veſtire ſtudebat,
Chriſto reddebat quod Chriſtus ei tribuebat,
Paſtor laudandus, mirabilis & venerandus,
Summi paſtoris vigil inquiſitor honoris.
Impia nolebat, divinum velle volebat.
Pectore prudenti plaudebat cunctipotenti.
Regi glorifico pſallebat corde pudico.
Patri mirando reſonabat pectore blando.
Regi feſtivo jubilabat pectore vivo.
Laus plaſmatoris vox ejus cordis & oris,
Is reſpondebat menti Dominoque placebat.
Nectare divino perfuſum pectus habebat,
Aures divinas cordis clamore replebat,
Et precis ejus odor plus thure Deo redolebat.
Ad Domini nutum Domino parere ſtatutum,
Dives ditavit, mirandus mirificavit,
Summus honoravit, ſublimibus annumeravit.
Flos eremitarum lucrum ſitiens animarum,
Quod nocet horrebat, quod proficit eſuriebat,
Noxia vellebat, ſemenque ſalubre ſerebat.
Sævos mulcebat, laſcivos corripiebat,
Duros flectebat; depreſſis ſubveniebat;
Quos lupus urgebat ad ovile redire monebat,
Quod manet ardebat, quidquid fugit effugiebat.

CONCESSIO BRACHII S. STEPHANI Grandimontenſis, canonicis collegiatæ de Thierno facta a Petro abbate Grandimontenſi.

UNiverſis Chriſti fidelibus, ſpecialiter honorabilibus viris domino præpoſito & capitulo eccleſiæ collegiatæ ſancti Geneſii de Thierno diœceſis Claromontenſis, ad perpetuam rei memoriam.

Nos PETRUS permiſſione divina abbas monaſterii & totius ordinis Grandimontenſis, ad Romanam eccleſiam nullo medio pertinentis, & conventus ejuſdem monaſterii Grandimontis, notum facimus per præſentes, quod cum illuſtriſſima domina domina duciſſa Borbonienſis & Arverniæ, viro tunc in terra Anglicorum captivo exiſtente, audita fama ſanctitatis ac miraculorum beatiſſimi Stephani confeſſoris, primi patris & inſtitutoris ordinis noſtri Grandimontenſis, quondam domini & vicecomitis, oriundique dicti loci de Thierno, ad nos & generale capitulum noſtrum in noſtro monaſterio celebratum direxerit certos nobiles ambaſſiatores, quoſdam ex canonicis eccleſiæ ejuſdem de Thierno, cum litteris eorumdem dominæ duciſſæ & domini comitis ſigillis munitis, rogantes & requirentes, quatenus ob Dei reverentiam & exaltationem præfati ſancti Stephani, & pro expeditione & liberatione celeriori præfati domini ducis, eorumque villæ & patriæ conſervatione, aliquas de reliquiis prænominati beati Stephani confeſſoris, cujus corpus in eccleſia noſtra Grandimontenſi veraciter aſſerimus quieſcere & venerari, mitteremus in eccleſia præfata collegiata collocandas. Nos petitionibus tan-

torum dominorum quibus contradicere non debemus, pro expeditione celeri a nobis optata prænominati ducis, quam ejus meritis & orationibus infra breve ſperamus, & conſervatione villæ & patriæ de Thierno quam totis viſceribus deſideramus, annuere cupientes, unum ex oſſibus brachii præfati glorioſiſſimi patris Stephani eiſdem ambaſſiatoribus, de conſenſu & voluntate totius noſtri capituli generalis, ſervataque ſolemnitate in talibus ſervari conſueta, tradidimus in dicta eccleſia de Thierno exponendum: rogantes & requirentes reverendum in Chriſto patrem & dominum epiſcopum Claromontenſem, ſeu ejus vicarium, quatenus dictas reliquias prædicti reverendiſſimi patris ac glorioſiſſimi confeſſoris, quem ſanctorum catalogo a ſanctæ memoriæ Clemente papa tertio, ut per ejus bullam clare patet, ſignificamus adſcriptum fuiſſe, faciat & permittat a ſuis A ſubditis honorari, & ut decet ſancto venerari. Datum ad perpetuam rei memoriam in Grandimonte ſub noſtro & monaſterii noſtri ſigillo authentico, & in capitulo noſtro generali, una cum ſigno manuali magiſtri Petri Roherii clerici noſtri & notarii publici, per quem ſignari mandavimus ad majoris roboris firmitatem, die vigeſima nona menſis Maii, quæ fuit feſtum Aſcenſionis Dominicæ, anno ejuſdem Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſeptimo, regnante ſanctiſſimo domino noſtro MARTINO papa quinto, ſui pontificatus anno decimo, & ſereniſſimo Francorum rege domino KAROLO, ſui regni anno quarto, & præfato illuſtriſſimo principe domino JOHANNE duce Borbonienſi & Arverniæ.

De dictorum dominorum abbatis & conventus, ac dominorum diffinitorum capituli generalis mandato, P. ROHERIUS.

RITHMUS DE NECE CAROLI (a) BONI [1] FLANDRIÆ COMITIS.

Ex mſ. S. Martini Tornacenſis annorum 500.

Anno 1127.

PRoh dolor! ducem Flandriæ,
Defenſorem eccleſiæ,
Bonum tutorem patriæ,
Et cultorem juſtitiæ,
Traditorum verſutia,
Impiorum nequitia,
Plena gravi invidia,
Peremit pro juſtitia.
O infidelis Flandria!
O crudelis! ô impia!
Quæ te cepit dementia,
Quæ perverſa nequitia?
Ut tuum ducem ſperneres,
Mortem illius quæreres,
Et laqueos prætenderes,
Protectorem perimeres.
Tu per eum floreras,
Et decorem indueras,
Primatum obtineras,
Multis honore præeras.
Sed quia fornicata es,
Prævaricatrix facta es,
Et non audenda auſa es,
Præ ceteris ſpernenda es.
O infelix! ô miſera!
Crudelis & peſtifera,
Cur intuliſti vulnera
Pacis fundendo viſcera?
Cur hoc ſcelus perpetraſti?
Pacis vota conturbaſti,
Juſtitiam violaſti,
Patrem tuum jugulaſti.

C Quid vobis deerat, impii,
Crudelitatis filii,
Tanti ſceleris conſcii
Timoris Dei neſcii?
Non aurum, veſtes, prædia,
Non equorum ſubſidia,
Ergo præ multa copia,
Perpetraſtis flagitia.
O mœrore plena dies!
Noſtri luctus materies,
Qua finitur noſtra quies,
per malignas progenies.
Omni privanda lumine,
Tetro fuſcanda turbine,
Quo patria munimine,
Privatur & regimine.
D Impudens luge Flandria,
Gravi digna miſeria,
Tibi inſtant ſupplicia,
Mortis inſcrutabilia.
Prius eras præcipua,
Modo facta es fatua,
Exigente culpa tua,
Strages reddetur mutua.
O infelix revertere,
Cilicio induere,
Aſperge caput cinere,
Feſtina culpam luere.
Ne te Deus abjiciat,

(a) De eo vide ſi lubet genealogiam comitum Flandriæ, tom. 5. Anecdot. pag. 386. & Johannem Iperium, cap. 41. part. 2. ibid. pag. 621. & ſeqq.

In abyſſum projiciat,
Atque lacus deglutiat,
Qui proditores cruciat.
Commiſſo tanto ſcelere,
Es digna multo genere
Tormentorum, nec vivere,
Vix poteris evadere.
Pete tibi propitiam
Dei miſericordiam,
Ut per ipſius gratiam
Adipiſcaris veniam.
Karole gemma comitum,
Dux inclyte, flos militum,
Te dolemus immeritum
Pertuliſſe interitum.
Cujus prudens modeſtia,
Et ſolers vigilantia,
Soilicita pro patria,
Tuta ſervabat omnia.
Te exhorrebant impii,
Amabant pacis filii,
Bonis locus refugii,
Malis eras ſupplicii.
Nam domans gentes efferas,
Non tantum quibus præeras,
Cum aliquando aberas,
Verbo ſubdere poteras.
Te luget dulcis Gallia,
Pro te gemit Burgundia,
Teque deflet Apulia,
Inſuper noſtra patria.
Hic deeſſe videntur duo verſus.
Quæ lacrymarum flumine
Exuberans ſine fine.
Luget tellus morte tua,
Facta cultore vacua,
Eccleſia fit vidua,
Mala ferens continua.
Te deflet noſtra regio,
Suo privata gaudio,
Fugit pius pro impio,
Fit omnium confuſio.
O quam dira, quam effera,
Quam ſæva, quam peſtifera,
Mors præ omnibus aſpera,
Quæ nobis demit proſpera.
Ovis paſtorem jugulat,
Sibi peccatum cumulat,
Genuſque ſuum maculat,
Sine ſpe digne exulat.
O quam bona conſtantia,
Quam conſtans patientia,
Moritur pro juſtitia,
Per quem conſtabat patria.
Cum eſſet in eccleſia,
Intentus in pſalmodia,
Orans Deum mente pia,
Emerſit cohors impia.
Mox exeruntur gladii,
Jugulant patrem filii,
Perimuntur innoxii
Una quatuor ſocii.
O approbanda bonitas!
Incomparanda puritas,

A Quam ita jungit caritas,
Ne ſeparet adverſitas.
Junguntur amore pio,
Mortis damnantur exitio,
Eorum internecio
Fit Flandriæ confuſio.
Pia Dei clementia,
Cæſos pro tua gratia
Transfer ad cœli gaudia,
Ut tecum ſint in gloria. Amen.
Sic cum duobus filiis
Pater truncatur gladiis,
Qui eruti ab impiis
B Cœli fruantur gaudiis.
O proles digna titulis!
Cunctis amanda populis,
Quæ pro amore conſulis
Carnis ſolvitur vinculis.
Sed eorum cognatio,
Compatiens exitio,
Luget, gemit corde pio,
Ut exigit conditio.
Ceſſet amodo lugere,
Studeat preces fundere,
Conſtat animas quærere
Juvari precum munere.
C Fundat preces pro fletibus,
Det vota pro gemitibus,
Orans ut in cœleſtibus,
Iſti locentur ſedibus.
Deſcripta morte conſulis,
Cunctis inviſa populis,
Lacrymis flenda ſedulis,
Et inaudita ſæculis.
Deſcribantur crudelia
Impiorum ſupplicia,
Quæ pro ſua nequitia,
Pertulerunt in Flandria.
Juſta Dei potentia
D Volens tanta flagitia
Suppliciis innoxia
Puniri cum juſtitia.
Mittit ab Auſtro judicem,
Juſtitiæ opificem,
Et nequitiæ vindicem,
Qui impiis reddat vicem.
Venit igitur Franciæ
Rex proviſurus patriæ,
Inimicus nequitiæ,
Et amicus juſtitiæ.
Init grande conſilium,
Qualiter agmen impium
E Puniat, quod diſſidium
Fecit per homicidium.
Cum principibus loquitur,
De nefandis conqueritur,
Conſilium revolvitur,
Sanum tandem ſuggeritur.
Hortantur mentem regiam,
Ut tranſeat in Flandriam,
Punitura nefariam
Nefandorum nequitiam.
Rex fretus hoc conſilio,

Illuc

Illuc [it] cum consortio,
Hos daturus exitio
Opere pro nefario.
Hoc audientes noxii
Iniquitatis filii,
Quærunt locum refugii,
Vim timentes imperii.
Intrant castrum tutissimum,
Ad bellandum aptissimum,
Cor habentes promtissimum
Tueri nefas pessimum.
Isaac tamen abfuit,
Monachi vestes induit,
Ovem mentitus latuit,
Qui post hoc lupus patuit.
Captus fatetur peccasse,
Tantum scelus perpetrasse,
Mortem comitis tractasse,
Quem debuit honorasse.
Ore suo convincitur,
Ad tormentum deducitur,
Hic in altum suspenditur,
Quod quæsiit assequitur.
Intrat ergo rex Flandriam,
Cohortem quærens impiam,
De his per Dei gratiam
Expleturus justitiam.
Venit potestas regia,
Machinis vallat mœnia,
Aggreditur palatia,
Quibus latet gens impia.
Utrimque bellum geritur,
Hostis hostem assequitur,
Alter mucrone cæditur,
Alter jaculo figitur.
Istis dat vires caritas,
Illis crescit debilitas,
His animum dat æquitas,
Illis tollit iniquitas.
Qui privati consilio,
Desperant de auxilio,
Tanto pro homicidio,
Dari timent exitio.
Caput hujus nequitiæ
Nullius dignum veniæ,
Per fenestras maceriæ
Dimittitur ab acie.
Dum desperat de venia,
Cogente conscientia,
Fugit nequam per devia,
Mortis timens exitia.
Huc & illuc progreditur,
Fugere mortem nititur:
Sed latere non finitur,
Qui hoc scelere premitur.
Compertum est propositum,
A Sic latenter expositum
Fugisse, ne interitum
Subeat propter meritum.
Passim per terras quæritur,
Tandem repertus capitur,
Ad judicium trahitur,
Quod promeruit patitur.
Tortores tenentes eum,
Ponunt in collo laqueum
Trahitur ad equuleum,
Talis pœna decuit reum.
In equuleo ponitur,
Pugnis, fustibus cæditur,
Sæva flagella patitur,
Sic cruciatus moritur.
B Iste postquam mortuus est,
Patibulo suspensus est.
Ita tractari dignus est,
Qui proditor probatus est.
Redeamus ad alios
Iniquitatis filios,
Proditionis conscios,
Præ omnibus nefarios.
Audita fama miseri
De capite sic fieri,
Non cessant intus conqueri,
Sic metuentes conteri.
Burchardus mox exponitur,
Fugiens errat, capitur,
C Captus ad mortem trahitur,
Rota suspensus moritur.
Audiens cohors impia
Et hunc pati supplicia,
Desperando de venia,
Reddit castelli mœnia.
Intrat castrum rex inclytus
Et ipsius exercitus,
De consule sollicitus,
Currit fundendo gemitus.
Ad ducis tendit tumulum,
Gemitum promens querulum,
Flet, plangit gemmam consulum,
Bene regentem populum.
D His expletis doloribus,
Et captis proditoribus,
Alligantur compedibus,
Mancipandi tortoribus.
Tractatur de supplicio,
Exquiritur confessio,
Placet vultui regio
Hos mori præcipitio.
Ruunt ab arcis solio,
Mortis dantur exitio.
Hoc sunt digni supplicio,
Quibus placet proditio.

LIBELLUS DE MIRACULIS EUGENII PAPÆ III.

Ex mſ. B. Mariæ de Miſericordia-Dei.

OBSERVATIO PRÆVIA.

EUgenius papa III. cujus hic miracula ex manuſcripto codice monaſterii beatæ Mariæ de Miſericordia Dei in diœceſi Pictavenſi exhibemus, Bernardus antèquam ad ſummum pontificatum eveheretur appellatus, natus in oppido Piſani agri, cui Montis-magni nomen eſt, primum canonicus vicedominuſque eccleſiæ Piſanæ fuit, dein S. Bernardi abbatis prædicationibus & miraculis permotus, ſæculo valefaciens, in Claramvallem recepit ſeſe. Monachus ibidem factus, vilia quæque monaſterii officia obivit, tum Romani S. Anaſtaſii ad Aquas-Salvias adminiſtraturus cœnobium abbas mittitur. Quod cum ſtrenue regeret, mortuo Lucio papa II. ſummus pontifex renuntiatur anno 1145. *ſanctitate illuſtris obiit anno* 1153. *De quo Robertus de Monte. in appendice ad Sigebertum hæc habet:* Menſe Junio, VII. idus ejuſdem menſis, viam univerſæ carnis ingreſſus eſt venerabilis memoriæ Eugenius III. papa, vir admodum religioſus, in eleemoſynis largus, in judicio juſtus, omnibus tamen, tam pauperibus quam divitibus, affabilis & jucundus, ad cujus tumulum qui ei in eccleſia S. Petri venerabiliter factus eſt, miracula poſt tranſitum ejus ſtatim apparuerunt. *Ejus epitaphium in mſ. codice monaſterii Pontis-Otrandi diœceſis Andegavenſis eſt hujuſmodi.*

Hic habet Eugenius defunctus carne ſepulcrum,
Quem pia cum Chriſto vivere vita fuit.
Piſa virum genuit, quem Clarevallis alumnum
Exhibuit, ſacræ relligionis opus.
Hinc ad Anaſtaſii tranſlatus martyris ædem,
Ex abbate pater ſummus in orbe fuit.
Eripuit ſolemne jubar mundique decorem
Julius octavam ſole ferente diem.
Conceptum ſacræ referebant Virginis anni
Centum bis ſeni mille quaterque decem.

INCIPIT DE MIRACULIS ad ſepulcrum domni Eugenii III. papæ Romani.

1. PAuca de pluribus quæ Dei operatione & virtute diebus iſtis facta vidimus, & viſa vera probamus, ſicut memoriæ, ſic & ſcribi digna judicamus. Dei enim virtutes quas audivimus, quas vidimus non loqui non poſſumus, qui virtutibus laudem, qui laudi confeſſionem debemus.

2. Johannes quidam nomine, cognomine Ritius, natione autem & civitate Caſtellanus, manus & brachia, pedes cum cruribus contractus fuit: qui cum fide & devotione plenus ad ſepulcrum domni EUGENII III. ſcilicet papæ, Dominum pro infirmitate ſua fletibus & ſuſpiriis multis precaretur; ſubito compunctionem fletus gaudium, & infirmitates prece ſanitas expetita ſubſequuta eſt. Hoc canonicis veſpertinam horam canentibus publice factum & viſum eſt ab omnibus. Hic paſſus erat tribus annis.

3. Alius quidam Petrus nomine, de Caſtello-Formello, manum ſiniſtram habebat,

& rigiditate extenſam, ita ut ad nullum usum curvare eam vel flectere posset; sed & brachium dextrum sic contractum habuit, quod nec erigere, nec movere illud valuit ad usum aliquem. Huic eodem die & hora eadem, scilicet dum vespertina laus ageretur, ante præfati domni Eugenii sepulcrum, Dei misericordia, ad integrum membra debilia restituta sunt. Hic passus fuerat mensibus quinque, & sanatus est in vigilia B. Apollinaris.

4. In secunda die post hoc, puella quædam nomine Romana, annorum ferme XII. cujus pater Petrus, mater vero Clara nominata est, cum ad sepulcrum beatæ memoriæ Eugenii decubaret, plorans & ejulans, & orans sanitatem brachii contracti & manus dextræ penitus inutilis curationem, crurium etiam & maxime tibiarum quas amiserat & & pedum similiter, non fraudatur a desiderio suo. In matutinis namque in festo S. Apollinaris, operatione & virtute Spiritus-sancti, ab infirmitate sua curata est, & officiis suis membra sunt reddita: ita ut etiam ambularet, & omnia quæ necessaria sunt faceret. Hæc nativitate fuit de Reniano.

5. In eodem die, puer quidam nomine Romanus, filius Saxonis & Gattæ matris ejus, de regione quæ appellatur Pons S. Petri, ante sepulcrum patris supradicti recubans, sanatus est. Infirmitas autem qua tenebatur hæc fuit: sinistrum latus & manum sinistram maxime, quæ fere arida fuerat, amiserat, & sinistro pede claudicabat, a qua omnino modicum ante horam matutinalem liberatus est.

6. Quadam autem die, quidam Romanus genere, nomine Stabilis, cum jaceret in choro nostro, apparuit ei in somnis dominus Eugenius, dicens, Stabilis. At ille, Domine. Cui beatus Eugenius, Cognoscis me? Et respondit, Optime domine, Tu es dominus meus Eugenius. Cui ille. Quare non visitasti me? Et respondit, Ubi possum visitare te, cum dicatur quod sis mortuus? Et ille apprehendens eum, per manum adduxit eum ad sepulcrum suum, dicens: Si hic me quæsieris, sine gratia non redibis. Qui mox cum pulsaretur ad nonam, surgens festinus ad sepulcrum accessit, promissamque sibi a supradicto domino Eugenio gratiam cum lacrymis & suspiriis multis postulans, meruit pro misericordia Dei protinus impetrare. Nam brachium sinistrum & manus quæ per multos annos ita arida habuerat, quod ad nullum usum & utilitatem movere ea poterat, *misericordia Dei & meritis domni nostri* Eugenii, ita ex integro sanitati restituta sunt, quod ad omnem usum & utilitatem moveri possunt, quasi nihil infirmitatis in brachio & manu aliquando passus fuisset; & quod per multas expensas a medicis consequi non potuit, a Domino Jesu-Christo per merita domni nostri consequutus est.

7. Quidam Romanus Todinus nomine, cum tertianas febres acriter pateretur, timens de morte, cum fiducia maxima ad sepulcrum prædicti pontificis accedens, misericordia Dei & meritis domni nostri Eugenii sanitati integræ restitutus est.

8. Quidam de quodam castro, quod vocatur Casamamanii, per XX. annos a dæmonio crudeliter vexatus, ita quod nullatenus aliquam ecclesiam sine maximo sui miserrimi corporis detrimento & tribulatione intrare poterat, cum ecclesiam apostolorum principis intraret, cœpit clamare, Quo ducitis me? Qui tandem adductus est ad sepulcrum ejus, licet invitus, & protinus liberatus est.

VITA B. HUGONIS DE LACERTA,

SANCTI STEPHANI

ORDINIS GRANDIMONTENSIS INSTITUTORIS

DISCIPULI,

SCRIPTA A GUILLELMO DANDINA,
cognomento de S. Savino, auctore ſuppari.

Ex pervetuſto codice Grandimontenſi ætate ipſius auctoris exarato deſcripta,
Et a reverendiſſimo abbate Grandimontenſi mihi perhumaniter tranſmiſſa.

VITA BEATI HUGONIS de Lacerta.

Anno 1157. S. Stephani vitæ compendium.

1. IGitur domnus Stephanus pater primus & fundator totius religionis noſtræ, per quem divina clementia nobis & per nos ceteris lumen veritatis innotuit, Arvernis oriundus certa plurimorum relatione comprobatur & creditur. Nam cum primum ſanctus Dei generis nobilitatem, amorem rerum, fluxam ſæculi gloriam, eſcarum variam delectationem, & reliqua remiſſionis blandimenta, quaſi quoddam vitaret incendium, quodam rapido curſu pervenit Muretum, in quo ſe conſtituens, novus hoſpes habitavit. Exinde cum voluntati ejus merita religionis ſuccreſcerent, jam omnibus ſæculi vinculis liber, arduum atque aſperum arripuit inſtitutum. Diſponens igitur lege vitæ durioris ſe ſtringere, inediæ & vigiliarum tantum patiens cœpit eſſe, ut eum ſibimet fore crudelem non dubitares. Pernoctans in oratione, edebat ſemel in die, ſæpiſſime tantum poſt ſolis occaſum, nonnumquam biduo, triduo jejunus permanens, quarto demum reficiebatur die; ſumebat vero panem & ſalem quandoque, potumque perparvulum aquæ, unguenta penitus repudians; de vino quoque putavimus melius reticere, quam quidquam dicere; præſertim cum illum ab eo penitus triginta annis continuis abſtinuiſſe audivimus: niſi cum communionem Domini acciperet in decretis ſibi diebus. Quanto autem pannorum in æſtate fruebatur, tanto in hyeme erat contentus; quibus etenim in die, eiſdem utebatur in nocte: quieti autem membra concedens, duobus invicem conjunctis aſſeribus atque cilicio utebatur; loricâ tamen ſemper indutâ deſuper: aliquoties etiam ſuper nudam humum jacebat. Cujus etenim vita ſermone A eſt ſatis luculento, caro paterni amoris ſtudio, aliàs ſcripta in ſacratioribus locis pro ſummo honore habetur & conſervatur. Hic denique ex quo eremum aridam intravit, Chriſto ſervire ex corde deſiderans, ut de ſuis aliorumque meritis mercedem in cœlis acciperet copioſam, fratrum habitantium in unum extitit pater atque miniſter; in qua cum eis habitans, quotidie in opere Dei ſuccreſcebat, formam tenens illius eccleſiæ primitivæ, de qua in Actibus apoſtolorum legitur: *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una; nec quiſquam ſuum ibi eſſe aliquid dicebat; ſed erant illis omnia communia.*

B 2. Fuit enim in diebus illis in Lemovicinio vir beatæ memoriæ frater Hugo LACERTA cognomine, qui a primævis pueritiæ ſuæ annis ætatem moribus tranſiens, ſecundum quod ſcriptum eſt, innocentis habitavit domum; qui cum legitimis altiſque exortus eſſet parentibus, ipſum jam quaſi ſeneſcentem mundum cum concupiſcentiis ſuis ſprevit atque calcavit. Quanta eum Deus bonitate quantaque virtute mirificavit, cum adhuc florens militaret in ſæculo, ad ædificationem omnium noſtrum, ne æmuli inveniamur, utrumque explicare debemus. Hugo de Lacerta clarus omnes pannitibus.

C 3. O virum laudabilem! ô virum cunctis amabilem! quem in infantia ſic divina prælegit gratia, ſic præſignavit prodeſſe futuris, quod vulgo a coævis Deus fecit illum amari, meruit ſanctus nuncupari: hic autem adhuc puer, cum ad eccleſiam cum parentibus ſæpe conveniret, nec infantium laſcivias, nec puerorum negligentias ſectabatur, ſed tantum ea quæ legebantur auſcultabat. Ejus infantia.

4. Cum autem eſſet miles jam factus, pauperum Chriſti non immemor fuit, ipſe pauper futurus; religioſos enim ac ceteros quoſcumque ſecum hoſpitabatur, ſemper una domo, una menſa e ſumtibus ſuis hilaris dator diligenter reficiebat; unicuique vero par- Ex hoc miles quam miſericors eſſet in pauperes.

cimoniam ſuam de facultatibus ſuis valde optime, prout poterat, dividebat; eſurientes alebat, nudiſque veſtimenta præbebat, pupillos quoque & viduas, infirmos atque captivos in tribulatione eorum conſortans, viſitabat; peregrinis defunctis atque vicinis ſepulturam ſollicitus exhibebat. Quid plura? non habentibus ligones & cetera labori neceſſaria humilis humiliter miniſtrabat.

Ejus abſtinentia.

5. Nullus namque, juxta magiſtri noſtri ſententiam, perfecte abſtinens prædicatur, niſi is qui ea coram ſe poſitis quæ amplius appetit deſiderium ſuum illæſus calcat & frangit; tanta autem præditus Dei famulus abſtinentia ſeſe inclinaverat, quod ſæpiſſime a licitis quibus libere uti poterat, jejunus exiſtebat: cumque ſibi, ſuiſque amicis diverſæ epulæ diverſo genere poſita menſa apponerentur; tunc inde quaſi ſubtriſtis conſurgens, ventris dolorem aut cauſam aliam ſe perpeti ſimulabat. Cœnatis itaque omnibus, incœnatus ſæpe ſolus manebat; non ſuis, ut militaris ille aſſolet ordo, pro variis & delicatis cibis unquam tædio fuit, iis ſolum quæ dabantur contentus, nihil amplius requiſivit.

Cujuſdam pauperis vestis diffidiatur.

6. Caſtello autem in eo quo famulus Dei commorabatur, diebus Dominicis quidam pauperrimus devote ad eccleſiam veniebat oraturus, quem adeo omnibus cura familiaris attenuaverat bonis, quatenus minime haberet, exceptis quibus neſcio ſemicinctis unde pudibunda ſua protegere poſſet, quæ ita videbantur reſarcita ex aliis, quod vix aut numquam poſſet diſcerni cujus antea extitiſſent coloris. Hæc itaque talia, ut dictum eſt, Dei miles gemens & ſuſpirans, propter Chriſtum ex toto corde cupiebat habere; inſuper & ſibi per totam vitam ſuam ſperabat ſufficere poſſe.

Alterius pauperis æditium.

7. Erat autem alius in prædicto loco, pauper tantum rebus, ſed dives, ut credo, virtutibus, qui multo ſudore toto anno ſibi & familiæ ſuæ cum ligone tenuem victum acquireret; huic vero erat ædicula tam pauper, tamque anguſta, quod ex pennulis juniperi aliorumque humilium arbuſtorum, collo quidem ſuo delatis, in ipſo oſtiolo prope limen ſe foculare; ſic enim undique fabrica illa urgebatur anguſtia, ut ibi manentibus difficiliter valde pateret egreſſus; tale namque hoſpitiolum vir ſæpedictus, ut lucrifaceret Chriſtum, cogitabat fore ſibi neceſſarium, reminiſcens ſcripturæ illius dicentis: *Quam arcta eſt via quæ ducit ad vitam.*

Immo animalium immundorum.

8. Operæ pretium eſt, & noſtræ ædificationi valde neceſſarium, huic etiam illud inſerere lectioni, qualiter Dei famulus ſe adaptabat in ſpiritu non ſolum pauperibus, ſed & immundis animalibus: quædam autem in præfato caſtello de ſub cujuſdam ſcala, ſtratu ex vilibus paleis atque minutis ſibi parto, ſus immunda jacebat, quam cum inibi vir Dei frequentiſſime jacentem ac volutantem prope aſpiceret, triſtis & ſtupefactus ſecum dicebat: Quomodo vivo? quid miſer propter Chriſtum ſuſtineo? Nam tantum in amorem Chriſti ille jam promtus fuerat, ut tale cubiculum libentiſſime ſuſciperet, ſi tempus ſuæ converſationis permitteret.

In militia ut ſe gereret.

9. Perfectæ enim vitæ atque ſummæ ſcientiæ eſt habere in ſæculo quod ſubſequente recitatur capitulo. Religioſus autem & pius miles in omnibus & pro omnibus magis Chriſto obediens quam ſæculo, quidquid ex religioſa invitus acquirebat militia, ad uſum bonum, quantum poterat, expendere ſemper ſtudebat; qui cum ad militare ex præcepto domini ſui compelleretur negotium, cui tamen propter beneficium non valebat ſuum defraudare ſervitium, Deo volens adhærere, promittebat nihil ibi ſe facturum niſi ejus obſequium: videlicet ex utraque parte diſſipare malum & inquirere bonum; ſed ut redderet Cæſari quæ ſunt Cæſaris, ac ſi vellet omnia capere, incipiebat quandoque primus abire. Reddens ergo quæ Dei ſunt Deo, fugabat quos capere nolebat; quos vero alii impedire tentabant, ipſe prior capiebat, ac deinde locis convenientibus ſalvos atque ſolutos abire ſinebat. De cetero autem portionem quæ ſe contingeret a commilitonibus ſuis importune exigebat: hac tamen intentione, ut illi qui amiſerant non ſine lucro reportarent ab eo. Cum autem ad omnia Dei miles ſe tam ſapienter diſponeret, propter converſationis ſuæ ſtudium carus acceptuſque Deo a populo judicatus eſt. Quodam ergo tempore dum ex more de contemtu ſæculi tacitus ſecum diſputaret, æternam potius quam præſentem vitam ac tranſitoriam approbans, placuit de terra & de cognatione ſua egredi, & in aliena peregrinari. Hinc eſt quod per aliquod tempus quo iret aut quomodo fieret ſecum deliberaret, votum vovens Deo, propoſuit Hieroſolymam pergere, Chriſto militaturus, ac inde numquam ad propria reverſurus. Cumque Dei miles accepto tempore, expenſis diſpoſitis, collectis ſociis, optatum iter diebus multis perageret, quemdam ejuſdem itineris ſocium, gratia Dei præcedente, invenire meruit, qui & ei voluntarie ſuppleſſet neceſſaria, ſi ei facultas deeſſet in via. Erat enim ex magno genere hominum, & dives multum auri & argenti & poſſeſſionum, ac familia multa nimis adornatus: denique dum ex more viatorum invicem de pluribus ſermocinarentur, contigit ut omnium judicio præſtantiſſimus eſſe & conſilio & verbo decerneretur, quem ſiquidem cum tanta gratia dives ille quotidie cerneret ſublimari, ita & amicum & familiarem ſibi præfecit, ut ambo ſcypho uno, lance una refocillarentur, & relicto ſuorum conſilio * ejus ſolo potiretur proprio. Cumque itineris cœpti maturitate viam conficerent, contigit ut Hieroſolymis

De mundi contemtu cogitans, Jeroſolymam cõtendit.

* f. conſortio.

ſani & incolumes applicarent: deinde dum ex ſudore multo feſſa membra recreaſſent, ut locus obtulit, cum donariis copioſis per loca ſancta perrexerunt oraturi. Erat enim Dei miles præterea deditus in eleemoſynis, orationibus ac frequentioribus jejuniis, & omnibus pro poſſe ſuo obediens vitæ æternæ mandatis: religionis autem gratia recluſos ac ceteros religioſos frequentiſſime viſitabat; cupiens tam prædicatione eorum inſtrui, quam præſentia recreari. Fere enim per biennium ſedulum Chriſto exhibens obſequium; vir Dei ibi quandoque miles extitit, quandoque & peregrinus.

Ad patriam revertitur.

10. Interea cauſa extitit, quod dives ei ſocius reverti ad propria compelleretur: erat enim multo negotio plena. Quam cum venerabili viro per ordinem expoſuiſſet, venire mox ſecum quantocius ut familiarem rogavit & amicum. Cui ille: Nequaquam ego quod rogas facere poſſum; nam huc ad hoc veni, ut Dei ſervitio dies vitæ meæ redimerem reſiduos. Rurſus dives ait: Occaſionem quæris, ne mihi quod rogo præſtare debeas; ſed quia longa & laborioſa nobis reſtat via, ne cunctéris, amice dulciſſime, meis parere ſermonibus: promitto enim huc me reverſurum, ſi tu vis, in proximo tecum. Tunc ille victus his precibus acquievit; nulla in medium mora. Quod ergo ſupererat de theſauris ſuis incunctanter jubet præparari, unde & ſupplementum haberent victus & penuriam ſublevarent veſtitus. Dum autem ad mare deſcenderent, vir Dei de reditu ſuo cœpit ſecum contriſtari & moleſtus eſſe. Accidit autem ut quidam peregrinus pulcher facie, ſed pulchrior fide, tranſiret eadem via, & viſo illo acceſſit ad eum, & dixit: Frater, quid habes? quid ploras? Cui ille inquit: Domine mi, ſic & ſic, & me & meum Deus reſpuit ſervitium. Prædictus namque peregrinus eum quaſi verbo propheticó conſolans, ait: Fili mi & amice, noli lugere & noli contriſtari, forſitan enim Dominus ad alia utiliora te revocat negotia, quoniam ut trahat ad bonum melius, quandoque ſubvertit minus. Audita vero confortatione & percepta, mox navem cum ſociis lætus & ſecurus aſcendit, & gratias Deo omnes in unum agentes, navigio proſpero, aura levi, undis lenibus, temperatis flatibus, velo pendulo, mari tranquillo, tandem ad portum pervenerunt ſalutis.

Piis operibus vacat.

11. Cumque ad terram veniſſent, placuit ei cum ſociis ſuis pariter & amicis ad patriam & propriam domum agroſque remeare: ad quos veniens, & in quibus conſtitutus, ferme biennio domus ſuæ curam agens ſatis honeſtam, multo inſtantius ac ferventius fuit deditus miſericordiæ actibus, boniſque intentus operibus, hoſpitalitati præcipue ſtudens, exercendis vero ſæcularibus curis occupatus agebat terrena negotia; ſed ut poſt in vita ſua claruit, magis ex debito quam ex intentione; hic nimirum, cum jam quadragenarium ætatis ſuæ annum celebraret, reipublicæ negotiis, ſæculique curis afflictus, mundum penitus deteſtari, & quo ſoli Deo vacaret ſecum inquirere cœpit.

Ad S. Stephanum accedit abeo inſtruitur.

12. Eo namque tempore domnus STEPHANUS in diſciplina ſua noviter jam fratres, licet paucos, ſuſceperat, quos tamen modo palam, modo clàm ad ſanctæ converſationis ſtudium informare vigilabat; qui vero, cum diu in eadem eremo virtutibus ſignisque ſuccreſceret, cœperunt poſtmodum nonnulli jam mundum relinquere, atque ad ejus magiſterium feſtinare. Hujus itaque nomen per vicina loca innotuit, factumque eſt ut ex illo jam tempore a multis frequentari cœpiſſet. Qui enim ei victualia deferebant corporis, ab eo in pectore ſuo æternæ alimenta reportabant vitæ: hujus ergo venerabilis patris celebrem opinionem vir iſte de quo nobis præſens ſermo, compériens, divino, ut credimus, Spiritu inſtinctus, prædictam eremum aggreſſus ſolus & cum aliis multoties præſentiæ ejus ſe obtulit aſpectibus; cui profecto per multa conſolationis verba, pater venerabilis cum corde ejus præſentiſſet petitionem, ſicut conſueverat orationum munus obtulit; nec cum ſecum poſſe manere indicavit. Tandem expleta itaque conſolatione & alloquio, ad propria ſæpe repudiatus miles Dei receſſit: alia quoque die per quemdam preſbyterum ſatis litteratum religioniſque inſtitutis bene eruditum expertus eſt, utrum illic tanta adeſſent bona quanta & plurimorum narratio certa vulgaverat, ipſe etiam ineſſe credebat; qui reverſus dixit ad eum: Pater iſte de quo tu quæris, tam ipſe quam diſcipuli ſui angelorum vitam, quantum fas eſt, ſectantur in terris.

Ad S. Stephanum revertitur & ferum repellitur.

13. Poſt non multos vero dies eâdem causâ optati eremi iterum miles Dei aggreſſus eſt iter. Hic nempe, cum viri Dei ſe præſentaret aſpectibus, ſtatim indicavit ei quid quæreret, dicens; Scio, domine, te non latere petitionem meam, ſæpe enim caritatem te rogavi, & ſæpe a te repudiatus receſſi: pater & domine obſecro, reverti ad ſæculum nolo, quia valde labile ſcio, & ne pro fragilitatis meæ conditione, valeam tam leviter ut modo huc redire, timeo. Ecce enim paratus ſum ex toto ad Deum, quem tu prædicas, & cui devotum cum tuis exhibes famulatum, converti; unde ſupplicó largiri mihi a te ſanctæ habitum converſationis; cumque pater venerabilis petitionis ejus videret conſtantiam, talibus cum verbis eum alloqui cœpit dicens: Frater & amice neſcis quid petis, vita enim tua nimis eſt delicata, & tota in deliciis enutrita, quomodo poteris onus ſuſtinere quod tibi vis imponere? aſpice crucem, multum eſt difficile ibi manere; ſi huc adveneris, in ea configeris, &

amittes dominationem quam habes in temetipso, in oculis & in ore, ac in ceteris membris, manducandi, jejunandi, dormiendi ac vigilandi tuam relinques voluntatem, multarumque rerum aliarum, & hoc quod in sæculo diligis, continget tibi odio habere; exinde non reverteris ad domum cognatorum tuorum, & si ipsi ad te venerint, nequaquam eis tuam paupertatem ostendes. Poterisne, frater, fossor esse, ligna & fimum portare, cunctis fratribus servire? Hoc totum esset facile; sed captus tali carcere manebis, ubi non est foramen per quod ad sæculum revertaris, nisi tu ipse feceris, & ego curam tui non agam, nec temetipsum agere sinam; a sæculo quippe meos abscidi pedes, & si propter me non redeo, propter te non redibo. Adhuc aliud superfuerit; forsitan mitterem te in aliquod nemorum, & annonam quam manibus cum ligneo ligone laborando acquisieris, ego acciperem, & eis qui me hic custodiunt tribuerem: aliud vero restat horribilius; centupliciter tibi melius est damnari in sæculo quam hic: qui enim ab altiori cadit, amplius læditur: & si hinc in infernum caderes, omnibus aliis perditis inferior esses. Tu vero potes pergere ad quodlibet monasteriorum, ubi magna invenies ædificia; cibos delicatos suis temporibus constitutos; illic bestias reperies terrarumque latitudinem: hic tantum crucem & paupertatem. His & hujusmodi pluribus verbis Dei militem pater venerabilis expertus est, ac deinde oblata salutatione ad præsens jussit recedere.

Tædium admittitur.

14. Hæc autem patre dicente, magna valde repletus est anxietate, ac si omnem totius salutis perdidisset spem, sine consolatione ingebat, ob hoc maxime quia sibi salutis præsidium quod ferre poterat, ferre prolongabat: cui ille iterum utcumque potuit, dixit ô bone homo! ô bone homo! omni enim virtute tua age quod agis, operare quod operaris, non cesset pes tuus, non cesset manus tua, ego autem e contrario tantum malum & per me & per alios a modo perpetrabo, quatenus peccatis meis merentibus & me & te in profundum abyssi præcipitabo; quo dicto abscessit ille tristis & disparuit. Surexit autem illico vir Dei, timore magno perculsus, vocatisque simul fratribus, quidquid ab illo audierat, & quale consultum super hoc tam periculoso negotio ministrarent, tremens indicavit & pavens: attamen interim indesinenter pro eo orabat, ne multa mora probationis averteret eum a servitute divinæ religionis. Cui fratres tale feruntur dedisse responsum: audi pater consilium nostrum, nostræ religioni forsitan profuturum, si hoc habet a Deo, probare poteris hoc modo: cum sint ergo nobis Dei bonitate diversa escarum subsidia, jube de partibus omnium nostrum partem talem & multo meliorem præparari, quæ illi in victum per diem sufficere possit. Si enim nobiscum propter hoc totum remanserit, inde Deus laudetur; sin autem, nec tibi nec nobis a modo & deinceps ad judicium imputabitur. Hæc autem cum prædicti discipuli perorassent, tam ipsi quam illis consilium istum dignoscitur placuisse; deinde duobus ex discipulis accersitis præcepit dicens, ite & dicite illi: Signamus igitur confisi de Christi misericordia ut venias, & nobiscum eidem servias in timore & disciplina: quod vir Dei præcepit statim a fratribus est susceptum. In crastinum autem factum est, ut & discipuli dimitterentur ire quo præceptum est: qui cum domum ejus ingressi fuissent, seorsum illum statim duxerunt secum, & quidquid pater ei mandaverat, secreto exposuerunt: placuit autem ei sermo jubentis patris, & exinde incedit timor in omnibus ei obedire. In ipsa autem hora ex intimis cordis medullis spem omnem quam habebat in sæculum dereliquit, & omnibus etiam quæ possidebat renuntiavit, eo quod Christum sibi magistrum omnino providisset: jam non uxorem, non filios carnis, non divitias, non honorem sæculi quærens, sed soli Deo servire studuit ex integro, & cœna facta, cum jam eos de die adventus sui & modo satis docuisset, in ejus thalamo fratres dormitum perrexerunt parumper. Mane autem facto, miles Dei surrexit prior, qui cum fratribus thalami hospitium aperiret, odor nimius naribus ejus inde protinus diffusus est; de quo dum diutius unde adesset dubitaret, incidit ei quod de labore fratrum & sudore vestium ille procederet; qui statim ad se reversus dixit: Domine Deus, si umquam merui gratiam in oculis tuis, talis odor ac tantus antequam moriar de me pro amore tuo egrediatur. Deinde vero fratres retroactum iter alacres & sospites repente ceperunt; cumque in via de adventu ejus invicem hæsitando conquererentur, ecce vir ille velocissimo subsequitur cursu. At ubi pervenit ad eos, dixit: Nolite mirari, fratres & domini mei, si vos ego subsequor solus: dies forsitan illa in dubio est vobis, qua me venturum ad vos designavi, quoniam vos advenientes tam sæculariter, tam delicate me invenistis; super hoc modicæ fidei quare dubitastis? Quo audito, stupefacti discipuli, ita esse responderunt. Quibus iterum dixit: Sed ut pro certo habeatis, ecce viator obviam venit, quomodo me habeam illum interrogate, statimque recessit: illis vero proficiscentibus, ecce viator ille obviam factus est; quem cum requisissent dicentes: Quomodo ille se habet? Respondit ille: Quod vero vix ceteri vel pretio impetrant, ille tantummodo simplici assequitur verbo. Hæc autem fratres audientes, insimul gavisi sunt valde; deinceps expleta ipsius diei hora vespertina, confecto

itinere, ad patrem & ad fratres converſi ſunt in pace. Poſt parvum vero temporis miles Dei, terram, cognationem, amicos, cognatos, & quod his omnibus difficilius eſt, voluntatem propriam, domum egreſſus, propter regna cœlorum dereliquit, & aſſumto ſecum quodam ex domeſticis ſocio, pari ſententia, parique conſilio aggreditur viam & locum ubi ſervus Dei morabatur cum diſcipulis ſuis. Perveniens vero ad locum, humilis docilisque ad patrem & magiſtrum continuo acceſſit diſcipulus, ut ſancta religionis forma doctrinaque eruditetur: & ejus ut voluit deſiderium completum eſt.

Suſceptus in ordine quam ſancte ſe geſſerit.

15. Suſceptus itaque & factus diſcipulus, & religioſorum pauperum Chriſti numero ſociatus intra congregationem, mox cum Dei ſervis converſari & vivere cœpit ſecundum paupertatis votum, & modum & regulam ſub illo tanto patre conſtitutam. Maxime illis qui Deo ſerviebant ex corde, adhærebat, jejuniis & orationibus & operibus bonis, in lege Dei meditans die ac nocte. Cuique vero, ut dictum eſt, quidquid proprium in illa ſancta ſocietate habere, vel ad dexteram vel ad ſiniſtram declinare minime licebat: ibique diu piis moribus & exemplis ad plenum eruditus, priuſquam omne religioſarum ſtudium inſtitutionum adeptus eſt, optimorum quoque fratrum habitum factumque imitatus, eidem patri venerabili præ ceteris carus acceptuſque poſtmodum factus eſt. Hujus enim frequentiſſimis verbi Dei ſtatuſque religionis inſtantiſſime præ ceteris aderat ſuſpenſus atque affixus colloquiis: utilitatem præceptorum, inſtitutionemque vitæ ſervans; atque ita edoctus ſenſim atque paulatim proficiendi in religione eidem amoris ardor innatus eſt, ne quiſquam eam infirmare, vel quidquid dicere contra ipſam, eo præſente, præſumeret; & gratia Dei ſic in eo ſuccreſcens quotidie proficiebat, ut ſufficientiſſime poſcentibus reddere rationem de ſtatu religionis & regula ſemper adeſſet paratus: ſicque vitam ſuam inſtituens, ab univerſis fratribus puro diligebatur affectu; eorum proprias ſingulorum gratias hauriens: nam iſtius lenitatem, illius vigilias, alterius orandi æmulabatur induſtrias; hujus continentiam, jucunditatem illius ſectabatur: iſtum jejunantem, humi alium quieſcentem, mirabatur alterius patientiam, alterius manſuetudinem prædicabat: ſic ſecum univerſa pertractans, omnium in ſe nitebatur exprimere bona. Pater vero venerabilis magiſter ejus, ut erat vir pius, & Dominum timens, de profectu provectuque ejus gaudebat, & Domino gratias agebat; ob hanc cauſam præcipue quod divina ſibi miſericordia diſcipulus præſtaretur talis, qui poſſet verbo Dei & exemplo boni operis ceteros conſolari & ædificare, ſuiſque neceſſitatibus ſanum conſilium providere: unde accenſa & ardens poſitaque ſuper candelabrum lucerna omnibus qui in illa domo Dei ſunt lucebat: de cujus vero familiaritate, conſilio, providentia, ac bonitate in multis pater venerabilis multa perhibuit teſtimonia, ſicut ſubſequentia poſſunt probare eloquia.

S. Stephani adjutor exiſtit.

16. Cumque quotidie diſcipulus ille ſignis virtutibuſque ſuccreſcens, magiſtri adjutor exiſteret, in caritate fratres non invidia congregati in unum, ad patrem & magiſtrum, flagitante religioſa neceſſitate, venerunt: quem cum de utilitate eccleſiæ ſuæ & amplificatione, de cellulis accipiendis & fratribus ordinandis ſatis diligenter alloquerentur & exhortarentur, jam ſcientes firmum ſæpedicti diſcipuli propoſitum, ad mittendum eum omnes pariter laboraverunt; quibus pater id uno conſenſu & deſiderio fieri perficique petentibus reſpondit: Quare, fratres, quare ita dicitis? Numquid eum tam vobis quam & mihi neceſſarium videtis? Multa vero beneficia Deus per eum operatus eſt nobis, propter quod horum vultis dimittere eum? Nam ſi eum a nobis dimittimus, altare pariter deſtruamus: ſanctitas enim & benignitas & mira humilitas erat in eo, & oratio, ſicut præcepit Dominus dicens: *Orate omni hora.* Nihil umquam aliud agere docuit ſi potuit, quin ipſe prius fecerit. Cum jam in amore Domini noſtri JESU CHRISTI eremus illa de die in diem ferveſceret, exemplo ejuſdem patris nonnulli æternæ vitæ accendi cœperunt deſiderio, atque ſub ejus magiſterio omnipotentis Domini ſe humiliter dederunt ſervitio: ibi enim ſanctitate atque doctrina longe lateque habitantibus jam vita ejus inclaruerat.

Ipſimque ſæpius habet in colloquio quod eum dignius cardinalitio habuit.

17. Eo namque tempore, flagitante eccleſiaſtica neceſſitate, ex numero cardinalium duo a ſummo Romanæ eccleſiæ pontifice miſſi, Gregorius videlicet, & Petrus de Leo Lemovicum venerunt, qui tamen poſtmodum curam ejuſdem diviſi invicem ſuſceperunt; illi autem dum de vita ejus ac converſatione multa præconia plurimorum relatu cognoviſſent atque probaſſent, ad eum viſitationis gratia convenerunt, cupientes ſecreto juxta voluntatem ſuam quiſque cum eo ſigillatim conferre ſermonem. Tunc ejus quippe habitaculum multi frequentabant, quia ille homo Dei doctrina gratiæ cœleſtis affluebat. Cum vero jam hora collocutionis exigeret, cœpit cauſam ſingulorum & viam diſcutere, quatenus illi tanti ac tales ad tam parva tamque humilia divertiſſent habitacula. Cumque ſinguli ad ejus exquiſitionem cur ad eum divertiſſent, exponerent: multam quidem in eo comperientes ſapientiam, a circumſtantibus fratribus mox petierunt, ut ſecretioris unicuique eorum per ſe quantulacumque licentia concederetur conſilii, eumque egredi nequaquam urgerent ab eis. Illis autem recedentibus, domnum Hugonem

nem pastor ad se vocavit, cumque secum sedere præcepit; quibus vir Domini, ut consederunt, ait: Domini mei & amici, super hoc nolite conqueri & admirari; hunc enim meum discipulum bonumque filium ideo retineo mecum, quoniam quidquid in secreto dictis mihi, totum ipse postmodum indicarem ei; tantum autem in eo consilii & bonitatis quantum & in me proculdubio invenire potestis, est enim in consilio valde providus & in commissio fidelis. Digna quidem valde res ex ea collocutione secuta est; quia, sicut post illi testati sunt, de statu Romanæ ecclesiæ ac moribus recedebant multo certiores sapientioresque quam venerant.

Prophetico spiritu declarat familiaris S. Stephani animam ab hospite suo traditam latronibus.

18. Erat autem tunc temporis familiaris quidam a *Mortomar*, qui Muretum sicut ceteris & aliis locis caritatem deferre consueverat; habebat enim ille hospitem a *Bonnac*, apud quem hospitabatur tunc, cum iens vel regrediens quo tenderet tardiori hora fatigatus minime pertingere posset, suo quoque hospiti familiaris ille multa jam impenderat beneficia, tum propter reverentiam & amorem, quam, ut videbatur, deferebat fratribus; tum propter servitium & honorem quod ei in suo exhibebat hospitio. Bonis quippe hospes cernebatur moribus, atque in omni sua actione compositus; sed sicut res ipsa postmodum patuit, longe aliter quam apparebat, fuit. Nam dum ejus familiaris frequentaret hospitium, ab eo in pretio duobus latronibus occulte traditus est, quem secum captum vinctumque trahentes super Vigennæ ripam, in quibusdam petrarum latibulis in arctissima posuerunt custodia. Interea visitationis gratia viri quidam de *Mortomar* venerunt Muretum: hi nempe cum post ædificationis verba vellent recedere, si umquam mitteretur ille, patrem ipsum cœperunt interrogare; quibus ille respondit: minime. Illis autem abeuntibus supervenerunt & alii idipsum renuntiantes homini Dei. Sua enim familia eum plus solito jam retardasse amarissime plorabat; quo audito, vir Domini recessit, omnesque fratres ad se congregari fecit; at illi ut consueverant magnum quid ac delectabile ab eo se crediderunt audire; quibus illico famulus Dei totum, ut audierat, indicavit; res venit in dubium utrum vivus an mortuus esset; cumque fratres per horam quid esset faciendum super hoc hæsitarent, domnus Hugo in medio astitit, qui prophetiæ spiritu, ut credimus, cum vivere traditumque ab hospite suo aperuit. Hunc enim prophetiæ spiritum habuisse nonnulli testantur, qui eum familiariter scire potuerunt. Quo audito, vir Domini increpavit eum dicens: Frater, tale quid quare umquam dicere præsumsisti? Numquid pro tali tantoque bono ille tale ac tantum illi redderet malum? Qui statim mittere nuntios circumquaque ut quæreretur, præcepit, injunxitque fratribus ut in tanta necessitate devotis precibus opem efflagitarent divinam. Quodam vero die, facto mane expletisque missarum solemniis, janitor familiarem illum tenentem manu suum hospitem latronesque pariter in collo, retortis ligatis post tergum brachiis, ad portam egressus invenit; cui statim suæ culpæ rei omnem citius indicaverunt pœnam: quo viso, janitor ad locum ubi vir Domini de domino fratribus loquebatur, reversus est, eique quod foras viderat & audierat, secreto nuntiavit in aure. Vir autem sanctus hoc audiens, a prædicatione cœpta tunc minime surrexit, nec de illo tam bono nuntio exhilarescere, nec sermonem suum plus solito visus est terminare; completo autem sermone, ut res exigebat, Dei famulus foras egreditur, ante cujus conspectum illico steterunt miseri ab ipsa præda sua rei & ligati: cumque per horam nihil loquentes penitus ante illum astarent ligati, tremefacti vehementer ad terram corruerunt, & suæ pœnam nequitiæ ad ejus vestigia profitentes, præstari sibi veniam magno gemitu & ululatu postulaverunt. At ille quem nimia cogebat compunctio in bonitate sua perstitit, vocatisque fratribus, illigata brachiis lora dissolvere, eosque tolli, ut benedictionem pariter acciperent, indicavit: non immemor quidem apostoli, inimicos nostros potu ciboque debere satiari; quos porro ad se reductos, de suis pravis actibus increpavit, & pace inter se reddita, ut deinceps a tantæ crudelitatis insania cessarent, admonuit; sicque illos ad propria ire dimisit: cœperunt ergo fratres gaudere insimul & admirari, eoque amplius quod illis sic contigerat quemadmodum frater & discipulus ille asserendo prophetando prædixerat.

Mortuus sæculo recusat dirimere litem.

19. Alia vero die & quidam alii causam habentes magno valde periculo plenam, ad virum Dei convenerunt. Muretum, quam quidem pro pace reformanda solo sæpedicti discipuli arbitrio convenerant invicem determinandam: unde etenim pastor illum ad se venire præcepit; eique etiam quale malum quantumque damnum solus ipse posset extinguere diligenter exposuit, quibus & ille respondit: Huic vero negotio de quo quæritis, ego solus minime interfui. Cui & illi: Domine mi, ita est ut asseris: illi vero qui tunc fuere tecum jampridem universæ carnis viam perfecerunt. Si autem, inquit, mortui sunt nescio, hoc enim unum scio, quod illis prior ego fui mortuus mundo, sicut enim vobis vel aliis de hoc vel de alio testimonium modo perhibere non possunt; sic & ego de sæculo nec possum nec debeo: unde & prædictum discipulum, quia tam prudenter respondisset, pastor laudavit atque benedixit, sicque factum est ut sibi fieret defensio magistraque magistro sua responsio.

S. Stephanus ejus consiliũ aliis præfert.

20. Sic enim pastor bonus cum fratribus consueverat communicare, ab eisdem consultum super quadam quandoque quæsivit necessitate, qui tandem consentientes in unum, sicut ipse pastor prædixerat, fore bonum nuntiaverunt; cui vero discipulus ille e contrario dicebat: Bone pastor, ut mihi videtur, ita non est bonum sicut & ceteri dicunt. Quod autem fratres audientes, in eum commoti sunt vehementer, proinde illum pastor increpavit, ac reprehendit insuper, & ei quamplures venias in conspectu omnium fratrum facere fecit. Cognovit autem pastor & credidit, quod multo melius prædixerat solus ille discipulus, quam ipse disposuerat cum ceteris omnibus, unde & illi protinus dixit: Sic enim, fili mi, bonus discipulus & fidelis magistrum suum ad Deum trahit atque reducit.

S. Stephani sententias colligit.

21. Fuit enim cum Domino ac magistro nostro Stephano discipulus ille usque ad obitum ejus, audiens cum fideliter & interrogans super sententiis ceterisque vitæ nostræ mandatis, ne spiritualia semina quæ procedebant de ore ejus absque multiplicatione, insolentia auditorum & negligentia deperirent. Dei quoque benignitas electum hunc de tot millibus unum, qui & audita humiliter sciret suscipere, eademque futuris sæculis in suo tempore fideliter revelare: verum quia in his deventum est locis de quæstionibus eorum pauca tamen audianus paliter atque responsis.

Quomodo fieri debeat oratio.

22. Cum enim pastor de oratione loqueretur, prædictus discipulus interrogavit eum qualiter esset ibi manendum, cui respondit sermonem hujuscemodi: Moyses in oratione sua manus ad Dominum erigebat, cum Josue minister ejus pugnabat contra Amalech, & quamdiu manus elevatas tenebat, populus suus vincebat, cum manus dimittebantur, ille vincebatur: tandem Aaron & Ur sustentaverunt ei manus, donec victoria fuit perpetrata. Alibi reperitur quod Maria Magdalena veniens ad Dominum pro suorum remissione peccatorum, prodidit ad pedes ejus, cui Deus donavit propter magnam dilectionem qua replebatur. Nam antea diligebat eum quam illuc advenisset, & ita Moyses manus levabat ut magis Deum diligeret & melius exoraret, Maria Magdalene inclinavit se ad pedes Jesus. Idcirco cum aliquis in oratione sua secretius fuerit, eo modo se adaptet quo eum amplius diligere potuit, vel sedendo, sive stando, aut humi stratus, sive flexis genibus. Verum tamen secum ducat humilitatem, sine qua Dominus illum non audit ad suam utilitatem. Cum enim ipsi discipuli sanctus Jacobus & sanctus Johannes rogarent Jesum Christum absque humilitate, respondit eis: *Non est meum dare vobis sedem ad dexteram meam sive ad sinistram, sed quibus paratum est a patre meo.* Estote ergo A modo sitis per humilitatem & dabitur vobis. Omnis vis orationis est in magnitudine divinæ dilectionis, amor vero divinus meritum suum non invenit nisi in humilitate, & ideo Jesus Christus humilitati promisit excellentiam in regno cœlorum, quia nihil aliud in terra reperit a quo diligatur, in omnibus etiam operibus vult Deus ut tempus observetur & locus, nisi in oratione: secundum tempus vult ut psalmos dicat aliquis & de Deo loquatur, audiatque loqui, atque laboret, & sic de ceteris, nam propterea Deus diversa dedit præcepta, ne quis in suo servitio fastidiret, posset que mutari ab uno in B aliud causa majoris delectationis: sed in uno quoque opere vult ut semper cum quisque deprecetur, dicens in corde suo; Deus hoc tantum facio, ut te diligere valeam; alicui vero quodlibet volenti agere dicit Dominus: Si velles ego tecum pergerem, teque juvarem in hoc quod agere disponis; tunc qui sæculum diligit respondit: Alii auxiliare, mihi vero minime: hoc operibus dicit quoties a divinis præceptis discedit, & ob superbiam qua homo divinam respuit societatem, C respondit postmodum ei Dominus in oratione sua, quia me noluisti habere socium in illo opere, ego modo precem tuam non recipiam.

Hugonis quæstionem quandam resolvit S. Stephanus.

23. Rursus discipulus a pastore suo quæsivit qua ratione scripturæ dicant: *Laudate Deum, benedicite Deum*, cum Dominus humana benedictione non indigeat; cui ita respondit: Sancta scriptura nihil præcipit nisi ad salutem hominis, cumque ipsa admonet *Laudate Deum, benedicite Deum*, omnis utilitas ad hominem revertitur. Quoties enim aliquis bono animo dicit, Deus laudaris, Deus benedicaris, Dominus respondet con- D tinuo & tu qui laudas lauderis, & qui me benedicis, benedicaris. Ex hac ratione potest intelligi Deum hoc mihi respondere, quod nullus valet Deum benedicere, nisi prius a Deo benedicatur, & sua gratia præveniatur. Itaque cum benedictio prius a Domino proveniatu penitus, cum homo Deum benedicit, ipse suam auget & benedictionem atque dilectionem.

Cantus & canticum novum.

24. Rursus idem discipulus quæsivit ubi tot cantica nova inveniuntur quæ assidue in cœlo cantantur. Cui pastor dixit: Jesus Christus in evangelio suos docuit discipulos, quod est canticum novum quod in E cœlo cantetur, dicens illis: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*, hoc est caritas quæ nominatur canticum novum, quia renovat hominem, & de filio tenebrarum facit lucis filium: hoc est caritas quæ est in terra canticum novum hominibus, est etiam in cœlo canticum novum angelis. Quoties enim quemliber electorum vident sursum ascendere, de ascensu illius canticum novum concinunt,

& ſi nihil amplius haberent unde Deum laudarent, numquam de illo ſolo ad finem pervenirent, quoniam quidem ſuper peccatore pœnitentiam agente gratulantur, ut ait Dominus in evangelio, penitus congaudent videntes eum ſalutis ſuæ conſortem, atque ſcientes quod deinceps non delinquet; cumque de Dei Filio videntes eum carne indutum & aſcendentem admirati ſunt, dicentes: *Quis eſt iſte rex gloriæ?* bene præ gaudio mirantur cantantque novum canticum, quoniam membra caput ſequuntur.

An ſolæ Iſraëlitæ ſpoliaverint Ægyptios.

25. Idem diſcipulus quæſivit hoc a paſtore; quandoquidem viribus totis & tantis B jus divinum deffendis, qua ratione præcepit Dominus Iſraëlitis, ut theſaurum ab Ægyptiis mutuarent ſecumque deferrent, nonne eſt rapina? Cui reſpondit: Frater, hoc aperte juſtum fuit. Iſti namque Deo ſervierant, illi vero pro ſervitio malum iſtis retribuebant. Vero ergo judicio Deus æquus judex voluit ut iſti mercedem ſui operis ſecum deferrent, quam illi ſibi defraudaverant. Eſt autem ſpiritaliter intellectus quod ſimiliter membra Chriſti theſaurum ſanctæ ſcripturæ receperunt a Judæis remanentibus in Ægypto, id eſt in hujus ſæculi tenebris. C

Cur Chriſtus unam Jeroſolymitanam præ cæteris dilexerit.

26. Iterum idem diſcipulus hoc eum interrogavit: Domine, tu dicis quia Jeroſolymitanam terram Deus dilexit magis quam aliam, in tantum ut de ceteris regionibus amicos ſuos illuc adduxit, ipſe etiam ibi de Virgine natus eſt, & frequenter in ſcripturis vocat eam terram promiſſionis. Mirum eſt itaque quod voluit eam talem eſſe; non enim ibi ſunt prata ſpecioſa, nec optimi fontes, nec ditiſſima flumina, ſed aqua in ciſternis, aſperitas atque calor magis quam in multis terris. Hanc quæſtionem paſtor ſolvit hoc modo: Frater, in hoc poteſt conſiderari quam amabilis eſt diſpoſitio divina. Ideo namque corporalem inde removit delectationem, ut amici ſui in eo tantum delectarentur, & amor ſuus eſſet eis pratum, fons ac flumen, & quodlibet aliud refugium. Niſi enim Deus ſciret aliud ſæculum eſſe melius, nullatenus amicos ſuos illuc transferret; quin etiam matrem ſuam nullo modo deciperet, ſed pro cœleſti gaudio præſens ſubtrahit aliquando, non tamen eo modo quatenus amicos ſuos in hoc ſæculo triſtes deſerat ac deſolatos; ſed tantum quia Deus E hoc vult agere, qui tunc ſervos ſuos in majore tenet requie; cum mundus conſiderat quod ipſi laborem patiantur. Magis enim inde honorantur cum in anguſtiis eos requieſcere facit: aliquando vero, ut infideles erubeſcant, oſtendit populo dulcedinem, in qua veri amici ſui conſiſtunt dum cruciantur, ſicut legitur de tribus pueris, qui benedicebant eum in igne fornacis: alios vero quos ita non corporaliter, ut fideles ibi ſumant exemplum patientiæ, tantum conſolantur in

A ſpiritu, quod majorem laborem patiuntur qui eos cruciarunt, quam ſervi Dei qui cruciantur.

S. Stephani ad ſuos fratres ante obitum oratio.

27. Superveniente autem venerabilis patris vocationis tempore, *in illa ſua tam* ſancta ægritudine, tribus diebus & totidem noctibus ſuper prædicti diſcipuli *diſcubuit* pectus, niſi cum neceſſaria corpori deputaret. Invitus namque in eo dum informaretur, ſicut poſtmodum diſcipulus ille perhibuit, rationem & intellectum in omnibus pene duplicatum invenit; cumque per triduum illud de vita noſtra ſuoque tranſitu fratres informaret & conſolaretur, circumſteterunt omnes gementes & flentes, eique dicentes: Ah, ah, ah! pater cariſſime paſtor- « que bone, ecce nos reliquimus omnia & ſe- « cuti ſumus te; venimus ad te: nunc dic « ergo cui nos tu relinquis, qui curam habeat « de nobis? quid igitur nobis dabis conſilii? « Tu autem nos nullatenus habere permittis « beſtias, terrarum poſſeſſiones, decimas, ec- « cleſias, & res ad eas pertinentes, redditus « & quæſtus ſine quorum cura vix aut numquam temporalis iſta poteſt ſuſtentari vita. « Fratres, inquit eis, *illi Deo vero cui omnia* « ſunt & ſerviunt, cujus quoque natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus miſericordia eſt, pro cujus vero amore omnia « reliquiſtis ego vos relinquo, ego vos com- « mendo. Ille enim benignus Deus aget cu- « ram de vobis ſicut bonus Dominus, qui bene « ſcit curam habere de ſervis ſuis, ipſe quo- « que dabit vobis quod neceſſe fuerit, nec « tamen hoc quod velletis. Vos enim homines eſtis, & in hoc delinquere poſſetis: tali « quidem vobis dico pacto, ſi in vita iſta re- « manetis; ſi autem de vita receſſeritis, ego « ei injuriam facerem, ſi vobis ſua promitte- « rem, quia fere ſupputabuntur quinquaginta « anni quod ego in hanc ſolitudinem veni, « numquam panis poſtea tam amari potuit « quin Deus mihi daret quod bene ſuffer- « re potui; neque tam largum ſemper fuit, « quin bene totum eſſet neceſſarium quod Deus « præſtitit mihi: ſimiliterque faciet vobis, ſi « in vita hac remanſeritis; ideoque nolo ego ut « habeatis beſtias, nec terras, nec decimas, « nec eccleſias, nec quæſtus, nec redditus, ut « Deus vobis ſit magis neceſſarius. Cum enim « Deus vobis magis neceſſarius fuerit, amplius « eum diligetis, ſi vos ſapientes eſtis, quid « ergo illi deeſſe poteſt qui omnia habentem « habet? «

28. Adhuc vero & aliud conſilium ſanum vobis, filii mei, præcipiens dabo: Si vos « cum vicinis veſtris & ſæcularibus aliis pacem « bonam & integram habere deſideratis; ca- « vete penitus ne ea quæ poſſident concupiſcatis; quoniam ſi vos terras eorum, vineas, « prata & cetera quæ poſſident tentatis rapere, « laborem potius approbantes quam requiem, « iram quam gaudium, terram quam cœlum, «

» nihilum quam totum, pacem cum eis ex integro habere poteſtis nullo modo. Inſuper » de cetero cavete omnino ne habeatis quod » illi concupiſcere poſſint, beſtias videlicet, » equos, mulos & boves quibus non eſt in- » tellectus, & cetera quæ intelligentes ac obe- » dientes nequaquam habere poteſtis. Quæ au- » tem convenientia Chriſti ad belial, lucis ad » tenebras; quiſque enim vendicet quod ſuum » eſt. Vendicate ergo fratres & quærite veſtra, » quæ ſurſum ſunt, non quæ ſuper terram. » Qui habet aures audiendi audiat, qui poteſt » capere capiat, hoc eſt quicumque in hoc non » perſeveraverit factus inobediens, regnum » Dei non poſſidebit; quia quantum pro no- » mine Chriſti longius elongabimini a ſæculo, » tantum merebimini fieri viciniores cœlo. » Domine, inquiunt illi, numquid adhuc auxi- » liabimini nobis? Si ego poſſem utique fratres. » 28. Fratres autem gaviſi & ſecuri de paterna » conſolatione dixerunt iterum: Pater & do- » mine, multi adhuc & aliud nobis dicunt: » Dum enim vos vixeritis nos manebimus in- » ſimul; poſtquam vos moriemini, nequaquam » poterimus ſuſtentari ſi beſtias non habueri- » mus. Quibus ille ait: Fratres & qui vobis » dicunt errant. Abbates quippe dicunt & alii » religioſi & etiam ſapientes clerici. Errant, » inquam, qui hoc dicunt, & quanto melior » eſt clericus, tanto amplius errat, quod Deus » poſſe ſuum amittat quoniam Stephanus de » Mureto morietur: opere pretium ergo non » eſt Domino, quod ego moriar, ſi ille poſſe » ſuum amittit quoniam ego moriar: immo » ſciatis firmiter, quod propter peccata mea » vobis ſubtrahit beneficia ſua, & hoc quidem » poſt mortem meam videbitis, quia tot & » tanta faciet vobis, unde vos omnes mira- » bimini, ſi tamen in hac tam ſancta vita re- » manſeritis: quatenus ſi quotidie non vide- » retur, vix ab aliquo crederetur. Sicque modo ad fratres viri Dei completa eſt ſententia.

29. Tunc deinde rogatus a fratribus, ut fidei verbum illis proferret priuſquam de hoc ſæculo migraret ad Chriſtum, ſermonem ſtatim omnibus propoſuit, qualiter Deum colere deberent, trinum videlicet in perſonis, unum in eſſentia divinitatis: intimabat vero de caritate, ut Deus ſcilicet diligeretur toto corde, tota mente, & hoc unuſquiſque impenderet proximo quod ſibi vellet impendi ab illo. De humilitate quidem qualis eſſet oſtendebat, quia per humilitatem illuc pervenitur, unde ſuperbiens corruit angelus; hæc eſt enim, dicebat, virtus illa, quæ congregaras virtutes conſervat; replicabat etiam juxta apoſtoli ſententiam, ut bonum hoſpitalitatis frequentiſſime reminiſcerentur, quoniam per eam nonnulli noſcuntur Domino placuiſſe, etiam angelis hoſpitio receptis. Addebat pater qualiter Dominus in judicium veniens, hanc compenſationem fidelibus ſuis repromiſit, ut ſibi dicat eſſe collatum quidquid uni ex minimis ſuis contulerunt. Præterea exhortabatur ut caritati ex operibus ſemper inſiſterent; quia plenitudo legis eſt dilectio, & qui in unum deliquerit, reus & legis & prophetarum adſcribitur. Semper ad memoriam humilitatis cuſtodiam ſcilicet, paupertatem ſpiritus illos reducere, Deumque coram oculis ſuis deprecabatur habere: avaritiam quoque omnino eſſe execrandam annuntiabat & excommunicabat; quia radix omnium malorum & ſervitus idolorum nominatur illa. Sic ergo factum eſt, ut totum tempus ægritudinis ſuæ proficuum atque jucundum duceret, & per omnia fratribus ſatisfaciens, ſpiritalis vitæ colloquiis ſe interdum a languore ſuo relevaret. Cumque per ſingulos dies languor ille ingraveſceret, die ſcilicet quinta feria priuſquam de corpore egrederetur, exitum ſuum Dominici Corporis & Sanguinis perceptione munivit, atque ad ultimum in cilicio recumbens, oculis ac manibus in cœlum ſemper intentus, ſexta feria ante altare Domini, ſpiritum inter verba orationis in ipſis illius diſcipuli manibus Domino reddidit. Glorioſum ergo & per cuncta laudabilem domni Stephani tranſitum omnibus ſcire deſiderantibus, quadrageſimo & ſexto converſionis ſuæ anno fere, ſexta feria fuiſſe manifeſtiſſimum eſt. Quod tamen non mediocris meriti cenſetur fuiſſe, ut illa videlicet die cum Dominus ſecum & cum latrone ſuſciperet, qua idem redemtor & Dominus hominem plaſmaſſet, eumque damnatum in cruce redemiſſet, & ut qui diem illam tam ſanctam celebraverat ſemper in abſtinentia, perpoſt mundi preſſuras die illa tam ſancta locaretur in gloria. De menſe autem & anno quo ipſe feliciter migravit de ſæculo, valde bona in ſequenti habetur notitia.

S. Stephani obitus.

Nimboſus luces jam februus egerat octo,
Luciſluus Stephani cum ſpiritus aſtra petivit,
Anno milleno centeno bis quoque deno,
Adjuncto quarto, regno cæli ſibi parto.

Cum enim dicta & facta aliàs plene exarata, ſcripta modo ac inculenta declarat hiſtoria; ſed ſi cuncta, quæ in vita ejus geſta ſint ſcripta cum non audivimus, evolvere conaremur, a ſuſcepto jam procul dubio propoſito conticeſcimus. Unde neceſſe eſt, quia non eſt noſtri ingenii noſtrique propoſiti, ut de illo diſcipulo, cujus vita pia, cujus converſatio bona noſtræ piurimum proficit religioni, a modo legere incipiamus.

30. Igitur poſt tranſitum domni Muretenſis ſummi & memorabilis viri, de cujus vita atque doctrina, magna, ut dictum eſt, apud nos habentur volumina, ſuccedente beatæ memoriæ Petro Lemovicenſe, dominus Hugo, opitulante Deo, Planiam dirigitur, ubi etenim glorioſam & per cuncta laudabilem celebrans vitam, longe lateque ha-

Hugo poſt S. Stephani obitum mittitur ad Planiam ubi præclare ejus virtutes elucent.

bitantibus signis clarvit atque virtutibus. Hujus enim fuit studium, terrena funditus despicere, toto adnisu mentis ad sola cœlestia flagrare. Erat autem divina repletus eruditione, insignis religione, morum pollens probitate, signorum exhibitione admirabilis; contemtor enim erat sæculi, & amator Dei & proximi, & cui vivere Christus & mori lucrum. Erat enim deditus in assiduis orationibus, in frequentioribus jejuniis ac in continuis bonorum operum exhibitionibus. Omnes vero qui ad se caritatis causa veniebant, ad æternæ vitæ desideria accendebat; de omnibus etiam a se postulatis pro posse suo pauperum & peregrinorum, viduarum & orphanorum penuriam semper sollicitus sustentare curabat; religiosis vero præcipue omnibusque Dei ministris debitam exhibebat reverentiam, eorumque fraterne ex suis facultatibus relevabat inopiam. Si quem autem forte nobilem vidisset aliquo indigentem, juxta suam possibilitatem in necessitatibus subveniebat verecunde & abundanter. Religionis præterea ornamentum, sicut a magistro suo & domino beato Stephano didicerat, & verbo & exemplo multum benigne gerebat. Transgressiones & indisciplinationes condiscipulorum suorum a regula recta arguebat, & tolerabat quantum decebat in talibus & oportebat: præcipue docens ne cujusquam cor declinaretur in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Præterea ad ædificationem aliorum non causa, quod absit, jactantiæ de se replicabat, dicens: Ego enim miser non possum multum laborare, nec jejunare, nec vigilare, nec cetera hujusmodi facere, sed ut mihi videtur, Deum ejus gratuita pietate & scio & possum diligere. Hortabatur etiam condiscipulos suos & fratres, ut virtutibus insisterent, & ab omnibus vitiis & peccatis cum omni diligentia se custodire procurarent.

Fratrum conscientias diversitas agnoscit, ac varios signis manifestat.

31. Tantam autem gratiam Christi bonitas illi contulerat, ut conscientias fratrum secum commorantium quoque agnosceret, & a quibus impulsarentur tentationibus eis patefaceret, & quid quisque pravæ cogitationis & immundæ pateretur, indicaret. Si quando autem quorumlibet culpas agnosceret, numquam ab increpatione illis parceret. Et ut prædicatio illius a nullo potuisset contemni, multitudo signorum astruebat, quæ in nomine Christi ipse faciebat; reddebat enim, ut didicimus, visu solo visum non videntibus, contractis erectionem, caducis sanitatem, & etiam multa languentium membra ejus orationibus incolumitati restituebantur. Hujus vero signa omnia atque gesta non didicimus, sed pauca quæ narramus, quatuor religiosissimis veracissimisque ejus condiscipulis, qui per diversa tempora cum eo conversati sunt, referentibus agnovimus, domino Petro scilicet, valde reverendissimo priore nostro, qui ab eodem ad erudiendum digno cum honore susceptus, & pro simplicitatis ac humilitatis reverentia loco maximæ venerationis est habitus. Guidoni quoque de Miliaco qui eidem, sicut decebat, pro *religionis ac reverentiæ notitia* seu anterioris familiaritatis conjunctione, in eorum cellulæ cura tam bene docta primus successit. Bernardo etiam Bocardi, qui cum eodem per mutuam collocutionem nostrarum sanctionum & dulcedine spiritalis dilectionis aliquamdiu familiarissime conversatus, immodici amoris sese vinculo constrinxerant. Hugone vero de Monte, cui ille pro justitia ac fidelitate quam in eo reperit familiarissimus ardentissime fuit, & ab eodem in ipso transmigrationis suæ articulo pacis Dominicæ osculum accepit salutare. Quoniam valde opinio sanctitatis memorati viri excreverat, multi infirmi ad eum ex diversis provinciis spe sanitatis recuperandæ confluere consueverant.

Contractum curat.

32. Eo igitur tempore *Haarnæ*, sicut nostri seniores ferunt, contractus quidam decubasse dictus est; hic siquidem a renibus & infra tantam membrorum invaletudinem incurrerat, ut manibus repens, dissolutis renibus, corpus per terram traheret, & irrependo monstrum aliquod simularet. Multo itaque in hac debilitate detentus tempore, pro spe æternæ mercedis a sanctis monachis inibi commorantibus stipem divinam in quotidianis susceptebat usibus, quia nec sibi nec alteri aliquid exercere valebat operis. Cumque illo in loco in tanta miseria per multa annorum curricula demoratus fuisset, eique penitus de corporis salute esset desperatio facta, quadam die divina pietate occurrit animo, quod ad virum Dei se faceret quoquo modo portari, ubi tanta quotidie, operante Domino nostro Jesu Christo, merita ejus virtutum jam audierat monstrari frequentia. Hic vero fide commonitus, ac majori sui corporis necessitate compulsus, parentes suos absque dilatione propositum suum impleri lacrymosis rogavit gemitibus; quem cum audissent parentes atque vidissent jam per multum temporis nihil omnino posse proficere; deportantes posuerunt ante viri Dei habitaculum, ut saltem ab adventantibus pasceretur, labore ali proprio poterat minime; cumque palpando aliquantis diebus ad ostium famuli Dei ægrotus ille jaceret; ut locus obtulit, ante Dei hominem a portitoribus suis deductus est: obsederat enim omnia membra ejus scabies & putredo, & erat miserabilis facie & horribilis ad videndum, ut tamquam morti vicinus putaretur a populo. Intuitus autem vir Dei in eum, eis qui eumdem deportaverant dixit: Quid quæritis? quid vultis ut faciamus ei? Nondum enim sciebat quid eum essent rogaturi: Nos vero, inquiunt, Domine, audivimus & credidimus

quoniam hujuſmodi calamitatibus, tuis potes ſubvenire orationibus: ecce hunc hominem quem proſpicis, multum tædet miſeræ vitæ ſuæ; non enim habet, nec valet operari, unde miſeria ſua poſſit recreari: unde & adjuva eum, & miſertus ſis ei. Quo audito, vir Dei eum in eccleſiam ſtatim deportari, coſque parumper qui aderant abſcedere juſſit: qui mox in loco digno ad auxilia conſueta confugiens, ſe in oratione cum gravi gemitu dedit; interea ægrotus ille, ſicut erat contractis pedibus ac renibus, jactavit ſe pronus quaſi truncus in pavimentum, & cœpit cum lacrymis invocare nomen Domini, ut etſi in hac neceſſitate non ſuccurreret, ſaltem eum a gehennæ incendiis in poſterum liberaret: cumque per horam in hunc modum ſuam prolongaret orationem, ſubito amota languoris ſui amaritudine, intellexit optatam ſanitatem ſe recepiſſe, qui ſtatim erectis pedibus hominis Dei miraculum eis qui foris aderant, teſtabatur dicens: Ecce, ecce, ecce, quid in hac die vir Dei operatus eſt, me teſte probante: qui protinus accurrentes ſtupebant & mirabantur, dicentes: Quomodo eſt frater? & interrogabant eum qualiter hoc factum fuiſſet. Ille autem dicebat: Homo Dei ille me de præſenti triſtitia liberavit; ille deinde reverſus ad Dei famulum narravit omnia quæ acta fuerant. Quo audito, clamor in cœlum circumſtantium attollitur magnificantium Deum; quem mox vir Domini temporalem fugiens honorem moleſta compeſcuit prohibitione, dicens: Tace, tace, ſed ſi quis te interrogaverit qualiter hoc factum ſit, ſolummodo reſponde quia Dominus Jesus Christus, qui per amicos ſuos ubique operatur, ipſe in te tale ac tantum per beatum Maximum ſuum dilectum in loco iſto operatus eſt miraculum: unde nunc ſurge, & tuo vade recuperatori gratias referre cum luminari & devota oblatione. At ille nihil moratus, confortatione cibi & virtute corpuſculi ſimul recepta, alios antecedere propriis cœpit greſſibus; qui jacens & languens ab aliis fuerat deportatus; ſicque ex illa hora omnes in ejus corpore nervi ac membra ſolidata ſunt, ut ſolutionis illius ſigna ulterius nulla remanerent. Vere hanc ego virtutem, juxta mei ſenſus intelligentiam, non inferiorem cenſeo, qua Petrus apoſtolus ad Speciоſam portam templi claudum olim erexit æneam; ſed ſuper omnia conlaudetur Deus noſter, qui tantam virtutem ſuis præſtat dilectis, ut per eos talia dignetur operari. Amen.

A noctu quadam ex hac eadem infirmitate jaceret fatigatus, viſum eſt ſibi quoniam ſi ad Dei famulum præſens fuiſſet, ſalutem continuo recepiſſet. Mane ergo facto, ut lux eſt reddita mundo, non perterritus timuit, & ex afflictione ſumens audaciam exultavit, ſuiſque parentibus dixit: Quæro etenim quid meæ infirmitati poſſit palpando mederi; qui contractum illum orando ſanavit. Intelligentes autem parentes ejus hoc Dei eſſe myſterium, ad viri Dei habitaculum eum quam citius deportaverunt: quem cum vir Domini ſibi præſentari feciſſet, interrogavit B quid quæreret. Tunc ille flens & ululans voce qua potuit eum rogare cœpit, ut pro illo Dominum dignaretur orare, nec eum ſineret redire infirmum, cujus devotus expetierat ſuffragium. Cui vir Domini, benigniſſimi ut erat vultus, voce lacrymabili dixit: Fili & amice, hoc non eſt noſtri quod quæris a nobis. Illi autem qui venerunt cum eo rogare cœperunt, ut ſaltem & imponeret manum. Ægrotus interea in magnis fletibus ſe affligens valde, gemitibus lamentorum continuis ſatisfaciebat dolori; cumque hoc diu faceret, atque flere nullo modo ceſſaret, vir Domini compunctus corde, illius C dolori compaſſus eſt, & accedens per capillos eum tenuit, & invocans nomen Domini a ſcapula caput ſeparavit; qui ſtatim ſe velle evomere dixit, & amoto eo, oculiſque ad cœlum elevatis ac manibus, erupit ſanguinis ab ejus ore cum putredine rivus, & expuens in terram cœpit graviter gemere & excreare coleras neſcio quas cum ſanguine; ita ut putaretur quod ferramento aliquo guttur ejus incideretur, ſed & tabes tamquam fila ſanguinea ex ore illius dependebatur. Tunc diſruptis linguæ ac faucium ligaturis, D ſed elevans & erigens iterum oculos ac manus ad cœlum, ore adhuc cruento in hac prima voce clara prorupit; nam antea caſſum ſermonem & vix intelligibilem proferre ſolebat: Gratias tibi magnas refero, domine Hugo, recuperator bone, qui mihi in tanta miſeria ſuccurrere voluiſti. Admirantibus autem omnibus qui aderant, & ſtupeſcentibus de tali miraculo, interrogant utrum fabulari potuiſſet. Qui vero ſanatus fuerat præſentibus dixit. Vir autem Domini hoc æquanimiter ferens, ægrotum cum lampadibus E retinens ſecum, ſanitati illum reſtitutum remiſit neceſſariis refectum, pro virtute & reverentia vicini loci illius Deo gratias referre tranſmiſit. Reverſus ergo ad domum multis verbis inde acceptum beneficium publicavit aſſidue, quod videlicet factum ope Dei famuli tuto judicio reputabat, qui ex miſericordia ſua vicino populo multa commoda vivens extendebat.

Contractum capite ſanat.

33. Lingua ſterilis deficit tantas tanti viri auditas cupiens enarrare virtutes. Cujuſdam enim matronæ filius contractus capite Brantomis graviter laborabat, qui tale videlicet tædium infirmitatis incurrerat, ut caput ejus a læva ſcapula adhæreret, cœlumque videre, niſi reſupinus, nequaquam valeret; qui dum

Sermoſus puerum tactu & oratione curat.

34. Quantæ autem virtutes per Dei famulum factæ ſint, quis umquam inveſtigare poteſt & ſcire? Unum tamen memorabile nu-

raculum quod a fidelibus comprobatur, non taceri putavimus: vicino namque in castro, cui nomen *Segur* prisca vetustas securum indiderat, quidam juvenis guttur turgidum habens & faciem, diu noctuque incessabilibus urgebatur doloribus; parentes quippe de dolore pignoris sui contristati vehementer & super modum afflicti, eum ut sanari potuisset, circumquaque ad loca vicina, sancta sanctorum per pueros suos multoties transmiserant oratum; sed illi amici Dei ad quos fuerat missus, infirmitatis remedium ei tribuere noluerunt, ut quanta esset in Dei famulo virtutis gratia vicinis populis prædicarent miracula. Cui enim tam prope fuit mortis exitus, quod negato fere omni victualium usu, ita de illo ageretur, ut amissa omni spe præsentis vitæ, parentes ejus de solis sepulturæ necessariis cogitarent. Illis autem per publicum plangentibus, occurrit quidam dicens: Ex hoc quippe incommodo, quod vester filius patitur, per regem Francorum, Deo volente, infirmis medicina præstatur; unde & illuc dirigite illum; quod si crediderit, remedium poterit invenire. Tunc inopinata gavisi exultatione, parentes quantum citius potuerunt, ad Dei famulum pervenerunt, ut discerent qualiter auditum proficerent, atque ad regem accederent: quod ut vir Domini audivit, ægrotum propius ad se accedere jussit, & manum extendens, guttur ejus orando palpavit, & faciei ejus per modum salutiferæ crucis imposuit signum. Interea ægrotus ore aperto labia parumper movens mugiendo auxilium tentabat implorare patroni; statimque in ejus gemitu, tribulatione ejus, laborante patrono, guttur & facies paulo minus inflata incœpit minui; denique reversus ad propria, infra parvum temporis quam optaverat integre sanitatem recepit. Parentes autem ejus cum vidissent quod factum erat, timuerunt & glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Amen.

NOTA.

Puer fistula laborans tactu stramenis ejus suppedaneis sanatur.

35. Nec hoc silendum qualiter stramen ejus suppedaneum fistulæ morbo salutem præstitit perituro. Cujusdam enim fabri filius in quadam vicina possessione incommodo pervasus fistulæ graviter jam diu laboraverat, de qua sane in discrimine sic ageretur, ut posse evadere a medicis disputaretur, nisi formidanda eorum manu quam citius secaretur. Ingravescente autem languore, a fistula mala sensum præ dolore omnem, fere perdiderat, & ita redactus fuerat, ut nihil penitus aut intelligere posset aut agere. Quid mirum? quod stare non poterat, & numquam in lecto suo surgere vel ad sedendum valebat, nequaquam pedem suum ad se trahere, nequaquam poterat in latus aliud se declinare. Parentes vero ejus nimis carnaliter atque remisse diligentes eum, ut mos rusticorum habetur, a sortilegiis quotidie & ariolis & ligamenta & potiones deferebant seducti. Sed cum nihil valeret, penitusque nesciretur quid hoc esset, nec emendaretur aliquid, sed deterius quotidie ageretur; visum est eidem noctis in visu, ut si de suppedaneo hominis Dei stramine haberet, & ligaret desuper, sanitatem ad præsens necessariam recuperaret. Cumque die dato in hac fide evigilaret a somno, demto omni pavore, sæpedicti viri auxilium, cogente promtus dolore requisivit, suumque matri suæ visum denuntiavit; adjiciens etiam & asserens se infirmum ulterius minime esse, si quod petebat pignus, videlicet stramen viri Dei afferretur. Cum ergo eum mater audisset, surgens continuo ad viri Dei pervenit habitaculum, illicque quantum potuit pro suo nato auxilium petiit ingenti fletu & gemitu & sincero corde, & magno erga filium amore; deinde abscedens quod volebat de stramine furatum decenter, & ad filium ingressa delatum imposuit super eum, & vehementer stupenda, mox ut genu tetigit ægroti, vulnus vim perdidit omnis doloris, amotoque omni languore, humore siccato qui fluebat ex corpore, cute tamen nova superveniente, totaliter redditus pristinæ sanitati, ut eadem hora de lectulo surgeret ac si nullam corporis læsionem umquam pertulisset. Parentes autem ejus obstupefacti admirabantur in illo divinæ tam velocem pietatis acquisisse medicinam, & interrogabant quid hoc esset? Qui ait: Intelligo me valde sanum, & quæcumque præceperitis adimplebo; & tunc incipiens impendit eis ita servitium, ut erat solitus ante tædium. Tunc una pariter exultantes & præ gaudio flentes, referebant tam pro se quam pro illo omnipotenti gratias, quod Dei famulo subveniente, incolumem illum corpore, eos vero reddiderat lætos de pignore: qui vero multos vivens in posterum annos assidue gratias prædicabat Deo, quod per famulum suum sic eum restaurasset incolumem. Ecce, ecce, quid degens in carne Dei famulus præstabat fidelibus qui ejus præsidia expetebant, per eum proprie salvabantur; qui pignora votive deferebant, subsequente ejus auxilio liberabantur. Promtior ergo ad fidem extitit qui de stramine suppedaneo sanari credidit hominis Dei, quam sanguinis fluxum patiens mulier, quæ ut sanaretur fimbriam tetigit Salvatoris; sed hæc omnia fides strenua operatur, dicente Domino: *Fides tua te salvum fecit.* Amen.

Bernardum priorem pedis dolore laborantem signo crucis sanitati restituit.

36. Quantis ærumnis & angustiis secum habitantes eripuit, in quantis sua benignitate necessitatibus astitit illis, vel quantas sua virtute molestias in illis compescuit, non ad scribendum, sed etiam ad referendum æquum est; sed quia se apta occasio præbet, hoc taceri nequaquam de hominis debet virtutibus, quod ad præsens animo præsentatur. Domnus quoque BERNARDUS Dei gratia pa-

ſtor venerabilis, quantæ homo Dei eſſet virtutis, cum in diſciplina adhuc poſitus eſſet, in neceſſitate ſua ſine dubio expertus eſt. Hic igitur per aliquot dies quo neſcio caſu vel incuria ab unius graviter pedis dolore conſumebatur, die noctuque requiem non habens: hoc tamen unum præcipue inter ipſas torturæ ſuæ queremonias conquerens, quod vicem ſuam in officio eccleſiæ non valebat implere. Quadam vero die cum Dei famulus aſſiduis videret urgeri doloribus, dixit ei: An neſcis cur ſic vobiſcum agitur? Qui ait: Ignoro prorſus, domine mi, unde hoc evenerit, ſtatimque quæ patiebatur denudavit. Tunc vir Domini hilari ridens vultu, acceſſit ad eum, & conſueta deferens arma crucis, beatum ſuper locum doloris ei palpando impoſuit ſignum: moxque ei dixit: Divina namque legitur in pagina, quemdam vitæ venerabilis virum, venerabilioriſque meriti extitiſſe, nullamque a planta pedis uſque ad *verticem*, *partem corporis* ſanam paruiſſe; huic quippe humor ferens cum ſanie de corpore profluebat aſſidue. Infirmi autem qui ſanari appetebant aſperſi exinde bene habebant; ita ut eum tum evadere non dubium eſſet, qui tangi aut aſpergi exinde devote meruiſſet: qui etiam hac in re ab omnipotenti Deo multoties remedium quæſivit, nec tamen meruit exaudiri. Ex qua re colligitur quia Deus cuſtodire ſic vult virtutes in illo, & male habentibus in ſigno quanti eſſet meriti declarare aperto. Quibus expletis verbis, prorſus fugato omni dolore, reſtituit eum in valetudine: ſanitati ſic redditus prædicti ſervi Dei virtute, cœpit ei ex illa hora familiariſſimus eſſe, & in teſtimonium beati viri gloriæ ſanus habetur* uſque hodie. Amen.

* Nota auctoris ætatem.

Duos viros ab infirmitate liberat.

37. Quid enim de caducis dicemus, quibus tam cito inveniebatur remedium, quam fideliter ab eis erat inquiſitum. Sed quia quantæ virtutes ab eo ſuper illis factæ ſunt longum eſſet enarrare, ex pluribus quoque unum quod memoriæ dignum erit proferamus miraculum. Duo etenim viri, quorum unus ad *Bre*, alter ad Rancum baliſta commorabatur, hoc videlicet quod de prædicto Dei famulo apud multorum notitiam percrebuerat, in ſemetipſis experti ſunt. Nam eos ab illo ſtimulo didicimus per multos annos laboraſſe, ut cum ab eodem flagellarentur, vix a pluribus tenerentur; quin etiam ex ea vexatione ſimul & confortatione ciborum etiam virtutem perdiderant, corporum evomendo ſuperflua. Fide autem commonente, animo utriuſque inſedit, ut locum viſitare deberent venerabilis viri; unde tanto affecti ſunt deſiderio, ut nec illos oporteret vivere, ſi ad eum tardi direxiſſent. Nec mora adhuc convaleſcentes parumper ſuum cœperunt arripere iter, lento quidem adhuc conamine ad Dei famuli veſtigia pervenientes, & quod de eo audierant probare ſtudentes, cum magno petierunt fletu, ut ſuam eis gratiam largiretur. Quos cum Dei famulus requiſiſſet quid vellent ab eo; illi reſponderunt: Illo enim incommodo nequaquam diutius in vita hac manere poſſumus. Quibus ille dixit: Quid eſt quod loquimini, fratres? Deus autem ſolus hoc vobis facere poteſt. Illi vero magis ac magis ſuam plangentes infelicitatem, locuti ſunt dicentes ei: Adjuramus te per omnipotentem Deum & judicii diem reis omnibus metuendum, ut ad ea quæ rogamus conſentias: quatenus crucis ſignum ſalutiferæ, priuſquam recedamus, orando nobis imponas. Qui miſertus eorum tædio affectus, facta oratione, ſignum crucis lacrymando quod petebant impoſuit, & a ſe recedere juſſit. Reverſi inde ad propria, a die illa & in reliqua vita ſua ab illa paſſione ſecuri & alieni extiterunt, ac ſi numquam eam pertuliſſent in ſuo corpore; qui *multum felicem in poſterum ducentes* vitam inter vicinos, gratias referebant Domino, quod per meritum famuli ſui dignatus ſit de tam periculoſa eos iniquitate liberare, non minus quidem miraculi quam beneficii in populo teſtimonium perhibentes. Mira ſunt hæc & noſtris valde ſtupenda diebus, ſed vita prædicti viri perhibetur talis, ut qui converſationem ejus agnoverunt, ejuſdem quoque virtutem non debeant admirari. Hoc quidem unum miraculum de duobus infimul ordiri ſtuduimus, quoniam ipſum eumdem finem eumdemque modum habuiſſe cognovimus. Amen.

Hominem dolere competit ſuæ curæ.

38. Valde igitur hæc ſunt admiranda, quæ de Dei famulo nos nunc uſque invenimus latuiſſe; vera namque ejus vitæ æſtimatio non ſolum in ſignorum oſtenſione, ſed in operum exiſtebat virtute. Conſuetudinem itaque fecerant vicini cellarum atque familiares, quos ſuo vir Domini tranſitu illuſtrabat, ut cum forte adeſſe cum cognoſcerent, pro diverſis illuc cauſis convenirent. Quadam vero die dum in illa cellula, quæ vulgo *Chatenet* nominatur, cum ceteris fratribus vir Domini ſe ex more recrearet; unus quidem fide plenus de loco vicino, ſcilicet de Solemniaco eo advenit, capitis vehementer vexatus dolore, die noctuque requiem non inveniens; eadem quidem hora caſu contigerat, ut iſdem Dei famulus in porticu, ut ſoleba, ſederet, exteriorique populo ſatisfaciens verbo ædificationis deſerviret; cumque is qui venerat præ multitudine circumſtantium, & confuſione non inveniret quomodo & qua parte accederet ad eum, ſuam omnibus nolens uſquequaque manifeſtare moleſtiam, valde anxius tota die ſuſtinuit; recuſa vero circa veſperam multitudine, Dei famulus cum eo ſolus remanſit in porticu: cum autem qui venerat eum quidam ex ſuis amicis tota die huc & illuc vidiſſet anxiati,

anxiari, ad famulum Dei eidem venire monſtravit. Audierat enim cum multo tempore capitis dolore mulctatum fuiſſe. Quo audito, flens ſtatim largiter, ſeque in terram coram eo cum lacrymis dedit: cumque timens ac gemens fleret vehementer, & in terram diutius tunderet caput, ſe miſerum gementem oſtendens, quid quæreret repente intulit, dicens: Domine mi, tantam capitis inquietationem patior, quod vix quid dicam vel quid faciam neſcio; ideoque ad te deſcendi, ut ſuper hoc quid mihi, ut melius tamen, præſtares conſilii. Novi enim te multo meliora feciſſe, ac potuiſſe: unde ſicut potes miſertus ſis mei, Domine. Quem dum fratres qui circumſtabant audirent, ejus commoti fletibus cœperunt flere, famulumque Dei inſtanter pro eo rogare. Cui vir Domini reſpondit dicens: Ego quoque caput meum doleo, qui mox ad caput ſuum dexteram ſuam levavit, eoque tractato, ſuper caput dolentis eamdem cum ſigno crucis deduxit: cumque diutius caput palparet illius, miro cœpit modo ad ſemetipſam vexatio illa deficere, ac ſi ſui defectione impetus immueret locum in eo habere ſe ulterius minime poſſe. Quo facto, ille ab eodem Dei famulo remeare ad propria eſt demiſſus, ſub omni celeritate ex illa hora ſaluti priſtinæ reſtitutus; huic namque miraculo fratres qui tunc præſentes fuerunt, & adhuc, ut credimus, ſuperſunt, fidem gratis adſtruunt. De quo etiam viro quale quantumque miraculum in eadem cellula orando valuit obtinere, ſubjungemus ad præſens. Amen.

Alterum ab infirmitate.

39. Alio igitur tempore, virum in prædicta cellula alterum de nominato loco multorum relatione ad Dei famulum didicimus properaſſe, quem ſic quotidie acris tortura cum pulis peſſimis, quæ ſcilicet *Ira dolens* ruſtice nominatur, variis corripiebat tormentis, ut animam ejus de corpore expugnaret, niſi per horam divina retraheretur miſeratione. Hic namque cum ad Dei pervenit virum, totum ei per ordinem infirmitatis ſuæ expoſuit modum, humiliter ejus orationibus ſe commendans. Recepta autem remeandi licentia, ameliorari cœpit in via ipſa, quoniam is qui ad virum Dei fœviente incommodo vix per diverſas ſtationes pervenerat, conſolatus ab eo, abſque recreatione aliqua, reverſus eſt lætus ad propria, & ex illa hora ſic diu optatæ reſtitutus eſt ſanitati, ut mitior exiſteret quam ante illam moleſtiam fuiſſet. Amen.

Oculo suo ejusdem virum reſtituit.

40. Quidam ergo paterfamilias illo in vico qui Tiverius nomine dicitur, qui etiam cellulæ Planiæ vicinus eſt, unius privatus oculi officio, diu graviter laborabat, in quo etiam cuncta pene medicorum adjutoria jam defecerant: idem ipſe cum ſuper hoc invenire nuſquam remedium poſſet, fide tamen commonente, ad viri Dei habitaculum ſub celeritate pervenit, cumque jam præſens ante Dei aſtaret famulum, ecce ex male videntis dolore oculi anxiari vehementer cœpit, magnis non jam vocibus ſed ſtridoribus clamare dicens: Eh! eh! eh! mi Domine, modo moriturus ego ſum, niſi & mihi jam perituro, conſulendo orandoque ſubvenias. Quem blando ſermone vir Dei alloquens, ejus periclitantis prius ſtuduit clamores comprimere, ac poſtea intulit dicens: Deus autem omnipotens, qui omnes omnium ſanat infirmitates pietate ſua, ſi placet, tuam ſanare utique poteſt. Quo dicto, vir Domini mox ad eum acceſſit, ejuſque dolentis oculo extenſa manu crucis ſignaculum devotus edidit, cumque ad propria ſic ire dimiſit, qui antequam illius clauſuram loci eſſet egreſſus, optatum valde ex integro lumen ſic recipere meruit, ut oculo quo diu jam laboraverat, cum quo etiam ſolo ducente advenerat ante, viam ſuam latiorem nihil dicens ipſe eligeret, ceteriſque de omnibus certiſſimus eſſet.

Simile beneficium alteri homini tribuit.

41. Sed & alius in præfato vico ſimilem quo neſcio infortunio incurrens moleſtiam, unius damnum oculi longo tempore, omni ſanitatis ſpe depoſita, nimis graviter ſenſerat. Hic denique cum audiret quod paterfamilias ille lumen recepiſſet, concitus ad eum venit, eumque qualiter videret interrogavit. Statim ut actum fuerat, ei ſeriatim expoſuit: Cui ægrotus ille, utinam tali virtute ſe manifeſtare dignaretur homo Dei ille, ut ſic de oculo meo effugaret incommodum, ſicut longas a tuo moleſtias tenebrarum, unde & te amice neceſſe eſt deſcendere mecum. Tunc ille qui ſanus factus fuerat ad viri Dei habitaculum venit, ſecumque ægrotum illum deduxit, & ut eidem ſubveniret miſero ipſum Dei famulum devote rogavit. Ad quem mox vir Domini dixit: Quid nos ad hoc facere poſſumus frater? Cui ægrotus: Ah! ah! ah! Domine, quo patior oculum tantum aſpice, & hoc ſolummodo poſſe mihi ſufficere credo. Nequaquam, inquit, propter hoc remanebit quin Deus omnipotens beneſaciat tibi. Moxque Dei famulus porticum ſuam egreſſus, aëre deſuper nudo, dolentis oculum diligenter inſpexit, eidemque ſigno crucis impreſſo, luce protinus reddita, nox cœcitatis abſceſſit ab eo: qui ſtatim ad propria revertentes, cœperunt Deum laudare & benedicere, qui ſalvos facit ſperantes in ſe. Amen.

Item cæcæ feminæ.

42. Nec hoc ſilendum eſt, quod cuidam contigerit cœcæ, cum prædicti viri Dei præſidium quæritaret. Mendicans quædam de loco ſatis propinquo femina oculorum luce privata, neſciens viſu tenere viam, niſi alio ducente, devota valde & fide plena ad eleemoſynam cum ceteris egenis ad ejus quotidie habitaculum venire ſolebat, cui æternæ mercedis aliquid alimoniæ contuliſſet, reſpe-

ctu illius quam aliis erogabat pauperibus, & stipem ab aliis multoties postulatam ceteris indigentibus exinde porrigebat. Erat enim non solum cœca, sed etiam in quadam parte corporis virtute propria destituta. Hæc diebus singulis ad ædem memorati viri mendicando cursitabat, cum quadam die in via sua posita, cogitatum suum ductori suo revelaret, dixit: Si umquam mereor sola fabulari cum illo beato, salutem meam continuo credo. Confido etenim quod oculis meis lumen possit reddere, qui ægrotorum illorum oculis potuit ducatum præbere. Dehinc aliquo tempore stetit sola ante eum, rogans ac petens ut super faciem ejus suam tantum extenderet manum. Vir autem Domini, tunc clausis ejus oculis, crucis signum imposuit, dicens: Jesus Christus Dominus ac magister noster, qui lutum oculis imposuit cœci nati, & lumen ei restituit, ipse Deus, ipse omnipotens suæ claritate potentiæ te potest illuminare. Necdum enim verba compleverat, sed sermo adhuc ab ore pendebat, ipsa quidem orante, subito aperti sunt oculi, ita ut cuncta clare prospiceret, illique statim flens atque gemens in terram corruit, laudans Deum & benedicens. Interrogata autem ab eo quid sibi esset, respondit: Deo gratias, adest mihi remedium secundum verbum tuum. Vir quoque Domini hoc probare desiderans, dixit ei: Quem nunc ergo me prospicis indica mihi; vultus enim, inquit, vester gravis & honestus, barba nivea & prolixa. Ab alio, ait, didicisti, quod mihi nunc fabularis, & tenens scirpum in manu, quid esset eam interrogavit, juncus est, inquit illa. Ipse vero deinde ad aurem manum levavit, ipsa quoque quid faceret incunctanter respondit. Vir autem Domini hoc intelligens divinum esse mysterium, eam quam citius referre gratias beato maximo transmittere curavit, sicut & alios. Tunc terribiliter præcepit ei dicens: Tu ergo tace amodo, sed modicum hic me sustineto, quem scilicet introgressum nequaquam illa sustinuit, sed quam citius potuit lætabunde foras exivit, & advocans puerum suum, exultans & lacrymans præ gaudio, viæ suæ ducem ulterius non requirens, & ita sanata est, ut quæ cœca venerat alio perducente, dux cœcis futura regressa sit: quæ vixit multos in posterum annos, privatim gratias & publice omnipotenti Deo gerebat assidue, quod per famulum suum sic eam restaurasset incolumem. Istud autem miraculum publicavit fidelis recusa, publicaverunt & populi admirantes fidem mulieris, magnificantes gloriam boni patris familiarum.

Iniquus judex divinitus punitur.

43. Quam tristis, quam terribilis divina super quemdam judicem ultio processerit, dum in porticu perjuravit, ad pervulgandam beati viri gloriam silere debemus nequaquam. Cujusdam etenim vicinæ possessionis, *Syncelly* nomen est, quo quidam famuli Dei commorari solebat familiaris. Hunc siquidem suus judex iniquitatis causis injustis atque occasionibus supra censum annuum ad res proprias rapiendas judicio circumveniebat, ipsumque sine æquitatis ordine nimis exacerbabat; qui die quadam multo repletus furore, inter cetera sic fertur dixisse ad eum: Sive juste sive injuste, me villicante, non permanebis in pace. Cumque possessor ille nullo modo posset evadere manus illius, inito consilio, eum furentem muneribus compescuit, eumque pacem secum firmare coëgit. Judex tandem, accepto devinctus obsequio, ne timidus ille ab eo diffideret, pacem quæsitam in manu hominis Dei se propria manu ferire promisit. Illis deinde coram eo astantibus, judex manum suam in illa sancta manu, sicut prædixerat, posuit, dicens: In hoc loco sancto, in Domini mei præsentia, plena fide tibi promitto amice, quoniam & deinceps a te non exigam amplius quam debeam. Post non multos vero dies, judex ille, velut sponsionis suæ immemor, quem ab omni absolverat injustitia, de hereditate propria ecce contra justitiam pulsat. Hic demum commotus ab illo, pro pace habenda de rebus aliquid propriis invitus tradidit illi, cum suæ perjurationis tam præsens fuit judicium, quasi velociter de rebus illis non debitis effectus est Dominus: nam & manus ejus extemplo debilis & infirma facta est. Qui in exemplum Giesi, violentam possedit pecuniam, non solum acquirens animæ lepram, sed manum propriam numquam deinceps habuit sanam. Audite hæc omnes potestatem habentes, sic vestimini ut alios non spolieris; hoc congregate vestris thesauris, unde pauperiem non ingeratis proximis. Amen.

44. Dignum quidem existimamus ponere in relatu, quod velociter & super divinum altum affuit judicium ei qui ejusdem famulis superbus non timuit injuriari. De beneficiis autem & eleemosynis quas vir Domini suscipiebat a populo, caritatis gratia repletus, nostræ congregationis inopiam ipse frater velut pater ex quo potuit relevare curavit: verum præcipue super matrem suam sicut ablactatus ab ea diligentiori cura ac providentiori quam super filias evigilabat. Sciebat enim ibi magnam impensam, laborem quoque unde sustentaretur nimium esse. Factum in una dierum, ut vir Domini solita pietate de devotorum beneficiis, ad pastorem in Grandimonte & ad fratres multa per nuntios suos hujus miseræ transmisisset subsidia vitæ. Altera autem die ad viri Dei habitaculum qui missi fuerant remeare cœperunt; cumque & viam longam satis peragerent, eosque remotior mansio fatigaret, equitantes reperierunt in itinere pratum & rivum; tunc quidam eorum ait, amœnus locus! ecce aqua

& pratum, ecce in quo poſſumus recreari & requieſcere parumper, ut valeamus incolumes noſtrum explere poſtmodum iter. Cum igitur omnes una eo divertiſſent, oculiſque eorum locus ipſe blandiretur, de jumentis illico deſcenderunt, ora tamen eorum ad turbam frenis ſublatis relaxantes: ibique eis demorantibus, loci illius enim ſupervenit dominus ſubito, collo palum ferens acutum, cumque furibundus pratum introiſſet, hinc atque illinc diſcurrere cœpit, graviter homines feriens, jumentaque furibundus perquirens. Exterritiſque pueris & in fuga verſis, jumenta eorum diſruptis camis per plana proſiliunt & in fugam vertuntur: qui contriſtati valde, extra terminum loci quem aſſequi potuerunt, mitigantes acceperunt, nuntiantes beato viro contumeliam illam injuſtiſſime fuiſſe perpeſſos. Cum iram ſuam ille expleſſet injuſte, ſubito corripitur a rabie, ita ut a pluribus vix poſſet teneri. Erat enim ei tremor, & interea prorſus videbatur exſenſus, immutatam faciem & decoloratis oculis habens: concurrentes autem vicini undique atque parentes, (audierant enim non parvulum fuiſſe tumultum) quos ſanos invenientes, ut contigit, interrogaverunt. Beati viri, inquiunt, pueros ille & manu & lingua ſcandalizavit, ideoque illum præſens vindicta flagellat. Tunc parentes ejus, accepto conſilio, ejuſdem culpam ſuperbiæ penitus profitentes, ad obtinendum ſalutis remedium, ad Dei famulum hunc duxerunt ligatum, ipſum tamen devote ſuper eo deprecantes: qui ubi vocem eorum audivit, & quid miſer ille fecerit intelligens, hunc ſtatim ſolvi fecit a vinculis. Ecce novum miraculum & noſtris temporibus inauditum, in ipſa nempe hora ita ſanus & incolumis apparuit, ac ſi in eum humanæ poteſtatem ſalutis hoſtis numquam habuiſſet. Tunc ille ſuum reatum agnoſcens, ejus pervolutus pedibus, cœpit magis ac magis culpam deflere & erubeſcere. Quem vir Domini mox de terra levavit, & de actibus ſuis in hunc modum increpavit, dicens: Vade ſollicitus & tale quid amplius numquam facere præſumas; vindex eſt enim Deus velociter ſervorum ſuorum. Noli facere pretioſiorem terram quam cœlum, ibi vivendum, hic quoque finiendum. Diſceſſit igitur ſanus laudans Deum & benedicens. Quod ſtupendum miraculum audientes innumeri populi, ingentes clamores dederunt in cœlum, dicentes: Gloria tibi Domine. Amen.

Amicis viri Dei injuriam inferens tali corripitur.

Abeuntem ſanatur.

45. Non longe ergo a viri Dei habitaculo, vicus erat nomine . . . . in quo cujuſdam militis graviter ægrotabat filius, qui tale taliter tædium perferebat, ut ſolo ſpiritu palpitaret, laxatâ pelle pene oſſa videbantur. Miles itaque pater ejus, cum videret eum in extremis urgeri, ait ſervis ſuis, homo Dei ille quem quaſi ad autem poſitum multis credimus fulgere virtutibus, cujus apud Deum nunc uſque meriti erga alios extitit fides, erga infantulum meum modo ego debeo probare fidelem. Proinde omnes ad ejus habitaculum cum puero veniamus, fidem certam in cordibus noſtris deportantes. Si enim aſſequi nequit ibi medicinam, nuſquam filium meum ſanari deinceps credam. Quem mox fideles famuli de domo infantulum ad prædictum Dei famulum manibus propriis deportaverunt, ibique multum profuſis lacrymis ſe nimis affligentes, pro puero beati viri auxilium exorant ægroto: cumque eum eidem obtuliſſent ex conſuetudine, mox quibus obvolvebatur pannos amoveri præcepit, cruciſque ſignaculum ad nudam carnem poſtmodum fecit; qui reverſus ad propria ex infirmitate illa convaluit, & ad ſancti hujus teſtimonium miraculi uſque hodie in hac vita manet incolumis. Amen.

Puerū ægrotantem.

Nota.

46. De vicino namque beati Aredii loco, ecce ex ſimili alius ſubſequitur ſermo cujuſdam. Etenim ſatis potentis parvulus filius, qui ætatis ſuæ quintum necdum attigerat annum, ibidem diu languerat, omni prorſus membrorum virtute debilis & deſtitutus: pater vero ejus ſuper eo quid faceret penitus ignorabat, quia de ejus ſalute ſpem omnem jam depoſuerat. Quid mirum? quia quomodo aut incunabulo aut loco alio ponebatur eo immobilis a ſuis inveniebatur. Si autem ei forte vel curvares pedem, vel manum extenderes, ſic manentes proculdubio reperires, ita ut putares oſſa ejus omnia minutatim confracta ſub pelle latere. Promulgatis vero ſignis hominis Dei, & virtutibus collectis, a parentibus ſuis ad virum Dei delatus eſt, eidemque ex more oblatus, ipſum pro pignore ſuo multum humiliter deprecantes, & etiam aſſerentes nullum pro eo remedium ſupereſſe: quibus vir Domini, ait: Quid gementes ploratis? Mox rejectis pannulis, quantopere languerat ille narraverunt, rogantes ut per nudam carnem ejus amore Dei ſuam dumtaxat mitteret manum. Quo audito, vir Domini quæſitam protulit dexteram manum a vertice palpando per ſingula membra perduxit ad pedes, & accipiens ſcirpum, quaſi ludendo, ſuper ventrem pueri huc atque illuc ducere cœpit: quem mox extendens, tene, tene, languido ait: Eh! eh! & qui pene jam mortuus fuerat, tamquam a ſomno excitatus fuiſſet, ad viri Dei vocem quamvis modicam ſtatim manum levavit, & ſcirpum ſibi extenſum accepit & tenuit. Illi vero qui convenerant, viſo miraculo, præ gaudio flere cœperunt. Quo facto, vir Domini colligi puerum fecit, omneſque pariter remeare cum illo ad propria juſſit. Et confeſtim ſurgentes parentes ejus tulerunt de quo jacebat loco puerum, & abierunt in

Simile beneficium alteri puero impendit.

domum ſuam magnificantes & laudantes Deum, & dicebant: Quia vere vidimus mirabilia hodie, puer vero a languore ſuo convaleſcens crevit & profecit, & ſanus lætuſque in poſterum diutius vixit. Perpendendum quod propter magnam patrum fidem, plenam filii percipere meruerunt ſoſpitatem. Unde datur nobis intelligi, quia perfecta fides omnia quæ perfecte deſiderat adipiſci poteſt, juxta quod Dominus ait: Omnia poſſibilia ſunt credenti. Amen.

Ipſe & janitor monaſterii a febre divinitus curantur.

47. Ergo quibuſdam exactis quæ per beatum virum circa alios geſta ſunt, aggrediamur unum memorabile de pluribus & prætioſum miraculis, quod ad ejus vocem gratia circa ipſum & quemdam alium eſt operata divina. Contigit autem ut eodem tempore iſdem Dei famulus ejuſque janitor, unuſquiſque ad dictam ſuam cellulam, gravibus graviter laborabat febribus. Una quidem dierum cum vir Domini febrire inciperet, & vehementer anxiari, ſtratum proprium ut leviter ſufferre poſſet dolorem introïvit, hujuſmodi ſatis amicum languori: obſederat eum dolor aſſiduus cum ardore, ſitiſque intolerabilis cum capitis anxietate nimia. Ægrotante autem eo ac febricitante loco in illo, ad portam ecce factus eſt ſonitus. Quo comperto, janitor, ut potuit, ad eum venit dicens: Su, ſu, ſurgite cito, ci, ci, cito ſurgite, dominus adeſt GOFRIDUS (a) Burdegalenſis archiepiſcopus, veſtram quidem faciem videre cupiens, & vobiſcum conferre ſermonem. Lento enim illuc janitor pervenit greſſu; quoniam eodem incommodo depaſta ejus jam pene fuerant membra. Quo audito, vir ſanctus, dedignando ſubriſit, & ait: Miſer eſt ſane & valde debilis, qui ab inquietationibus tam vanis & frivolis ſe fatigari permittit: laudo, inquit, frater, & volo ne amplius amodo aggravemur ab eis. O admiranda res & veneranda! porro ejus dictum ſtatim ſubſequitur factum; nam in eadem hora vir Domini foras egreditur ſanus. Alter vero qui erat magnis febribus in proximo laboraturus, ab eis ſimiliter incolumis deinceps manſit atque ſecurus. Qua de re, cariſſimi, datur nobis intelligi quia caritas nihil poſſidere cum anguſtia novit. Sibi quippe & proximo propter Deum proficere voluit, quoniam & aliter plenitudo non eſſet legalis; qui enim proximum diligit, legem implevit. Amen.

[a]

Agros a grandine liberat.

48. Sed quid ſuper frigoreticis aliis & infirmis referamus, quibus tam velociter invenitur medela quam fideliter fuerit inquiſita? De quibus ſigillatim multum quod loqueremur erat; ſed quia ad alia feſtinamus, exinde conticere melius putavimus. Nam ſi totum proderetur in publico quod ſinguli quique dum fideliter poſcunt latenter accipiunt, & occultum retinet conſcientia multorum, ad hoc pene ſcribendum dies omnes vitæ noſtræ arbitramur minime ſufficere poſſe. Inter cetera vero ſigna ac beneficia quæ ſuæ vir Domini conferebat propinquitati, pro ſummo tamen unum illius incolæ terræ atque affines replicare ſolebant. Agros omnes affinitatis ſuæ, ut a ſenioribus noſtris audivimus, grando regionem iſtam in annis præteritis vaſtare conſueverat, quæ tam graviter cadebat, ut nihil ibidem, cum veniſſet, relinqueret. Poſt illam autem diem, cum homo Dei primum pedem in loco poſuit illo, numquam ibidem tempeſtas, ipſo in carne degente, cecidit. Sed adveniens, ut ante conſueverat, & quaſi timens præteriit & verecunda. Amen.

Cœleſti in creatur viſione.

49. Cetçrum quid nos in laude ejus & gloria conamur, quod perficere neſcimus? Ipſe enim eſt laus & gloria ejus, cujus laus ab ore ejus nuſquam receſſit. Competens profecto erat divinæ dignationi, cujus mirificabatur ſpiritus in cœlis, talibus taliter ſignis in corpore mirificari in terris. Itaque meritorum tanta creduntur inſignia, quod non ſolum non prævalent explicari ſermone, verum nec ipſa queunt humana comprehendi ſubtilitate. Verum quoniam ſermo juxta quod de vita ejus propoſuimus exſequi clauſulam petit ſpecialem; tamen unam atque præclaram vobis adhuc viſionem quam in extaſi poſitus, ſed apertis oculis utriſque hominis, diligenter ipſe aſpexit, prius quam ſedulæ noſtræ finem ſuſcipiant ad enarrandam ecce aggredimur viam. Hujus igitur prædicti famuli Dei familiariſſimus fuit Guido de Miliaco frater venerabilis, qui ejuſdem ſanctæ habitum religionis ammonitione ſuſcepit, in quo etiam ab eodem apprime eruditus atque enutritus eſt; qui nimirum poſtea vitæ ſuæ merito morumque magnitudine familiaritatis, ut dicitur, apud eum prærogativam inter alios & ante obtinuit, cujus nos quoque didicimus narratione, quod narramus: quaſi vir Domini ſæpe cordis ſecreto & oris cum uſu familiaritatis lætificare ſolebat. Factum eſt quodam tempore, ut viſitationis ſtudio ad paſtorem noſtrum in Grandimonte ambo inſimul convenirent. In craſtinum autem, benedictione recepta, in primo diluculo cum remeare cœpiſſent, miſſarum ſolemnia audiendi gratia fratreſque videndi, properantes diverterunt Muretum. Erat enim dies feſtus Muretenſis eccleſiæ dedicationis, quos videlicet advenientes bono & hilari vultu, ut decebat, fratres ſuſceperunt, multum gaudentes: & prima completa, devote & ſolemniter miſſarum introitum incœpit primus ſacerdos, ut tanti myſterii reverentia expoſcebat, & ordo. Hujuſmodi vero ſemper memorati viri erat conſuetudo, ut oculos ſuos ad altare in tali di-

(a) Extant ad eum S. Bernardi & Petri venerabilis abbatis Cluniacenſis epiſtolæ. Præeſſe cœpit eccleſiæ Burdigalenſi anno 1136.

rigeret hora intentius ac sollicitius quam in alia : scriptum quippe audierat *ubi thesaurus tuus, ibi & cor tuum ; & ubi dirigitur oculus, ibi figitur animus ;* cumque vir Domini in hoc diligenter intenderet, unum subito in veste levitica stolaque candida inter alios vidit, circa frequens ministerium satagentem, cui præterea rasa erat corona & tempora : ipsaque barba ; a quo etiam quisnam esset cœpit admirari valde & incertus esse : sciebat enim duos clericos ibi solummodo fore. Tunc vir Domini non longas diu sustinuit moras, sed statim fratrem Guidonem per quem videlicet super illa dubietate certus voluit esse, de loco suo semel bis terque diversis adiit momentis, & quot ibi adessent clerici sollicitus requisivit ; cui ille totidem hujusmodi sermonem respondit, dicens : Domine, ut video, duo adsunt tantummodo. Sed credimus eum non fuisse æqualis meriti, qui toties interrogatus hoc videre non meruit. Qua de re certus, lectione libri Apocalypsis jam lecta, ad chorum clericorum accessit illico lætus, ubi supra pedes tam diu mansit erectus, donec divinum mysterium spatiose celebraretur. Factum est autem cum hora esset jam parata legendi evangelium, ecce diaconus ille ad pronuntiandum eum una cum sacerdote venit ad lectricem, quod videlicet ipse secundum Lucam distincte incœpit, etiam pronuntiando aperte usque ad finem complevit : de cujus voce & habitu argumentum vir Dei sumsit invincibile, quoniam de quo diutissime dubius fuerat ; hunc veris intersignis indubitanter dominum STEPHANUM Muretensem credidit esse ; talem enim eum in vita videre solitus fuerat. Peractoque ex more servitio, pater venerabilis ab oculis discipuli aspicientis evanuit. Qui deinde egressus ab ecclesia, fratres illico vocavit, jumenta quibus vehebantur adduci præcepit, atque socium suum cœpit vehementissime festinare ut possent exire. Cui fratres loci dixerunt : Pater & frater etiam domine, hoc fieri non potest, quia hodie ad nos introistis & hodie exire vultis. Quibus ille ait : Fratres & domini, sic oportet fieri. Paratis autem jumentis, Guidonem ejusdem loci fratres duxerunt seorsum, dicentes : Scimus certissime, quod secretum aliquod ei Dominus hodie dignatus est in domo nostra revelare, & quoniam modo non est locus prolixioris confabulationis, age frater, perge sollicitus valde. Quibus ille dixit : Ea vero quæ loquimini nunc quoque mecum ipse pertracto : qui statim salutatis fratribus recesserunt, iter quod desiderabant aggredientes & simul properantes, sese satiare per viam de Deo vicaria cœperunt relatione. Denique sicut inter cunctorum animos amicorum immensam caritatis familiaritas fiduciam præbet, Guido frater non oblivioſus factus, ipsum Dei famulum super eo quod in ecclesia viderat in hunc modum cœpit interrogare, dicens : Deo autem gratias & vestræ, pater & domine, sanctæ benignitati, quoniam me tam indignum, tam indoctum vestris tantis negotiis, tam privatis quam publicis, semper interesse voluistis ; verumtamen, domine, unum dubius valde ego mecum revolvo, quod a vobis, carissime, si decet, discere rogo. Teneo namque ac firmiter credo, vos aliquod hodie vidisse signum, quod tamen videre, nostris impedientibus culpis, non est desuper datum. Exinde hoc ergo argumentor, quoniam in ecclesia vos insolito more fratres stupefacti valde viderunt perseverare. Tunc ille, ut erat vir eloquentissimus, nolensque in publico prodere quod tenebat interius, inquirenti socio citius persuasit ut quæsitum taceret, dicens : Porro mihi illud dicere non expedit, nec tibi quoque multum proficit illud audire. Numquid & domine, inquit, mihi celare potestis quod quærens cupio scire a vobis ? Cumque hoc ille tam instanter ab eo precum multitudine ac frequentissima inquisitione exigeret, seque nullatenus astipularetur cessaturum, amicabilibus tandem ejus vir Domini constrictus conjurationibus, jam non celaturum se respondit, ei dicens : Tali siquidem ego tibi quod quæris conditione dicam, quod nusquam te amplius super hoc audiam confabulari dum vivo. Pertimescebat videlicet ne inani gloria super se raperetur, & inde intus fieret culpabilis unde fore hominibus appareret mirabilis : exemplum etiam Domini sequens, qui de semetipso suis discipulis præcepit dicens, ut ea quæ vidissent nemini dicerent, quousque filius hominis resurrexisset a mortuis : cui postmodum spondenti atque firmanti totum per ordinem vir Domini, ut evenerat gestum narravit. Sunt quidem præterea & alia multa commemoratione digna, quæ per eum Christi gratia cognoscuntur operata, quæ videlicet, si scripto commendarentur, a non credentibus apocripha judicarentur ; sed de vita hactenus, ac moribus conversationeque loquentes, illius nunc qualiter ad cœlestis de hoc sæculo regni pervenit bravium, calamum pariter reducamus & manum. Amen.

Ejus obitus.

50. Anno igitur a Passione Domini millesimo centesimo quinquagesimo septimo frater beatæ memoriæ HUGO, bonus verusque eremita, plenus virtutibus & sanctitate, præbens multa, ut dictum est, infirmis atque egenis beneficia, apud Planiæ locum conversationis ipsius valde præcipuum, de nequam sæculo, Deo vocante, migravit in pace. Illi sane beato venerabili viro prolixum vitæ suæ spatium pro utilitate religionis nostræ & amplificatione divinitus collatum est. Nam vixit, ut manu tenemus, annis octoginta sex, de quo notandum est præcipue quod ille vir Domini inter tot gratiarum in-

ſignia, quibus in vita ſua claruit, ſanæ ſtabiliſque memoriæ dono non mediocriter ſuffit. Nam quidquid vel de ſententiis noſtris, vel ceteris vitæ noſtræ mandatis invenitur fideliter ſcriptum, aut memoriæ hominum commendatum; totum quidem per eum, ſicut a domino Stephano magiſtro noſtro audivit, memoriterque ſuſcepit, creditur & revelatum & manifeſtum. Divinarum etiam auditioni ſcripturarum præterea ita ſtudium commodaverat, ut nihil fratribus dictum audiret, quia memoriam pro libris habebat. Sed ut omnia brevius concludamus, ut in ceteris quæ de illo jam diximus, quamvis nec omnia dicere potuerimus, nullus his diebus ei uſquam inveniebatur ſecundus. Nam vicini & remotiores, divites quoque & pauperes, qui videndi audiendique amore ad eum veniebant, ipſum videntes Deicolam nuncupabant, indulto ei vocabulo: quidam eum ut filium diligebant & ut fratrem, eum venerabantur ut patrem; talem enim in omnibus ſe præbere cupiebat & volebat Dei conſpectibus eſſe dignum, corde purum & voluntati ejus perfecte demiſſum. Sed quoniam hoc loquentes paululum a propoſito digreſſi ſumus, ab his expediti, nunc ad narrationis ordinem læti redeamus.

Ante mortē a fratribus convenitur.

51. Eo igitur tempore quo dilectus Deo & hominibus de præſenti ſæculo erat migraturus, divinæ placuit diſpenſationi, ut quidam ſeniores noſtri, viri valde religioſi, viſitandi cum gratia ac audiendi, etiamque interrogandi ſuper hoc quod expediebat eis, quarto decimo calendas Maii in quinta feria de diverſis locis ſimul veniſſent: ſuſcepit itaque eos vir Domini, ſicut conſueverat, bono & hilari vultu, & ſuper eorum vultu nimium lætus atque jucundus fuit; totum autem illum diem duxit cum fratribus valde gratum multumque felicem; hilarem enim datorem diligit Deus. Craſtina vero die languore nimio circa meridiem correptus eſt, unde cythara omnium mox in amarum verſa eſt luctum. Fratres vero qui in vicinis morabantur cellulis, pauperum exauditor Deus noluit ab ejus fruſtrare exequiis, cujus etiam valentis & incolumis neceſſariis uſi fuerant bonis. Convenerunt itaque multi, Deo volente, ut tam ſanctæ animæ de hoc ſæculo recedenti ſuas animas devote commendarent, ipſeque interim invaletudinem ſuam viſitatione eorum ac conſortio admodum levius toleraret, & ipſi quoque illius præſentia & audientia lætiores in poſterum manerent, ac meliores. Per decem autem dies in mente ſana, inoffenſo aſpectu atque auditu perſeveravit: non tamen ſine cauſa ægrotavit uſque tertio calendas Maii, quod eſt viceſimus ſeptimus dies Aprilis; quod videlicet totum credimus factum, ut ipſe fratres in tam myſtica ſignificatione ſuper decalogo legis informaret, & ſi quid in ea per oblivionem deliquiſſent, & ſibi & illis, ipſo monente, tunc ſaltem emendare liceret. Inſuper ne prædicatio ejus a quoquo impediretur, cunctis diebus infirmitatis ſuæ in lecto jacens, uſque extremum diem imprætermiſſe ac fortiter verbum Dei prædicavit & audivit, exceptis tantum horis quibus vacabat orationi. Frequenter enim tunc orabat & pro experientia ſua ubertim ac jugiter flebat, fratres necnon infirmos, debiles, minuſque doctos inter illa commonitoria verba ſufferre, portare monebat & hortabatur, non ut defenſionem haberent, ſed ut miſericordiam ſentirent ad invicem: quod & ipſe, dum adhuc ſupereſſet, caritative docuit, & fecit ad poſterum ſuper omnia quidquid jam pridem de obedientia & de regula noſtra pronuntiaverat; nunc vero abundantiori gratia, valentiorique loquela præſentibus fratribus recoluit, eoſque fideliter obſervare rogavit. Numerus enim fratrum inſimul erat omnium præfixus, bis quinque ſcilicet preſbyteri, etiam octo converſi, de quorum numero unus extitit frater, qui de bonitate ejus confidens plurimum, benedici ab eo, hoc nullo ſciente, alto quærebat ex corde. Hoc autem eo cogitante, ſcrutator cordium Deus, qui ſcit ſolus quid deſiderat ſpiritus, ipſe ſolus ad complendum deſiderium ſuum in tali voce prorumpere fecit amicum, qui ait: Frater Guido de Campania ſit benedictus & vere ſit benedictus, & utinam eum Deus benedicat: qui totum poſtea quod tacitus quæſierat fratribus per ordinem nuntiavit. Ex quo aliiſque hujuſmodi liquido omnibus patuit, prophetiæ ſpiritum Dei famulum habuiſſe, in cujus auribus cogitationis etiam verba ſonuiſſent. Igitur qui convenerant interrogabant eum dicentes: Domine, quid times? quid ſentis noſtræ plus poſſe nocere religioni? Nova, inquit, nemora, fratreſque novitios ſuper omnia plus poſſe nocere timeo & ſentio. Tali ſiquidem tam ſanus quam æger inſtitutus erat propoſito, ut quæ ſunt JESU CHRISTI ſemper quæreret, ſolumque illius nec alterius recordaretur, poſteriorumque penitus, juxta Apoſtolum, obliviſcens, & ad ea quæ ante ſe erant ſe extendens, Deoque hoc maxime faciebat, ut carnalibus ruptis vinculis, talentum ſibi creditum Domino ſuo duplicatum reportaret, & pro duplicato duplicia, ut ita dicam, a fœneratore Domino in illa patria poſſideret. Cumque per ſingulos dies exitum fratres expectarent a ſuo corpore, quia tunc ſcilicet ſabbatum habebatur, vicinum obitum ſuum denuntiavit verbis quidem aliis, ſed idipſum prorſus ſignificantibus. Ait enim: In craſtinum autem benefaciet mihi Dominus, & in ſecunda feria in me anima non permanebit amplius. Quod totum ita factum eſt. Cum vero jam decem dies in ægritudine fuiſſent expleti, & die illa de qua jam prædixerat ſubſecuta,

Adquoscunque hortatoria habuit ſermonem.

omnipotens perennem mercedem ei reddere decreviſſet, dolor corporis in vitalia rediit, viribuſque propriis repente deſtitui cœpit: erat enim mane. Sciens itaque ſe morti jam proximum eſſe, qui eum ibi pernoctaverant fratres, ceteroſque pariter admonuit, ut ad primam quam citius ſurgerent, & cum eo benignum JESUM cum expectatione exitus ſui multo inſtantius ac devotius exorarent. Ea namque nocte jacuerat in capitolio, ibique dicta confeſſione, completoque judicio, ex quo nihil ulterius loqui auditus eſt, uſque ad pacem, totius miſſæ officium orans verſuſque ad eccleſiam audivit, & a pacifico fratre Hugone *Dumont* oſculum Dominicæ pacis accepit; & quoniam in ipſa tam ſacræ immolationis hora, teſtante Gregorio, ad miniſtri vocem ratum manet cœlos aperiri, in illo JESU CHRISTI imperio angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus jungi: ex hoc plane probatur, & vere & catholice poteſt intelligi, quod plenam & perfectam eorum omnium remiſſionem per oſculum pacis accepit, ſuper quibus etiam paulo ante confeſſionem, judicium dicens, complere memoriter meruit. Poſt hoc autem fratres qui cuſtodiebant eum, diligentius illum ad lumen aſpicientes, quod jam obire cœpiſſet tunc primum compererunt: quod ſtatim ceteris qui in eccleſia erant ſignificaverunt. Qui protinus advenientes eum in medio poſitum circumſteterunt, laudes & gratias in pſalmis & hymnis pro commendatione animæ ejus decantantes; qui cum diutius pſallerent, ſoloque ei in pectore adhuc palpitaret ſpiritus, quindecim pſalmos cantare exorſi ſunt. Cumque vir Domini, cui admodum parvulus tunc inerat flatus, unum de quindecim, pſalmum *Lætatus ſum* videlicet cantari audiret, ſtans in medio, crucemque Domini tenens & deoſculans, collecto ſpiritu quantumvis valuit, oculos, antequam *in domum Domini* terminarent, levavit & aperuit, & circumſtantes fratres ex ordine, velut eos ſalutaret, benigne aſpexit ac diligenter: ſicque demum oculis ac manibus in cœlum ſemper intentis, in cinere recubans, priuſquam miſſa finiretur, in tam ſancta hora inter jucunda verba, oranté tam ſancto conventu, ut tenemus, exhilaratum ſpiritum reddidit Chriſto domus Domino, ad quam a fratribus jam fuerat invitatus, reddidit quidem in bona ſenectute ac converſatione enutritus.

52. Tunc vero mœror & metus grandis omnes qui aderant propter mortem ejus detinuit; qui autem perfectiores ac firmiores erant in religionis cuſtodia, ſe fletu abſtinebant præ timore & verecundia, vocem quidem plangentium comprimentes; ſi quibus flere prohiberet fides, gemitum ſaltem cogeret extorqueri affectus, cum lætandum potius illi eſſet, quoniam Dominus jam ſuo conA foveret gremio. Etenim tam ſancta de gloria illius fuit omnibus exultatio, quam pia de morte lamentatio, dum unuſquiſque & in ſe invenit quod doleat & unde illi gaudeat. Teſtatique nobis ſunt qui adfuerunt, quoniam jam exanimi corpore magis vivus videretur quam mortuus; vultum enim vigilantis hominis claritate ſuperabat, vultus ejus jam in Chriſto dormientis, cum in ceteris membris nec tenuis quidem macula lateret, & quodammodo caro ejus non ſenis, ſed tamquam pueri parvuli tota appareret, ſicque in quadam jam futura reſurrectionis gloria, B ut ita fari liceat, & naturam demutare carnis viſus eſt. O beati! ô felices! qui dum eſſet in terris, uſi fuiſtis ejus colloquiis, participaſtis conviviis, documentis inſtructi, præſentia recreati, confirmati fuiſtis ejus moribus & exemplis, inſuper & ſignis & virtutibus jocundati. Feliciores vos eſtis, ſi tamen quod ab eo audiſtis fideliter obſervare nitimini, qui viam ingeſſit per quam vos reliqui gradiremini: dedit fidem verborum in opere, ne putaretis eum aliquid ſuperfluum prædicaſſe, juſſam crucem ſemel acceptam deponere noluit, immo eam amore & famulatu ſpontaneo, non Cyreneo, ſemper C tamquam principiis confixus portavit: unde quia nec longitudine temporis necnon laboris, crucis ſanctificatorem ſequi meruit, poſt mundi languorem. Hæc autem prædicta non ad correctionem, ſed ad æmulationem; hunc igitur ad bonum æmulamini.

53. Sacerdos vero ſtans interea ad menſam Domini valde laſſus, & diu expetita corporis ſanitate, ſacrificium jam obtulerat Domino, collectam de poſtcommunione adhuc dicturus, cum necdum ſciret utrum pro expetita ſanitate, an pro depoſitione oraret, D percepto tandem quid faceret, collectam incœpit pro ejus depoſitione ſupplicaturus. Nec vacat locus iſte a myſterio: quem tamen pro parvitate & provectioribus nos adhuc ſugentes ubera decrevimus enucleandum, eis vero maxime, qui partem aliquam tenent de Dominicis ſacramentis. Nam ut prætermittamus plurima, celebrata ſunt etiam in eo a fratribus plene ac intente, tam in obitu quam in infirmitate, prout devotius potuerunt, cetera quæ rogat juxta eccleſiaſticum morem inſtitutio noſtræ ſanctæ religionis & regulæ. Tunc demum fratres amanE tiſſimi bonique paſtoris, ſub quo tunc noſtra fervebat religio, & voluntatis & juſſionis memores, feſtinanter quod eis jam dudum præceperat exequuntur. Nam & beati viri corpus qua oportuit honorificentia una cum ſanctis Domini ſacerdotibus, thuribulis paratis & cereis, reverentiſſime ſatis aggredientes aperiunt. Quo quidem aperto, tanta illic ſubito fragrantia miri odoris aſperſa eſt, ut qui aderant inæſtimabili ſuavitate replerentur, ac ex eadem ſuavitate cunctis clareſce-

ret, in eodem ſuavitatis auctorem habuiſſe diu manſionem. Cum ejus tamen caro præmortua tam aperto miraculo, quid vivens ejus ſpiritus ſemper egerit, teſtaretur. Cujus extemplo præcordia præſcripti odoris fragrantia vitroque puriora apparuerunt, ſuſcipientes profutura loco ad patrocinium, patriæque ad ſalutem, in ſua ædificatione cultu ſatis eximio extructa ibidem venerabiliter tumulaverunt: quibus quoque digna veneratione conditis, ejus veſtimenta inter ſe fratres velut theſaurum cœleſtem diviſerunt, exceptis ligonibus, quæ clam pro reliquiis cum ſumma ab eis devotione ſumta ſunt, & uſque hodie debitæ zelo reverentiæ ſuis conſervantur in locis; de quo quidem loco ex illa die multæ fidelibus virtutes factæ ſunt, quæ per negligentiam non ſunt ſcriptæ, nec nobis recitatæ.

54. Huic quippe miraculo multi interfuerunt qui nunc uſque vivunt; & cum magno fletu ex gaudio atteſtantur, quam quouſque corpus ejus conſueretur, fuiſque veſtimentis, ſicut nobis mos eſt ſepelire, indueretur, illius fragrantia odoris ab eorum naribus non receſſit: quod videlicet ſignum aliud venerabile eſt etiam comitatum, quod idcirco maxime prætermittere noluimus, ut ex hoc uno valeant a fidelibus alia multa penſari.

Poſt mortem coruſcat miraculis.

Huic nempe rei jam audire quidam frater noſter interfuit, qui præ mita aptitudine ſui, una cum ceteris, ſanctiſſimum ejus corpus aperuit, & incomparabilem illum theſaurum, quem beatus ille diu ſibi ad profectum, poſteriſque ad futurum ſervaverat, omnibuſque patenter ex eodem devote ſuſcepit & tumulavit. Habebat enim manum quo caſu neſcio inciſam ac graviter vulneratam, & dolore pariter ac ſanie plenam. Sequenti vero die, neſcio an eadem nocte, dum ex more reſpiceret ut eam curaret, tremefactus eamdem repente quo involuta erat linteamine invenit evolutam, atque ita ſanam, cicatrice ſola ſuperſtite, ac ſi umquam vulneris nihil habuiſſet. Et quædam alia in augmentum iſtorum qui interfuerunt addunt mirabilia, de quibus non eſt modo dicendum per ſingula. Hoc ergo expleto, ſuperſtes corpus in medio adhuc poſitum in pſalmodia & oratione a fratribus cuſtoditur, noctem quidem præ timore vicini populi expectantibus, qui tamen per alias temporis viciſſitudines eum ſervari ſcientes, ad viarum exitus olim ſuos poſuere cuſtodes, metuentes eum amittere velut heredem & patriæ defenſorem. O pium & laudabile furtum, quod nemini prorſus detulit damnum. Occidente vero ſole, ex omnibus bis decem numero fratribus, aut forſitan eo amplius, eo honore & reverentia qua decuit, quali potuerunt hora, de loco illo ſanctiſſimum corpus tollentes, in primo noctis crepuſculo, ſicut invicem agendum propoſuerant, injunctam arripiunt viam, & ſic ſimul cum pignore ſancto properantes, deſcenderunt per viam quæ ducit ad munitionem, cui priſca vetuſtas Chalucium ediderat nomen. Ex hac ſiquidem nocte præterita, lumen odientes egreſſi fuerant malefactores, qui tenentes quemdam ruſticanum trahebant captivum, ſua paupere tamen ſupellectile valde onuſtum. Quo comperto, fratres (præ oculis enim eorum illi latrunculi faciebant iter) acceſſerunt ad eos, & captivum de manibus eorum liberum cum pia ſarcina ſua tranſmiſerunt ad propria. Quod enim vir Domini vivus & adhuc ſæcularis per ſeipſum agere conſueverat, per filios ſuos & fratres jam mortuus non eſt oblitus facere. Suſceptus eſt ergo cum ſumma veneratione a bono paſtore & a ſancto conventu, qui præcurrentibus etiam largiſſimis eleemoſynis ei obviam venit, & in magna lætitia in Grandimonte tranſlatus ab eis: ubi tamen coram fratribus pro ejus commendanda depoſitione corporis ſacrificium Deo oblatum eſt a memorato paſtore; & appoſitus eſt ad patres ſuos, atque inter domnum Stephanum de Mureto, & domnum Petrum Lemovicanum ſepultus, certoque notamine aſſignatus. O quantus luctus circumjacentium populorum! quantus pauperum Chriſti & religioſorum planctus! quantus præcipue orphanorum clamor & viduarum, quibus extenderat caritatis brachia & benigna ſubſidia vitæ, pro cujus enim obſequio narrari non poteſt quanta multitudo hominum a propriis ſedibus ſe commoverunt. Multi enim ex agris & vicis & villulis & caſtellis, & ex Lemovica etiam civitate adfuerunt, qui exinde remeantes turbis concurrentibus eum jam ſepultum nuntiaverunt, & in his quidem omnibus quantum ille Deo acceptus & populo carus fuit, quantoque fervore, rectæ ſane fidei, ſpei & caritatis in ſancta eccleſia & catholica vixit, quoniam volente Domino, nobis conceditur ſcire, in his quoque omnibus plane manifeſtatur. Fidei enim fuit indicium miſſa, quam audiendo migravit ad Dominum; ſpei autem manifeſtatio, ſignorum multitudo quæ jam fecerat ille in Domino; bonum vero caritatis ſolutio aperte declarat captivi. Quod autem plenius agnoſcunt quicumque eum loquentem & præſentem audire & videre potuerant, & ejus præſertim in religione converſationem non ignoraverunt. Nos vero qui in carne eum nec videre nec audire meruimus, pauca tamen quæ præſcribuntur, quantum inveſtigare potuimus, largiente Domino, qui dat affluenter & non improperat, tomis chartæ pro modulo noſtro fideliter diligenterque commendare ſtuduimus; in hoc etiam, chariſſimi, plurimum confidentes, quam etſi non poteſt legendam incultus ſermo & ruſticanus ornare, eam faciet ille beatus ſignis præclariſque virtutibus elucere,

Tranſitur ad Grandimontem.

elucere, & hanc ſolam inſuper noſtræ mercedis retributionem accipere ſperantes, ut dum hæc recitata fuerunt in laude & memoria hujus memorati juſti, nobis fortaſſis orantibus, vobis tribuatur refrigerium pro delictis, dicente poëta: Forſitan & hoc olim meminiſſe juvabit. Cujus ſanctiſſimi memoranda & glorioſiſſima tranſitus dies celebrata eſt tertio calendas Maii, ſecunda feria, anno ab Incarnatione Domini noſtri JESU CHRISTI, ut prænotatur, milleſimo centeſimo quinquageſimo ſeptimo; ab exceſſu autem domni Stephani Muretenſis, primi patris noſtri, triceſimo ſecundo, ætatis vero beatiſſimi HUGONIS circiter octogeſimo ſexto, Romanæ tunc providente eccleſiæ papa Adriano quarto, regnante glorioſiſſimo Francorum rege Ludovico, qui Ludovico ſucceſſit in regno ſub bonæ & ſumme beatæ memoriæ amantiſſimo STEPHANO de Liciaco quarto priore noſtro. Exultemus ergo omnes in Domino qui nos tanti viri decorare dignatus eſt conſortio; concedat Deus ipſe nobis ex ejus ſublimari ſuffragiis, cujus etiam moribus & ſignis nos ditavit, nos inſtruxit in terris. Ipſe Dominus ac redemtor noſter qui fidelem ſuum famulum de terris in pace ſuſcepit, ipſe nos de hoc ſæculo nequam propter eum adjuvet, regat & cuſtodiat, ne polluamur a malis. Ecce claudit dies, hebetatur calamus, pigritatur manus, lingua impeditur; quid igitur moras facimus? quo amplius protelari conamur, cum terminus etiam iſtorum prorſus ab homine ignoretur. Sane enim qui os aperuit belluinum, aperuit & docuit noſtrum, idem ipſe finis noſter qui principium noſtrum JESUS CHRISTUS Dominus noſter & Deus, cui eſt honor & gloria, virtus & imperium cum Patre in unitate Spiritus-ſancti ab æterno & nunc, & per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Quis dixit? Dominus, hoc nomen permanet illi.

Nam dicti eſt dictor Dominus non alter ab illo.

Gloria ſit ſoli Domino qui cuncta peregit.

Ego Guillelmus Dandina, qui de ſancto Savino impropriè cognominor, frater peccator, indignuſque ſacerdos, pro me exorare ſupplex humiliſque exoro.

Quis umquam tanti viri mirabilia ſic ex ordine inquirere aut referre poterit ut laudare ſufficiat? Præfatus namque paſtor venerabilis, qui providente Domino in diſcipulatu illius converſatus atque eruditus eſt, eique valde familiariſſimus fuit, unum nobis de illo miraculum dicere conſuevit, quod tamen nullo modo eſt prætermittendum, quam mira humilitate intelligitur plenum. Nam & beatæ memoriæ Hugo tyro, qui, Deo auctore, Engoliſmenſi in epiſcopatu deſervivit eccleſiæ, certus de miraculis & de bonitate illius, quæ per eum Dominus dignabatur operari, ea ſæpe devotione ad eum venire conſueverat, ejus præſentia recreari verboque inſtrui multum deſiderans, tamquam ad audiendam Salomonis ſapientiam. Quadam namque die contigit ut veniret ad eum epiſcopus, & dum ex more conſediſſent, qui quidem compulſus tædio, ait: Tantum enim dolorem a dextris in armo miſer ego patior, quod ſurſum eumdem levare, vel ſeorſum flectere, vel in partem aliam declinare nullo modo valeo, qui videlicet ex gutta procedit, ut credo. Collum etiam, guttur & facies, ut videre poteſtis, ex ſæviente prædicto dolore tumida lividaque effecta ſunt; unde & mei locum doloris pro amore Dei veſtris ſanctis manibus tangite, domine, atque palpate. Quo audito, vir Dei admirans ait: Miror ego valde cur ſic loquimini, domine, manus quidem meæ ſanguine plenæ ſunt, veſtræ vero ſacratæ & ad Dei vivi myſterium præparatæ, dono etiam Dei & gratia Dei repletæ; quod vero a me peccatore quæritis, mihi quidem & aliis cum neceſſe fuerit, per vos, operante Domino, & debet & poteſt præſtari; de vobis enim & hujuſmodi Dominus dicit: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* Cui reſpondit epiſcopus: Certe ſi pro divini myſterii privilegio & honore vos retardare dicitis, ſcitote quia in ſtatu veſtro non partem imparem de divinis tenetis ſacramentis atque habetis. Si ego enim indignus peccator indignuſque ſacerdos per myſterium meis immundis manibus ſuſcipio Dominum, vos quoque in ſuſceptione pauperum & refectione eumdem ipſum recipiſtis nec alium. Ipſe enim dixit: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, & mihi.* Et alibi: *Qui recipit vos, me recipit.* Et etiam alia multa, de quibus non eſt modo dicendum per ſingula. Vir autem Domini videns epiſcopum in ſua perſeverare petitione, noluit eum amplius contriſtatum manere, ſed commune duarum partium bonum eligens, manum continuo epiſcopi cum ſua accepit, eamdemque quo patiebatur cum ſigno crucis palpando tractandoque deduxit. In hoc præcipue ſibi humilitatem cuſtodiens, & ſancto debitam epiſcopo reverentiam exhibens. His vero expletis, abſque ulla procraſtinatione ſanatus eſt epiſcopus qui venerat ægrotus. Conſiderare enim libet quoniam in hoc tam amabili bono cum prædicti viri merito ſancti epiſcopi multum convenit devotio, ideoque exiſtimandum hoc illum potuiſſe, quia plus confidit de epiſcopi quam de ſua virtute; cujus enim manum cum ſua loco doloris poſuit, per eam tamen obtinere quod petebat exiſtimavit. Amen.

VITA PETRI VENERABILIS
ABBATIS CLUNIACENSIS,
AUCTORE RODULFO MONACHO EJUS DISCIPULO.

Ex mſ. Silviniacenſis monaſterii.

OBSERVATIO PRÆVIA.

CUm ea ſit monaſterii Cluniacenſis prærogativa, ut omnes fere primos abbates ſanctos habuerit, eorumque acta a viris gravioribus ſcriptis conſignata paſſim circumferantur; doluerunt hactenus eruditi omnes, Petri Venerabilis, qui nonus celeberrimum illud cœnobium adminiſtravit abbas, quique & generis ſplendore & vitæ ſanctimonia, aut doctrinæ ubertate, vix aliis fuit ſecundus, res præclare geſtas ad hunc uſque diem deſiderari. Verum hanc jacturam reſarcivit tandem antiquus codex Silviniacenſis monaſterii, in quo Rodulfi monachi hæc de re opus mihi reperiſſe feliciter contigit.

Fuit autem Rodulfus ſancti abbatis quondam diſcipulus, ipſius etiam in peregrinatione ac cellarum viſitatione aliquando ſocius, ut conſtat ex cap. 7. ac proinde eorum quæ refert teſtis oculatus; idque diſertis aſſerit verbis in proœmio ubi hæc habet: Non tam præſumtione quam amore, de illius vita ſcribere aggrediar, quod virorum religioſorum relatione didici, aut ipſe vidi. *Si mea etiam me non fallit opinio, Rodulfum vitæ Petri abbatis ſcriptorem eumdem eſſe conjicio cum illo Rodulfo qui anno* 1173. *Cluniacenſis abbas creatus, triennio poſt dignitati ceſſit ſponte, ac deceſſit anno* 1176.

De Petro vero Venerabili longe plura, ac tanto abbate digna dicturus eſſet Mabillonius, ſi ſæculum VII. *Benedictinum, in quo ſanctorum qui ſæculo* XII. *floruerunt in ordine noſtro continentur Acta, abſolvere potuiſſet: at quoniam morte præventus incœptum opus reliquit imperfectum, Rodulfi de Petro abbate Cluniacenſi lucubrationem interim offerimus.*

INCIPIT PROLOGUS in vita domni Petri abbatis Cluniacenſis.

Anno 1157. SAncto patri & domino ſuo STEPHANO, Dei gratia Cluniacenſi abbati, frater Radulfus bonis omnibus frui, nunc & in ævum.

Diu quidem, pater, ſilueram, & præ verecundia quod optabam dicere non audebam. Sed conturbatur ſpiritus meus in me, quod patris noſtri beatæ memoriæ PETRI abbatis vita, omnibus ſæculis recolenda, ita negligentiæ tradita eſt, quod omnes qui dilexerimus virum & illius virtutes cognovimus, inde merito condemnari debeamus. Quis enim tanti patris vitam moreſque ſciens, A ſine ſui ipſius condemnatione tacere poteſt? Quapropter ego minimus omnium hominum, non tam præſumtione, quam amore, de illius vita ſcribere aggrediar, quod virorum religioſorum relatione didici, aut ipſe vidi: majoribus majora relinquens, ut & inde Deus honoretur, & illius exemplo noſtra infirmitas roboretur, & eccleſia de filiorum gratia ſublimetur, denique Deus in ſanctis ſuis ſemper glorificetur, maxime in Cluniacenſi eccleſia. Hæc enim propagine filiorum ſuorum orbem replevit, & religionis gratia occidentis filios adornavit: ita ut non eſſet in orbe terrarum regio, quæ non quæreret ſibi patrem vel patronum de Cluniaco. Eſt autem locus ſanctus, & patres ſemper beati: quia ſicut in multitudine religioſorum

præcellit: ita virtutum gratia in Domino gloriatur. Unde angelis & hominibus admirabilis divinæ gratiæ munus ministrat universis. Hoc in quatuor climatibus orbis prædicatur, hoc cœlum & terra testatur, hoc omnis sexus & ætas admiratur. Hæc beatos patres enutrivit, ODONEM videlicet, MAIOLUM, & ODILONEM, sanctumque HUGONEM, qui quasi luminaria in firmamento cœli, sic in mundo emicuerunt claritatis suæ lumine, hominum tenebras depellentes. Isti suo ductu & exemplo actus reprobos hominum sic destruxerunt, ut angelorum formam in terris repræsentarent, nec solum virtutibus, sed etiam miraculis coruscaverunt. Isti, quia sese spreverunt, spernere mundum docuerunt, & humilitatis suæ disciplinam filiis adoptionis jure paterno reliquerunt. Hos sequitur electio sancta præfati patris, cujus memoria in benedictione est. Sed priusquam de vita ejus differamus, de ortu disputandum est, & unde, quis, quantus, qualisve fuerit disquirendum. Sed quia supra vires meas esse video, de Dei gratia mihi præsumendum est, qui docet omnem hominem scientiam.

Explicit prologus.

INCIPIT VITA DOMNI PETRI ABBATIS.

Ejus parentes.

1. Nunc itaque ad historiam stylum vertamus, & sacram sacri viri narrationem incipiamus. Sacra igitur proles Arvernorum nobilioribus progenita, patre scilicet MAURICIO, matre RAINGARDE, honestissimis secundum sæculum parentibus processit ad ortum. Mater autem ejus, cum quodam tempore beato HUGONI abbati devote occurrisset, ipso ipsius germinis onerata fœtu, homo Dei intuens illam, ait: Fructum ventris tui Deo dicatum & B. Petro donatum, domina, cognoscas. Cui illa respondit: Domine, si masculus est, fiat voluntas tua. Masculum, inquit, eum pro certo noveris esse. Natus autem puer, sicut prædixerat homo Dei, insignitus est nomine Petri. Deinde procedente tempore litteris infans a parentibus traditur, & in monasterio Celsinensi, (a) [a] sancto jubente, nutriendus recipitur. Cujus qualis fuerit infantia, quantaque affiduitas legendi seu discendi postea rei probavit eventus. Nam ad tantam scientiæ plenitudinem, Dei gratia, in brevi evectus est, quod in ipsa juventutis adolescentia in Viziliacensi (b) [b] monasterio seniorum doctor & custos ordinis constitutus est. Quod cum strenue & religiose tenuisset, & novellam plantationem secundum formam religionis sacri eloquii imbre ad plenum irrigasset, promotus est in priorem de Domina, (c) [c] in quo non est oblitus scientiam & disciplinam, sed magis & magis in Deum proficiens, in annis juvenilibus assidue meditabatur, quod postea in senectute devotus impleret. Lectioni & orationi vacabat, & ita sapientiæ splendore fulgebat, ut amabilis omnibus videretur. Suavis eloquio, decorus aspectu, sermone admirabilis, facundia insuperabilis, benignitate singularis, misericordiæ visceribus affluens, universis compatiebatur. Caritate ineffabilis, gratia inæstimabilis, propria bonitate communis omnibus efficiebatur. Quid ergo? Transiit pater HUGO ex hoc mundo ad Patrem, & electus est PONTIUS in abbatem, qui quatuordecim fere annis Cluniacensibus prælatus, postea quibusdam simultatibus exortis, Romam se contulit, & ibi sua voluntate, summo pontifice renitente, abbatiam dimisit. Post quem electus est HUGO prior de Marciniaco, sed infra breve tempus mortuus est. Tunc Cluniacenses congregati in unum preces Domino fundebant, ut eis Deus talem pastorem concederet, qui exemplo & doctrina prodesse posset. Peracto itaque jejunio, & gratia Sancti Spiritus invocata, de electione tractabant: sed quem Deus præviderat non inveniebant. Convenientibus autem episcopis, abbatibus, prioribus ad electionem patris, venit & ipse PETRUS ex more cum aliis, & qui prius pia contentione pro electione contendebant, illo viso, uno sensu, pari voto, pio desiderio, omnes unanimiter in eum conveniunt. Fit una vox omnium pariter clamantium Petrum esse dignum tanto honore, utpote cui nihil desit in ulla gratia. Hic, inquiunt, nobilis genere, adornatus moribus, fide devotus, religione purus, humilis & quietus, sapientia splendidus, disciplinæ subditus, & per omnia ab ineunte ætate regulariter instructus. Quid moror? Surgunt, irruunt, rapiunt illum, & secundum mandatum regulæ omnia faciunt. Consuetis laudibus virum prosequuntur, ducunt ad sedem, & sic ab omnibus domnus & abbas (d) cum gaudio vocatur. [d]

Eligitur abbas Cluniacensis.

Qualis fuerit in claustro.

2. Quomodo vero in abbatiæ regimine se habuerit, & illi noverunt qui ei religionis gratia adhærebant, & nos aliquatenus aperiemus. Nec enim ad omnia illius facta potuimus attingere, sed quædam breviter quæ relatione digna sunt, ædificationis gratia volumus enarrare. Igitur abbas PETRUS ceteris prælatus, humilitati studebat & compunctioni, se magis judicans, quam alios reprehendere quærens: erat vultu placidus, circa fratres benigne providus, erga infirmos pie sollicitus, ne quis esset in domo Domini qui negligenter tractaretur. Ammonebat subQualis erga fratres suos abbas extiterit.

(a) Gallice *Souvilanges*, quod Petrus lib. 1. Mirac. cap. 6. vocat nobile monasterium. Extat in diœcesi Claromontana, estque unus ex quatuor primariis Cluniacensis monasterii prioratibus.

(b) Vizeliacum insigne est in diœcesi Æduensi monasterium, cui postea præfuit Pontius Petri Venerabilis frater.

(c) Gallice *Domaine*, haud ignobilis cella Cluniaci in diœcesi Gratianopolitana.

(d) Id contigit anno 1122. & quidem in festo Assumionis, ut ipse refert in libro 2. Miracul. cap. 12.

ditos, ut puritati ſtuderent, & per confeſſionem ſemetipſos purificarent. In hac arte pater ſingularis erat, & univerſos pietatis dulcedine ſuperabat. Dicebat enim ſecundam donum hoc in eccleſia Dei eſſe confeſſionis bonum, quo quaſi baptiſmate ſacro omnis anima ſanctificaretur. Denique hanc habebat gratiam, ut quicumque ei confeſſus fuiſſet, illum ſingulari prærogativa diligeret, & familiarius amplecteretur & foveret. Unde fiebat contra aliorum prælatorum conſuetudinem, ut omnes ſummo deſiderio & amore illi confiteri ſemper optarent, qui noverat & ſua & aliorum exhortationis & conſolationis medicamine curare & ſanare, non detegere aut publicare. Miſericordiæ operibus ſic inhiabat, ut nullus unquam ab illius ope repulſus ſit. Subveniebat oppreſſis, veſtiebat nudos, famelicos reficiebat. Habebat autem proprios pauperes, quibus alimenta & veſtes ſemper donabat. Sed & domos leproſorum ſurtim quaſi ab alio fierent, ne ſibi adſcriberetur, faciebat. Fratribus vero ita communis erat, quod ſua petentibus ex toto communicabat. Quadam enim die, cum monachus quidam frigore algeret, & hoc ei inſinuatum fuiſſet, contriſtari cœpit, quia quod daret non inveniebat. Nocte autem eadem cum eſſet in choro, de fratre nudo cogitabat, quomodo cum veſtiret. Tunc ſignis extra chorum eum vocavit, & clam exuens pelliciam, illum veſtivit. Hoc non ſolum fratribus, ſed etiam peregrinis & pauperibus impendebat: ita ſeipſum denudans, ut aliquando & ipſe veſtibus egeret. Et quia corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt, pietas autem ad omnia, circa cultum divinum ita invigilabat, quod nullus ei ſimilis inveniebatur in officio pietatis. Ita enim in divinis ſolemnis erat, & ſolemniter ſolemnizabat officiis, ut gratus inde fieret angelis & hominibus, & omnium affectus in ſe provocaret, ſecumque traheret circa divina. Hoc enim ſuper omnia in hoc exilio bonum ei videbatur, ut Deus in ſanctis ſuis ſolemnizando glorificaretur.

3. De caritate fraternitatis quam affectu & effectu prædicabat, & prædicando magis actu docebat, non eſt meum dicere per ſingula. Diligebat namque fratres intimo cordis fervore, & unumquemque quaſi ſeipſum ſic nutriebat & incitabat ad amorem divinum. Nullum ſpernebat vel pellebat, ſed ex toto omnes verbis & actibus amore divino invitabat ad veniam. Quia quicumque vere diligit, propriæ conſcientiæ gratia ſublimatur. Fervebat deſiderio, ardebat amore, & mundum animi conſtantia deſpiciebat. Præſentia nihil eſſe dicebat, de futuris omnes glorificandos aſſerebat bonis. Docebat etiam illum qui cœleſtibus vellet inhiare deliciis, numquam poſſe iſta infima animo appetere. Hic autem in populo Dei mitiſſimus apparuit, & divinæ legis ſagaciſſimus inveſtigator extitit: adeo ut ſtudio lectionis ſanctæ ſuis ſibique extraneus redderetur, & ſacris libris totum ſe dedicans, hauriebat de fontibus Salvatoris, quod poſtea gratis effunderet. Habebat circa ſe doctores, a quibus diſcere quærendo ſemper cupiebat, cum ipſe mirabilis in ſcientia ab omnibus haberetur. Non elevabatur, nec ſe magnum faciebat; ſed quaſi puer parvulus divina ſcrutando, votis omnibus aſſidue diſcere præoptabat. Docebat ſuos pater benignus humilitatem, patientiam, bonitatem, manſuetudinem, & ut cum timore & cum tremore ſuam conſcientiam in puritate cuſtodirent, pietatis gratiam per omnia præferentes, ſicut boni filii multiformis gratiæ Dei. Quantam etiam circa exteriora ſollicitudinem adhibuerit, ex his quæ ſuo labore monaſterio provenerunt perſpicuum eſt. Vehementi enim diligentia eccleſiam non ſolum ædificavit, ſed etiam mire pretioſis ornamentis adornavit, terras ampliavit, & ea quæ neceſſaria fratribus diverſis temporibus erant, ita prudenter ordinavit, ut ſingulis menſibus, unuſquiſque de domo ſibi credita patribus miniſtraret, quatenus hac ordinatione conventus ſemper in pace maneret. Hoc autem faciebat fratrum quieti providens, ne aliquando penuriam paterentur. In his vero cum eſſet animus intentus, nec minus interiora curabat, ſed ferventi mente fervorem ordinis requirebat. Hinc eſt quod multa ſuperflua de clauſtro abſtulit, & ea quæ religioni congruebant inſeruit; prohibuit minus utilia, honeſtatem & utilitatem eccleſiæ in omnibus & per omnia ſemper inquirens.

Sacræ lectionis fructus.

Circa exteriora etiam ſollicitus.

4. Hunc imperatores, reges & principes orbis pio affectu amabant, venerabantur, & colebant, & quaſi patri & domino adhærebant. Hunc Romana eccleſia ſpeciali prærogativa honorabat, amplectebatur & diligebat. Hic enim contra omnes hæreſes & ſciſſuras eccleſiæ ſe murum opponebat, & fidei hoſtes viriliter oppugnabat. Quod mirabiliter claruit tempore ſchiſmatis, quod fuit inter INNOCENTIUM & PETRUM LEONIS. Cum enim tota eccleſia tali modo deperiret, & diverſi diverſa ſentirent, PETRUSQUE monachus (a) ſuus Romæ ſederet, contra ſpem omnium INNOCENTIO per mare venienti feſtive occurrit, & ſine conſilio Gallicanæ eccleſiæ, datis ſufficienter equitaturis, Cluniacum ſecum adduxit. Quod reges terræ audientes, mirati ſunt quomodo monachum ſuum in ſede poſitum relinqueret,

Innocentio II. eorumque Cluniacum adducit.

(a) Hinc patet Petrum Leonis monachum fuiſſe Cluniacenſem. Hunc Paſchalis papa II. diaconum ſanctorum Coſmæ & Damiani cardinalem creavit. Anno 1124. legati ſedis apoſtolicæ munere fungebatur in Gallia una cum Gregorio, cum quo tunc de papatu decertabat, ut ſupra vidimus in vita S. Stephani Grandimontenſis.

& extraneum exaltaret: quem tam ſolemniter ſuſcepit, ut orbi univerſo nota fieret ejus ſuſceptio. Nam ad conſecrationem eccleſiæ quam ipſe ædificaverat, cum humiliter invitavit, & ut benedictionem compleret obtinuit. Quod cum Gallicana eccleſia cognoviſſet, ſtatim in occurſum papæ ruunt, & cum ſicut patrem venerantur & colunt. Congregat rex concilium, prædicat factum PETRI abbatis, dicit impoſſibile eſſe tantis initiis contraire. Ducit eum pater ad curiam regis, & convocatis cum principibus eccleſiæ prælatis, ſuſcipit rex paſtorem ſuum ſolemni gloria, & ut omnes ſuſcipiant, abbatemque Cluniacenſem ſequantur præcipit. Auditum eſt hoc verbum in toto terrarum orbe, & quod abbas PETRUS fecerat univerſi mirantur. Hoc rex Anglorum HENRICUS, hoc [a] reges Hiſpaniarum, hoc HENRICUS (a) imperator Alemannorum ſequentes ducem fecerunt, & ad unitatem hac occaſione redierunt. Pater autem elevato Eccleſiæ paſtori devote adhærebat, & illum quocumque ibat proſequebatur, ne quis aliqua occaſione ab unitate deficeret. Nam uſque ad Urbem cum ipſo perrexit, & eum in pace, mortuo antipapa, in ſede collocavit.

Ejus ſcripta. 5. Tempore iſto diverſorum hæreſes in eccleſia pullularunt, & ſua perverſitate totum eccleſiæ ſtatum maculaverunt. Quod videns pater beatus, totis niſibus aſſurgens, contra omnes verbis & ſcriptis agere cœpit, & omnes auctoritate ſcripturarum ſuperavit. [b] Cujus libri (b) contra eos facti qui tali vitio laborabant; & illos convincunt, & nobis doctrinæ ſcientiam miniſtrant. Fecit etiam librum contra ſectam Mahumet, & omnes ejus adinventiones mirabili diſputatione deſtruxit. Sed & epiſtolæ ejus ad diverſas eccleſiæ perſonas, legentibus pluriſtum conferunt. Librum quem de diverſis revelationibus ſive viſionibus edidit, quantæ puritatis fuerit vel utilitatis, qui legit intelligat. Sed & alia diverſa opuſcula ex ipſius ſcriptis apud nos ſunt, ex quibus omnibus quantæ ſubtilitatis & ſapientiæ pater extiterit, lector colligere poteſt.

Virginum monaſterium conſtituit. 6. Inter cetera etiam mira & mirabilia quæ fecit homo Dei, hoc extat pretioſum, monaſterium ſcilicet Virginum, quod ipſe [c] conſtituit, & Lavenna (c) dicitur, quod hodie tantæ religionis & honeſtatis eſt, quod omnibus in Arvernia ſanctitatis gratia præferunt. Nam nihil commune habent Deo dicatæ ſanctimoniales illæ cum mundo, niſi quod vivunt. Servant enim paternam inſtitutionem, & ab omni aſpectu hominum remotæ, caſtum Deo templum conſervant.

Ejus mirac. 7. Nunc itaque redeamus ad illa deſcri-

benda quæ mortales deſiderant, ſigna & miracula quæ per eum Deus operatus eſt. Non enim Deus Cluniacum reliquit; ſed adhuc magnificat eos qui ei adhærent in veritate. Nam quodam tempore, cum cellas ſuas vir Dei viſitaret, Ruolium (d) venimus, & ibi [d] ſolemniter humili devotione a filiis ſuis ſuſceptus eſt. Eadem nocte prior ejuſdem domus uſque ad mortem infirmatus eſt, & cum graviter vexaretur, patrem vocavit, ei mentis & corporis vulnera denudare cœpit. Sed ut eſt mos animi infirmi, quoddam peccatum pro verecundia reticuit. Pater tamen ab his quæ audierat, & ab omnibus aliis Sancti Spiritus auctoritate eum abſolvit. Sed cum languor graviter ingraveſceret, media nocte cœpit nimium debilitari, & ſic ad extrema deduci. Signum morientium pulſatur, currunt omnes, & pater cum aliis, & cum ſignis eum mortuum pronuntiaſſent, pater tempora tangens adeſſe vitam deſignavit. Raptus enim fuerat ad judicium, & ei inſiſtebat turba dæmonum eum fortiter accuſantium, & excusantium quia hæc & hæc fecit, & merito debet nobiſcum reputari; cumque angelus ejus reſponderet pro illo, & diceret non eſſe ita: abbati enim ſuo confeſſus eſt. Illi magis ac magis invaleſcebant illud crimen quod tacuerat crudeliter inferentes. Tunc mater Salvatoris domina noſtra Virgo MARIA cum multitudine angelorum ſuperveniens: Quid, ait, ſpiritus maligni, ſervum meum fatigare nitimini? Nondum venit hora ejus. Redeat & patri ſuo confiteatur, & ſic veniat ad nos. Tunc malignorum turma diffugiente, infirmus nobis videntibus ad ſe rediit; & qui ante mortuus putabatur, patrem quærere cœpit. Apertis enim oculis cunctis mirantibus fortiter clamabat: Ubi domnus abbas? Illo vero cathedra ſurgente, infirmus aſſurrexit, & nobis recedentibus hanc viſionem ei enarravit. Poſt modicum pater ad nos rediens, tantis fletibus afficiebatur, quod nullus noſtrum ad eum accedere audebat. Reſumto autem aliquantulum ſpiritu: Filioli, inquit, quanta eſt miſericordia Dei circa nos, & nemo noſtrum cognoſcit? Frater noſter non ſolum nobis, ſed etiam Deo redditus eſt. Sequenti die quia eccleſia illa in qua hoc factum fuerat, in honore B. Virginis MARIÆ conſecrata tenebatur, juſſit pater ſibi altare parari, ut gratias referret matri & Filio ejus ſuper his quæ contulerat illi. Paravit ſe illo ſuo more ſingulari, & celebravit divina nimis ſolemniter, ita ut univerſi mirarentur. Poſt infirmum viſitat, abſolvit, benedicit, oſculatur; & ſic eum Chriſto JESU & ejus matri commendat. Receſſimus, & ecce tertia die mortuus nun-

(a) Immo Lotharius qui Henrico ſucceſſerat ab anno 1125.

(b) Præter libros quos adverſus Judæos & eos qui dicunt Chriſtum in evangelio numquam ſe Deum dixiſſe, ſcripſit adverſus Petrobruſianos.

(c) Situm eſt in diœceſi Claromontana.

(d) Ruolium ſeu Ruelium, Gallice *Rueil*, cella prioratui Caritatis immediate ſubjecta, extat in Bria haud procul a Jotrenſi abbatia in diœceſi Meldenſi.

tiatur. Tunc pater graviter ferens quod defuerat, totus in lacrymis resolutus, & projiciens se ante altare, amare flebat. Deinde signa pulsantur, & omnia quæ ad officium pertinent pro illo complentur. Quibus peractis, senior ait: Orємus, fratres, & hoc attente & sollicite, pro fratre nostro: quia licet inter prædestinatos reputetur, tamen indiget auxilio vestro. Venimus Cluniacum, & ibi pater in capitulo iterum de fratre mortuo incipit sermonem plenum compunctione, plenum lacrymis, plenum devotione. In primis dicit quam devote eum susceperit, quomodo infirmatus, quomodo confessus sit, quomodo id quod sibi verecundiam inferebat reticuit, quomodo raptus, quomodo accusatus, quomodo excusatus, quomodo superveniens mater misericordiæ eum de manibus malignorum eripuit, vitæ reddidit, & ut peccatum quod tacuerat confiteretur ammonuit. Iterum luctus, iterum lacrymæ a paternis oculis fluunt, & audientes ad consimilia invitant. Videtote, ait, fratres, quanta sit gratia Dei, quanta virtus confessionis, quæ dæmones fugat, Virginem invitat ad succurrendum? Frater occasione confessionis salvatus est, & nobis exemplum dedit confitendi, & ut pure confiteamur hoc facto nos ammonet. Orємus itaque pro illo attentius, & caritatis visceribus ei compatiamur, pietatis beneficia ei impendendo. His dictis, post modicum frater præfatus patri apparuit, & quod ab omni pœna fratrum orationibus absolutus esset revelavit.

De quodam novitio tentato.

8. Aliud factum est in Cluniaco, quod relatione mihi dignum videtur. Frater quidam erat in monasterio, qui diversis cogitationibus agitabatur, & omnis ejus cogitatio in hoc erat, ut de monasterio exiret. Hic quadam die cum secum loqueretur, & usquequaque turbaretur, apparuerunt ei tres monachi in cella novitiorum, quorum unus ita allocutus est eum: Frater, quid habes? quid cogitas? quid ita turbaris? Qui ait: Domine, in hoc monasterio nimis affligor, & tormenta ordinis pati non possum, & ideo exire desidero. Tunc ille ait: Ego sum abbas de Crypta-ferrata, & si vis deferam te mecum. Volo, domine, opto, desidero. Tunc ille qui putabatur monachus & erat diabolus, assumsit eum, & supra muros & domos deferens, cum supra curiam cujusdam burgensis transiret, multis clamantibus, illum dimisit. Tunc adductus est ad virum Dei, & rem ex ordine confessus est. Quem servus Dei leniter demulcens, & spirituali consolatione eum deliniens, secum detinuit ita dicens: Gratias Deo, fili, quia non potuit pars adversa perficere quod voluit, & a cogitationibus tuis deceptus, redditus es sanitati. Qui ita ex toto postea sanatus est, non solum a tentatione, sed ab inimici impulsione. Multis vixit annis, gratias Deo referens de visitatione cœlesti quam sibi contulerat divina bonitas. Iste Stephanus nomine in Podio civis ditissimus fuit, ita ut etiam super nummos lectum faceret. Sed contemtis omnibus, Cluniacum se contulit, & habitum religionis assumsit. Sed ille qui tentat humani generis deceptor, eorum quæ dimiserat fantasiam ante oculos ponens, in tantam induxit tentationem, ut propria invasione illum secum ad mortem ferre conaretur.

De fratre apud quemdam monte inventi sunt tres oboli.

9. Nunc itaque, quia Cluniaci sumus, quod factum est in Cluniaco iterum dicamus. Erat quidam frater ptificus, qui eadem infirmitate ductus est ad mortem: qui dum lavaretur, invenerunt tres obolos circa ipsum qui eum lavabant, & stupefacti causam retulerunt priori. Qui convocatis omnibus, quæsivit si cui de hoc confessus fuisset, quod cum ab omnibus comperisset non esse factum, doluit, & accepto consilio, post beatum abbatem qui Virziliaci erat miserunt, consulentes de monacho quid faciendum foret. Qui præcepit ut extra omnem hominum habitationem projiceretur, & absque benedictione & religionis officio sepeliretur. At illi ponentes eum in dolio, extra castra projecerunt. Post multum vero temporis priori claustrali nomine Hugoni in visione apparens precabatur, ut sui misereretur, & domino abbati insinuaret quatenus ei servorum Dei sepulturam concederet, quia sic veniam a Domino consequi posset. Quod cum ille diu dissimularet, aliis duobus apparuit, hoc ipsum quod dictum est assidue repetens. Illi vero tres cum assidua ejus infestatione diu fatigarentur, patri revelaverunt, & ut fratri mortuo veniam concederet precabantur. At ille timens ne illusio esset, factum distulit. Mortuus autem magis ac magis insistens, nocte ac die eis visibiliter apparens, lamentabiliter querimoniam faciebat quod ei non misererentur. Denique cum pater nullo modo a sua intentione propter severitatem ordinis flecteretur, tandem Domini Jesu litteras defunctus priori detulit, ut patri & conventui eas ostenderet. Erat autem scriptum monachum veniam debere consequi, qui nullo alio delicto reus tenebatur. Tunc gaudium factum est & lætitia in tabernaculis justorum, & jubente patre, illi tres cum aliis festinanter currunt ad locum ubi jacebat, & eum ut erat ad ecclesiam detulerunt, fractoque dolio, eum ut prima die posuerant integrum invenerunt. Mirantibus autem cunctis de miraculo quod acciderat, in ecclesia posuerunt, & consuetis laudibus illum prosequentes, ut mos est Cluniacensibus sepelire, honoraverunt.

De quodam monacho Celsinensi qui peccatum in confessione celaverat.

10. Tempore quodam cum pater esset apud Celsinias, ubi nutritus fuerat, contulit ei Deus quod minime prætereundum est. Frater quidam in infirmaria circa mortem laborabat, & ut insanus fortiter clamabat:

Morior, morior, morior. Tunc fratres ad eum concurrentes, quærebant ab eo qua de causa sic clamaret. At ille miserabiliter dixit eis, quod cujusdam equi nigri calcibus conculcabatur, ita quod nullo modo faciem suam ab eo posset abscondere. Qui statim ad patrem currentes, nuntiaverunt verbum. At ille infirmum visitans, quærit ab eo quid haberet, quod sic fatigaretur: Domine, inquit, sub pedibus teneor equi nigri qui me devorare conatur. At pater signum crucis faciens, & aqua benedicta eum aspergens, consolabatur infirmum; sed ille non minus oppressione diabolica carebat. Tunc pater toto spiritu concepto, ab illo inquirebat, si veram fecisset confessionem: quam ille fecisse se affirmavit. Nequaquam, pater ait, Si enim vere confessus fuisses, nullo modo maligno subjectus esses. Tunc pius pastor ovi sub lupo vaganti pie subsistens diligenter quærebat, ut quæ commiserat vere confiteretur, & cum ille silentium teneret, & quod quærebatur non aperiret, pater de singulis criminibus ei faciens quæstionem, venit ad illud quod occultaverat. Quod infirmus audiens in lacrymas est resolutus, & patri investiganti totum quod fecerat confessus est. Facta autem confessione, statim equus ille niger latrinas cursu velocissimo petiit, & infirmum reliquit, patris præsentiam ferre non sustinens. Quod infirmus videns, gaudio repletus clamare cœpit: Pater, » recedit equus, recedit diabolus, petit latri- » nas, & jam non video illum. Pater autem statim sacrosanctis mysteriis eum jussit muniri, & sic accepta benedictione recessit in pace.

Lampas jam illum cadens non frangitur.

11. Eo tempore, cum pater ibi moraretur, accidit ei quod non est silentio tegendum. Nam cum quadam die suâ illa felici consuetudine divina celebrasset, & post celebrationem ante sanctum altare prostratus ad orationem jacuisset, subito lampas quæ super pendebat, juxta illum decidit, & ipso nesciente, nec fracturam incurrit, nec olei effusionem. Quod videns magister Thomas ejus capellanus, & Petrus de S. Johanne, qui cum eo remanserant, ad alios cucurrerunt, & eis quod factum fuerat miraculum ostenderunt. Pater vero nec quando cecidit, nec quando sublatum est vas agnovit: ita erat intentus orationi.

De muliere pauperrima.

12. Cum autem de eadem domo egrederetur, obviam habuit in porta mulierem pauperrimam, quæ eleemosynam sibi dari petebat. Quam ut vir Dei conspexit, paulatim subsistit, & Bernardum famulum suum, qui in talibus specialiter ei familiarius adhærebat, ad se vocari jussit, & ut pelliciam suam peroptimam pauperi daret, secretius imperavit. Quod cunctis caritatem viri mirantibus, licet occulte fieri voluerit, celebre factum apparuit. Nec mirum alicui videatur, quod inter miracula opus misericordiæ interseruimus, cum ei dictum sit & desuperius revelatum, Misericordia salvabit te.

Henricum I. Anglorum regem a tormentis liberat.

13. De rege Anglorum HENRICO seniore multis notum est quanta bona Cluniaco contulerit. Hic ad ultimam hominum conditionem deductus, viam universæ carnis ingressus est, & quia potentes potenter tormenta patiuntur, tormentis severioribus addictus est. Contigit autem quadam die, ut cuidam militi suo quondam idem rex quasi vivus super equum nigrum cum magna multitudine secum equitantium obviaret. Quem ut miles vidit, obstupuit, & magna voce clamare cœpit: Nonne tu es dominus meus « rex? Ego, inquit, sum. Nonne mortuus es? « Vere, inquit, mortuus, & morti æternæ de- « putatus fuissem, nisi dominus PETRUS abbas « Cluniacensis cum suis subvenisset; sed quia « adhuc ejus auxilio indigeo, per fidem quam « dum in sæculo viverem mihi debebas, te « conjuro, ut quantocius ad fratres, qui in « monasterio sancti Pancratii (a) habitant, cur- « ras, & quid vidisti a me ex parte mea eis « dicas, quatenus amico meo patri suo Clu- « niacensi abbati ista per litteras designent, & « ut mei memor sit, & a beneficio non cesset, « donec me audiat sibi gratias referentem, de- « precentur. Quod ita factum est. Pater vero « hæc audiens, & totis viribus ut subveniret assurgens, eleemosynas, missas, tricenaria, & cetera bona quibus peccatores solent juvari, jussit per totum orbem in suis dominibus pro rege augmentari, quoad usque diceret, sufficit. Factum est hoc quoadusque idem rex patri & aliis multis apparuit, gratias referens de liberatione sua.

Discipulum quartana febre liberat.

14. Tempore alio cum pater Romæ esset, & pro diversis causis ibidem moraretur, unaque præcipue peracta de Vizeliacensi ecclesia, dixit ad suos: Quis ex nobis Cluniacum deferet quod in curia domini papæ ex jure obtinuimus. Tunc omnes acclamaverunt Ademarum sacristam dignum esse qui hac legatione fungeretur. Quod ille audiens, respondit: Nequaquam hoc negotium implere valeo, quia quartanam assidue patior. Tunc abbas: Auctoritate, inquit, sanctæ Trinitatis, & virtute obedientiæ tibi præcipio, ut Cluniacum absque omni dolore vel tractu febrium pergas. Sacrista autem patris obedientiam libenter amplectens, Cluniacum pervenit, & quod Viziliaco pater obtinuisset auctoritate Romanæ ecclesiæ demonstravit. Tunc cunctis gaudentibus cœpit haberi consilium, quis litteras domini papæ Viziliacum debeat ferre. Cum vero omnes asserent illum qui ab Urbe sanus & incolumis virtute obedientiæ rediisset, & omnia vidisset

[a]

(a) Cella olim insignis in diœcesi Cicestrensi a Cluniaco dependens.

& audiſſet, ire debere, ille conſenſit, & pro voluntate ſeniorum pergere cœpit. Tunc mirum in modum febris quæ per tot intervalla locorum eum reliquerat, ut portam egreſſus eſt, eum invaſit, & domum redire coëgit, & ſic virtus obedientiæ comprobata eſt in infirmitate naturæ. Qui audit, intelligat.

Monachum Cari-loci ex revelatione cognoſcit veneno mortuum.

15. Præterea cum eſſet in Urbe pater, accidit ei miraculum relatione dignißimum. Erat quidam monachus genere nobilis, religione præcipuus, officio prior Cari-loci, *(a)* nomine Willelmus de Roenna, contra quem invidia diaboli quidam exarſerant: ita ut eorum malitia ei per quemdam venenum pararet, & hac factione vitam finiret. Eadem vero nocte & hora qua occiſus eſt, apparuit patri ſedenti in lecto ſuo poſt completorium, & ſicut ſolebat religioſe & devote patrem ſalutavit, & quid acciditſſet in toto indicavit. Quod homo Dei audiens, mirabiliter contriſtatus eſt. Cauſam tamen diligenter inveſtigabat, & quomodo & a quo tantum ſcelus perpetratum fuiſſet, inquirebat. Explorabat etiam ſi confeſſus fuiſſet, ſi eſſet abſque pœna, ſi communionem ſuſcepiſſet. Cui ille reſpondit: Quia injuſte occiſus ſum, ſine pœna ſum. Ut autem abſolutionem & communionem ſuſcipiam ad vos miſſus ſum. Hæc omnia cum pater audiſſet, eum ſicut mortuum abſolvit, & ille accepta abſolutione receſſit. Tunc pater excitatis fratribus, indicavit eis quod viderat & audierat, & ſtatim curſorem mittens ad locum Cari-loci, juſſit inquirere de die, de hora, qua mortuus ei apparuit, & ſi vere mortuus eſſet. Quod & ita omnia eveniſſe, ut patri revelatum fuerat, nuncius invenit, & ad eum veraci relatione detulit. Illum autem qui hujus maleficii auctor fuerat, pater excommunicavit, & a corpore Cluniacenſis eccleſiæ in perpetuum ſeparavit.

[a] Willelmus de Roenna

Ejus meritis ruſticus ſerpentem evomit.

16. Tempore quo vir beatus ab Hiſpaniis remeabat, cum in Podio ſolemniter curiam celebraret, & inter perſonas eccleſiaſticas maximum præ ceteris locum obtineret, venit ad eum quidam monachus, nomine Jordanus, de monaſterio S. Fidis de Conchis, qui in Anicienſi epiſcopatu prioratum tenebat in oppido *Ebais*, conſilium quærens ſuper morbo quod acciderat cuidam ruſtico ſuo. Dicebat enim ruſticus ſerpentem corpus ſuum intraſſe, & hac occaſione ſe aſſidue torqueri, & per ſingula momenta proximum morti fieri. Quod vir Dei audiens, multum condoluit, & tota mente Spiritum-ſanctum concipiens, intimo cordis affectu »ſuſpirare cœpit. Frater, inquit, hæc noſtra »non ſunt, ſed ſanctorum Dei. Tamen quia »omnia poſſibilia ſunt credenti, ſi fidem ha»beat homo, potens eſt divina bonitas con-

[a] Cella eſt in territorio Matiſconenſi a Roberto Valentinenſi epiſcopo & Eduardo ejus germano fundata.

A ferre conſilium periclitanti. Quapropter ſum« mo diluculo venias tu ſolus cum ſolo, & « ubi nos videbis ad divina celebranda intrare, « illic & tu fideliter ſequaris. At ille hoc au « diens, cum magna lætitia ad hoſpitium receſſit, & ſummo mane ante lucem rediens, ante oſtium patris cum miſero excubabat, donec egrederetur. Pater autem piæ promiſſionis non immemor, cum duobus monachis, Petro de S. Johanne & magiſtro Thoma, ante lucem ſurrexit, & ad oratorium ſancti Maioli, ut ibi divina celebraret, perrexit. B Celebravit autem miſſam de Aſcenſione, & illum qui torquebatur fecit adeſſe. Cum vero evangelium legeretur, & ad illum locum veniretur, ubi dicitur, *Serpentes tollent*, naiſer os aperuit, & ſerpens caput emiſit, quem pater manu accipiens, & a corpore hominis extrahens, cunctis qui aderant ſtupentibus, in medium projecit. Homo vero corruens, fere ſpiritum præ anguſtia exhalavit: quem pater, dum divina celebraret, cooperiri juſſit. Miſſæ completa ſolemnitate, ad infirmum acceſſit, & propria manu illum a terra elC vans, ut peccata ſua confiteretur imperavit. Facta confeſſione, lavit homo aqua & vino os ſuum, & ſic ſacroſanctis myſteriis communicans, incolumis remeavit ad propria. Tunc pater omnes qui aderant ſuper ſacroſancta evangelia jurare coëgit, ne alicui hoc factum dicerent, dum viveret. Ipſe audita autem morte ipſius, Jordanus monachus miraculum, ut factum fuerat, in capitulo ſanctæ Fidis publice revelavit, & multis aliis hoc factum fuiſſe pro certo affirmavit.

De ipſius patris reditu.

17. Hæc breviter dicta ſunt de miraculis patris noſtri, non quod multa non eſſent D dicenda; ſed nolumus onerare audientes, quia ad alia properamus. Nam iſte vir de nobili ſchemate & honeſto ortus, antiquitate parentum declaratum eſt quantus & qualis fuerit in populo Dei. Denique proavus ejus revelatione divina eccleſiam S. Michaëlis de Cluſa ædificavit; mater vero numeroſo filiorum germine gaudens, Marciniacum ſe contulit, & ibi in ſanctimonia vitam finivit. Pater vero ejus in monaſterio Celſinienſi ſepultus eſt. Fratres ejus quatuor eccleſiaſtici & duo laici fuere, Jordanus abbas Caſæ-Dei, Poncius abbas Viziliaci, Armannus abbas E Magni-loci, Heracleus præpoſitus eccleſiæ Brivatenſis, duo milites Diſſutus & Euſtachius, quorum nobilitas & honeſtas toti Arverniæ nota fuit. Quid ad nos de genere? Redeamus ad patrem. Hic enim per xxx. annos, ut mihi & aliis multis revelaverat, die Nativitatis Domini finem ſibi evenire exorabat. Unde ad ſanctos Cartuſiæ quos nimio affectu diligebat, ſemel in anno pergebat, & obnixe precabatur, quatenus pro ſuo deſiderio Altiſſimum exorarent, ut compleretur tempore certo. Cum autem illi dicerent: Pater, indica nobis quæ ſit petitio tua,

ut

ut certius inde valeamus ipsum quem petis orare, ipse nolebat aperire; sed tantummodo dicebat: Si servi estis Altissimi, pro confratre vestro orate, ut desiderium meum Deus perficiat. Cum autem homo Dei ex hoc mundo transisset ad Patrem, Cartusienses Cluniacensibus pro desiderio viri Dei epistolam direxerunt, & quia consummatum A fuerat quod tamdiu desideraverat, evidentibus indiciis declaraverunt. Hic pacis amator in die pacis pacem obtinuit in gloria Dei. Hæc breviter de beato patre nostro dicta sunt, quia audientibus fastidium inferre nolumus, & ideo plurima prudentioribus scribenda relinquimus.

Explicit.

VITA MARGARITÆ BURGUNDÆ GUIDONIS DELPHINI COMITIS ALBONI CONJUGIS,

SCRIPTA A GUILLELMO CANONICO GRATIANOPOLITANO.

Ex ms. beatæ Mariæ de Haiis.

ADMONITIO PRÆVIA.

Celeberrimum in diœcesi Gratianopolitana habetur Virginum monasterium ordinis Cisterciensis, beatæ Mariæ de Haiis vulgo nuncupatum, quod duabus ab urbe leucis distans fundavit ac dotavit sæculo XII. *Marquisa seu Margarita, Stephani Burgundiæ comitis filia & Guigonis Delphini conjux illustris. Hac velo atque habitu monastico prius accepto, in illius parthenonis capitulo sepeliri voluit. Tantæ fundatricis vitam eleganti pro tempore stilo conscripsit Guillelmus canonicus Gratianopolitanus, atque devotis apud Haias Deo famulantibus sanctimonialibus dicavit: quam ex eodem parthenone acceptam hic exhibemus, dignam plane publica luce, utpote quæ ad illustrandam non solum Dalphinatus, sed ecclesiasticam etiam & monasticam ecclesiam conducere potest.*

Anno 1163. Auctoris præfatio.

VEnerabilibus & amplectendis in Christo sanctimonialibus apud Haias Deo devote famulantibus, Guilhermus canonicorum ecclesiæ Gratianopolitanæ inutillimus; pro virginitate purpuream, pro castitate niveam a virginum sponso promereri coronam.

1. Non immerito effrons & pudoris ignarus potero judicari, necnon temerariæ præsumtionis atque præsumtuosæ temeritatis argui, qui neque invitatus, neque voce, aut nutu aliquo provocatus, me ignotis auribus medium præcipitanter ingerere non pertimesco. Popularis etiam auræ amator fortasse videbor, & sub hac occasione scribendi, magis vestram & auditorum amicitiam, laudemque acquirere, quam vobis aliquid commodi, vel eruditionis afferre, in quo cujuscumque judicii aut obtrectationis oriatur disceptatio: nec satis curandum æstimo, dum tamen amplius appetam vobis pro- B desse quam laudari; plus ad aliquod morum ornamentum vos incitare, quam favorali aura more arundinis agitari. Cum ergo præteritarum rerum exhibitio, instantium & subsequentium sit certitudo, & nihil humano pectori sic inhæreat, quod temporis processu non evanescat, vel morte universa rapiente, morientium & eorum quæ sciebant memoria pariter pereat: quam cautelam, quam certitudinem nobis poterunt dare præterita, nisi vita fruentium atque succedentium me- C moriæ scribendo mandari curentur? Quia igitur licet undecumque proficere ac doceri, & ex iis quæ oculata fide agnoscuntur, exempla possunt percipi certiora, de vita & exitu laudabilis matris vestræ dominæ comitissæ, quæ Christo vos desponsavit, vobis, ad quas potissimum istud spectat, aliqua scribere dignum duxi: quæ licet lege viri fuerit alligata, de ipsa tamen referuntur quamplurima, quæ virginibus & universis ad summum

pudicitiæ culmen ascendere affectantibus, imitatione probantur dignissima.

Margaritæ illustris prosapia, matrimonium & liberi.

2. Hæc siquidem spectabili prosapia edita, utpote illustris & famosissimi viri STEPHANI Burgundiæ comitis filia, soror etiam excellentium virorum RAINALDI & GUILLIERMI, neptisque piæ recordationis papæ CALIXTI, ad conjugalem egregii comitis GUIGONIS Dalphini copulam fuit transducta, a magnifico principe Guigone veteri ejusdem Guigonis patre celebri donatione illustrata. Fuit autem nimio insignita decore, vultus scilicet elegantis, formæque decentis ac totius corporis miranda compositione idonea; quam in primis infœcundam & sterilem vir suus potius incuria, quam alia ductus occasione, per annos aliquos minus pleno dilexit amore: unde & factum est, quod marito eam tenuiter diligente, & socero se minus curiosum circa eamdem exhibente, plerumque ferret necessariorum inopiam, quod ita patienter atque tacite pertulit, quod vix a quoquam vel raro exinde conqueri audiretur. Inerat equidem illi ac numquam inesse destitit verecunda sobrietas, cujus pudore devicta, si quid angebat, suis etiam familiaribus fateri erubescebat: cujus freni obstaculo sese a pluribus cohibebat illicitis, & modum servare studebat. Tandem ipso eam visitante, qui Annam fœcunditate concessa lætificavit, filios ac filias peperit, viri sui ita pleniter sortita gratiam, ut eam sicut Jacob Rachelem diligeret, & tam sui quam totius comitatus compotem ad plenum efficiens, discretis ipsius fultus consiliis, in quibus provida existebat, quamplura disponeret: quem sæpius quod poterat, ab immoderatis illa compescebat excessibus; atque erga subjectos, præsertim erga pauperes, eum esse clementem propensius exorabat.

Mortuo viro suffragia apud Deum procurat.

3. Porro non post multorum annorum curriculum, dum inter ipsum & Savotiensem comitem guerra exerceretur asperrima, comes Dalphinus in prælio vulneratus, dolore vulneris coarctante, vitæ terminum posuit, illaque cum geminis filiabus & parvulo desolata remansit: quæ acerbi mœroris stimulis agitata, ita eum planxit, ut mortem videretur optare: ita eum flevit, quod fere prope ipsum æstimaretur deficere. Ad cujus animam multiplicibus beneficiis adjuvandam pietatis fervore accensa, eo in ecclesiæ Gratianopolitanæ claustro a domino bonæ memoriæ GUIGONE (a) episcopo, qui postea Viennensi ecclesiæ præsedit, venerabiliter sepulturæ mandato, eidem ecclesiæ & religiosis circumstantibus ecclesiis larga impendens beneficia, multa pauperum millia eleemosinarum recreavit largitione. Probata est insuper eamdem fidem servasse defuncto, quam integerrime servaverat ei viventi, cum indeficienter ipsius pie memor existeret; in ejusque anniversario ad ecclesiam Gratianopolitanam vicinos convocans sacerdotes & clericos, ut acceptabile Deo sacrificium pro illius offerrent requie, eisdem devote supplicaret. Copiosa quoque egenis undique congregatis eleemosina distributa, canonicos ejusdem ecclesiæ & clericos aliunde venientes, monasteriorum etiam circumadjacentium habitatores faciebat optime procurari.

[a]

(a) In serie episcoporum Gratianopolitanorum & archiepiscoporum Viennensium dicitur Hugo, ante episcopatum ordini Cartusiensi addictus.

Delphinensem comitatum quam strenue administraverit.

4. Cum ergo, comite jam defuncto, ei laboriosior cura graviorque laboris sarcina ad regimen comitatus incumberet, eum cum tantæ discretionis consilio & tranquillitatis quiete administravit, ut non feminei, sed animi per cuncta videretur virilis. Proceres etenim sui comitatus ac nobiles, quadam animi circumspectione perita, ita sibi ex debita fidelitate noverat amicabiliter obligare, ut universi ad custodiendum comitatum incolumem ejus gratia, sollicitudine fideli intenderent. Si quando autem aliqui circumstantium principum occasione aliqua emergente adversus eam arma sumere se dixissent, potius divino quam humano confidens præsidio, sacerdotum atque religiosorum implorabat suffragia, & ut sibi a Domino pacem impetrarent, exorans terrores comminantium eorum intercessionibus tamquam forti clypeo repellebat.

Prælibare ejus animi dotes.

5. Sed quando morum ejus insignia vel ad modicum potero prælibare? Congesserat enim Dei gratia in eam tot prædicandos virtutis titulos, ut nullum ei deesset ad præsentis vitæ felicitatem augendam morum instrumentum; haberet etiam ad cœlestis patriæ beatitudinem adipiscendam, evidentem notitiam ac documentum. Erat quippe in justitia districta, in prudentia circumspecta, in temperantia moderata, in laboribus fortis, in consilio sagax, in sermone verax, affabilitate insignis, clemens in subditos, continentia nitida, & universa morum honestate conspicua, erga Deum amore fervens, erga proximum non negligens, afflictis & injuriam patientibus compatiens, erga egentes caritatis visceribus affluens, in cunctis misericors, in actibus quantumcumque poterat insons; quodque omni admiratione dignum est, & a sæculis inauditum, multoque vehementius in potenti & generosa femina stupescendum, numquam injuria vel tædio affecta: sive minus decentibus verbis lacessita, cuiquam familiari aut alieno ingessisse maledictum, protulisse convitium, vel ad contumeliosa objecta quippiam opprobrii respondisse, potuit deprehendi. Turpiloquium quoque cautius evitabat, æstimans exinde os suum in dicendo, aures in audiendo pollui, numquam siquidem verbum inhonestum, aut quicquam lasciviæ redolens audiebatur

proferre. Et quia illud Apoſtoli noverat: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala*; confabulatoribus peſſimis, linguiſque detrahentibus aures quantum ſibi licuit, ſubducebat. Nulla ei cura extitit polire faciem, ora depingere, alienis capillis turritum verticem ſtruere, ſuliginata ſupercilia gerere: quod & in ceteris mulieribus vehementer deteſtabatur, quæ alienos vultus ſibi mentientes, genas peregrino rubore, ora & collum adulterato depingunt candore.

Cultus. 6. Audiant hæc quæ nubere Chriſto voluerint, ſi quando in loco ſtetiſſet, ad ſpectacula non proceſſit, nec a ſuis eſt egreſſa thalamis, niſi aut eccleſiam adiiſſet, aut eam ad alium equitare locum domeſtica cura vocaſſet. Cumque ſciret famam pudicitiæ in feminis rem eſſe teneram, & quaſi florem pulchertrimam ad levem auram cito marceſcere, levique flatu poſſe corrumpi, corpus & cor ſuum omni cuſtodia ſervabat, & corpore ac mente ſe caſtam exhibere curabat. Quapropter eos qui levitati expoſiti, adulanti lingua, impudicis alloquiis, illius clauſtra pudicitiæ infringere attentabant, non mordacibus dictis, non iracundiæ reſponſis, ſed rationabiliter & perite a ſe repellens, eadem vel ſimilia, quæ quidam poëta in perſona viduæ continentis protulit, reſpondebat:

Ille meos ſolas, qui me ſibi junxit, amores
Abſtulit; ille habeat ſecum, ſervetque ſepulchro.

Verum quia fieri nequit ut abſque morſu hominum vitæ hujus curricula quis pertranſeat, ſi rumores ſiniſtri de ipſa fuerunt aliquando ventilati, conſtat eos, ut ſequentia declarabunt, ſolo livore ab illis fuiſſe confictos atque diſſeminatos, quorum ſolatium eſt bonis detrahere, dum culpam æſtimant multitudine minui peccatorum. O admirandi & conſtantis animi feminam, quæ duplici infirmitati, carni ſcilicet atque ſexui muliebri obnoxia, inter famulantium multitudinem, inter circumſtrepentem adventantium gregem in pulchritudine ſolvit caſtitatem, quæ in medio ignis poſita flammæ ardorem illæſa evaſit. Eſt enim ſummæ vigilantiæ ac laborioſæ ſollicitudinis pene ultra naturam corpoream ſuperare libidinem, carniſque feces atque concupiſcentiæ flammas extinguere, animique virtute inclu-ſum hoſtem jugiter expugnare, & contra legem naſcendi in carne non carnaliter vivere.

Divinis quæ præcepta ſunt. 7. Unde & ipſa numquam abſque honeſto & pudico extitit capellano: contra cujus pudicitiam, nec etiam lingua maledica aliqua lacerationis famæ poterat invenire figmenta, a quo divinum horarum diei audiens officium, ut ſui officii & moris fuerat, ſingulis diebus celebrationi miſſæ intererat ſacerdotis; immo Deo per ſacerdotem quotidianam offerens oblationem. Noverat vero pſalmos legere, & orationes nonnullas, quas ſcriptas habens, dum orationis ſtudio inſiſteret, quotidie aut in eccleſia, aut in camera ſua, tam interioribus quam exterioribus oculis, relegebat. Quamobrem pſalterium pretioſum litteris aureis decoratum ab imperatrice nepte ſua ſibi tranſmiſſum ſecum faciebat indeſinenter deferri. Sane tantorum conventus bonorum in femina gratiæ munus extitit, non naturæ: deferebat equidem feminæ dum ſibi formoſa provideret pudice; commotam reprimebat dum ſervaret in poteſtate clementiam; quia ſicut nihil eſt affinitati, ita nihil in præſidente glorioſius. Sciebat nimirum eſſe culpam totam perſequi culpam, & quæcumque liceat explere: neceſſitate urgente, non voluntatis impetu inſtigante ad vindictam pertrahebatur; neminem puniebat abſque dolore.

Eccleſias protegit. 8. Porro eccleſias ſub ejus poteſtate ſtatutas, eccleſiam Gratianopolitanam præ ceteris ab inſeſtantium incurſione pro viribus deffenſabat, & earum quieti pia curioſitate intendens, religioſa loca conſtruentibus benigna ſubveniebat liberalitate. Conſueverat autem, ſuam deducens curiam in ſolemnibus feſtis, præcipue in beatæ Mariæ celebritatibus, Gratianopolim venire, tum propter ſanctuarii reverentiam, tum quia divinum ibidem plenius audiebat officium: ubi quamdiu morabatur, nullum cuiquam in expenſis inferebat gravamen; ſed ſi quippiam ab aliquo mutuaſſet, perſolvi tempeſtive & ex integro faciebat. Vos vero quos clericalis militiæ dignitas exornabat, humiliter & patienter audivit. Quos autem religioſos agnoſcebat, graranti animo ac benigno affectu honoravit, & coluit. Exhibebat inſuper omnibus communem corde & verbis dilectionis affectum, & in quantum ingenuitas, ſublimitas & potentiæ magnitudo permittebat, ſe jocundam & mitem quibuſque alloquentibus offerebat.

Virginum monaſterium fundat. 9. Cum ergo, ut præſcriptum eſt, tantis morum inſignibus, & virili induſtria fere in omnibus femineam ſupergrederetur mollitiem, omnia inutilia reputans, ſe infructuoſe credidit laborem inſumere, & quaſi otioſa Dei donum inutiliter poſſidere, niſi aliquid quod nulla poſſet delere vetuſtas efficeret; per quod diabolo recentia quotidie infligens vulnera, regnis tartareis innumerabilia inferret gravamina, regniſque cœleſtibus lucra conferens cumulata, creditori ſuo multiplices reportaret uſuras. Propterea concepit gaudium & peperit jocunditatem: concepit bonum, & inenarrabilem boni peperit ubertatem. Cogitans utique, cogitavit eſſe bonum atque jocundum habitare ſorores in unum, propter quod monaſterium illud in quo vos venerabiles Dei ancillæ ſuavi jugo Chriſto colla ſuppoſuiſtis, fundare ac ſtabilire curavit, ut unanimes habitaretis in domo

una, & esset vobis anima una & cor unum in Deo, ut unum scilicet haberetis habitum, & unum cibum, ad unum etiam ac summum inhiaretis bonum, quatenus unum ac idem consequeremini præmium. Qui enim adhærent Deo, unum corpus & unus spiritus in eis esse probatur. Ut autem cum psalmista posset dicere: *Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te*, vestrarumque orationum suffragiis, excessuum suorum a Domino indulgentiam impetraret, mirabilis structuræ monasterium fabricavit, mitæ pulchritudinis ecclesiam, claustrum idoneum, officinas admodum competentes, vosque ibidem manu propria congregavit. Præterea, ne quid vobis deesset, quominus *expeditius* curreretis ad bravium, vos ampliſſimis prædiis, largisque ditavit subsidiis, & uberibus amplificavit reditibus. Hæc utique fuit vitis illius vineæ quæ extendit palmites suos usque ad mare, quæ quod non habuit in radice manifeste ostenditur produxisse in palmite. Hæc plane arbor quæ ex fructibus suis bona esse cognoscitur, de qua multiplices rami, pullulantes virgines, viduæ, continentes, flores, producunt & fructum afferunt in patientia.

Filias in matrimonium collocavit.

10. Verum ut ad commendationem prudentiæ ac peritiæ ipsius stilus iterato vertatur, cum ejus filiæ ad nubilem deveniſſent ætatem, non absque sumtibus copiosis alteram inclyto & potenti viro Arvernensium comiti regis Franciæ consanguineo; alteram Valentinensium comiti, viro claris natalibus orto, lege matrimonii copulavit. Proinde vero cum filius ejus jam adultus, militari cingulo ab imperatore susceptο, consanguineam ipsius sibi conjugali vinculo alligasset, atque inde regrediens honorabiliter, & cum solemni processione cum uxore sua in Gratianopolitana fuisset receptus ecclesia, ipso cum matre & uxore sua, universisque principibus ac plebe, episcopales domos introgressis, nonnulli ibidem assistentium audita pia ac rationabili exhortatione matris ad filium, obstupentes admirabantur, unde illi tanta venusta eloquia & sapientia. Curam nempe atque regimen comitatus in manum illius refundens, monuit cum Deum super omnia diligere, ecclesiarum perturbatores propulsare, ecclesiasticos viros atque religiosas personas honorare ac protegere; in omnibus modum tenere, subjectos clementer regere, diligere justitiam, & iniquitatem odire. Pro eo incessanter sollicita, quotidiana & singulari prece Dominum exorabat, ut gressus actusque ipsius in voluntatis suæ beneplacito dirigeret, quatenus ad Dei reverentiam & subjectorum voluntatem comitatui præsidere valeret. Instantibus sibi guerris faciebat Deo salutares & gratissimas hostias immolari, ne vel in bello caderet, vel obitu repentino decederet. Quem nec esse iracundum, neque ad minas præcipitem, neque susurronibus aures facile inclinare materno exhortabatur affectu: quem etiam si quid nequiter, si quid immoderate contigisset patrare, lenes amaris, amaros lenibus sermones interserens, eum frequentius increpabat.

Et filium cui resignato comitatu salutaria dat monita.

Filii profectus.

11. Evoluto denique non plurium annorum curriculo, ille de quo universa spes matris suæ post Deum pendebat, investigabili Dei judicio gravi ægritudinis incommodo apud castellum Visiliæ arreptus, jamque in extremis constitutus est. Qui licet parvulam ex conjuge filiam susceperisset, in matris manum quam ad misericordiæ opera dapsilem noverat & proclivem, comitatum libere resignavit, fiducialiter credens eam sibi defuncto non deteriorem impendere partem: qui post peractam confessionem & salutiferam viatici susceptionem, incessanter Deum invocando, generale conditionis humanæ debitum exsolvit, raptus ne mutaret malitia intellectum, qui propter hæc properavit eum educere de media iniquitate, ne longo vitæ itinere deviis oberraret anfractibus. Cujus solatio mater destituta, quanto potuerit mœrore affici, quanta carnis ac spiritus angustia coarctari facile est animo advertere, sed difficillimum explicare. Flebat enim irremediabilibus lacrymis, & tamquam fletibus satiari nequiret, effecta exanimis se infortunatam vociferabatur, se numerosa annorum multitudine superstitem extitisse, mortem sui oblitam fuisse querelabatur.

Exequiæ & suffragia ei procurat.

12. Cetcrum brevi mora interposita, rationis solamine mitigans quod fore noverat tolerandum, ad se rediit, & exequiis filii propensiori cura intendens, fecit eum in Gratianopolitana ecclesia in patris sui sepulcro cum omni honorificentia tumulari. Ob cujus animæ requiem a Domino promerendam multiplicium beneficiorum medicamen conficiens, pauperibus, cœcis, debilibus plura distribuens, ecclesiam Gratianopolitanam, ac reliquas religiosas ecclesias, alias prædiis & possessionibus, alias muneribus augmentavit. Ceteræ matres tumulos filiorum faciunt dealbari, & aliqua coloris pulchritudine exterius decorari, atque dolorem pectoris *his consolantur officiis*: hæc autem cineres filii quiescentes balsamo irrigabat, & pigmentis atque odoribus misericordiæ confovebat, sciens esse scriptum: *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.*

13. Quod si quis calumnietur, & dicat: Cur in laudibus ejus ita sedulo immoraris? quæ viduata viro, orbata filio, sericas noluit vestes deponere, delicias respuere, cum inter Christi ancillas, assumtis servilibus indumentis, Domino posset expedientius militare. Perfacilis ad ista responsio; plus est animum deposuisse quam cultum; difficilius quis arrogantia quam auro caret & gemmis.

His enim abjectis gloriosis, tumet sordibus & paupertatem adeptam vendit popularibus auris. Ait autem Apostolus: *In veritate comperi, quia non est acceptor personarum Deus, sed in omni proposito qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi.* Dicit etiam Hieronymus, quod nunquam sera est conversio. Nam licet majoribus meritis majus debeatur & præmium, denarium tamen quem a prima diei hora in vinea Domini laborantes accipere meruerunt, circa undecimam venientes assecuti fuere, quia nec quantitas diuturni vel brevis laboris ibi attenditur, ubi sincera cordis devotio remuneratur. Præterea urgebat ipsam administratio comitatus, cujus cura regiminis sibi jure contigerat, quem si absque rectore dimitteret, suæ potius animæ acquireret detrimentum, quam aliquid commodi lucraretur. Arduum insuper erat ex quo ingressa fuisset monasterium, eas quas Christo educabat, posse absque penuria sustentare, illisque abundanter necessaria subministrare. Quibus & nonnullis aliis in sæculari habitu magis profuit quam in monasterio profuisset.

In morbum gravem incidit.

14. Sed ô, amplectendæ in Christo milites, vos forsan suspensas detineo, dum in laudibus ejus occupatus, vitamque ipsius cupiens facere longiorem, ad extrema pervenire formido. Sanatum vulnus & in cicatricem obductum, quod tempus & ratio jam in vobis, ut credo, curaverat, commemoratione exulcero, plagamque doloris instauro. Quæ enim aures tam duræ; quæ de silice excisa præcordia, hujus lilii florem marcescere, hanc virentem smaragdi gemmam frangi, & ut expressius loquar, hujuscemodi non mulierem, sed viraginem morientem siccis oculis queant audire? Nondum annus post filii decessum effluxerat, post multos pro ejusdem filii obitu toleratos dolores, post multiformia laboris ac sollicitudinis pondera, quæ in comitatu regendo pertulerat, confirmatis ab ea sponsalibus inter filiam filii sui & comitem sancti Ægidii, cum in villa, quæ Mura dicitur, moraretur, in gravissimam incidit invaletudinem.

Filiæ ejus in matrem pia sollicitudo.

15. Quo audito, filia ejus marchisia domina, scilicet in his quæ mundi sunt admodum strenua, in decenti ac speciosa corporis habitudine, verborumque elegantia vehementer idonea, ad eam festinato pervenit, quam plus solito obdormisse, atque adhuc dormitantem inveniens, sicut est sagax & provida, metuens ne letharginis incommodo laboraret, jussu suo egressis omnibus ibidem assistentibus, eam familiariter excitavit. Hanc utique mater præ omnibus liberis gratam semper habuerat, ipsaque matri ferventiori jugiter dilectione adhæserat: unde & in matris ægritudine filiæ pietas erga eam ab omnibus comprobata magis innotuit. Assidebat equidem lectulo, sustentabat caput, quocumque se verteret supponebat pulvillum. Si opertorium aliquo laberetur, eam protinus operiens desuper imponebat, pedes interdum manu confovens, strata mollia sæpe componens, quidquid comestura erat præparabat, eique apponens famulantium præveniebat officia. Si alia quidquam feciſſet, sibi fore dedecus & injuriam æstimabat.

Accersito sacerdoti peccata confitetur.

16. Sed quid ulterius differendo dolorem vestrum facio longiorem? Cum morbi molestia se aggravari sensisset, accersito ad se sacerdote, vetustatis suæ saccum, si quis erat in conspectu Dei, coram eo conscidit, & quidquid tabis, quidquid vulneris latebat interius, plenaria oris confessione, cordis contriti & humiliati devotione diluit funditus & absterſit; cumque sanæ mentis & integri sensus adhuc existeret, præmeditata disposuit quid ecclesiis, quid egentibus ad subventionem animæ suæ erogaretur. Id autem in potenti & inclyta muliere, atque tanto tempore in sæculo commorantes admiratione dignum extitit, quod ante Corpus Christi sibi allatum, per viginti & unum annum a tempore obitus viri sui, se nullum virilem expertam fuisse amplexum testando perhibuit. Cur ergo non arescebant mendaces garrientium linguæ? Cur non præ ariditate faucibus adhærebant? quæ illam suos colere amasios astruere præsumebant, donativa militantibus debita eis impendere confingebant, eam gravidam, vel promtam ad partum garrire solebant. O venenosas & præscindendas linguas & per frusta etiam lacerandas! O detestabile falsiloquorum genus! Cur non urbibus pellitur? Cur non lapidibus obruitur? Cur non præcipitatur in fluctibus? Verum cum in præsentis vitæ cursu lacerantium morsus nullus evadere queat, non miretur quispiam, si de hac siniſtra opinio falsò crebuerit: quippe cum & Dominus Jesus-Christus, filius fabri, vinique potator in derisum & opprobrium dictus fuerit, & a pluribus pluries ei sit exprobratum.

Accersitis monialibus monasticam ab eis vestem accipit.

17. Postquam vero, ut mos est, expleta confessione a sacerdote absolutionem accepit, salutaris hostiæ pane refecta, non mediocriter exultavit; advenerunt interim ad amplificandam ejus coronam, ô amabiles Dei famulæ, quædam de vestro collegio, ad quas & ipsa miserat accersendas, quæ veteri homine illam exuentes, novoque eam cum regulari habitu induentes, veli diademate insignierunt, quod multa interioris hominis alacritate susciperis, spiritu ac mente Deo gratiarum actiones exsolvit. Noluit ergo ex tunc, nisi sicut sanctimonialem & religiosi habitus mulierem decebat, in plumarum jacere mollitie; unde mollia faciens linteamina removeri, sibi dura strui præcepit & vilia. Huc accedit, quod cum ejus laudabilis filia paulo superius memorata gallinæ coctæ pulmentum sibi ad vescendum intulisset, se

numquam carnes esuram respondit, quia nec monastici ordinis mulieribus carneis vesci alimentis, regula prohibente, licitum erat. Aiebat enim: Affligendum est corpus quod multis vacavit deliciis, quæ sæculo placui, ut Christo placeam, vel eminente morte, dare operam debeo.

Ejus obitus. 18. Brevi post hæc spatio temporis supervenientem cum terminum vitæ non multum remotum sibi præsensisset instare, valefaciens filiæ, orationes & divina omnia quæ habebat scripta sibi jussit afferri, quibus ex corde perlectis, cum liberam loquendi possibilitatem haberet, prout illi qui aderant testati sunt, cum nemine postea voluit verba conferre; sed jam exacto unius horæ spatio, erecta manu in fronte, & labiis signum crucis impingens, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo sexagesimo tertio, sexto idus Februarii, vitalem spiritum exhalavit. Cum igitur abjecta carnis sarcina, anima, veluti dignum est conferre, ad suum rediisset auctorem, quod dictu mirabile est, nihil pallor mutarat in facie; sed ita dignitas quædam & splendor vultum illustraverant, ut eam non mortuam, sed dormientem putares. Quodque omnibus his mirabilius, est atque ipsius meritis adscribendum, cum de loco prænominato ad monasterium tumulanda deportaretur, cerei accensi feretro inhærentes, licet vis ventorum toto die horribiliter flaret, numquam tamen lucere desierunt, nec ventorum spiraculis potuerunt extingui.

Defertur ad Aiarum parthenonem sepelienda. 19. Delatam ergo ad vos, reverendæ in Christo filiæ, matrem vestram, licet lamentantes, & præ angustia spiritus gementes, celeberrima processione, & qua potuistis secundum Deum exultatione susceptistis, honorabiliterque gestantes in ecclesiam induxistis. Affuerunt & tunc sacerdotes nonnulli pro ejus æterna requie missarum solemnia celebrantes, & quamplurimi gradus inferioris clerici vobiscum per ordinem psalmos undique personantes. Inter hæc egregia ipsius filia sacerdotes per singulos oblationem faciebat; quæ vix a matre abstrahi valens, non desinebat deosculari, oculis hærere vultui, corpus totum amplexari, cum matre desiderans sepeliri. Flebant inopes matrem & nutricem se amisisse clamantes; lugeretis & vos ipsius alumnæ, & voces plangendo extolleretis, nisi vos vociferari dedecuisset, vel si vestro sub ordine militantibus in sæcularium similitudinem flere mortuos licuisset. Crebris tamen singultibus, frequentibus agitabamini suspiriis, lacrymas tacite fundebatis, non quod lugenda esset quæ occubuerat, sed quia impatientius ferendum erat, quod talem desistis videre.

Exequias ejus celebrat Johannes episc. 20. Ad reverendas hujus exequias accurrentibus istius terræ nobilibus, accurrit accepto nuntio dominus Johannes Gratianopolitanus episcopus, qui solemne Deo sacrificium pro ea offerens, peracta celebriter & honorifice pompa, non funeris, sed triumphi, primo sui pontificatus anno, in medio vestri capituli ejus corpus venerabile tumulavit. Adhuc tamen ejus pia filia quasi quibusdam facibus mœroris accensa, circa sepulcrum volutabatur, & sparsis crinibus, veste conscissa, ora lacrymarum imbribus complnebat, ad cujus lugubres voces Christum æstimo talia dedisse responsa: Quid exclamitas? quid ploras? non est mortua mater tua, sed dormit; de tenebris enim ad lucem, de labore migravit ad requiem. Videtur etiam mihi filiæ lamentanti matrem taliter respondisse: Si me umquam amasti, filia, si mea suxisti ubera, si meis es monitis erudita, ne invideas mihi, neque de voluntate Domini indigneris, nec rebellibus lamentis invidiam facias possidenti; nam diutius peregrinata ad patriæ amœnitatem remeavi, & mundana solitudine pererrata, ad terram lacte & melle manantem, Dei misericordia præeunte, perveni. Quiesce igitur, filia mea, nec me hujusmodi ulterius inquietes.

21. Cum autem planctus & gemitus ejulantis filiæ subsedissent paulisper, pio curiositatis studio largitionibus egenos lætificans, sacerdotes & clericos opulento refecit convivio; quæ numquam maternæ affectionis oblita, illum dormitionis matris suæ diem, patrisque sui anniversarium honore annuo recolens, sacrificiorum mysterio, oblationum frequentia, eleemosynarum instantia deducit celebrem ac solemnem. Materna quoque vestigia sequens, sinceræ affectionis favorem, quo erga vos tamquam adoptivas vel spirituales filias suas fervebat, nullatenus in se frigere vel tepere permittit. Amoris enim ipsius gratia erga vos clementem exhibuerat, & vos fovens ac protegens frequentibus beneficiis recreat. Vos igitur per omnia venerandæ Agni immaculati sponsæ, quæ bonum certamen certastis vel præteritæ vitæ nævos abluitis, vel meritorum cumulos vobis augere contenditis, pretiosam matris vestræ animam, beneficiorum acceptorum non immemores, quotidianis precibus Domino commendate; ut si qua de terrenis contagiis ei adhæsit macula, orationum vestrarum lavacro eam abluere studiosius laborate. Insuper conversationis suæ modum & vitam sæpius relegentes, quidquid imitatione dignum inveneritis eligite, & colligentes vestrisque profectibus coaptantes, verbis & actibus retinete. Probabile quidem est & rationi congruum, hanc, quæ cum Christo vivere creditur, in ore hominum jugem memoriam obtinere; in cujus laudibus si quid minus, si quid incomposite visus fuero protulisse, tam ignoranti quam simplici scriptori, prout æquum est, indulgete. Requiescat ergo per

immensam omnipotentis Dei clementiam in pace perpetua fidelis, devota, & accepta Deo anima, & fructu bonorum operum suorum perenniter cum supernis civibus potiatur. Amen.

22. Ad ornatum tumuli & decorem versus subscriptos composui; quibus perlectis, veneranda egregiæ ossa comitissæ meæ requiescere agnoscantur, lectoresque versuum ad orandum pro ea benignius incitentur.

EPITAPHIUM.

Inclyta, munifica, patiens, moderata, pudica,
Hic Christo grata comitissa quiescit humata.
Quæ postquam licito mansit viduata marito,
Cuiquam mortali non est sociata sodali.
Ergo roget Christum, titulum qui legerit istum,
Semper ut æthereis maneat comes illa choreis.
Hoc tumulo, patet ut titulo, requiescit operta
Femina nobilis & venerabilis atque diserta,
Jus, probitas, pudor & bonitas fuit in comitissa,
Pax, patientia, lux, moderantia fulsit in ipsa,
Muneribus simul & precibus Deus ergo rogetur,
Ut sibi portio cœlica mansio quam cito detur.

BREVIS VITA
WALONIS MONACHI ALTIMONTENSIS.

Ex ms. Alnensis monasterii.

OBSERVATIO PRÆVIA.

SEquentem vitam seu elogium Walonis monachi reperimus post vitam S. Bernardi in veteri codice Alnensis monasterii, qui fuit olim Altimontensis abbatiæ, in diœcesi Cameracensi. Hunc conjicio Wadonem, qui & Walradus appellatur, Altimontensem fuisse monachum, breveque hoc elogium præmissum fuisse ipsius Rotulo per monasteria, pro temporum illorum usu, mittendo, persuadet hic versus:

Hoc te Walo tui titulo venerantur Averni.

Nam hujusmodi elogia in Rotulo scribenda tituli *vocabantur.*

Hoc te Walo tui titulo venerantur Averni. B

An. 1174. PAuca dicturus, lectorem paucis esse volo præstructum, me pennis Icariis volatum non affectasse, sed ut sequenti narratiunculæ filum manciparem, jubentis imperium suscepisse, cui nimirum refragari non solum reprehensibile, sed & criminosum & pœnale. Ut ergo quod parturio, licet irrisione ridiculi, mutis indignum proferam, mihi sane magnopere mendacium & actu & opinione vitanti videtur onerosum, noti cujuslibet C gesta inter familiares scripto commendare; quia scilicet quod unus laudabile censet, alter secus æstimat, sicut de Domino quoque legitur, quod quidam dicebant, Bonus est, alii non, sed seducit turbas. Ea propter per medium sic iter conabor incedere, ut ad utrumlibet latus juste non insimuler exorbitasse. Ceterum stomacho suo quemque relinquo, mihi satis est præceptori paruisse.

Fuit itaque inter nos frater Walradus, ut ita dicam, Flandrigena tam nomine quam natione, qui ob insoliti nominis barbariem dictus est Walo; vir quidem vere Israëlita, in quo dolus non est inventus, quantum potest humano comprehendi judicio, ut divino per omnia deferamus. Tenuit autem constantiam propositi monachilis XXXVIII. annis, per id fere temporis cellerarii functus officio, præter quod infirmitas interpolavit mutatione solatii, vel cum vacuationem languor novissimus indixit ei. Et ut aliqua memoratu digna subtexam, primus in eo virtutis honos enituit, quod munditiam ejus ne levis quidem suspicionis unquam attigit nævus. Nec enim occasione ministerii sui vagabatur, quippe cum apud *Avesnes* emporium utique vicinum numquam fuerit. Erat morum mansuetudine tranquillus, nec ira excandescens, nec iracundiæ tenax, nulli scandalum generans, & sicut alienus a vul-

pina calliditate, ita nec ſeductilis fatua ſimplicitate. Parcus fideliter, dapſilis utiliter, eo victu etiam in infirmitate contentus, quem poſſet faſtidire ſanus & famelicus. Curſum divini officii die noctuque, quantum in ipſo fuit, numquam omiſit, quin aut in eccleſia audiret, aut compendiari ſibi depoſceret. Ubique ſolus ſedebat, *Pater noſter* ſuſurrare continuum habebat. Ex his quæ ſine offenſionis detrimento ſagaciter obedientiæ ſuæ ſubtraxit, eccleſiam cappis & caſulis & dalmaticis honeſtavit, refectorium nihilominus ſcyphis, & cameras venuſtavit ſedilibus. Teſtatur etiam domnus abbas CLAREMBALDUS ejus ope & inſtinctu aquæ-ductum ſe inchoaſſe & perfeciſſe, clauſtroque novum tectum repoſuiſſe. Debitis autem numquam eum obligatum fuiſſe, pro argumento eſt, quod & nemo invenitur debitum repetiiſſe. Poſt hæc omnia, ut oſtenderet Dominus eorum conſortio dignum quos flagellando recipit, gravi languore diſſolutus eſt, & exteriori lumine privatus, ut ad lumen æternum fiducialius anhelaret, & ambulandi ſtandique facultate ſubtracta, longum duxit martyrium æquanimitate tolerantiæ, cujus patris eſſet filius videntibus inſinuans. Cumque ſummus ille paterfamilias, appoſita jam falce meſſi ſuæ, maturitatem monſtraret adeſſe, in cœna Domini quando in univerſali eccleſia conſecratur oleum athletis congruum, iſte ſacra unctione percepta, inſtanti die ac nocte cum nocte ſequenti cum Domino mortis agonem ſuſtinuit, ſic tamen ut cum tranquillitate venientem ſponſum videretur expectare. Sabbato autem, ſicut Domino cognitum eſt, tranſivit ad ſedem animarum, anno ab Incarnatione Domini MCLXXIV. In craſtino autem quando ſuum corpus de ſepulcro Dominus eduxit, iſte ſuum repoſuit in ſpe futuræ reſurrectionis, quæ in Chriſto proceſſit. Ad cujus videlicet reſurrectionis gaudium & ipſum pertinere confidimus, & nos quoque ut admitti mereamur oramus, ipſo præſtante, qui pro nobis mortuus eſt & reſurrexit, & cum Patre & Spiritu-ſancto incommutabilis Deus vivit & regnat in ſæcula. Amen.

Forſitan hæc naucipendent quibus agnita noſtri
Non eſt priſca loci macies, jam pane repleti.
Hinc vulgi verbum non reſpuo dicere verum,
Qui mala non novit, quantum proſint bona neſcit:
Sic nos quos cupere meliora coëgit egeſtas,
Jam dicti fratris laudamus res bene geſtas,
Imbribus objecti gaudentes culmine tecti.

ACTA TRANSLATIONIS
S. REOLI ARCHIEPISCOPI REMENSIS,
SCRIPTA A WILLELMO ABBATE ORBACENSI.

Ex mſ. Orbacenſis monaſterii.

An. 1180. ANno milleſimo centeſimo octuageſimo ab Incarnatione Dominica, regnante PHILIPPO Ludovici regis filio, HENRICO Trecenſi comite Palatino degente, WILLELMO metropolitano Remenſi ſibi ſubditis ſpiritualia miniſtrante, mihi WILLELMO Dei gratia Orbacenſi abbati placuit altare quoddam quod conſtitutum erat in reædificatione templi, in honorem B. Mariæ Virginis & ſancti Thomæ martyris conſecrari. Ad id opus peragendum petitionibus mei abbatis acceſſit NIVELO Sueſſorum epiſcopus, vir magni nominis & egregie litteratus, quamplurimis clericis, ut condecet tantum ſuppleri officium, comitatus. Acceſſit, inquam, ſequentique die ab Inventione S. Crucis, altare in honorem ſanctorum prædictorum dedicavit, ac multorum peccamina, qui intererant obſequio, vel qui deinceps votum juſtæ peregrinationis uſque ad tempus præfinitum ibidem ſupplerent, relaxavit. Placuit ne cetero mihi cum fratrum meorum conſilio, necnon metropolitani & Sueſſionenſis præcepto, corpus beati REOLI longæva vetuſtate in quodam veteri vaſe repoſitum transferri in novum, quod ædificatum conſtabat opere ſumtuoſo, lapidibus pretioſis, gemmis, auro, & argento. Fama tranſmutationis evolans, diverſorum provincias circinans compulit ritus & linguas diſſonas confluere ad locum prædeſtinatum, ut ex laboris peregrinatione & eleemoſynæ libera traditione pro ſalute animæ particeps obſequii fierent in perpetuum. Altari ſiquidem dedicato more conſuetudinario, epiſcopus NIVELO abbatibus & ceteris confluentibus, nova mecum deferens ornamenta, quibus corpus beati REOLI emeritum involveremus, cum gemitu & lacrymis,

crymis, cum cantibus & modulis, acceſſimus ad feretrum, quod reſeratum patebat in conſpectu omnium. Rimatur epiſcopus, rimantur abbates, rimatur oculus beatiſſimi Reoli corpus, quod propter fragilitatem carnis humanæ, quamvis ſacratus, tangere tamen reformidabat digitus. Res miranda! & etiam chirographo condigna; qui populo Iſraëli quadraginta annis per deſerta gradienti veſtes & calceamenta reſervavit incorrupta, ſervo ſuo Reolo, quin potius amico, ornamenta quibus plus quàm trecentis annis involutus fuerat, contulit inviolata. Ego abbas corium cervinam vidi, & tenui, & immutari cum adſtantibus ceniui. Conſideravi veſtem ſericam, fortem & integram, quaſi noviter de textrice vel texente prolatam. Palpavi & lineam, ac ſi rore cœleſti ſtillaret, & omni genere pigmentorum circumflueret. Teſtantur mecum qui hæc viderunt & affuerunt, & ſub verbo veritatis tam futuris quam modernis credenda reliquerunt. Igitur Nivelo epiſcopus mecum cum reliquis laudem Deo decantantibus, ſanctiſſimi Reoli corpus primitivis involutum veſtibus, quaſi lorica inexpugnabili, de veteri in novam fabricam catenis & ſeris ferreis obturavimus. Caput vero in vaſculo quod capiti congruebat reſervavimus, ut peregrinis oſtenderetur, & petentibus tam corporis quam animæ ſalus perpetua inferretur.

EPISTOLA EPISCOPI THUNENSIS AD THEOBALDUM REGEM NAVARRÆ, DE FELICI OBITU S. LUDOVICI REGIS FRANCORUM.

Ex mſ. Præmonſtratenſis monaſterii.

C'eſt la fin que le bon roy S. Loys ot à ſa mort, que l'éveſque de Thunes envoya à Thibaut roy de Navarre.

A Tibaut roy de Navarre par la grace de Dieu, comte de Champaigne & de Brie, queux Palatin l'évêque de Thunes ſalut & lui tout.

Sire, j'ay receuë voſtre lettre en laquelle vous priés que je vous face à ſavoir l'eſtat de la fin de mon chier ſeigneur Loys jadis roy de France. Sire, du commencement & du milieu ſavés vous plus que nous ne faſons: mais de la fin vous pourrions nous teſmoigner la veuë des yeulx, que en toute noſtre vie nous ne veiſmes ne ne ſceuſmes ſi ſainte ne ſi devote en homme du ſiecle ne de religion; & auſſi avons-nous oy teſmoigner à tous ceulx qui la virent. Et ſaichés, ſire, que dès le dimenche à l'heure de nonne juſqu'au lundy à l'heure de tierce, ſa bouche ne ceſſa de jour ne de nuit de loer noſtre Seigneur, & de prier pour le peuple qu'il avoit là amené, & là où il avoit ja perdue une partie de la parole, ſi crioit-il aucunes fois en hault: *Fac nos, Domine, proſpera mundi deſpicere, & nulla ejus adverſa formidare.* Et moult de fois crioit-il en hault: *Eſto, Domine, plebi tuæ ſanctificator & cuſtos.* Après heure de tierce, il perdit auſſi comme du tout la parole, mais il regardoit les gens moult debonnairement, & faiſoit moult de fois le ſigne de la croix, & entre heure de tierce & de midy fiſt auſſi comme ſemblant de dormir, & fuſt bien les yeulx clos l'eſpace de demie lieuë * & plus. Après il ouvrit les yeuls & regarda vers le ciel, & diſt ces vers: *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum;* & oncques puis il ne dit mot, ne ne parla. Entour l'heure de none il treſpaſſa. Juſques à lendemain que on le fendi, il eſtoit auſſi bel & auſſi vermeil, ce nous ſembloit, comme il eſtoit en ſa pleine ſanté, & ſembloit à moult de gens qu'il voulſiſt ſe rire. Après, ſire, les entrailles furent portées à Montreal en une égliſe près de Salerne, là où noſtre ſire a ja commencié à faire moult de beaux miracles pour lui, ſi comme nous avons entendu par l'arcediacre de Salerne, qui le manda par ſa lettre au roy de Secille. Mais le cueur de lui & le corps demourerent en l'oſt. Car le peuple ne voult ſouffrir en nulle maniere que il en feuſt portés.

* 1. heure.

DE FELICI OBITU JOHANNÆ COMITISSÆ ALENCONII ET BLESENSIS.

Ex mſ. Præmonſtratenſi.

Cy commence l'ordonnance de madame la conteſſe d'Alençon & de Bloys que elle fiſt à ſon treſpaſſement.

1. EN l'an de l'Incarnation MCC. quatre-vingt & onze, le jeudi devant la converſion S. Paul, priſt la maladie à très-noble dame, madame JEHANNE conteſſe d'Alençon & de Bloys, dont elle treſpaſſa le mardi après enſuivant. Ce jeudi à ſon eſveillier li priſt douleur une à ſon coſté ſi grant, que elle ne ceſſoit de crier, & un rume très-fort, & ſi avoit mal au cueur tousjours; & en ce point elle fuſt tout le jeudi, & le vendredi après, & touſiours lui alloit le mal en enforçant: & le ſamedi meſme juſqu'au tour le midy que elle ſe voult confeſſer, & n'euſt pas attendu à ſoy confeſſer à ceſt ſamedi, ſe ce ne fuſt le mal, qui ſi fort la grevoit, tant qu'elle ne pouoit avoir loiſir, & le mal que elle avoit au cueur la fiſt moult ceſt ſame hochier & trembler, & elle ſe confeſſa ſi diligemment, & en ſi grant devotion, & en ſi grant contrition de la grant ferveur qu'elle avoit, elle fuſt ſi eſmuë en grant chaleur, que les phyſiciens deſlors s'apperçurent que elle eſtoit en fievre: tout ne le ſceuſt-elle pas paravant, & ce ne fuſt pas grant merveille ou point où elle eſtoit, ſe elle eſtoit eſmuë, & ſe la fievre apparoit plus fort; car en la plus grant ſanté que on la veiſt onques, quant elle ſe confeſſoit eſtoit-elle ſi eſmuë de la grande & bonne diligence que elle y mettoit, que chaſcun de ſon hoſtel doubtoit moult ſa confeſſion. Car c'eſtoit l'une des perſonnes qui feuſt, qui plus humblement ſe confeſſoit, & qui plus ſaigement le faiſoit, ſi comme ſon confeſſeur le teſmoignoit, & qui plus griefment ſe vouloit jugier & reprandre. Aprés ce que elle ſe fut confeſſée, & elle ſe fut fortement laſſée & travaillée & moult au deſſoubs, dont aucuns de ſes gens qui moult eſtoient tendres de ſa ſanté, euſſent moult voulu qu'elle euſt attendu à recevoir ſon Sauveur juſques au dimenche au matin. Elle répondit que elle ne pourroit attendre, car elle eſtoit pire de ſa maladie au matin que aux veſpres, & pour ce elle reçut ſon Sauveur cellui ſoir du ſamedi, & A lors elle ſe fiſt veſtir & appareiller ſon lit, pour plus reveremment recevoir noſtre Seigneur, & là ſe fiſt mener & couchier, & commanda que quand noſtre Seigneur vendroit, que on lui feiſt tantoſt à ſavoir: & ſi diſoit, que ſe Dieu plaît là ne l'attendroit-elle pas, ainçois vouloit aller à l'encontre de lui, car pour ce venoit-il. Et quand on lui dit que noſtre Seigneur venoit, elle qui eſtoit ſi très foible en ſon lit, qu'elle ne ſe povoit pas bien tourner ſans aïde: ſi ſe dreça tout pour par lui, & ſe fiſt mettre ſur un tapis, & y fuſt moult longuement acoutées, & à genoux à grans lermes, & à grant contrition de cueur avant que elle le reçut. Et après elle le reçut en ſi très grant deſir, & en ſi très grant foy, que nuls ne pourroit montrer plus grant. Et après ce qu'elle l'ot reçeu, elle fut moult longuement en prieres & en oroiſons, & puis la remiſt-on en ſon lit, & moult mercioit JESUS-CHRIST & diſoit: Il m'eſt avis que je ſoye moult aſſouagée, car j'ay avec moi mon Seigneur & mon Dieu, & m'a, s'il lui plaiſt, apporté ſanté d'ame & de corps, & fut en ce point le ſamedi toute la nuit, & repoſa ce nuit, ce qu'elle n'avoit fait toute ſa maladie.

2. Le dimenche après li éveſques d'Orliens, à qui elle avoit prié très le vendredi, que il veniſt à lui pour adjouſter aucunes choſes à ſon teſtament, y fuſt, & y fuſt monſieur de Chaſtillon, li conneſtables, & li chantres de Bayeux, & li arcediacres de la cité d'Orliens, & moult d'autres ſaiges gens, & de grant conſeil, & tout ce dimenche elle travailla à perfaire ce que elle vouloit adjouſter à ſon teſtament, là où elle fut moult grevée & travaillée, ſi que elle ne pot la nuit bien repoſer ne dormir. Et le lundi après elle afoibloia moult, de ſon afoibloiment elle ne ſe apperçevoit pas, pour les grans douleurs qu'elle ſentoit, & que elle cuidoit eſtre hors du peril. Elle redoubtoit un pou plus le peril d'acomplir la beſoigne, que elle n'avoit fait avant, & avoit voulenté d'un pou repoſer, & il ſambloit aux phyſiciens que ce n'eſtoit pas repos, mais deffaut de nature. Si orent conſeil enſamble que on lui montraſt ſon eſtat, & elle-meſme l'avoit fait promettre à aucuns de ces privés, que

ſe ils la veoient en peril de mort, qu'ils lui feroient à ſavoir, & nommément, à maiſtre Guillaume ſon phyſicien, & il lui acomplit, ſi bien ce qui lui ot en convenant, qu'il y » apparut & vint à elle, & ſi lui diſt: Madame, » vous m'avez fait promettre ſur ma loy que » ſe je vous veoys en peril de mort, que je vous » le feiſſe à ſavoir. Madame, je ſuis tenu à dire » de l'eſtat de voſtre maladie: car moult de » fois le m'avés requis, & je tousjours ay reſ- » pondu que non feroye. Mais comme qu'il » aille, j'aime trop mieulx à faire contre mon » dit, que contre ma loyauté. Lors lui diſt » maiſtre Guillaume: Madame, vous eſtes » moult malade, & plus que vous ne cuidez, » & ſi malade, que nature de lui n'a povoir » de reſordre, ne les phyſiciens ne li peuvent » aidier. Si requierés à celi Seigneur qui fait » du mort le vif quant il lui plaiſt, que il vous » donne ce dont meſtier avés.

» 3. Quant elle ot ce oy, ſi diſt: Au moins » pourrois-je avoir eſpace d'un mois, car ſe » je la povoye avoir, je feroy encore moult » de biens. Et li maiſtres reſpondit: Un mois, » Madame, & qui eſt cils qui eſt ſeurs de vi- » vre un mois? Et adoncques, lui dit-il: Ma- » dame, pourquoy y penſés-vous? Et la con- » teſſe diſt. Et certes, maiſtres Guillaume, c'eſt » un moult grant mot à mon oés, quant cel- » lui qui fut nés de la Vierge MARIE ſans pe- » chié ot paour de la mort. Et lors lui diſt » le phyſicien: Noſtre fires vous a envoié ſon » flaiel, & vous a batuë, eſſaiée. Madame, » priez lui qu'il le veuille rappeller par ſa grace, » & ſi vous vueille donner eſpace de vie pour » vous amender, ſi comme il en a le povoir. » Elle diſt: Certes, maiſtres Guillaume, ſe il » lui plaiſoit à moi reſpiter, je feroie encore » moult de biens. Et tantoſt maiſtres Guillau- » me diſt: Madame, où vous plaira-t'il que » voſtre corps reſpoſe. Elle reſpondit que aux » freres Meneurs. Et après lui demanda où il lui plaiſoit que on meiſt ſon cueur; & elle reſpondit aux freres Preſcheurs; & on lui ra- mentut l'abbaye de ſeurs Meneurs, que ſon pere & ſa mere fondorent, & de rechief elle diſt, que elle vouloit que ſon cueur feuſt aux freres Preſcheurs, & pour ce que elle pûſt bien avoir le ſecours des deux ordres, & pour l'amour de ſon ſeigneur le conte d'Alençon.

4. Et après ce elle requeroit moult aſpre- ment à ceulx qui entour lui eſtoient, de ſi » grant cueur: Pour Dieu aidiés-moi à advi- » ſier, car noſtre Seigneur me haſte, & diſoit: » Beau ſire Dieux, je vous rens graces & mer- » cis, qui m'avés adviſée de mort, car je ne » voye goute: mais ores voys-je bien & con- » gnois tout à plain les ſignes de la mort, & » li mauvais ennemis me vouloit aveugler. Et moult bien & haultement mercioit noſtre Seigneur, de ce qu'il n'avoit pas ſouffert, & diſoit: Pour Dieu aidiés-moi le plus haſtive- ment que vous pourrez, car Dieu me haſte. Et lors commanda que l'en lui appellaſt ſon confeſſeur, un frere Meneur, & le prieur de Vauvert de l'ordre des Chartreux de lès Paris, & frere Guion de Chaſteau-neuf de l'ordre des freres Preſcheurs: & à tous ces trois perſonnes notables elle ſe confeſſa generament en ſi très grant repentance & ſi amerement, que ils teſmoingnerent que ils ne virent oncques perſonne de plus grant repentance. Et diſt à ces trois perſonnes: Je vous prie & vous conjure ſur vos loyautés, « que ſe vous penſés que ceſte confeſſion plaiſe « plus à noſtre Seigneur, & que elle me ſoit « plus prouffitable de dire & recorder tout de- « vant le peuple, que vous le me dites, & je « le ferai. Et ils reſpondirent: Dame, il ſouffiſt, « & pour ce ne demoura pas que elle ne ſe jugaſt moult loyamment par devant tous, en diſant qu'elle avoit fait moult de dons plus pour le monde par orgueil & par vanité, que pour Dieu.

5. Après tantoſt elle envoia querre l'é- veſque d'Orliens & ſes autres executeurs, & priſt la croix d'oultremer plourant, & la croix aourant, & là endroit. Li bons éveſques li deviſa le merite du pardon, elle reſpondit: Certe, ſire en ceſte fois le crois je, « & en ceſte fois vueil-je mourir, & ay ferme « eſperance que par la foy que j'ay que je au- « ray pardon, & que tous mes faits me ſeront « pardonnés. Et diſt que s'il plaiſoit à noſtre « Seigneur qu'elle treſpaſſaſt, qu'elle avoit fait ferme propos & voulenté de gaaingnier le pardon par lui-meſme, & ſe il plaiſoit à no- ſtre Seigneur que elle treſpaſſaſſe, ſi envoi- roit-elle ſi largement du ſien, que ſe il plai- ſoit à Dieu que elle auroit le pardon: & lors tourna ſes yeux vers l'entrée de la chambre, & viſt le prieur des freres de Noſtre-Dame du Carme, & s'écria hault, en diſant: Ve- nés avant, prieur des freres du Carme, car ſur tous autres vous deſiroye aveoir. Et le preiſt par la main, la baiſa la chiere en baiſ- ſant, & en pleurant moult tendrement, & en réitera ou rencommença ſa confeſſion en diſant: Je vous ſupplie, las pechereſſe que « je ſuis, que vous me vueillés avoir pour re- « commandée en vos oroiſons & ès oroiſons « de vos freres, & par eſpecial que ils prient à « Noſtre-Dame, que autreſſi qu'elle fuſt aſſeu- « rée des ennemis d'enfer devant ſon trépaſſe- « ment, que elle me vueille eſtre deffenſe & « aſſeurement & amie envers ſon chier Enfant. « Et puis s'écria: Ha, Dame de pitié, ayez « donc à merci; & tant que c'eſtoit merveilles « de la oir, & beaux regrès qu'elle faiſoit à la Vierge MARIE. Et pria que ledit prieur lui apportaſt l'imaige de Noſtre-Dame, qui a- doncques eſtoit en ſa chapelle, & elle la baiſa aux pieds, & diſt pluſieurs oroiſons moult devotes, & diſt après, oyant tous: Ores ſuis-je bien aiſe quant j'ai Noſtre-Dame, «

» & ſon ordre de ma partie. Leſquels re-
grets elle diſoit devant tous en plourant &
» criant: Haa doulce Vierge MARIE, par ta
» grant humilité tu voulſiſe que nom royal
» feuſt en toy oblié du très grant & puiſſant
» roy Salemon, duquel lignaige tu eſtois eſ-
» traite; & j'ai voulu tout mon lignaige ſur-
» monter, & les poures petit priſier, les fleurs
» de lys de France en mes parements peindre
» & démonſtrer. Haa, Madame, en quel lieu
» liſt-on qu'en vos paremens vous meiſſiés les
» armes & les ſignes du roy Salemon, de Da-
» vid, ne des autres roys mondains. Et je, qui
» ſuis ſi miſerable par dehors, eſtoie ſi royam-
» ment aournée, & par dedans eſtoie charoi-
» gne puante de ſi riches aournemens & atours
» enveloppée. Haa, Dame, priés voſtre doulx
» Fils, que cils orgueils & tous les autres pe-
» chiés me ſoient pardonnés. Vous ne fuſtes
» oncques ennuyeuſe, car par tout queriés
» pays pour chacun, car j'ay blaſme ou dit
» mal, ou eſcouté d'autrui, & ne penſoye pas
» que ma charoigne, laquelle je vouloye ele-
» ver & porter devant tous les autres, eſtoit
» ordonnée à pourriture, & viande puante
» aux vers, & toiſon d'enfer, ſe il ne m'eſt
» par vous remedié. Haa, Dame, vous fuſtes
» ſobre, & je gloute & deſordonnée en excès.
» Nuls ne vous vit oncques courroucée, & je
» me ſuis pour neant courroucée. Vous fuſtes
» au ſervice de Dieu jour & nuit au temple,
» & j'ay oy plus voulentiers inſtruments, jou-
» gleurs, dances & caroles, & queroye les
» chambres mieulx parées. Vous fuſtes poure
» de biens de ce monde, & je ſuis toujours
» convoiteuſe de joyaulx, richeces & boban-
» ces vains. Vous donnaſtes à tous exemple
» de virginité & de chaſteté, & je par mes
» fols & mondains atours ay donné cauſe à
» ceulx qui m'ont regardée de penſer à mau-
» vaiſtie & à iniquité. Haa, Dame, vous don-
» naſtes la voye aux nobles pour venir en gloi-
» re, li nobles volt aucuns eſtre en paradis,
» qui ſoit avec vous qui eſtes des nobles fils
» d'Iſraël eſtraite, & mere & épouſe du Roy
» ſouverain Fils de Dieu. Haa, Dame, ſe je ne
» ſuis digne d'eſtre preſt de vous, plaiſe vous
» que j'aye aucun anglet près de vous, avec
» les miſerables repentans: car par ma folie
» j'ay perdu le lieu de noblece, ſe par voſtre
» doulceur ne ſuis reçeuë à voſtre miſericorde.
» Haa, Dame, qui ſauroit que c'eſt grant hon-
» neur d'eſtre preſt de vous, petit priſeroit eſtre
» preſt des nobleſſes de ce monde pour vous
» laiſſier. Et puis diſoit audit prieur, qu'il ne
laiſſaſt pas à ſervir la très haulte royne pour
nul autre ſervice, & qu'il le deiſt à ſes fre-
res, & que le ſervice de ſi grant Dame de-
voit eſtre ſur tous les autres, & que noſtre
Seigneur faiſoit grant grace à tous ceulx qu'il
appelle au ſervice de ſa doulce Mere. Et puis
ordena l'aumoſne pour le chapitre general,
& pour le chapitre provincial, & pour plu-
A ſieurs convents, & euſt volentiers fondé un
convent de cel ordre, ſe elle euſt encore
veſcu. Et adoncques ordonna par le conſeil
de ceux qui là eſtoient preſents, combien
elle vouloit envoier oultre mer: & tout en-
ſuivant elle voult ordonner de toute la gent
de ſon hoſtel, & ne voult pas que ſes exe-
cuteurs tant ſeulement y fuſſent, mais tous
ceux de ſon conſeil, & la plus grant partie
des gens de ſon hoſtel, pour porter vray
teſmoignaige de ſon ordonnance. Et cele
B ordonnance feiſt-elle ſi bien & ſi ſaigement,
comme ſi elle n'euſt ne mal ne douleur.
Car il n'y ot oncques homme ne femme,
petit ne grant, qui par ſon devis ne paſſaſt,
& qu'elle n'euſt remembrance de quoy elle
eſtoit tenuë à eulx & un chacun d'eulx ſelon
le ſien eſtat. Et quant elle ot ainſi fait & or-
donné, que tous s'émerveilloient du corps
ſi malade qui avoit ſi ſain entendement,
que elle puſt tout ainſi ſes choſes ordonner;
elle ſe tourna devers ſes femmes, elle leur
cria merci, & leur dit: Belles très doulces
dames & damoiſelles, je vous crie merci de
ce que je vous ay eſté pou courtoiſe & ſi di-
C verſe, & vous avés eſté doulces & aimables,
loyaulx & honourables, & de ce que je ne
vous ay pas ſi bien guerdonnées comme je
deuſſe. Or eſt ainſi que vous ne povez mais
le corps ſervir: mais le bon ſervice que vous
povés faire pour moi, ſi eſt que vous priés
Dieu pour mon ame.

6. Et quant elle ot tout ce fait, elle fut
moult travaillée. Si la voult-on faire repoſer
& prendre un pou de viande. Et diſoit: Qui
ſe meurt doit-il repoſer? Certes nennil, ains
doit tousjours merci crier à Dieu, & vous
le me deuſſiez bien ramentevoir, non pas
pourtant ſe je dois plus vivre pour le repoſt
D prendre, parquoy je peuſſe plus de cuer &
plus parfaitement moy amender. Je vueil
bien faire ce que on me loera, & parquoy
je peuſſe à Dieu mon createur plus longue-
ment merci crier, & moy plus aſprement
repentir; & c'eſt la plus grant joye & le plus
grant déduit que je peuſſe avoir que Dieu
merci crier. Et lors priſt-elle un pou de
choſe.

7. Après elle diſt que elle vouloit veoir
toute ſa gent, & on les y fiſt tous venir.
Lors, diſt-elle: Il n'y ſont pas tous, gardés
qu'il n'y demeure garçon à eſtable ne en cui-
ſine: car ſi les vueil tous veoir, & ſi vueil
E auſſi que tous me voient. Et vouloit adonc
que toutes manieres de gens qui la vouloient
veoir la veiſſent. Quant elle les veiſt, elle
leur diſt, que bien fuſſent-ils venus, & puis
leur diſt: Belle très doulce gent, vées à vo-
ſtre chetive dame, que vous avez tant ſer-
vie de nuit & de jour, & pour ce que vous
avez eu tant de peine & de travail pour
moy, qui mauvaiſement les vous guerre-
donnés ſelon les bons ſervices que vous m'a-

» vés faits, je vueil, & le vous prie pour
» Dieu, que vous le me pardonnés, & auſſi
» toutes les villenies que je vous ay faites par
» ma haſtiveté. Car tant eſtoie haſtive, que je
» ne vouloie que les choſes feuſſent faites tan-
» toſt que je les commandoye. Et vous prie
» pour Dieu que vous amendés vos vies, &
» n'ayés fiance en grant richeſces, ne en hon-
» neurs de ce monde, ne en beauté, ne en
» jeuneſce, car tout ce vous convient laiſſier,
» & vous le povés bien orendoit veoir en moy.
» Car tant ay fait d'ouſtrages & de bobans &
» tant de oultragieux deſpens, & tous les ay
» menés juſques à la mort: & pour ce n'atten-
» dés pas tant comme j'ay fait. Car ſe Dieu
» n'euſt eſté courtoys envers moy plus que je
» n'ay deſſervi, je euſſe eſté deceuë, car je ne
» congnoiſſoie pas ma mort. Et pour ce que
on doubtoit qu'elle ne fuſt trop grevée, pour
ce qu'elle parloit ſi piteuſement à ſes gens,
on les en fiſt tous aler, & elle les commen-
da tous à Dieu, & leur pria qu'ils priaſſent
tous à Dieu pour lui, & moult les louoit,
que moult avoit eu de vaine gloire de leurs
bontés, car y lui ſembloit bien que nulle
dame n'euſt meilleurs gens qu'ils eſtoient.

8. Maiſtre Guillaume ſon phyſicien & plu-
ſieurs autres grant ſeigneurs lui requeroient
que elle ſe voulſiſt repoſer, car ils eſtoient
moult à meſaiſe de ce qu'elle ſe travailloit
» tant, & elle leur diſt: Du repoſer n'y a point,
» car qui ſe meurt, il n'a meſtiers fors tous-
» jours à Dieu merci prier, & de ces deffauts
» toutes recorder pardevant lui. Et adonc,
» diſt-elle, apportés-moi la croix, en quoy je
» puiſſe veoir la remambrance de mon Sau-
» veur, en quoy il voult mourir pour moy.
Et adonc lui apporta l'en une croix; & quant
elle la viſt, elle ſe dreça & leva encontre,
& puis diſt de ſi grant cueur à la croix:

» 9. Haa Dieu, qui en cette ſamblance mou-
» ruſtes pour moy, & pour tout le monde:
» Sires, ayez pitié & merci de moy chetive
» pechereſſe, l'une des plus mauvaiſes qui onc-
» ques feuſt. Sire, Dieu tous-puiſſans, je vous
» rens graces & mercie des bontés que vous
» m'avés faites, & tout le monde feiſtes &
» creaſtes. Sire, de tout quanque vous y avés
» & fait & mis, je vous rens & graces & mer-
» cis. Sire, qui feiſtes homme & femme à vo-
» ſtre ſamblance, & toutes choſes feiſtes en
» terre pour homme & pour femme, & tout
» leur habau donnaſtes, & donnaſtes ſens &
» entendement de tout ſavoir & congnoiſtre;
» Sire, tu deffendis à homme ce qu'il te pleuſt,
» il treſpaſſa ſon commandement, Sire Dieux,
» ceſte inobedience fut ſi tres-durement & ſi
» tres-cruelment vengée, que toutes les lignées
» qui de Adam deſcendirent, furent damp-
» nées & perduës. Mais ta grant debonnaireté
» & ta grant miſericorde fut ſi largement &
» ſi merveilleuſement habandonnée à tout le
» monde, que tu voulſis deſcendre en ſi petit
hoſtel, comme le corps d'une Vierge, une
femelete, fille de homme & de femme, pour
tout le monde. Sire, qui là fus ou ventre
d'une Vierge pure & necte par l'eſpace de
IX. mois, vous, Sire, roy puiſſant ſur tout
le monde, Sire Dieux, vous voulſites eſtre
en ſi petit hoſtel; & je oultrageuſe peche-
reſſe, à qui grans ſales palais ne povoient
ſouffire, ſe me feuſſe herbergée en un petit
hoſtel pour vous, & ſe je y euſſe eſté une
ſeule nuit pour vous, je cuidaſſe avoir fait
merveilles pour vous. Sire, au chief de neuf
mois tu naſquis de la Vierge MARIE, vray
Dieu & vrays homes. Sire, Vierge fut-elle
devant l'enfanter, & Vierge fut-elle aprés,
ne oncques ſa virginité n'en empira. Haa!
Sire Dieux, roys tous-puiſſans, vous qui eſtes
Sires de tout le monde, voulſites ſi debon-
nairement * purement naiſtre de ceſte be-
noiſte Vierge MARIE, que elle ne vous ot
oncques en quoy envelopper, fors que en
poures drapeles; & je chetive pechereſſe ainſi
ne ſuis-je pas nourrie; mais en grans delices
& en grans richeſces, en grans boubans, &
en grans enveloppemens. Sire, tu eſtoies
Dieu tout-puiſſans, & voulſis eſtre de lui
nourris & alaities, & eſtre en ſubjection com-
me enfant. Haa! Sire, qui toutes ces grans
merveilles voulſites faire pour nous, Sire,
tres-grant mercis cent mille fois.

* f. poure-ment.

10. A toutes ces choſes ci dire & recor-
der, elle mercioit noſtre Seigneur de ſi tres
grant cueur & de ſi grant repentance, que
c'eſtoit une grant merveille a oir, & tous
ceulx qui eſtoient entour de lui, que moult
ferment ſe doubtoient, que il ne lui gre-
vaſt du grant travail qu'elle avoit de ſi tres
hardamment crier merci à JESUS-CHRIST,
lui prioient moult que elle ſe teniſt quoye
en paix, & lui vouloient oſter ceſte croix,
& elle s'eſcria & diſt: Laiſſés-moi dire ce
que je vueil, car oncques en jour de ma vie
je ne merciay, ne ne graciay mon createur
de nulle choſe, ſi comme je deuſſe; & au
moins au derrenier jour m'en laiſſiez faire
ma volenté, & ne m'en deſtourbés pas. Et
quant elle ot ce diſt, elle commença à re-
corder les enfances noſtre Seigneur, & tout
adez en lui loant & en lui merciant: Sire
Dieux, qui ta nativité voulſis anoncier aux
poures paſtoureaux, Sire, en ce nous mon-
ſtras-tu ta grant humilité & ta debonnai-
reté: & tout ceci tu feis à noſtre enſeigne-
ment & grant prouffit. Et lors recorda tout
ce que noſtre Seigneur fiſt en ſon enfance,
& recorda ſa ſainte circonciſion, & l'offran-
de des trois rois, & comment il fut offert
au temple Salomon à ſaint Simeon.

11. Toutes ces choſes elle recorda en
JESUS-CHRIST regratiant & merciant doulce-
ment, humblement & devotement, que
tres forte choſe ſeroit du raconter; & à tou-
tes ces choſes elle s'arreſta, & recorda par

paroles de ſi tres grant foy, & de ſi tres grant creance, que tous ceulx qui eſtoient illec, ſe merveilloient, dont ce povoit venir, ne comment elle povoit avoir tel deſir.

12. Quant elle ot bien toutes ces choſes dites & recordées, ſi commença à parler de la paſſion noſtre Seigneur; c'eſt aſſavoir, comment il fut trahis, & comment il fut vendus, & tout ce elle reclama de ſi tres grant cueur en criant & deſolant ſa benoiſte mort ſi tres amerement, que c'eſtoit grant merveille à oir; & toutes les journées des Paſques flouries, & la feſte que li faulx Juifs lui firent, quant il entra en Jheruſalem, & comment tout ce fut fait pour lui trahir, & tout juſques au Jeudi abſolut, & recorda humblement comment il fiſt l'amende à ſes apoſtres. Aprés ce quant ce vint à la cene, comment elle parloit à noſtre Seigneur, & le mercioit de ſon tres-haut don, & de celle tres-grant largeſſe qu'il nous fiſt. Et diſoit
» ainſi: Haa Sire JESUS-CHRIST, ſi tres-grant
» mercis vous rens, qui nous voulſiſtes en terre
» laiſſier voſtre precieux corps. Car ce n'eſt
» pas dons comme autres, Sire, en ce benoiſt
» Sacrement de l'autel que tu eſtablis; Sire,
» je le croy certainement. Et ces complaintes diſoit-elle ſi ardanment, & de ſi tres-grant cueur, que il ſambloit que elle veiſt JESUS-CHRIST preſentement.

13. Aprés ce elle commença à parler à noſtre Seigneur, comment il fut pris, & comment il ſouffri mort, & diſoit ainſi: Sire
» JESUS-CHRIST, que Judas le fel trahiſt, qui
» eſtoit ton diſciple, & te vendi, & te baiſa
» en nom de paix, & tout ce fiſt par traiſon.
» Sire, tu fus pris, & loyés, & menés devant
» les juges, & ſi te ſouffris jugier. Sire, tu
» ſouffris que on te deiſt grans villenies & in-
» jures, & ne reſpondis fors humilité & toute
» debonnaireté. Sire, tu ſouffris que on te
» donnaſt de grans buffes & craichaſſent en
» ton benoiſt viſaige, & te faiſoient tant de
» villeinies & de laidures, qu'il n'eſt nuls hom-
» mes vivans qui les peuſt recorder ne dire.
» Sire, rois tres-puiſſant, moult grant mercis.

14. En telles paroles recordant, elle avoit tant d'angoiſſe au cueur, qu'il ſambloit bien à ceulx qui là eſtoient, que li cuers lui deuſt tantoſt partir ou ventre, & puis s'eſcrioit en
» hault à noſtre Seigneur: Sire JESUS-
» CHRIST, qui fus deſpoilliés tous nus & liés
» à l'eſtaiche devant tous, & batus de grans
» eſcourgies trenchans, tant que ta benoiſte
» char fut toute deſrompuë, & ton benoiſt
» ſanc reſpandu. Sire, qui ce ſouffris pour
» nous, aiés pitié & merci de l'ame de moy.
» Haa, Sire, qui ſouffris que li mauvais Juif
» te firent porter la croix, qui moult eſtoit grant
» & peſant, laquelle, Sire, vous portaſtes.
» Hee! tres-doulx Sire, larrons & murtriers
» on laiſſoit aler à leur martyre tout en paix:
» mais ce ne fiſt-on pas à toy, JESUS, à qui
on la fiſt porter moult haſtivement, dont tu « A
fus, Sire, ſi travailliés & ſi grevés, que tu «
ſuas ſi grant ſueur qu'elle te decouroit de ci «
aux piés. Tres-doulx Sire, ce ſouffriſtes-vous «
pour nous. Sire, moult grant merci. Sire, «
aiés pitié de moy poure pechereſſe. «

15. Et lors diſt-elle: Faites-moy avoir « B
une croix de fuſt en quoy je puiſſe mieulx «
veoir & avoir la ſamblance de ceſte vraye «
croix en quoy mon Sauveur mourut, & par «
quoy je puiſſe mieux veoir la remambrance «
des grans peines & des grans angoiſſes, & «
les griefs playes que il vouſt ſouffrir pour «
nous, en laquelle il ſouffri mort: elle ne «
fuſt parée d'or ne d'argent, ne de pierres «
precieuſes cleres & reluiſans, & ceſte croix «
d'or me eſbloiſt tous les yeulx; ſi lui apporta «
en une croix de fuſt en grant devotion tous- «
jours. «

16. Quant elle vit la croix, ſi diſt: Sire, « C
aprés ce qu'ils te orent fait porter la croix, «
ils te crucifierent entre deux larrons, & ſi «
te firent mourir de la plus honteuſe mort, «
que l'en peuſt faire mourir nul homme au «
temps de lors. Sire, ils te percerent tes paul- «
mes des clouxs, & ſi ataicherent au fuſt de «
la croix, & tes benois piés miſtrent-ils l'un «
ſur l'autre, & puis ti miſtrent un grant clou «
agu, dur & aſpre. Haa! tres-doulx JESUS- «
CHRIST, qui fus couronné de ſi crueuſe cou- «
ronne, & de ſi tres-aſpre & poignant, que «
voſtre benoiſt ſanc en decouroit parmi vo- «
ſtre benoiſt viſaige. He! tres-doulx Sire, là «
où vous eſtiez en ſi tres-cruel & ſi horrible «
martyre de la croix, vous diſoient-ils honte «
& ſi grans villenies & reprouches moult «
laides. Sire Dieux, & vous tout ce ſouffriés «
humblement & doulcement. Sire, tres-grant «
mercis. Haa! Sire, qui fuſtes aprés abuvrés «
de ſi tres-mauvais & felon buvraige & ſi amer; « D
vous, Sire, tres-doulcement le ſouffriés. Sire, «
tres-grant merci de toutes ces ſouffrances. «
Tres-doulx Dieu debonnaire, qui euſtes ſi «
grant pitié de la douleur que vous ſaviés «
que voſtre tres-douce Mere avoit pour vous. «
Adoncques la recommandaſtes-vous à mon- «
ſeigneur ſaint Jehan, pour garder & pour «
ſervir comme ſa mere. Haa! Sire, pour icelle «
pitié, aiez pitié de l'ame de moy. Sire tres- «
doulx, piteux & debonnaire, qui mercis «
euſtes du bon larron, qui à voſtre coſté pen- «
doit, qui mercis vous cria, Sire; & vous ſi « E
humblement & ſi largement vous lui don- «
naſtes ſes meffaits. Sire, je vous requiers «
merci que vous aiez pitié & merci de moy «
pechereſſe & larreneſſe. Larreneſſe, Sire, «
ſuis-je à vous; car je n'ay pas uſé de vos «
biens, de voſtre grace, de voſtre temps, com- «
me je deuſſe. Sire, aprés vous ſouffriſtes la «
mort tres-angoiſſeuſe, & ſi tres-honteuſe «
tout devant le peuple, & encore ne ſouffiſt- «
il pas aux mauvais & felons Juifs: car aprés «
ce que vous fuſtes mort, un chevalier appellé «

» Longis vous feri par voſtre coſté d'un tres-
» cruel glaive, dont voſtre precieux ſanc iſſi
» à auſſi grant ruiſſel, & à auſſi grant foiſon,
» de quoy une petite goutte ſouffiſiſt bien à
» cent mille mondes racheter, Sire, là fuſtes-
» vous ſi doulx & ſi courtois, que celui qui
» voſtre precieux coſté vous perça, qui goutte
» ne veoit, vous lui enluminaſtes la veuë. Haa!
» Sire tres-doulx JESUS-CHRIST, qui pour mon
» ſalut ſouffriſtes celle tres-doulourcuſe mort;
» Sire, je vous prie merci, que vous aiez pitié
» de l'ame de moy, & que vous me veuilliés
» garder de celle crueuſe mort d'enfer. Sire,
» vous aviez diſt que vous ſuſciteriés au tiers
» jour. Vous reſuſcitaſtes, & allaſtes en enfer
» pour vos amis délivrer, & vous demonſtra-
» tes à pluſieurs de vos amis qui moult en fu-
» rent lies & joyeux adoncques. Aprés, Sire,
» vous montaſtes es cieulx pour amour de
» voſtre benoiſte aſcenſion, & portaſtes celle
» precieuſe char, qui pour nous fut crucifiée
» & glorifiée pardevant Dieu le Pere. Et de
ce parla-elle moult merveilleuſement & moult graticuſement; aprés, comment li ſains Eſperis deſcendi au jour de Pentechouſte ens és cueurs de ces apoſtres & de ſa doulce mere, & comment il les conforta, & com-
» ment elle diſoit: Tres-doux JESUS-CHRIST,
» qui au jour de la Pentechouſte reconfortaſtes
» voſtre benoiſte mere & vos apoſtres; con-
» ſcilliés aujourd'huy l'ame de ceſte chetive
» pechereſſe à l'eure de la mort.

17. Et quant elle ot toutes ces bontés ci recordées, que noſtre Sire fiſt pour nous, & de toutes ces choſes lui gracié & mercié ſi humblement, ſi debonnairement, & de ſi tres-grant cueur, & ſi ardanment que nul ne le pourroit penſer. Aprés ce elle ſe commença à jugier ſi merveilleuſement & ſi amerement, en recordant toutes ſes deffautes & de ſi grant cueur, qu'il ſambloit à tous ceulx qui la veoient, que li cueurs lui deuſt partir ou ventre, car elle ſe jugeoit tres-aſ-
» prement, & ſi crioit à haulte voix: Fils de
» David, comment oſerai-penſer que j'aye
» merci, ſi pechereſſe comme je ſuis, qui juſ-
» ques à ceſte heure ay attendu; car oncques
» en jour de ma vie je ne vous ſervis, ne ne
» vous honnouray, ſi comme je deuſſe avoir
» fait; ains ai deſpendu voſtre temps en grant
» orgueil, & en grant boubant, & en vaine
» gloire, & en acquerant les loenges de ce
» monde, & ſi ay veſcu delicieuſement, & ay
» oy pareceuſement le voſtre ſervice. Et en
toutes ces choſes recordoit-elle tousjours ſes deffautes ſi tres-angoiſſeuſement, que elle ne ceſſoit oncques, & tousjours diſoit: Sire,
» ayez merci de moy, & confeſſoit en diſant
que elle eſtoit une des plus pechereſſes du monde.

18. Et quant on lui diſoit: Pour Dieu, doulce dame, ſouffrez-vous un petit de tant parler; car il vous pourroit trop durement grever. Lors diſt-elle: Haa! car me laiſſez « en paix; car ſi je cuidoye qu'il pleuſt à no- « ſtre Seigneur, je vouldroye que je criaſſe ſi « hault & ſi fort, que li cuers me volaſt hors « du ventre, de l'angoiſſe & de la grant dou- « leur que j'ay, que je courroucay oncques « mon createur. Et lors diſt-elle à ceulx qui « eſtoient entour lui: Pour l'amour de Dieu, « doulces gens, gardez-vous de pechier, & ſi « amandés vos vies toſt & iſnelement; car ſe « createure ſavoit l'angoiſſe qui cueur de pe- « cheur, qui a courroucié ſon createur, ſent « à la mort, jamais nul n'oſeroit faire pechié. « Adonc elle s'eſcria en haulx, & diſt: Sire « Dieux, or vous pleuſt-il que je chetive pe- « chereſſe, qui tant ay mené de grant orgueil « & de bouban, feuſſe bien atelée d'un chetif « rouſſin, & puis feuſſe traynée par toutes les « ruës de Paris, là où je me ſuis monſtrée « orgueilleuſement & boubencierement, & que « tous ceulx & toutes celles qui m'ont veuë « mener mes grans comtiſes, me dejettaſſent « de boes & de ſavates; car il n'eſt honte que « on peuſt faire à chetive pechereſſe, que je « ne voulſiſſe que on me feiſt, quant oncques, « vray Dieu, je vous courroucay. Et maintes- « fois parloit-elle à pluſieurs perſonnes qui entour ſon lit eſtoient, & diſoit ainſi: Pour « Dieu, je vous prie, que vous n'attendiés « pas tant à laiſſier le monde comme j'ay fait; « car il me laiſſe maintenant, je ne le laiſſe « pas, Car je l'ay ſervi juſques à l'eure de mort. « Et pour Dieu, mirés-vous en moy qui eſtoie « ſi aveuglée du monde; car je cuidoye vivre « moult longuement, donc j'eſtoye deceüe: « car ſe noſtre Seigneur ne me feuſt ſi cour- « tois, qui m'en a aviſée par ſa doulce grace « & miſericorde, je euſſe eſté deceüe du mon- « de, & moult en ay grant angoiſſe à mon « cueur, quant je ne l'ay avant laiſſié que il « moy: & ſi n'ayés pas fiance en ces faulſes « loenges de ce monde, ne en ces faulſes « amours. Car tout ne vault riens, ne il n'eſt « choſe qui vaille voſtre bon amour, beaux « Sire Dieux. «

19. Quant elle ot toutes ces choſes racontées, & crié merci à noſtre Seigneur moult parfondement, elle requiſt par maintes fois que elle fuſt enoliée. Et quant on luy diſoit: Dame, ſouffrés-vous, il n'eſt pas encore temps; elle diſoit: Je le vueil tant « comme je ſuis en mon ſens & en bonne me- « moire, & je le charge à vous ſur vos ames. « Haa! Sire Dieux, vueilliez-moy donner gra- « ce, que je puiſſe recevoir ceſt benoiſt ſacre- « ment ſi dignement & de ſi grant cueur, « que ce ſoit en amendement de toutes les « autres fois que je ne l'ay pas receu ſi comme « je deuſſe. Car oncques en jour de ma vie « je ne le receus ſi dignement, ne ſi vrayement « comme je deuſſe en ſi grant tremeur, ne en « ſi grant repentance de mes pechiés. Et avant- « hier, beaux tres-doulx Dieux, ne vous re- «

» ceus-je pas ſi comme il apparteniſt à moy. Et ce avoit eſté le ſamedi pardevant que elle l'avoit receu. Hee! Dieux debonnaire, pourquoy diſoit-elle ce; car vrayement c'eſtoit une des perſonnes du monde, qui plus doulcement le recevoit que l'en ſceuſt.

20. Lors lui apporta-on la ſainte onction, & quant elle vit ceulx qui luy apportoient, elle les receut moult liement à ſon petit povoir, & à moult grant reverence, & fiſt ſon plain povoir de ſoy drecier encontre eulx, & ſi leur diſt moult humblement & de cueur, que bien feuſſent-ils treſtous venus; & lors demanda elle que elle devoit dire, & ſi leur diſt : Tres-doulx ſeigneurs, pour Dieu, enſeignés-moy tout, quanque je dois faire & dire à ceſt benoiſt ſacrement recevoir, & on lui diſt qu'elle devoit dire *Pater noſter*, *Ave Maria*, & *Credo in Deum Patrem*, *&c.* & qu'elle criaſt merci devotement à noſtre Seigneur, & qu'elle ne ceſſaſt point en tant que l'en mettroit à faire le ſacrement de l'onction; & tout adez, elle prioit merci à Jesus-Christ ſon créateur, & de ſi fin cueur, que c'eſtoit grant merveilles & grant pitié à veoir & oir.

21. Aprés l'ennoliement, l'en lui apporta la croix de fuſt que elle avoit tant deſirée, » & diſt ainſi : Haa! tres-doulx Jesus-Christ, » ycelle croix de fuſt me donne aſſez plus » grant remembrance de voſtre mort, que » celle croix d'or. Et quant elle fut ennoliée, on lui bailla celle croix de fuſt à baiſier, & » puis diſt ſon confeſſeur : Madame, vées à » la ſamblance de la ſainte croix, en laquelle » noſtre Sauveur Jesus-Christ receut mort au » jour du bon vendredy. Haa! Sire, je croy » certainement, que en ceſte ſamblance vous » moruſtes tres-honteuſement pour moy, & » en ceſte foy & en ceſte vraye creance vueil-je » autreſſi mourir, quant il vous plaira. Tres- » doulx Jesus-Christ, je vous crie merci que » par icelle tres-angoiſſeuſe mort, que vous » avez ſoufferte pour moy, que vous aiés pitié » & merci de moy, Sire Dieux, & me vueilliés eſtre plus piteux & plus debonnaire que » je n'ay deſſervi. Sire Dieux tout-puiſſans, je » ne deſſervi oncques ſi mal; non, Sire Dieux, » moult de bonnes creatures ont eſté penduës, » traynées, enfouyes, arſes, brulées, & noyées, » qui de cent mille tant ne l'avoient pas ſi » bien deſſervi comme j'ay; & Sire, larreneſſe, » murtriere, faulſe & tircheresſe vous ai-je » eſté de l'ame de moy; car, Sire, je l'ay traye » & mal murtriés, ſe vous n'en avés pitié par » voſtre grant miſericorde. Et lors ſe priſt à » ſon cuevre-chief, & l'enveloppa entour ſa » gorge, & ſe lança contre la croix, en diſant : » Sire, Sire, veés-ci voſtre larreneſſe, qui par » droit a deſſervi eſtre penduë au gibet d'enfer, Sire Dieux, ſe vous n'en avés pitié par » voſtre miſericorde. Et lors commença-elle moult à deſpire le monde, en diſant : Fi, fi, fi, de moy qui tant ai mené & ſouſtenu les richeces & les honneurs de ceſtui monde. Et diſoit : chacuns m'enclinoit & s'agenoüilloit contre moy. Que me valent ores ces palais & ces chambres parées, & ces ſales pavées, ces beaux liz en courtines, vins & viandes, compaignies de grans Seigneurs & de grans dames. Quant je ſerai demain encourtinée d'un drap court, & eſtroit de froide pierre & de terre. Et adonc commença-elle à entrer en une ſi grant repentance de cueur, & de ſi grant voulenté, qu'elle ne ſe pouoit abſtenir de crier à noſtre Seigneur, & ſi treshault, qu'il ſambloit que les veines du cuer lui deuſſent rompre, de la grant ardeur & deſir qu'elle avoit de dire ce qu'elle diſoit. En ceſte ardeur & en ceſte ferveur, elle batoit ſi tres-durement ſa coulpe & en ſi grant contrition, qu'il ſembloit que on feriſt ſur une table; & en ceſte ardeur où elle eſtoit, elle ſe retourna devers la gent, & leur cria merci, en diſant : Haa! belle tres-doulce gent, je vous prie merci pour l'amour de Dieu, que vous vueilliez prier pour moy, & vueilliez prandre medecine à la diſcipline pour moy chetive pechereſſe, en nom de penitence, & moult leur pria par pluſieurs fois : Pour Dieu, priez Dieu pour moy, que je ne me deſeſpere, & priés à noſtre Seigneur qu'il me tiengne en ſa vray foy. Et on lui diſoit : Pour Dieu, Madame, parlés plus bas, & ſi vueilliés oir ce qu'on vous dira pour voſtre ſalut. Et elle diſoit : Comment pourrai-je avoir eſperance d'eſtre ſauvée, ſe ce n'eſtoit la tres-grant abondance de la miſericorde noſtre Seigneur; car je chetive pechereſſe ne fis oncques choſe dequoy je deuſſe avoir eſperance de mon ſalut, ſe ce n'eſtoit ſa tres-grant pitié & miſericorde.

22. Lors commença-l'en à parler à elle, & à lui reconforter par quoy elle ne ſe deſconfortaſt pas. Adonc dit-elle : Sire, je vueil que tu ſaiches, & ſi faites-vous bien, que ne paour d'enfert, ne paour d'ennemis ne me fait avoir l'angoiſſe, ne la grant douleur que j'ay, fors que je laſſe chetive pechereſſe vous ay tant & ſi courroucée, mon doulx Seigneur, mon doux createur, pour voſtre amour, Sire, que je cuide avoir perduë. Et ce n'eſt mie grant merveille, Sire, que ſe je la doute avoir perduë; car oncques en jour de ma vie je ne veſquis en eſtat, ne ne fis choſe que je deuſſe envers vous, par quoy je deuſſe avoir eſperance d'avoir merci de voſtre tres-grant miſericorde, n'eſtoit plus grant que l'en ne pourroit penſer ne dire : & ta tres-aſpre & amere Paſſion, en quoy eu tousjours ferme eſperance. Car je ſcay bien certainement, Sire, que nuls ne pot oncques penſer comment vous eſtes tout-puiſſant de pardonner les pechiez des pecheurs & des grans pechereſſes comme je ſuis. Et lors commença-elle à dire à moult

piteux

» piteux plains : Sire, je soulois avoir mes gens
» & mes fourriers qui alloient devant, pour
» prandre mes hostels, & pour appareiller mes
» chambres, & bien parer. Sire, je n'ay qui
» y envoyer pour moy ; ains m'en vois, douls
» Sires, pour une des plus desconseillée & des-
» confortée, plaine de pechiés, la plus poure
» & la plus nuë de tous bienfaits qui soit au-
» jourd'huy. Tres-douls Sire, je vous prie
» merci pour la tres-grant pitié que vous eu-
» stes de la tres-doulce Marie-Magdelaine.
Ceste requeste lui faisoit moult souvent.

23. Et aprés ce elle demanda à oir la Passion nostre Seigneur, & on lui dist en latin & en françois, & là endroit se asseur-elle moult, & en oyant, dist elle moult de parole plaine de foy & de tres grant esperance. Et quant ce fut dit, & elle fut aquoissée le plus, lors commença-elle à parler à la royne MARIE, qui à ce temps estoit royne de France, trop devotement & trop doulcement, & disoit
» ainsi : Ha ! madame doulce, benoit soit no-
» stre Seigneur, qui vous a amenée à ma fin,
» & certes, ma doulce dame, je ne suis pas
» digne que vous y soyés, & pour l'amour
» de JESUS-CHRIST, madame, mirés-vous en
» moy, & si n'ayés pas fiance en vostre jeu-
» nesse, ne en beauté, ne en grant seigneurie
» que vous aiés maintenant : car tout sera cen-
» dre, & tout vous conviendra laissier, ainsi
» comme il fait moy, & si n'attendés mie tant,
» ma doulce dame, comme j'ay fait ; car je
» ne laisse pas le monde, mais il moy. Et ces paroles & autres moult belles disoit-elle à plusieurs personnes qui là endroit estoient, & moult leur pria par plusieurs fois, qu'ils ne se fiassent point en richesces, ne és delices de ce monde, & sur tout rien elle leur basmoit orgueil & bobant. Et lors pria-elle à la royne pour Dieu, qu'elle dist au roy de France, qu'il eust pitié & compassion de l'ame de luy, & qui lui pleust à mettre conseil que son testament feust accomplis, si comme elle l'avoit ordonné. Et merveilleusement elle lui manda moult de belles paroles & de piteuses, en monstrant que il despriſast le monde, les orgueils & les bobans, & pour Dieu que ils remembrassent que tout convendra laissier. Et moult pria la royne, que elle voulsist prier à ses cousins de Saint Paul, que ils ne se teniſſent à malpaiés de ce qu'elle avoit fait ; car se Dieu lui voulsist aidier, elle ne le sasoit pas par deffaute d'amour, ainçois li faisoit seulement & purement pour l'ame de lui & de son salut. Et
» pour Dieu, tres-doulce dame, priés-leur que
» ils me soient aussi courtois, comme ils voul-
» droient que leurs hoires leur feussent, se ils
» estoient ou point où je suis, Dieu mercis.
Et par plusieurs fois elle avoit dit que elle ne faisoit chose, qu'elle ne feist, se elle eust deux enfans ou trois, & en ceste foy lui aidast JESUS-CHRIST à avoir la gloire de paradis quant l'ame partira du corps.

24. Aprés ces choses, elle affoiblia moult, & regarda là où la croix de fust estoit, que on avoit mise contre ses yeulx, & fist signe que elle la vouloit avoir ; & quant on lui apporta, elle la prist à ses deux mains moult foiblement, & dist ains : Hé ! vray Dieu, « qui en la samblance de ceste croix mouru- « stes, Sire Dieux, ayés pitié & merci de l'a- « me de moi, & puis s'escria-elle pardevant « toute la gent : Bonnes gens, veez cy endroit « mes armes, & de ces armes vueil je estre « armée encontre mes ennemis, & en ceste « foy vueil-je bien mourir, ne jamais de moy « ne se despartiront, tant comme je vive. Et « lors la coucha-elle sur son * pis, & estraint * id est sein. entre ses bras au plus fort que elle pot. Et quant ce vint une grant piece aprés que on lui voult ceste croix oster, pour ce que elle lui pesoit trop, elle dist à celui qui la lui vouloist oster : Non ferez, Dieux, dist-elle, « elle ne se partira jamais de moy tant com- « me je la puisse tenir à mes mains, se Dieu « plaise. «

25. Et tantost aprés elle requist que l'ame de lui feust recommandée tant comme elle avoit son entendement. Et celle recommandation prist-elle en si grant leesce, & en si grant voulenté & feurté, que il sembloit que y ne lui coutast, ne ne gravast riens au cueur. Et disoit que elle se merveilloit, se on povoit mourir à si petit de douleur comme elle sentoit. Et tousjours l'en recommandoit son ame, & ainsi que l'en disoit, *Ora pro ea*, elle disoit ententivement, *Ora pro me*, & joignoit les mains si tres-devotement, & batoit sa coulpe si forment, & disoit : Sire, Sire, « en vostre benoiste garde recommande-je l'a- « me de moy. Et quant l'ame de lui fut recommandée, elle leur demanda quelles choses estoient millieurs à dire prés de la mort ; & on lui dist : Madame, dites vostre *Pater noster*, & *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum, &c.* & ce dist elle de bon cueur par plusieurs fois, & puis disoit-elle tant comme elle pot, *Pater noster*, *ave Maria*, & disoit aussi : *Sancta Maria, mater Domini mei* JESU CHRISTI, *ora pro me* ; & disoit moult de belles & de bonnes prieres que elle savoit, à son petit povoir ; car certes elle estoit moult foible. Et lors se commença à taire, & on la vist un pou fremir, tout aussi comme se elle eust paour, & lors on lui dist pour lui reconforter : Madame, n'ayez pas paour ; car « se oncques nulle creature entra en la gloire « de paradis, pour croire fermement la foy « Chrestienne, & pour tres-grant repentance « avoir, nous creons fermement & certaine- « ment que vous y serez. Et lors parla tantost « son confesseur à elle, & lui dist : Madame, « aiés bien ferme esperance en la foy de sainte « eglise, & si n'aiés pour l'amour de Dieu nulle « paour ; car je pren tous vos pechiés sur moy ; «

» & ſi creés fermement ou Pere, ou Fils, & ou Saint-Eſprit ; car ceſt article eſt de neceſſité à croire pour le ſalut d'un chacun.

» 26. Adonc diſt-elle: Je croi certainement que » ce ſoit un Dieu en trois perſonnes, li Peres, » li Fils, & li Sains-Eſperis, où j'ay tout adez » cuë ma ferme eſperance, & en ceſte foy vueil- » je bien mourir. Et lors parla-elle moult fermement & moult parfondement, & de ſi tres grant foy du Sacrement de l'autel. Adonc fut-elle un bien pou aquoiſée, & autreſſi comme en tranſſes, & ouvri ſes yeulx qu'elle » avoit tres-beaulxs, & puis ſi diſt: Haa! tres- » doulx Sires, ci a grant nobleſce, & ce ne » ſont pas de mes nobleſces que je ſouloie » jadis mener par orgueil & par tres-grant beu- » bant en ce monde. Et quant elle ot ce dit, elle ſe tut un tres-petit, & puis elle ouvri ſes yeulx, & lançant ſes deux bras devers le ciel: Voire avecques vous, Sire, droit comme ligne; & puis ſi dit: *In manus tuas, Pater, commendo ſpiritum meum.* Adonc lui diſt le prieur des freres de noſtre Dame du Carme, » qu'elle avoit retenu. Madame, dites ce ver » du Pſeautier: *Diſrupiſti, Domine, vincula mea,* » *tibi enim ſacrificabo hoſtiam laudis.* Car la gloſe » de ce texte diſt que quiconque le dit trois » fois devant la mort, il aide à avoir grant » remiſſion des pechiés, & vault contre les ennemis d'enfer. Et elle l'en mercie moult doulcement, & diſt cellui ver par trois fois moult devotement, & entre-deux diſoit-elle: » Voire, Sire, avecques vous m'en irai-je droit » comme ligne. Et tant comme elle pot parler, elle parloit tousjours à noſtre Seigneur JESUS-CHRIST, & moult ſouvent. Hee! » Dieux, diſt-elle, la mort m'aptouche, & puis » aprés diſt ainſi: Pleuſt ore à Dieu, que tous » mes amis ſceuſſent comment il m'eſt; car » je ſuis moult aaiſe la merci à Dieu. Et tousjours diſt-elle tant comme elle pot ainſi: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Et lors fut-elle en tel point, que l'en cuidoit tout certainement, que l'ame s'en alaſt. Si commença-l'en la letanie. Et quant l'en diſt *Sancta Trinitas*, elle diſt: Arreſtés-vous, & ſi demanda ſes executeurs, & ſi leur diſt: » J'avoye en mon propos de faire une chapelle » de la benoiſte Trinité de v. freres ou de ſix. » Je vous prie, & vueil, que vous la faciés faire. Et tout errant, ſi comme elle ot ce dit, elle fut en tel point, qu'il ſambloit bien qu'elle ne deuſt jamais parler; & diſoient tout enſuivant la letanie. Et quant vint au dire, *Sancte Johannes Baptiſta*, elle ſe revigoura ce qu'elle pot, & ſi leur diſt: Arreſtés- » vous, je avoie en mon propos de faire une » chapelle de monſieur ſaint Jehan Baptiſte. » Je vueil, & vous prie tant comme je puis » & ſcay, que elle ſoit faite; & lors lui demanda-on de combien; & elle diſt ſa voulenté, & tantoſt ſe repouſa: car moult eſtoit afflictée & travaillée du corps, & en moult petit point. Et puis ils diſoient la letanie juſques-là où l'en diſt, *Sancta Maria Magdalena*, & lors elle diſt: Arreſtés-vous, & moult leur pria, & diſt qu'elle avoit eu devotion à la benoiſte Marie Magdeleine, & voult que on en feiſt une chapelle en remuneration de tous ſes meffaits. Et puis la bonne conteſſe d'Alençon & de Blois n'atendi à nulle res fors à Dieu prier qu'il lui voulſiſt tous ſes meffais pardonner, ſi tres-bas, que on ooit moult pou ce qu'elle diſoit. Et aucunes fois diſoit-elle tout baſſet: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*, ſi comme elle povoit, & en celles paroles, & en tel entendement tousjours fut juſques à la fin, que ſes eſperis ſe departi de ſon corps. Et ſi fut ſi doulce & ſi gracieuſe à ſa fin, que tous ceulx & toutes celles qui là endroit eſtoient preſens, diſoient qu'ils ne l'avoient oncques veuë ſi doulce ne ſi gracieuſe comme elle eſtoit, & leur eſtoit avis que elle riſiſt.

27. Noſtre Sire JESU-CHRIST, li doulx Roys de paradis, li Sires tous puiſſans en ciel & en terre & en mer, & la beneiſte Vierge MARIE, ſa très-doulce mere, aient anjourd'huy pitié & merci de l'ame de la bonne dame, & auſſi de toutes les ames de tous ceulx & de toutes celles qui ſont treſpaſſées de c'eſt ſiecle, qui la merci Dieu attendent. Dittes *Amen. Pater noſter. Ave Maria.*

28. Ci fine l'ordõnance de madame JEHANNE la conteſſe d'Alençon. Et pour Dieu, très-doulce gent, qui le grant bien & l'ordonnance du treſpas de ceſte bonne dame, la conteſſe d'Alençon & de Blois avés oy recorder, il vous plaiſe à de prier à JESUS-CRIST le roy tout puiſſant, que par très-grant miſericorde, qu'il vueille avoir pitié & merci d'une très-bonne dame noble à ſon vivant, qui tous les jours de ſa vie veſqui humblement & ſaintement, qui moult avoit grant pitié & compaſſion des poures membres de JESUS-CRIST, qu'il vueille l'ame de lui faire & mettre repoſer en ſon ſaint paradis, ce qu'elle le puiſt veoir en ſa ſaint ſine gloire face à face. Dites, *Amen.*

29. Ce fut madame KATHERINE DE BAILLOUEL dame de Leuze & de Condé ſur l'Eſquaut, qui treſpaſſa à Barenther le prouchain lundi devant le jour de monſieur ſaint Denis VI. jour du mois d'Octobre, en l'an de l'Incarnation noſtre Seigneur JESUS-CRIST mil CCC. XXXVII. Et li ſiens corps ſe repoſe à preſent en l'abbaye du Mont S. Eloy de lès la cité d'Arras. *Pater noſter, & cum hoc, De profundis clamavi, pro ea & pro cunctis fidelibus defunctis. Amen.*

Oremus.

Fidelium Deus omnium conditor & redemtor, animabus famulorum famularum-

que tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur, per te JESU Salvator mundi, qui cum Patre & Spiritu-ſancto vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum Amen.

A Cy endroit fine l'ordonnance de madame la conteſſe d'Alençon & de Blois, qu'elle ot à ſon treſpaſſement. Priés pour lui que Dieux bonne merci lui face, & à tous les treſpaſſés en noſtre Seigneur JESUS-CRIST. Amen.

PROCESSUS CONTESTATIONUM SUPER SANCTITATE ET DOCTRINA BEATÆ CATHARINÆ DE SENIS,

DE MANDATO REVERENDI IN CHRISTO PATRIS ac D. D. Franciſci Bembo, Dei gratia, epiſcopi Caſtellani, per Franciſcum de Viviano notarium curiæ epiſcopalis Caſtellanæ de Venetiis, in cancellaria dictæ curiæ poſitus, ibidemque ad perpetuam rei memoriam conſervandus, ac ſine ipſius domini epiſcopi & ſucceſſorum ejus licentia inde nullatenus removendus, niſi alias habito diligenti conſilio diſcretorum virorum.

Ex manuſcripto codice Majoris-Carthuſiæ.

OBSERVATIO PRÆVIA.

CUm B. Catharina virgo Senenſis, de Pœnitentia ſancti Dominici, Romæ die Aprilis 29. anni 1380. *ad ſuperos evolaſſet, multiſque, dum in vivis ageret, miraculis claruiſſet, nec paucioribus etiam poſt mortem coruſcaret ſignis, quibus pro vita ſanctitate cœlitum gloria perfrui probaretur: fratres Prædicatores in ſuis Venetiarum & aliis quibuſdam Italiæ conventibus, aliqualem ejus memoriam fere ab ipſo obitu celebrare cœperunt. Nam dominica poſt feſtum S. Petri martyris die, is qui apud eos concionatoris ordinarii munus exercebat, in laudem B. Virginis publice ſermonem habebat ad populum, atque ad eximias illius virtutes imitandas auditores hortabatur. Id cum pro more in conventu SS. Johannis & Pauli præſtitiſſet anno* 1411. *ortum ſubito eſt murmur in vulgus, ſtupentibus multis, virginis inter ſanctos apoſtolica auctoritate nondum relatæ adeo ſolemnem agi memoriam: nec defuere qui re ad Caſtellanum epiſcopum ſummi pontificis legatum delata, tanti de novitate facinoris inquiri juridice poſtularent. Is inſequenti die 26. menſis Maii præcipuos feſtivitatis hujus, ut aiebant, promotores, fratrem Bartholomæum de Ferraria inquiſitorem, & fratrem Thomam Antonii de Senis ejuſdem ſanctæ quondam confeſſorem in jus vocavit, ſuper querelis de ipſis factis reſponſuros. Qui quidem ſic vocati, coram epiſcopi vicario comparentes, declararunt nullum ſe prædictæ virginis feſtum celebraſſe; ſed decantato ex more de dominica officio, eximia in ea Dei dona prædicaſſe, virtutes ejus non vulgares imitandas populis proponendo: quæ certe adeo notæ cunctis & celebres evaſerant, ut digna quæ ſanctorum albo inſcriberetur ab omnibus judicaretur: ceterum perhibuiſſe ſe teſtimo-*

nium veritati, paratos etiam facti ſui rationem reddere, ſed ſcripto potius quam verbo rem expediendam. Aſſentiente vicario, conteſtationes ſuas de vita & doctrina S. Catharinæ ſtatim ambo ſcriptis fuſioribus exhibuerunt. Neque his contenti, ſimiles ab aliis graviſſimis viris exhiberi procurarunt, Stephano de Maconibus ordinis Carthuſienſis præpoſito generali, Bartholomæo de Ravenna ejuſdem ordinis ac priori inſulæ Gorgoniæ, qui ambo Catharina ipſa familiariter uſi, ac virtutum ipſius conſcii fuerant. Inſuper a fratre Angelo de Senis ordinis Minorum, atque a fratre Bartholomæo Dominici de Senis, quorum omnium conteſtationes ab eruditis Bollandi continuatoribus, multa adhibita diligentia, fruſtra perquiſitas, feliciter inveni in Majori-Carthuſia, ex mſ. codice fratrum Prædicatorum Senenſium, propria manu R. P. domni Petri Maſotti prioris Pontiniani prope Senas olim deſcriptas, ac mihi edendas perhumaniter commiſit R. P. Innocentius Maſſon, *Majoris-Carthuſiæ prior & totius ordinis ſui præpoſitus generalis, utpote quæ non ſolum beatæ Catharinæ, ſed eccleſiaſticæ etiam ac præſertim Gregorii XI. & Urbani VI. ſummorum pontificum illuſtrandæ hiſtoriæ conferre poſſunt non parum. His ſubjungemus Sixti papæ IV. bullam, qua ſub graviſſimis pœnis vetat depingi S. Catharinam Senenſem cum ſacris ſtigmatibus.*

IN CHRISTI NOMINE AMEN.

Anno 1380. 1. ANno nativitatis ejuſdem 1411. indictione quarta, die vigeſima quarta menſis Maii ad perpetuam rei memoriam. Pateat omnibus infra ſcripta legentibus, quod cum a magno tempore in conventu SS. Johannis & Pauli, S. Dominici, & in monaſterio Corporis Chriſti de Venetiis, ordinis fratrum Prædicatorum, annuatim celebrata fuerit memoria cujuſdam virginis B. Catharinæ de Senis; in dominica videlicet quæ ſequitur immediate feſtum B. Petri martyris ordinis Prædicatorum; contigit anno prædicto quod cum memoria prædicta in conventu dicto SS. Johannis & Pauli celebraretur more ſolito & tempore, & prædicaret ibidem ille qui tunc erat prædicator dicti conventus, videlicet quidam venerabilis pater, frater BARTHOLOMÆUS de Ferraria, ortum eſt quoddam murmur inter aliquos dictæ virgini aliqualiter detrahentes ex grandi admiratione habita de virtutibus eximiis quæ dicebantur de illa, & aliquos alios ipſi virgini non parva devotione affectos. Ex quo ſequutum eſt quod per quoſdam diſcretos viros extitit ordinatum, quod apud dominum epiſcopum Caſtellanum fieret quædam querela ſuper dicta materia, ut ipſe dominus epiſcopus habitis declarationibus aliquorum patrum ſupradicti conventus SS. Johannis & Pauli, circa materiã memoriæ ſupradictæ, quietare valeret quoſcumque ſuæ diœceſis quovis modo errabundos ſive turbatos. Sicut fuerat ordinatum, ita fuit poſtmodum executioni mandatum. Nam anno, indictione, menſe & die ſupradictis, in quo die celebratur feſtum tranſlationis B. Dominici patris ordinis Prædicatorum, propoſita & facta fuit dicta querela, prout hic immediate ſubſcribitur, me Franciſco de Viviano de Venetiis curiæ præfati domini epiſcopi notario publico infraſcripto præſente, videlicet.

Querela de annua commemoratione B. Catharinæ ſanctorum catalogo nondum adſcriptæ.

2. Coram reverendo in Chriſto patre & domino, domino FRANCISCO BEMBO, Dei & apoſtolicæ ſedis gratia epiſcopo Caſtellano, comparuerunt & nobis, egregius vir dominus BERNARDUS BEMBO de Venetiis, de confinio ſanctæ Mariæ-novæ, & Caſtellanæ diœceſis, circumſpecti viri F. Giannottus de Albertis de Florentia, de confinio S. Marinæ; F. Daniel Ziono de Venetiis, de confinio S. Leonis; F. Antoninus Savagnino de Venetiis, de confinio S. Cantiani; F. Guido & Johannes Leopardo de Luca, de confinio S. Mariæ; & F. Corradus de Bruxia, rector ſcholarium de confinio S. Simeonis prophetæ: & expoſuerunt eidem quamdam piam querelam infraſcripti tenoris, videlicet: Habita recompenſatione, quod jam a pluribus elapſis temporibus, in quibus omni anno excolitur & celebratur feſtum in locis & conventibus fratrum Prædicatorum de Venetiis, videlicet in conventu SS. Johannis & Pauli, & in conventu S. Dominici, cujuſdam quæ vocatur & nominatur B. Catharina de Senis, quæ etiam in pluribus locis depingitur, & multis videtur quod non ſit bene factum, non ſecundum ordinem ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, ex eo quod ipſa nondum eſt canonizata.

Petitio ſuper quietatione de illa commemoratione, & ejus approbatione.

3. Habita inſuper recompenſatione ab alia parte, qualiter reverendo patri & domino, domino FRANCISCO epiſcopo Caſtellano intereſt inquirere pariter & providere, quod orationes & devotiones eccleſiaſticæ directe perficiantur, & ut debetur, juxta ritum, conſuetudinem & intentionem S. R. E. prælibatæ. Propterea nos apparentes hic coram

reverentia veſtra, moti zelo & caritatis ardore, piam querelam facimus, & exponimus ſuperinducta, aviſando eamdem reverentiam veſtram, ut ſuper hoc inquirere placeat & providere, mittendo pro principalioribus fratribus dictorum conventuum & locorum, ac ab eiſdem inquirendo, & cum ipſis providendo, & taliter ordinando quod circa hoc non poſſit ſequi error, nec ſcandalum alicujus, & immo taliter provideatur, quod omnes & ſinguli civitatis Venetiarum & diœceſis Caſtellanæ, bonam ædificationem ſpiritualem, conſolationem, & ſanctam devotionem valeant reportare.

4. Poſtmodum die vigeſima ſexta menſis Maii inſtantis, de mandato ſupradicti domini epiſcopi Caſtellani fuerunt ſupradictus V. P. F. Bartholomæus de Ferraria inquiſitor Ferrarienſis, & V. P. F. Thomas de Senis de ſupradicto conventu SS. Johannis & Pauli ordinis Prædicatorum, apud ipſum dominum epiſcopum Caſtellanum, præſente ſuo vicario, videlicet domino Dominico de Eſculo canonico Eſculano, & me notario infraſcripto, in capella epiſcopalis palatii, ubi diſputatum fuit aliqualiter ſuper querela prædicta, & tandem ad vitandum atque ſedandum quodlibet ſcandalum, fuit poſt multa concluſum, quod bonum erit veritatem inquirere, & informationem habere de veritate ſuper celebritate commemorationis prædictæ, præfatæ virginis Catharinæ de Senis, ut ſic cunctis patere poſſet quod decenter fieret dicta commemoratio, & prædicatio de virtutibus dictæ virginis, licet nondum canonizata foret. Propter quod dictus dominus epiſcopus hujuſmodi cauſam commiſit, dicto ſuo vicario generali, concludendo quod præfatus inquiſitor Ferrarienſis, qui in principio ſupradicti menſis Maii, videlicet in die Inventionis S. Crucis, qui tunc in die dominico venit, in quo celebrata eſt dictæ virginis memoria, & de ipſa prædicaverat, ſuper id ſcriberet, & etiam præfatus pater frater Thomas de Senis, qui aliis annis quampluribus adhuc prædicaverat de virgine tali die, & conſimiliter aliqui alii magis de virtutibus ipſius virginis informati.

5. Sed cum contingeret ex quadam occurrenti neceſſaria cauſa, quod nocte immediate ſequenti oporteret dictum inquiſitorem Ferrariam accedere, ſive redire; concluſum fuit quod ex parte dicti domini epiſcopi Caſtellani ſcriberetur domino epiſcopo Ferrarienſi, quod ibidem in Ferraria deberet in publicam formam habere dicta præfati inquiſitoris, ſuper materia ſupradictæ commemorationis & prædicationis per ipſum factæ in ſupradicto conventu SS. Johannis & Pauli de Venetiis, in tali die, de virgine præfata ejuſque virtutibus, & ſic talia dicta fideliter præfato domino epiſcopo Caſtellano tranſmittere. Unde ſupradictus dominus vicarius A volens hujuſmodi commiſſionem executioni mandare, ſibi per dictum dominum epiſcopum, ut præmittitur, factam, ac per hoc volens ſuper præmiſſis inquirere: & aliqualem informationem habere, ut mentes præfatorum exponentium & aliorum civitatis Venetiarum valeret reddere pacificas & quietas, mandavit infraſcriptas litteras dirigi dicto domino epiſcopo Ferrarienſi, quarum tenor ſic ſequitur.

Epiſtola epiſcopi Caſtellani ad Ferrarienſem, de facienda inquiſitione a fr. Bartholomæo.

6. Reverende in Chriſto pater. Cum nuperrime expoſita fuerit querela & informatio quædam, quod inter alios fratres frater Bartholomæus de Ferraria ordinis fratrum Prædicatorum qui eſt ibi, prædicavit hic in Venetiis publice coram populo quamdam Catharinam de Senis fore venerandam pariter & beatam, nondum per eccleſiam approbatam, in ſcandalum plurimorum. Idcirco veſtram paternitatem rogamus, quatenus mittentes pro dicto F. Bartholomæo ſuper præmiſſis ipſum audiatis, & ejus dicta in ſcriptis redacta, ſub veſtro ſigillo clauſa, nobis placeat deſtinare. Paratus ad omnia poſſe tenus operari. Datum Venetiis anno 1411. die 27. menſis Maii. FRANCISCUS BEMBO Dei & ſedis apoſtolicæ gratia epiſcopus Caſtellanus.

Fr. Bartholomæus petit inquiſitionem fieri coram vicario epiſc. Caſtellani.

7. Poſt hæc contigit, quod cum ad aures præfati P. F. Bartholomæi inquiſitoris Ferrarienſis in Ferraria exiſtentis perveniſſet, dominum epiſcopum Caſtellanum ſcripſiſſe litteras præfatas domino epiſcopo Ferrarienſi, quod deberet eum requirere ſuper his quæ dixerat & prædicaverat de dicta virgine in Venetiis, & ſic ejus dicta ſub epiſcopali ſigillo, ut ſuperius dicebatur, domino epiſcopo Caſtellano tranſmitti, ſcripſit dictus pater F. Bartholomæus inquiſitor Ferrarienſis Venetias ſupradicto patri fratri Thomæ de Senis, qualiter propter reverentiam ſui officii inquiſitoris in Ferraria non erat honeſtum quod epiſcopus ejuſdem loci de materia præfata & ſimili ipſum examinare deberet: & ita decentius foret, quod vicarius domini epiſcopi Caſtellani ſibi ſuper dictis ſcriberet, & ipſe ſibi in formam publicam ſuper intenta materia plenarie reſponderet. Supradictus autem pater fr. Thomas de Senis, habita littera præfati patris fr. Bartholomæi inquiſitoris, fuit ad præfatos dominos epiſcopum Caſtellanum & ejus vicarium generalem, quibus cum narraſſet prædicta quæ præfatus P. frater Bartholomæus ſcripſerat ſibi, dictus dominus vicarius, de conſenſu dicti domini epiſcopi Caſtellani, dicto patri fratri Bartholomæo inquiſitori & in Ferraria tunc degenti, ſcripſit litteras infra ſcripti tenoris.

Epiſtola vicarii Caſtellani epiſc. ad Bartholomæum de Ferraria.

8. Reverendiſſime inquiſitor, cum de menſe immediate præterito, publice coram reverendo ac D. D. epiſcopo Caſtellano expoſita fuerit quædam querela, quod a multis annis

hic in vestro conventu SS. Johannis & Pauli fuit celebratum festum seu memoria cujusdam Catharinæ de Senis, sororis ordinis de Pœnitentia sancti Dominici; sitque nobis relatum, quomodo die tertia dicti mensis interfuistis dictæ solemnitati, & tamquam prædicator conventus prædicastis ibidem de eadem coram populo de Venetiis tamquam de beata. Ideo tamquam zelator fidei, amatorque pacis, & præsertim populorum nobis subditorum, & ad sedandum quodvis scandalum eorumdem, vos rogo, quod statim vos, tamquam de ad fidem pertinentibus defensorem & vestri ordinis zelatorem, & per manus proprias vel notarii vestri mihi scribatis, quæ & qualia in præfata prædicatione protuleritis, & unde habeatis, si ipsam dogmatizastis ut sanctam, cum non habeatur quod sit ab ecclesia approbata; & dictum vestrum super præmissis sub vestro sigillo clausum nobis placeat fideliter destinare. Paratus ad vestra beneplacita. Datum Venetiis 1411. die penultima mensis Junii, DOMINICUS DE ESCULO, canonicus Esculanus, reverendi patris ac D. D. episcopi Castellensis vicarius generalis.

9. Cum autem dictus pater frater Bartholomæus, inquisitor Ferrariensis, recepisset in Ferraria prædictas litteras dicti domini vicarii domini episcopi Castellani, cœpit dare ordinem ad respondendum plenarie juxta posita; sed postmodum quamplurimis impedimentis tam sibi quam suo notario occurrentibus, dilata est præfata responsio. Inter hoc autem contigit quod dictus P. F. Bartholomæus factus est prior ejusdem conventus SS. Johannis & Pauli, ipso etiam in inquisitionis officio permanente: Et cum de Ferraria Venetias advenisset ad exequendum dicti prioratus officium, circa finem mensis Novembris supradicti anni 1411. & in dicto officio, ac etiam in prædicationibus foret continuo occupatus, finaliter tamen capta opportunitate, responsionem supradictam perfecisset, ordinavit quod in Ferraria per notarium sive scribam suæ curiæ officii inquisitionis publicaretur, & sigillo dicti officii muniretur; & ita factum est anno Domini 1412. die 27. mensis Aprilis. Cum autem dictus dominus prior & inquisitor postea die 7. mensis Maii immediate sequentis habuisset de Ferraria supradictam suam scripturam responsalem plicatam & sigillatam, ut præfertur, consequenter die 16. ejusdem mensis præfatus prior & inquisitor, assumtis secum tribus fratribus, videlicet supradicto V. P. F. Thoma de Senis, F. Johanne de Luca, & F. Jacobo de Papilionibus de Venetiis, accessit ad supradictum dominum vicarium Castellanum, & juxta banchum audientiæ episcopalis, præsentibus dictis tribus fratribus & notario publico infrascripto, ipse supradictus P. F. Bartholomæus de Ferraria, prior & inquisitor præfatus, supradictam suam responsionem, ut dictum est, plicatam & sigillatam, prout litteræ supradicti domini vicarii Castellani petierant, personaliter præsentavit. Qui dominus vicarius dictam scripturam plicatam & sigillatam, ut supra, propriis manibus accepit; statuens terminum supradicto priori & inquisitori quindecim dierum, ut pro responsione rediret, & ita factum est. Cum autem dictus dominus vicarius aliis occupatus nondum dictam scripturam plene vidisset, inde ad aliquos dies cum illam perlegisset ad plenum, dixit quod bene stabat, & quod in illa nihil reprehensibile reperisset. Dictæ autem scripturæ sive responsionis tenor sequitur.

IN NOMINE DOMINI. AMEN.

Contestatio Bartholomæi de Ferraria de Inclusione S. Catharinæ.

10. Noverint universi præsentes litteras inspecturi, qualiter anno Domini 1411. cum ego frater Bartholomæus de Ferraria, inquisitor Ferrariensis, ordinis Prædicatorum, essem in Venetiis actualiter prædicator conventus SS. Johannis & Pauli ejusdem ordinis, contigit me prædicare die tertia mensis Maii in dicto conventu, in quo die fuit festum Inventionis S. Crucis, & in quo die prædicans de Cruce, prædicavi etiam de virtutibus eximiis cujusdam, quæ communiter appellatur beata Catharina de Senis, applicando virtutes dictæ virginis ad materiam dictæ Crucis, de qua prædicavi in die præfato; & hoc ex eo quod omni anno circa principium mensis Maii, in dicto conventu virginis ejusdem commemoratio aliqualiter celebratur. Et cum occasione dictæ prædicationis facta fuisset per quosdam bonos viros quædam pia querela apud dominum episcopum Castellanum; quomodo videlicet non videbatur congruum, quod fieret celebritas de dicta virgine, ex eo quod canonizata non erat, admirantes etiam non parum super his quæ dicebantur de illa. Debens ergo ego die illa Ferrariam accedere, sentiensque quod deberem ex dicta causa a præfato domino episcopo Castellano requiri, ac etiam quidam alii patres nostri ordinis tunc in Venetiis existentes; antequam de Venetiis discederem, ad dictum dominum episcopum visitandum accessi cum quodam venerabili patre fratre Thoma de Senis ejusdem ordinis, ac eidem domino episcopo & vicario ejus promisi quod de Ferraria super materia celebritatis supradictæ virginis, & qualiter de ipsa prædicaverim die supradicta, eidem domino episcopo vel ejus vicario in scriptis publicis serioſius intimarem; & ita dominationi suæ valefaciens accessi Ferrariam, ubi existens, cum accepissem unam litteram pro parte reverendi vicarii supradicti, quatenus deberem quod promiseram executioni mandare; capta opportunitate, per publicas litteras tamquam adjuratus respondendum duxi, & ita respondeo

per præſentes, atque contestor videlicet.

11. Venerabili patri & domino Dominico de Eſculo, decretorum doctori egregio, & reverendi D. D. Francisci Bembo Dei & apoſtolicæ ſedis gratia epiſcopi Caſtellani vicario generali, frater Bartholomæus de Ferraria inquiſitor Ferrarienſis, licet indignus, cum recommendatione ſeipſum.

Litteras per R. V. mihi tranſmiſſas reverenter & affectanter accepi: quibus perlectis, adverti qualiter juxta illud quod veſtris paternitatibus, ſcilicet domini epiſcopi Caſtellani & veſtræ, promiſeram, requirebatis; ut videlicet veridice informare deberem eaſdem ſuper celebrationem quæ fiebat in conventu SS. Johannis & Pauli ſupradicto, de quadam, quæ communiter nuncupatur beata Catharina de Senis, ordinis de Pœnitentia S. Dominici, nec non de per me prædicatis de virgine prælibata in die ſupradicto. Quapropter id per præſentes ac ſi adjuratus forem, executioni mandando, in primis dico, Verum eſſe quod a magno tempore citra annuatim facta fuit, & fit celebratio dictæ virginis in Dominica quæ immediate ſequitur feſtum B. Petri martyris ordinis Prædicatorum, & hoc in ſupradicto conventu SS. Johannis & Pauli ejuſdem ordinis. Item dico, quod jam ſunt anni decem & ultra, ex quo fui prædicator in dicto conventu, & vidi dictam celebritatem ibidem fieri, licet ego tunc non prædicaverim, ſed alius; & ita conſimiliter audivi in antea & poſtea factum fuiſſe cum devotione non parva. Item, dico quod nec in anno præſenti, nec alio umquam adverti vel audivi quod in dicta celebratione aliquid fieret, per quod derogaretur decretis eccleſiæ, utpote quod officium diceretur proprium vel appropriatum, vel aliquid aliud ſecundum modum eccleſiæ erga ſanctos canonizatos regulariter obſervatum; ſed quod ſemper tali die factum eſt officium de Dominica vel de ſancto occurrente tali die. Item, dico quod numquam vidi dictam virginem depictam cum diademate rotundo circa caput, ſicut de ſanctis canonizatis generaliter & ſemper fieri conſuevit; ſed ſemper vidi eam depictam cum diademate radioſo circa caput, prout eſt conſuetum fieri erga tales perſonas quæ beatæ communi nomine appellantur, quamvis etiam aliquando de appellatis beatis & nondum canonizatis viderim quoad alios appoſitum, utpote cum corona rotunda depictos, nulla interveniente querela. Item, dico quod anno & die ſupradictis, videlicet die tertia menſis Maii 1411. in quo die celebrata fuit cum ſolemnitate Inventionis S. Crucis etiam memoria virginis prælibatæ, in ſupradicto conventu ego prædicavi, & propter aliquos minus doctos & minus docte loquentes, & etiam propter veridicam populi informationem, ipſum populum docui tam de præfatis, quam de aliquibus aliis, prædicando videlicet qualiter noſter ordo Prædicatorum, tamquam habens in horrorem omnem errorem, non celebrat in dicta die memoriam dictæ virginis tamquam de ſancta canonizata, nec faciebat, nec fecit officium de ipſa; ſed ſolum de Cruce & de Dominica. Item, dixi quomodo licet hinc inde multipliciter eſſet depicta, attamen quidquid vidi depictum circa ejus imaginem, ſive pertinens ad vitam ſuam, ſive ad miracula ejuſdem, totum erat ſimpliciter & veridice factum, ſecundum quod in ejus legenda continebatur. Item dixi, quia licet verum erat, quod hæc virgo nondum erat ſolemniter canonizata, & quod ex hoc non erat abſolute ſancta appellanda, quemadmodum ſunt ſanctæ per eccleſiam ſolemniter canonizatæ, ſed quod bene dici poterat beata, eo quod propter eximias virtutes & vitam & doctrinam ſanctam, quæ fuerunt de ipſa uſque ad ſuum tranſitum incluſive, nedum beata, ſed etiam pie quodammodo ſancta dici potuerit; quemadmodum contigit pluribus ſanctis, qui nedum antequam canonizarentur, ſed etiam dum agerent in humanis, fuerunt ſancti a pluribus appellati, prout conſtat contigiſſe de iſta, ut patet ex pluribus, & ſignanter ex ejus legenda: unde multo amplius poteſt dici beata. Nam Dominus Jesus Petrum profitentem ejus divinitatem appellavit beatum, dicens: *Beatus es, Simon, Bar-jona.* Et efficaciter audientes verbum Dei etiam appellavit beatos, dicens: *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Conſimiliter in ſuo ſermone quem fecit in monte, dixit beatos fore pauperes ſpiritu, ſemper loquendo de viatoribus, quorum tamen finis communiter eſt interitus. Unde multo magis convenit beatitudinis appellatio ſive denominatio eximiæ virtutis vita viventibus, & ſignanter perpetua devotione tranſeuntibus: de quorum numero iſta ſingulariter fuit, ut ex decurſu præfatæ legendæ apparet. Item, dixi & dico qualiter licet de hac virgine non fieret aliquod officium, attamen fieri poterat prædicatio & ſermocinatio de virtutibus & ſancta vita ac doctrina ſua, felicique tranſitu ejuſdem; & hoc ad animandum fideles ad virtuoſam vitam, quemadmodum adducimus ad eumdem finem in prædicationibus virtutes depictas, quæ fuerunt in philoſophis & paganis. Nam etſi ſit ſermo de uno ſæculari, vel clerico, aut religioſo, qui tamen fuit peccator in vita, & in fine oſtendit ſigna pœnitentiæ per receptionem ſacramentorum, multo amplius fieri poteſt & debet de perſona quæ ſingularibus virtutibus emicuit in vita & doctrina, & cum hoc tam ſingulariter quam devote ex hac vita tranſivit, ſicut fuit virgo iſta, ut patet ex ejus legenda & legitima fama. Item, dixi de multis ſpeciebus & diſtinctionibus S. Crucis etiam ſpiri-

tualibus & mysticis ad virtutes & earum excessum pertinentibus, & quamplures huic virgini applicavi; quod ut melius pateat, prædicationem prædictam duxi breviter inserendam: pro cujus executione proposui verbum apostolicum tunc congruentis epistolæ, secundum ordinem nostrum pro festo Inventionis S. Crucis, videlicet: *Ergo evacuatum est scandalum crucis.* Ad Galatas cap. 5. Ubi præmissa litterali expositione dicti verbi, & salutatione angelica, juxta morem, & resumto præfato themate, pro ejus introductione tres præmisi propositiones cum declarationibus suis.

Initium hujus concionis quæ ad festum Inventionis præsertim pertinet, brevitatis causa prætermisimus, ea quæ S. Catharinam spectant referre contenti.

S. Catharina erga crucem quâ affecta.

12. Quia vero, ut omnes nostis, hodie cum festo Inventionis Crucis Christi etiam recolitur quædam memoratio B. Catharinæ de Senis, volens antequam ulterius procedam, tam præfatam crucem in qua crucifixus est Dominus, quam etiam prædictam crucem moralem prædictæ virgini adaptare, est notandum quod, ut signanter in secunda parte suæ legendæ in ultimo sexti capituli ostenditur, tantæ affectionis extitit ad dictam Crucem Christi, ut non cum parvo excessu affectaret per omnia Christi passionibus conformari, orando apud sponsum suum ita efficaciter, ut dignaretur sibi concedere passiones suas in cruce propter se & alios toleratas sentire, ac etiam quantum erat sibi possibile experiri: quod exaudita idipsum meruit reportare; in tantum quod ex vehementia talium passionum atque dolorum cor in suo corpore finaliter scinderetur, sicque ad tempus ex hac vita migraret. Insuper quodam die apparente sibi sponso suo JESU CHRISTO cruci affixo, ipsi virgini stigmata sua, licet invisibili modo, taliter eidem impressit, & cum tanti doloris & passionis suæ experientia, ut dictis stigmatibus receptis, postea syncopizaret; & tam a seipsa, quam a ceteris æstimatum fuit, quod ex intentione dictorum dolorum, tunc, nisi Dominus aliter dispensasset, sicut & fecit omnino, ex hac vita migrasse deberet, prout etiam in secunda parte suæ legendæ capite sexto narratur. Præterea etiam sibi pluries apparuit JESUS CHRISTUS crucifixus, ex quibus apparitionibus relucebat, quam videlicet conformis esset & affecta passioni & cruci Christi, atque per hoc a Christo gratias quamplurimas & mirabiles reportavit, ut ex dicta legenda apparet: ubi etiam adhuc pluribus declaratur qualiter virgo hæc erga altaris sacramentum affecta fuit in quo Passionis & Crucis Christi memoria recolitur: in tantum ut facta computatione circa triginta vicibus in celebritate ejusdem sacramenti, utpote in missa, cum signum crucis ad præfatam passionem & crucem repræsentandam iteratur, tam excessiva devotione extitit affecta, ut quamplurima miranda in susceptione Dominici Corporis in sacramento ipsi virgini evenirent; inter quæ unum fuit, quod sumto semel per virginem Sacramento in ecclesia S. Christinæ de Pisis, cum ipsa esset ibidem, & hoc quodam mane diei Dominicæ, apparuit sibi Christus veluti crucifixus, ut hic supra tactum est, stigmata sua sibi modo miro impressit. De aliis autem ipsius virginis circa præfatum sacramentum tum nimium stupendis; & quam multis excessibus, habetur in legenda præfata & alibi, & signanter in quodam libello in supplementum ejusdem legendæ confecto.

Ejus temperantia.

13. Consimiliter si sermo fiat de supradicta cruce morali quatuor cardinalium virtutum, ita illam complexa est hæc virgo, ut incipiendo a temperantia, etiam sex annorum vel circa existens, tantam cœpit sectari abstinentiam, & consequenter usque ad finem vitæ persequi, ut fere linguâ non valeat explicari, ad tantam deveniens, ut tunica unica contenta, sine quovis lecto, omnique esu quorumcumque atque potu remoto, quodammodo nihil comederet aut biberet, aliquantulo herbarum succo & modicæ aquæ poculo dumtaxat exceptis. Virginitatem etiam, dum esset septennis, Deo devovit, quam usque ad finem illibatam servavit.

Prudentia.

14. De prudentia ejus quid dicam? cum ex quo sponso suo JESU servire cœpit, & virginitatem vovit, semper in cunctis cum prudentia perfecta processit, habitum suæ religionis quam avide & devote sumendo, solitariam vitam sectando, austeritates mirabiles prosequendo, & deinde immediate præcepto Dominico in publicis procedendo. Namque nedum factum aut verbum stolidum, sed quod nec foret ociosum sermonem protulerit, reperitur.

Justitia.

15. *Suo etiam modo de ejus justitia dici potest*, omnibus & unicuique quod suum est pro viribus exhibendo, prout ad justitiam spectat: tam ipsi Deo, quam sibi, quam etiam proximo, omnibus compatiens, omnibus subveniens, omnesque suo latò caritatis sinu suscipiens. Et simili modo semper patiens, fortis & constans in passionibus, in infirmitatibus, persecutionibus, infamiis, quibusque illatis sibi injuriis est reperta. Et nedum in præfatis, sed etiam in cunctis virtuosis operibus usque ad mortis pericula inclusive semper gaudens & læta perstitit.

Fortitudo.

Scientia & sapientia.

16. Quantum ad secundum, si præfatam intellectualem crucem huic virgini in ejus commendationem applicare velimus, procul dubio miranda possent recitari de illa. Siquidem quantum ad virtutem scientiæ, ipsa virgo scientiam habuit plurimorum, quæ a sponso suo illam docente reportavit. Nam tam legere quam scribere miraculose didicit,

cit, licet naturaliter esset satis boni ingenii & intellectus, per quem reddebatur bene habilis ad omnia capescenda. Item in sapientia divinorum, signanter quovis modo sapientia, prout virtutem sonat, accipiatur, utpote non solum per respectum ad omnia divina, sed etiam ad perceptionem saporis eorumdem & gustus, in tantum quod cum ejus menti vel per auditum vel per inspirationem aut meditationem aliquid præsentaretur de Deo, vel de divinis; statim a sensibus raperetur. In agnitione etiam scripturarum divinarum & secretorum cordis, & spiritu prophetiæ semper viguit, de quibus per singula in ejus legenda.

Virtutes heroïcæ.

17. Qualiter autem virtutes heroïcæ atque divinæ, & supra rationem hominem extollentes in hac virgine extiterint, non est facile referare, pro quanto ex ejus legenda hinc inde colligi potest. Dictarum virtutum effectus & actus in ipsa multipliciter resulsere. Siquidem quantum ad prudentiam purgatoriam sive purgati animi pertinet, hæc virgo divinis semper intendere cernebatur: in tantum ut ad hoc deveniret, quod despretis cetetis, semper Deo actualiter intenderet: ita ut quodammodo in ipsum videretur absorpta, & pro magno tempore totaliter esset a sensibus rapta. Similiter idem de heroïca temperantia suo modo dici potest, utpote ad tantum gaudium ejusdem deveniens, ut non solum erga illa præcise occuparetur, quæ necessario usus corporis exigit, sed etiam de illis & aliis totaliter memoriam perderet. Eodem adhuc modo de fortitudine heroïca dici valet, quoniam semper quæcumque virtutis ardua ita est ardenter aggressa, ut ad summum cujusvis virtutis attingeret. Passionis autem cujusvis, sive doloris tormenta nedum timeret, sed potius illa affectabat, atque mentaliter saginabatur in illis. Timore autem dissolutionis a corpore nedum caruit, sed etiam illam usque ad transitum cum concursu martyrii ex intimis concupivit, suumque desiderium admirabili & inaudito modo finaliter reportavit. Nam martyrium sibi tandem a dæmonibus illatum stupenda patientia toleravit, & transiens ad sponsum suum, quod pro ecclesia vitam traderet efficaciter affirmavit. Et idem de justitia dici potest, ex eo quod, prout in via possibile fore dignoscitur, unicuique debitum suum dedit. Et ut breviter concludatur, ita a virgine ista passiones tam concupiscibiles quam irascibiles fuerunt edomitæ, quod de cunctis personam suam tangentibus & aliorum triumphum præcipuum reportaverit. Nam contra seipsam multotiens insurgentes, non solum catenam vel cilicium, sed etiam aliquando aquas ebullientes, aliquando disciplinas terribiles, & inauditas intulit sibi austeritates, necnon & aliquoties plagas horribiles aliquarum, quibus pro Domino serviebat, aut deosculata est, aut earumdem loturam in quodam paropside seu catino collectam totaliter, ut potum suavissimum, transglutivit. Et consimiliter patiens injurias multiplices a diversis, ita erga illas se gessit, ac si aliqua donaria sibi grata præsentata fuissent, veluti tota heroïca, & divina effecta, ut habetur in ejus legenda, & alibi.

18. Unde cum hæc virgo B. Catharina, cujus hodie memoriam recolimus, tantæ excellentiæ fuerit in via, supradictas virtutum cruces *in se*, ut deductum est, perfectissime obtinendo, ac etiam ipsam crucem Christi per caritatis excessum usque ad mortem imitando, sequitur evidenter, quod perveniens ad primarias cruces præmiativas tam dotium animæ quam dotium corporis excellenter haberi debeat in vita beata. Ad quam nos perducat qui sine fine vivit.

19. Peracta autem prædicatione præfata, dixi quomodo non multum me extenderem circa legendæ & mirandorum virginis narrationem; & hoc ex eo quod supradictus V. P. frater Thomas de Senis huic virgini non parum devotus, debebat prædicare immediate post me in ecclesia sancti Apostoli de Venetiis, non solum de cruce Christi, sed etiam *specialiter de virtutibus virginis propter quod* exhortatus sum populum, ut iret ad audiendum ipsum, quia legendam plenius recitaret; & ita factum est. Item, dixi & dico quod non solum nunc, sed etiam alias prædicare de ista virgine audivi, & adhuc non solum nunc in dicto conventu SS. Johannis & Pauli in Venetiis, sed etiam in diversis aliis locis de ipsa alias prædicavi. Item, dixi & dico, quod notitiam supradictarum virtutum eximiarum ac mirabilis doctrinæ dictæ virginis ego habui ex publica ejus fama, ac etiam ex devota & ordinata legenda ejusdem, quam composuit quidam magister Raymundus de Vineis de Capua, ordinis Prædicatorum, tempore quo fuit generalis ejusdem ordinis, & *qui fuit ultimus confessor virginis*. Quam etiam legendam, jam anni sunt plures, ex quo illam transcribi feci in civitate ista Ferrariensi, ad instantiam unius cancellarii domini marchionis virginis præfatæ devoti Item dico, quod supradictam notitiam de mirandis vita & doctrina virginis etiam ego percepi ex libris epistolarum circa quadringentarum, per ipsam virginem directarum ad summos pontifices, cardinales, reges atque reginas, & consequenter ad nonnullas personas utriusque sexus, conditionis & status: quas epistolas ego vidi, & in præsenti anno in Venetiis, in camera reverendissimi magistri nostri ordinis Prædicatorum, qui existens in aliquali languore, per socium sibi *aliquando in solatium* de dictis epistolis legere faciebat, cum eidem sibi facultas offerret. Item dico, quod præfatam notitiam

Unde accepit fr. Bartholomæus notitiam eorum quæ contestatus est.

etiam reportavi, per librum ab ipſa virgine in abſtractione conſtituta compoſitum in ſuo proprio vulgari, per biennium ante tranſitum ſuum : qui liber poſtea latinizatus eſt per quemdam valentem virum dictæ virginis devotum, & nunc eſt in uno volumine in libraria conventus SS. Johannis & Pauli ordinis Prædicatorum: ubi etiam ſupradictæ virginis legenda eſt cum pluribus aliis ad virginem pertinentibus in uno alio volumine. Item dixi & dico, eamdem notitiam reportaſſe ex relato cujuſdam venerabilis viri de civitate Lucana, Dinus appellatus, qui juxta me in refectorio in feſto dictæ virginis comedit; & qualiter virginem in civitate præfata perſonaliter viderat, ac de fama ſanctitatis ejuſdem virginis, ejuſque mirandis virtutibus mihi quamplurima enarravit. Et idem audivi ab alio appellato Leopardo, etiam de civitate Lucana oriundo. Ex relatu etiam cujuſdam nobilis & prudentis viri, qui Jacobus de Militibus de monte Politiano eſt appellatus, & mihi retulit inter alia de opuſculo quod fecerat in reverentia virginis, quod etiam vidi. Omnes etiam præfati invenerunt ſe in Venetiis in præſenti anno cum eſſem ibidem. Item dico, præfatam notitiam ſpecialiter habere ex relatione ſupradicti patris fratris Thomæ de Senis, qui virginem vidit, & qui tam in principio fuit in Senis quam alibi, propter quod de ipſa tam de viſu, quam de auditu, mihi quamplura ſingularia diverſis vicibus recitavit. Qui pater jam anni ſunt 15. & ultra ex quo fuit & eſt apud conventum SS. Johannis & Pauli: & inter alia bona quæ fecit non parum in reverentiam dictæ virginis operatus eſt, & una mecum a domino epiſcopo Caſtellano propter materiam hujus virginis requiſitus fuit. Conſimiliter etiam a pluribus utriuſque ſexus & ſtatus de dicta virgine virtutum eximia audivi, de quibus hic aliter proſequi dimitto gratia brevitatis. Item ultimo dico, qualiter ſupradictis omnibus, licet hæc virgo propter flebilem ſtatum eccleſiæ numquam decenter canonizari minime potuit; quamvis jam aliqua ſuæ canonizationis poſtulatio tam apud Bonifacium IX. quam apud Gregorium XII. cum fuit in Senis, facta ſit: nihilominus vita atque doctrina virginis diligenter attentis, ac etiam per multas Chriſtianitatis partes ejuſdem fama diffuſa, etſi non ſit canonizata, ſaltem poteſt dici aliqualiter approbata, præſertim cum huc uſque nihil diſſonum, ſed ex toto conforme vitæ & doctrinæ ejuſdem reperiatur de ipſa, & etiam conformiter faciens ad ædificationem fidelium, confirmationem fidei, & ſanctæ vitæ promotionem. Inſuper quod hæc virgo poſſet dici aliqualiter approbata, optime facit illud quod narrat Vincentius Gallicus in 7. libro ſui primi Hiſtorialis, utpote de quibuſdam qui licet non ſint canonizati, attamen propter vitam & doctrinam quæ in eis viguit, præcipua ſanctitatis, habentur quodammodo ab eccleſia pro approbatis, ſicut recitat ibidem de Richardo, venerabili Beda preſbytero, Hugone & quibuſdam aliis. Concludens finaliter, qualiter ita credo, & reputo, ac eſſe confiteor, prout dixi, de omnibus ſupradictis; reputans etiam per præfata evacuatum fore ad plenum de mentibus omnium, non ſolum ſcandalum crucis, ſed etiam ſcandalum ſupradictæ in principio querelæ illorum bonorum virorum, & quorumdam aliorum, quamvis bona intentione, minus docte loquentium circa materiam virginis hujuſmodi. Subjacendo me nihilominus ſemper in cunctis correptioni atque determinationi ſanctæ Romanæ eccleſiæ, non ſolum quantum ad prædicta, ſed etiam quantum ad quævis per me alias dicta vel dicenda in poſterum, ad ædificationem proximorum & Dei laudem, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

20. In quorum omnium teſtimonium has patentes litteras fieri ordinavi anno ſupradicto die ultima menſis Septembris; & continenter tam ſigillum meum proprium quam officii inquiſitionis duxi præſentibus apponendum: necnon & poſtmodum per notarium inquiſitionis præfatæ in publicam formam redigere, & ſolemniter cum teſtibus ad hæc idoneis publicare mandavi in pleniorem veritatis favorem & roburomnium prædictorum.

21. Ego Urbanus filius Franciſci de Reſſetis, imperiali auctoritate notarius publicus Ferrariæ, necnon notarius officii inquiſitionis prænominati, & infraſcripti D. D. inquiſitoris, ſupraſcriptas patentes litteras de mandato & commiſſione venerabilis & religioſi patris fratris Bartholomæi de Ferraria, ordinis fratrum Prædicatorum S. Dominici benemeriti, pravitatis hæreticæ inquiſitoris in Ferraria, a ſuis litteris jam datis & exhibitis, bona fide & ſine fraude exemplavi, & eas ſupradictas litteras ſic exemplatas cum ſuis prædictis litteris auſcultavi, in præſentia bonorum virorum F. Nicolai de Cunſandalo notarii, filiique Petri de Contrata, Sexti ſancti Romani, Franciſci de Caſentino notarii filiique domini Antonii de Contrata Baccanalici, Franciſci de Belardo notarii filiique F. Jacobi de Contrata S. Michaëlis, teſtium ad hoc exhibitorum. Et quia ipſas litteras ſic exemplatas, cum prædictis ſuis litteris, per omnia reperi concordare, ideo in fidem manu propria hic me ſubſcripſi, ſignumque mei tabellionatus a capite mei nominis apposui conſuetum. Anno Domini 1412. indictione 5. die 27. menſis Aprilis.

22. Ego fr. Bartholomæus de Ferraria ibidem inquiſitor, ac etiam nunc prior conventus SS. Johannis & Pauli de Venetiis ordinis Prædicatorum, prædictam ordinationem ſcripturæ per me factam præmiſſis loco & tem-

pore tranſcribi & publicari per dictum notarium Urbanum, ut præmittitur, ac ſigilli ſoliti dicti officii inquiſitionis appenſione muniri mandavi, licet propter quædam impedimenta dilatum ſit ad hoc perficiendum uſque ad tempus hic ſupra immediate expreſſum. In quorum fidem & teſtimonium me etiam hic propria manu ſubſcripſi, meumque ſigillum conſuetum etiam propria manu appoſui.

Celebratio commemorationis S. Catharinæ in conventu Prædicatorū Venetiano facta.

22. Item cum facta fuiſſet per ſupradictum reverendum patrem fr. Bartholomæum de Ferraria priorem & inquiſitorem publica reſponſio & declaratio ſupradicta anno Domini 1412. indictione 5. die 27. menſis Aprilis, ut hic ſupra, & poſtea die prima Maii immediate ſequentis, quæ fuit dies Dominica & feſtum apoſtolorum Philippi & Jacobi, & juxta conſuetum morem debuiſſet tali die in conventu SS. Johannis & Pauli memoria ſupradictæ virginis celebrari, dictus prior & inquiſitor per diem ante, ut aſſeruit, convocavit patres & fratres dicti conventus ad conſilium vocari conſuetos, & de unanimi eorumdem conſilio & aſſenſu decretum & firmatum eſt, quod quemadmodum in præſenti, ita & in poſterum debeat in præfato conventu dictæ virginis memoria perpetualiter celebrari, & ſignanter adhuc ex eo quod non ſolum ex declaratione ſupradicta totaliter a cunctis removeretur omnis occaſio cujuſcumque murmuris & querelæ, ſed etiam omnes affectu præcipuo, & ſpeciali devotione debeant amplius ſolito ad celebrationem dictæ memoriæ provocari. Propter quod ſicut hactenus celebrata fuerat dicta memoria, & prædicatum de vita & virtutibus dictæ virginis, ita & tunc, videlicet die ſupradicta fuit executioni mandatum, & non ſolum in dicto conventu SS. Johannis & Pauli, ſed etiam in aliis locis fratrum Prædicatorum de Venetiis, & in eccleſia Apoſtolorum de Venetiis, & aliquo modo devotius, quam alios, utpote cum unanimi cunctorum intus & extra affectione & devotione, quovis murmure & querela ex toto remotis.

23. Et cum ego frater Thomas Antonii de Senis de dicto ordine & de conventu præfato, in quo fui continue jam anni ſunt ſexdecim, occaſione ſupradictæ querelæ & ſeditionis requiſitus eſſem die 27. menſis Maii ſupradicti a præfato epiſcopo Caſtellano, una cum venerabili patre fratre Bartholomæo de Ferraria inquiſitore Ferrarienſi & tunc prædicatore dicti conventus SS. Johannis & Pauli. Idcirco cum præfato patre me coram dicto domino epiſcopo præſentavi, & quemadmodum dictus pater obtulit ſe ad reſpondendum per ſcripturam publicam, & ſic fecit plenarie & commendabiliter, illam etiam præſentando domino vicario ſupradicti domini epiſcopi Caſtellani, & ille eamdem commendando, ut mihi conſtat, eo quod præfatis perſonaliter interfui; ita conſimiliter ego me obtuli ad reſpondendum non ſolum oraculo vivæ vocis, ſed etiam per ſcripturam propria manu ſcriptam, ſuper materiam celebritatis dictæ virginis, & vitæ & doctrinæ ejuſdem: & taliter quod merito haberet non ſolum ſupradicta querela, ſed etiam quævis alia hujuſmodi nedum quietari, ſed etiam ex toto ſopiri. Quemadmodum autem ego ad faciendum me obtuli, ita etiam executioni mandare curavi; prout hic immediate ſequitur, videlicet.

Conteſtatio ſeu ſcriptura patris fratris Thomæ de Senis.

24. Ego frater Thomas ſupradictus, nunc ſexaginta duorum annorum ætatis exiſtens, tamquam ſi a quovis prælato adjuratus eſſem, per decurſum viginti principalium partium ſive capitulorum. Primo & principaliter circa memoriam ſupradictæ virginis a magno tempore annuatim celebrata in diverſis locis Italiæ, ut decet; & de ejus pictura, ut decet; ac de ipſius legenda ad quædam loca tranſmiſſa, conteſtor, & dico, Verum eſſe quod in ſupradictis 16. annis uſque ad præſens, in dominica quæ immediate ſequitur feſtum S. Petri martyris ordinis Prædicatorum, facta eſt quædam commemoratio ſupradictæ virginis B. Catharinæ de Senis, principaliter in dicto conventu SS. Johannis & Pauli, ſemper me perſonaliter ibidem præſente. Hoc etiam in conventu S. Dominici, & in monaſterio Corporis-Chriſti de Venetiis: immo in S. Dominico de Clugio ordinis Prædicatorum: ita tamen quod in tali die nullum divinum officium vel oratio facta eſt, niſi præciſe de officio dominicali vel alicujus ſancti canonizati currentis in tali die. Item dico, quod in diebus dictæ commemorationis facta fuit in prædicatione ſpecialis mentio de dicta B. Catharina, videlicet tam de mirabili vita ejus & doctrina, quam de eximiis ſuis virtutibus atque miraculis. Item dico, quomodo ego ſemper percepi figuram ſive imaginem dictæ virginis depictam fuiſſe cum radiis ſive cum diademate radioſo circa caput, quemadmodum perſonæ beatæ nondum canonizatæ depingi conſueverunt, licet viderim de aliis plurimis nondum canonizatis cum diademate rotundo depictis, prout de canonizatis fieri conſuevit. Item dico, quod quicquid de dicta virgine ego vidi depictum, aut feci depingi, totum fuit juxta ſeriem eorum quæ in ejus legenda hiſtorialiter continentur. Item dico, qualiter ego fui præſens in prædicatione cujuſdam P. F. Bartholomæi de Ferraria, inquiſitoris Ferrarienſis ordinis Prædicatorum per ipſum facta in die commemorationis dictæ virginis in conventu SS. Johannis & Pauli, videlicet tertia die menſis Maii 1411. in quo die fuit feſtum Inventionis crucis Chriſti; & in qua prædicatione dictus inquiſitor circa celebritatem dictæ virginis declaravit fore atque fuiſſe, quemadmodum ego hic ſupra expreſſi,

De celebratione cōmemorationis S. Catharinæ.

ac etiam quamplurima eximia de virtutibus
hujus virginis recitavit, & ad materiam di-
ctæ crucis, de qua principaliter prædicavit,
multipliciter adaptavit. Qui etiam fr. Bar-
tholomæus jam anni sunt plures, ex quo in
Ferraria unam legendam hujus virginis, me
mediante, tanscribi fecit, de ipsius virginis
virtutibus pluries prædicavit, prout ab ipso
audivi oraculo vivæ vocis. Item dico, quo-
modo post prædicationem factam per dictum
inquisitorem in dicto conventu, ego imme-
diate ad ecclesiam de S. Apostolo de Vene-
tiis accedens, prædicavi ibidem, cui prædi-
cationi præfatus inquisitor voluit interesse.
Ego autem juxta illud quod præfatus inqui-
sitor de me in præfata sua prædicatione præ-
dicaverat, ita in mea sum prosequutus, ut-
pote multa tangendo de cruce & ad crucis
materiam miranda virginis adaptando, &
quamplura de virgine in legenda contenta
historialiter recitando: quam utique prædi-
cationem in fine hujus meæ testificationis
apponam, Domino concedente. Item dico,
qualiter ante supradictos 16. annos, ego
fui pluribus annis in conventu Senensi or-
dinis Prædicatorum, ubi etiam fui prior, li-
cet indignus, & quod semper annuatim ante
& post, usque in præsens celebrata est me-
moria dictæ virginis in dicto conventu, &
modo quo supra, & ubi est etiam huc us-
que venerabile caput ejus in sacristia, atque
volumina tam legendæ ejus, quam etiam
[a] doctrinæ posita ad catenam (a) in libraria
dicti conventus. Item dico, eamdem me-
moriam factam fuisse in conventu Romano,
videlicet S. Mariæ super Minervam ordinis
Prædicatorum, eo modo quo supra, & ex
quo virgo migravit usque in præsens, ubi
etiam huc usque requiescit virginale corpus
ejus; & est volumen legendæ ejus in libra-
ria dicti conventus: siquidem quædam so-
ror, nomine Lisa de Senis, & cognata dictæ
virginis ac ejusdem ordinis usque in præsens,
ex quo virgo migravit in Roma, cum aliis
pluribus sororibus etiam ejusdem ordinis de
Pœnitentia S. Dominici Romani, ut melius
annuatim posset fieri dicta memoria, ad ip-
sius instantiam, me mediante, transmissa est
ibidem supradicta legenda. Item dico, di-
ctam memoriam a pluribus annis factam
fuisse in civitate Lucana, & in conventu S.
Romani de Luca ordinis Prædicatorum, in
ejus armario ad catenam est legenda vir-
ginis, quam ibidem, me mediante, trans-
misit quidam Nicolaus de Quidicionibus de
Luca, qui in Venetiis commoratur, & hoc
ut dicta memoria ibi posset habilius cele-
brari; & in solatium tam sororum sui or-
dinis, quam aliarum personarum de Luca,
de vita & doctrina virginis plenius prædicari.
Item dico, quod similiter idem puto factum

(a) Olim in monasteriis alligati catenis erant libri in pulpitis, id quod adhuc aliquibus in locis observatur.

A esse de dicta memoria in Pisis, tam in con-
ventu S. Catharinæ, quam in monasterio
sanctæ prædictæ dicti ordinis, ubi etiam,
prout mihi constat, sunt volumina tam de
vita quam etiam de doctrina ipsius virginis.
Idem etiam puto consimiliter factum in con-
ventu Nuremburgensi ordinis Prædicatorum
de provincia Teutonica, ubi etiam, me ope-
rante, transmissa fuit legenda dictæ virginis
jam est diu. Et simili modo idem puto fa-
ctum esse in conventu Perusino, & civitatis
B Castelli ordinis Prædicatorum, ubi jam anni
sunt multi, ex quo in utroque dictorum con-
ventu, me cooperante, etiam legenda vir-
ginis fuit transmissa. Item dico, me tam
in Janua, & in Venetiis, quam in Pisis, Se-
nis, Urbe-veteri, & in pluribus aliis locis
Italiæ vidisse ac audisse celebrari hujusmodi
memorias de appellatis beatis & nondum
canonizatis, & hoc tam in ecclesiis sæcula-
rium sacerdotum, quam religiosorum ordi-
num diversorum, eo tamen modo quo su-
pra; & ulterius cum pulsatione campanarum
non parva; & quod contigit me in aliqui-
C bus supradictorum locorum in diebus talium
commemorationum multoties prædicare de
sancta vita & virtutibus ipsorum beatorum;
ac etiam populum ex talibus prædicationi-
bus devotionem & ædificationem non mo-
dicam reportare, & in Venetiis quampluries
prædicavi in ecclesia S. Chrysostomi de vita
& virtutibus B. Litthæ de Luca in certo die
commemorationis & celebritatis dictæ beatæ,
quæ ibidem fit die 27. mensis Aprilis, &
quod similiter tam in dicta ecclesia, quam
in cathedrali & apostolorum & SS. Johannis
& Pauli, & in monasterio Corporis-Christi,
D etiam quampluries prædicavi de vita & vir-
tutibus istius virginis B. Catharinæ de Senis
cum affistentia non parvi populi, & magnæ
devotionis cunctorum: & quod tandem præ-
cipuum est, & a sæculo inauditum, quia in
dicto conventu SS. Johannis & Pauli ego
per totam unam quadragesimam cum festis
paschalibus, me tunc existente prædicatore
dicti conventus, die qualibet dictæ quadra-
gesimæ de dicta virgine specialiter prædicavi,
adaptando materiam cujusque evangelii ad
E materiam hujus conditionis, videlicet pro-
prietatis seraphici crucifixi ac proprii amoris,
repertæ, sive existentis in virgine prælibata,
quod fuit anno Domini 1396. In decursu
etiam supradictorum 16. annorum & ultra
in quibus fui in Venetiis, ut contigit huc
usque, quod omni anno in dicto conventu
vel alibi ego prædicavi de ista virgine in
die suæ commemorationis in Venetiis, ali-
quando in die apostolorum Philippi & Ja-
cobi, aliquando in festo Coronæ Domini,
& pluries in die Inventionis S. Crucis, &
etiam S. Johannis ante Portam-Latinam,
prædicando etiam aliquoties bina vice & in
duabus ecclesiis in præfatæ commemoratio-

nis die, cum non parva quantitate populi, & aviditate ad hujuſmodi prædicationes audiendas convenientis.

De confeſſoribus S. Catharinæ.

25. Item, ſecundo principaliter & pro ſecundo capitulo circa qualitatem & quantitatem numeralem confeſſorum virginis, & originalem legendam ejuſdem, conteſtor & dico, quod ego habui ſpecialem notitiam omnium confeſſorum dictæ virginis, de quibus fit mentio in ipſa legenda, quorum unus fuit quidam R. P. frater Thomas de Fonte, qui jam diu deceſſit; alius quidam venerabilis pater frater Bartholomæus Montucci de Senis, qui adhuc ſupereſt; alius autem fuit quidam R. P. F. Bartholomæus Dominici de Senis, ſacræ theologiæ profeſſor, qui etiam adhuc ſupervivit. Ultimus autem fuit quidam R. P. F. Raymundus de Vineis de Capua, ſacræ theologiæ profeſſor, qui paulo poſt virginis tranſitum in capitulo generali anno 1380. in feſto Pentecoſtes Bononiæ celebrato factus eſt generalis magiſter ordinis Prædicatorum, & poſtea in proceſſu temporis ſui magiſtratus inſtigatus & ſollicitatus a quampluribus utriuſque ſexus & ſtatus, ex quibus ego fui unus, compoſuit hujus virginis legendam, & poſtea tandem deceſſit jam anni ſunt plures; & ſic iſti fuerunt regulariter dictæ virginis confeſſores, omnes de ordine Prædicatorum, licet aliquando in abſentia præfatorum fuit etiam quidam R. P. dictus Johannes, ſacræ theologiæ magiſter, ordinis Eremitarum S. Auguſtini, vel quidam abbas S. Antimi ordinis monachalis, omnes præcipuæ & honeſtæ vitæ & famæ. Eſt autem nunc originalis legenda hujus virginis per dictum generalem compoſita, & pro majori parte manu ſua conſcripta, & pro aliqua parte ipſo dictante, etiam ſcripta de manu mea, eſt apud quemdam R. P. F. Nicolaum de Apulea, ſive de Nuncenna, ſacræ theologiæ profeſſorem, qui aſſiſtens totius dicti ordinis generali decedenti in Winberga anno 1399. de menſe Octobris, ſibi poſt mortem ejus dictam legendam vindicavit, quam ſecum in Apulia detulit. Ego autem, vivente adhuc præfato generali magiſtro, & tunc in Venetiis exiſtente, ex præfata originali legenda aliam tranſcribi feci, & conſequenter ex illa aliæ ſunt quamplures tranſcriptæ, de quibus fit mentio in præcedenti capitulo, & de quibus etiam infra tangetur in capitulo 16.

26. Item, tertio principaliter & pro capite tertio circa notitiam hujus virginis & ſanctitatem, atque auſteritatem vitæ ejuſdem, conteſtor & dico, quomodo jam anni ſunt 45. elapſi & ultra, ex quo habui perſonalem notitiam dictæ virginis, ac omnium de domo ſua, & ſignanter genitorum & cognatæ, exiſtentium bonæ famæ, viræ, ac honeſtæ converſationis, ut puta poſtquam ipſa jam ſumſerat habitum ordinis de Pœnitentia B. Dominici, & ego intrans in ordine Prædicatorum. Nam antequam ſacrum ſubdiaconatus ordinem ſuſciperem, ſemper ex tunc vidi de ipſa quamplurima admirandæ ſanctitatis atque auſteritatis: unde per medium ſui primi confeſſoris ſupradicti vidi in Senis unam de diſciplinis ipſius virginis cum pluribus chordis ſubnexis in ſuis capitibus aculeos ferreos ad incidendum cutem aptos, quæ erat ac ſi fuiſſet immerſa in aliquo vaſe ſanguine pleno per ſpatium & poſtmodum deſiccato. Vidi etiam unum circulum ferreum quo virgo illis temporibus uſa fuerat in anno, & quædam de mirandis virginis per præfatum confeſſorem recollecta & ſcripta. Item dico, quod vidi poſtmodum in Venetiis quamdam catenam ferream cum quibuſdam ferreis crucibus in ipſa interpoſitis, quam virgo tenuit circa lumbos, & quæ pro magno munere poſt ejus tranſitum præſentata fuit cuidam capellano monaſterii S. Andreæ de Venetiis, & poſt mortem præfati devenit apud quemdam venerabilem priorem de Miſericordia de Venetiis, qui illam benigne per dies plurimos compræſentavit. Item, vidi in Senis virginem ſemper tabulis regulariter uti pro lecto, ſive ſana eſſet, ſive infirma, & licet ſemper eſſet jucundi ac læti ſpiritus, ſignanter tamen cum aliquo detineretur languore, illo durante, ſemper erat in Domino tota ridens atque lætabunda & gaudens. Item, cum contigiſſet me comedere cum ea, vidi illam quaſi nihil comedentem, ſemper nobis de Deo cum miro fervore loquentem; & cum aliquoties cum præfato confeſſore ad virginis manſionem accederem, adverti & audivi de quamplurimis admirandis rigiditatibus & abſtinentiis virginis, & qualiter ſemel ſteterit per dies quinquaginta, in quibus nihil ſumſerat, de quo recolo qualiter in Senis apud ſpirituales perſonas magnum murmur fuit exortum, & non parva admiratio cum perveniſſet ad aures eorumdem. Item pluries vidi multas virgulas fœniculi virides apud virginem, quibus ipſa utebatur, admittendo illas per guttur proprium, quouſque de ſtomacho exiret aliqualis ſuccus ex herbis per illam maſticatis in ſtomacum introductus. Non modicum patiebatur in ſumendo dictum ſuccum, quem tamen ſumebat, tam pro obedientia excquenda, quam etiam ad removendum ſcandalum puſillorum de eo quod non comedere dicebant. Patiebatur autem longe amplius in admittendo dictum ſuccum, in tantum quod tales actus ipſa juſtitiam appellabat: unde quando ibat cum ſocia ad talem actum exercendum, dicere in conſuetudinem duxerat: Vadam ad faciendum juſtitiam.

De auſteritate S. Catharinæ.

27. Item, quarto principaliter & pro quarto capitulo, quantum ad devotas orationes & ſanctas exhortationes virginis ac earumdem

De ejus orationibus.

effectum & fructum, & ſignanter erga fratres Prædicatores, conteſtor & dico, me virginem vidiſſe, tam in eccleſia quam etiam in domo ſua quampluries miro modo orantem, utpote a ſenſibus totaliter abſtractam, ſalvo quod aliquando vocaliter ſubticebat, aliquando vero in eodem raptu loquebatur, ſcilicet voce ſubmiſſa cum Deo, illis utendo verbis, quibus in ſuis ſoliloquiis utitur Auguſtinus. Item dico, quod cum quodam ſemel in ejus domo, juxta illam taliter ſe habentem reverenter aſſiſterem, non ſolum illam vidi taliter orantem, aut audivi modo præfato loquentem, ſed etiam percepi ipſam tam admirandi & inconſueti odoris fragrantia ſpirantem, ut ex illo per quamplures dies in memetipſo ſentirem ſomitem mirabiliter fuiſſe ſopitum. Item dico, quod in illis temporibus ego percepi qualiter virgo ſuas protrahebat vigilias uſque ad matutinas juxta morem ſuum meditando, præcipue vitam Chriſti & evangelicas veritates, de quibus ſingulariter edocta ab eodem extitit, & ipſum Dominum laudando & orando pro multis, & inter alios vocaliter exprimendo quos ſibi Dominus dederat præcipuos in Chriſto dilectos, prout ego propriis auribus aliquoties audivi, ac etiam præcipue Dominum deprecando pro fratribus & religioſis, & ſignanter ordinis Prædicatorum & ſancti Dominici, cujus habitum tam interius quam exterius ipſa portabat, & in Senis ſatis juxta eorum eccleſiam habitabat. Qui fratres cum ſurrexiſſent ad matutinas, tunc illa ad paululum quieſcendum, accedere diſponebat, ita Domino dicens: Hucuſque, Domine, fratres mei quieverunt, & ego oravi pro eis & tuis laudibus vacare curavi; nunc vero ipſi ſurgunt ad te laudandum & orandum; & nunc ego ad aliquantulum quieſcendum accedam. Adverti etiam aliquoties qualiter virgo aliquando in ſuis orationibus interponebat hæc verba, videlicet: Peccavi, Domine, miſerere mei, & quod communiter in fine orationum ſuarum cancellatis manibus & inclinato capite præfata verba humiliter ipſi Domino porrigebat. Item dico, quomodo quampluries ego audivi a virgine cum loqueretur cum fratribus & præſertim ordinis Prædicatorum, præcipue ſibi dilectis in Domino, videlicet quod conarentur tamquam veri filii niti Dominum ipſum ſuum tamquam Patrem efficaciter imitari, & maxime quantum ad zelum & deſiderium ſalutis omnium peccatorum, & quod cum Chriſto in menſa crucis totis præcordiis ſumere dignarentur cibum ſalutis, videlicet animarum, & quod ubicumque forent, in ſpirituali & mentali cella, & ſignanter quantum ad ſuimet propriam cognitionem continue reſiderent, & quod ſuper mortuos in peccatis efficaciter plorare deberent. Unde ſæpius hoc replicare conſueverat, videlicet: Stemus, ſtemus in cella. Et conſimiliter: Ploremus, ploremus ſuper mortuos iſtos. Item dico, quomodo in dictis temporibus, me præſentialiter in Senis reſidentiam faciente, ego vidi experientialiter tam in me, quam in aliis fratribus, qualiter meritis & orationibus, & perſuaſionibus tam exemplaribus quam verbalibus hujus virginis, devotio & religio ſignanter viguit in conventu noſtro Senenſi ordinis Prædicatorum, multiplicatis in fratribus vigiliis, orationibus, diſciplinis, abſtinentiis, ciliciis & auſteritatibus aliis longe ultra priſtinum eorumdem fratrum ac conſuetum viuendi modum; & quemadmodum in fratribus noſtris, ita mediante virgine, etiam ſemper ex tunc vidi de ipſa tam plurima admirandæ ſanctitatis atque auſteritatis; unde per medium ſupradicti ſui primi confeſſoris vidi idem in aliis religioſis, de quo aliqualiter habetur infra in capite 7. & de efficacia orationis virginis etiam tangetur infra in cap. 9.

Decretibus & manipulis florum a S. Catharina compoſitis.

28. Item, quinto principaliter & pro capite quinto de floribus & ſignificationibus, de quibus virgo mirandas cruces & manipulos conficiendo reperta eſt in aliquo tempore ſingulariter delectari, conteſtor & dico me vidiſſe quampluries virginem antequam exiret in publicum, recte tamquam divino amore languentem, & ſic fulciri floribus affectantem, in ipſis etiam materialibus floribus cum devotarum laudum decantatione ſpiritualem complacentiam pro tempore habuiſſe, compoſitiones mirabiles faciendo tam in crucibus quam in manipulis de floribus prælibatis: de quibus ad Chriſti amorem propagandum, fovendum ac etiam concitandum, tam in ſe, quam etiam in mentibus aliarum perſonarum, de dictis crucibus & manipulis diverſa hinc inde donaria faciebat. Propter quod contigit etiam me per medium ſupradicti ſui primi confeſſoris de ipſis crucibus & florum manipulis habuiſſe. Quæ utique florum compoſitiones atque largitiones, quemadmodum rei ad plenum probavit eventus, non ſolum quod Dominus rerum largitor, ſed diverſa alia myſteria caritatis Dei & proximi in virgine deſignabant; & inter alia, crucem ſanctam, atque multipliciter in caritatis exceſſu cruci Chriſti conformem per virginem avide aſſumendam, & delectabiliter & effectualiter tolerandam: necnon magnam quantitatem veluti florum utriuſque ſexus redolentium animarum per ipſam Chriſti glutino copulandam, & ipſi Domino præſentandam; cum tandem appellata ſit mater millium animarum: aut etiam deſignantes præfati florum manipuli multitudinem veluti redolentium florum, verborum & operum mirandorum in perfectæ caritatis vinculo ligandorum, quæ virgo erat multipliciter atque ferventer actura, ac etiam ad illa plurimos hortatura. Ad quod non

modicum facere videtur, quod hæc virgo uti florida florum tempore, videlicet in fine menſis Aprilis, ut patet in ejus legenda, ſupernis atque regalibus, ut pie credendum eſt, conſpectibus, non ſolum cœlicolis, ſed etiam terrigenis intulit ſuavitatem odoris; pro quorum etiam confirmatione dico non parum adhuc fore ponderandum, quod in virginis ſancta memoria ſemper ex quo in Venetiis cœpit exordium annuatim in die memoriæ prælibatæ in eccleſia SS. Johannis & Pauli, & ſignanter apud capellam ſancti Johannis-Baptiſtæ, ubi eſt imago virginis cum certis hiſtoriis circum circa ad virginem pertinentibus; non ſolum per aliquos ante dictam imaginem aliquem poſitum extitiſſe laurum, ſed etiam ſemper hucuſque in dicto die aliquæ utriuſque ſexus perſonæ veluti a ſponſo virginis inſpiratæ, apportare conſueverunt in bona copia, ut ponantur ante virginis imaginem, tam cruces plures & coronas multiplices de diverſis floribus conſitas, quam etiam cingulos & quamplurimos manipulos florum, & ſignanter coloris cœleſtis, ac diverſarum redolentium herbularum, prout etiam poteſt eſſe notum cunctis ad dictam eccleſiam SS. Johannis & Pauli concurrentibus. Cum etiam per anni circulum, ante virginis imaginem de præfatis & ſignanter crucibus & coronis florum ibidem quamplura perdurent, & quemadmodum in dicta eccleſia, ita & in aliis locis in Venetiis, ubi ipſius virginis memoria recolitur. Idem quoad coronas de floribus & herbulis redolentibus hucuſque vidi & in Senis.

Deſius amor in Deum.

29. Item, ſexto principaliter & pro ſexto capite de hujus virginis ad Deum amore, & ſervilibus operibus propter Chriſtum, fervore, ac ejuſdem virginis ad Deum timore, & ſancto odio reſpectu ſui, conteſtor & dico me tam exaudiſſe, quam etiam aliquando ex viſu percepiſſe, qualiter virgo ſemper in actu divino amore flagrabat, & quod ſemper actualiter ſurſum ferebatur in Deum: unde tam tempore quo propter Chriſtum perſecuta extitit a Germanis in domo, quam tempore quo ex Dei præcepto in publicum ad exercitia vitæ activæ propter Chriſtum exequenda, ſive in faciendo panem, aut obſequendo familiæ de domo, ſive quævis opera ſervilia exercendo, ſemper cuncta cum actuali fervore caritatis & divini amoris geminata & multiplicata expreſſione facere cernebatur. Nam ex panibus ſeu focatiis per manus virginis cum dicto fervore & divini amoris aſſidua & frequenti vocali repetitione confectis, per medium ſupradicti primi confeſſoris ego recepi atque comedi, nec judicavi modicum, quod videlicet de pane taliter confecto ego habuiſſem atque ediſſem. Ex eo etiam quod ipſa virgo aliquando in caritatis ſpiritu cum vellet panes conficere, pro paſcendis cujuſdam famis tempore pauperibus Chriſti, in adjutorium habuit ad panes conficiendos Matrem Panis vivi qui de cœlo deſcendit, etiam pluribus ſanctis angelis ſociatam, prout in decimo capite ſecundæ partis legendæ ſuæ plenius declaratur. Item dico, me pluries advertiſſe virginem non ſolum actualiter amore Chriſti fervere, ſed etiam quod conſimiliter ejuſdem moris erat ſemper actualis in Dominico timore proceſſus. Unde vidi qualiter virgo exiſtens in Senis, ad caput ſui lecticuli, in quo propter infirmitates aſſiduas ſemper reſidentiam facere cogebatur, tenebat cedulam, in qua verſus ille Davidicus erat inſcriptus, videlicet *Illumina, Domine, oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*, dando per hoc intelligere evidenter, quod timebat quovis modo ſuum offendere creatorem, utpote ſemper timendo, tamquam amica veridica, ne ſuum offenderet amicum, propter quod ſi quidem etiam in quibuſlibet minimis ſe qualitercumque offendiſſe Dominum judicaret, pœnitentias & auſteritates importabiles attentabat; immo etiam quodammodo lacrymis & gemitibus inenarrabilibus, & quaſi irremediabiliter eſt flere reperta. Vigebat autem in virgine ex timore divinæ offenſæ tantæ auſteritatis aſſumtio, tam ratione intentionis divini amoris, quam etiam ſancti odii reſpectu ſui: de quo ſancto odio ipſa mirabiliter diſſerebat, & ad ipſum ſpecialiter poſſidendum & obtinendum omnes ſuos in Domino tam facto quam verbo ſingulariter animabat, prout apparet in ejus legenda. Et ut breviter concludatur, cum timoris Domini ſit peccatum expellere & mentem longius ab offenſa Domini facere, juxta illud: *Si ego Dominus, ubi eſt timor meus?* in hoc poteſt ad plenum patere, quod perfectus timor Domini, ſanctus, caſtus, filialis, in virgine fuit; per quem videlicet non ſolum puritatem virginalem, ſed etiam innocentiam baptiſmalem ſervaſſe perhibetur, prout omnes qui cum illa converſati ſunt, quorum unus ego aliquo modo fui, de hoc firmiter, licet diverſimode advertere potuerunt, & maxime confeſſores, prout etiam in dictæ legendæ decurſu apparet.

Auctorem ipſum in tentationibus confortat.

30. Item, ſeptimo principaliter & pro capite 7. quantum ad confortationes ſpirituales, quampræcipuas ab aliquibus per virginem reportatas, & de continuitate ſuæ vocationis cum Deo, vel proximo propter Deum, & de diverſitate perſonarum per ipſam ad Deum converſarum & ad ipſam concurrentium, & qualiter ipſa cœpit appellari Sancta, dum adhuc ageret in humanis, conteſtor & dico primo de me, quomodo non ſolum de ſupradictis floribus & pane virginis ad me pervenit, ſed quod etiam ab ipſa quampluries fui in meis paſſionibus & tentationibus perſonaliter & efficaciter confortatus, & de pertinentibus ad ſalutem animæ

mcæ, cum tunc eſſem juvenis, fructuoſe & multoties informatus. Item, quodam ſemel, ipſa mediante & orante pro diebus aliquibus, cum acceſſiſſem cum quodam fratre ad certum locum deſertum pro aliqua ſpiritus recreatione, evidenter aliqua miracula ſum expertus non ſolum ſpiritualiter, ſed etiam corporaliter, utpote tam circa cibum nobis miraculoſe tunc miniſtratum, videlicet de panibus, quibus omnino carebamus, quam etiam circa potum, videlicet aquæ illius loci, quam cum deguſtarem vel biberem, taliter mihi ſapiebat in ore, ac ſi venam in ſe cujuſdam dulcedinis contineret. Et ita poſt aliquos dies non mediocriter in utroque homine meritis virginis confortati, diſcedentes ab inde pervenimus ad virginem, & exinde poſt congratulationem in Domino de receptis, ad conventum noſtri ordinis redeuntes. Item, dico quod cum ex quavis cauſa cum aliquo ſupradictorum confeſſorum me ad domum virginis accedere contigiſſet, ſemper adverti actuali fervore caritatis ipſam affici, & ſine aliqua intermiſſione aut orantem, & in abſtractione conſtitutam, aut de ſalute animarum vel de Deo loquentem, deſcribentibus dictantem, ſive aliis piis operibus intendentem : in tantum quod numquam percipere potui quod otio veniali etiam quomodolibet in quovis tempore parvo vacaret, vel quod umquam etiam verbum otioſum de ore ſuo proferret. Item, dico me virginem vidiſſe aliquoties in diverſis eccleſiis ſive locis in Senis, & ſemper vel miſſas vel prædicationes meas, cum tamen tunc eſſem juvenilis ætatis, & conſimiliter aliorum humiliter & devote audientem, aut devotiſſime communicantem, ſive orantem, aut per plures horas raptam & a ſenſibus totaliter abſtractam ſtantem, ſive exinde tam eleemoſynis ſpiritualibus quam corporalibus inſiſtentem, & taliter prædicta continuare, ut fere modicum, & quaſi nihil quietis acciperet, aut parum, ut dicebant, & quaſi nihil dormiret. Item dico, illis temporibus multoties me vidiſſe in Senis diverſorum ordinum religioſos per virginem ad meliorem vitam reductos, tam ordinis Prædicatorum & Minorum, quam Eremitarum S. Auguſtini, ac ordinis monachalis, & non ſolum juvenes, ſed etiam provectos & litteratos, utpote tam baccalaureos quam lectores & prædicatores, ac etiam in theologia magiſtros, quorum pro majori parte notitias habui : ſed illos hic explicare dimitto gratia brevitatis. Item dico, vidiſſe perſonas plurimas utriuſque ſexus per ipſam ad religiones diverſas tranſmiſſas, utpote tam ad illam Prædicatorum, quam ſanctimonialium & ordinis ſui de Pœnitentia B. Dominici, quam etiam ad illam montis Oliveti, & ſi bene occurrit, Eremitarum S. Auguſtini de Silva-lacus, ac etiam S. Anthimi ordinis monachorum de comitatu Senarum, ad quas utique tranſmiſit tam Jeſuatos, quam plures perſonas ac etiam nobiles de domibus Tholomæorum & Salimtenienſium & Piccolomineorum de Senis, quas, licet pro majori parte cognoverim, tamen illas particulariter nominare & gratia vitandæ prolixitatis omitto; ſalvo quod hoc unum dicam, videlicet qualiter ego vidi tam in Piſis quam in Senis, non ſolum quamplurimas matronas tam populares quam nobiles, ac etiam conſimiliter quamplures virgines, quæ per medium hujus virginis habitus ſui ordinis de Pœnitentia B. Dominici aſſumſerunt, de quibus inter alias, duas germanas de Tholomæis de Senis ego cognovi; quæ cum primo ad carnis ſuæ cultum & mundi affectum totaliter ſe dediſſent, haberentque in vaſis lotiones & coloraturas diverſi generis, & alias vanitates ad ornatum corporis facientes, cum per virginem ad æternum ſponſum fuiſſent converſæ, cunctis mundialibus ſpretis, in fervoris ſpiritu omnia præfata vaſa fregerunt, & in ſterquilinium projecerunt, ducentes deinde in propria domo uſque ad ſuum tranſitum vitam potius angelicam quam humanam. Quædam vero aliæ de dictis virginibus poſt dicti habitus de Pœnitentia beati Dominici aſſumtionem, in monaſteriis tam Prædicatorum, quam aliorum ſub regularis obſervantiæ inſtitutis, tam in Senis quam in Piſis initiantes, & uſque hodie ſanctiſſimam vitam a cunctis ibidem ducere dignoſcuntur. Item dico, quod adhuc in tempore illo vidi in Senis perſonas utriuſque ſexus & ſæcularis ſtatus, & per virginem ad pœnitentiam converſas, quarum aliquæ ſolum ad tempus in ſæculo remanſerunt : ex quibus unus fuit quidam Gabriël de Piccolominibus de Senis; alius quidam Nevius Landocci de Senis, qui poſtea fuit unus de ſcriptoribus virginis, & qui poſt virginis tranſitum dies ſuos in ſancta vita eremitica terminavit. Alius fuit quidam Chriſtophorus Ghani de Senis, qui etiam fuit poſtmodum unus de ſcriptoribus virginis, & qui frater Hoſpitalis ſanctæ Mariæ de Senis effectus eſt, poſtquam librum virginis latinizavit, & pro majori parte epiſtolas virginis recollegit, & rithmica de ipſa compoſuit, & alia plura fecit, ibidem beato fine quievit. Alius, ceteris pro nunc dimiſſis, fuit quidam intelligens juvenis, dictus Stephanus de Maconibus de Senis, qui cum mortales inimicitias pateretur, & ex hoc arma, ut moris eſt talium, portaret, ibidem per virginem non ſolum converſus eſt ad pœnitentiam & ad pacem, ſed etiam omnes adverſarii ad idem, mediante virgine, ſunt reducti, prout ipſa virgo prædicto Stephano quampluries quod ita foret vel eveniret aſſeruerat atque prædixerat. Et qui Stephanus etiam poſtea fuit unus de ſcriptoribus ſuis, & comes uſque ad Avenionem, & conſequenter

Multos ad meliorem vitam convertit.

quenter ad Urbem, indefectibilibuſque ad virginis tranſitum. Poſt quem utique tranſitum, prout mandaverat ſibi virgo, non obſtantibus parentum retinentiis, lætus & gaudens Carthuſienſem ordinem eſt ingreſſus, in quo ordine tandem ex laudabilis vitæ ſuæ proceſſu, & ut æſtimatum fuit a pluribus ſui ordinis, meritis virginis eſt generalis effectus, & uſque nunc ſupervivens inter plurima laude digna & pro reverentia virginis multa fecit, de quibus aliqua tanguntur infra in XIV. XV. & XVI. capitulis. Item dico, me in Senis etiam vidiſſe & cognoviſſe quemdam Nannem filium Vanni, qui per virginem ad pœnitentiam poſt aliqua miranda reductus, eidem virgini quoddam forticulum modicum extra civitatem Senarum conſtitutum pro ædificando uno monaſterio tradidit; & conſimiliter ibidem vidi & novi alium virum nobilem, qui Franciſcus Malevolis dictus, & per virginem de ſua vita pluries admonitus, ex prophetico ſpiritu virginis, poſt ejus tranſitum Montis-Oliveti, me cooperante, ordinem eſt ingreſſus. Item dico, quomodo ego adverti & vidi qualiter de omni conditione ſervorum Dei tam religioſorum & monachorum, quam eremitarum & ſæcularis ſtatus confluebant ad virginem, de remotis partibus adventantes, ſive mittentes, & conſilia in via ſpiritus ab ea humiliter poſtulantes atque reportantes, de quibus per ſingula nimis foret enarrare diffuſum: addens quomodo de aliquibus hic ſupradictis ſerioſe tangitur in ejus legenda.

Catharina cando ſan- cta appellata.

Item dico, quod in Senis ego me reperi, quando virgo ibidem cœpit hinc inde appellari ſancta, & communiter haberi pro ſancta; ſed cauſam in ſpeciali pro tunc ego ignoravi, de qua tamen cauſa explicatur in particulari in dicta legenda, ubi in 2. partis capite 4. narratur qualiter cum in Senis aliqua infirma, cui virgo ſerviebat, inſtigante ſatana, ipſam virginem infamaſſet, meritis virginis ad pœnitentiam reducta, unde voluit adverſarius virginem confundere ſive deprimere, inde cooperante ſponſo ſuo meruit exaltari: quoniam unde adverſarius quæſivit quod mala mulier diceretur, inde factum eſt ut virgo a cunctis ſancta vocaretur.

Infirmos tempore peſtis mira gaudio viſitat.

31. Item octavo principaliter & pro octavo capitulo de ſingulari gaudio virginis quod habebat in viſitando infirmos tempore peſtis, & de tranſitu animarum ad cœlum, ac mirabili efficacia ipſius virginis erga converſionem aliquorum, ſignanter in tranſitu ex diverſis cauſis obſtinatorum, conteſtor & dico, quod me exiſtente in Senis tempore cujuſdam peſtis, quæ ibidem fuit, ſi bene occurrit anno MCCCLXXI. ſive LXXII. ego vidi pluries virginem cum præcipuo gaudio viſitare de peſte infirmos; ac vidi etiam aliquas per ipſam tam de peſte quam de alia infirmitate miraculoſe ſanatas, de quibus tangitur in legenda. Vidi ſæpius virginem de deceſſu animarum ad cœlum tranſeuntium ſpecialiter exultantem, & quemadmodum de aliis, ita etiam de illis ſuæ domus, de quibus cum aliqui de peſte ex hac vita migraſſent, cum mirabili jucunditate atque lætitia propriis manibus ſepelivit. Simili etiam modo quando proprii genitoris occurrit tranſitus, præcipuum gaudium demonſtravit, in tantum quod ceteris flentibus, ipſa ſola rideret, & in Domino exultaret, & ſignanter ex eo quod per revelationem habuerat, quod cum anima tranſiiſſet in cœlum, propter quod & ipſa libenter ipſum aſſociaſſet, ubi id de ſui ſponſi beneplacito extitiſſet. Item dico, quod Senis occurrerunt aliqui caſus in quibuſdam imminentis mortis, tam ex gravi infirmitate, quam ex vulneribus ab inimicis inflictis, quam & ex quadam condemnatione ad ſententiam capitalem, qui tamen omnino pœnitentiam accipere recuſabant, & hoc aut ex mala conſuetudine, aut ex appetitu vindictæ, ſive præ nimia ex occurſo caſu triſtitia & afflictione, & deficientibus circa hoc religioſis & aliis reverendis ſacerdotibus & in theologia magiſtris, tandem ſolum per virginem ad optatam pœnitentiam ſunt reducti, ſiquidem cum me inveniſſem in carceribus communitatis cum infraſcripto ad capitale ſupplicium condemnato, qui Nicolaus Jolde nobilis de Peruſio dicebatur, & qui per ſenatorem Senarum in quodam officio deputatus, cum quadam turbatione ipſum ſenatorem de quibuſdam concernentibus civitatis ſtatum infamaſſet, ac per hoc irremediabiliter in ſe ſententiam talem cerneret prolatam, omnino ſe in baratro deſperationis jactare volebat: quod virgo audiens, veluti ſalutis animarum tota zelotypa, cum acceſſiſſet ad ipſum, taliter factum eſt, ut qui primo tamquam leo ferociſſimus & deſperatus per carcerem incedebat, mediante præſentia virginis, taliter eſt reductus, quod uti agnus manſuetus qui portatur ad victimam, devotus & ſponta-neus, ad locum decapitationis acceſſit, cum tam admiranda devotione mortem illam, cum eſſet juvenilis ætatis, virgine præſente, & ſuis manibus caput ejus arripiente, ſuſcepit, ut non condemnati ex quovis ſcelere hominis, ſed per omnia cujuſdam devoti martyris tranſitus videretur, ac per hoc omnes viſceraliter & ex corde compungerentur, inter quos unus ego fui, in tantum ut non recorder uſque tunc alicui ſepulturæ interfuiſſe tantæ devotionis quemadmodum illa fuit: & hoc tantum meritis prælibatæ: quæ etiam alias quibuſdam aliis damnatis ibidem a ſponſo ſuo gratiam ſimilem impetravit, prout in ejus legenda ſerioſe narratur. Et conſimiliter infraſcripto alio ab hoſtibus atrociter & mortaliter vulnerato, & de Ceretatis de Senis, majoriſque eccleſiæ

Reum morti deſtinatum ad bene moriendum diſponit.

Pœnitentiam obſtinatis peccatoribus impetrat.

Senenſis canonico, cum eſſet taliter obſtinatus, quod in extremis poſitus nihil de Deo a quoquam penitus audire valeret, recurrente virgine miſerabilibus lacrymis & precibus, antequam decederet eidem ſalutarem pœnitentiam impetravit. Alius etiam dictus Andræas de Belantis de Senis, & a cunabulis mihi notus, cum fuiſſet homo valde mundanus, & infirmatus eſſet ad mortem, nec vellet aliquid de ſalutari pœnitentia audire, habito recurſu ad virginem, illa ſtatim, hoc audito, orationi ſe dedit, & per plures horas cum Domino diſceptando, ſibique pro præfato preces & lacrymas multipliciter offerendo, tandem meritis virginis eidem infirmanti miſericorditer Dominus apparuit, ſicque gratiam ſalutaris pœnitentiæ reportavit, utpote omnia facta ſua perfecte ordinando, ſe cum magna devotione confitendo, & cum præcipua contritione ex hac luce migrando, prout in legenda plenarie continetur. Dico etiam cognoviſſe plures alias perſonas ad pœnitentiam per virginem tam in vita quam in morte fuiſſe converſas, ac de corporea infirmitate & a dæmone liberatas, ac pro bona parte in legenda notatas, de quibus hic gratia brevitatis pertranſeo, uno ſignanter notabili excepto, videlicet de gratia præfatæ pœnitentiæ uni ſui ordinis ſorori in extremis ſe habenti & totaliter impœnitenti, mirabiliter & ſingulariter per virginem impetrata, utpote cum potens retinendi ſpiritum taliter migrantis a corpore, quouſque per dictam virginem gratiam plene reportaret, quod etiam in legenda ſerioſe narratur.

Zelus ejus pro converſione infidelium.

32. Item nono principaliter & pro nono capitulo de deſiderio virginis tam per ſe quam per alios tranſeundi ad infideles & ad terram ſanctam, & de quadam præcipua efficacia ſuæ orationis erga ſpeciales ſibi in Chriſto dilectos, ac de miranda liberalitate ejuſdem tam in ſpiritualibus quam in temporalibus, & ſignanter erga peccatores, necnon de ſuo tranſitu ex hac vita ad tempus, conteſtor & dico, quomodo quam pluries perſonaliter ab ore virginis audivi de materia fiendi paſſagii, ſive tranſitus ad infideles, & hoc ex accreſcentia continentiæ amplioris caritatis in ipſa erga animarum ſalutem, in tantum quod ego vidi in Senis plures perſonas jam paratas atque diſpoſitas, mediante virgine, ad iter dicti paſſagii proſequendum, & conſimiliter audivi de pluribus ad idem paratis, aut pro eadem cauſa ad certa ſubſidia largienda: unde & poſtea cum virgo ſe reperit coram papa Gregorio XI. conſtituta, inter alia mirabiliter de dicti paſſagii proſecutione diſputavit, ut tangitur in legenda. Optante etiam ipſa virgine ſacratiſſimum Domini viſitare ſepulcrum, & ubi Deo placeret, cum ſuis ſingulariter in Chriſto dilectis ad ſalutem tam fidelium quam infidelium procurandam ſupraſcripto intereſſe paſſagio. Item dico, quam pluries me perſonaliter advertiſſe, quod cum virgo orando loqueretur cum Deo, præfatas perſonas præcipue ſibi in Chriſto dilectas ipſi Domino ſpecialiter recommendabat, dicens: Adhuc tibi, Domine, efficaciter recommendo perſonas quas mihi dediſti in te diligere ſpeciali dilectione. Et etiam quodam ſemel advertiſſe qualiter virgo orans impetravit vitam æternam pro ſuis præfatis in Chriſto præcipuis, recipiendo ſuper hoc in ſua manu dextra certum indicium per modum cujuſdam ſtigmatis in ipſa impreſſi inviſibiliter cum intentione doloris remanentis in illa, de quo plenius tangitur in legenda: necnon & tandem tamquam ſignum adimpetrationis præfatæ vidiſſe, videlicet tam aliquas originales quam copias apoſtolicarum litterarum per virginem tam a Gregorio XI. quam ab Urbano VI. impetratarum, de plenaria indulgentia pro omnibus ſupradictis, & totius ſui collegii de Senis ſororibus. Inſuper virgine exiſtente in Urbe, & me in Senis, ab ipſa recepi unam litteram ſive epiſtolam, in qua de dicta plenaria indulgentia pro me ſpecialiter impetrata ſcripſit. Addens in illa exhortationes ad virtutis perfectionem provocantes, prout loquendo vel litteras dirigendo ſui moris facere ſemper erat; & inter alia quod pro eccleſia & ſummo pontifice ſpecialiter orare deberem. Item dico, qualiter ſemper pro tempore quo fui ubi fuit virgo, & ſignanter in Senis, ipſam vidi de omnibus bonis quæ habuiſſet, tam ſpiritualiter quam temporaliter propter Chriſtum omnibus liberaliter & propter proximi ſalutem penitus in nullo ſibi parcentem. Propter quam liberalitatem multa miracula, & præſertim circa quædam opera miſericordiæ per ipſam exercitata, occurrerunt, ut tangitur in legenda. Quin immo etiam adverti virginem pro peccatoribus etiam pœnitentias eis debitas pro peccatis, ut ipſos facilius ad Dominum converteret, in ſeipſa, & in proprio corpore tam liberaliter, quam magnanimiter, & affabiliter aſſumentem, ſeu promittentem, fidejubentem, ac etiam quam delectabiliter proſequentem, in tantum, ut recordor, in Senis quoddam murmur inſurrexiſſe, pro quanto ab aliquibus puſillis tanta caritatis affluentia non bene poterat comprehendi. Erat enim ſolita dicere, & maxime peccatoribus, ex immanitate peccatorum quaſi de venia deſperantibus, ut ipſos ad Dominum traheret: Non reſpiciatis ad peccata veſtra, quia « illa omnia volo ſuper me, aut: Ego volo « fidejubere pro vobis apud Deum, aut, Ego « volo obligari ad reddendam rationem pro « vobis ipſi Deo, & hujuſmodi. Nam & ſanctus Doctor determinat in 4. Sententiarum quomodo, quemadmodum corporaliter apud homines, ita & ſpiritualiter in caritate con-

ſtituti, unus pro alio ſatisfacere poteſt, conſimiliter apud Deum. Item dico, quomodo alias contigit, quod etiam quidam aliquale ſcandalum reportarunt, audientes virginem ad tempus modicum ab hac luce ſubtractam, & ad Dei viſionem ejus animam elevatam, & de multis alterius vitæ informatam, ac eodem die corpori proprio reſtitutam, cum tamen illa die inter alias perſonas aliqui fratres, & ego cum primo ipſius virginis confeſſore me reperi in domo ipſius virginis, ubi de dicto tranſitu audivi atque percepi qualiter per dictum confeſſorem & alios pertractatum eſt de pertinentibus ad ſepulturam; ſed quomodo poſtea eodem die revixerit, ut dictum eſt, non fuit expediens aliquid proſequi de tractatis, de quo in legenda extenſe narratur, ubi etiam de me fit mentio ſpecialis. Recolo autem me in legendis fratris Petri de Clugio ordinis Prædicatorum legiſſe quod aliquid ſimile de quodam S. Oddone abbate, de quo ibidem poſt legendam S. Ceciliæ dicitur quod mortuus eſt, & revixit, & poſtea iterum in Domino requievit. Et conſimiliter circa principium epiſtolæ B. Cyrilli epiſcopi Jeroſolymitani ad B. Auguſtinum habetur de tribus viris meritis B. Hieronymi, cum eſſent prius mortui, ad vitam ſequenti die reductis, & poſtmodum certo tempore ſuperviventibus, atque teſtificantibus de gloria animarum purgatarum, & de pœnis infernalibus & purgatoriis. Et modo conſimili circa dictæ epiſtolæ finem habetur de quodam Andræa cardinali, qui poſt mortem ad eccleſiam ejus cadaver cum eſſet deductum, ibidem meritis B. Hieronymi ad vitam priſtinam revixit, & de his quæ ſibi, cum ex hac luce migraſſet, contigerant coram domino papa & aliis tunc ejus funeri præſentibus enarravit.

In verbis cum circumſpecta.

33. Item decimo principaliter & pro capitulo 10. quo ad admirabilem inoffenſam virginis in verbis, & ejuſdem triſtitiam in mundialibus proſperis, & lætitiam in adverſis, per verba, geſtus, & opera oſtenſionis, & de geſtis per eam apud quamdam arcem, ac de ſuæ fama ſanctitatis ibidem, conteſtor & dico, quomodo in toto tempore, quo converſatus fui cum virgine, numquam audivi de ore ſuo procedere verbum aliquod ineptum, aut ſcandaloſum, aut otioſum, ſeu reprehenſibile quovis modo; nec etiam unquam audivi aliquem cum virgine converſatum contrarium referentem; ſed potius quod dictum eſt confirmantem, quod non ſolum in vita ſua potuit eſſe notorium, ſed etiam poſt, pro quanto libro ſuo & cunctis ejus epiſtolis, ac ceteris verbis & dictis ejus quæ reperiuntur in ſcriptis diligenter inſpectis, verbum quod rationabiliter reprehendi poſſit minime reperitur. Inſuper ipſam virginem numquam me vidiſſe recolo turbulentam, ſive turbatam, niſi ratione offenſæ Dei vel proximi, ſed ſemper affabilem, benignam, alacrem, & jucundam, & præſertim in infirmitatibus propriis, quibus continue tenebatur, & in adverſitatibus & tribulationibus tam ſuis, quam parentum ſuorum, ſemper illam vidi gaudentem & lætam, illaſque vehementer optare, & cum poſtea advenirent cum omni feſto & lætitia tolerare. Unum prout mihi occurrit ego aliquando vidi virginem cum quibuſdam plagiis ſive naſcentiis in brachiis ſuis exortis & in auribus, de quibus veluti de roſeis floribus lætabatur, atque ſubridendo dicebat: Iſtæ ſunt roſæ & flores mei. Recolo & alio ſemel vidiſſe inter alias vices virginem cum valde intenſe infirmitatem pateretur, conſimili modo jucundam pariter & ridentem, atque cum riſu dicentem: Si aliquis ſciret « quam dulces ſunt paſſiones & pœnæ amore « Domini toleratæ, profecto tamquam præ « ceteris aliis ipſius dona ſingularia ſpecialiter « & delectabiliter acceptaret. Unde ſolum de « proſperitate, & ſoſpitate etiam ſuorum, « cum occurrerent, reperta eſt ſingulariter contriſtari, ſiquidem cum proſperitatem temporalem aliquando ſuccedere parentibus cerneret, in oratione poſtmodum conſtituta cum quodam quaſi gemitu & ejulatu ſic ſponſo ſuo dicebat: O Domine, numquid « ſunt hæc dona quæ deſidero parentibus meis, « & non potius æterna? Et ſimili modo de « oppoſitis, utpote adverſitatibus quæ poſtea, me tunc in Senis præſente, parentibus evenerunt, reperta eſt præcipue in Domino gratulari, & ita ac multo amplius de contumeliis & injuriis ſuæ perſonæ quovis modo illatis conſimiliter faciebat, atque de præfatis omnibus ſingulares Domino gratias referebat. Unde ſemel ego vidi in Senis quod cum quidam Dei ſervus veniſſet de Florentia Senas, & vellet de virgine aliqualem experientiam habere, propter famam quam de ipſa perceperat, intrantibus ad illam dicto Dei ſervo cum primo ipſius virginis confeſſore, & me una cum ipſis, nullo alio aſſiſtente, nobis exceptis; cum dictus Dei ſervus poſt aliqua verba interrogatoria & reſponſibilia & gratioſa a virgine ſibi facta, in miras contra ipſam contumelias prorupiſſet, in tantum ut mihi quid nimium videretur enorme: illa tamen in lectulo ſuo de tabulis tamquam aliqualiter languida reſidens, & cum omnimoda reverentia flexo aliqualiter capite ac manibus cancellatis ad pectus, quæ ſibi dicebantur humiliter & diligenter attendens, in nullo mutata facie, & cum plena mentis tranquillitate, veluti coram ſuo ſponſo & Domino conſtituta, totum cum quadam jucunditate & cordis ſerenitate & gratiarum actione ſuſcepit, tamquam a Deo ſponſo ſuo de animabus ſuis zelotypo per medium ſervi ſui ex ſingulari caritate correcta, quemadmodum poſtea confeſſori præ-

In adverſis quam hilaris.

In proſperis triſtis.

fato, altera die ipſam interroganti, quid cogitaſſet cum ſupradicta dicerentur, eidem, etiam me præſente, habuit reſpondere. Virgine autem, ut præfertur, taliter ſe habente, & terminatis per Dei ſervum, prout viſum eſt ſibi, ſuis ſermonibus, omnes pariter ab illa diſceſſimus. Cum autem, etiam me audiente, dictus confeſſor poſtmodum in via præfatum Dei ſervum interrogaret, quid ſibi de virgine videretur; ille de iſta reſpondit: Quod videlicet eſſet veluti colatum aurum ſive unum aurum plene purificatum. Sicque factum eſt, ut rediret Florentiam unde venerat, de virgine ſumme ædificatus, & in Domino de illa non modicum conſolatus. Item dico, quod cum ſemel de civitate Urbe-veteri eſſem acceſſurus ad quamdam arcem Selimtenienſium de Senis, ubi virgo tunc erat, & deinde ad civitatem Senarum, ego ad dictam arcem perveniſſem, & ibidem cum virgine diebus aliquibus moram contraherem, adverti de fructu mirando quem per illam in animabus & etiam in corporibus Dominus faciebat, & ſecundo quantæ ſanctitatis & famæ apud omnes & ſingulariter apud principaliores ibidem erat. Unde quo ad primum percepi de quampluribus ad ſalutarem pœnitentiam per ipſam reductis; ex quibus aliqui reperti ſunt qui annos XL. ſine confeſſione tranſierant, aliqui ſunt reducti ad pacem; & quamdam ibidem dæmoniacam a dæmonio liberavit, de quo etiam tangitur in legenda. Quo ad ſecundum vero percepi de domina dictæ Arcis, quæ domina Lancina dicitur, germana nobilium de Fulgeneo dominorum, quod ex quo de virginis ſancta vita & converſatione advertit, habuit aliquando dixiſſe, qualiter cum perſonas ſpirituales plurimas pratticaſſet, numquam aliquam ſibi ſimilem in doctrina ſpiritus & ſanctitate vitæ vidiſſe. Cum autem in ſupradicto itinere, antequam ad virginem perveniſſem, multorum latronum inſultus & alia mihi pavenda viarum diſcrimina occurriſſent, & omnia præfata pericula mirabiliter ſive miraculoſe cum ſocio evadiſſem penitus, indubitanter mente concepi, quod meritis virginis, ad quam revertebar, fuiſſem a dictis periculis totaliter divinitus præſervatus.

Ejus devotio erga Euchariſtiam.

34. Item undecimo principaliter & pro undecimo capitulo quantum ad mirabilem virginis circa ſacramentum Corporis Chriſti devotionem ex aliquibus mirandis oſtenſam, & ad mirabilem ſuum dictandi modum, ac etiam pro concluſione ſuæ præcipuæ & eximiæ ſanctitatis, conteſtor & dico, quod ego perpluries vidi virginem in eccleſia noſtri conventus cum juvarem ad miſſam, & hoc in Senis antequam ipſa ad papam GREGORIUM XI. accederet, qualiter cum tantæ devotionis & affectionis exceſſu præfatum ſacramentum Corporis Chriſti ſumebat, quod nec ſermone vocali nec ſcripto poſſit facile explicari. Propter quod non ſolum devotionem præcipuam, ſed etiam admirationem non parvam aſſiſtentibus inferebat. Unde quodam ſemel, me ibidem juvante ad miſſam, ipſam vidi cum eſſet ſumtura Corpus Chriſti transfiguratam in facie, & illam habentem non ſolum lacrymis irrigatam, ſed etiam guttis ſudoris veluti gemmis hinc inde miro modo reſperſam. Et ut poſtea percepi, tunc factum eſt hoc, quando viſum fuit ipſi virgini communicare debenti, quod ſuper ſe plueret ſanguis cum igne mixtus: propter quod taliter purificata ſe ſenſit in anima, ut etiam transfunderet uſque ad corpus novam videlicet excipiendo purificationem a fomitali corruptione, prout tangitur in ejus legenda. Dico etiam, quod cum virgo ad civitatem Senarum de Avenione rediſſet, & in domo propriæ habitationis de apoſtolica licentia aliquoties miſſa celebraretur, contigit me ibidem aliquando juvare ad miſſam, atque videre qualiter virgo poſt Euchariſtiæ mirabilem ſumtionem, veluti caritate effuſi pro nobis ſanguinis JESU-CHRISTI taliter inebriata, os ſuum ad os calicis poſtquam vinum de illo ſumſiſſet taliter applicabat, & cum propriis dentibus ita fortiter detinebat, ut ſacerdos de dictis dentibus vix finaliter poſſet calicem retrahere. Propter cujus actus frequentiam, vidi dictum calicem circumcirca extremitates per ejuſdem dentes virginis mirabiliter undique interciſum, & prout apparet in libello de ſupplemento legendæ virginis, id in duobus aliis calicibus noſcitur contigiſſe. Multa atque alia miranda circa virginem quantum ad materiam Euchariſtiæ diverſis in locis & temporibus occurrerunt, de quibus habetur tam in legenda, quam in ſupradicto libello, in tantum ut de nullo ſancto vel ſancta legerim tot ſtupenda occurriſſe circa venerabile ſacramentum Corporis JESU CHRISTI, quemadmodum quampluries & diverſimode iſti virgini occurrerunt. Item dico, quomodo etiam quampluribus vicibus vidi virginem in Senis, & ſignanter poſtquam illuc rediit de Avenione, fuiſſe abſtractam a ſenſibus, oraculo vivæ vocis excepto, quo dictabat diverſis ſcriptoribus ſimul vel ſucceſſive aliquando epiſtolas, aliquando librum diverſis in locis & temporibus, prout ſe eidem habilitas offerebat, & hoc aliquando cancellatis ad pectus manibus per cameram incedendo, aliquoties flexis genibus, vel aliter ſe habendo: ita tamen quod ſemper faciem verſus cœlum elevatam tenebat. Apparendo etiam in virgine circa libri ſui compoſitionem inter alia hoc mirabile, videlicet quod cum ex emergentibus cauſis tranſiſſet plures dies, in quibus ſibi ad dictandum procedere non liceret, conceſſo tamen ſibi apto poſtmodum tempore, ita ubi dimiſerat reſumebat, ac ſi nullum intervallum aut intermiſſio ſibi quo-

modolibet occurriſſet. Inſuper ut in decurſu ſui libri evidenter apparet, poſtquam etiam aliquando perplures cartas dictaret, ita tamen principale in tantum reſumit ſive epilogat, ac ſi tam dicta quam dicenda fuiſſent, ſicut & de facto erant, pariter & actualiter præſentia menti ſuæ. Item dico, quod ego me reperi perſonaliter ſolum cum virgine in Senis certo tempore, & in arce ſupradicta, & tunc cum eſſem juvenilis ætatis, & in occupationibus ordinis conſtitutus, non potui cuncta quæ fiebant hinc inde per virginem oculata fide tenere; unde de viſu circa perſonam ejuſdem tantum quæ dicta ſunt, prout nunc mihi occurrit, volui enarrare. De aliis autem per eam dictis vel factis, tam in Senis per me tunc ignoratis, quam in diverſis aliis locis per ſuos confeſſores & alias perſonas, quæ ſecum ibidem converſatæ fuerunt, poſſunt enarrari de viſu, per me autem ſolum de auditu. Concludens finaliter qualiter de viſu diebus ſuis vel meis, cum ſim ultraſexagenarius, numquam vidi perſonam in actuali perfectione caritatis & in zelo ſalutis animarum, ac aliis pluribus ex præfatis emanantibus, & ſignanter in deſiderio patiendi propter Deum & proximum ſimilem ſibi; nec conſimiliter ex auditu, quod aliqua perſona uſque ad ſui tranſitum in præfatis ſibi adæquaretur, hucuſque percepi. Licet autem pro tunc mihi non occurrant alia præcipua digna relatu circa virginis perſonam vidiſſe, dum ageret in humanis: attamen quamplura ad ipſam virginem pertinentia, de quibus infra in ſequentibus capitulis, me vidiſſe conteſtor.

Privilegia a ſummis pontificibus ipſi conceſſa.

35. Item duodecimo principaliter & pro duodecimo capitulo, quantum ad quædam privilegia tam a domino papa GREGORIO XI. quam ab URBANO VI. per virginem ad honorem Dei & ſalutem fidelium impetrata, conteſtor & dico, tam me vidiſſe & legiſſe, quam etiam in prædicatione publica in conventu SS. Johannis & Pauli de Venetiis toti populo oſtendiſſe quamplura privilegia cum bulla plumbea vel authentica ſupradicti GREGORII XI. & per ipſum Gregorium virgini conceſſa: in quorum uno ſibi concedebatur quod poſſent aliquæ de ſua comitiva a quibuſcumque ſacerdotibus juxta votum eccleſiaſtica recipere ſacramenta. In alio, quod ipſa poſſet habere altare portatile, & miſſam habere etiam juxta votum. In alio, quod poſſet ſecum habere tres confeſſores, quos & de facto habuit, omnes mihi notos, qui auctoritate apoſtolica poſſent peccatores abſolvere, & ſignanter ad pœnitentiam jam reductos per virginem ab omnibus peccatis ſuis, illis ſolum exceptis, de quibus eſſet ſedes apoſtolica merito exquirenda. In alio verò, quod auctoritate apoſtolica poſſet ordinare de ædificando uno monaſterio ſororum de quodam fortalitio a quodam cive Senarum per ipſam converſo ad hoc ſibi tradito: & quod eadem auctoritate poſſet recipere de incertis uſque ad quantitatem duorum millium florenorum occaſione ædificationis monaſterii prælibati. Et hoc per medium ſive mediante quodam abbate monaſterii S. Antimi Cluſinæ diœceſis, & occurrentibus aliis opportunis ad dictum officium proſequendum. Item, dico me vidiſſe in Venetiis aliorum quatuor privilegiorum per virginem ab URBANO VI. impetratorum copias, in quorum uno ad inſtantiam virginis requirebatur, quod deberent ſe præſentare apud ſedem apoſtolicam principaliter quidam domnus Bartholomæus de Ravenna ordinis Carthuſienſis, cum quibuſdam aliis famoſis Dei ſervis, quorum unus erat quidam domnus Johannes monachus de Cellis Vallis-Umbroſæ; alius domnus Johannes prior monaſterii Vallis-Jocoſæ ordinis Carthuſienſis; alius frater Lucas ordinis Humiliatorum de Florentia; alius frater Thadæus de Urbe-veteri ordinis Prædicatorum; alius frater Leonardus de Monte-Politiano ordinis Minorum; & alius frater Guillelmus de Anglia ordinis eremitarum ſancti Auguſtini, apoſtolicam gratiam recepturi. Ipſo etiam URBANO concedente non ſolum præfatis, ſed etiam omnibus Dei ſervis & Chriſti ancillis in ſanctis & devotis exercitationibus, aut eremitica ſeu alia ſpirituali vita ſancte viventibus, & aliis vere pœnitentibus & confeſſis, pro ſtatu eccleſiæ & reductione ejuſdem in ſtatu ſanctorum patrum primitivorum, ad utilitatem animarum, Deique laudem, gloriam & honorem orantibus, pro qualibet vice certam indulgentiam, utpote centum dies de injunctis ſibi pœnitentiis relaxando. In aliis vero tribus continebatur de indulgentia plenaria ab ipſo URBANO VI. per virginem impetrata, non ſolum pro ſibi in Chriſto præcipuis, ut dictum fuit ſupra cap. 9. ſed etiam pro multis aliis perſonis, & inter ceteras alias pro omnibus ſororibus ſui ordinis & ſui collegii de Senis, per ipſam non parum augmentatis, tuncque quaſi centum numeraliter exiſtentibus, nominibus omnium ſupradictarum perſonarum in dictis privilegiis ſigillatim expreſſis. Vidi autem omnia præfata privilegia tam bullata authentica, quam etiam copiata eſſe pro nunc apud ſorores ordinis de Pœnitentia beati Dominici de Venetiis, & etiam occurrit mihi vidiſſe in Senis aliud privilegium bullatum bulla ſupradicti Gregorii XI. quod virgo impetraverat ab eo de plenaria indulgentia quampluribus perſonis diverſæ conditionis & ſtatus conceſſa.

De ſcriptis S. Catharinæ.

36. Item, decimo tertio principaliter, & pro decimo tertio capitulo de diverſis ſcripturis ac voluminibus quampluribus ad virginem pertinentibus, & de loco ſive perſona apud quam ſunt collocata, conteſtor & dico

me vidisse & legisse tam in Senis quam in Venetiis diversas epistolas & a diversis recollectas, quas virgo vivens in corpore diversis personis direxerat, & etiam vidisse quamplura volumina, in quorum aliquibus erat complete liber per virginem in suo vulgari compositus; & ulterius magnus numerus epistolarum virginis in duobus voluminibus, quæ tunc, me existente in Senis anno Domini 1398. deinde mecum huc Venetias reportavi; & omnia præfata, & alia plura habentur apud sorores ordinis de Pœnitentia B. Dominici de Venetiis. Item, præter supradicta dico, me vidisse in domo cujusdam Nicolai de Guideronibus de Luca, in Venetiis actualiter habitantis, infrascripta volumina, omnia ad virginem pertinentia, & in quadam sua capsa recondita, videlicet unum volumen tabulatum, in quo est supradictus liber virginis in suo vulgari, & capitulatus. Item, aliud volumen, in quo est idem liber juxta præfatum vulgarem latinizatus. Item, aliud in quo sunt epistolæ virginis numero 155. pertinentes ad omnem statum ecclesiasticum utriusque sexus, utpote directæ per virginem tam summis pontificibus, cardinalibus, archiepiscopis, episcopis, & plebanis, quam monachis nigris, griseis, & albis diversorum ordinum, necnon & fratribus Prædicatoribus, Minoribus, Eremitis S. Augustini, Eremitis solitariis, & adhuc monialibus tam diversi ordinis monachalis, quam ordinis Prædicatorum; atque tam personis de Pœnitentia beati Dominici, quam tertii ordinis S. Francisci. Item, aliud volumen in quo sunt epistolæ virginis numero 139. pertinentes ad omnem statum sæcularem utriusque sexus. Item, aliud in quo est legenda virginis in latino in tres partes distincta, & composita, ut dictum fuit in sexto capitulo, per venerabilem generalem ordinis Prædicatorum, dum esset actualiter in dicto officio constitutus. Item, aliud in quo est dicta legenda vulgarizata, partim in vulgari Placentino, partim in vulgari Senensi. Contigit autem postmodum ratiocinatum fuisse per supradictum Nicolaum de Guideronibus, hujus virginis devotum præcipuum, de quo etiam in capite sequenti fit mentio, & aliquos alios dictæ virgini signanter affectos, quod dicta volumina vel diligenter in dicta sua capsa conservarentur tempore suo, ubi se offerret facultas, in Romana curia præsentanda, vel in libraria alicujus conventus ordinis Prædicatorum, præsertim Senensium, sub ista tamen conditione, quod ubi in promotionem virginis seu canonizationem opportunum per discretos viros judicaretur, quod dicta volumina ubi supra præsentari deberentur, tunc eo casu extrahi possent de libraria præfata, quemadmodum est de una legenda virginis quæ est in libraria conventus S. Dominici de Venetiis. Quæ legendæ,

A me mediante & operante, sub præfata conditione dictis librariis concessæ fuerunt, super quibus etiam factæ fuerunt litteræ sigillis dictorum conventuum sigillatæ.

37. Item, decimo quarto principaliter, & pro decimo quarto capitulo de pluribus reliquiis ad virginem pertinentibus, hinc inde diversimode collocatis, tam de capite quam de aliis membris sui corporis, quam etiam de cappa, catena, & scripturis ipsius virginis propria manu scriptis, ac etiam de quibusdam miraculis, necnon & imaginibus ad figuras virginis appensis, contestor & dico B me vidisse cum personaliter essem in Senis, qualiter de Roma ibidem deportatum fuit caput venerabilis hujus virginis apud certum locum, & deinde certo die ad hoc singulariter deputato cum processione & magna solemnitate, populique frequentia, deportatum fuit apud conventum fratrum Prædicatorum de Senis, & postmodum in pulchro tabernaculo deaurato repositum, & in sacristia dicti conventus reverenter cum reliquiis aliis collocatum. Item, dico etiam me vidisse in Venetiis quoddam brachium de argento, scilicet æqualiter deauratum, in quo C poni debebat de brachio & manu virginis; quod brachium fieri fecerat magister Raymundus tunc generalis ordinis Prædicatorum, & per me in festo Dominicæ Resurrectionis in conventu SS. Johannis & Pauli, cum actualiter essem prædicator ibidem, completa prædicatione coram toto populo est ostensum, dicto generali in præfato conventu tunc actualiter existente, quod fuit anno Domini 1396. qui etiam generalis postmodum ordinavit, quod dictum brachium deferrent Romam apud conventum sanctæ Mariæ super Minervam, ubi corpus virginis requiescit, & ita factum est: ubi longo post D tempore ibidem tam a peregrinis quam a populo veneratum, tandem inde sive de sacristia, sive de altari furtive noscitur fuisse sublatum; & licet audivi anno præterito fuisse restitutum, mihi tamen hoc certitudinaliter minime constat. Item, dico qualiter non solum in talibus diebus Dominicæ Resurrectionis præfatæ, sed etiam per totam præcedentem quadragesimam in præfato conventu SS. Johannis & Pauli, ego de virgine ista sub similitudine Seraphici Crucifixi sancto Francisco seraphice apparentis quotidie aliquid tamquam de Seraphica & Christi Sera- E phici crucifixi imitatrice præcipua prædicavi, quod nusquam de sancto alio reperi auditum vel factum, ut etiam dictum fuit supra in capitulo primo, considerando præfatum Seraphicum Crucifixum cum quatuor corporis partibus, & cum sex alis pro qualibet septem pennas habentibus, quatuor conditiones divini amoris cum aliis sex conditionibus ejusdem, & pro qualibet septem divini amoris proprietates repræsentantibus,

De variis ejus reliquiis.

juxta quatuor dies & ſex hebdomadas ipſius quadrageſimæ, quarum hebdomadarum quælibet continet ſeptem dies, & ulterius etiam ſpeculandum præfatum Seraphicum Crucifixum, licet non ſolum. Item, dico quod per medium cujuſdam ſororis de Pœnitentia B. Dominici ſanctæ vitæ, de Urbe venientis Venetias, & ad ſepulcrum Dominicum accedentis, ego recepi unum fruſtum de oſſe brachii virginis hujus, cujus particula poſita eſt in tabernaculo argenteo, ubi eſt etiam de oſſe S. Chriſtophori, quod tabernaculum eſt hic in Venetiis apud ſorores dicti ordinis. Item, dico me recepiſſe de Roma per medium ſupranominatæ in primo capitulo cognatæ virginis ibidem commorantis, unum de digitis ejuſdem virginis, qui etiam adhuc eſt hic in Venetiis apud dictas ſorores in pulchro tabernaculo argenteo & criſtallino, cum certis aliis SS. reliquiis. De quo tamen digito aliquid parum circa radices ejuſdem quidam domnus Stephanus domus Vallis omnium ſanctorum, ordinis Carthuſienſis monachus, miraculoſe multis precibus & lacrymis impetravit. De quo miraculo & aliis pluribus alibi pertractatur. Item dico, quod cum eſſem in Senis poſt virginis tranſitum, C vidi alium digitum dictæ virginis reponi in quodam tabernaculo argenteo, præſentibus aliis pluribus venerabilibus viris & devotis, & remanſiſſe apud quemdam alium domnum Stephanum de Senis, ordinis etiam Carthuſienſis, eo quod dictum obtinuerat, & dictum tabernaculum in reverentiam virginis fabricari fecerat. De quo viro etiam dictum fuit ſupra cap. 7. qui etiam poſt temporis proceſſum exiſtens generalis ejuſdem ordinis, & de mandato ſummi pontificis ad eumdem, & poſtmodum ad capitulum generale ſui ordinis accedens, & per Venetias D tranſiens, oraculo vivæ vocis non ſolum de pluribus miraculis in partibus Auſtriæ meritis virginis patratis a Domino erga languores corporales diverſi generis enarravit, ſed etiam de perſona ſua, non ſolum miraculoſe a quampluribus periculis & occurſibus uſque tunc meritis virginis præſervata, ſed adhuc in narrando qualiter apponendo præfatum digitum ſuper proprium oculum, in quo plurimum patiebatur, ſtatim recepit plenariam ſanitatem. Quem etiam digitum quemadmodum ego vidi erectum fore abſque ali- E qua curvitate, ita & dictus D. Stephanus mihi dixit qualiter modo conſimili ſemper ſe habuerat, non ſolum poſt, ſed etiam antequam ab aliis digitis ſeparatus exiſteret. Nam cum virgo defuncta, & in feretro collocata, manus cancellatas ſuper pectus teneret, ceteris digitis æqualiter curvis manentibus, ſolus dictus digitus tunc & ex tunc uſque ad ejus abſciſſionem per ſupraſcriptam cognatam virginis factam, & ſemper poſt ſtetit erectus, omni curvitate remota, & hoc

A ad deſignandum qualiter fuit digitus a ſponſo ſuo Chriſto certo annulo ſubarratus, de qua ſubarratione ſuperius habetur, & in ultimo capitulo ſecundæ partis legendæ virginis. Item, dico me perſonaliter vidiſſe & recepiſſe unum de dentibus virginis, quem prout habui a præfato D. Stephano de Senis, cum ipſe exiſtens in Roma poſt tranſitum virginis de ore ejus dictum dentem abſtuliſſet; idem dens poſtmodum ad manus ſui tunc generalis, videlicet B. Chriſtophori de Florentia pervenit; & cum poſtea ſibi petitus foret a domino Angelo Corario de Venetiis, tunc patriarcha Conſtantinopolitano, & poſtea Gregorio XII. appellato, illum ſibi tradidit gratioſe. Ulterius vero ipſe exiſtens patriarcha, & antequam Romam accederet, dictum dentem recommendavit cuidam venerabili antiquo patri olim magiſtro ſuo, qui dictus pater Antonius David de Venetiis eſt dictus, ſanctuſque homo ab omnibus reputatus, & mihi notus pariter & devotus. Cum autem mihi quodam ſemel præfatus pater dictum dentem cum certis aliis reliquiis oſtendiſſet, in tantum inſtitit cum litteris & precibus apud præfatum tunc patriarcham, quod de mandato ejuſdem dictus pater mihi dentem ſupradictum conſignavit & tradidit. Ego vero ipſum aliqualiter ornatum, quod in uno ſupradictorum tabernaculorum de argento deaurato atque criſtallino collocaretur ordinavi. Poſt certum autem tempus cum a quodam venerabili patre ordinis Carthuſienſis aliquid de reliquiis virginis pro domno Alberto duce Auſtriæ peteretur inſtanter; tandem propter eximiam devotionem quam dictus dux habebat ad virginem, eidem dictum dentem tranſmittere procuravi: qui ipſum non cum parva devotione ſuſcepit, & cum ſuis reliquiis venerabiliter collocavit. Item, me vidiſſe plures fratres vel monachos Montis-Oliveti mihi notos pariter & devotos, & unanimiter atteſtantes, qualiter in loco majori ipſorum, qui per quatuordecim milliaria diſtat a civitate Senarum, eſt unus de dentibus virginis, tentus per duos digitos unius parvæ manus argenteæ, quæ cum dicto dente eſt in quodam tabernaculo criſtallino, quod tabernaculum eſt in ſacriſtia dicti conventus de Monte-Oliveto venerabiliter collocatum. Dictum autem dentem cum certis aliis ſcripturis atque libellis obtinuerunt fratres ſive monachi dicti conventus a quodam Nerio Landoceio de Senis, qui fuit unus de ſcriptoribus virginis, de quo ſupra facta eſt mentio cap. 7. Item dico me in Venetiis vidiſſe, & apud me diebus pluribus habuiſſe unam catenam ferream, quamplures cruces ferreas in ſe habentem, & hoc apud quemdam venerabilem patrem priorem eccleſiæ Miſericordiæ de Venetiis: qua catena uſa eſt virgo iſta longo tempore circa lumbos, & qui prior

ipſam tamquam reliquiam præcipuam conſervavit atque conſervat: in tantum quod nullis ab illo valui quibuſcumque precibus impetrare: allegando mihi inter alia, qualiter poſt mortem ſuam debet redire ad monaſterium S. Andreæ de Venetiis. De qua catena tactum fuit ſupra cap. 3. Item, dico me habuiſſe a ſupradicto Stephano de Senis, & hoc per litteras, qualiter ex quo virgo miraculoſe ſcribere didicit, ab oratione ſurgens cum deſiderio ſcribendi, ſcripſit propria manu unam litteram, quam ipſi D. Stephano tranſmiſit, in qua ita concludebatur, ſcilicet in ſuo vulgari, videlicet: *Scias, mi fili cariſſime, quod hæc eſt prima littera quam ego umquam ſcripſerim.* Et in ſupradictis litteris mihi ab ipſo directis, ſubjungit ipſe præfatus pater, quomodo ipſo præſente multotiens poſtmodum virgo propria manu ſcripſit, & etiam plures cartas de libro, quas ipſa in proprio vulgari compoſuit, & qualiter dictas ſcripturas virginis habuit pro reliquiis in domo Pontiniani ſui ordinis Carthuſienſis prope civitatem Senarum: cui poſtmodum ego ſcripſi qualiter dignaretur ordinare taliter, quod unam de dictis ſcripturis virginalibus haberem, & nondum recepi. Legi ego in libris epiſtolarum virginis, & reperi quod ipſa virgo reverendo patri ſupradicto magiſtro Raymundo generali ordinis Prædicatorum, epiſtolas duas propria manu ſcripſit, inter alia intimando quod aptitudinem ſcribendi mirabili modo Dominus in mente ſua formaverat ex providentia ſpeciali. Item dico in Venetiis me habuiſſe & vidiſſe quamdam cedulam de cinnabrio miraculoſe inter alias a virgine propria manu ſcriptam. Nam cum quodam ſemel poſtquam ſcribere divinitus didiciſſet, cinnabrium aptum ad ſcribendum juxta ſe reperiſſet, accepta quadam cartula & quadam penna, incœpit cum dicto cinnabrio taliter, licet in ſuo vulgari, ſcribere, videlicet: *Spiritus-ſancte, veni in cor meum, pro tua potentia illud trahas ad te Deum, & mihi concede caritatem cum timore. Cuſtodi me, Chriſte, ab omni mala cogitatione. Me recaleſcas & me reinflammes tuo dulciſſimo amore; ita ut omnis pœna mihi levis videatur. Sancte mi Pater, mi dulcis dominator, oportet me juvare in omni mea neceſſitate. Chriſtus amor, Chriſtus amor.* Dicta ergo cedula pro ſingulari munere tradita fuit uni venerabili patri ordinis Eremitarum S. Auguſtini, videlicet fratri Hieronymo de Senis, qui poſtea illam tradidit pro ſpeciali xenio famoſo prædicatori in Venetiis, videlicet D. F. Leonardo Piſani, a quo ego poſtmodum pro ſingulari reliquia & dono recepi. Et nunc eſt cum aliis reliquiis virginis apud ſorores ordinis de Pœnitentia B. Dominici de Venetiis. Item dico, me apportaſſe de Senis in Venetias anno 1398. cappam hujus virginis, cum qua induta fuit, cum in Senis ipſa primum recepit habitum ordinis de Pœnitentia beati Dominici, & prout reperi in quadam littera mihi tranſmiſſa a ſupradicto Nereo, habebat virgo præfatam cappam ſingulariter caram, forſan quia fuerat illa cum qua ſponſo ſuo ſolemniter ſe dedicaverat; in tantum autem illam cari pendebat, quod aliquando dicebat: Ego non intendo quod iſta cappa a me « umquam auferatur; & veluti ſpiritu tacta « prophetico, ſubjungebat dicens: Ego volo « quod ipſa perduret ſive permaneat ultra vi- « tam meam. Et ex hoc ſemper ubi dicta cappa « deficiebat, ſive dilacerabatur, illam ſolerter ibidem reſarcire curabat: unde omnes petias dictæ cappæ ſua manu propria reſarcivit. Et ex hoc tam propter devotionem dictæ cappæ, quam etiam ad virginis habitum multæ dominæ ſumſerunt habitum dicti ordinis de Pœnitentia B. Dominici cum dicta cappa. Ex quo ſecutum eſt, quod ipſa fuit multoties benedicta, ſecundum quod quando talis habitus ſumitur, prius a ſororum magiſtro benedicitur. Propter quæ dictam cappam virgo primo confeſſori Fr. Thomæ de Fonte ſingulariter recommendavit. Et idem confeſſor, cum ex hac vita migravit, dimiſit illam cuidam nepti ſuæ, ſorori dicti ordinis, quæ etiam Catharina Cothi uſque huc dicitur: & ab ipſa ego Senis exiſtens anno præfato eamdem cappam miro modo obtinui & recepi, & ita, ut prædictum eſt, de Senis Venetias apportavi, & nunc eſt in quadam capſula lignea & deaurata cum aliis reliquiis virginis apud ſorores dicti ordinis, ubi per dictam cappam meritis virginis perſonas plures liberavit tam ab infirmitatibus corporalibus, quam etiam a malignis ſpiritibus. Item, me habuiſſe * per litteras a quodam venerabili patre, de quo ſupra in capite 12. facta eſt mentio, videlicet D. Bartholomæo de Ravenna, ordinis Carthuſienſis, mihi directas & apud me exiſtentes, in quibus inter alia continetur, qualiter apud ipſum eſt una alia cappa ſive mantellus, qui fuit hujus virginis. Nam cum virgo in inſula Gorgonæ apud domum ſive prope domum ordinis Carthuſienſis ſe reperiret, & dictus pater tunc dictæ domus prior exiſteret, virgo ob devotionem ejuſdem præfatam cappam ſibi reliquit, quam etiam uſque nunc apud ſe habet in domo dicti ordinis de Papia, ut mihi ſcripſit, & quomodo per ipſam Dominus aliquando ſoſpitatem utriuſque hominis eſt operatus, & ſic illam ſecum pro ſingulari reliquia retinet & conſervat hucuſque. Item dico, quod anno Domini 1403. ego vidi unum juvenem a ſæpius in hoc capitulo notato, videlicet D. Stephano de Senis generali tunc ſui ordinis Carthuſienſis Venetias tranſmiſſum, qui accedens Romam ad ſepulcrum virginis, quaſi ex toto cœcus, rediit ab inde plenarie illuminatus, de quo appareret publicum inſtrumentum in curia domini

* f. plures litteras.

epiſcopi

epiſcopi Caſtellani de Venetiis, de miraculo præfato confectum, quod eſt nunc inter privilegia apud ſupraſcriptas ſorores. Item, dico in Venetiis me vidiſſe quemdam reverendum patrem fratrem Paulum de Roma ordinis Prædicatorum, qui mihi dixit oraculo vivæ vocis, qualiter tempore URBANI papæ VI. vidit in Urbe virginem, cui etiam locutus fuit; & quod poſt virginis & dicti Urbani tranſitum, ipſo exiſtente pœnitentiario BONIFACII papæ IX. cum ipſe quodam fero dolore viſcerum nimium torqueretur, propter devotionem conceptam ad virginem, ad ipſam recurrens, & poſtmodum obdormiens, poſtea excitatus ſe reperit plenarie liberatum: quod miraculum in die commemorationis virginis, tam in Urbe quam in Senis poſtmodum prædicavit, & quampluries ad gloriam virginis recitavit, & ad faciendum ſuper hoc juramentum, ubi expedierit, mihi ſe obtulit. Item, dico me vidiſſe & cognoviſſe quemdam Nicolaum de Guideronibus de Suca in Venetiis habitantem, qui ad invocationem virginis liberatus eſt a doloribus eximiis ſui ſiniſtri pedis, & qui ex devotione quam habet ad virginem, non ſolum ſupradicta volumina, de quibus facta eſt mentio ſupra in cap. 13. apud ſe habere voluit; ſed etiam, ut dictum fuit ſupra capite 1. unum volumen in quo eſt legenda virginis, Lucam tranſmiſit ad conventum ordinis Prædicatorum, pro habilius ibidem virginis recolenda memoria, & in Venetiis annuatim in die memoriæ dictæ virginis aliqua in ejus reverentiam facit. Cumque plurima ſanctitatis a fide dignis & ab his qui eam viderunt, de virgine audiſſet, & exiſtens puer in Luca quando virgo ibidem fuit, tantam devotionem concepit ad ipſam, ut non ſolum apud ſe ſemper habere voluit ejus imaginem, & facere quod dictum eſt; ſed etiam quod in ſacro fonte in reverentiam virginis nomen Catharinæ uni filiarum imponeretur. Et cum fuerit & ſit hucuſque rebus temporalibus locuples, pro virginis canonizatione quampluries, etiam me præſente, ſe obtulit ad expendendum plura centenaria ducatorum, & pro magna parte ob ejuſdem virginis reverentiam fecit, expendens pro obtinendo privilegio confirmationis ordinis de Pœnitentia B. Dominici ab Innocentio VII. prout mihi conſtat. Item, dico me vidiſſe ac etiam noſſe quemdam alium Nicolaum Philippi de Venetiis, qui cum certis aliis quodam ſemel in non parvo periculo conſtitutus in mari, ad invocationem virginis, occurrente diſcrimine, fuit cum reliquis a maxima tempeſtate ſalvatus; cujus & uxor cum haberet filiam, ob reverentiam virginis *nomen Catharinæ, & occurriſſet ſibi terribilis defectus in oculis, ita ut pariter eſſet in procinctu cœcitatis & mortis, habito recurſu ad virginem, factaque ſibi promiſſione de oculis duobus argenteis offerendis, fuit reparatis luminibus, & corpori reddita ſoſpitate, plenarie liberata. Et conſimiliter uxor præfata pluries ad invocationem virginis a pluribus periculis extitit præſervata, prout ipſe Nicolaus de præfatis etiam per litteras propria manu ſcriptas & apud me habitas eſt conteſtatus.

*nomine.

38. Item quinto decimo principaliter & pro decimo quinto capitulo quoad illa quæ canonizationem virginis concernunt, & qualiter dicta canonizatio uſque in præſens ſuum non potuit ſortiri effectum, conteſtor & dico, me in Venetiis vidiſſe anno 1402. de menſe Septembris duos venerabiles religioſos ordinis Cartuſienſis, miſſos de licentia ſupraſcripti B. Stephani de Senis, tunc generalis eorum exiſtens, a quodam domino ALBERTO duce Auſtriæ ad magiſtrum Thomam de Firmo, tunc generalem ordinis Prædicatorum, qui, Domino diſponente, Venetias die præcedente advenerat, & conſequenter mittebantur ad Romanam curiam, videlicet ad dominum papam BONIFACIUM IX. & ad dominos cardinales, cum litteris pluribus ad canonizationem virginis pertinentibus, quarum aliquæ dirigebantur dicto ſummo pontifici, quæ erant tres, una ſcilicet ex parte domini epiſcopi *Pictavienſis, alia ex parte regis Ungariæ, & alia ex parte ducis Auſtriæ. Aliquæ vero dirigebantur dominis cardinalibus, quæ erant ſimiliter tres, a tribus videlicet perſonis præfatis eis directæ; petentes omnes prædictæ tres litteræ quam devote & efficaciter virginis canonizationem præfatam, & quamdecenter fiendam devotius ſuadentes, ne videlicet talis lucerna alicui lateret; ſed ſuper modio eccleſiæ candelabro ſuperpoſita cunctis fidelibus reluceret. Aliquæ vero litteræ erant, quæ a præfato duce Auſtriæ, dicto magiſtro ordinis Prædicatorum dirigebantur: quæ erant duæ, petendo in una ab ipſo generali caput venerabile virginis, de quo ſupra in principio præcedentis capituli, & in primo capitulo facta eſt mentio, & de aliis ejuſdem virginis reliquiis: & in alia, quod licentiare dignaretur quemdam fratrem Bartholomæum de Senis ſacræ theologiæ profeſſorem in Venetiis, ſicut & ego, tunc exiſtentem, qui fuerat unus de confeſſoribus virginis, & me etiam ſecum, ex eo quod fueram ejuſdem virginis aliqualiter familiaris, & hoc pro executione canonizationis prædictæ. Aliquæ etiam litteræ erant videlicet duæ, quæ dirigebantur duobus præfatis pariter propter eamdem cauſam; & una erat dicti domini ALBERTI; alia ſupradicti D. generalis Cartuſiæ, ſuadentes nobis etiam ſupplicando ſupra dictum acceſſum ad Romanam curiam pro executione cauſæ prælibatæ. Sed in littera generalis præfati, qui pro hujuſmodi

De aliquibus actis pro canonizatione S. Catharinæ.

*f. Pataviens.

cauſa totis affectibus laborabat, etiam continebatur tota ſeries negotii ſupradicti, & adhuc qualiter ipſe pro prædicta cauſa perſonaliter ſcribebat pluribus prælatis in Romana curia exiſtentibus, & ſignanter D. Cosmato cardinali Bononienſi, qui poſtea fuit Innocentius VII. & domino Angelo Corario patriarchæ Conſtantinopolitano, qui poſtea fuit Gregorius XII. & cuidam domino Thomæ Petra, qui erat protonotarius ac etiam procurator in curia præfata ſui ordinis Cartuſienſis; ſuadendo etiam in litteris ſuis præfatis, quod idem fieri deberet pro eadem cauſa per ſupradictos patres ordinis Prædicatorum: ſubjungendo ibidem plura alia ad propoſitum, de quibus dimitto gratia brevitatis. Item dico, me conſimiliter vidiſſe & recepiſſe litteras a præfato generali Cartuſiæ, in quibus inter alia continebatur, qualiter rex Apuliæ Ladislaüs ad ſupradictum Bonifacium IX. pro canonizatione virginis litteras tranſmiſerat efficaces, & adhuc vidiſſe litteras ſupradicti generalis ordinis Prædicatorum ad procuratorem ordinis ejuſdem in Romana curia pro cauſa ſupradicta, & alias ejuſdem generalis, in quibus ſupradicto magiſtro Bartholomæo, & mihi juxta vota dicti domini ducis Auſtriæ licentiam accedendi ad curiam pro dicta cauſa, tam ſeorſum quam ſimul, liberaliter & generaliter concedebat. Item dico, quod ſupradictus Bartholomæus & ego pariter reſponſales & ſpeciales litteras tranſmiſimus dicto domino duci Auſtriæ, inter alia ſibi regratiando, ac ſuum votum plurimùm commendando; & conſimiliter ſcripſimus ſerioſe ſeorſum dicto generali Cartuſiæ litteras inter alia continentes, qualiter habito in Venetiis conſilio ſuper canonizationis prædictæ materia diligenti, fuit conſultum quod ſupradicti religioſi ordinis Cartuſiæ pro tunc retrocederent, & ad dictum dominum ducem Auſtriæ redirent cum informatione plenaria eorum quæ ad canonizationem requiruntur, & ſignanter quantum ad expenſas infallanter opportunas, ut ſic omnibus bene digeſtis, ſolidius & efficacius in tanto negotio eſſet proceſſus. Propter quod poſtmodum eſt ſecutum, quod præfatus dominus dux Auſtriæ ſuper executione dicti negotii voluit informari in Romana curia; & cum pluries ibidem miſiſſet ſuper id conſulendo, & adviſationem petendo, pluries habuit reſponſum, quod pro tunc non erat tempus congruum ad pertractandam præfatam materiam, tum propter ipſius domini papæ languorem, qui continuè infirmabatur, tum propter ſermones invaleſcentes de unione fienda, tum propter multiplicem & exceſſivam expenſam, tum propter temporis protelationem quamlongam: & ita pro tunc deſtitit. Poſtea vero, interveniente morte dicti domini Bonifacii papæ, ac etiam dicti domini Alberti ducis Auſtriæ, circa id pro illo tempore non potuit de cetero aliquid executioni mandari. Cum autem ſuccederet præfato Bonifacio IX. Innocentius VII. in cujus tempore putabatur aliquid circa materiam poſſe fieri: attamen nihil eſt factum, tum propter cauſam dictæ unionis, tum quia citò deceſſit. Item dico, quomodo conſequenter, me exiſtente in Venetiis, ego recepi litteras de Senis anno Domini MCCCCVII. a quodam ſcilicet Chriſtophoro Gani ſcriba & fratre hoſpitalis majoris de Scala civitatis Senarum, de quo viro etiam ſupra in cap. 7. facta eſt mentio, mihi intimando, quod cum immediatus ſucceſſor præfati Innocentii VII. Gregorius XII. pontificatus ſui anno primo, cauſam unionis proſequendæ prope Senas in quodam caſtro dicti hoſpitalis, quod dicitur Cuna, & poſtea in Senis cum ſua curia reperiretur, inter alia oſtendit maximam affectionem & devotionem habere ad virginem, inde, videlicet de Senis exortam, & a Senenſibus parentibus propagatam, & tanto amplius a diu ante de virgine notitiam habuerat, & quamplura ad ejus auditum de virginis ſanctitate vitæ & doctrina ſancta ejuſdem pervenerat; ac eidem cum eſſet ante patriarchatum Conſtantinopolitanum epiſcopus Venetiarum, ipſa virgo litteram ſive epiſtolam unam direxerat, quæ in uno ſupraſcriptorum voluminum eſt copiata inter alias. Necnon & patriarcha exiſtens unum de dentibus virginis apud ſe certo tempore cum præcipua devotione conſervavit; ſed cum poſtea Romam accederet, præfatum dentem cuidam venerabili patri magiſtro olim ſuo dimiſit, meque poſtmodum interpellante, eumdem dentem mihi dari mandavit, prout dictum fuit ſuperius: unde propter hoc & alia quamplura, ut ſupra, dictus ſummus pontifex dixit multa audiviſſe de virgine, & quod libenter vellet ſuos libros & ſcripturas videre. Et cum tunc quidam dominus Paulus Pauli de Senis, rector majoris hoſpitalis de Scala ſupradicti, ac virginis in Domino ſingularis filius & devotus, præſente ſupradicto, ſcilicet Chriſtophoro fr. dicti hoſpitalis & pluribus aliis, & tam in præfato caſtro, quam poſtea in Senis multis vicibus replicaſſet dicto ſummo pontifici, quod dignaretur canonizationi virginis intendere, idipſum multipliciter ſuadendo, dictus dominus papa taliter reſpondit: videlicet quod libenter hoc faceret, ſed quod oporteret habere quamplurimos, qui fidem facerent de virginis vita, moribus, doctrina, & fama, & de miraculis, & habere teſtes de viſu, & alia prout ordo eccleſiæ exigit. Deinde tunc petiit inter cetera habere in ſcriptis illa quæ ſancta virgo prædixit de ſtatu eccleſiæ. Et cum tunc ibidem in curia adveniſſet quidam archiepiſcopus Ragúſanus ad virginem tam-

quam ad beatam matrem affectus, & ad cuncta sibi possibilia pro virginis canonizatione paratus, quamplures scripturas & litteras virginis, quas apud se habebat, dedit ipsi domino papæ, quas virgo direxerat domino URBANO VI. dum pro inchoato tunc schismate affligeretur, quas etiam scripturas dictus archiepiscopus latinizavit, ut sic per dominum papam delectabilius & habilius legerentur. Invenit etiam scilicet tunc esse in Senis in curia ibidem venerabilis vir & virgini signanter affectus, videlicet dictus dominus Thomas Petra, ipsius domini papæ & aliorum suorum supradictorum prædecessorum protonotarius, qui etiam admiranda habuit narrare de virgine. Et quoniam supradictus generalis Cartusiæ fuerat præcipuus in Domino filius virginis, & de ejusdem generalis virtutibus facta esset relatio apud ipsum dominum papam; ipse dominus papa misit pro generali præfato, ut ad suam sanctitatem haberet accedere. Propter quod supradictus, scilicet Christophorus etiam dicto generali existenti in partibus ducum Austriæ, scorsum scripsit, & etiam seorsum mihi tunc existenti in Venetiis, & efficaciter, quatenus ex eo quod fueramus virginis aliqualiter familiares, & in Domino filii, omnino ad curiam in Senis deberemus accedere pro causa prædicta. Sed cum postea præfatum summum pontificem negotium unionis urgeret, nec esset tempus aptum ad præfatum opus canonizationis pertractandum; remansit ejus processus pro tunc interruptus; nec ex tunc usque nunc apparuit vel apparet tempus ad talia prosequenda dispositum, prout considerato ecclesiæ statu potest esse omnibus manifestum & clarum. Et sic ex omnibus supradictis apertè convincitur, qualiter materia præfatæ canonizationis decenter hucusque prosecutionem aliter habere non voluit. Concludens mihi intimatum fuisse a prædicto generali Cartusiæ per litteram de manu sua, motivum fuisse supradictorum principum, & signanter domini ducis Austriæ, ad virginis canonizationem petendam fuisse, non solum informatio fide digna de virtutibus & sanctitate vitæ pariter & doctrinæ virginis, sed etiam quædam miracula pro personis utriusque sexus & statûs in partibus Austriæ meritis virginis a Domino perpetrata, de quibus etiam in capite præcedenti aliqualis facta est mentio.

Remissepistolis & scripturis canonizationem S. Catharinæ.

39. Item decimo sexto principaliter & pro XVI. capitulo de multiplicibus litteris & copiis earumdem personarum diversi status & diversimode ad virginem pertinentibus, utpote de materia supradictæ canonizationis, reliquiarum, miraculorum multiplicitate, legendæ ipsius, & per orbem diffusæ tractantibus, ac etiam de diversis vocabulis in dictis litteris contentis, ac sanctitatem virginis attestantibus, contestor & dico me vidisse, recepisse, & apud me habuisse omnes originales litteras vel earumdem copias supradictæ canonizationis materiam, & quicquid tunc circa id hucusque factum est concernentes, necnon & libri virginis ac legendæ ipsius declarationem, multiplicationem, diffusionem per orbem, & alia quamplurima ad commendationem virginis facientia continentes, quarum litterarum vel copiarum aliquæ fuerunt litteræ cancellariorum suprascriptorum principum canonizationem virginis petentium, a quibus etiam per medium supradicti tunc generalis Cartusiæ habui copias earumdem: aliæ vero litteræ fuerunt, & in bona qualitate de manu propria generalis supradicti, tam antequam esset in dicto officio, quam in eodem existens mihi directæ per ipsum, faciendo in dictis litteris mentionem modo de pertinentibus ad canonizationem prædictam, modo de recollectione orationum virginis, modo declarationem partium de legenda, etiam circa visionem domini Thomæ Petra habita de virginis gloria: modo de miraculis & aliis actis in partibus Austriæ; modo de libro virginis per ipsum ordinato latinizari in Urbe a quodam sui ordinis monacho, de legenda in latino per ipsum transcripta in Mediolano; ubi tunc prior erat, & de alia quam transcribi fecit R. P. Bartholomæus de Ravenna ejusdem ordinis; modo de legenda virginis quam idem generalis fecit in Mediolano a quodam sapienti viro de Placentia in vulgari transcribi, ipsam postea transmittendo Venetias uxori domini Francisci de Sandelis; modo de legendis ejusdem virginis per ipsum generalem transmissis, videlicet ad regem Angliæ, qui devote illam petivit, ad regem Ungariæ, cui & librum virginis destinavit, ad regem etiam Apuliæ: aliam misit Gandavum in Flandria, aliam Pragam in Boëmia, aliam Treverim in Alemannia, aliam Prusam juxta Poloniam, aliam Romam ad locum sui ordinis Cartusiensis. Facientes etiam præfatæ litteræ mentionem de pluribus aliis virginis in commendationem, de quibus foret nimium hic enarrare diffusum. Item dico, mihi relictos fuisse quosdam quaternos ad virginem pertinentes, a generali ordinis Prædicatorum, utpote a reverendissimo magistro Raymundo, legendæ ejusdem compositore: qui quaterni & omnium copiæ, atque litteræ supradictæ sunt in quadam sacula & in quadam capsa Nicolai de Guideronibus, ubi etiam sunt supradicta volumina ad virginem pertinentia, prout hic dictum fuit superius in capite 13. Item huic parti sive capitulo finaliter addo, qualiter in omnibus supradictis litteris, copiis & scripturis, quasi de omni statu ecclesiæ existentibus, hæc virgo appellatur vel mater millium animarum, aut communis mater, aut dulcissima mater, aut sancta mater,

aut beata Catharina, aut beata virgo, aut sacra virgo, aut sancta virgo, aut alma virgo, aut admirabilis virgo, sive Dei famula, aut JESU CHRISTI fidelissima sponsa, aut mirabilis sanctitatis sancta, aut sanctitate præcipua, perspicua atque perfecta, & hujusmodi consimilibus vocabulis, prout illas intuenti clare patere potest; & hoc totum ex conceptu formato de virginis sanctitate, ex vitæ, virtutum & doctrinæ excellentia speciali, & ex consequenti tamquam digna canonizatione talibus utendo nominibus.

De his qui testimonium reddere possunt de sanctitate B. Catharinæ.

40. Item decimo septimo principaliter & pro decimo septimo capitulo de pluribus superviventibus, & signanter de aliquibus vita & fama sancta *vigentibus, qui de visu & auditu* possent de virgine efficaciter testimonium exhibere seu perhibere, & informationem specialem de ipsa tradere commendabilem, contestor & dico me vidisse & novisse & nunc actualiter existere in Venetiis infinitos qui viderunt virginem in Florentia, vel in Urbe, vel in Janua, vel in Luca, vel in Pisis, quorum unus fuit quidam fr. Mathæus de Venetiis ordinis Camaldulensis, qui fuit in Florentia tempore quo beata virgo erat ibi pro reconciliandis Florentinis cum domino papa GREGORIO XI. pro qua causa accessit virgo Avenionem, & postea rediit Florentiam, nec inde discessit, quousque cum URBANO VI. reconciliati fuerunt. Item alius fuit Jannoctius de Vibertis de Florentia, & quidam vir nobilis & devotus Nicolaus de Prato appellatus, & virgini non parum affecti, qui dicto tempore *etiam in* Florentia se inveniebant, & nunc in Venetiis residentiam faciunt. Item, quidam alius pater F. Sæcurianus de Savona, qui vidit *virginem, cum ipsa fuit in Janua*, & eam tunc visitabat, & miranda de illa pluries in oraculo vivæ vocis habuit recitare: & inter alia quam in magna reputatione sanctæ vitæ atque doctrinæ fuerit protestando, & de pluribus aliis de quibus in libello de supplemento legendæ virginis serioſe fit mentio. Item, quidam alius, videlicet frater Augustinus de Pisis, qui virginem vidit in Pisis, & miranda de illa novit: & omnes præfati tres sunt de ordine Prædicatorum, & tam ipsi quam alii primo hic nominati sunt sexagenarii, vel ultra. Item, quidam reverendus abbas de Burgognionibus, videlicet dominus . . . . de Pisis, qui simili modo vidit eam in Pisis, & non pauca de illa videre potuit, & quamplura de virgine audivit, & qui existens ordinis fr. Prædicatorum antequam esset abbas, habuit aliquando in conventu SS. Johannis & Pauli in die commemorationis virginis efficaciter prædicare. Item, quidam mercatores de Luca, videlicet Leopardus & Dinus etiam cum dicto abbate, sexagenarii, vel circa, viderunt virginem in civitate Lucana, narrantes non parum miranda de illa. Item dico, me cognovisse plures alios superviventes & a civitate absentes, qui virginem viderunt, & quamplures ex eis cum illa conversati sunt: inter quos unus appellatur D. Stephanus de Senis ordinis Cartusiensis, de quo pluries facta est mentio, qui plura de virgine scripsit, & de ipsa miranda narrare consuevit; & qui cum per annos plurimos stetisset in officio generalatus sui ordinis, pro unione tandem sui ordinis dicto cessit officio in ejusdem ordinis capitulo generali. *Ubi tunc factus fuit* vicarius omnium domorum Italiæ sui ordinis, & nunc est præsentialiter prior S. Mariæ de Gratia de Papia. Ubi etiam est alius reverendus pater, videlicet D. Bartholomæus de Ravenna, ultra quam sexagenarius, & supra nominatus, qui singulariter tempore quo erat prior domus Gorgonæ, cum virgine conversatus, etiam solitus est grandia recitare de ipsa. Item dico, nunc actualiter esse in domo Pontiniaci ordinis Cartusiensis prope Senas, quemdam reverendum patrem D. Jacobum de Senis procuratorem dictæ domus, & ultrasexagenarium, qui multa vidit & audivit de virgine, & in conventu Senensi ordinis fratrum Prædicatorum, esse alium quemdam R. P. F. Bartholomæum Montucci de Senis, qui aliquando fuit confessor virginis, ut dictum fuit supra. Item dico, quomodo adhuc quidam supereſt venerabilis & grandævus dominus Thomas plurium summorum pontificum protonotarius, & supra pluries nominatus, qui antequam haberet visionem de eximia gloria virginis, intellectis & visis in curia URBANI VI. etiam seorsum ejusdem præconiis, & adhuc habitis aliquando secretis cum ipsa colloquiis, maximam habebat existimationem de ipsa. Unde cum post ipsius virginis transitum, ipso tunc in Urbe præsente, per aliquos fieret sermo de miraculis virginis non forsan crebrescentibus, ut optasset: tale fertur eis dedisse responsum. Quid quærendum de miraculis aliis erga virginem istam, cum tota ejus vita nihil aliud fuerit nisi miraculum? Quamquam post dictum ejus transitum tam in Urbe, ut patet in ejus legenda, quam etiam alibi, ut dictum est supra, nonnullis etiam postquam migravit ad Dominum noscatur miraculis claruisse: quibus tamen etsi non corucasset, stante suæ præconio sanctitatis, admirabilis vitæ pariter & doctrinæ, minori tamen veneratione digna *non esset*, cum constet Præcursorem Domini modicis aut nullis suo tempore miraculis refulxisse: quo tamen inter natos mulierum nullus major legitur extitisse. Item dico, fore in præsentialibus cum domino Urbinato quemdam nobilem & sapientem virum Jacobum de Monte-Politiano superius nominatum, qui ipsam virginem vidit & in ejus laudem quædam rithmica in vulgari sermone fecit, &

plurima digna relatu de virgine audivit, quæ pluries hinc inde, etiam me aliquando præsente, habuit recitare quam efficaciter & devote. Item dico, me credere adhuc superesse quamdam nobilem dominam dictam Lancinam de domo dominorum de Fulgineo, ætatis grandævæ, & hujus virginis specialiter devotam, de qua etiam dictum fuit supra. Et concludens istam partem dico, quod licet omnes supradicti, qui adhuc supersunt, & mihi a diu noti fuerunt, & affecti in Domino, signanter tamen plures ex eis, ubi requirerentur, possent ubique locorum testimonium præcipuum & informationem dare de virgine.

41. Item, decimo octavo principaliter & pro decimo octavo capitulo de pluribus qui transierunt in Domino, sanctæ vitæ reputatis a cunctis, & qui videlicet, si superviverent, in quavis curia testimonium virgini de ejus vitæ sanctitate tam reverentissime quam affectuosissime perhiberent, contestor & dico me scire migrasse ad Dominum quamplures personas Dei servas utriusque sexus, conditionis, & status, approbatæ vitæ & famæ, de quibus vidi plurimas tam ante transitum virginis, quam post, singulariſſima devotione ex virtutibus eximiis virginis ad eamdem affectas, quæ ubi superviverent, & requisitæ forent de ipsa virgine, tam de visu quam de auditu mirabiliter testarentur; de quo personarum numero inter alias fuit quidam reverendus D. archiepiscopus Racusinus, qui ad virginem quam præcipue fuit affectus, prout idipsum ostendit ex multis de quibus dictum est supra. Item, R. magister Raymundus supradictus de Capua generalis ordinis Prædicatorum, de quo supra. Item, R. P. F. Thomas de Fonte ejusdem ordinis, qui multa de virgine novit & scripsit, & cui virgo epistolas quamplures direxit, & ejusdem primus confessor fuit, ut dictum est supra. Item, venerabilis pater D. Johannes de Cellis Vallis-Umbrosæ de districtu Florentino, vir sanctæ vitæ ab omnibus appellatus, qui grandævus virginem suam in Domino matrem humiliter appellabat, & qui de virgine miranda scripsit, & plures litteras ab illa suscepit. Cujus etiam venerabilis patris plures discipuli de Florentia extiterunt, quos in Domino spiritualiter instruxit, & contra Fratricellos de opinione defendit, contra quos etiam quamplura quæ ego vidi commendabilia valde scripsit. Ex dictis autem discipulis aliqui postea fuerunt de scriptoribus virginis, & signanter quidam Barduzius de Canigianis de Florentia, qui ordinatione virginis factus est presbyter, & qui postquam virgo discessit de Florentia, fuit singularis virginis in Domino filius, scriptor & comes usque ad Urbem, ac usque transitum ejusdem virginis ibidem; post quem veniens ad civitatem Senarum aliqualiter languidus, cum ibidem infirmatus esset ad mortem, ridendo migravit ad Christum. Existimatumque ex hoc fuit, quod quemadmodum virginem in vita, ita & in morte apud ipsum Christum habuerit adjutricem. Item, quamplures fratres Montis-Oliveti transierunt, ex quibus multos virgo ad illum ordinem introduxit, & multis epistolas plures direxit. Volens autem istam partem concludere, addo istud, videlicet quod etiam ultra personas supradictas, aliæ diversorum locorum & ordinum transiere, qui una cum præfatis, meritis & impetratione virginis indulgentiam plenariam in mortis articulo habuere, & quæ de excellentia virginis ubique valuissent efficax testimonium perhibere. De quibus tamen aliter non prosequar gratia prolixitatis vitandæ. Dico tamen omnes supradictas personas in isto capitulo expressas me vidisse, & omnes semper & usque in finem reputari bonæ & honestæ vel sanctæ vitæ, & ita etiam ab aliis reputari percepi.

42. Item, decimo nono principaliter, & pro decimo nono capitulo, de pluralitate scriptorum in Venetiis actualiter existentium, qui plura de pertinentibus ad virginem scripserunt, hinc inde de transmittenda etiam legenda, & de diffusione librorum & famæ suæ per orbem, consimiliter suæ imaginis vel figuræ in diversis locis depictæ, sive ab illa transmissæ, ac de suæ excellentia sanctitatis, & qualiter quam multa aliis dimisit ad ædificationem ecclesiæ, & quomodo tamquam singulariter approbata decenter sit in ecclesia, non solum specialiter veneranda, sed quod etiam annuatim sit ejus memoria aliquo modo recolenda, contestor & dico, nunc actualiter Venetiis scriptores, ultra alios qui desunt, qui ad petitionem diversorum habuerunt scribere opera virginis, utpote legendam vel epistolas aut orationes, seu librum virginis, & aliquando ut plurimum in latino, quandoque vero in vulgari sermone, aliquoties hinc inde per diversas mundi partes transmittenda. Dictorum autem scriptorum unus appellatur Guillelmus de Apulia, magister scholarum, & moratur in contrata S. Severini. Alius dicitur Hellicus de Apruſſia, magister scholarum in contrata S. Johannis. Alius D. Ludovicus in contrata S. Leonis. Alius vocatur Augustinus in contrata S. Viti. Alius dictus Andreas de civitate Castella in contrata S. Mariæ novæ. In tantum autem quantitatis numeralis fuere diffusa virginis opera prædicta transcripta, ut facta computatione solum ex hic supradictis, magna multitudo voluminum ad virginem pertinentium sit quasi per omnes mundi partes usquequaque transfusa, Hispaniæ, Cataloniæ & Franciæ locis exceptis, & hoc solum occasione pestiferi schismatis, quamvis vivente virgine ante schismatis tempus personaliter usque ad

De his qui scripserunt de S. Catharina.

Avenionem apud GREGORIUM XI. ſe præſentavit, & ſic ex his quæ virgo ibidem conſequenter fecit, uſque tunc ejus fama redolens in partibus illis fuit divulgata, ut apparet aliqualiter ex legenda: dirigens nihilominus poſtmodum virgo, incœpto ſchiſmate, litteras ſuas caritate refertas & contra inchoatum ſchiſma ipſi regi Francorum, prout in libro epiſtolarum apparet. Quemadmodum autem in dictis orbis partibus odor vitæ & doctrinæ virginis diffuſus fore dignoſcitur, ita & imago ejuſdem communiter depicta more beatarum ab eccleſia nondum ſolemniter canonizatarum, multipliciter in diverſis provinciis reperitur, prout de pluribus fore in remotis partibus fide digna relatione percepi, & de quampluribus propriis vidi luminibus, utpote Poloniæ, Theutoniæ, Hungariæ, ſive Romaniæ, Dalmatiæ, ſive Sclavoniæ, Tuſciæ, Lombardiæ, & ſignanter in civitate Venetiarum, ac Romæ & Apuliæ, aliiſque diverſis locis Chriſtianitatis, & hoc aut in tabulis, aut in muris, ſive in cartis, ſeu in pannis, ac etiam libris; ſicque per hoc non ſolum ad loca fidelium, ſed etiam infidelium, prout mihi conſtat, per fideles virgini præcipua devotione affectos imago virginis deportatur tam per mare quam per terram. Nam & dum iſta ſcriberem, ordinatum eſt quod aliquæ virginis imagines de Venetiis Alexandriam ſint tranſmiſſæ: addens adhuc quoddam notabile circa materiam iſtam, quod ex quo commemoratio virginis cœpit in Venetiis celebrari, ordinatum fuit per quemdam devotum ejuſdem præcipuum, ut imago ipſius virginis etiam hiſtorialiter de facili multiplicabiliter depingeretur in cartis, de quibus in die commemorationis præfatæ plurimæ inter ramos ſeu florum manipulos in eccleſia ponerentur, ut ſic omnibus & maxime devotis virginis communicari valerent, ac per hoc virginem poſſent juxta debitam decentiam non ſolum in publico, ſed etiam in propria ſtatione ſive domo venerari. Et certus ſum quod ex quo cœperunt dictæ imagines virginis fieri, plura millia facta ſunt, & quotidie fiunt, ex quibus non ſolum per civitatem Venetiarum, ſed etiam per partes ſupraſcriptas eſt hucuſque non parva multitudo tranſmiſſa: & quod plus eſt, quod ex hoc habuit ortum, ut uſque hodie per diverſas eccleſias Venetiarum aliquorum ſanctorum imagines in die feſto ipſorum in talibus cartis multiplicarentur, ut ad manus perſonarum devotarum, & præſertim eorumdem ſanctorum pervenirent in augmentum reverentiæ & devotionis ad ipſos ſanctos, & hoc commendabiliter, ut de imaginibus ſanctorum habetur in decretis de conſecrat. diſt. 3. cap. *Perlatum eſt*. Volens igitur a modo de virginis eximia ſanctitate concludere, quemadmodum aliàs, ita & nunc iterum dico, numquam videlicet me vidiſſe diebus ſuis aliquam perſonam in qua relucerent ad plenum omnia veræ ſanctitatis indicia, ſicuti in ipſa, nec credo quod nullus habuit in temporibus ſuis feminam virginem illi ſimilem in ſanctitate vitæ & claritate atque copioſitate doctrinæ. Dixi autem notanter feminam virginem ad differentiam venerandæ B. & S. Brigidæ de Suecia, quæ temporibus hujus virginis, licet etiam perantea floruit, & ut dicitur, per ſeptennium ante virginem iſtam, & in Urbe ad Dominum quemadmodum iſta virgo migravit, ac etiam ſcripturas plurimas revelationum cœleſtium eccleſiæ dereliquit. Dico etiam me non credere, licet ſalvo ſemper judicio meliori, quod fuerit tempore iſtius virginis de qua ſermo, & præſertim in partibus iſtis, caritatis & ſanctitatis conſimilis, in cujus argumento per cunctas partes Italiæ, prout in hominum venit notitia, & ut mihi conſtare poteſt, quid illis in temporibus habui, ut non ad ..... notitias plurimorum Dei ſervorum, numquam tamen potui quovis modo percipere quod repertus fuerit vir cujuſvis ſtatus atque religionis, in ſanctitatis fama, qui huic non deulerit virgini, ipſamque in reverentiam non haberet ſpecialem, & quod eſt dictu mirabile, nec ex parte utriuſque minus ædificatorium, quod cum aliqui ex præfatis eſſent magnæ ſanctitatis in fama, etiam apud omnes, & ætatis grandævæ reſpectu virginis, nihilominus erga virginem taliter ſe habebant quemadmodum filii parvuli erga grandævam matrem ſe habere conſueverunt, cum humilis devotionis admirandâ dulcedine ipſam virginem, nunc mammam, modo matrem, non ſolum verbo, ſed adhuc ſcripto ſuppliciter conſimpliciter appellando; & quod plus eſt, quia ut reperi in ſcripturis aliquorum præfatorum etiam vivente virgine factis, ipſam non tantum matrem, ſed modo ſanctam matrem, modo devotiſſimam, aut dulciſſimam matrem: nunc verò cara, dulcis & veneranda mammia ab eis eſt humiliter appellata. Et idem quamplurimæ venerandæ matronæ ac etiam virgines conſociæ feciſſe noſcuntur. Quod totum non ex alio erat, niſi propter ſuæ perfectæ caritatis & ſanctitatis exceſſum, prout etiam ſcripturæ præfatæ quæ ſuperſunt efficaciter inſinuant & oſtendunt. Ad quod etiam non modicum facit, quoniam ut mihi conſtat, a ſexdecim annis, ex quo me ſemper præſente, ut dictum fuit ſupra in capite primo, commemoratio virginis annualiter facta eſt in conventu SS. Johannis & Pauli de Venetiis, quaſi uſque in præſens ſemper in die commemorationis præfatæ, quemadmodum de mane intervenientibus organis & ornamentis paramentorum, reliquiarum ac crucium, circulorum, atque manipulorum de floribus cum multitudine imaginum virginis,

De ipſius imagine.

de quibus dictum est hic supra, adveniente etiam schola de Misericordia, missa est devote & solemniter celebrata. Ita de sero in vesperis est in cœna factum quamsæpius, per me prius in prædicatione quæ fit post prandium generaliter & liberaliter facta coram toto populo invitatione ad cœnam præfatam. Cum præcipua jucunditate & festo convenere postmodum cum fratribus in dicta cœna homines devoti in non parva comitiva, omnis conditionis, ætatis, & status, utpote tam sæcularium, clericorum, religiosorum, monachorum, spiritualium pauperum, & Jesuatorum, & aliquoties prælatorum, quam etiam nobilium, doctorum medicorum, mercatorum, artistarum, juvenum, & puerorum & aliquorum de Pœnitentia S. Dominici, in mensa servientium cum priore eorumdem, videlicet Antonio Superantio de Venetiis, concurrentibus tam in cœna de legenda virginis lectione, quam post diversarum sanctarum laudum a quampluribus devota decantatione, & de prærogativis virginis serioſa collatione. Occurrens adhuc mihi qualiter quædam domina juvenilis ætatis, etiam vivente viro, in tantum exarsit virginis devotione, quod tandem mundum despiciens, habitum virginis sumsit, & in sancta vita, de qua alibi habetur in scriptis, dies suos fideliter consummavit: quæ cum transitura ad Dominum suum conderet testamentum, plures ducatos pro refectione præfata in die memoriæ virginis annuatim fienda, in conventu supradicto SS. Johannis & Pauli perpetuo delegavit: cujus nomen dictum est domina soror Maria domini Nicolai de domo Istorionæ de Venetiis, cujus sororis genitrix pariter & commissaria, non solum dictum legatum executioni mandare disposuit, ut hucusque fecit, sed etiam, quod pro die dictæ recolendæ memoriæ tam in monasterio Corporis-Christi, quam in certis aliis locis nostri ordinis quilibet dictorum locorum certam quantitatem pecuniæ habeat annuatim in perpetuum de suprascriptis ordinavit. Insuper numquam fuit, scilicet usque ad tempus supradictum, quin in dicto commemorationis die plures diversarum conditionum tam nobilium quam populorum utriusque sexus, quamplura ad conventum vel ad ecclesiam non afferrent sive transmitterent; utpote aliquæ ramos & cruces sive coronas, manipulosque de floribus; aliquæ imagines præter supradictas, vel argenteas sive æreas in reverentiam virginis; aliquæ panes, aliquæ vinum, aliquæ utrumque, aliquæ fructus antiquos vel novellos, aliquæ lacticinia, aliquæ pecuniam, ut sic de omni genere personarum tam ad ornatum ecclesiæ, quam ad refectionem præfatam manus porrigerent adjutrices. Inter quas specialiter fuere supradictus nobilis Antonius Superantius prior cum consorte sua domina sorore Marina de Contarinis, ambo de Pœnitentia B. Dominici; & aliqui viri dicti ordinis, & consimiliter quædam domina soror Agnetina Suppa priorissa, domina soror Lucia de Lauretano, domina soror Elizabetha de Leone, & aliæ ejusdem ordinis habentes apud se inter alias reliquias, cappam, digitum, & de osse brachii virginis, & alia paramenta pro dicta solemnitate deputata: de quibus reliquiis dictum est supra in capite 14. Fuerunt etiam quamplures aliæ personæ tam nobiles quam populares annuatim pro dicta celebritate aliquid vel aliqua specialiter offerentes, quas nominatim explicare nimis esset processus in longum. Contigit autem hoc totum, Domino singulariter disponente, ut quemadmodum ipsa virgo, omnium vera dilectrix uti & mater, omnes & præsertim fideles portavit in visceribus caritatis, & consimiliter, ut dictum est, ab omnibus Dei servis utriusque sexus diligebatur & reverebatur dum esset in terris: ita & ab omnibus generaliter veneraretur constituta in cœlis, in gradu videlicet gloriæ singularis, juxta suæ sanctitatis & caritatis gradum singulariter excessivum; propter quod tam ex dictis, quam ex dicendis patentissimum caritatis & sanctitatis virginalis excessum, quemadmodum fertur Gregorium IX. dixisse de B. Dominico cum ab ipso canonizari deberetur. Quod videlicet dubitabat de sanctitate ipsius B. Dominici, quemadmodum & sic de sanctitate apostolorum Petri & Pauli. Ita & consimiliter, ubi mihi licet, idem & ego dico cum omnimoda reverentia coram Deo & tota ejus ecclesia de virgine ista, utique imitatione præfata, ipsius præfati P. S. Dominici legitima in Domino filia, de qua etiam dico quod licet, ut hic supradictum est, sancta Brigida memorata miranda virtutum exempla & scripta ecclesiæ reliquit; attamen non reperi hucusque, nec reperio, quod ab aliqua mera virgine tot & tanta tam in stupendis exemplis, quam in mirandis doctrinis & scriptis sint relicta ad ædificationem ecclesiæ, sicut ab ista. Notando etiam mihi qualiter ab apostolis usque hodie non occurrit reperisse de duabus feminis quæ tot & tanta, ut præfertur, ecclesiæ reliquerint, sicut duæ præfatæ in istis ultimis temporibus a Domino misericorditer exhibitæ & concessæ, tam pro reformatione ecclesiæ, quam pro salute tam fidelium quam infidelium, prout ex factis, dictis, & scriptis earumdem evidenter apparet. Ex quibus non immerito quemadmodum præfata Brigida per BONIFACIUM IX. jam est in catalogo sanctorum adscripta, & canonizata: ita etiam hæc virgo merito esset modo consimili super candelabrum ecclesiæ ponenda ac solemniter canonizanda; quod verisimiliter jam factum foret, nisi tam casus flebilis multiformis schismatis ecclesiæ

occurriſſet, prout poteſt aliqualiter patere ex ſupradictis cap. 15. Unde ex hoc præfatis adjungo & dico, quod etiam in caſu quod iſta virgo non canonizaretur, ejus vita, doctrina, virtutibuſque diligenter inſpectis, etiam tam dum ageret in humanis, quam poſt uſquequaque diffuſis, & quotidie amplius diffundendis, ſatis eſſet per ſemper apud eccleſiam approbata, ſive pro approbata habenda. Quemadmodum de talibus narrat Vincentius Gallicus de ordine Prædicatorum in libro 1. cap. 11. & 12. ſuæ hiſtoriæ, utpote de certis propter doctrinam & vitam eximiam per fideles ubique pro ſanctis & approbatis & reputatis, qui tamen per eccleſiam nondum fuere ſolemniter canonizati, ut narratur de venerabili Beda preſbytero, Rabano, Hugone, Richardo & aliis. Cum ergo honor, reverentia, & quævis veneratio debeatur & fiat perſonis in teſtimonium approbatæ virtutis; juſtum eccleſiæ dignoſcitur, quod ubi in aliqua perſona virtus perfectior & magis approbata reperitur, eidem etiam major honor & reverentia exhibeatur & fiat; & tanto amplius; quanto cum hoc conſtiterit ejuſdem perſonæ virtutis & ſanctitatis publica fama. Reſervatis tamen ſemper in modo venerandi ſanctis ſtatutis & apoſtolicis, ut eſt decens. Igitur cum hæc virgo fuerit hujuſmodi, ut ex ſupradictis & infra dicendis evidenter apparet, ſequitur quod merito ſit a fidelibus veneranda, & hoc non ſolum ad tempus, ſed quod etiam annuatim ſit ejus memoria aliquo modo in eccleſia recolenda: quod etiam taliter ſuadetur, quoniam ſcilicet [ut] eccleſia & ſupradictus venerabilis Beda confirmat, tranſitus ſanctorum & perfectorum in caritate dicitur natalitia, pro quanto per corporalem mortem ſolutis vinculis carnis ad lucem ſublimantur æternam, ibidem renaſcentes ut reges, & tanto ſublimius, quanto ibi quiſque renaſcitur in caritate perfectior; ſed prout a multis eſt obſervatum, antiquitus natalitia regum annuatim recoli conſueverant; ergo multo magis natalitia præfatorum juſtorum, prout ſervat eccleſia. Cum igitur hæc virgo, ut patet tam ex legenda, quam in ſupradictis & infra dicendis, informata præcipua caritatis perfectione migraverit ex hac vita, ſequitur evidenter quod annuatim ejus recoli poſſit memoria, ſaltem quemadmodum de beatis nondum canonizatis hinc inde fieri conſuevit. Item, quemadmodum in civilitate illi major honor & reverentia exhibetur merito, qui non ſolum virtuoſior, ſed qui amplius ex amore pro republica laboravit, & plura fecit, etiam uſque ad mortem, affectione reipublicæ vitam de facto corpoream expendendo: ita etiam in civilitate eccleſiæ hoc etiam plenius obſervetur; ſed hæc virgo ſemper indefectibiliter etiam uſque ad mortem corporis inclusive, ſupradicta præfata caritate, vel divino præcepto ipſam movente, pro ſalute fidelium & pro tota eccleſia laboravit, utpote ſolitarie pro tempore ſtando, in publicum procedendo, peregrinando, jejunando, abſtinendo, immo quaſi nihil comedendo, vel bibendo, aut etiam dormiendo; aliquando per dies quamplurimos cibi vel potus nihil ſumendo; locutione ad magnum tempus ac omni delectatione ſenſuali totaliter ſe privando, corpus proprium non ſolum præfatis, ſed etiam ciliciis aut circulo ferreo, vel catena, ferreis crucibus inſerta, & diſciplinis eam aculeis de ferro dietenus triplicatis macerando; legendo, meditando, contemplando, raptus & extaſim mirabilem frequentiſſime patiendo; corpus non ſolum a ſenſibus abſtractum, ſed etiam a terra elevatum multoties ſurſum ſecum trahendo, ſine intermiſſione orando, deplorando, exhortando, impetrando, epiſtolas ad perſonas omnis ſtatus per Chriſtianitatem dirigendo, librum omnem ſtatum concernentem eccleſiæ, abſtracta a ſenſibus per modum dialogi componendo, ſe in cunctis pietatis & miſericordiæ operibus, tam ſpiritualibus quam corporalibus, tam miſerabiliter quam liberaliter exercendo; ad apoſtolicam ſedem pluries pro factis fidelium & eccleſiæ accedendo, paſſagium fieri & ad Sarracenorum partes pro eorumdem ſalute avide peroptando accederes pro peccatoribus pœnitentias & pœnas intolerabiles aſſumendo, eorumdem converſionem & privilegiorum & confeſſorum a ſede apoſtolica impetratione ac modis aliis procurando; injurias & quaſvis pœnas, omniaque adverſa pro honore Dei & ſalute proximi ſemper cum præcipua lætitia tolerando; pro eadem cauſa omnem crucem commendabilem in ſe affectanter avideque tollendo; omnes cujuſvis conditionis, ſexus, & ſtatus ſuo lato ſinu caritatis, veluti omnium mater, dulciter & maternaliter amplexando, & affabiliter in Domino acceptando, necnon tam ſupradictæ caritatis, quam ceterarum virtutum & heroicarum perfectionem attingendo, ex qua utique caritatis perfectione, ut in epilogo legendæ ſuæ introducitur, tantus ardor amoris erat, quem ad quoſlibet geſtabat in animo, quod quidquid erat, nihil aliud ſapere videbatur aut intendere niſi proximi caritatem. Unde ne contingeret ipſam aliquos Dei imagine inſignitos quovis modo amittere, in oratione & extaſi conſtituta, audenter Domino dicebat, ſe nec unum ex illis perdere velle, gratiſſimumque ei fore, ubi ipſi Deo placeret, quod ipſa ſuper os poneretur inferni, ne aliquis de cetero illud ingrederetur, ut ſic omnes ſupradicti ſui proximi univerſaliter & totaliter ſalvarentur: pro dictæ petitionis obtentu etiam ſe ad infernales pœnas liberaliter obligando. Replicatur etiam pluries in libello ſupplementi legendæ, quomodo tantæ caritatis fervore debaccabatur

Catharina licet ſancto rum albo nõ dum inſcripta aliqualem tamen cultũ meretur.

bacchabatur erga Deum & proximos, ut pœnas omnium perſonarum quæ ſunt in mundo, propter ipſum tolerare deſideraret, optaretque ut non ſolum dæmones corpus ſuum confringerent, ſed etiam ſeipſam vendere atque mori pro redemtione cunctorum. Et quod non eſt minus ſtupendum, quia ut ipſa de ſe teſtatur, & in 6. cap. 2. partis legendæ narratur, tantus erat ardor in anima ſua, ut ignis naturalis exterius ſibi videretur potius reſpective refrigerans, quam exurens; & potius frigidus, quam accenſus. Ex quo producebatur in ejus mente quod non ſolum præcipua renovatio humiliatis & puritatis, ſed etiam tantus amor proximi accendebatur in ipſa, ut nedum pro omnibus proximis, ſed etiam pro quovis proximo libentiſſime mortem ſubiret corpoream, illam cum magna cordis lætitia & gaudio tolerando: & ita finaliter datum eſt ei ſuum deſiderium adimpleri, utpote tandem de facto & effectu vitam ſuam cum inexplicabilibus paſſionibus diverſi generis pro ipſa eccleſia tam lætanter quam gaudenter tradendo ſive ponendo, prout ipſa facta eſt, cum ex hac luce migrare deberet. Propter quæ bene merito ſequitur, quod ab ipſis fidelibus & ab ipſa tota eccleſia ſit ejus annuatim memoria recolenda, ſaltem modo videlicet ſupradicto. Item præfatam rationem confirmando, illi perſonæ magis eccleſia obligatur, quæ illius caput, videlicet ſummum pontificem veneratur, defendit, atque tuetur, & conſimiliter membra, ipſiuſque eccleſiæ reformationem zelat & ſtatum. Et hæc virgo fuit hujuſmodi. Pro quanto ipſa fuit in Urbe exiſtens, ſuis crebris & efficacibus orationibus URBANUM VI. defendit ac impedivit ne a Romanis cum ipſo turbatis occideretur; & modo conſimili Romanum populum præſervavit ab ira Dei, ne videlicet a dæmonibus parricidium inſtigantibus in abyſſum demergeretur, pro quibus cum tam mirando fervore & inſtantia oraſſe tunc fertur, quod crepuiſſet cor ejus, niſi illud Dominus miraculoſa fortitudine circumvallaſſet. Propter quod ab ipſis dæmonibus multoties maledicta cum horrendis comminationibus fuit. Etiam ab eiſdem terribiliter verberata, ut in tertia parte legendæ narratur. Ubi etiam recitatur qualiter virgo continue per ſeptennium ante tranſitum ſuum numquam deſtitit, quin tam pro ſummo pontifice, quam pro reformatione ſanctæ matris Eccleſiæ, ipſa ſemper apud Deum inſtaret; & ita ad idem alios hortaretur ſuis precibus ad ipſum impetrandum, & cum habilitas eidem ſe obtulit, pro hoc apud duos Chriſti in terris vicarios ſucceſſive, & apud alios dominos audenter inſtetit; alioſque Dei ſervos propter idem requiri fecit, ac etiam per ſuas epiſtolas requiſivit, ipſoſque tam oraculo vivæ vocis, quam etiam litteris ad idem multipliciter conforQui pro eccleſia & Romanis pontificibus fecerit.

tavit, quamaffecta atque parata ipſa exiſtente, quatenus ſua interfuiſſe pro hujuſmodi cauſa ponere mille vitas; & prout reperi in quadam virginis ejuſdem epiſtola, optaſſet ipſa, quod ſuper totam eccleſiam comprimeretur cor proprium. Necnon veluti tota ſpiritu ebria, etiam per omnem alium modum Deo acceptum & gratum ſuum ſanguinem fundere, ut ſic ſanguinem pro ſanguine redderet ſponſo ſuo pro effectu hujuſmodi conſequendo: pro quo etiam inter alias orationes quæ ab ipſa virgine in extaſi conſtituta factæ ſunt, & quæ in legendis reperiuntur, de quibus viginti quatuor venerunt ad manus meas, licet quodammodo in qualibet de eccleſia & ſummo pontifice faciat mentionem, ſignanter tamen in una ipſa virgo ipſi Domino dixit, videlicet: *Domine Deus, unum corpus habeo quod tibi reddo & offero. Ecce carnem meam, ecce ſanguinem; diſvenetur, & deſtruatur, necnon ſcindatur, & etiam triturentur oſſa cum medullis ſuis pro vicario ipſo ſponſo unico ſponſæ tuæ, & aliis pro quibus oro.* Quod utique deſiderium taliter reportaſſe probatur, ut quemadmodum data fuit licentia Satan ſuper corpus Job ſuo modo: ita & ſuper corpus virgineum alio quodam non minus terribili: in tantum quod, ipſa teſtante, a planta pedis uſque ad verticem non eſſet ſui corporis membrum, quod non ſincere per ſe tormentum aut ſimul tormentis pluribus pateretur. Propter quod in decimo capite 2. partis legendæ, per ſerioſum de eccleſia & paſtoribus proceſſum oſtendit quod ſuper obtentu reformationis prædictæ taliter extitit aliquo modo conſolata a Domino, ut ſic ſuo diceret confeſſori: « Noveritis, pater, quod licet Dominus ſit ſuam « eccleſiam modo imperceptibili purgaturus, « attamen ſuſcitaturus eſt poſtmodum ſpiritum « electorum ſuorum, ſequeturque tanta eccle- « ſiæ reformatio, & ſuorum paſtorum vene- « ratio, quod ex ſolo cogitatu ſpiritus meus « reſultat in Domino. De qua etiam grata pro- « miſſione in una ſupradictarum orationum, quæ incipit, *Ad te, ô ſuperne medice*, pluries replicatur. Inſuper prout in tertia parte legendæ habetur, Cum GREGORIUS XI. de Avenione veniſſet ad Urbem, & virgo conſimiliter, deinde ad Senarum civitatem rediiſſet, ad ipſius ſummi pontificis mandatum virgo ſecundo Florentiam accedens, pro zelo obedientiæ Romanæ eccleſiæ tam a ſe quam ab aliis obſervandæ, pluries ibidem in periculo mortis fuit, ſemelque ipſa orante in quodam horto, modicum extra Florentiam exiſtente, aggreſſa eſt eam quædam caterva cum gladiis & fuſtibus, magniſque & injurioſis clamoribus: cumque unus ferocior ceteris, evaginato gladio, & cum ingenti clamore virginem quæritaret, ipſa ſe ſibi læta facie præſentavit, & genu flexo admodum Salvatoris ſibi conteſtans quia ipſa

erat Catharina, ſed quod nullus de ſuis ab eis lædi deberet. Cum autem ictum ferire volentis quam avide expectaret, dicens ſe paratam eſſe pro Chriſto & eccleſia ſua pati, eo quod hoc erat quod votis omnibus anhelabat, ſeque tamquam hoſtiam viventem, ſponſamque immolandam humiliter offerebat, Domino optatum martyrium ſibi dare per viam aliam diſponente, magnoque miraculo concurrente, tam præfatus, quam tota illa acies conſternata pariter & confuſa retroceſſit, virginem cum ſuis illæſam penitus derelinquendo; nec tamen propter hæc vel alia, divino concurrente præcepto, inde virgo diſceſſit, quouſque poſtmodum creato URBANO VI. reconciliati eſſent Florentini cum ipſo. Poſt quod cum virgo Senas rediiſſet, ad mandatum dicti domini URBANI Romam acceſſit, & ad reginam JOHANNAM ipſi papæ rebellem, quam virgo per litteras noverat, & alias ſibi ſcripſerat, audenter & intrepide, prout *dictus dominus papa Urbanus* ordinaverat, acceſſiſſet, niſi quia id poſtea ſummus pontifex *revocavit. Tamen intervenientibus* innumeris paſſionibus tam corporalibus quam ſpiritualibus, & ſignanter a dæmonibus ſibi illatis, martyrium ab ipſis dæmonibus finaliter reportavit. Unde cum eſſet virgo in tranſitu, antequam ſuum ſpiritum Domino commendaret, non ſolum quod pro eccleſia vitam corpoream traderet affirmavit, ſed etiam tam pro eccleſia quam pro ſponſo ejuſdem & Chriſti in terris vicario URBANO VI. ſpecialiter exoravit, ut ſic id tamquam ultimum ab ipſa ſingulariter affectatum, ac per ipſam præfato mediante martyrio executioni mandatum mentibus ſibi adſtantium efficacius remaneret infixum. De præfato autem virginis martyrio, & ejuſdem pro eccleſia & Chriſti vicario paſſione ſcribens pluries ſupranominatus magnæ ſanctitatis pater frater Guillelmus de Silva-lacus, ſermonem ſuum, quem compegit de laudibus & virtutibus virginis, ita inchoavit dicens: *Diem feſtum tranſitus Catharinæ Senenſis non in lacrymis ſed canticis devotiſſime celebramus. Qualiter pro eccleſia Dei paſſa ſit in cœlis coronata ad memoriam revocamus.* In quo utique ſermone ultra alia multoties replicatur, Quoties, quot, & quanta pro præfatis virgo adverſa reportaverit, utpote qualiter pro eccleſia & Chriſti vicario pluries Florentiæ, & alibi ſe morti expoſuit. Centies in die ubi fuiſſet poſſibile ad martyrium aſpiravit, innumera martyria morteſque ſuſtinuit. Omne genus martyrii, nec ſemel, ſed a ſui principio atque ad finem longanimiter & veriſimiliter toleravit, etſi non illud quod a dæmonibus tormentis terribilibus horrendiſque vocibus inter alia dicentibus: Nos te de hac vita corporea excludemus, ſibi Domino diſpenſante, illatum fuit, pro præfata eccleſia & Chriſti in terris vicario lætantiſſime acceptavit. In cujus præſagium oſtenſum fuit in ſancto Petro de Urbe qualiter navicula eccleſiæ poſita ſuper ſpatulas virginis, in tantum virginem ipſam compreſſit, quod moriendo in terram cecidit. De præfatis autem reperitur adhuc in ſcriptis dicti patris aliis, & aliorum quamplurium, de quibus hic dimitto gratia brevitatis: inter quos venerabilis generalis ordinis Prædicatorum magiſter Raymundus in fine legendæ hujus virginis per ipſum compoſitæ, poſt longum de patientia mirabili ac multiplicibus paſſionibus virginis ejuſdem proceſſum concludens ait: Qualiter hæc virgo non modo laureolam per martyrii deſiderium, ſed etiam lauream per actualem martyrii paſſionem conſecuta ſit in cœlis. Propter quod non immerito eſt canonizanda, & ſanctorum catalogo annotanda in terris. Ex quibus omnibus plenarie patet confirmatio rationis præcedentis, atque principale propoſitum. Præterea illius memoria annuatim per modum anniverſarii vel quovis modo alio congruenti habet merito in eccleſia fieri, per quem vel per quam ipſi eccleſiæ majora beneficia ſunt relicta. Sed ut ſupra dictum eſt, de nulla alia virgine, præſertim in ſcriptis & ad eccleſiæ ædificationem tanta relicta noſcuntur, quantum de iſta. Ergo non ſolum poteſt, ſed & debet in eccleſia, prout decentia patitur, ejus annualis memoria celebrari. Item, illud quod cedit in ſingularem utilitatem fidelium, utpote provocationis, excitationis, atque promotionis ad virtutem eſt merito in eccleſia ſaltem annualiter frequentandum; ſed ex reductione ad memoriam virtutum eximiarum hujus virginis ſequitur infallibiliter talis utilitas. Ergo merito, ut præfertur, ejus eſt in eccleſia memoria annuatim recolenda. Et confirmatur pro quanto & præſentia magis movent, & nova magis placent. Unde cum hæc virgo & miranda ejus virtutum omnia opera & exempla fuerunt diebus noſtris, & ſint veluti præſentia & toti mundo nova, ſequitur evidenter propoſitum. Item, finaliter illius natale ſive tranſitus ex hac vita eſt annuatim merito recolendus, qui majorem conformitatem habet ad tranſitum Chriſti: ſed tranſitus hujus virginis per excellentiam & ſpecialiter fuit hujuſmodi, ut plene patet in libello ſupplementi, ubi circa finem dicta conformitas [illegible]nes ſimilitudines quindecim plenarie declaratur, quarum eſt prima, quod ſicut Chriſtus prædixit ſuum tranſitum ex hoc mundo, ita & iſta. Secunda, quod ſicut Chriſtus prope tranſitum ſermonem devotiſſimum fecit, & de agendis per apoſtolos in futurum præmunivit, ita ſuo modo per iſtam factum eſt erga ſuos. Tertia, quod ſicut Chriſtus pluries pro ſalute noſtra oravit, ita & iſta. Quarta, quod ſicut Chriſtus circa ſuum tranſitum diſcipulos ſuos multiplicibus promiſſionibus confortavit; ita & iſta ſuos. Quinta, quod ſicut Chriſtus circa ſuum tranſitum uſus eſt ſacramento Euchariſtiæ, ac etiam quodammodo pœni-

S. Catharina in ſuo tranſitu Chriſto conformis.

tentiæ pro nobis, ita etiam ista, tam pro se quam pro suis. Sexta, quod sicut Christus circa transitum suum fuit, ut creditur magis in historiis, a dæmone tentatus, ejusque suggestione ab hominibus crucifixus pro cunctis; ita & ista, Domino id finaliter dispensante, præcise fuit a dæmonibus tormentata, & passa pro tota Dei ecclesia. Septima, quod sicut Christus circa transitum suum dolores inexplicabiles passus est pro omnibus; ita & ista. Octava, quod sicut circa transitum & in transitu Christus sequutus fuit a matre & quibusdam de suis, absentibus multis aliis, & pro majori parte, ita etiam contigit in ista. Nona, quod sicut Christus usque ad suum transitum locutus est plura verba cum expressa & clamosa locutione; ita & ista in eadem etiam ætate transiens qua & Christus. Decima, quod sicut Christus extra suam civitatem transivit ex hac vita, assistente matre, ut dictum est, cum aliquibus de suis utriusque sexus, & a præfatis quamdevote traditus est sepulturæ, & in alieno collocatus sepulcro; ita etiam contigit de ista. Undecima, quia sicut Corpus Christi fuit redolens incorruptum per triduum suum, ita & de incorruptione hujus virginis contigit, non solum per triduum antequam sepeliretur, sed etiam in posterum, ut apparet in aliquibus partibus sui corporis pro reliquiis hinc inde existentibus, quæ partes hucusque incorruptibiles perseverant, absque eo quod fuerint cum aromatibus conditæ, vel balsamatæ: quod apparet in duobus digitis, quorum unus est hic in Venetiis apud sorores de Pœnitentia B. Dominici, & alius apud nunc priorem domus Carthusiæ de Papia, quos digitos modicum est quod propriis luminibus ego vidi. Duodecima, quod sicut de Christo post transitum glorificato quamplures sunt visiones ostensæ; ita & de ista ex quo transivit ad gloriam. Decima tertia, quod sicut Christi sepulcrum post transitum ejusdem hucusque a diversis extitit visitatum cum devotione præcipua, ita & sepulcrum hujus virginis tam ab extraneis quam a Romanis. Decima quarta, quod sicut circa transitum Christi, & post, multa miranda apparuerunt, inter quæ unum fuit mira sustentatio Corporis Christi, eo quod non legitur comedisse a sabbato in Ramis usque ad mortem nisi in cœna Domini, & quod circa transitum sive in transitu voce magna clamavit, ita & de ista virgine plenarie contigit, concurrentibus etiam pluribus miraculis diversarum curationum cum admirando concursu omnium cujuscumque sexus, conditionis & status in Urbe ad exequias ejusdem virginis apud S. Mariam de Minerva, ordinis Prædicatorum, devotissime celebratas. Decima quinta, quod sicut Christus post suum transitum habuit discipulos famam & fidem ejus tam in scriptis quam per prædicationes & contestationes, imagines atque commemorationes seu solemnitates multipliciter divulgantes; ita plenarie contigit hucusque de ista. Quas tamen quindecim similitudines & conformitates hic aliter explicare dimitto gratia brevitatis. Et sic ex hoc potest bene merito concludi, quod prout decentius fieri potest, est hujus virginis transitus annuatim commendabiliter recolendus. Et ita sufficiat pro isto capitulo.

42. Item, vigesimo & ultimo principaliter & pro vigesimo capitulo, atque pro executione promissionis per me factæ superius in primo hujus contestationis capitulo, quod videlicet in fine hujus contestationis ego apponerem prædicationem per me factam anno 1411. in ecclesia S. Apostoli de Venetiis in die commemorationis hujus virginis, occurrentis in dicto anno in festo Inventionis S. Crucis, ego contestor & dico, quod quemadmodum R. P. Inquisitor Ferrariensis, de quo supra facta est mentio, me præsente prædicavit in conventu SS. Johannis & Pauli dicto anno & die, tam de cruce quam de virgine ista, & proposuit: *Ergo evacuatum est scandalum crucis*, ad Galat. 5. prosequendo salutationem & prædicationem usque ad finem; ita & ego, ipso præsente, prædicavi ut supra immediate post prædicationem suam, & proposui: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce, &c.*

Nota quod hic sequitur in processu originali tota prædicatio supradicti patris Thomæ maxime prolixa, quam nos omittimus transcribere gratia brevitatis, & quia circa materiam beatæ virginis nihil novi adducit, quod jam in suprapositis 20. articulis sive capitulis non dixerit. Postea finaliter sic concludit suam contestationem.

43. Et ita narrationi & contestationi supradictæ finem totaliter imponendo, in illa contenta veridice & sincere narrasse, recitasse, atque contestasse me dico pariter & affirmo coram Deo cum Apostolo nullatenus mentiendo. Cum hoc etiam protestationibus tam in studiis generalibus, quam etiam in aliis scholis publicis aliàs per me factis firmiter inhærendo, meque in hujusmodi & in cunctis aliis per me prædicatis, dictis & scriptis, conventioni sanctæ matris ecclesiæ humiliter & totaliter subjiciendo: necnon & quantum mea interest pro ampliori confirmatione prædictorum me ad juramentum solemne promte & liberaliter offerendo, pro honore Domini nostri Jesu Christi, genitricis ejus, ac ipsius ecclesiæ, omniumque sanctorum, & signanter hujus virginis, de qua est sermo. Quorum omnium meritis & precibus omnes ad finem ultimum beatificum nos perducat qui vivit & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

44. Item antequam supradictus R. P. Fr. Thomas de Senis supradictam scripturam &

conteſtationem ſuam præſentaret ſupradicto domino Dominico domini epiſcopi Caſtellani vicario, de conſilio dicti domini vicarii, prout mihi conſtat, ſcripſit inter alios quibuſdam reverendis patribus ordinis Carthuſienſis in Papia exiſtentibus, videlicet domno Stephano de Maconibus de Senis, & domno Bartholomæo de Ravenna, eo quod fuiſſent cum virgine B. Catharina de Senis aliquo tempore converſati, ut videlicet ratione ſupraſcriptæ in principio hujus proceſſus factæ querelæ circa commemorationem dictæ virginis in curia epiſcopali de Venetiis, deberent aliquam informationem ſuper vita & doctrina ejuſdem virginis in ſcriptis publicis Venetias ipſi præfato patri Thomæ tranſmittere. Quarum litterarum tenor hic ſequitur & eſt talis.

Epiſtola F. Thomæ de Senis ad Ven. Stephanum de Maconibus & Bartholomæum de Ravenna Carthuſianos.

45. Venerabiles patres, cum de menſe Maii immediate præterito, currente anno Domini 1411. hic coram domino epiſcopo Caſtellano de Venetiis, propoſita fuerit per quoſdam ſæculares viros quædam querela, quod videlicet a multis annis hucuſque hic in Venetiis in conventu SS. Johannis & Pauli ordinis Prædicatorum celebratum fuerit feſtum ſive commemoratio B. Catharinæ de Senis, de qua licet multa virtutum eximia & digna laude referantur, nec per fratres dicti monaſterii factum ſit dictum feſtum, niſi quemadmodum de aliis beatis nondum canonizatis fieri conſuevit: nihilominus, quia aliqui de dicta celebritate ſcandalizati ſunt, ex eo quod ipſa nondum ſit ab eccleſia canonizata, nec per aliquos credantur magnifica ſuæ vitæ atque doctrinæ quæ dicuntur de ipſa. Hinc eſt quod cum reverentiæ veſtræ cum præfata virgine diverſis in locis ſint converſatæ, dum ipſa ageret in humanis; & ita de ipſius dictis & factis ſitis non mediocriter informati; propter quod in atteſtatione mea facta per me in ſupradicta curia, ratione ejuſdem ſupradictæ querelæ, ſingulariter feci de veſtris reverentiis mentionem. Et quia etiam pariter zelare debemus concernentia fidem, & ſanctorum honorem & laudem, ac quæ ædificationis, ſalutis & pacis ſunt proximorum. Eapropter reverendas paternitates veſtras duxi affectione qua poſſum inſtantius deprecandas, quatenus aliquas informationes ſive atteſtationes, ut dixi, ſuper dictis & factis, ſive ſuper vita & doctrina dictæ virginis dignentur conficere, atque per manus publicorum notariorum ſolemniter ordinare, ipſaſque ſigillis veſtris, ſive veſtræ domus munitas, quam citius ſe offeret facultas, huc mihi fideliter deſtinare. Erunt enim indubitanter ad firmamentum atteſtationis meæ ſupradictæ, ac etiam aliorum. Paratus & ego ad quæque veſtris paternitatibus beneplacita in Domino, a quo ad votum pariter valeamus. Datum Venetiis die prima Auguſti 1411. per veſtrum totum in Chriſto fratrem Thomam Antonii de Senis, qui ſe veſtris paternitatibus humiliter recommendat, ordinis Prædicatorum dictus. *A tergo.* Venerabilibus religioſis & patribus domno Stephano de Senis, priori monaſterii S. Mariæ de Gratia prope Papiam, & domno Bartholomæo de Ravenna olim priori inſulæ Gorgonæ, nunc autem monacho dictæ domus ordinis Carthuſienſis.

46. Qui patres habitis litteris ſupradictis poſt aliquos menſes per litteras a publicis notariis publicatas, & ſigillis domus eorumdem munitas dicto patri fratri Thomæ ſuper conquæſitis quam devote & ſolemniter reſponderunt. Unde præfatus P. frater Thomas dictas litteras & ſcripturas ſupradicto domino vicario eodem tempore quo ſuam, videlicet anno 1412. indictione 5. & die 20. menſis Junii, quodam patre fratre Johanne de Luca ordinis Prædicatorum, & me notario infraſcripto præſentibus præſentavit: quas cum dictus dominus vicarius vidiſſet, & quam bene intellexiſſet, quemadmodum de duabus atteſtationibus ſupradictis, ita & de iſtis duabus dictorum patrum de Carthuſia dixit: Quomodo videlicet acceptabiles, & quam devote. Quarum tenor quoad primam factam per ſupradictum Stephanum de Senis hic immediate ſequitur, & eſt talis videlicet:

Nota, quod iſta conteſtatio P. D. Stephani habetur in calce hujus voluminis ex autographo exſcripta, quod habetur in tabulario domus Pontiniani, licet in libro proceſſus dividatur per capitula.

Item tenor quantum ad conteſtationem factam per ſupradictum dominum Bartholomæum de Ravenna ordinis Carthuſienſis hic ſequitur, & eſt talis videlicet:

Prologus reſponſalis conteſtationis preſentis.

Æternam Chriſti ſalutem & pacem.

47. Quia, venerabilis pater, per litteras veſtras inſtanter petitis tam a reverendo noſtro patre domno Stephano de Senis priore hujus monaſterii S. Mariæ de Gratia noſtri Cartuſienſis ordinis prope Papiam: quam a parvitate & humilitate mea, ut in ſcriptis redigere velimus quæ vera ſunt & laude digna ac memoriæ commendanda de beata & glorioſa virgine Catharina de Senis, cujus mirabilium virtutum tot ſunt teſtes in mundo, quot cum ea converſati dum ageret in humanis; & quia præfatus pater noſter D. Stephanus copioſe conſcribit de excellentia & multitudine virtutum præfatæ virginis, utpote cum ea converſatus, & ab ea ſpiritus lacte nutritus, de aliquali narratione virtutum, quibus virgo præ multis aliis ſingulariter floruit, nihilominus pauca quæ novi ad notitiam hominum narrare curabo, proteſtans grandia & excelſa virtutum quibus in

hoc mundo floruit, ut cordis puritate, contemplatione ſingulari cœleſtium bonorum, cognitione intimorum & occultorum hominum factorum, prophetiæ ſpiritu, patientia, humilitate, abſtinentia, miſericordia. In quibus virtutibus coram Deo & angelis ejus teſtor & dico numquam me vidiſſe ſimilem in hominibus viventem.

De ſpeciali allegatione cujuſdam facti, in quo relucent quamplures de virginalibus virtutibus prænarratis, & de quodam miraculo mediante mantello virginis perpetrato, quod verum fateor.

48. Cum ipſa virgo Piſis corporaliter adeſſet, inſpirata Spiritu-ſancto ad inſulam Gorgonæ perſonaliter venit, in qua non modicum fructum animarum eſt operata; ſed cum jam de inſula recedere diſponeret, mihi in ſecreto dixit: Attende, prior, circa cuſtodiam gregis tui, & ſcito quod inimicus humani generis quærit in hoc monaſterio ſcandalum ponere. Et cum turbatus fuiſſem ad hæc verba, ſciens certiſſime quod non loqueretur in vanum; ipſa ſubjunxit, & ait: Sed ne timeas, quia ipſe inimicus non poteſt prævalere: quod & factum eſt. Nam poſt aliquos dies, dum quædam barcha de Piſis cauſa portandi ligna ad inſulam veniſſet, unus ex marinariis retulit cuidam monacho juveni noſtro ordinis prioris S. Benedicti, quædam triſtia de matre ſua: qui dictus monachus cum inſtantia importuna, ut ſibi concederem licentiam me rogabat eundi Piſas cum dicta barcha. Ego vero conſiderans non fore utile, neque neceſſarium pro tunc temporis, concedere nolui; & iſta barcha receſſit. Tunc idem monachus abſorptus eſt a tanta triſtitia, diabolo inſtigante, ut quieſcere non valeret. Sed poſt aliquos dies cum eſſet in clauſtro cum monachis, venit ad me, & facie turbulenta & ſermone arrogante iterum petiit ut permittèrem ire Piſas. Unde volens eum reprimere ab audacia ſua & temeritate, repuli eum, & mandavi uni ex antiquioribus monachis quod ſequeretur eum. Et cum ingreſſus fuiſſet cellam ejus, ipſe præfatus monachus arrepto gladio manu correpto ſe perimere voluit: quo dicto monacho antiquiore apprehendente manum ejus, ſic non valuit percutere ſe. Et tunc alta voce clamare cœpit. Ad cujus vocem ego cucurri ſine mora, & cœpi blandiri dicto monacho, promittens quod ſibi darem licentiam. Qui alta voce reſpondit cum clamore: Ego nolo ire, quia diabolus tentabat me, & etiam ſuggerebat ut me præcipitarem de monaſterio, quod in altum poſitum eſt. Qui monachus cum in multa altercatione ac mentis anguſtia ac valido timore poſitus eſſet, feci portare quemdam mantellum præfatæ virginis, quem dimiſerat mihi commemorationis ejus cauſa, quando de inſula receſſit, & quem nunc habeo etiam apud me. Quo reverenter poſito inter brachia dicti monachi vexati, ſtatim requiem recepit. Et tunc ego dixi: Recommenda te, fili mi, noſtræ Catharinæ. Et tunc ipſe ait: Ipſa bene orat pro me, & male mihi eſſet, ſi ipſa pro me non oraret.

De quodam teſtimonio per quamdam obſeſſam a dæmonio ſanctitati virginis præcipuo modo exhibito.

49. Alio poſt tempore cum eſſem Piſis, & dicta beata virgo jam de civitate Piſana receſſiſſet, contigit me provocatum quorumdam precibus amicorum ire extra civitatem, prope tamen, cum præfato monacho ſuperius nominato, ad quamdam mulierem a dæmone obſeſſam, quam cum inſtigaſſem, & multis ſermonibus provocaſſem, inter alia quoque dixi. Dic mihi ſi hæc ſancta Catharina de Senis eſt ita ſancta ut fertur? Quæ reſpondit: Eſt ſanctior quam dicatur. Et tunc ille monachus qui erat mecum dixit: Et ſi ipſa hic eſſet expelleret te? Quæ reſpondit, Sic. Et tunc ille: Quare ergo nos te expellere non poſſumus: Et illa reſpondit: Quia vos non eſtis in ſtatu illius perfectionis in quo ipſa eſt, licet ſitis boni religioſi.

De quodam ſingulari caſu monachorum per virginem præviſo & auxiliato, & de multiplicibus epiſtolis a virgine diverſis monachis Carthuſienſibus non ſine ſingulari fructu directis.

50. Aliud etiam non omitto dicere quod oblitus fueram, quia cum receſſiſſet de inſula noſtra cum familia & barcula noſtra, & veniſſet Piſas; illis recedentibus, & ab ea benedictionem petentibus, cauſa ad inſulam remeandi, ait: Si aliquod ſiniſtrum vobis occurrerit in via, ne timeatis, quia Dominus erit vobiſcum. Qui cum receſſiſſent ab ea, intraverunt mare, & navigabant ad inſulam. Inſurgentibus vero fluctibus maris, & nimia vi ventorum, contigit ut appropinquarent inſulæ, & ſubito fracto timone, non poterant ſe gubernare: unde compulſi iverunt ad inſulam ad locum ad quem ire nolebant propter fluctus imminentes & gurgites aquarum grandes; quibus impellentibus, barca per tranſverſum intravit, & venit in terram; & impleta eſt aqua. Quod cum videret unus ex noſtris monachis, cucurrit, & voluit auxilium præbere. Unde abſorptus a fluctibus maris abſtractus eſt a terra; ſed alio ſuccurrente evaſit periculum, & Deo gubernante, & B. Catharina intercedente, nec aliquis de dicta barca, nec dicta barca aliquam læſionem recepit. Multas etiam alias epiſtolas ſcio ipſam ſcripſiſſe perſonis ordinis noſtri Carthuſienſis, per quas eos a multis tentationibus liberavit, & in virtute conſtantiæ & perſeverantiæ roboravit.

De excuſatione dicendorum & de efficacia teſtificandi ipſius teſtatoris, teſtibus etiam pluribus adhibitis cum ſigilli appenſione monaſterii ordinis Cartuſienſis prope Papiam.

51. Multa etiam alia poſſem vobis ſcribere, ſed quia lingua mea explicare non poſſet magnalia & inaudita quibus Dominus glorificavit & mirabilem oſtendit præfatam virginem: ideo lætanter de pluribus pauca ſuſcipite, quibus adhibere fidem indubitantiſſime debetis, ac ſi propriis oculis vidiſſetis. Etiam ut veſtro deſiderio ſatisfaciam, meo juramento confirmo in præſentia domni Petri de Damaſanis, domni Ugonis de Caſte, domni Vincentii . . . . . monachorum hujus præfati monaſterii noſtri Cartuſienſis, cum appenſione ſigilli conventualis prædicti monaſterii. Sancta Trinitas vos ſemper dirigat in agendis. Datum in dicto monaſterio die XXVII. Octobris anno Domini 1411.

Per humilem & indignum Chriſti ſervum Domnum Bartholomæum de Ravenna nunc monachum, olim indignum priorem inſulæ Gorgonæ.

52. Poſt hæc notum ſit omnibus hunc proceſſum legentibus qualiter anno Domini 1412. de menſe Octobris, tempore capituli provincialis provinciæ S. Dominici ordinis Prædicatorum in feſto ſancti Lucæ, celebrati in conventu SS. Johannis & Pauli de Venetiis ordinis Prædicatorum, ego notarius infraſcriptus habui vivæ vocis oraculo a priore dicti conventus, videlicet a R. P. F. Bartholomæo de Ferraria & inquiſitore Ferrarienſi, & a ſubpriore ejuſdem conventus, videlicet a R. P. F. Chriſtophoro de Venetiis, qualiter cum dictum capitulum celebraretur, intimatum fuit, R. P. F. Ardezono de Padua ſacræ theologiæ magiſtro, ac priori provinciali dictæ provinciæ, & quatuor aliis reverendis patribus ſupraſcripti capituli definitoribus, quomodo anno prædicto, die 28. Aprilis per ſupraſcriptum priorem convocatum fuerat conſilium conventus SS. Johannis & Pauli, & quomodo in dicto conſilio decretum eſt & determinatum fuit unanimiter & concorditer, quod celebritas ſive commemoratio B. Catharinæ de Senis in dicto conventu fieri conſueta ſemper in poſterum deberet conſimiliter fieri. De quo conſilio etiam in ſupraſcripto proceſſu immediate poſt narrationem conteſtationis præfati patris F. Bartholomæi prioris facta eſt mentio ſpecialis. Propter quod dictus pater provincialis cum dictis diffinitoribus & aliis patribus dicti capituli ad idem non parum affectis, determinationem præfati conſilii approbaverunt, ac etiam confirmarunt per eorumdem patentes litteras, ſigillis omnium præfatorum, videlicet tam præfati provincialis, quam dictorum quatuor diffinitorum ſigillatas; quas litteras ego notarius infraſcriptus perſonaliter vidi atque perlegi: quarum litterarum tenor hic ſequitur & eſt talis.

Nota quod hic ſequuntur præfatæ litteræ diffinitorum, necnon inquiſitoris Bononienſis ſuper eamdem materiam commemorationis, quas nos tranſcribere omiſimus gratia brevitatis.

53. Item conſequenter, quemadmodum pluries ſuperius nominatus P. F. Thomas de Senis, de conſilio ſupradicti domini vicarii domini epiſcopi Caſtellani ſcripſit Papiam reverendis patribus ordinis Cartuſienſis, ut occaſione ſuprapoſitæ in principio hujus proceſſus factæ querelæ deberent aliquam informationem de beata Catharina Senenſi in ſcriptis publicis huc Venetias dicto fratri Thomæ tranſmittere. Et ſic factum eſt, ut patet hic ſupra, ante approbationem ſupradicti capituli provincialis. Ita etiam dictus frater Thomas, prout mihi conſtat, de conſilio ejuſdem ſupradicti domini vicarii, ſcripſit Ariminum cuidam R. P. fratri Bartholomæo Dominici de Senis ſacræ theologiæ profeſſori, ordinis Prædicatorum, qui ſimili modo ratione cauſæ ſupradictæ deberet ſibi huc Venetias certam informationem & conteſtationem de pertinentibus ad vitam & doctrinam beatæ Catharinæ de Senis in ſcriptis publicis fideliter deſtinare, & ſignanter ex eo quod diu cum virgine fuerat converſatus præfata, & unus de ſuis confeſſoribus extitiſſet. Et quoniam litteræ per præfatum patrem F. Thomam dicto magiſtro Fr. Bartholomæo tranſmiſſæ fuerunt conſimilis tenoris ad litteras ſupradictis patribus de Cartuſia per eumdem directas, idcirco earumdem tenorem hic aliter enarrare omitto gratia brevitatis. Nec ſolum dictus Fr. Thomas dicto reverendo magiſtro Bartholomæo ſcripſit, ut præmittitur, ſed etiam pluries ſollicitando eumdem R. patrem ſuper intenta reſponſione. Qui tandem reverendus magiſter poſt non parvum temporis ſpatium tranſmiſit dicto patri Fr. Thomæ reſponſionem præfatam in ſcriptis publicis ac proprio ejuſdem ſigillo munitam; unde dictus pater Fr. Thomas, cum dictam recepiſſet reſponſionem, ipſam ſupradicto domino vicario in epiſcopali palatio reſidenti, reverendo patre F. Dominico de Scutari priore conventus S. Dominici de Venetiis, ordinis Prædicatorum, &c. me notario infraſcripto præſentibus, præſentavit anno Domini 1412. die XVI. menſis Novembris. Quam reſponſionem ſæpedictus dominus vicarius gratanter & benigniter accepravit, & quod illam capta opportunitate videret benigne permiſit. Cum autem in die S. Thomæ apoſtoli rediret dictus R. Fr. Thomas ad dominum vicarium ſupradictum, reperit qualiter ipſe dictam reſponſionem & conteſtationem ſupradicti patris magiſtri Fr. Bartholomæi legeret ſerioſe, habuitque ab ipſo qualiter dicta con-

teſtatio non ſolum bene, ſed quod multum bene judicio ſtabat. Et ita idipſum præfato R. P. F. Thoma ac R. P. Fr. Johanne de Luca, & Fr. Jacobo de Piſis, omnibus ordinis Prædicatorum, meque notario infraſcripto præſentibus, pluries confirmavit. Præfatæ autem reſponſionis atque conteſtationis tenor hic ſequitur, & eſt talis :

Conteſtatio R. P. F. Bartholomæi Dominici de Senis de S. Catharinæ ſanctitate.

Reverendo patri fratri Thomæ Antonii de Senis, ordinis Prædicatorum, Fr. Bartholomæus Dominici de Senis, ejuſdem ordinis, inter ſacræ theologiæ doctores minimus.

De prologo hujus conteſtationis, in quo fit mentio tam de quodam fratre Thoma cui dirigitur, quam de dirigente, & conſequenter de ſeptemplici motivo ipſius conteſtatoris ad ſcribendum & conteſtandum de virgine, cum explicatione aliquali quorumdam pertinentium tam ad virginis canonizationem, quam ad ejuſdem de eccleſia prophetiam, & de quantitate dicendorum, ac de modo narrrandi eorumdem. Prætendit autem ſe motum ad conteſtationem faciendam, 1. ex increpatione multiplicis negligentiæ. 2. Ex receptione multiplicis gratiæ. 3. Ex reportatione præcipuæ virginalis notitiæ. 4. Ex præſumtione virginalis relucentiæ. 5. Ex cogitatione propriæ deſinentiæ. 6. Ex conſideratione ſolvendæ exigentiæ.

CAP. I. 54. Venerande patet, noveritis me fratrem Bartholomæum ſupraſcriptum plures recepiſſe litteras caritatis veſtræ, ignaviam meam increpatione digna digne objurgantes, & opportune, importune excitantes longam negligentiam meam. Hortamini enim me, ut redigam in ſcriptis ad perpetuam rei memoriam ea quæ geſta vel dicta novi per ſanctæ memoriæ beatam Catharinam de Senis ſororem ordinis S. Dominici de Pœnitentia. Fateor, agnoſco me debitorem ad hoc exequendum multis ex cauſis. Præcipue tamen quia etiam ſi quid bonæ voluntatis fuit vel eſt in me, licet totum divinæ gratiæ ſit principaliter merito adſcribendum ; tamen diſtante mihi conſcientia mea habere, & ſi quid boni operis umquam egi, ex longa converſatione quam per Dei gratiam habui cum præfata Deo ſacrata virgine, cooperante melliflua doctrina ejus, ac etiam exemplis ſanctæ vitæ ipſius, necnon meritis orationum ejuſdem divina clementia infuſiſſe non ambigo : immo me ſic firmiter credere affirmo pariter & confirmo. Inſuper ad hoc exequendum me fateor debitorem, quia neminem novi in hac mortali carne viventem, qui vel de dictis, vel operibus ejus plura vel etiam tot noverit per longam converſationem cum eadem, ſicut ego. Quia vero per bonæ memoriæ fratrem Raymundum de Capua, ſacræ theologiæ doctorem egregium, ac ordinis noſtri magiſtrum generalem, qui & confeſſor extitit principalis ipſius ſacratæ virginis, compoſita extat legenda, in qua pulchro & veridico ſtilo, ordine etiam non incongruo narrantur ſatis plene de principio, medio & fine ſanctæ converſationis ejuſdem virginis, ac etiam de mirandis & miraculis tam circa eam, quam etiam per eam divinitus perpetratis, putabam ac etiam de præſenti puto, ſcripturam illam omni pie deſideranti & quærenti excellentias ipſius præfatæ virginis, ac etiam omni optanti verbo doctrinæ ejus, immo cœleſti & verius divinæ, exemploque mirabilium virtutum ipſius, ſeſe ad amorem cœleſtis patriæ contemtumve mundi accendere & excitare, copioſe debere ſufficere. Et ideo ſupervacuum exiſtimabam velle ruſticano ſtilo eadem, ſeu nova quæque narrando contexere. Verum quia, ut ſcribitis, ſperandum eſt divinam clementiam non ſinere civitatem quam ædificavit & poſuit ſuper montem latitare, diutius. Nam & ipſe teſtatur, *Nemo accendit lucernam, & in abſcondito ponit, neque ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt.* Unde ut quod verbo docuit opere compleret ; ſicut tam vobis, quam mihi conſtat, eadem divina inſtigante clementia, dudum recolendæ memoriæ dominus quidam illuſtriſſimus dux Auſtriæ ſingulari hujus virginis devotione affectus, propter miranda quæ de ipſa viderat & audierat, deſtinavit ſui ex parte nuntium ſpecialem ad ſanctæ memoriæ dominum BONIFACIUM papam nonum, ſupplicando ſanctitati ſuæ, ut facta prius juxta ſtatuta eccleſiæ diligenti examinatione de ſanctitate ipſius virginis, dignaretur ipſam ſolemniter ſanctorum catalogo adnotare, offerens ſumtus omnes ad omnia in hoc neceſſaria dare de gazophilacio ſuo. Induxit etiam, ut noſtis, ad hoc idem ſupplicandum ſereniſſimum regem Ungariæ : vos etiam & me, quos noverat familiares fuiſſe eidem S. virgini, ſuis litteris requiſivit, ut cum præfato nuntio ſuo ad tam ſanctum opus perficiendum laborare vellemus : quod & feciſſemus, ſi non mors feſtina eumdem illuſtriſſimum principem de mundo abſtuliſſet. Et forſitan diſpoſitione divina ſapienter actum eſt, ut tam pium & ſanctum negotium ſuum pro tunc non ſortiretur effectum : quatenus tam maligno tempore, quo homines in tantam devenere veſaniam, ut bonum dicant malum, & malum approbent & adſtruant tamquam ſi eſſet bonum juxta evangelicum documentum, ſanctum non darent canibus, nec inter porcos margaritæ projicerentur. Et fortaſſe, ut exiſtimo, eadem divina ordinante providentia hoc negotium perficiendum ad tempus illud dilatum eſt, quod ſpecialiter ſibi a Domino revelatum ipſa S. virgo non tacuit, ſed per epiſtolas ſuis filiis ad conſolationem & gaudia propalavit, ſcribens ſibi a

Dux Auſtriæ canonizationem S. Catharinæ proſequitur.

Domino esse revelatum, quod divina mirabiliter operante clementia, futurum erat, ut infideles divino lumine illustrati tanto fervore converterentur ad Dominum, quod hi qui Christiani nuncupantur, tantæ devotionis exemplo salubriter confusi, pariter & commoti ad recte vivendi semitam revertentur; & ecclesia tunc sanctis & veris pastoribus reformata uberius exultabit. Illo ergo in tempore, cum videlicet aperientur oculi cæcorum, & aures prius surdorum patebunt ad percipiendam sanam, utpote cœlestem, doctrinam per sanctam virginem in libro & epistolis suis dulciter propinatam: quo etiam tempore, qui prius amore proprio claudicabant, divino amore accensi salient ut cervi, præcipue exemplis mirabilium operum hujus sanctæ virginis excitati. Igitur, quia forsitan, ut dicitis, eo tempore quo lucerna ista per canonizationem secundum formam ecclesiæ consuetam ponenda erit super candelabrum ecclesiæ, ut luceat omnibus qui in domo eadem ibunt; vos & ego ac etiam alii numero pauci, qui nunc præsentes sumus, finito cursu vitæ præsentis, testimonium veræ sanctitatis ejus, ut expedit, perhibere non valebimus, conveniens nimis, & ut existimo, divinæ placitum pietati, ut ea quæ de ipsa sancta virgine, divina ordinante providentia, novimus, narratione veridica calamo & atramento, & etiam juramento firmata posteris demandemus. Quia ergo vos, & quidam alii, circa hoc jam vestrum debitum exsolvistis, restat ut ego, qui ex debito debui esse primus, at saltem vel ultimus reddam, & perhibeam testimonium mihi creditæ veritati. Protestor autem ante omnia, quod non intendo cuncta quæ de ipsa virgine novi describere; quia si omnia quæ de ipsa novi velim calamo commendare, immensum volumen, & aliam novam legendam nec oporteret & eadem retexendo componere, cum plene nihil quod me lateat in ipsa narretur. Intendo ergo, concedente Domino, ex multis mihi notis, quædam, prout mihi Dominus inspirabit & memoria administrabit excerpere, & pauca illa, rusticano, licet veridico stilo narrare. Contingere tamen mihi potest, ut seni præcipue, cum jam sint anni quadraginta elapsi & ultra, ex quo novi quædam quæ inferius narrare intendo, ego vero ad præsens, ut æstimo, sum in sexagesimo septimo vitæ meæ anno vel octavo, quod me fallat memoria; sed conabor, prout potero reminisci, omnia narrare fideliter, nullam scienter admiscendo falsitatem. Novi enim non indigere mendaciis nostris, toto cordis affectu adhærendo primæ & infallibili Veritati, quæ Deus est; qui ad sui gloriam & honorem cunctos, ut voluit condidit sanctos, ut sic cum valeremus in sanctis ejus laudare, in quibus semper est mirabilis. Cui, ut dignum est, semper sit laus & gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

CAP. II.

55. In primis omnibus hanc scripturam legere volentibus sit manifestum, quod ego fr. Bartholomæus superius descriptus, incœpi habere notitiam sanctæ memoriæ B. Catharinæ de Senis præfatæ, jam sunt anni 44. & ultra, cum essem annorum 24. & si memoriæ bene occurrit, currebat annus 1368. quo tempore ipsa jam per annos plures deferebat habitum sororum de Pœnitentia B. Dominici, quæ sorores a civitate vulgo Mantellatæ nuncupantur: quem habitum ipsa Senis miraculose recepit, invita videlicet matre sua, & prioriſſa etiam dictarum sororum diu contradicente, & hoc propter ipsius virginis nimis teneram ætatem. Non enim consueverant dictæ sorores recipere ad prædictum habitum nisi mulieres ætatis provectæ, propter periculum honestatis: sed prævaluit sermo divinus, quo manifesta visione eidem virgini promissum fuerat, quod habitum illum, quem portare toto cordis affectu desiderabat, absque ulla dubitatione se in brevi habituram speraret, prout apertius & latius in ipsius continetur legenda. Ego autem hæc postea novi, ipsa sancta virgine ad Dei laudem mihi plenius enarrante. Sed pertranseo gratia brevitatis iterum enarrare. Eo tempore erat confessor præfatæ virginis quidam frater Thomas de Senis dictus de Fonte, cum quo ego fueram novitius, cum essem annorum 18. Ipse vero tunc erat annorum 20. & ultra, ut puto. Cum ego essem eidem fratri Thomæ domesticus, cœpit me aliquando secum ducere quando accedebat ad visitandam eamdem morantem perpetuo in quadam cellula parva infra domum paternam, cujus ostium & fenestra semper clausa erant: sed coram imagine Christi, B. MARIÆ, & aliorum sanctorum, quæ ibi depictæ erant, incessanter die noctuque lampas ardebat. Erat etiam in eadem cella tabulatum factum de asseribus, super quibus nudis semper vestita dormiebat. Ex tunc ergo & deinceps habui conversationem cum eadem, toto videlicet residuo vitæ ejus, utpote usque ad annum 1380. quo anno die penultima mensis Aprilis obdormivit in Domino. Verum medio tempore propter obedientiam ordinis mei observandam non fui semper cum ea, sed tamen pro majori parte temporis prædicti, scilicet annis 12. fui cum eadem in diversis locis, videlicet, in Senis, in Pisis, in Luca, in Avenione, in Janua, in Florentia ultimo & in Roma, ubi sacrum ejus corpus requiescit, licet caput ejus sit in Senis in sacristia ordinis nostri honorifice decoratum. Incipiendo autem narrare pauca de multis quæ novi, omittam narrare de progenie & parentibus ejus gratia brevitatis. Omittam etiam plura mirabilia circa eam in puellari ætate divinitus operata. Non procedam

ejusdem

ejuſdem brevitatis cauſa ad narrandum de mirabili ejus tranſmutatione in Deum cum jam eſſet adulta, & in annis diſcretionis conſtituta. Quomodo etiam edocta divinitus, ut carnem ſuam ſpiritui poſſet ſubjicere, ſtatim capillos flavos quos habebat abſcidit; omnem veſtimentorum vanitatem a ſe abjecit, lecti mollitiem declinavit, aſperum cilicium cum magna induſtria, inſciis ſuis, procuratum induit, & in annis multis portavit: catenam etiam ferream ad carnem ſtricte cinctam habuit: diſciplinam autem cum aculeis ferreis ter die qualibet annis multis propria manu recepit: in hoc volens imitari S. Dominicum patrem ſuum, de quo legitur quod idem die qualibet faciebat. Taceo inſuper quomodo ſubito a ſe omnem eſum carnium abdicavit, vinum licet ad vitandum ſcandalum ſuorum apparenter biberet, in rei tamen veritate aquam tantum vini colore tinctam bibebat. Satis etiam cito poſt omnia lacticinia & omnem vini talem apparentiam a ſe penitus abſtulit, ſolum panem & crudas herbas oleo tantum, aceto, & ſale conditas, ac etiam terræ fructus habebat in uſum, aquam puram bibendo quotidie. In hac autem tali abſtinentia perſeveravit quousque poſtea amplius non valuit, ſicut conſueverat, manducare, ſed tantum maſticare, prout in ſua legenda narratur & in conteſtatione R. P. F. Thomæ Antonii de Senis, de quibus omnibus, ut dixi, pertranſeo gratia brevitatis. Omitto etiam eadem de cauſa narrare quomodo a principio ſuæ totalis in Deum converſionis ſeipſam propter Deum vilifaciebat, ſcilicet ſcopa domum purgando, ſcutellas & inciſoria lavando, lectiſternia receptando, ignem ad coquendum accendendo, & in menſa omnibus ſerviendo, non obſtante quod in domo erat ancilla pro his ſervitiis omnibus pretio deputata. Et quia parentes ejus hæc ægre nimis portantes ipſam de his durius increpabant, cogitavit virgo ſacra hæc ſanctæ humilitatis ſervitia non deſerere, & tamen parentum ſuorum offenſam publicam devitare. Igitur in nocte aliis dormientibus, ipſa de prædictis exercitiis quæ poterat ſollicite adimplebat. Cum vero ſibi tempus vacabat, lavabat pannos immundos omnes quos in domo reperiebat. Non proſequar eadem cauſa narrare quomodo mirabiliter delectabatur in liliis, roſis, floribus, & violis, faciendo de ipſis cruces & manipulos mirabiles, quando videlicet completis diſciplinis & orationibus ſuis tempus ſibi vacabat. Quo etiam tempore quandoque admittebat ad conſortium ſuum ejuſdem habitus & propoſiti conſocias virgines, cum quibus etiam quandoque cantabat devotiſſimas cantilenas. Hæc & alia quamplura initia ſanctæ converſationis ejus, ut dixi, pertranſeo, ne conſequenter promiſſam narrationem meam in longum nimis extendam.

CAP. III. Ejus præſentia libidinis motus in aliis compeſcit.

56. Teſtor ergo quod a principio quando cœpi accedere ad dictam cellulam ſuam, cum ipſa eſſet juvencula, & ſemper facie læta, non ſolum non ſentiebam ſtimulum libidinis, cum & ego eſſem juvenis; immo quanto amplius converſabar cum ea, & quanto magis eo appropinquabam, tanto magis ſopiebatur omnis inordinatus motus & carnis appetitus, cujus contrarium experiebar quotidie converſando cum aliis mulieribus, etiam magis in ætate provectis. In proceſſu etiam temporis vidi quamplures tam laicos quam religioſos ordinum diverſorum, qui venientes & converſantes cum eadem ſoli quandoque cum ſola, cum alias eſſent valde lubrici, experiebantur in ſemetipſis hoc idem quod de me dixi: unde & pro admiratione & devotione concepta hoc ipſum ceteris prædicabant. Aſpectus enim & affatus ejus quamdam puritatis redolentiam potius angelicam quam humanam affluere & influere videbantur. Licet, ut dictum eſt, ſemper facie eſſet læta, & hilaris, prout de S. Antonio ſcribit S. Athanaſius in ejus legenda, quam ipſe compoſuit.

CAP. IV. Ejus caritas erga infirmos.

57. Licet autem, ut ſæpius dixi, ſtudeam brevitati, non valeo tamen omnino ſilentio pertranſire, quin de multis mirabilibus & laudabilibus operibus ejus quæ novi, quædam excerpam, illa pauca ſed compendio recitando. Et in primis de ipſius ferventi caritate erga infirmos ægritudine corporali detentos. Erat enim tunc temporis mulier quædam Cecca nomine, a vertice uſque ad pedes ſcabie horribili plena, quæ penitus nihil habens, jacebat in quodam pauperculo hoſpitali, non valens ſeipſam juvare. Vitam autem ſuam in tanta miſeria conſtitutam ſuſtentabat de eleemoſynis ſibi datis. Pro horribilitate autem & fœtore ſuæ infirmitatis, nemo valebat eidem appropinquando miniſtrare. Sed Chriſti ſponſa & ancilla ſui ſponſi caritate accenſa, Chriſtum pauperem in illa venerans, cibum illi ſuis manibus miniſtrabat, & ulcera ejus lavans, ac petias (a) ulcerum ſordibus plenas, lotas & deſiccatas die qualibet reportabat, ſicque multo tempore, uſquequo videlicet illa ſupervixit eidem quotidie miniſtravit. Nec a tam ſancto & pio opere eam compeſcere valuit mandatum matris ſuæ pluries repetitum, ut ſcilicet a tali ſervitio omnino deberet deſiſtere. Nec adhuc ab eodem miniſterio eam retrahere potuit ingratitudo ſeu perverſitas infirmæ jam dictæ, quæ ſæpe conquerendo & lamentando clamabat, objurgans eam quod de mane nimis in eccleſia reſideret, nec ita feſtine venerat, prout ipſa infirma quandoque optabat. Sed virgo in nullo turbata blande mitigabat iram illius, nihil penitus ex hoc omittendo de ſancto miniſterio ſuo. Tentavit autem virginem Dominus, nam

[a]

(a) Petiæ hic ſunt linteola ſeu penicilla quibus vulnera obtegebantur.

ex contactione & lotione quotidiana ulcerum infirmæ adhæsit ipsius virginis * scabies ipsa horribilis, & de die in diem magis augmentum sumebat: unde magis mater ejus turbata sub interminatione maledictionis suæ eam a præfato servitio prohibebat. Ipsa vero immobilis in sanctæ caritatis proposito constanter perseverans, ab illius obsequio numquam destitit, donec manibus propriis ipsam sepelivit. Nec est autem passa divina clementia sub modio occultari quam suaviter redolebat in conspectu suo tantæ caritatis, patientiæ, humilitatis, ac indefessus fidei ardor. Cum enim horribilis scabies, ut dictum est, jam manus & brachia sanctæ virginis occupasset, factum est, Deo mirabiliter operante, ut cum sancta virgo corpore prædictæ mortuæ in fossa debite collocato inde exiret, ita manus & brachia ejus munda ab omni scabie & scabiei vestigio remanserunt, ac si numquam suis manibus adhæsisset.

* adde carni.

Calumniis atrocissimis impetitur.

58. Fuit etiam pene per idem tempus, licet post jam dicta, soror quædam de eadem Pœnitentia B. Dominici, nomine Andræa, provectæ ætatis, habitans juxta hospitale præfatum. Hæc spiritu suadente maligno, ipsam Deo sacratam virginem de impudica & suspecta conversatione apud priorissam dicti collegii turpiter & procaciter infamavit: ita ut priorissa quæ simul cum aliis consororibus de ipsa Deo dicata sanctam opinionem habebat, verbis illius commota, ipsam sacram virginem super dictam materiam increparet. Ipsa vero quæ diu ante virginitatem corporis & animæ Deo & B. Mariæ ac B. Dominico patri suo tota mentis attentione devoverat, pariterque servare toto nisu studuerat, verecundia virginali & columbina simplicitate genuflexa respondit ei » dicens: O mater, parcatis mihi, ego tamen » in materia de qua loquimini non cognosco » me offendisse. Scio enim quod per gratiam » Dei vellem potius mori quam offendere » Deum meum, & præcipue in materia ante dicta. Priorissa vero visa ejus humilitate & simplicitate ejus, bene ædificata de ipsa, dimisit eam in pace. Sed ipsa tota zelotypa suæ Deo dicatæ castitatis, infra seipsam aliquibus diebus tota stupida examinabat conscientiam suam, & nihil respiciens mirabatur. Non enim tunc temporis credere poterat quod ex industria prava aliqua posset mentiri. Tandem in oratione posita declarata fuit a Domino, hanc tentationem ipsum Dominum ideo sibi evenire voluisse, ut assuesceret patienter tolerare injurias sibi illatas, & ut erga suæ custodiam castitatis quotidie magis ac magis esset intenta. Sed non diu post subsecuta est divina pie sæviens disciplina, quæ & illam emendaret, & virgini ancillæ proficiendi materiam ministraret. In pectore namque illius jam dictæ sororis exortum est horrendum apostema, quo

A confracto, tanta erupit putredo, tantusque exhalabat inde intolerabilis fœtor, quod sorores quæ deputatæ erant ad serviendum eidem, non valentes sustinere fœtorem illum, & timentes si forte valerent graviter infirmari ex illo, derelinquentes illam recedebant. Quid plura? In tantum sanies ulceris illius excrevit, quod suum ipsa ferre non posset fœtorem. At sponsa Christi, hoc percepto, sui sponsi ferventi amore accensa, ad illam accessit, eique diligenter servire cœpit. Non solum autem cibum ac potum eidem manu propria ministrabat quotidie; verum etiam die qualibet ulcus illud horribile B denudans, & manu virginea saniem inde trahens, & in scutella ad hoc parata recipiens, vino lavabat ulcus; petias vero lavans atque desiccans, & ipsa plagam circumligans, ad domum paternam revertebatur. Audit hæc mater, & nimio dolore cordis cruciata super eam terribiliter clamat dicens: Maledicta « filia, tu non solum vis ante tempus mori, « sed & totam familiam meam tuo fœtore in- « ficere. Virgo vero sancta ad pedes matris se humiliter prosternens, conabatur verbis & gestibus placare eam: ministerium sanctum tamen quotidie exercebat, sed occulte quantum poterat propter matrem. Accidit au- C tem die quadam cum virgo sancta prædictum ulcus purgando magnam copiam saniei in scutella deposuisset, stomachum ipsius ex nausea plus solito conturbari, qua re mox contra seipsam acriter indignata cœpit se graviter increpare, dicens sibi ipsi: Quæ tu « tantæ superbiæ mulier quæ Christum abomi- « nari non erubescis in proximo tuo? statim- « que odio sancto contra seipsam accensa secedens cum dicta scutella, facto signo crucis, dictam scutellam plenam spurcissima sanie ad os suum applicando cœpit ebibere. Hoc infirma illa advertens, cœpit alta voce D clamare dicens: O filia ne feceris, qualiter « teipsam vis occidere? Ipsa vero totam pu- « tredinem illam ebibit. Quæ epotatio non solum non nocuit sibi, sed ut inde ad tempus retulit ipsa nobis, non occurrebat memoriæ suæ bibisse se umquam potum tantæ suavitatis secundum sensum gustus etiam corporalem. Infirma vero illa, viso hoc, corde compuncta humiliter & cum lacrymis petivit ab ea veniam de his quæ dixerat contra eam. Misit etiam pro priorissa, & retractavit omnia quæ ante dixerat contra illam, narrando E ei omnia suprascripta. Non diu autem postea supervixit, ancilla Christi a sancto incœpto ministerio numquam cessante; sed usque ad diem mortis illius semper perseveravit.

Calumniatricem infirmi summo studio curat.

Saniem ebibit.

59. Extat relatione dignum quoddam aliud huic simile in genere, de quadam alia consorore, nomine Palmerina; sed quia non clare occurrit memoriæ nostræ totus processus rei gestæ, omitto illud narrare. Credo

tamen quod in legenda plenius deſcribatur, & conſimiliter duo etiam antedicta.

CAP. V. 59. Subſequenter congruum exiſtimo, ut enarrarem aliquid vel breviter de fervore caritatis ejus erga pauperes. Circa hanc autem materiam recolo me audiviſſe, utrum ab ipſa ſancta virgine, quæ ad gloriam Dei, & ut excitaremur ad confidenter agendum ea quæ Dei ſunt, quandoque narrabat miranda opera Dei erga ſe geſta; ſemper tamen cum talia enarrabat, dicebat quaſi de alia narrans perſona, ut puta: novi quamdam perſonam cui ſic evenit. Vel dicebat: Audivi a quadam ſerva Dei. Utrum ergo, ut dicere cœperam, audierim ab ea vel a confeſſore ſuo ſupradicto, vel ab aliqua de filiabus ſuis, non clare nunc occurrit memoriæ meæ. Certum tamen eſt apud me, quod eo tempore quo jam cœperam converſari cum virgine, audivi quod narro, videlicet, quod antequam eam noſſem, dum ipſa ferventi amore inſiſteret eleemoſynarum largitioni, de licentia tamen patris ſui diſtribuebat ipſa quotidie pauperibus in magna copia, panem, vinum, oleum, lardonem, & cetera ad victum & indumentum pertinentia. Abundabat enim tunc domus patris ſui omnibus his bonis, de quibus ſemper eligebat pro pauperibus meliora. Contigit autem quod pater ordinavit atque prohibuit, ne aliquis de domo præſumeret haurire vinum cujuſdam parvæ vegetis quæ erat in cellario domus ſuæ, quia illud tamquam optimum volebat ut ultimo bibendum ſervarent. Virgo vero ſancta quæ vinum non bibebat, ſed puram aquam, cogitavit, hoc audito, tale vinum tamquam optimum debere dari pauperibus. Et quia a patre habebat licentiam generalem dandi amore Dei quæcumque volebat; aſſumta fiducia de Deo, cœpit in flaſconibus vinum illud infirmis pauperibus erogare. Cum tempus adveniſſet, quo pater decreverat ut biberent præfatum vinum, miſit ancillam domus, ut afferret de vino illo. Illa vero in redeundo nimiam moram faciente, miſit filium ſuum uxoratum, ut increpareet eam & vinum portaret. Interim illa reverſa dixit, quod pro certo in vegete illa non erat vinum. Filius ergo jam dictus cum patre & aliqui de familia objurgans eam perſonaliter acceſſit ut portaret de vino jam dicto. Diu etiam ipſe ſtetit, finaliter vero vacuus reverſus eſt, affirmans quod veges illa vacua erat. Turbatus pater contra totam familiam, quærens quis tam patens facinus perpetraverit contra mandatum ſuum tam expreſſum. At virgo ſancta audiens turbatum patrem, familiam tumultuantem, conſcia facti, ſtimulante conſcientia, concepta de Deo fiducia, venit mitigatura & ſedatura tumultum. Quare turbamini, bone pater? Audita » vero cauſa, intulit: Non conturbemini, pa» ter mi, ego volo ire & haurire vinum. Acceſſit ad vegetem, flexiſque genibus gravit confidenter ad Deum dicens: *Domine, tu noſti quod conſumtum eſt vinum hoc præciſe in neceſſitatibus pauperum, & hoc propter nomen tuum, tu noſti. Non ergo permittas, Domine, ut ex hoc ego ſim cauſa ſcandali patri meo & familiæ ejus.* Statimque oratione completa ſurgens, facto ſigno crucis contra vegetem, acceſſit, vinumque fluxit ex vegete abundanter. Ipſa vero gratias agens, portavit patri, de miraculo nihil dicens alicui. Verumtamen mirabantur non modicum hi qui prius ad hauriendum vinum acceſſerant. Tandem cum pater portaret vinum illud toti familiæ vix per menſem ſufficere, cogitabat accelerare vindemiam, ſed vino quotidie plene per duos menſes abundanter fluente, dilata eſt vindemia uſque ad tempus conſuetum. Nec tamen virgo ſancta ceſſabat de vino illo more ſolito pauperibus erogare. Adveniente autem tempore vindemiæ, volentes eamdem vegetem vino novo replere, aperuerunt eam ut lavarent, & vinum modicum, quod in ea eſſe putabant, in aliquo vaſe reponerent; ſed cum eſſet aperta, ſic ſicca eſt reperta ac ſi per plures menſes antea nullus in ea liquor quomodolibet extitiſſet. Mirantur omnes & ſtupent, tum quia vinum illud tanto tempore ſuffecit familiæ, tum quia cum de ſero appareret eſſe in vegete de vino adhuc pro pluribus diebus copioſe, tamen mane inventa eſt totaliter arida, & nullum habens ſignum ſeu veſtigium maditatis. Horum enim cauſa erat illis ignota. Pater tamen virginis, qui erat bonæ fidei poſſeſſor, & tenerrime diligebat eam, exiſtimabat quod meritis ejus omnia ſibi proſpera evenirent, quampluries repetendo confirmabat datam licentiam de eleemoſynis erogandis. Virgo vero ſancta, certa de Dei bonitate, quam ſæpe tam in panis, quam etiam in olei multiplicatione fuerat experta, quotidie confidentius & ferventius ſeſe in ſimilibus exercebat, prout in ejus legenda latius & clarius continetur, tam de ad victum pertinentibus, quam etiam de veſtibus & rebus aliis quas quotidie pauperibus erogabat.

Eleemoſynæ ejus.

Ejus preces vinum in Vegete creſcit.

60. Et quia nunc narratum eſt de vino divinitus augmentato, addam conſequenter de pane non minus mirabiliter multiplicato. Occurrit enim mihi ad memoriam quod poſt hæc quæ immediate ſunt dicta, forte ad annos duos vel circa. Cum virgo ſancta mandaſſet dilectæ diſcipulæ ſuæ Alexiæ, in cujus domo tunc habitabat, quod non permitteret aliquem pauperem petentem eleemoſynam diſcedere, eleemoſyna non recepta: quod illa ſollicite & devote implebat. Contigit quod farina ſimul & frumentum per menſem vel circa ante recollectionem frugum in domo ſua deficeret. Tunc neceſſitate urgente, dixit ſe non poſſe perficere mandatum, notificando eidem defi-

Panem multiplicat in gratiam pauperum.

cientiam jam dictam. Ipſa vero interrogavit utrum haberet aliquid de farina; & illa reſpondente quod ſic, ſed modicum, ita ut vix fierent panes pro ſex diebus. Tunc ſancta »virgo dixit ei: Vade, fac panes de farinula »illa, nec omittas facere eleemoſynas con»ſuetas, & ſecura eſto quod ſufficient nec »deficient, donec habeas frumentum novum. Sic dixit, & ſic factum eſt. Verum cum illa paraſſet neceſſaria pro conficiendis panibus, tunc illa ancilla Chriſti acceſſit, & dixit ei: »Ego volo te juvare ad faciendos panes iſtos. »Ego faciam panes, & tu pones in lecto. Iſta ergo faciente panes, & illa in lecto collocante, ex inſperato repletus eſt lectus. Alexia »hoc videns, ſtupore replera dixit ei: O ma»ter, lectus eſt plenus, non habeo ubi ponam. Quo dicto, adinſtar olei ſub Elizeo, ſtatim ceſſavit multiplicatio panis. Ut autem poſtea nobis narravit prædicta ejus filia Alexia, aliàs dupla farina non conſueverat ſic lectum implere, ſicut illa modica tunc replevit. De pane autem illo copioſius dabant pauperibus, & tamen nuſquam defecit, donec colonus portavit frumentum novum, juxta verbum ancillæ Chriſti. Pro admiratione autem tam aperti miraculi, conſervavimus aliquos de illis panibus per annos plures.

61. Iſtis duobus de pane & vino narratis addam tertium, videlicet de indumentis. Nam cum die quadam tempore hiemali ipſa virgo ſummo mane ad eccleſiam properaret ſolito more, perveniens ad plateam, quæ contigua eſt eccleſiæ noſtræ de Senis, obvium habuit quemdam pauperem ſeminudum, qui pauper inſtanter petebat ab ea, ut aliquam ſibi veſtem tribueret, qua corpus ſuum contra frigus contegere valeret. Ipſa vero recordata, quod tunc ſuper ſe duas haberet tunicas, ſtatim intrans in eccleſiam, in angulo ipſius eccleſiæ, ne ab aliquo videretur, exuit tunicam interiorem, quæ manicas non habebat, & pauperi dedit. Ille vero accepta tunica, quæ, ut dictum eſt, ſine manicis erat, cœpit importune manicas petere; at illa cum non haberet, ſe humiliter excuſabat: ille vero importunius quaſi objurgando petebat. Ipſa vero eidem com»patiens dixit ei: Non turberis, cariſſime, »ſed veni mecum, & dabo tibi; ſicque domum paternam reverſa, abſciſſis manicis de quadam veſte quam invenit, tradidit pauperi. Sed illis acceptis, petiit idem pauper ut camiſiam ſibi daret. Ipſa iterum intrans domum, inventa una camiſia matris ſuæ, dedit ei. Qua accepta, iterum ſibi dari petebat pro quodam, ut dicebat, ſocio ſuo. Cum autem illa per domum quærens non inveniret, verecunde ſe excuſavit eidem. Ille vero dixit: Bene video quod ſi haberes, libenter dares; ſtatimque diſceſſit. Ipſa vero ad eccleſiam eſt reverſa. Cum autem nocte ſequenti devotius oraret, apparuit ei Dominus oſtendens ei tunicam quam pauperi dederat, dicens ei: Filia, tu heri induiſti me hac tu« nica, & ego volo te induere alia tunica mea; « & extrahens tunicam quamdam de latere « ſuo dextro, induit eam. Non eſt autem pu« tandum, quod aliqua reali ſeu materiali tunica induerit eam; hoc enim non fuit verum, cum fuerit viſio imaginaria: attamen præfatum indumentum tantæ fuit virtutis & efficaciæ, quod de cetero toto tempore vitæ ſuæ in quacumque aſperitate hiemali numquam uſa eſt niſi una ſimplici tunica, ſicut experimentaliter vidi ego ſimul cum aliis annis multis, nec umquam ſenſit frigoris moleſtiam, ut nobis petentibus & admirantibus aſſerebat. Ab ore enim ipſius latius audivi totum quod nunc ſub quadam brevitate narravi. Omitto gratia brevitatis narrare innumera alia mirabilia, quæ circa eam & per ipſam erga perſonas alias operatus eſt Dominus in prædictis ſanctis exercitiis ejus. Sed ad oſtendendum aliqualiter fervorem caritatis ejus erga infirmos & pauperes, & etiam quantam quamque indubiam & conſtantem erga Deum gerebat fiduciam, cujus bonitatis dulcedinem quotidie animo deguſtabat, tria nunc de proximo narrata ſufficiant.

CAP. VI. Spiritu prophetico vi- get.

62. Per idem vero fere tempus cœpit virgo ſancta vigere ſpiritu prophetiæ. Nam poſt extaſim quam in oratione poſita patiebatur quotidie pene per duas horas, licet aliquando etiam per horas numero plures, ſed etiam per plures dies, ad proprios ſenſus tandem reverſa, ſæpe reprehendebat ſocias ſeu diſcipulas ſecum commorantes, ſi contingebat eas eo tempore vacare otio, vel otioſa locutione occupari: immo cum aliquando vellent negare, vel ſe excuſare, putantes eam latere quod egiſſent vel dixiſſent, ipſa durius eas reprehendebat, dicens: Nonne in « tali loco talia & talia dicebatis? Ipſæ vero « videntes ſe eſſe de vaniloquio ſimul & mendacio deprehenſas, non tantum ſemel, ſed pluries, de cetero ſibi cavebant, ſeſe in orationibus vel alio laudabili exercitio occupantes. Ego vero ruſticus & pro tunc ignarus virtutum ſanctæ virginis, non putabam eam vigere ſpiritu prophetico, ſicut illæ exiſtimabant hæc mihi narrantes; ſed putabam eam vel audiviſſe, vel quadam ſolertia deprehendiſſe quod agebant vel dicebant. Eodem vero tempore cum ſemel acceſſiſſem ad cellulam ejus cum ſupradicto confeſſore, poſt longam collocutionem interrogavit nos quid agebamus ſecunda & tertia hora noctis. Nos autem volentes eam tentare, diximus interrogantes eam: Quid credis? Et ipſa re« ſpondit: Quis melius ſcit hoc quam vos ipſi? « Tunc confeſſor prædictus ſubjunxit, me an« nuente: Mando tibi per obedientiam, dic ſi « tu ſcis quid egimus illis horis. Ipſa vero hoc « facere humiliter recuſavit; & ſe ut prius ex-

cuſante, idem confeſſor iterum per obedientiam hoc idem ſibi mandavit. Tunc illa capite humiliter inclinato, dixit: Vos bene ſcitis quod eſtis quatuor, & ſtatis in cella ſubprioris ad colloquendum per magnum ſpatium temporis de illo ſero. Nos autem interrogavimus illam qui erant illi: & ipſa ſingulos nominavit. Interrogata vero quid loquebamur? Reſpondit quod communiter loquebamur de pertinentibus ad ſalutem animarum noſtrarum, licet aliquando immiſceremus & alia. Ego obſtupui, tamen dubitavi, ne aliquis ex nobis quatuor ſibi hoc dixiſſet. Volens ergo tentare utrum hoc ſciret per hominem, an per ſpiritum prophetiæ, die ſequenti acceſſi ad eam, & colloquens cum ea, dixi: O mater, (ſic enim eam vocare ſolebamus) unde, inquam, noſti quid agamus? Et ipſa: O fili, noveris quod ex quo placuit dulci Salvatori noſtro (ſic enim tunc temporis eum nominare ſolebat) dare mihi filios & filias, quos & quas, ipſo donante, habeo, nihil me latet ad vos pertinens; ſed totum mihi clare oſtendit quod agitur circa eos. Tunc ego adjeci: Ergo noſti quid egerim heri ſero tali hora noctis? Et reſpondit mihi: Utique, nam ſcribebatis, & de tali materia ſcribebatis. Quod totum ſic fuerat. Et adjecit: Fili, ego ſemper vigilo, & oro pro vobis filiis meis & pro aliis uſquequo in conventu veſtro pulſatur ad matutinas, & oſtendit mihi quid agatis: immo ſi bonos oculos haberetis, videretis me eſſe vobiſcum, ſicut clare ego omnes vos & ſingulos video, & qui eſtis, & ubi eſtis, ac etiam quid agitis. Sæpiſſime vero dulcis Salvator noſter me aſſociat pſallentem & incedentem per cellulam iſtam, & confabulatur mecum inſtruens me de multis. Quandoque vero cum videt me laſſam, ſedet hic in ſtatio iſto, & ego ſedeo de mandato ejus ad pedes ejus, & uſque ad prædictam horam confabulamur. Adveniente autem hora dicta, dat mihi licentiam ut dormiam, dicens: Vade, filia, quieſce, donec filii tui, qui jam ſurgunt ad matutinas, loco tui laudabunt me. Sicque dormio. Poſt breve ſpatium dormitionis ſtatim ſurgo.

CAP. VII. Inſignis peccatrix converſionem a Deo obtinet.

63. Ut autem de ſpiritu prophetiæ quo ipſa vigebat, prout jam cœpi, aliqua vel breviter, ſicut potero, proſequar: Recordor quod non longe poſtquam incœpi converſari cum ea, contigit quod quidam nobilis civis de civitate noſtra Senenſi, nomine Andreas Naddini de Bellantibus graviter infirmatus, nullatenus acquieſceret ſuadentibus ſibi quod vellet confiteri. Uxor vero ſua cum eſſet nobilis & bonæ conſcientiæ mulier, valde anxiebatur pro ſalute animæ viri ſui, tum etiam quia timebat vituperium hominum, cum ſciret eſſe notorium virum ſuum eſſe mundi voluptatibus occupatum. Quemcumque ergo audiebat eſſe probum & religioſum virum, pro illis mittebat, ut ſuaderet viro ſuo & ad confitendum eum induceret. Plures acceſſerunt, ſed in nullo profuerunt. Ultimo quædam mulier ſuaſit uxori, ut mitteret ad fratrem Thomam confeſſorem ſanctæ virginis jam dictum, ut ipſe expoſita eidem virgini mala diſpoſitione infirmi, imponeret ſibi, ut rogaret Deum pro eo. Quod & factum eſt. Illa ergo mandato accepto de ſero, noctem illam duxit inſomnem. Orante autem illa, ecce circa diluculum infirmus ille clamare cœpit dicens: Cito mittite pro ſacerdote, quia volo confiteri. Quo ſic clamante, uxor ejus expergefacta dixit ei: Quid placet tibi? Ille vero iterans eumdem ſermonem adjecit: Nonne videtis in illo angulo Chriſtum, qui mandat mihi, ut ſtatim habeam confiteri; juxta vero Chriſtum eſt quædam mantellata, nomine Catharina? Statim ergo adveniente ſacerdote, devote confeſſus eſt, & teſtamento condito, & omnibus reverenter ſuſceptis eccleſiæ ſacramentis, ex hac luce migravit. Eodem mane, completis miſſarum ſolemniis, confeſſor præfatus acceſſit ad cellulam virginis, & ego cum eo, interrogatque an fecerit obedientiam ab ipſo de ſero ſibi injunctam? Qua reſpondente, quod ſic: iterum eam interrogavit an crederet quod infirmus ille mutaretur in melius? Illa reſpondit ſe per miſericordiam Dei eſſe certam quod ſic. Et adjecit: O pater, quam vere immenſa eſt bonitas & clementia Salvatoris! Cum enim ex præcepto obedientiæ mihi per vos injunctæ iſta nocte pro illo orarem ad Dominum, ſemper uſque ad matutinum dabat mihi negativam, dicens: Quomodo vis ut parcam iſti, qui numquam fuit memor mei, nec ſalutis animæ ſuæ? Iſte numquam confitebatur, miſſas non audiebat, eccleſiam cauſa orandi non intrabat, numquam jejunabat, eleemoſynas nullas faciebat, vacabat ſemper commeſſationibus & ludo alearum, ſæpe etiam turpiter nomen meum blaſphemabat: quomodo ergo parcam ei, qui de tot & aliis malis multis numquam a me veniam petivit? Cumque quod non pro juſtis, ſed pro peccatoribus mori voluit inſtarem; & quod latro in cruce veniam petivit & impetravit, poſtquam ipſe ex ſua miſericordia & pietate hoc ut faceret eidem inſpiravit. Reſpondit: Fateor, latro ille multa mala fecit, & in illis quaſi uſque in finem perſeveravit, ſicut iſte; ſed ille non me crucifixerat, immo pro ſuis ſceleribus cruci affixus fuit. Iſte vero de tot ſuis ullam numquam pœnitentiam egit, & ultra hoc, quantum in eo fuit, iterum me crucifixit. Nam cum ſemel ludo alearum magnam ſummam pecuniæ perdidiſſet, furore repletus, me blaſphemare turpiſſime cœpit, nec de tam nefaria blaſphemia multoties iterata contentus, intravit quamdam eccleſiam, ubi in-

» venta in quadam parva tabella imagine Cru-
» cifixi, gladio pluribus ictibus perforavit; nec
» ſic adhuc contentus, in latrinam projecit
» eamdem. Ego autem concepta fiducia ex
obedientia, quam ab ipſo mihi impoſitam
» reputabam, dixi: Oro, Domine Deus meus,
» fac hanc miſericordiam cum iſto peccatore
» indigno: nemo enim eſt tua miſericordia
» dignus, niſi quem tu ipſe feceris dignum.
» Qui Saulum contra te tanto odio perſequen-
» tem ad te tam mirabiliter attraxiſti. Exaudi,
» Domine, & perfice opus miſericordiæ tuæ
» per te inchoatum. Tu enim per miniſtrum
» tuum mihi imperaſti, ut hoc peterem. Da
» ergo gloriam nomini tuo. Circa ergo dilu-
» culum Dominus dixit mihi: Ecce exaudivi
» preces tuas. Tunc ergo oſtendit mihi Do-
minus corporalem effigiem infirmi illius, &
quem ante non noveram, nunc ſtatim re-
cognoſcerem ſi viderem. Me etiam præſente
mandavit infirmo, ut ſtatim confiteri debe-
ret. His ſic ab ea auditis, admirantes receſ-
ſimus, & rei geſtæ inveſtigata veritate, in-
venimus viſionem cum re geſta plenarie ac-
cordare, prout ſuperius eſt narratum.

Interiores auctoris pœnas abſens agnoſcit.

64. Circa idem tempus cum ex obedien-
tia ordinis mei moram traherem in Floren-
tia, ipſa ſancta virgine tunc commorante in
Senis, die quadam me loquente cum quo-
dam fratre provectæ ætatis & bonæ litteratu-
ræ, quem etiam reputabam bonæ conſcien-
tiæ virum, & erat frater ordinis mei, inter
cetera ei confabulando, dixi quod ex præ-
cepto prælati mei ſuſceperam ordinem ſa-
cerdotalem ante ætatem XXV. annorum. Quo
ipſe audito, fecit mihi magnam conſcien-
tiam & gravem, dicendo quod mortaliter
peccabam celebrando, cum dicto jure eſſem
ſuſpenſus. Ego tunc juris ignarus, ſtatim fi-
dem adhibui verbis ejus, & decrevi a cele-
bratione ceſſare. Cum per aliquos menſes
abſtinuiſſem, prior conventus voluit cauſam
hujus ſcire. Cui, ut debebam, expoſui. Qua
audita, conabatur tam ipſe quam alii probi
fratres ſuadere mihi, ut conſcientiam iſtam
tamquam erroneam omnino deponerem.
Sed ego ſic menti impreſſeram quod depo-
nere non valebam. Quare cum diu non ac-
quieſcerem perſuaſionibus fraternalibus eo-
rumdem, cœperunt contra me indignari,
& me phantaſticum appellare. Aliquamdiu
ergo amariſſimam vitam duxi. Hi enim qui
prius compatiebantur mihi, poſtea ſubſan-
nabant: qua de re habitabam ſolus, ne de-
riſioni paterem, & ſæpe ex nimia mentis
anguſtia flebam. Una ergo dierum de mane
cum hac de cauſa amariſſime & diu flerem,
& magnis vocibus ejularem, conqueri cœpi
intra meipſum quod non eram in Senis. Spe-
rabam enim ſi ibi eſſem, quod virgo conſo-
laretur me. Similis pro tunc eram regulo,
qui fidem quidem habebat in Domino, ſed
plus confidebat de ipſius præſentia corpo-
rali, quam de virtute divina & ſpirituali...
Invocabam ergo eam, amaritudine quidem
plenus, ſed fide non plena flevi diu & eju-
lavi. Tandem quidam venerabilis pater ma-
giſter Raynaldus, frater dicti conventus, mo-
tus caritate me vocavit, & duxit me ad epi-
ſcopum civitatis, cujus erat ipſe confeſſor.
Expoſito autem caſu meo coram eo, ipſe
epiſcopus qui erat juriſperitus, dixit mihi:
Fili, malum eſt agere contra decretales; ta-
men in tali caſu poſſum diſpenſare tecum,
quia ex ignorantia juris, & non in contem-
tum clavium hoc feciſti. Sic ego facio, &
tecum diſpenſo. Statimque, ſicut de beato
Auguſtino legitur, a mente mea omnes du-
bietatis tenebræ diffugerunt. Sicque rever-
ſus ſum ad conventum totaliter mente &
conſcientia ſerenatus. Illo autem mane quo,
ut dictum eſt, tam amare flevi & ejulavi, ac
ipſam virginem totaliter invocavi, ipſa ab-
ſens, ut dictum eſt, corpore, ſed præſens
ſpiritu in eccleſia noſtra de Senis ante altare
B. Petri martyris aſtans, tam gravem & ve-
hementem cordis mei afflictionem ſentiens,
& mihi ex intimis cordis compatiens, ab-
ſorpta a ſenſibus, ut ei mos erat cum vehe-
menter orabat, toto in Deum rapta ſpiritu
ferventiſſime pro mea liberatione Dominum
exorabat. Tanto autem impetu mens ejus
pro tunc ferebatur in Deum, me eidem of-
ferendo, ut corpus ejus quod in altaris ſca-
bello proſtratum jacebat, licet pro tunc nul-
lis exterioribus uteretur ſenſibus, impetu ta-
men ſpiritus mirabiliter ſurſum ſe erigens
totum, & brachiis aſtringens ſcabellum, ip-
ſum violenter ſurſum traxit, de quo non par-
va admiratio in mentibus circumſtantium
eſt generata, tum propter inconſuetudinem
actus, tum propter magnitudinem ſcabelli,
quod tantæ erat gravitatis, ut quicumque
juvenis bene fortis cum difficultate ſic ele-
vaſſet. Poſtea vero reverſa domum, ſecreto
eam interrogabant domeſticæ ejus ſociæ, cu-
pientes ſcire quid ſibi voluiſſet talis & tam
inuſitatus actus. Ipſa vero reſpondit: quia
filius meus frater Bartholomæus in Florentia
ab adverſario nimis crudeliter vexabatur.
Ipſæ vero notantes diem & horam, ex man-
dato ejus ſcripſerunt mihi, ut venirem ad
eam, quod & feci. Inventa autem veritate
& concordantia prædictorum, omnes Deo
gratias egimus.

65. Simile quoddam accidit fratri Thomæ
confeſſori ſuo ſupradicto. Cum enim in iti-
nere conſtitutus captus eſſet a latronibus, &
ab eis feſtinanter cum ſocio ductus ad inte-
riora ſilvæ, quæ remota eſt a civitate Sena-
rum fere per XXX. milliaria, & ab eis dubi-
taret occidi, ex toto corde virginem invo-
cavit, & modico intervallo facto abſque no-
cumento liberi ſunt dimiſſi. Reverſus vero
Senas invenit, quod illa hora qua invoca-
verat eam, ipſa ſuis dixerat filiabus in Chriſto,

Ecce pater meus frater Thomas vocat me, & statim ad orationem cucurrit. Totum autem hoc ipse mihi & aliis pluribus enarravit. Ad idem manifeste pertinet quod in legenda narratur de nobili milite domino *Cinque* de Sarracenis de Senis. Cum enim suadente eadem sancta virgine fuisset sacramentaliter confessus omnia peccata de quibus valuit recordari, veniens postea ad eam cum gaudio, nuntiavit se juxta ejus monita fuisse confessum. A quo cum virgo sancta peteret utrum plene omnia sua peccata fuissent confessus: ipso respondente quod sic: Ipsa adjecit: » Numquid fuisti confessus tale peccatum, quod » in tali loco perpetrasti? Ipse vero respondit quod non, quia non fuerat recordatus. Et valde admirans unde ipsa hoc sciret, reversus ad confessorem iterum confessus, totum quod supradictum est enarravit.

Summo pontifici factum de repetenda Urbe notam manifestat.

66. Tempore etiam quo ipsa erat in Avenione, missa illuc a Florentinis, ad sanctissimum papam GREGORIUM IX. ut induceret eum ad faciendum pacem cum eis, ipse GREGORIUS qui sanctam opinionem habebat de ea, cum jam parari fecisset multas galeas, ut cum tota curia sua iret Romam, & pene omnes cardinales & curiales, ac etiam rex Franciæ contradicerent ei, interrogavit eam utrum videretur sibi bonum quod prosequeretur iter quod jam sic agere disposuerat, presertim cum tot & tales haberet contradictores. Ipsa vero se humiliter excusante ac dicente, quod non decebat unam mulierculam dare consilium summo pontifici: ipse respondit: Non peto ut consulas, sed mihi circa hoc mandes voluntatem Dei. Ipsa vero se humiliter excusante, mandavit eidem per obedientiam, ut sibi manifestaret, si quid nosset circa materiam istam de voluntate Dei. Tunc ipsa capite humiliter inclinato dixit: » Quis melius novit hoc quam sanctitas vestra, » quæ Deo vovisti vos hoc facturum? Ipse hoc audito nimis stupefactus, quia, ut dixit, nemo vivens corpore præter se hoc sciebat, ex tunc deliberavit iter arripere, quod & fecit.

Corporis sui futuram trasl. lationem præscit.

67. Modico post tempore, cum de Avenione cum eadem reverteremur ad Italiam, & in vigilia B. Francisci essemus in quodam castro quod dicitur Voragine, prope civitatem Januensem, hora vespertina, ipsa vocato fratre Raymundo confessore suo supradicto, dixit esse sibi tunc a Domino revelatum, quod tali die revolutis annis ipse manibus propriis erat translaturus corpus ejusdem sanctæ virginis de uno sepulcro ad aliud. Et hoc tunc ipse mihi retulit: quod & rei postmodum probavit effectus. Implerem quaternos, si omnia quæ de hac materia meæ occurrunt memoriæ, vellem calamo commendare; sed sufficere existimo jam dicta, addendo illud quod incidenter recitavi in prologo, videlicet eidem revelatum fuisse a Domino de futura conversione infidelium & innovatione sive reformatione fidelium. Facit etiam ad hoc idem quod superius de multiplicatione panis narravi, videlicet quod ipsa dixit Alexiæ: Vade, facias panes de illa « modica farina quam habes, nec omittas fa- « cere eleemosynas consuetas, & secura esto, « quia non deficient donec habeas frumentum « novum: in hoc imitata Eliam prophetam, qui idem dixit & fecit mulieri viduæ de Sarepta Sidoniorum. Innumera occurrunt talia, & scribendi non esset finis. Nam & mihi & aliis pluries manifestavit secreta cordis nostri, quando hæc quandoque materia exigebat ad laudem Dei, vel ad utilitatem animæ. Paucis etiam diebus ante obitum suum, cum esset Romæ graviter infirmata, & ego essem ibi, misit me Bononiam, dicens: Fili, « tu scis quia de proximo instat electio de ma- « gistro generali ordinis tui; pro dicto officio « eligetur Fr. Raymundus pater meus. Volo « vadas illuc, ut sis cum eo, sicque dixit, sive « prædixit, & ita factum. «

CAP. VIII. De ejus doctrina.

68. Quia vero superius circa principium hujus capituli de spiritu prophetiæ mentio facta fuit, quod dignabatur Dominus quandoque visitare & cum eadem confabulari ac etiam eam docere de multis, congruum existimo de ejus doctrina non omnino sub silentio pertransire. Omittens ergo causa brevitatis prolixe & extense narrare de quibus & qualiter eam Dominus instruebat, cum sic confabulari dignabatur cum ea, procurabo, prout Dominus adjuvabit, pauca quædam quæ de multis occurrunt sub brevitate perstringere. Instruebat namque eam, docendo & declarando eidem quomodo amor proprius est radix omnium malorum; odium vero sui est fundamentum omnium bonorum. Et vocabat ipsa hoc odium sanctum. Item, docebat eam quod numquam exiret de cella propriæ cognitionis, id est cognitionis sui ipsius; sed omni tempore ubicumque esset, numquam exiret de dicta cellula. Item, quod attente consideraret quod in omni tempore & in omni loco oculi Domini aperti erant super eam, amplius respicientes cor quam operationem exteriorem. Item, quod non judicaret dicta seu opera cujuscumque, sed in omnibus attenderet voluntatem Dei, qui tam bonus est, qui etiam mala bene ordinat, nec sineret mala fieri, nisi ex illis majus bonum eliceret. Attenderet etiam quod nulla creatura potest quodcumque nocumentum alicui inferre, nisi desuper data esset ei potestas. Item, quod legendo vel orando non curaret multum legere vel orare, sed ruminaret verba singula, & cum aliquod verbum inveniret quod mentem similiter delectaret, in illo tamdiu sisteret, quamdiu mens delectabiliter pasceretur. Et ex hoc ipsa devenit ad orandum mentaliter, taliter quod non poterat dicere unum *Pater noster* vocaliter, quin statim mentaliter ra-

De ipsius exercitiis.

peretur. Et ex hac consuetudine cœpit mens ejus in oratione sic rapi, quod taliter extrahebatur a sensibus corporis, ita ut insensibilis omnino remaneret. In processu autem temporis, cum per talem extasim raperetur, taliter obrigescebant membra ejus, quod potius potuissent frangi, quam flecti. Qua de causa infinitas, quasi injurias passa est a diversis personis, putantibus quod non vere, sed ficte sic a sensibus esset abstracta: unde multis etiam & gravibus experimentis probata fuit, & repertum est quod non ficte, sed veraciter a sensibus tali tempore alienata erat. Inter ceteras experientias habitas de ea in hac materia, illa fuit gravior & apertior, quam pertulit a comitissa Valentinensium, quæ soror erat carnalis papæ GREGORII XI. de qua experientia diffuse tractat Stephanus de Senis, ordinis Cartusiensis, in attestationibus suis; ideo pertranseo, licet videre meo illa perforatio pedum & tibiarum fuit gravior, quam ipse narrat. Fui etiam tunc præsens ibidem sicut & ipse; & recolo quod per plures dies non poterat sanari de illis perforationibus. Verum ipsa non solum patienter, sed gaudenter tolerabat, & nullum adhibebat remedium puncturis illis.

CAP. IX. 69. Præfata autem profunda & utilia documenta docebat eam Dominus per seipsum, dum sic domestice de nocte conversari dignabatur cum ea, quæ ipsa postea ad utilitatem nostram referebat nobis, confortando nos & animando ad perficiendum ea. Plura alia quotidie successive nobis referebat documenta a Domino sibi data, pulchra & utilia valde, quæ ex ignavia mea nec scripturæ nec memoriæ commendavi. In legenda autem sua, si bene recolo, fit mentio de quibusdam talibus documentis a Domino sibi datis. Verum cum nobis prædicta & alia quæ sibi in oratione positæ ostensa narrabat, sæpe ingemiscendo dicebat: Melius esset tacere, quam talia sic enarrare. Non enim valet lingua carnis decenter exprimere, quæ spiritus sive mens a Domino illustrata valet apprehendere. Et addebat quod videbatur sibi quasi margaritas luto inficere, cum conabatur ea quæ viderat vel audierat nobis lingua carnea enarrare. Ego vero coram Deo loquens fateor, quod narratio mea de talibus ab ipsa nobis dictis, in comparatione narrationis ejusdem recte, sic est etiam mihi ipsi insipida, quemadmodum optimum ferculum sine sale. In oratione etiam sua tanto fervoris impetu ferebatur mens ejus, ut ex violentia spiritus ad superna tendentis corpus ejus totaliter elevaretur a terra, & aliquando suspensum staret in aëre, ut a pluribus fide dignis de familia ejus pluries audisse me recolo, qui testabantur se propriis oculis hoc vidisse. Fateor me numquam hoc sic aperte & manifeste videre meruisse, sicut illi de se narrabant: quibus tamen & tunc fidem adhibui, & nunc adhibeo: quia etsi non vidi eam totaliter elevatam, vidi tamen eam aliquando in oratione sua sic a terra elevari, quod sola summitate grossioris digiti unius pedis tangebat terram: quod nulla arte vel humana industria fieri posse arbitror, præcipue longo spatio temporis, prout aliquando in ea propriis oculis ego vidi.

In oratione a terra cernitur elevata.

CAP. X. De ejus facundia.

70. Expedita doctrina divinitus acquisita, secuta est mirabilis facundia in loquendo de pertinentibus ad honorem Dei & salutem animarum: ita ut mirarentur tam docti quam idiotæ dicentes: Unde isti tanta doctrina cum non didicerit? Aliqui autem æmuli putabant quod nos fratres doceremus eam, cum tamen, ut jam dixi, esset e contrario. Sed in processu temporis per quotidianam experientiam totus pene mundus, ut sic liceat loqui, cognovit doctrinam ejus esse eidem infusam divinitus, tam in colloquendo, quam etiam in dictando epistolas quammultas profundas pariter & devotas, & in componendo librum quem cum dictabat, semper abstracta erat a sensibus. Vidi pluries eam eodem tempore dictantem duobus scriptoribus de diversis materiis: aliquando tribus scriptoribus simul, & nullam faciebat penitus moram in meditando quid deberet dictando dicere, quemadmodum ceteri dictantes communiter facere consueverunt; sed videbatur quod in mente & lingua ejus tam influxus continuus esset sententiarum, quam etiam verborum. Et vere sic erat, ut recte cum Apostolo dicere posset: *An experimentum ejus quæritis, qui in me loquitur Christus.* Tantam autem Deus in labiis ejus diffuderat gratiam, quod in processu temporis, postquam, ut in legenda habetur, de mandato Domini cœpit cum omnibus generaliter conversari. Vidi ego quamplures doctos & valentes viros, quosdam quidem prælatos magnos, aliquos vero religiosos, & alios doctores laicos diversis temporibus & in diversis locis venientes ad eam, non ex devotione, sed potius causa subsannandi & confundendi eam, qui tamen postea in collocutione habita cum eadem, taliter immutabantur, quod mutabant de cetero vitam suam in melius, vel saltem bene ædificati de ea virtutes ejus postmodum prædicabant. Omitto gratia brevitatis mirabiles mutationes quorumdam religiosorum ordinum diversorum, qui prius toto nisu conabantur, nedum in privatis locutionibus, verum etiam in publicis ad populum prædicationibus detrahere famæ ejus; qui tamen postea ex collationibus habitis cum eadem, taliter sunt opinionibus & moribus immutati, quod veritate urgente, coacti sunt eam in publicis prædicationibus ultro necnon mirabiliter commendare. Nec cessare volebant a commendatione virtutum ejus, quas in seipsis fuerant experti, non obstante quod ex hoc a confratribus

confratribus suis quotidianas & graves molestias paterentur. Novi ego ipsis mihi narrantibus hæc, quod quandoque consueverant me deridere etiam in publico, ex eo quod noverant me habere conversationem publicam cum eadem, qui tamen opinione & vita ita mutati frequentabant sæpius cellulam meam: quorum quidam etiam in moribus & doctrina taliter profecerunt, ut multas animas lucrifacerent Christo. Mirabilem etiam gratiam contulerat Deus virgini in exhortando, ita ut velut seraphim incendens quos verbo instruendo tangebat, mox ad Dei timorem & amorem mirabiliter commovebat: immo, quod dictu mirabile est, attamen verum est, quanto erant doctiores hi cum quibus loquebatur, tanto ut communiter in admirationem & devotionem magis & citius movebantur. Tanta autem in exhortando, divina gratia influente, aderat ei facundia, ut catervatim confluerent tam viri quam etiam mulieres ad audiendum verbum ex ore ejus. Tantus etiam sequebatur animarum fructus, ut sanctissimus Gregorius XI. de hoc informatus, & per seipsum aliqualiter expertus, concessit ei bullam qua posset tres eligere confessores qui essent cum ea, & qui auctoritate ipsius summi pontificis possent ubique absolvere omnes ad se per eamdem destinatos, cum potestate quam habent episcopi singuli in diœcesibus suis. Concessit etiam bullam eidem, qua posset facere celebrare coram se ubique, etiam ante diem, & quod tam ipsa, quam omnes utriusque sexus de familia ejus, in capella ipsius possent recipere sacramentum Eucharistiæ quandocumque ei placeret. Concessit etiam ei plura alia de quibus late patet in attestationibus fratris Thomæ Antonii de Senis; ideo illa narrare & explicare omitto.

Quam tenera S. Catharinæ conscientia.

CAP. XL. 81. Item testor, ut supra, quod toto supradicto tempore quo conversatus sum cum eadem, non audeo dicere quod audierim proferri ex ore ejus verbum otiosum, nisi prout inferius enarrabo, cum tamen conversatus cum ipsa fuerim annis multis tam in terra quam in mari in supradictis locis. Hoc autem apud me non est parum notabile, cum dicat apostolus Jacobus, quod qui in verbo non offendit, perfectus est vir. Verum recolo quod quasi in principio conversationis meæ cum ea, cum in festo conversionis S. Pauli apostoli dulcedine contemplationis illius raptus, absorpta ipsa per tres dies staret abstracta & alienata a sensibus, die tertia quidam frater Donatus de Florentia, qui tunc gratus prædicator erat in conventu Senensi nostri ordinis, volens visitare quemdam devotum religiosum ordinis Eremitarum, qui vocabatur frater Guillelmus Anglicus, & habitabat juxta civitatem prædictam, in quadam silva distante ab ipsa civitate per milliaria tria: accessit frater Donatus præfatus ad Christi ancillam Catharinam stantem, ut dictum est, in extasi, & dixit ei: Ego vado ad visitandum talem Deo devotum, & tibi bene notum, vis tu venire nobiscum? Ipsa quia multum afficiebatur ad illum sanctum eremitam, statim respondit, quod sic, licet pro tunc non intenderet ire. Illo ergo discedente, conscientia cœpit eam torquere de mendacio dicto: propter quod tribus diebus continuis amare flevit, ac si commisisset aliquod grave crimen. Nec quibuscumque persuasionibus temperare valuimus ejus fletum: immo cum diceremus sibi illud mendacium fuisse jocosum & leve, tunc ipsa amarius flebat, nec a fletu cessavit, donec die tertia Christus ei dixit: Filia, ne amplius plores peccatum tuum. Ego enim permisi te cadere in illud, ut stimulante te conscientia redires ad sensus tuos corporeos, quos in tua extasi posita, quasi reliquisse gaudebas. Volo ergo redeas ad sensus tuos, ut cognoscas qualis ex te es; & non intumescas, cum ex benignitate mea te traho ad pergustandum vel modicum de spiritualibus meis deliciis, ut sic confortetur infirmitas & fragilitas tua. Et sic ab illo fletu cessavit.

82. Recordor etiam quod quasi ad idem, licet longe prius id quod dictum est evenerit, quod in vigilia B. Dominici patris nostri, cum pulsatum esset primum signum pro vesperis decantandis, ipsa more suo consueto statim ad ecclesiam venit. Ego vero cum essem ibi, vocavi eam, & posui me ad sedendum. Ipsa vero genuflexa stetit juxta me. Cum ergo sederem, videns eam totam lætam & jucundam, sicut semper erat, & præcipue in sanctorum solemnitatibus, interrogavi eam dicens: Pro certo debemus habere bona nova, ex quo te video sic lætam & ridentem. Tunc ipsa dixit mihi multa & miranda de B. Dominico, quæ enarrare nimium foret longum. Ait autem, ut breviter dicam, ô pater, nonne videtis B. Dominicum patrem nostrum? Quam gloriosus est in conspectu Dei! Et adjunxit: Ipse est valde similis Salvatori. Habet enim faciem oblongam, maturum conspectum pariter & jucundum, capillos flavos tam in capite quam in barba. Et subjunxit, quod Christus dicebat sibi: Filia, iste pater tuus, sicut vides eum mihi esse similem in corpore, sic fuit mihi simillimus in affectu & in moribus. Nam sicut ego totus ardebam pro salute animarum, sic ipse totus fervebat anhelans pro viribus verbo & scripto animas trahere ad amorem mei. Ista etiam de causa, me eidem inspirante, instituit ordinem suum Prædicatorum, ut quia videbat se non posse ubique & semper animarum salutem, sicut optabat, procurare, per filios suppleret, quod per se minus fieri posse videbat. Et ideo non miseris, filia, si sic honorifico eum ut vides,

» Si ergo vis esse legitima filia sua & mea, » exerce te ipsum in zelo honoris mei & salu» tis animarum. Addebat etiam mihi quod B. Dominicus ostendebat sibi magnam multitudinem fratrum Prædicatorum secum beatificatorum, exponendo eidem merita & nomina eorumdem; quæ causa brevitatis narrare omitto: specificatis tamen & distincte declaratis gloria & meritis beatorum Petri martyris & Thomæ de Aquino, de tota multitudine reliqua fratrum beatorum qui circa B. Dominicum consistebant. Præ ceteris autem videbat unum peculiari gloria refulgentem, quem dicebat vocari fr. Reginaldum, & a me petebat quando fuerat iste; sed pro tunc non occurrit mihi, nisi de socio & confessore S. Thomæ præfati, qui sic vocatus est. Ipsa autem non assensit dicto meo. Quare ego recogitans, postea credidi & firmiter credo, quod fuit ille frater Reginaldus, quem B. Dominicus recepit ad ordinem statim post ordinis confirmationem, dum esset Romæ; de quo multa & miranda narrantur in legenda S. Dominici. Ipsa ergo narrante prædicta & plura alia cum indicibili quodam gaudio, contigit germanum ejus transire per ecclesiam prope eam. Unde cum ipsa ad spuendum faciem suam a me parumper divertisset, vidit germanum transeuntem & agnovit eum; statimque ad me conversa cœpit amare flere. Ego vero stupens de tanta & tam subita mutatione, interrogabam eam de causa tanti fletus; sed propter abundantiam lacrymarum atque singultuum nullatenus mihi valuit respondere, usque quasi ad horam completorii, largiter pene per tres horas. Tandem hora prædicta accessi ad eam adhuc in ecclesia existentem, & interrogavi de causa tanti fletus. Quæ mihi respondit: » O pater, nonne perpenditis quantum ego » misera erravi, & Creatorem meum offendi? » Dum enim sua benignitate mihi miseræ os» tendere dignaretur tam festive gloriam tanti » patris, ego sicut misera & miserabilis diverti » oculum & vidi germanum meum transeun» tem per ecclesiam. Et cum ego excusarem dicendo quod vix adverterat faciem spuendo, & statim conversa fuerat; & verum dicebam, quia sic fuerat. Ipsa respondit mihi: » O pater, si vidissetis magistrum mihi a Do» mino traditum, videlicet apostolum Paulum, » cum quanta severitate & vultus curvitate » me reprehendit, non sic parvipenderetis de» fectum meum. Addidit autem quod post præ» dictum fletum, B. Apostolus consolatus est » eam dicens: Ecce, filia, acceptavit Deus » fletum tuum, & vidit lacrymas tuas, de ce» tero eris cautior. Hoc pro tanto narravi, ut ex his parvis pateat consideranti qualiter se custodiebat in gravibus, quæ sic se affligebat in levibus. Juxta id Gregorius dicit: Quomodo bonarum mentium est ibi agnoscere culpam, ubi culpa non est. Cum autem con-

A tingebat nos filios suos in Christo, aut etiam filias, verba non dico perniciosa, sed otiosa coram ea narrare, statim immiscebat locutionem de Deo, & interrumpebat nostram. Si autem vidisset nos procaces ad loquendum de levibus, mirabili dulcedine verborum nos abstrahebat ab illis vanis, & ad spiritualia attrahebat. Detractiones vero nullatenus poterat sustinere. Quæ si coram ea incidissent, austera voce & torvo vultu & statim præscindebat quadam urbana correctione, nos sacerdotes admonens & dicens: Num« quid hæc est doctrina, quam didiscistis in li« B bris sanctis, & quam populo Dei quotidie « prædicatis? Quod videlicet linguas suas re« laxent ad detrahendum proximis suis? infe« riores vero verbis asperis compescebat. «

CAP. XII. Ex amoris violentia moritur, & resurgit.

83. Augebatur quotidie in sponsa Christi desiderium, ut conjuncta esset realiter sponso suo, dissolvi enim cupiebat, ut esse inciperet cum eodem. Hoc autem in suis quotidianis orationibus avidissime exposcebat, quia didicerat pondus carnis cum mœrore portare. Et quia ille diligentes se diligit, non est passus eam a suo tam ferventi desiderio omnino fraudari. Cœpit ergo ex vehementi C amore languere. Tandem quadam die Dominica, si memoria me non fallit, circa horam tertiarum, dum ego actu prædicarem in conventu nostro Senensi, ipsa migravit e corpore, & incœpit esse cum Christo. Insonuit rumor iste quod moritur, statimque currebant fratres plures & mulieres quammultæ. Impletur cellula illa sancta, & spatium totum per quod ad illam erat iter multitudine concurrentium. Peracta prædicatione, hoc ego audiens, illuc cucurri & ego, sed cum difficultate non parva cellulam intravi. Asserebant autem qui a principio ibi affuerant, eam flendo spiritum exhalasse jam per plu- D res horas ante adventum meum. Sed ecce dum diu sic stamus dolentes, incipiunt in corde prius mortuæ exiles quidam motus apparere. Sicque paulatim post longum intervallum temporis ad usitatum usum sensuum est reducta. Nos autem lætitia repleti loqui conabamur cum ea. Ipsa vero mœrore confecta singultus & lacrymas abundantissime emittebat, dicendo sæpe, O infelix anima mea! quo verbo etiam post longo tempore utebatur quandoque. Quia ergo tam brevi temporis spatio mortuum corpus stetit, dubitatum fuit communiter utrum fuisset E mortua, an syncopen passa. Per triduum ergo aut biduum non valuimus ab ea habere responsum propter lacrymarum & singultuum indeficientem copiam. Tandem mitigato fletu, secreto interrogavimus eam; quid sibi volebat hoc inusitatum antea verbum, & tamen ab ipsa illo triduo toties repetitum, videlicet, O infelix anima! Ipsa vero cum magno suspirio respondit. O quomodo non « infelix est anima mea, quæ deputata erat «

»cum angelis videre faciem ſui Creatoris, & »nunc iterum dimiſſa eſt in hujus tenebras »carnis? Nobis autem quærentibus utrum anima ſua vidiſſet faciem ſui Creatoris? Reſpondit, Quod per gratiam Dei illo parvo temporis ſpatio viderat. Me autem petente utrum parvo illo tempore anima ejus vere fuiſſet a corpore ſeparata, dixit ſe credere quod ſic. Et cum dicerem quomodo tu ſcire hoc potes, cum B. Apoſtolus de ſe loquens dicat, ſe neſcire utrum eſſet in corpore an non, quando Deum vidit? Reſpondit illa, quod hoc credebat ex eo quod tunc ex violentia ſpiritus cor ejus crepuerat, & ſic vere B fuiſſe mortuam exiſtimabat. Ego autem iterum affirmabam, quod ex quo Apoſtolus hoc de ſe ignoraverat, ipſa de ſe ſcire non poterat. Ipſa vero acquieſcente rationi, confeſſor per obedientiam ei mandavit, ut in oratione de hoc peteret declarari: quod & fecit. Reſponſumque habuit quod vere anima ejus ſeparata fuit a corpore; & adjunxit, »quod Dominus dixerat ſibi: Conſidera & »adverte dulciſſima filia, quod ſicut ego te »mortuam de novo reduxi ad vitam; ſic tu »decenter alium modum vivendi & converſandi tenebis. Circuibis enim & tranſibis de »loco ad locum, de civitate ad civitatem, C »prout & quando dicam tibi. Eritque de cetero converſatio tua communis cum omnibus utriuſque ſexus, & publica atque patens. »Mittam enim alios ad te, quandoque vero »te mittam ad eos, prout mihi placebit. Tu »autem ſemper eſto parata, ut meæ obedias »voluntati. Dixit & opere complevit. Nam ex tunc cœperunt homines & mulieres magis ſolito frequentare eam, & ad ipſam venire etiam a remotis: indeque actum eſt, ut volante hujuſmodi fama ſanctitatis & doctrinæ ejus, rogata a diverſis perſonis pro honore Dei & ſalute animarum, ad diverſa D accederet loca, juxta mandatum ſibi a Domino datum. Sicque toto tempore quo ſupervixit, exemplo Abrahæ patriarchæ, non ſolum egreſſa eſt de domo paterna, ſed etiam de civitate & patria propria, & ſucceſſive peregrinata eſt in diverſis civitatibus & locis, de quibus ſuperius quaſi in principio memoriam feci. Et in tali peregrinatione perſeverando, juxta Dei ſui directionem & voluntatem, tandem anno 1380. vita & peregrinatione finita, aggregari propius meruit ſocietati civium beatorum. Narrata autem in hoc capitulo de morte & reſuſcitatione virginis, ac de clara viſione Dei ejuſdem, licet videantur & ſint mirabilia, non tamen ſunt incredibilia. Nam ſimile habetur de B. Oddone, ut patet in legendis fr. Petri de Clugia, immediate poſt legendam S. Ceciliæ; & de multis qui prius mortui poſtmodum revixerunt, & poſtmodum finaliter tranſierunt. Habetur in epiſtola Cyrilli ad B. Auguſtinum, & in diverſis aliis

A locis; nec hujuſmodi miranda fidei catholicæ in aliquo derogant, ſed potius ipſam approbant & confirmant.

CAP. XIII. Chriſto patienti fit conformis.

84. Conſiderans ergo virgo ſancta, quod de voluntate & beneplacito ſui ſponſi neceſſario oportebat eam adhuc in carne corruptibili permanere, cœpit a ſponſo ſuo ardentiſſimo & continuato deſiderio inceſſanter expetere, ut ex quo eidem ſic placebat, ſaltem pro refrigerio quodam animi ſui dignaretur eam ſibi in pœnis corporalibus conformare, ut ſcilicet pœnas quas ipſe pendens in cruce pertulit in carne, has in ſuo corpore ſentire ex munere mereretur, ut ſaltem vel ſic conjuncta eſſet eidem. Exaudivit autem ipſam Deus, nec fraudavit eam a tam pio & ſancto deſiderio ſuo. Tribus enim clavis diverſorum corporalium dolorum confixit carnes ejus, videlicet capitis, pectoris, & iliorum. His enim tribus cruciatibus quotidie, licet autem aliquando uno iſtorum, aliquando alio gravius vexaretur, numquam tamen ab iſtis vacabat; quibus tamquam ſtimulis quotidie agitata, numquam tamen a ſanctis exercitiis ceſſabat, quin vel dictaret, vel cum advenientibus de pertinentibus ad ſalutem animæ loqueretur, vel orationi ſemper intenderet vel vacaret. Non enim ſolum habitu, ſed etiam actu diebus illis continue mens ejus ferebatur in Deum, nec propter dictos continuos dolores apparebat aliquando triſtis, aut turbulenta, ſed ſemper hilaris inveniebatur & læta. Immo cum aliquando paſſione iliaca vehementiſſime gravaretur, ita ut non valens ſtare neceſſitata jaceret, nos eidem compatientes dicebamus: O mater, quid pateris? Ipſa vero nobis quaſi ſubridendo reſpondebat: *Sentio un pici dolce fianco.* Dolores enim ipſi veluti dona ipſius ſponſi ſemper ſibi erant dulces: ſed quando augmentabantur, dicebat ſibi eſſe dulciores. Vidimus ego & etiam alii quamplures, quod pluries cum taliter pateretur, ſuperveniente aliquo caſu, ubi imminebat, ut pro honore Dei vel ſalute animæ ſerioſe loqueretur, vel ſi dictis de cauſis expediret domum exire, & ad alium locum ire, quod ſtatim, ac ſi nihil pateretur, promta erat & parata ad omnem laborem. Recordor etiam quod cum ego ab ea peterem, qualis erat dolor ille pectoris, ipſa dixit mihi, eſſe ſibi a Domino revelatum, quod E quando ipſe fuit cruci affixus, una jam manu elevata, reliquum brachium tanta violentia traxerunt, quod coſtæ pectoris ex utraque parte nervis conjunctæ violentia illa fuerunt disjunctæ, & in tali disjunctione fuit ſub ſenſibus maximus dolor, & maxima pœna huic dolori ſimilem ipſa patiebatur. His tamen non plane contenta virgo ſancta inſtanter petebat, ut dignaretur eam ſibi conformare non in pedum & manuum, ac etiam lateris foris patenti foſſura, ſed in dolore vulnerum

præfatorum : ita ut dolores tales ſentiret in corde, & tamen nulla de his apparerent ſigna in oculorum viſione. Nec paſſus eſt ſponſus ejus etiam ipſam defraudari in præfata tam pia & devota petitione ſua. Nam dum eſſet Piſis die quadam, in eccleſia ſanctæ Chriſtinæ virginis & martyris, poſt communionem more ſuo in extaſim poſita, cum hoc donum a ſponſo ſuo devotius expoſceret atque ferventius, viſa eſt a circumſtantibus manus & pedes extendere, ſicut depingi conſuevit B. Franciſcus, cum ſacra ſtigmata ſcribitur recepiſſe. Et cum aliquandiu ſic ſtetiſſet, tandem uſui ſenſuum reddita, eſt domum reverſa. Tunc ſui qui viderant, ſecreto eam interrogabant, ſcire cupientes quid ſibi voluiſſet illa manuum pedumve tam inſueta & prolixa extenſio, quibus reſpondens ait : O filii, mecum gratias agite Deo, qui non deſpicit orationes pauperum, ſed vota humilium reſpicit & exaudit. Tunc aperuit eis quomodo gratiam ſuprascriptam diu a Domino poſtulaverat, & quod illo mane ferventius hoc expoſtulans exaudiri meruerat. Toto igitur reſiduo tempore vitæ ſuæ, paſſione nunc dicta & aliis pœnalitatibus ſuperius nominatis, tam alacriter quam dulciter, quotidie in ſuo corde virgo Domini vexabatur, licet ipſam quandoque mitius, quandoque aſperius cruciarent. Ex illo ergo tempore quaſi certa facta de præſentia in ſe per gratiam Domini Salvatoris, nonobſtantibus quotidianis paſſionibus antedictis, in omnibus exercitiis & laboribus ad honorem Dei vel animarum ſalutem pertinentibus fortior & lætior apparebat. Videbatur enim, etſi non verbo, tamen opere dicere quod de ſe beatus dicit Apoſtolus, videlicet *Cum infirmor, tunc potens ſum & fortior*. Et alibi quaſi tacitæ reſpondens quæſtioni dicit : *Omnia poſſum in eo qui me confortat*. Unde & cum eodem Apoſtolo gloriabatur in infirmitatibus ſuis, ſciens per hos habitare in ſe virtutem Chriſti.

CAP. XIV. Deſiderat martyrium.

85. Fervebat deinceps in ſancta virgine ardor & deſiderium patiendi & ſuſtinendi martyrium pro nomine Salvatoris. Unde & aliquando ipſa colloquente nobiſcum, occurrente materia, magna cum vultus hilaritate, manibus tenendo tunicam ſuam albam qua erat induta, dicebat : O quam decora eſſet hæc tunica, ſi eſſet ſanguine rubricata. Intendebat autem virgo ſacra de rubricatione ſanguinis per martyrium, quam habere deſiderabat, ut per ſanguinem martyrii rubricaretur veſtis alba qua induta erat ſanctæ virginitatis. Signum autem manifeſtum dicti ferventis ſui deſiderii patuit in Florentia. Cum enim de mandato ſanctiſſimi Gregorii XI. miſſa ipſa Florentiam, ut Florentinos exhortaretur ad petendam veniam de gravi offenſa per eos contra eccleſiam perpetrata, ut ſic ab eodem paſtore pacem percipere mererentur; & jam ſuis monitis ad hoc exequendum quorumdam bonorum civium animos inclinaſſet, aliis multis contradicentibus; facta ſeditione, populus cucurrit ad arma. Inſonuit autem vox in vulgo, quod mulier illa de Senis, erat cauſa hujus tumultus atque ſeditionis. Quidam ergo de populo præceptores inſolentes & diſcoli, hoc audito, veloci paſſu venerunt ad domum ubi ipſa pro tunc habitabat, tumultuantes; & armis perſtrepentes, dicenteſque ſe velle occidere eam. Violenter itaque & cum magno impetu intraverunt ubi ipſa erat. Unde territi qui erant cum ipſa aufugerunt, & abſconderunt ſe quaſi omnes. Unus ergo ex illis qui venerant procacior ceteris, enſe nudato, verbis contumelioſis aggreſſus eſt virginem. Ipſa vero in nullo territa, ſtatim tenſis in cœlum oculis & manibus, ac genuflexa, dixit illi. Si deſuper eſt tibi data poteſtas, percute. Et adjunxit : Ex parte autem Dei vobis præcipio, quatenus nulli meorum noceatis. Illi ergo Dei virtute conterriti, in nullo eam vel aliquem de ſuis lædentes receſſerunt. Permanſit autem virgo ſacra ibidem donec placuit ſummo præfato pontifici, qui miſerat eam. Et licet ego pro tunc non fuerim cum ea, tamen ſerioſe prædicta audivi, & ab ipſa & ab aliis qui tunc erant cum ea : qui eam mirabiliter extollebant, admirantes & commendantes conſtantiam virginis.

CAP. XV.

86. Vita autem & converſatio ipſius ſanctæ virginis deinceps valde mirabilis fuit, & ad converſionem animarum quam mirabiliter utilis & fructuoſa. Puto enim quod ſi quis attentare vellet enarrare quæ poſt hæc geſſit mirabilia in Senis, Florentia, Luca, Piſis, in Janua, in Avenione, & ultimò in Roma, ubi ſacrum ejus corpus requieſcit, plures impleret quaternos. Quis enim ſufficienter enuntiet quot & quales ad meliorem vitam reduxit ſanctis exhortationibus ſuis ? Quot enim matronas nobiles ad ſanctæ religionis habitum ſuſcipiendum induxit ? Quot nobiles juvenculas ad virginitatem & mirabilis auſteritatis voluntariam obſervantiam ſuo verbo & vitæ exemplo excitavit ? Quot laſcivos juvenes ad diverſos ordines introduxit ? Quot diſſolutos religioſos ad meliorem vitam convertit ? Quot publicas meretrices ad caſte vivendum reduxit ? Quot homicidas & graves aut antiquatas inimicitias habentes ad perpetuam pacem & bonas deinceps amicitias ſuis ſanctis monitis conciliavit ? Longum nimis foret & pene incredibile ſi quis enarrare vellet qualiter ſua mirabili locutione dulciter mulcebat & conſolabatur pios, terrebat & confundebat ſuperbos ſive protervos, non modo idiotas & ruſticos vel plebeios, ſed principes & barones ac milites, prælatos, magnos utriuſque juris doctores, nominatos medicos, & ſacræ theologiæ

non mediocres professores. Et ut breviter dicam, omnes secum seriose colloquentes pios in meliorem commovebat affectum; subdolos & malignantes mirabiliter & salubriter confundebat. Tanta denique erat in sermone ejus maturitas, & tanta in exhortando erat auctoritas, ut præ admiratione sapientiæ tam copiose in labiis ejus cœlitus diffusæ omnes præcipue magnates animo suspendendo ad Dei laudem efficaciter nimis ac mirabiliter attrahebat. De quibus omnibus innumera extant exempla patentia, si hæc narrare præsentis descriptionis brevitas pateretur, sicut præcipue patuit in Avenione de domino papa GREGORIO XI. de domino duce Andegavensi avunculo regis Franciæ, de domino Barensi, postea papa URBANO VI. & pene de tota curia Romana, qui omnes insurrexerant contra eam, quos omnes animo mirabiliter immutavit & opere, ita ut hi qui prius erant ejus persecutores, postmodum facti sunt amici atque benefactores. Nam præfatus dominus dux taliter est animo immutatus, ut de Avenione duceret eam ad quoddam suum castrum, ut consolaretur dominam ducissam consortem suam. Quo per triduum facto, rogavit eam ut secum iret ad dominum regem Franciæ. Sed ipsa humiliter renuente, dedit ei pro expensis viæ in redeundo ad Italiam francos centum. Ad suggestionem etiam ipsius sanctæ virginis ipse dominus dux promisit domino papæ GREGORIO prædicto, quod ad voluntatem & requisitionem ejusdem domini papæ iret cum exercitu ultra mare propriis sumtibus & expensis. Ipse etiam dominus papa non permisit eam de Avenione discedere usque in diem qua ipse inde discessit. Immo per menses tres ipsam cum tota familia sua numero XXII. quotidie nutrivit, providendo eis de amplo & idoneo hospitio, ac de omnibus ad victum necessariis. In discessu vero pro expensis in via fiendis, dedit ei florenos centum. Innumera etiam alia gratia brevitatis annotare desisto: unum tantummodo ex multis & pene innumeris exempli gratia recitabo.

CAP. XVI. Inveteratum peccatorem ad Christum amovit.

87. Fuit in diebus illis in civitate Senensi vir quidam secundum carnem nobilis genere, nomine Franciscus. Hic erat, ut credo, tunc annorum octoginta & ultra, qui numquam communicaverat, nec umquam confessus fuerat, nisi semel tantum in gravi infirmitate constitutus, cum valde esset adolescentulus. Hujus senis nurus erat quædam Alexia dilecta filia sanctæ virginis, de qua supra facta est mentio in cap. de multiplicatione panis. Hæc zelo Dei accensa suadebat sæpe præfato socero suo, ut juxta mandatum Dei & ecclesiæ sanctæ peccata sua sacerdoti confiteri deberet. Sed cum in nullo proficeret, cogitavit rogare sanctam virginem, ut iret ad hospitandum cum ea, cum tamen noctes essent prolixæ, ut sic capta opportunitate loqueretur cum illo. Sic cogitavit, sic actum est. Loquitur ergo virgo sacra cum octogenario illo, sed ille obdurato corde diu reluctatur, quasi deridendo sacras exhortationes illius, sermo in longum protrahitur; tandem post longam moram non valens amplius resistere Spiritui qui loquebatur in illa, ad verba tam ignita cœpit emolliri cor ejus, quod prius ut lapis fuerat obduratum. Dixit igitur: Ecce volo confiteri, ut mihi suades; sed quid præcedere debet, cum jam per bonum temporis spatium odio habeam priorem talis ecclesiæ, ut quotidie cogitem quomodo opportune occidam eum? Tunc ipsa virgo iterum sermone taliter commovit cor ejus, quod victus iterum exclamabat dicens: Ecce paratus sum facere quidquid jubes. Jube quod vis. Tunc illa: « Volo quod amore CHRISTI JESU, ut ipse « vobis parcat, vos parcatis dicto priori & pacem faciatis cum eo. Quid plura? Spopondit, & quod mirum est dictu, sed mirabilius facto, ipse qui injuriam gravem receperat, & in nullo illum offenderat, taliter ad verba quæ ex ore virginis sacræ audierat, compunctus est corde, quod statim summo mane assumens accipitrem, quem carum valde habebat, intravit ecclesiam illam solus in qua erat prior ille, de quo supra facta est mentio: quo ille viso, timens eum, de ecclesia statim aufugit. Ipse vero rogavit unum de canonicis, ut nuntiaret priori quod ipse non venerat ut noceret, sed potius ut grata loqueretur. Tunc prior, scito quod solus & absque armis venerat, convocatis ad se ad cautelam aliquibus de suis, permisit eum ad cameram suam venire. Intravit ille, & salutato priore, dixit: « Ego veni motus a « Deo, ut faciam pacem vobiscum, & ut cre- « datis quod bonam deinceps pacem velim « habere vobiscum, ecce dono vobis accipi- « trem istum, qui mihi est valde carus: sicque « pace facta reversus ad virginem, dixit ei: Ecce « feci quod jussisti, quid amplius jubes ut fa- « ciam? Illa autem mandavit ei, ut veniret ad me, & confiteretur omnia peccata sua. Quod & fecit, narrando mihi per triduum ab infantia totam vitam suam. Qua confessione completa, & facta absolutione, suspensus animo quomodo imponerem sibi pœnitentiam cum esset senex; & licet esset genere nobilis, tamen erat pauper secundum gradum suum, dedi ei parvam pœnitentiam, & dixi: « Revertamini ad eam quæ vos ad me misit, & « quam vobis ipsa imposuerit pœnitentiam, « illam ego vobis impono. Fecit ut dixeram. « Illa autem eidem imposuit quod usque ad certum tempus omni mane in aurora profunda surgeret, & iret cum silentio ad ecclesiam cathedralem, dicendo pro qualibet vice centum *Pater noster* & totidem *Ave Maria*, deditque ei in uno filo centum *Pater*

noſter, ut portaret in manibus, quando ſic ad eccleſiam properabat. Omnia complete cum magna humilitate perfecit. Et qui aliàs raro viſitabat eccleſias, jejunare non conſueverat, ex tunc, ut dictum eſt, cum octogenarius eſſet, omni die in eccleſia longo temporis ſpatio morabatur; per totam vero quadrageſimam ſemper die qualibet jejunavit, & omni die prædicationem audivit, ſicque pene per annum in ſpiritualibus exercitiis perſeverans, diem clauſit extremum & obdormivit in pace.

Dæmonem ab obſeſſis ejicit.

88. Non ſolum autem ſponſus ſuus contulit illi virtutem dura corda emolliendi, verum etiam eidem dedit poteſtatem calcandi inimicum, ac ipſum de obſeſſis corporibus expellendi. Fuit enim in civitate Senarum vir quidam Michaël Monaldi arte notarius, converſatus honeſte & grate coram Deo & hominibus. Hic habens filiam parvulam, quæ pro tunc, ut puto, erat annorum octo vel circa, poſuit eam in quodam monaſterio ſub nomine B. Johannis Baptiſtæ conſtituto, *ut ibidem Deo in ſanctitate ſerviret.* Quia vero ſecundum Pſalmiſtam Dei judicia ſunt abyſſus multa, prædicta puella ſoror Laurentia nuncupata, tradita eſt ſatanæ vexanda in corpore, cum, ut puto, eſſet tunc annorum decem vel circa. Vexabatur puella, ſed & moleſtius ejus ſorores omnes pariter vexabantur, & præcipue de nocte. Tædio igitur quotidiano devictæ ſorores, & tot moleſtias *non valentes amplius ſuſtinere*, vocatis patre & matre puellæ, reſtituerunt eam illis, qui male conſolati duxerunt eam ad domum ſuam; multis etiam ejuſmodi moleſtiis & ipſi vexati diutius, poſt multas adjurationes per ſacerdotes & religioſos ſuper eam factas, cum in nullo proficerent, illam ad diverſa loca duxerunt, ubi quieſcebant corpora ſanctorum, ut eorum mereretur meritis liberari. *Recolo me fuiſſe præſentem* in eccleſia noſtra Senenſi, quando hac de cauſa illuc perducta erat. Circumſtabant eam fratres plures litterati, volentes per ejus reſponſionem explorare utrum puella vel ſpiritus loqueretur. Auditis autem multis reſponſionibus ejus, concludebant omnes pari ſententia quod procul dubio non puella, ſed ſpiritus loquebatur. Quid ulterius protelor? Licet, ut dictum eſt, ducta fuerit ad diverſa ſanctorum corpora, ubi aliàs quandoque arreptitii conſueverant liberari, a nullo tamen conſecuta eſt beneficium ſanitatis. Frater autem Thomas, dictus de Fonte, confeſſor tunc virginis ſupradictæ, compatiens ex corde tantæ illorum calamitati, conſuluit parentes puellæ, quod ſummo mane ducerent eam ad domum ubi virgo ſacra tunc habitabat, & intromittentes eam, claudenteſque oſtium a foris recederent. Sicut conſuluit, ſic fecerunt. Cum vero virgo vellet exire, ut ad eccleſiam pergeret, invenit eam, ſtatimque cognito quod arreptitia eſſet, & cauſam cur adducta erat prudenter intelligens, & ex humilitate exiſtimans hoc excedere vires ſuas, elegit per fugam ſubterfugere iſtud onus. Sed inveniens oſtium clauſum circuivit domum, quærens aditum ut exiret. Cumque ad exeundum nullum penitus aditum inveniret, intellexit virgo ſpiritu Dei plena, hoc geſtum eſſe Dei voluntate. Aſſumta ergo de Deo fiducia, puellam duxit ad ſuperiora domus. Adjurans autem per nomen Domini malignum ſpiritum ut exiret, in nullo proficiebat. Quare intelligens edocta per Spiritum, juxta dictum Domini Salvatoris, hoc genus dæmoniorum non poſſe exire niſi in oratione & jejunio, vocata diſcipula ſua Alexia, in cujus tunc domo habitabat, dixit: Filia, oportet nos orare, ut Deus liberet iſtam creaturam ſuam de manu inimici. Igitur adveniente nocte tantus erat ſtrepitus in tota domo, excepta camera ubi erant, quod putabat Alexia domum totam ruituram. Sed virgo Domini *in nullo territa, quia aſſueta erat bellare cum* hoſte, Alexiam conſortabat, monens tamen eam ne exiret de camera. Noctem igitur totam duxerunt inſomnem. Mane autem facto, Alexia ad eccleſiam eunte, virgo Domini, de Dei bonitate & clementia aſſumta fiducia, ſtans ſuper arreptitiam, ſpiritui mandavit audacter ut diſcederet. Ille autem non valens amplius reſiſtere imperanti, puellam valde diſcerpens, horribiliter ſpumantem & in terram proſtratam ſemimortuam dereliquit. Virgo autem Domini confortationibus manuum, & cibo ac potu refocillatam per brevem morulam ſanam mente & corpore eam erexit. Tenuit autem eam ſecum diebus octo, poſt quos reſtituens eam parentibus ſuis, monuit eos quod ponerent eam in monaſterio ubi prius fuerat, aliter poteſtati ſatanæ iterum traderetur. Volunt illi obedire, ſed moniales nolunt eam recipere, timentes ne non vere eſſet liberata. Tandem poſt longam habitam experientiam, ita ut pene tota civitas teſtimonium eis perhiberet de ſincera & perfecta liberatione ipſius, de novo ipſam receperunt. Sicque miraculum quod prius erat occultum, factum eſt manifeſtum. Simile in ſpecie miraculum fecit poſtea in Piſis, imperando confidenter ſpiritui, tamquam poteſtatem habens a Domino ſibi datam. Hoc licet ego non viderim, audivi tamen a fide dignis, qui dicto miraculo præſentes fuerunt. Et quia in evangelio narratur quod Dominus, convocatis diſcipulis ſuis, non ſolum dedit illis virtutem & poteſtatem ſuper omnia dæmonia, ſed etiam ut languores curarent.

Infirmum ſanitati reſtituit.

89. Dicto de virtute & poteſtate eidem virgini factæ ſuper omnia dæmonia a Domino data, nunc narrandum eſt vel breviter aliquid de curatione languentium; &

omissis omnibus aliis gratia brevitatis, unum solum prosequar de quam multis. Erat in civitate Senarum vir quidam, nomine Matthæus Cenni; hic sincerus & bonus ab omnibus reputatus, de communi omnium voluntate est electus per communitatem, & deputatus ut gubernaret hospitale quoddam civitatis prædictæ, S. MARIÆ de Misericordia vulgariter nuncupatum. Erat autem præfatus vir erga pauperes valde pius, orationibus die ac noctu mirabiliter deditus, dono lacrymarum mirabiliter dotatus, in jejunando quasi quotidianus, præfatæ sanctæ virginis valde familiaris & carus. Tempore igitur pestis febri prævalida & inguinaria est gravissime infirmatus, ita ut phreneſim, sicut talibus sæpe accidit, pateretur. Mane vero sequenti frater Raymundus confessor sanctæ virginis supradictus, eidem domino Matthæo valde familiaris, & domesticus, venit, hoc audito, ut visitaret eumdem. Inveniens autem eum taliter gravatum, timens de morte ejus, quia tempore illo ut communiter infra triduum vel biduum personæ moriebantur, tactus dolore cordis, quia eum valde diligebat, statim ab eo discessit, & cursim ivit hoc sanctæ virgini nuntiare cum lacrymis. Ipsa vero, hoc audito, & quod ire volebat ad medicum, dixit ei: Vadatis vos ad medicum, & ego statim ibo & visitabo infirmum. Ivit ille festinus ad medicum, qui visa urina infirmi quem diligebat, dolens dixit: Amicus noster modico tempore erit nobiscum. Dedit tamen remedia quæ putavit esse proficua. Interim virgo sancta perrexit ad ægrum, & visa gravi infirmitate ejus, statim orationi se dedit. Ab oratione vero surgens, ad infirmum accessit, & tenens manum ejus, nomine proprio eum vocans, dixit: » Domine Matthæe, surgite. Ad hanc vocem » ille statim apertis oculis ea visa resedit. Cui » iterum dixit: Surgatis, non est enim modo » tempus standi in lecto, sed juvandi alios » pauperculos, qui adjutorio egent: statimque » surrexit & ambulare cœpit. Frater vero Raymundus, qui, ut dictum est, ad medicum accesserat, receptis medicinis sibi a medico pro dicto infirmo datis, festine reversus est, existimans sicut audierat a medico, quod omnino cito esset moriturus. Cum vero intrasset domum, invenit eum loquentem & ambulantem; & intra se nimis stupens, audito modo sanationis ejus, simul cum aliis dedit laudem Deo, qui dedit potestatem talem hominibus. Eodem vero mane ipse qui tam graviter fuerat infirmus, in mensa cum aliis olera & cepe comedit, ut aliàs, cum esset sanus; facere consuevit, sicque perfecte sanatus, ad Dei laudem & gloriam sanctæ suæ annis plurimis supervixit.

90. Ego frater Bartholomæus Dominici de Senis supra in principio hujus operis descriptus, totum quod supra scriptum est, huc- usque dictavi, & manu propria in quibusdam cedulis scripsi: postea vero ordinate feci transcribi per Adam notarium infrascriptum, prout de verbo ad verbum supra est exaratum. Die vero 29. Octobris 1412. hora vespertina dictus Adam notarius totam scripturam prædictam a principio usque ad finem de verbo ad verbum alta voce, distincte & intelligibiliter legit coram me & Geniolo notario de Arimino infrascripto. Protestor autem coram Deo loquens, quod omnia suprascripta fideliter dictavi & scripsi, nullam scienter admiscens fallitatem, & firmiter credo omnia prædicta esse vera. In quorum omnium testimonium & munimen hic manu mea propria me subscripsi, & sigillum meum apposui consuetum.

Sequuntur attestationes & subscriptiones amborum notariorum in forma legitima, publica & consueta, quas gratia brevitatis hic omitto transcribere.

91. Item, postquam suprascriptus reverendus magister Bartholomæus Dominici de Senis suprascripto reverendo patri fratri Thomæ de Senis etiam in isto processu quampluries nominato anno Domini 1412. de mense Octobri de Arimino per quemdam R. P. fratrem Antonium de Bononia ordinis fratrum de Monte-Oliveto suprascriptas suas contestationes Venetias transmisisset, & de mense Novembri ad ipsum præfatum patrem fratrem Thomam cum ipsis pervenissent, & ut superius apparet, reverendo vicario domini episcopi Castellani suprascripto etiam per eumdem præsentatæ fuissent. Ipsis præfatis attestationibus per præfatum fratrem Thomam diligenter attentis, cum videretur sibi illas non fuisse bene completas, & in duobus singulariter punctis non esse legendæ virginis ex toto conformes; & ex hoc statim supra id supradicto magistro P. Bartholomæo plures litteras rescripsisset, ut mihi notario supra & infra scripto plene constat. Idem magister Bartholomæus dictis litteris habitis quam citius potuit supplere & dicto P. F. Thomæ satisfacere pro posse curavit, respondendo & transmittendo eidem post de mense Decembri quasdam additiones & declarationes erga & ad suas supradictas contestationes, etiam per modum publicum scriptas; quarum responsionum, additionum, & declarationum tenor hic sequitur & est talis, videlicet:

92. Venerabilis pater frater Thoma, cum nuper de mense videlicet Octobri 1412. transmisissem R. V. quasdam attestationes meas in forma publica redactas, cum subscriptione duorum notariorum & manus meæ, ac cum impressione mei sigilli, mentionem facientes de sanctitate vitæ & veritate doctrinæ beatæ Catharinæ de Senis; cito post molestante me conscientia mea, adverti quod plura narranda omiseram, & non terminatam, sed

Additiones & declarationes contestationum fr. Bartholomæi de Senis.

quasi truncatam narrationem vobis transmiseram. Quare illico erubescendo dolui, ac emendare defectus prædictos mente statui. Post non multos vero dies recepi litteras vestras plures successive, in quibus mentionem facitis vos in attestationibus meis prædictis deprehendisse plures inesse defectus, videlicet duos jam per me dictos; addendo quod in quibusdam punctis videntur attestationes meæ prædictæ contradicere legendæ ordinariæ in eisdem punctis.

Quinquaginta dies sine cibo transit.

93. Incipiendo ergo a primo, cum videlicet dicitis quod attestationes meæ prædictæ sunt nimis diminutæ; præcipue cum in prologo earum dixerim me plura scire de pertinentibus ad laudem & gloriam dictæ sanctæ memoriæ Catharinæ de Senis, quam quicumque alius vivens in corpore. Quantum ad hoc, fateor me multa ex industria tacuisse, sicut in prologo illarum me facturum prænuntiavi; & hoc causa vitandæ prolixitatis. In secundo etiam capite prædictarum attestationum specialem mentionem feci de quibusdam, quæ causa brevitatis omittere intendebam, de quibus extense & veridice legenda ordinaria caute & devote prosequitur: quibus verbis meis, videre meo, confirmo vera esse omnia quæ in legenda illa ordinaria narrantur, quæ ego specificando dico me velle omittere; & sic quodammodo ego narro illa omnia de quibus in prædicto capite brevem & succinctam facio mentionem. Ut autem aliqualiter supplcam defectum istum, alia quædam narrando illis superaddam. Et quia in prædictis litteris vestris specialem facitis mentionem de hoc quod ipsa per dies quinquaginta nullum cibum sumsit, recordor quod tunc eram Senis, ubi tunc & ipsa erat; & quod ipsa postquam communionem recepit die Dominica de Passione; vel salva veritate, Dominica in Ramis Palmarum: quæ enim dictarum duarum Dominicarum fuerit, non pleno memoriæ meæ occurrit; sed bene recordor, quod ex tunc usque ad diem Ascensionis Domini exclusive, nullum cibum corporalem sumsit, ut asserebant omnes, qui nocte & die conversabantur cum ea. Verum per aliquot dies ante dictum festum Ascensionis ipsa fuit valde extenuata in corde, & debilis nimis effecta, in tantum quod vix poterat tam alte loqui quod audiretur, vel intelligeretur ponendo etiam aures juxta os ejus; ita ut omnino putaremus eam morituram in brevi. Tandem in vigilia Ascensionis Domini, dictis vesperis in conventu, accessimus, si bene recolo, tres copulæ fratrum ad visitandum eamdem, dubitantes ne forte moreretur. Cum autem pulsaretur ad completorium, volentes ad conventum reverti, accessi ego ad eam, & dixi
» sibi. O mater, credis ad præsens relinquere
» nos? Ipsa vero respondit mihi: Nescio quid
» erit, sed pro certo teneo, quod in hac so-
lemnitate, vel Deus faciet mecum misericordiam vocando me ad se, ut opto; vel si
hoc noluerit facere, mirabili & inusitato
modo me faciet de cetero vivere. His auditis, recessimus omnes. In aurora vero diei sequentis, ipsa quæ tot ante diebus, velut quasi mortua jacuerat, clara & alta voce vocavit filiam suam in Domino Alexiam, dicens ei: Da mihi calceos meos & mantellum. Illa stupens & gaudens fecit ut jusserat. At illa calceamenta ponens in pedibus, assumto mantello, statim cum tanta festinantia ad ecclesiam properavit, quod prædicta dilecta filia sua, eam ex more sequens, nullatenus valuit ad eam pertingere, donec ipsa in ecclesia jam se ad orandum locaverat. Tandem illo mane more solito communionem cum multis aliis consortibus accepit. Juxta consuetudinem suam postea absorpta est a sensibus, & in ecclesia remansit cum aliis pluribus filiabus suis, donec fratres prandio completo cantando gratias more solito ad ecclesiam veniunt. Quibus laudibus expletis, plures ex nobis accessimus ad eam. Ipsa vero ab oratione surgens tota hilaris & jucunda, dulcissimo suo affatu omnes quæ & qui ibi erant ineffabili spirituali gaudio lætificavit. Postea vero adjecit: Hodie festum Domini est, credo quod dulcis Salvator noster pro consolatione vestra vult quod hodie comedam vobiscum. Quo audito, omnes qui ibi erant, præ lætitia iverunt ad prandendum cum ea. Cum ergo pro prandio nihil esset paratum, nos fratres misimus ei in olla de fabis quæ conventus pro fratribus coxerat. Et sic omnes illæ cum eadem mane illo exultantes comederunt. Factum ergo est gaudium non parvum apud omnes devotas personas, quæ hoc audiverant. Unde plures ex eis præ admiratione & gaudio venerunt die illo ad visitandum eamdem, pro quarum consolatione coacta fuit die eadem pluries cibum sumere & vinum gustare. Die vero altera posuit se ad comedendum cum filiabus suis, sed licet cibum masticaret, tamen deglutire non potuit, nec vinum gustare. Facto autem prandio, cœpit dolorem vehementem sentire in stomacho, quare coacta fuit stomachum per violentiam evacuare totaliter, & sic dolor ille cessavit. Die etiam sequenti eodem modo comedit, & modo jam dicto dolore stomachi statim vexata, iterum coacta fuit stomachum violenter evacuare, & dolor cessavit. Eadem modo sequentibus diebus singulis faciebat, nec dolor ille stomachi cessabat, donec aquam & succum totum quem deglutierat cum longa festucula fœni violenter de stomacho eduxisset. Volat hinc inde fama hæc, & scandalizantur quamplurimi. Quidam enim suspicabantur, quod ipsa hoc malitiose faceret, ut videlicet per hoc nomen sibi sanctitatis acquireret, credentes quod palam sic faceret, sed in occulto comederet,

mederet. Alii vero magis pie hoc opinantes, & non credentes, quod ficte sic faceret, putabant quod illusio esset diaboli, ut videlicet vel seipsam occideret non comedendo, vel saltem inani gloria periclitaretur. His suspicionibus motus confessor ipsius frater Thomas de Fonte, cujus ego eram socius: dubitans ipse quod esset illusio diaboli, nam ex testimonio sociorum ejusdem certus erat quod non fingebat, mandavit eidem per obedientiam quod post cibum taliter qualiter dictum est sumtum, non deberet vomitum procurare. Ipsa vero ut vere obedientiæ filia fecit ut sibi jussum fuerat. Sic enim mandata ejus observabat, ac si de cœlo manifeste sibi sonarent. Statim autem cœpit graviter infirmari, ita ut pene videretur morti esse vicina. Quo per plures horas viso, confessor ejus præfatus compatiens ei, simul cum pluribus aliis qui præsentes eramus, timens etiam ne forte fieret causa mortis illius, monitionibus astantium, & etiam conscientia propria commotus, dedit ei licentiam, ut stomachum ad vomitum provocaret. Fecit, & statim liberata est. Cum vero nos admirantes postea peteremus ab ea, quid & unde hoc esset, respondit quod hoc sibi erat inflictum a Deo in pœnam peccati sui. Dicebat enim se in annis præteritis nimis fuisse voracem in comedendo herbas & fructus. Postea vero corde compuncta, multoties Deum affectuose rogabat, ut dignaretur in vita præsenti eam punire de hoc peccato, in quo videbatur Deum sibi specialiter offendisse. Unde & prædictum quotidianum supplicium vomitus violenti jam dicti vocabat ipsa Sanctam justitiam. Ex tunc ergo & deinceps in annis multis toto videlicet residuo vitæ suæ diebus singulis herbas crudas, olera, seu legumina cocta cum oleo, & aliquando caseum, sed putridum, sic ut dictum est, edebat, sive, ut verius loquar, masticabat, aquam puram bibens. De mensa vero surgens, statim ibat ad prædictum evacuationis tormentum, alacri vultu sæpe dicens, Vadamus ad Sanctam Justitiam. Qua evacuatione completa, a dicto dolore stomachi simpliciter liberata remanebat.

Terror devotionis ejus erga Eucharistiam.

94. Occurrunt etiam mihi ad memoriam plura, quæ ad ædificationem & consolationem legentium æstimo profutura. Cum enim jam per plures annos cum eadem sacra virgine conversatus fuissem, cœpit ipsa confiteri sacramentaliter peccata sua & sacramentum Eucharistiæ de manibus meis frequenter recipere. Cum autem tanto mentis desiderio & devotionis affectu & spiritus fervore sumebat ipsum Eucharistiæ sacramentum, quod antequam applicarem hostiam ad os ejus, tenendo eam tamen digitis meis, sentiebam quandoque violentia quadam hostiam ipsam rapi de digitis meis: ita ut intra meipsum stuperem nimis, & in ipso principio, quando scilicet incœpi ministrare eidem Eucharistiæ sacramentum, aliquando ex hoc dubitavi, ne hostia cecidisset in terram. In processu vero temporis, quia circa hoc magis eram intentus, & videbam hostiam ipsam quasi evolare intra os ejus; tum etiam quia alii hoc idem asserebant sibi evenire, omni timore & dubitatione remotis, velut quid divinum cœpi, ut erat debitum, mente reverenter venerari. Cum vero, sumta jam hostia, offerebamus ei vinum in calice ad os abluendum, sicuti est de more, tanta tenacitate os calicis suis dentibus astringebat, quod cum magna difficultate & ingenio vix ab ejus ore extrahere valebamus. Unde & in duobus calicibus argenteis, amore Dei sibi donatis, quos pro usu capellæ suæ habebat, in summitatibus eorumdem erant signa manifesta tenacissimæ morsicationis ejus cum dentibus: ita ut mirum esset, quod dentes ejus non frangebantur. Sumta enim hostia sic reperiebatur mens ejus in Deum, quod statim perdebat usum sensuum exteriorum, & membra corporis ejus taliter rigescebant, quod potius frangi quam flecti potuissent. Sicque quotidie fere per tres horas & ultra permanebat totaliter absorpta & insensibilis. Sæpe etiam in tali extasi posita, cum Deo loquendo, orationes & postulationes perfervidas & devotas clara voce proferebat. Quas voces audientes qui aderant, ut communiter, ad pias & devotas lacrymas movebantur. Quæ orationes pro magna parte fuerunt redactæ in scriptis de verbo ad verbum; aliquæ scilicet per me, quamplures vero per alios, quando ipsa, ut dictum est, clara voce & distincta proferebat easdem. De quarum profunditate gratia brevitatis prosequi omitto. Nequaquam enim apparent vocabula illa & sensus ille verborum esse mulieris, sed doctrina & sententiæ magni doctoris. Et vere sic erat: quia non ipsa, sed spiritus erat qui loquebatur per ipsam, ut clare patet illarum orationum pio lectori.

Omnibus se dicit miserabiliorem.

95. Confessiones autem ejus illis diebus erant, non de aliquo commisso seu perpetrato peccato, sed solum de omissione perfectæ virtutis, & ingratitudine beneficiorum Dei. Unde se dicebat miseram & miserabilem. Erant enim hæc vocabula sua, affirmando etiam se dicebat miserabiliorem esse omnibus hominibus, & se causam esse omnium malorum quæ fiebant. Ego vero unde debebam ædificari & proficere, ex ruditate & ignavia mea cœpi in mente mea male interpretari verba sua tam sancta & tam profunda, velut animalis homo, qui non percipit ea quæ sunt Dei. Putabam enim quod in mente non se talem esse omnino crederet, qualem se esse sua voce resonabat. Motus ergo tali bestiali suspicione, postquam pluries audieram talia & similia verba, ip-

ſam interrogavi, ſemiredarguere intendens eamdem. Quomodo, inquam, hoc dicis, cum manifeſtum ſit omnibus quod abhorres peccata quæ multi delectanter quotidie perpetrant? Quæ ſuſpirans mihi reſpondit: O pater, ut video, vos non cognoſcitis miſeriam meam. Nam ego miſere tot & tanta ac talia recepi dona a Creatore meo, quod, ut puto, non eſt aliquis ita vilis ribaldus, qui ſi talia recepiſſet, non totus ferveret ſui Creatoris inflammatus amore. Et ſic tam exemplo vitæ, quam verbo doctrinæ accenderet corda hominum ad amorem patriæ cœleſtis & contemtum vitæ præſentis, & ſic ceſſarent homines a peccatis. Cum ergo ego miſera tot præventa donis hoc non faciam, quid de me veritatem fatendo dicere valeo, niſi quod ſum ingratiſſima Deo meo, & quod cauſa ſum ruinæ omnium, qui per me potuerunt a malo revocari & promoveri ad bonum? Si ego, ut debui pabulo verbi Dei eos revocaſſem, exemplo bonæ vitæ ipſos ad bene agendum animaſſem: quod quia non feci ut debui, procul dubio rea ſum. Quibus ego auditis, erubui & tacui, & merito. Quia cum, ut jam dixi, putarem eam eſſe reprehenſibilem, ipſa ſe humiliter accuſando oſtendit me multipliciter eſſe culpabilem. Sicut enim in atteſtationibus meis præfatis recolo me dixiſſe, tanta erat in corde & in labiis ſacræ virginis gratia diffuſa, quod ad ſe venientium non ſolum mentis diſpoſitionem cognoſcebat, ſed etiam ſuis ignitis eloquiis eorum corda ſic inflammabat, quod ut communiter vitam commutabant in melius. Et licet in legenda multa talia ſint deſcripta, in meis etiam conteſtationibus de quibuſdam talibus memoriam fecerim, tamen quia adhuc memoriæ quædam occurrunt narratione digna & mihi ſpecialiter nota, ideo unum ex multis aliis, omnibus gratia brevitatis omiſſis, hic recitabo.

96. Ipſa enim adhuc in ſecreto ſuæ cellulæ habitante, antequam videlicet per communem converſationem ex mandato Dei deveniſſet in publicum. Illo enim tempore, excepto patre & ſuis germanis, nulli loquebatur viro, niſi de ſui confeſſoris licentia ſpeciali. Cœpit tamen odor ſanctitatis ipſius & fama per totam civitatem Senenſem diffundi; ſed ſicut Apoſtolus ſcribens ad Corinthios 2. dicebat de ſe & de ſui ſimilibus, quod bonus odor Chriſti erant, aliis quidem odor vitæ in vitam, aliis vero odor mortis in mortem, id eſt ut Gloſſa ibi exponit, bonis & fidelibus erat vita, & doctrina apoſtolorum odor vitæ in vitam. Infidelibus autem & invidis erat odor mortis in mortem. Sic etiam de iſta ſancta virgine contingebat. Nam ſimplices & recti corde venerabantur & commendabant eam & laudabant opera ejus. Quidam vero & quædam, videlicet duplices corde & invidi, ſubſannabant & detrahebant eidem, putantes quod ſi quid recte & prudenter loquebatur, totum a nobis fratribus hauriret, credentes quod eam taliter loqui inſtrueremus ad jactantiam & mundi pompam acquirendam. Inter ceteros vero & præcipuos ejus in hac parte perſecutores, fuit quidam frater Lazarinus de Piſis ordinis Minorum, qui eo tempore Senis in conventu ordinis ſui philoſophiam legebat cum magna fama. Vigebat ſiquidem intellectu, & ſermone erat valde facundus, in prædicationibus etiam bene erat populo gratus. Hic audiens famam boni odoris de ſancta virgine per civitatem diffundi, invidiæ ſtimulis agitatus, conabatur famæ ejuſdem virginis detrahere, non ſolum in ſecreto apud ſuos, ſed etiam in publico apud extraneos. In tantum autem exardeſcebat & ſæviebat zelus ejus contra virginem ſanctam, quod non ſolum eam, ſed etiam omnes quos eidem domeſticos noverat, odio habebat. Unde & me qui eodem tempore curſorie Sententias legebam, ſic exoſum habebat, quia ſciebat me eidem ſanctæ virgini fore domeſticum, quod totis viribus conabatur me odioſum reddere omnibus ſtudentibus, præcipue quando cauſa diſputationis conveniebamus omnes in unum, ut eſt de more. Quia vero experientia eum docente cognovit, quod ſic detrahendo non proficiebat, ſed quotidie magna fama ſanctitatis ejus creſcebat, decrevit in publicum ad populum prædicationibus ejus famam totis conatibus denigrare. Cumque nec ſic videretur proficere, cogitavit callide ſub ſpecie devotionis eam viſitare, ut ſic in verbis ejus vel geſtibus deprehenderet eam merito calumniandam. In vigilia igitur B. virginis & martyris Catharinæ hora veſpertina venit ipſe ad cellam meam, rogans me ut eum ducerem ad loquendum cum ea. Ego vero credens quod corde compunctus hoc peteret, annui; & cum eo de licentia confeſſoris ipſius virginis, videlicet fr. Thomæ de Fonte ad eam acceſſi. Igitur cellulam ejus ſanctam intrantes, fr. Lazarinus ſedit ſuper quamdam capſulam: ipſa vero prope pedes ejus in pavimento; ego vero ſeorſum ex oppoſito reſedi. Tacet aliquandiu ille, tacet & illa. Tandem ille exorſus ait: Ego audita tam bona fama ſanctitatis tuæ, & quia a Domino es dotata intellectu ſcripturarum, libenter ad te veni, ſperans audire aliquid ædificatorium pariter & conſolatorium animæ meæ. Ipſa vero reſpondit: Ego in adventu veſtro lætata ſum, credens quod Dominus vos miſiſſet, ut vos qui habetis ſcientiam ſcripturarum ſanctarum, per quam paſcitis quotidie animas populorum, caritate motus veniretis ad conſolandum pauperculam animam meam; & ſic amore Jesu Christi rogo ut facere dignemini. Cum ergo in tali modo loquendi flueret tempus, & jam nox appropinquaret,

Fratris Lazarini converſio.

ipſe non quidem eam irridens, ut putaverat ſe facturum; ſed tamen in corde ſuo non multum eam appretians, ſed potius parvipendens, dixit: Video quod hora tarda eſt, & ideo puto quod melius eſt ut vadam, & aliàs hora magis congrua potero redire, ſicque ſurrexit ut iret. Cumque abiret, virgo ſacra ſecuta eſt eum, genuflexa vero brachiis cancellatis rogavit eum, ut benediceret ſibi: quod & ille fecit. Qua benedictione habita, rogavit ut in orationibus ſuis haberet eam recommendatam. Ipſe vero quadam erubeſcentia potius quam devotione motus, rogavit eam ut pro ſe oraret, quæ ſe hoc facturam libenter promiſit. Igitur abiit ille, ut dictum eſt, parvipendens, exiſtimans eſſe bonam quidem, ſed non dignam tanta fama, quanta de ipſa volitabat. Cum ergo nocte ſequente immediate ſurgeret ad meditandum de lectione, quam juxta morem diſcipulis ſuis de mane legere debebat, ſubito in magna copia de oculis ſuis lacrymæ effluere cœperunt, quas quanto amplius tergebat, tanto magis multiplicabantur & abundabant. Admiratur, & diu laborat in tergendo lacrymas abundanter fluentes, & inter ſeipſum inveſtigat cauſam tanti fletus, nec invenire valet; fluctuat animo cauſam quærens, utrum nimirum ex nimia potatione ſerotina hoc acciderit, vel forte quia capite cooperto non dormierit: neutrum horum reperit cauſam fore hujuſmodi fletus. Interim elabitur tempus & hora adeſt conſueta legendi. Sollicitant magiſtrum diſcipuli, ut ſcholas ingrediatur. Ille vero facta ſibi violentia, prout valuit, ad ſcholas feſtinanter acceſſit, ac perfunctorie legens ſtatim diſceſſit, quia lacrymas continere non valebat. Ad cellam itaque regreſſus, mox lacrymis habenas laxans, irrugiit clamore magno, ſibique iratus ſeipſum increpare cœpit, dicens ſibi ipſi: Quid Lazarine habes? quid vis? Num forte mater tua repente mortua eſt? Aut frater tuus gladio eſt occiſus? His & ſimilibus diem illam occupans, vix cibum vel potum deguſtans, pervenit ad noctis ſibi grata ſilentia: quo adveniente tempore, tædio & labore devictus paululum obdormivit; rurſumque evigilans, lacrymaſque iterum ut prius cohibere non valens, cogitare cœpit quod forte in aliquo gravi ſibi ignoto Deum offenderat, propter quod Deus miſericorditer ſic eum ad ſe revocabat. Ipſo ergo attente circa hoc meditante, vox non corporis, ſed mentis ipſius auribus inſonuit fortiter, dicens ei: An forte tam cito a memoria tua excidit, quod pridie famulam meam fidelem Catharinam tam ſuperba mente deſpexiſti, & quod, licet ficte, ejus te tamen orationibus commendaſti? Hac ipſa interiori voce audita, mente exhilaratus flere volebat præ gaudio, ſed nullatenus valuit: nam ſtatim ille lacrymarum fluvius eſt taliter exſic-

A B C D E

catus, ut nec unam quidem lacrymam emittere prævaleret. Statim tamen cor ejus inflammatum eſt, & æſtuabat deſiderio ipſam ſanctam virginem viſitandi. Unde quaſi mœrore quodam & tædio afficiebatur mens ejus, quia non tam cito illuceſcebat aurora, ut optabat ex ardore deſiderii eam viſendi. Non expectato ergo ſolis ortu, ſed in crepuſculo diei de conventu ſuo exiens, ad domum virginis inverecundus feſtinantiſſime properavit. Pulſante autem ipſo oſtium cellulæ, virgo ſacra non ignara horum quæ per ſponſum ſuum agebantur in homine illo, oſtium aperuit. Ille vero ſtatim ut ipſam vidit, antequam cellulam intraret, ad pedes virginis ſe proſtravit. Et virgo hoc non ferens, ſe ſimiliter ad terram projecit, rogans eum ut ſurgeret. Cumque hoc ille facere renueret, tandem ambo de terra pariter ſurrexerunt. Cellulam autem intrans, nequaquam, ut prius fecerat, voluit in alto ſedere, ſed in ſolario ſtorea cooperto; virgo autem ſimiliter in imo, ut conſueta erat, reſedit. Habito autem longo & ſancto colloquio cum eadem, totus mente ſerenatus obtulit ſe totum eidem virgini, obnixe eam rogans, ut dignaretur eum in filium adoptare, ac ipſum ut filium in via Dei dirigere & educare. Ipſa autem dicente quod viam Dei, mediantibus ſcripturis ſanctis, ipſe melius noverat; reſpondit quod noverat ipſe in cortice, ſed ipſa guſtabat in medulla. Tandem ejus inſtantibus precibus devicta, reſpondit: Via ſalutis animæ veſtræ eſt, ut ſpreta ſæculi pompa, & omni complacentia mundi, abjectis etiam pecunia & omnibus ſuperfluis, nudus & humilis ſequamini Chriſtum crucifixum, & patrem veſtrum B. Franciſcum. Quo ille audito, videns vanitatem ſui cordis eſſe virgini pateſactam, mente confuſus, & corde realiter conſternatus, in virum alterum eſt mutatus: in lacrymas vero prorumpens, ſtatim ſpopondit omnia & ſingula quæ ſibi mandaret, ſe eſſe facturum. Quod etiam rei poſtea probavit effectus. Nam infra paucos dies pecuniam quam habebat, pannos ſuperfluos ac etiam libros, excepta quadam evangeliorum poſtilla neceſſaria ad prædicandum, omnia diſtribuit, & verus Chriſti pauper realiter eſt effectus. Factus ergo de Saulo Paulus, id eſt de ſuperbo humilis, effectus eſt de perſecutore prædicator. Nam ſicut antea tam ante fratres ſuos, quam etiam apud extraneos, famæ ſanctæ virginis conſueverat ſemper detrahere, & tam in privato, quam etiam in publico, ut eſt dictum, ipſius famam avide denigrare; ſic deinceps cœpit ſeipſum accuſando ipſam extollere ac mirabiliter commendare. Qua de cauſa ſicut Saulus factus Paulus perſecutiones multas & graves, præcipue a ſuis eſt paſſus. Dicebant enim eum inſanum factum, tum quia ipſam publice extollebat, cujus famam paulo ante

conſueverat totis niſibus extirpare. Tum quia, ut dictum eſt, cuncta temporalia præter ſola neceſſaria a ſe abdicaverat, credentes quia valde fuerat pompoſus, ipſum hoc feciſſe in poſterum pœniteret. Sed ipſe ab ea ſæpe confortatus, velut alter Paulus convaleſcebat & ſuperabat omnes. Verum, ut dixi, perſecutiones multas & graves paſſus eſt, quas enarrare nimis foret prolixum. Attamen auxiliante Deo, meritis ſponſæ ſuæ, de omnibus triumphavit. Vixit autem poſt hoc annis pluribus, laudabiliter valde proficiens quotidie de bono in melius. Multas vero animas Chriſto lucrifecit tam verbo prædicationis, quo præcipue fuit dotatus, quam etiam exemplo ſui boni operis, in quo, ut dictum eſt, quotidie profecit, & uſque in finem vitæ perſeveravit. Prædicta omnia & ſingula in hoc capitulo licet diminute & incompte per me enarrata novi ego, partim experientia me docente, & partim ipſomet fratre mihi enarrante, qui poſtea mihi fuit valde domeſticus.

Plures religioſos ad meliorem frugem reducit.

97. Poſt hoc creſcente quotidie fama ſanctitatis ipſius ſanctæ virginis, cœperunt plures ad eam confluere tam viri quam mulieres, prædicto venerabili patre tam in privatis locutionibus, quam etiam in publicis ad populum prædicationibus omnes ad hoc hortante. Multi etiam notabiles cives eo tempore per eam fuerunt in meliorem vitam mirabiliter immutati, de quorum aliquibus fit ſpecialis mentio in legenda ordinaria, & ſimiliter in atteſtationibus meis ſupraſcriptis. Religioſi etiam quamplures diverſorum ordinum ad eam accedebant, & omnes ac ſinguli bene conſolati, & optime de ipſa ædificati, diſcedentes precibus impetrabant poſſe ad eam venire & reviſere ipſam; nec ſoli juniores aut idiotæ, ſed etiam ſeniores & docti quamplures ſunt per eam mirabiliter in melius immutati, ſicut patuit de magno Gabriële de.... ordinis fratrum Minorum, qui fuit vir per totam Italiam valde famoſus in ſcientia & gratia prædicationis: & tamen ea audita, præ admiratione immutatus eſt animo, & eam ſæpe devote viſitabat. Patet etiam hoc idem de fratre Johanne.... probo & antiquo ſacræ theologiæ magiſtro ordinis Eremitarum ſancti Auguſtini de Senis, ac etiam de fratre Felice de Maſſa probo in ordine præfato lectore: qui ambo annis pluribus cum ea in Senis ſunt converſati, & poſtea tempore felicis recordationis Gregorii papæ XI. in Avenione cum eadem ſunt menſibus quatuor commorati, ac etiam cum eadem ad Italiam reverſi. Ipſe etiam magiſter Johannes præfatus poſtea euntem Romam tempore Urbani papæ VI. aſſociavit, & cum ea quotidie habitavit uſque ad diem felicis tranſitus ipſius ſanctæ virginis ex hoc mundo ad ſponſum ſuum. Quid ultra immoror, enumerare cupiens quot & quales diverſarum eccleſiarum prælati, ac etiam abbates, viri notabiles diverſorum ordinum ad eam confluebant, & ſpeciali affectu venerabantur eamdem, prout de aliquibus latius patet in legenda, & ideo de illis hic pertranſeo.

98. Cum poſtea Piſis eſſemus, & multitudo non parva utriuſque ſexus ad ipſam confluereret ut audirent eam, aliqui illorum ex devotione genua flectentes oſculabantur manus ejus: quidam vero graviter ex hoc ſcandalizati murmurabant contra eam, nitentes totis viribus avertere omnes quantum poterant a devotione quam circa eam ſe habere oſtendebant. Inter ceteros vero erat unus præcipuus medicinæ artis bene peritus, nomine magiſter Johannes Gutalebracia. Hic impatienter nimis ferens, quod retrahere non valebat, ut volebat, venientes ad eam, cogitavit eam confundere proponendo eidem quæſtiones graves ſacræ ſcripturæ. Infonuerat enim in vulgo quod ipſa explanabat ſcripturam ſacram. Ut autem detractioni ſuæ, quam contra eam facere intendebat, magis adhiberetur fides, perſuaſionibus ſuis ſecum duxit quemdam juriſperitum qui vocabatur dominus Petrus domini Albizi, qui erat provectæ ætatis, & tam in ſcientia illa quam in moribus erat magnæ gravitatis vir. Venientes igitur ambo ad eam, ſoli cum eadem conſederunt. Magiſter vero Johannes præfatus qui erat junior, loqui incipiens, dixit ei: Dominus Petrus qui eſt hic & ego audientes « bonam famam tuam, & quod docta es in « ſcripturis ſanctis, venimus audire cupientes « aliquid ex ore tuo pro conſolatione noſtra. « Opto vero præcipue a te audire, quomodo « intelligitur id quod ſcriptura dicit, quod « Deus creando mundum dixit: Et factum eſt? « Et adjecit: Numquid Deus os habet & linguam? Et multa alia perſcrutatus, tandem de a ſe propoſitis reſponſionem petendo, ſiluit. Ipſa vero aperiens os ſuum, dixit: Miror valde quod vos qui eſtis aliorum doctores, venire vos dicatis ad audiendam unam « mulierculam, cum congruum potius ſit, ut « vos me tamquam ignaram doceatis. Attamen ex quo vobis placet ut reſpondeam, « dicam prout Dominus donabit. Quid ad me « attinet, aut quid mihi utilitatis affert ſcire « quomodo Deus, qui non eſt corpus, ſed « tantum ſpiritus, dicendo mundum creaverit? Sed utile, immo neceſſarium mihi video eſſe ac etiam vobis ſcire, videlicet Dominum Jesum Christum verum Dei Filium « ſumſiſſe naturam noſtram pro noſtra ſalute, « paſſum ac mortuum fuiſſe pro liberatione « noſtra; hoc noſſe mihi eſt neceſſarium ad « ſalutem, ut iſta credendo & meditando accendatur cor meum ad amorem illius qui « ſic me amavit. Hæc & ſimilia cum magno « fervore ſpiritus illa proſequente, D. Petrus jam dictis corde commotus, lacrymas con-

tinere non valuit: unde & ſurgens, diſcooperto capite, genu flexo veniam petens ab ea. Ipſa vero hoc non ferens, proſtravit ſe ad terram, obnixe cum rogans ut ſurgeret. Quo renuente, poſt longam & piam circa hoc concertationem, ambo ſimul de terra ſurgentes, pariter conſederunt. Poſtea vero longo & dulci colloquio inter ſe habito de pertinentibus ad ſalutem animæ, tandem idem D. Petrus, detracto iterum caputio, ſupplicavit eidem virgini, ut dignaretur tenere ad baptiſmum prolem, quam ex uxore ſua ſperabat in brevi habere: quæ & benigne recepit, & opere poſtea complevit. Magiſter autem Johannes præfatus, corde compunctus, humiliter venia ab ea petita, & conſolatione non parva recepta, totus animo mutatus, & deinceps detractiones in laudem & commendationem virginis commutavit. Eodem fere tempore frater Raymundus confeſſor ſuus, qui poſtea legendam ſuam compoſuit, motus latratibus murmurationum ſeorſum, me ſolo præſente, eam interroga-

Quæ facerit S. Catharinæ anus erga illiberibitos honores.

»vit dicens: O mater, nonne vides quot re»verentiæ tibi ab advenientibus exhibentur? »Et quia non prohibes, videtur multis quod »in his habeas complacentiam; & ſic ſcanda»lizantur & murmurant contra te. Et adjunxit: »Numquid, mater, tot honores & reverentiæ »quæ tibi a tantis fiunt, non moveant ad ali»qualem inanem gloriam mentem tuam? Quæ »ad interrogata reſpondens, ait: Quoad pri»mum vere, ut plurimum de talibus reve»rentiis non adverto, nec per Dei gratiam »mihi placent; ſed cum veniunt præſtitæ ad »me, conſidero bonum affectum advenien»tium, & gratias ago divinæ bonitati ſic eas »moventi, & mente ipſam exoro, ut ipſe qui »movit, perficiat & impleat deſideria ſua quæ »ipſe inſpiravit. Ad ſecundum vero ſic reſpon»dit: Miror quod creatura cognoſcens ſe eſſe »creaturam, poſſit vanam gloriam habere. Nos admirantes de tali reſponſione, tacuimus. Fateor quod pro tunc non intellexi verbum. In proceſſu vero temporis ruminando & meditando verbum prædictum, viſum eſt mihi, ac etiam nunc videtur, quod noluit adhuc dicere, niſi concordare doctrinæ apoſtolicæ dicenti: *Quid habes quod non accepiſti?* Et ſtatim ſubdit: *Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Nec hoc dico, quia credam eam legiſſe hoc in epiſtolis B. Pauli, & ſic quaſi eum allegando, nobis reſpondiſſe. Non enim hoc credo, ſed credo & firmiter teneo, quod ille qui apoſtolum Paulum docuit, & vas electionis, id eſt ſanctarum ſcripturarum armarium fecit, ipſe idem hanc dilectam ſponſam ſuam docuerit, nec ſolum quod ſupradictum eſt, ſed & multa alia utilia & notabilia valde documenta ei tradidit. dum tam familiariter dignatus eſt converſari cum eadem, ut in legenda ipſius latius patet. Ego etiam ipſe aliA quid licet breviter & ruſticane de hac materia in atteſtationibus meis inſerui.

99. Ut autem manifeſtius appareat ſupra- Primum doſcriptam rationem ipſius virginis emanaſſe cumentum ipſi a Domiex doctrina quam a Salvatore noſtro, ut di- no datum.
ctum eſt, diu ante acceperat, reducamus nobis ad memoriam, ſi non piget, primum documentum quod ipſamet virgo ſancta fatebatur ſe habuiſſe a Domino in principio domeſticæ converſationis ſuæ cum eodem. Dicebat enim ſibi Salvator: Filia, volo diſcas « quis ego ſum, & quæ tu es. Ego enim ſum « qui ſum. Tu vero es quæ non es. Si hæc « B duo bene noveris, beata eris, nam ſemper « eris humilis & obediens mandatis meis, cog- « noſcendo me eſſe creatorem & Dominum, « te vero creaturam & inutilem ancillam Do- « mini tui. Per hanc doctrinam evades omnes « laqueos inimici, cujus exercitium & ſtudium « eſt ſemper ſuadere mentibus incautorum re- « putationem & amorem proprium ſui ipſius « uſque ad contemtum mei. Per hanc vero do- « ctrinam cognoſces nihil eſſe a te. Si quid « vero es, hoc habes a me, & ſic debes ſem- « per te ipſam contemnere, & me ſemper ma- « gnificare. De hoc primordiali documento C a Salvatore noſtro ſacræ virgini dato, tamquam pro fundamento ſpiritalis ædificii habetur in legenda ipſius virginis, ubi etiam latius & clarius explanatur.

100. Illis etiam diebus, dum virgo in Redarguitur Piſis moram contraheret, quidam non parvæ quod reverentias ſibi reputationis vir inter ſpirituales perſonas, exhiberi patcognominatus A. Bianco, de civitate Caſtelli, tiatur.
audiens de tanto concurſu univerſali omnium ad ipſam ſacram virginem, & de honore & reverentiis quæ eidem communiter exhibebantur ab omnibus, zelo accenſus & motus, eidem ſanctæ virgini quamdam epiſtolam prolixam & bene dictatam deſtinavit, D in qua acute eam nimis reprehendebat, quia talia ſuſtinebat fieri circa ſe. Allegabat enim in contrarium geſta & documenta Salvatoris, doctrinam etiam & exempla ſanctorum, ſubjungendo etiam quod talis modus vivendi videbatur eſſe periculoſus & potius vituperandus quam commendandus. Hortabatur etiam eam ut fugeret publicum, & ſolitudinem quæreret, concludendo quod illa eſt vita ſanctorum, iſta vero hypocritarum & propriam laudem quærentium. Hæc E epiſtola pervenit primum ad manus fratris Raymundi confeſſoris jam dicti. Qua perlecta, tam ipſe quam ego qui præſens eram, ira permoti contra ſcribentem, putantes quod non ex caritate, ſed ex æmulatione, & quod ſtimulo invidiæ agitatus ſic ſcriberet, conferebamus ad invicem dicentes quod bonum eſſet dictam epiſtolam ipſi ſacræ virgini non præſentare, ſed contra illum reſcribere, & ipſum tamquam temerarium & ſpiritalis vitæ ignarum acriter redarguere. Sic diu nobis muſſitantibus, & quandoque inter

nos vocem altius elevantibus, perpendit virgo ſacra quæ a nobis erat non valde remota, nos ira eſſe non commotos. Quare ad ſe illico vocari fecit. Audita autem cauſa noſtræ turbationis, ait: Date mihi litteram ut legam eam. Frater vero Raymundus nolebat eam ſibi tradere, intendens facere quod primitus dixeramus. Ipſa vero dixit: Et ſi mihi illam non vultis dare, ſaltem ex quo mihi dirigitur, debeo eam audire. Legit ergo litteram illam frater Raymundus, ipſa ſacta virgine audiente. Cumque coram ea contra ſcriptorem illius litteræ ambo pariter fremeremus, ipſa nos benigne redarguens ait: Vos una mecum deberetis regratiari ei qui hanc litteram miſit, cum videatis quod tam dulciter & aperte de ſalute mea me admonet. Qui etiam timens ne in via Dei decipiar, contra verſutias inimici mei tam provide cautam reddit. Unde vos & ego obligamur caritati ſuæ. Volo ergo habere litteram iſtam, & reſpondere ac regratiari ſibi: quod & fecit laudabiliter & virtuoſe nimis, prout clare patet litteram illam legenti. Cum autem frater Raymundus adhuc inſtaret quod volebat & ipſe reſpondere & increpare illam: ipſa omnino prohibuit torvo vultu, redarguens nos de tanta impatientia, & quia opus bonum interpretabamur in malum. Sic ergo verbo pariter & exemplo quotidie nos retrahebat a vitiis, & ad virtutum actus & opera dulciter confortabat. Quamquam ego, ut non ſine mei rubore & verecundia dixerim, velut terra arida de tam fluenti & aperta cœleſti doctrina, quam operum exhibitio confirmabat, pene nullum boni operis fructum protulerim. In aliis tamen plurimis utriuſque ſexus perſonis, non ſic evenit. Nam ex illis multi velut terra bona fructus uberrimos bonorum operum reportarunt, quorum nomina hic inſerere gratia brevitatis omittam. Et etiam quia de multis talibus in legenda ſpecialis fit mentio. Præmiſſa ergo ſunt illa quæ mihi ad præſens occurrunt ſupplenda, poſt per me narrata in ſupradictis atteſtationibus meis. Et hæc ſufficiant quoad primum principale.

Erga reprehendentem quam bene affecta.

101. Quo vero ad ſecundum principale, ubi videlicet dicitis quod quædam quæ in atteſtationibus meis jam dictis narro, videntur contradicere narrationi legendæ de eiſdem rebus, præcipue de reſtitutione famæ factæ per dominam Andream, quam ego ſcripſi fuiſſe factam poſt epotationem illius ſpurciſſimæ ſaniei. In legenda vero, ut dicitis, continetur quod cauſa retractationis dictæ infamiæ fuit viſio quædam oſtenſa dictæ Andreæ.

102. At reſpondeo primo, quod narratio mea prædicta non contradicit legendæ, licet non faciam mentionem de illa viſione. Sæpe enim in evangeliis reperitis quod eamdem hiſtoriam evangeliſta unus narrat extenſe, alius vero eamdem narrat truncate. Ejus rei exempla hic inſerere omitto gratia brevitatis, & etiam quia nota ſunt evangelia legere conſuetis. Nec tamen ex hoc dicuntur ſibi invicem contradicere, ut clare docet Auguſtinus in libro de Concordia evangeliſtarum. Secundo reſpondeo, quod recordor de viſione illa me illis temporibus audiviſſe. Sed quando ſcripſi prædictas meas conteſtationes, pro tunc meæ memoriæ non occurrit: nec mirum, cum tranſierint anni quadraginta, & forte ultra, ex quo audivi: oblivio vero ſit naturaliter concomitans ſenectutem. Licet ergo ego viſionem illam non inſeruerim narrationi meæ, tamen illam non negavi, quod eſſet contradicere legendæ; nec nego, ſed affirmo. Similiter ſi legenda narrat illam infamiam eveniſſe tempore infirmitatis dictæ dominæ Andreæ: ego vero in narratione mea prætendo infamiam eamdem præceſſiſſe tempus infirmitatis ejuſdem Andreæ, puto me ſcripſiſſe veritatem, quia alia fuit occaſio dictæ infamiæ, quam illa quæ ponitur in legenda, quam narrare omiſi & omitto, eo quod nimis eſſet longa narratio, & utilitas nulla. Nec ob hoc contradico legendæ, quia poſſibile eſt quod ſicut ante infirmitatem ſuam ſacram virginem infamavit, ut ego narro; ſic & tempore ſuæ infirmitatis iterato ſimile fecerit, ut narrat legenda.

103. Ad id vero quod dicitis de motivo primi tranſitus ipſius virginis ſacræ ex hac luce, nullam invenio repugnantiam dictorum meorum contra narrationem legendæ. Nam in legenda dicitur, quod ex violentia divini amoris crepuerit cor ejus, & ſciſſum eſt a ſummo uſque deorſum, & ex hoc mortua eſt. Ego vero in atteſtationibus meis idem dico, ſed non eodem modo narro, nec ita compte ſicut in legenda. Ex hoc tamen nulla ſequitur contradictio.

104. Cum vero tertio dicitis, quod narratio mea de ſtigmatibus videtur contradicere narrationi legendæ, ex eo quod ego ibi dico dictos dolores cum doloribus aliarum paſſionum ipſius virginis, videlicet capitis, pectoris, & iliorum perſeveraſſe in ea uſque ad finem vitæ ipſius. Legenda vero narrat, quod ad inſtantiam filiorum & filiarum ipſius in Chriſto, ipſa rogavit Dominum, ut, ſi eſſet pro meliori, removeret ab ea dolores illos ſtigmatum, qui tam diri erant, quod neceſſario infra paucos dies vitam ejus corporalem violenter extorſiſſent, & ſubdit legenda, quod exaudita fuit, & quod vulnera illa non affligebant corpus, ſed potius confortabant. Hic ego dico quod dictum legendæ credo eſſe verum, & ſic fuiſſe affirmo, quia præſens fui ibidem, quando illa omnia ſic acta fuerunt, ſicut legenda narrat. Potuit tamen eſſe, ſervata ſupradicta veritate legendæ, quod dolores illi tam diri & acerbi fuerint precibus ejus a Domino mitigati,

quod ex hoc dicebantur non affligere corpus, ſed potius confortare, quemadmodum tepidus in comparatione excellenter calidi, apparet frigidus, licet non ſit. Sic ergo ex quo mitiores erant, videbantur ſibi dolores illi non diri & acerbi, ſed dulces & conſolatorii, ſicut de doloribus aliarum paſſionum jam dictarum accidebat ſibi. Nam ut in atteſtationibus meis dixi in capite quod incipit, *Conſiderans igitur virgo ſancta*, ipſa pro quodam refrigerio animi ſui contra tædium quod procedebat ex prolongatione incolatus vitæ præſentis, petivit a Domino, ut pro munere donaret ſibi paſſiones jam dictas: quas cum impetraſſet, & graviter cruciaretur, non erat triſtis, nec turbulenta, ſed hilaris & jucunda, ut ſequitur ibidem. Legenda etiam in eodem 6. cap. 2. partis aſſerit hoc idem, videlicet quod petivit a Domino ſibi dari pro munere ſingulari paſſiones omnes prædictas. Et ſic manifeſte apparet, quod dolores illi non affligebant eam, ſed potius erant eidem refrigerium ſingulare, cum per dolores illos a Domino impetratos videret ſe ſuperamantiſſimo ſponſo ſuo Chriſto in pœnis aliqualiter conformari. Sic ergo & non affligebant corpus intolerabiliter, videlicet ut prius, quin potius confortabant, ex redundantia ſpiritualis gaudii quod in mente generabant. Sic ergo fortaſſe, ut ſcripſi, permanebant dolores illi in corde ejus uſque in finem vitæ illius, taliter tamen mitigati. Et ne mea hæc interpretatio videatur nimis extranea, ſimilem locutionis modum invenietis in prædallegato 6. capite, ubi ultra medium dicti capituli ad litteram ſic habetur. *Ad cujus probationem ſive indicium dicebat ceteros dolores in ſuo corpuſculo pertranſiſſe, illumque tantummodo remanſiſſe.* Et ſtatim ſequitur: *Unde quamvis continue pateretur dolores iliacos & dolorem capitis inceſſanter, hunc tamen dolorem vehementiorem eſſe dicebat.* Poſſet etiam forſitan non incongrue & aliter reſponderi, videlicet, quod non omnia & ſingula verba illius vel alterius cujuſcumque legendæ ſic ſunt libranda & ponderanda, ac ſi eſſent verba ſacramentalia, aut evangelica, quibus nec unum iota vel apicem addere vel mutare cuicumque licet.

105. Perpendo autem quod ordine præpoſtero ad legendam quædam hic ac etiam in atteſtationibus meis ſæpedictis ſcripſi: qui error tolerandus eſt, dummodo permaneat veritas facti. Nam & evangeliſtæ quandoque ſic narrant geſta Domini Salvatoris, ut per B. Auguſtinum patet in prædallegato libro. Non ergo vos vel alius quicumque debetis ſcandalizari, immo nec mirari, ſi varie legenda aliquid narrat, & ego vel alius quicumque, dummodo in narratione non ſit realis contradictio. Et hæc ſufficiant quoad ſecundum principale.

106. Quo vero ad tertium principale,

A videlicet quod illa mea narratio in ſuo fine videtur vobis potius ex abrupto truncata, quam fine debito terminata. Fateor etiam mihi ſic apparere. Sed importuna ſollicitatio veſtra, & opportunitas fidelis nuntii, qui ad ſibi tradendum ſcripturam illam me infeſtabat, ruſticitatem & ignaviam meam aliqualiter excuſat. Ut ego nunc aliqualiter ſuppleam quod tunc omiſi truncate nimis, notandum quod multa alia miranda curationum corporalium opera memoriæ meæ recurrunt per ſanctam virginem perpetrata, ultra illud quod in atteſtationibus meis fa- B ctum circa dominum Matthæum ultimo narravi. Nam occurrit mihi qualiter & eodem tempore tam fratrem Raymundum quam adhuc me miraculoſe de eodem morbo peſtifero liberavit; ac etiam de reſuſcitatione genitricis ejuſdem ſanctæ virginis facta meritis & orationibus ipſius: quam, ſi me non fallit memoria, ab ipſa virgine ſancta recitante cognovi. Certus vero ſum quod a fratre Thoma confeſſore ipſius audivi, & ab aliis ſororibus quæ reſuſcitationi præfatæ præſentes fuerunt, de quibus ſit mentio in legenda. C Cum enim eſſem quotidianus ſocius ipſius fr. Thomæ confeſſoris prædicti, nihil mihi occultabat, ſicut nec ego ſibi. In proceſſu etiam temporis per ipſam ſanctam virginem datus ſum in ſocium continuum fratri Raymundo confeſſori ipſius virginis, qui & ejuſdem legendam poſtea compilavit. Recordor etiam de miraculoſa curatione Nerei Laudocci de Paglarenſibus, & Stephani Currani de Maconibus, ambo de Senis, quos beata virgo in Janua mirabiliter liberavit, ut latius ſcribitur in legenda. Eram enim tunc præſens, quando cum ipſa ſancta virgine & prædictis duobus juvenibus & aliis multis, qui erant D de familia ipſius virginis numero XXI. & ultra, ut puto, habitavimus per menſem in civitate Januæ in domo cujuſdam nobilis & devotæ matronæ, quæ dicebatur domina Orietta Scota, & quæ in civitate illa erat magni nominis & famæ communiter apud omnes. Et quia de his & multis aliis curationibus morborum corporalium per ſanctam virginem factis & mihi notis in legenda fit extenſa narratio, ideo gratia brevitatis pertranſeo. Unum autem tantummodo narrabo, aliis omiſſis, in quo uno multa mirabilia & merito notabilia continentur. Cum enim E Romæ ipſa graviſſime ægrotaret, de quo languore anima ejus de corpore ac de præſenti ſæculo nequam educta eſt, ego cum tunc temporis eſſem prior in conventu Senenſi ordinis mei, per provincialem meum Romam miſſus fui pro quibuſdam negotiis ordinis exequendis. Ex obedientia igitur iter arripiens, ſabbato ſancto Paſchæ circa horam veſpertinam Romam perveni. Statim ergo acceſſi ad domum ubi ſancta virgo manebat, cupiens eam viſitare, ignorans tamen

Multorum infirmitates curat.

De ultima ejus ægritudine.

eam decumbere. Cumque intrassem domum ubi manebat, notificatum est mihi de gravi infirmitate ipsius. Mœstus ergo ad eam intravi. Inveni autem eam jacere super tabulas quas ambiebant tabulæ ad mensuram corpusculi ejus in longum & latum. Verum tabulæ supereminebant paleis, ita ut videretur quasi sepulta in defosso loco. Accessi ad lectulum credens more solito posse familiariter loqui cum eadem. Cum ergo appropinquassem, vidi corpusculum illud taliter attenuatum, quod ossa singula & nervi facile enumerari valebant. Sic erat squalidum quasi longo jam tempore solis ardoribus fuisset adustum, cum consuevisset esse competenter formosum. Quo ego viso stupui, & dolore cordis percussus gemebunda voce
» cœpi eam vocare, dicens: O mi mater, quo-
» modo est tibi? Quæ me viso, lætificata re-
» spondere voluit, sed non valuit, nisi tam de-
» pressa voce, quod ipsam intelligere nulla-
» tenus valui, quare inclinavi aurem meam
» juxta os ejus. Et sic cum difficultate intel-
» lexi ipsam mihi respondentem & dicentem
» quod bene sibi erat per gratiam nostri dul-
» cissimi Salvatoris. Notificata ergo sibi per
» me causa mei itineris, subintuli & dixi ei:
» O mater, cras Pascha Domini est, volo ego
» cras celebrare hic, & tam tibi quam etiam
» filiis tuis Corpus Domini ministrare. Ipsa
» vero respondit: O utinam placeret dulcissi-
» mo Salvatori nostro quod possem commu-
» nicare! His dictis, discessi. Mane vero se-
quenti accessi, perficere optans quod sero præcedenti promiseram me illo mane facturum. Accessi ad eam auditurus ejus sacramentalem confessionem, sicut fueram hactenus consuetus. Confessa est ut potuit, sed verba intelligere non valebam, nisi inclinassem aurem ad os ejus, sicut sero feceram præcedente. Audita autem confessione ejus, & facta per me absolutione, licet non sperarem quod posset Corpus Domini recipere, sicut nec aliquis nec aliqua de filiis & filiabus suis sperabat, quia per multos jam dies jacebat immobilis, quod nullatenus poterat non solum se totam movere, sed nec pedem aut manum mutare. Tamen pro pœnitentia injunxi sibi ut rogaret sponsum suum quod in tanta solemnitate tam sibi quam nobis concedere dignaretur tantum gaudium, videlicet quod ipsa cum filiis & filiabus suis communionem reciperet illo mane. His peractis, accessi ad altare, quod prope prædictum lectulum situm erat, hostias præparavi, ut erat expediens, tam pro ea quam pro nobis, licet pro ea modicam spem haberem. Manebat enim sic immobilis sicut prius. Legi missam meam, sed usque ad sumtionem Sacramenti illa immobilis permanebat. At peracta mea communione, & ablutione tam oris quam digitorum, ut est moris, stupentibus cunctis qui aderant, & præ gaudio plurimis ex eis lacrymantibus, ipsa subito per seipsam absque ulla difficultate de sepulcro, ut ita dixerim, corpusculum illud emortuum secum ferens, ad altare pervenit: ubi reverentissime genuflexa, oculis clausis, & brachiis cancellatis, stetit donec sacram Eucharistiam dedi ei, & vinum ad os abluendum, ut est de more, porrexi. Quo accepto, aliquamdiu absorpta a corporis sensibus stetit, sicut fuerat hactenus in tali actu quotidie assueta. Cum vero post extasim talem sibi semper post communionem consuetam restituta esset sensibus, sic est facta immobilis sicut fuerat prius, nec valuit per se redire ad lectulum, sed manibus spiritualium filiarum suarum illuc fuit deportata, pariter & locata. Licet autem sic esset immobilis, ut dictum est, concessum tamen sibi fuit a Domino pro aliquali refrigerio animi sui, totis illis paucis diebus quibus postea fui in Roma, ut taliter posset loqui, quod clare audiebam & intelligebam verba sua. Tunc aperuit mihi indicibiles molestias & corporales pœnas a dæmonibus sibi inflictas: ex eo videlicet quod ardentissimo nimis desiderio orabat quotidie pro pace sanctæ ecclesiæ. Optabat etiam & petebat a Domino puniri in corpore suo pœnis debitis pro peccatis illorum qui erant causa tanti mali, videlicet schismatis contra summum pontificem URBANUM VI. quem ipsa asserendo dicebat indubitanter summum esse pontificem. Addebatque: Pro certo te-
« neatis, quod si contingat me nunc mori,
« nulla alia causa est mortis meæ, nisi vehe-
« mentissimus ardor & zelus qui comburit cor
« meum & consumit medullas ossium meorum
« pro ecclesia, pro cujus liberatione libenter
« hoc patior, & mortem subire promto ani-
« mo sum parata. Hæc & multa alia tunc col-
« loquendo narrabat, quæ omnia in legenda latius explicantur, ideo pertranseo. Post paucos vero dies expeditis negotiis pro quibus missus eram, sollicitabat me socius ad recessum; ego vero dissimulabam. Tandem ipso me importune sollicitante, de hoc contuli cum eadem. Ipsa vero respondit, quod conveniens nimis erat, quod tunc reverteremur ad eum qui miserat nos. Tunc adjeci: Quo-
« modo, mater, possum ego recedere, & de-
« serere te in extremis laborantem, cum si es-
« sem in remotis partibus, & hoc scirem, me-
« rito deberem, omnibus omissis, statim oc-
« currere, & venire ad te? Et adjeci: Nulla-
« tenus recedam nisi videam te taliter conva-
« luisse, quod merito possim sperare te de hac
« infirmitate posse evadere. Ipsa vero dixit
« mihi: Fili, tu nosti quod refrigerium mihi
« est habere mecum filios quos donavit mihi
« Dominus, quos diligo in veritate, & quod
« consolatio non parva mihi esset, si placeret
« dulcissimo Salvatori nostro, præsentia patris
« mei fratris Raymundi & vestra; sed placet
« sibi quod sim privata utroque. Cum ergo
« velim

Prædicit Raymundi electionem in generalem.

» velim non meam, ſed ſuam voluntatem im-
» pleri; expedit quod vadatis. Et quia de pro-
» ximo, ut noſtis, debet celebrari capitulum
» generale ordinis veſtri in Bononia pro ele-
» ctione magiſtri facienda, volo quod vadatis
» illuc, & ibi eligetur pro dicto officio pater
» meus frater Raymundus, cum quo volo ſitis,
» & ab ejus voluntate numquam recedatis. Et
» hoc quantum poſſum vobis mando. His au-
ditis, reſpondi me facturum omnia, quæ mandaverat, dummodo eam viderem prius convaluiſſe, ut prius dixeram. Et adjeci: Si
» Domini voluntas eſt, quod, ut dicis, va-
» dam; roga eum quod antequam recedam,
» videam te convaluiſſe. Quæ reſpondit ſe Dominum rogaturum. Fecit ut promiſerat, & ecce die ſequenti cum veniſſem ad eam, ſic ipſam inveni hilarem & jucundam, ſicut retroactis temporibus cum iliacos patiebatur dolores læta jacebat. Ego hoc videns lætus ad eam acceſſi. Ipſa vero quæ, ut prius dictum eſt, prius erat immobilis, brachia ſua extendens tam dulciter amplexata eſt me, quod ſi bene recolo, præ gaudio lacrymas emittere ſum coactus. Ex tunc ergo ipſa ſecundum Domini voluntatem, iterum me hortari cœpit ad receſſum. Ego vero, ut cum Propheta mihi liceat loqui, a Domino ſeductus deliberavi iter arripere. Receſſi igitur; ſed poſtquam perveneram ad conventum meum Senenſem, notificatum eſt mihi per litteram ab uno filiorum ejus, quomodo ea die non diu poſt receſſum meum, ipſa redacta eſt ad eumdem ſtatum, id eſt ad corporis & membrorum immobilitatem ſicut prius fuerat. Inde vero ad paucos dies, ut legenda narrat, feliciter tranſivit ex hac vita moribunda & valle miſeriæ, ad diu deſideratos dulces amplexus ſponſi ſui.

107. Circa finem verò vitæ ſuæ, quam ſancte & quam laudabiliter in omnibus ad ſe & ad ſuos pertinentibus ſe habuerit, novi ego ex auditu ab his qui ibi præſentes fuerunt; ſed quia in legenda ordinate & latius enarrantur, hic pertranſeo. Verum poſt tranſitum ipſius virginis adveniens ego Romam poſt plures annos, cum die quadam familiariter loquerer cum venerabili viro domino Thoma Petra de regno Siciliæ oriundo, S. R. E. & domini papæ notario, qui multis annis eidem virgini fuerat familiaris, in noſtra locutione incidit ſermo de eadem, de qua cum ipſe multa laudabilia enarraſſet, quæ de ea noverat tam tempore vitæ ipſius, quam etiam tempore mortis ejus, ac etiam plura mirabilia, quæ poſt tranſitum ipſius contigerant; quia ipſe præſens omnibus prædictis extiterat, & de quibus omnibus in legenda fit mentio. Poſt multa, ut dictum eſt, enarrata ſubintulit narrans de ſeipſo. Dicebat enim ſe ab ejus felici tranſitu die trigeſima vel circa habuiſſe de ea mirabilem pariter & devotam viſionem, quam tunc mihi enarravit. Poſt

A plures vero annos cum eſſem Venetiis & ipſe Romæ degeret, per meas litteras ipſum adjuravi, quatenus dictam revelationem redigere dignaretur fideliter in ſcriptis, & mihi tranſmittere. Quod ut noſtis fecit. Cujus tenor de verbo ad verbum hic ſequitur.

Revelatio ſeti ſtatus S. Catharinæ.

108. Exigit, venerabilis magiſter, ſanctæ tuæ venerationis hortatus, edici tibi ad Dei gloriam & honorem, quæ fuerit & quomodo proceſſerit revelatio illa ſanctiſſima ſuper omne quod in hac vita obtineri valeat pretioſa, de ſtatu felicis animæ Chriſti ſponſæ Catharinæ Lapæ de Senis in conſortio agminum beatorum. Cumque non ſit extinguendus ſpiritus veritatis, nec tantæ rei lux ſub modio abſcondenda, ne talis abſconſio mihi præjudicet apud Deum, ſitque, quod abſit, meæ detrimentum ſalutis, ipſum conteſtor Deum & tremendum Dei judicium me veritate puriſſima relaturum, in quantum rememoratio fragilis texti temporis infra, quo cum felicis recordationis URBANO VI. ſummo pontifice plurima vitæ pericula pertuli, ſuffragatur. Dum ergo dicta virgo ageret in extremis, integri tamen adhuc ſenſus exiſtens, accerſitus & exoptatus viſitare ipſam, cum eſſet mihi Chriſti gratia ſtrictaſatis filiatione conjunctaque affectu puriſſimæ caritatis adeo quod me patrem ſuum vocaret. Acceſſi & eam reperi in hortulo domus quondam Paulæ de .... almæ Urbis ſuper quadam aſſide ſatis debilitatam jacentem, & aio: Mater, videtur quod ſponſus tuus « Chriſtus vult te vocare ad ſe a vita præſenti, « diſpoſuiſtine aliquid pro tali diſceſſu? At illa « quid poſſum diſponere paupercula nihil ha- « bens? Ad quam ego poteris ordinare nobi- « liſſimum teſtamentum dando modum vi- « vendi poſt tuum tranſitum ſequentibus te. « Et ego volo id agere propter Deum. Et ipſi « obedient hujuſmodi tuæ voluntati. At illa, « placet, & faciam cum gratia JESU CHRISTI, « Quod ſtatim poſtmodum complevit, & ob- « ſervata eſt voluntas ejus. Aio iterum: Ma- « ter, peto propter Deum, ut id quod ſecun- « do jam petam mihi annuas amore Chriſti, « quod videlicet ſtringas te ex nunc cum tuo « ſponſo CHRISTO JESU, pro obtinendo gra- « tiam oſtendendi mihi ſtatum animæ tuæ poſt « diſceſſum. At illa: Impoſſibile hoc videtur. « Nam anima quæ eſt in alia vita, aut eſt ſalva, & tunc ob perfectum gaudium ſummi « boni miſeriarum vitæ hujus oblita eſt, alio- « quin id bonum perfectum non eſſet: ſi vero « damnata ſit, ob infinitam pœnalitatem con- « ſolationem hanc obtinere nequit. Quod ſi « in purgatorio ſit, de utroque participat, & « cum quælibet partium prædictarum id im- « pedire per ſe potens ſit, multo magis tertia « iſta. At ego: Non veni diſputaturus cum « Spiritu-ſancto, nec puto te in his excludere « potentiam ejus. Confido in Deum, ideo « peto; tu vero, ſi placet, ulterius non in- «

» ſiſtas, nec differas mihi promittere quod
» confidens avide poſco. At illa annuit, re-
» mittens ſeu committens ſe gratiæ Chriſti, &
» me ſibi obnoxium commendans, & paulo
» poſtmodum *expiravit*. Elapſis autem octo
diebus poſt ejus diſceſſum, ſummo diluculo
venit ad me *vir magnæ reputationis in ſan-*
ctitate, Johannes Piſanus nomine, tunc vi-
vens, & tacto oſtio *cameræ*, quam cito ape-
» rui, inquit autem: Venit ad te Catharina de
» Senis? Ad quem ego, quomodo poteſt ad
» me venire, cum jam obierit diu eſt? At ille:
» Scias quod venit ad te; & verſo capite abiit,
nec vocatus ultra ſe vertit; ſed protinus ab
audiendo diſceſſit. Sic alter huiuſmodi teſtis
egit per omnia altero mane. Sic tertius ter-
tio mane, & ſic de ſingulis uſque trigeſi-
mum vel circa diem. Et omnes erant ſimi-
liter Deo devoti & perſonæ magnæ devo-
tionis & ſanctæ vitæ. Unde ex tanta confor-
mitate exiſtimo hos angelos Dei fuiſſe, qui
ſe transformaverint in ſpecies mihi notarum
ſupradictarum perſonarum ad me magis cer-
tificandum. Die autem trigeſima prima vel
circa, Dominicus dies erat, perlectis noctur-
nis poſt mediam noctem, poſui me ad quieſ-
cendum, & ecce circa crepuſculum in cœ-
lum ſereniſſimum & apertum receptus, vidi
maximam multitudinem ſpirituum beato-
rum proceſſionaliter incedentium in albis ve-
ſtibus de more diaconorum aſſiſtentium præ-
lato ſuo ſolemniter celebranti, excepto quod
ſtolas habebant more preſbyterorum, ibantque
trigeni & trigeni per totum amicti ſtolis, defer-
tes extenta pallia, ſupra dictam Catharinam &
ſanctas reliquias, cruces, candelabra argentea
cum accenſis cereis ſive faculis ceræ virginis
& albiſſimæ, ornamenta altarium, litteras,
quinternos, & alia ſuaviſſima inſtrumenta,
cantantes per ſingulas acies diverſas laudes,
utpote *Kyrie eleiſon* novies. *Gloria in excelſis*,
Sanctus, *ſanctus*, *Benedictus*, *Te Deum lauda-*
mus. Ego vero ex his quamvis propter ma-
gnitudinem ad primum ſtupens, tamen pro-
miſſi memor effati, reſumtis animi viribus,
quemdam ex illis angelis tangens aio: Quid
» agitis? At ille: Conducimus animam Ca-
» tharinæ de Senis ante conſpectum divinæ Ma-
» jeſtatis. Et dum ille cum pluribus ſequentibus
» pertranſiſſet, alium tangendo, inquam: Ubi
» eſt illa? At ille perinde me intellexit, immo
totus chorus abſque alio quæſito, in tantum
voti mei informatus eſt. Mira res, quod ape-
riens ſe chorus ipſe in modum alarum ad
longiſſimum ſpatium, qui prope eam erant,
ſegregaverunt ſe in modum circuli, dimiſſa
ea in centro ſola induta omnimode ſicut ipſi.
Habebat tamen in ſuo circuitu formæ alium
circulum, ſicut pingitur Salvator in tribu-
nalibus eccleſiarum. Manus autem ejus com-
ploſæ erant palmis ad ſuperiora circa pectus
verſus mentum ſuum. Caput vero & oculi
proclivi erant, quaſi veſtigia ſua inſpiceret.

A Tunc ego, ea bene recognita, quoad for-
mam corporis, non quoad vultum, oro Deum
omnipotentem, ut hanc dignetur perficere
viſionem, & animam meam conſolari de
certa notitia vultus illius. Et ad ſubitum exau-
ditus, elevans ipſa caput, & viſum me cum
amœna quadam grati ſubriſus ſanctæ ſuæ
conſuetæ ac perpetuæ alacritatis hilaritate
inſpexit, & illico viſu reflexo, acies chori di-
recta, ut prius, cum hymnis & laudibus ſua
iterum officia perfecerunt. Egoque excita-
tus, indutus eram, & lumen habebam in
B camera, ſubito cum multa jucunditate ſurre-
xi, gratias agens Deo, viſionem notavi,
& ex tunc de tam ingenti gratia perpetuo
conſolatus nihil curavi, vel curo quomodo
degam in dies, niſi ut poſſim placere Deo,
nec expavi tormentum regum & adverſario-
rum Eccleſiæ, eorumque turbam contrariam
veritati; ſed ſecutus ſum in periculis URBA-
NUM VI. ut plene noſtis, & cum eo obſeſſus,
cujus liberationem a carcere procuravi, om-
nia prava conſilia contemnens, eum pericu-
C lare vel ſolum relinquere in maribus æmu-
lorum effugi. Ex quibus in campo præconi-
zatum eſt, ut quicumque me traderet hoſti-
bus vel vivum vel mortuum quacumque
morte præter naturalem lucraretur ſex millia
florenorum, & tamen præcones captum a
noſtris gentibus & ſagittis expoſitum liberavi.
Sic me Deus adjuvet, & faciat me participem
ſuavitatis effatæ. Vale Deo & ora pro me.
Romæ in lare proprio regionis Parionis ulti-
ma die totius anni 1402.

109. Hæc ergo pauca per me noviter ſu-
peraddita atteſtationibus meis ſupra ſæpius
nominatis, ſi vobis non ſufficiunt, patien-
D tiam habeatis & in caritate ſupportate im-
perfectum meum quo undique circumdor,
& premor valde. Si vero vel aliqualiter vo-
bis ſatisfaciunt, gratias agite Deo, a quo
omne bonum, & ſine quo nullum. Cui laus,
honor, & gloria, per infinita ſæcula ſæcu-
lorum. Amen.

Sequuntur ſubſcriptiones notariorum in for-
ma publica & ipſius fratris Bartholomei, quas
gratia brevitatis omitto.

110. Ulterius quoniam in ſupradicta in
principio hujus proceſſus deſcripta querela,
ſit mentio qualiter dominus epiſcopus Ca-
E ſtellanus etiam habere debeat aliquam infor-
mationem ab aliquo patre, ſive a patribus de
conventu S. Dominici de Venetiis, ſuper ma-
teriam celebritatis dictæ virginis factæ jam
& diu in dicto conventu: hinc eſt quod R.
P. frater Dominicus de Scrutari ordinis Præ-
dicatorum & actualiter prior dicti conventus,
in quo prioratus officio ibidem fuit jam anni
ſunt plures; cum audiſſet de ſupradicta que-
rela & quibuſdam aliis, tandem etiam in
particulari voluit informationem exhibere
de prædictis ſuprascripto domino vicario dicti
domini epiſcopi nedum ſemel, ſed pluries

oraculo vivæ vocis. Et ita fecit. Nec hoc ſibi ſuffecit, quia etiam idem facere voluit per ſcripturam, & non ſolum ipſe, ſed etiam omnes principales patres ſupradicti conventus S. Dominici ſe in ſcriptura dicti prioris manu propria ſubſcripſerunt. Quam ſcripturam ſuam cum aliis ſubſcriptionibus præfatorum patrum dictus prior præſentibus pluribus anno Domini ſecundum morem iſtius curiæ 1413. die 3. Januarii dicto domino vicario præſentavit. Cui ſcriptura præfata placuit, quemadmodum aliæ ſupradictæ, cujus ſcripturæ tenor talis eſt.

Sequitur hic ſupradicta ſcriptura cum aliis ſimilibus, quas omitto tranſcribere, quia repetunt eadem, quæ ſupra jam ſunt dicta atque confirmant.

111. Finaliter anno Domini 1413. ſecundum morem curiæ noſtræ die quinta menſis Januarii, indictione ſexta, die videlicet Epiphaniæ, convenientes venerabiles viri, qui fecerant jam eſt annus & ultra dimidium alterius querelas, de qua querela, & de quibus viris ſupra in principio hujus proceſſus facta eſt mentio, deliberaverunt iterum redire ad ſupradictum dominum FRANCISCUM BEMBO epiſcopum Caſtellanum de Venetiis. Et hoc quia cum dictus dominus epiſcopus ad petitionem ipſorum ordinaſſet requiri aliquas reverendas perſonas & patres, & ſignanter ordinis Prædicatorum, quæ & qui dare deberent veridicas informationes de vita virtutibus & doctrina B. Catharinæ de Senis, ac etiam de celebritate quæ de ipſa fiebat in conventu SS. Johannis & Pauli, & S. Dominici de Venetiis ordinis præfati Prædicatorum; & hoc plenarie factum eſſet, tam per dictum dominum epiſcopum, quam per ejus vicarium, cui dictus dominus epiſcopus idipſum commiſerat, obtinendo informationes præfatas non ſolum a fratribus Prædicatoribus, ſed etiam ab aliis diverſorum ordinum etiam exiſtentium a remotis; ac per hoc ego notarius dicti domini epiſcopi, & quidam alii oſtendiſſent præfatis viris informationes prædictas, ac de ipſis remanerent & eſſent plene contra quodvis dubietatis ſcrupulum quietati, & de veritate celebritatis ſupradictæ rite & debite obſervatæ, & conſimiliter de veritate ſanctitatis vitæ & doctrinæ & virtutum virginis juxta votum ſpecialiter informati. Et adhuc quomodo tam conventus ſupradicti ordinis Prædicatorum, quam etiam capitulum provinciale provinciæ S. Dominici de menſe Octobris celebratum determinaverit, quod dicta celebritas ſive commemoratio dictæ virginis eodem modo quo in atteſtationibus declaratur, ſemper fieri debeat in futurum quemadmodum factum eſt in præteritum, ac per hoc etiam ipſum qui querelam depoſuerant, modo conſimili eſſent cum fratribus Prædicatoribus prædictorum conventuum ad dictam celebritatem profe-

A quendam *totis affectibus* provocati, decreverant ad dictum dominum epiſcopum Caſtellenſem, ut dictum eſt, iterato accedere, atque me notarium infraſcriptum cum quibuſdam aliis ſecum adducere, ut videlicet ipſi domino epiſcopo de ſupradictis atteſtationibus, informationibus, & declarationibus per ipſum procuratis juxta ipſorum votum regratiarentur, ſeque eidem offerrent, ac etiam ab eodem impetrarent, quod ad dictam celebritatem memoriæ virginis decenter fiendam eo modo quo alias factum eſt, etiam ſuam auctoritatem interponere deberet, mihique notario infraſcripto imponeret, ut omnia ſupraſcripta in publicam formam redigere deberem: quæ omnia executioni mandata ſunt in omni meliori modo & forma, ut conſtat ex actis publicis in libro proceſſus deſcriptis, quæ gratia brevitatis tranſcribere omitto.

Sequitur deinde ſubſcriptio ſolita notarii ac nominatim teſtium.

112. Item poſt expeditionem ſupradictorum, ſit hæc legentibus etiam notum, qualiter quemadmodum pluries ſupra nominatus fr. Thomas Antonii de Senis ordinis Prædicatorum de conſilio ſupradicti domini vicarii epiſcopi Caſtellani, ſcripſit quampluribus hinc inde, ut occaſione ſupradictæ in principio hujus proceſſus querelæ aliquam informationem de vita & doctrina B. Catharinæ de Senis in ſcriptis publicis deberent dicto patri fratri Thomæ Venetias commoranti tranſmittere, & ſic factum eſt per plures, ut patet ex ſupradictis; ita etiam præfatus pater frater Thomas, prout mihi notario infraſcripto conſtat, de conſilio ejuſdem domini vicarii ſcripſit anno 1411. cuidam R. P. fratri magiſtro Angelo de Senis ordinis Minorum, cujus conteſtatio ſequitur, & eſt talis videlicet.

Conteſtatio fr. Angeli de Senis.

113. In nomine Domini noſtri JESU CHRISTI. Amen.

Noverint univerſi præſentes litteras inſpecturi, quod ego frater Angelus Salvetti de Senis ordinis Minorum, magiſter nomine in ſacra pagina, & lector actualis conventus majoris de Venetiis, ejuſdem ordinis Minorum, devotione actus illius B. Catharinæ de Senis, cujus precibus deſidero adjuvari, tum etiam ex veritate a quibuſdam mihi relata, quorum teſtimonio ſine ulla dubitatione in quibuſcumque etiam ordinis ſtandum arbitror, & finaliter adhærendum, propalare cogor ad laudem omnipotentis Dei, qui ſuis in ſanctis ſemper eſt mirabilis, ad reverentiam fidelium excitandam pariter & imitationem ejuſdem dictæ beatæ virginis, dignum duxi conteſtari quæ veridica relatione hinc inde, & pluries de ipſius vita miranda & doctrina ſibi divinitus data, mihi contigit audiviſſe, vidiſſe, vel quomodolibet alias cognoviſſe.

114. In primis cum eſſem in ſæculari habitu in civitate Senarum, per effectum cognovi & firma veritate per experientiam percepi ejuſdem virginis mirabilem efficaciam a Deo, qui dator eſt munerum, erga mutationem peccatorum non ſolum ſæcularium, ſed religioſorum, & cujuſcumque ſtatus ſingulariter habuiſſe. Eo namque tempore per colloquium quod ſecum habuit quidam beatæ memoriæ fr. Lazarinus de Piſis ordinis S. Franciſci, tanto Spiritus-ſancti calore remanſit ignitus, ut non ſolum omnibus rebus & librorum uſibus renuntiaret, verum etiam & omnem fratrum converſationem fugiens, ad locellos devotionis Columbariæ & S. Proceſſi ſe ſtatim tranſtulit, & ſi quando coactus gratia prædicationis exiret, verba in converſationem hominum velut ſagittas potentis ignitas ad penetrandum corda audientium non inaniter emitteret. Sed cum magno fructu animarum ejuſdem B. Virginis converſativa adhæſione cœperunt nobiles ejuſdem civitatis, ceteri cives, juvenes & ſenes quammulti utriuſque ſexus tot & tales animari ad Deum, ut ſortirentur nomen commune, quod uſque in præſens in laudem dictæ virginis remanſit, ſcilicet Catharinati.

115. Item, poſtquam indigne cœpi gerere habitum fratrum Minorum, converſationem frequentem habui cum Chriſtophoro Ghani de Senis ſcriba & fratre hoſpitalis S. Mariæ de Scala, viro magnæ caritatis, juſtitia pleno, & habituato mirabiliter in mentalibus elevationibus, cui omnium magnorum fides eſſet adhibenda, cum uſque ad mortem in vita ſanctitatis vixerit & irreprehenſibiliter. Ab eodem ſcilicet Chriſtophoro multa & miranda audivi, quæ de viſu mihi loquebatur, & aliquando compreſtitit mihi aliqua opera facta per eamdem virginem, vere Spiritu-ſancto dictante, cum ipſa eſſet illuminata, & aliquas ex ſuis epiſtolis mihi oſtendit, in quibus conteſtor, ſecundum id quod poteſt capere mens mea, quod non ſenſus feminei leviter exprimantur, vel humani, ſed Spiritus-ſancti, qui illos non ex ipſa, ſed per ipſam, ſicuti per acceptum ſibi ſuorum cariſmatum habitaculum mirabiliter expreſſit.

116. Item, poſt ſtudiorum curſus varios, hinc inde per Italiam aliquando rediens ad patriam ſecundum ordinis & ſtudentium morem, Domino volente, ſingulari fœdere amicitiæ vinctus fui cum beatæ memoriæ fr. Franciſco S. Petri, fratre ſupradicti hoſpitalis S. Mariæ de Scala, cujus vitæ ſinceritatem omnes dicunt Senenſes, fidelitatem tota proteſtatur communitas, cum introitum & expenſarum communitatis ſervare per plures annos uſque ad mortem creditur ſibi fuerit onus theſaurarius cujuſcumque facultatis. Tantæ enim veritatis vir iſte fuit, ut teſtimonium ſui verbi ipſe ego teſtimonio oculorum proprii cordis prætuliſſem. Ab eo multum aſſertive audivi pluries, quod in caſtro Belcaro prope Senas per tria milliaria dum celebraretur miſſa, vidit eamdem virginem corpore inſenſibili exiſtentem a terra elevatam, ut inter terram & fimbrias proprii veſtimenti meatus quantitatem diſtantiæ ab omnibus cum ſtupore concernerentur. Ex tunc ego cœpi detractoribus viriliter reſiſtere, & precibus devotiſſime meipſum fidenter ſanctæ Virgini, commendare.

Locus corruptus.

117. Item, ſenecturi non multum diſtans, multiſque ſedatis jam in me paſſionibus juventutis, lapſuſque in provincialatus officio, quo per quinquennium functus fui in provincia Tuſciæ, renuntiavi ejuſdem miniſteriatus officio; ad quietem me recolligere ſperans, reveni Senas quaſi jugiter manſurus, & viſitare cœpi monaſteria ſervorum Dei, & inter cetera ordinis Cartuſienſis. Dum vero hæc agerentur, contigit ut D. Stephanus dicti ordinis Cartuſienſis generalis rector, etiam ob ſui & humilitatem, & propter pacem & unionem dandam ordini ſuo, convenit cum generali alterius obedientiæ renuntiare officio generalatus, quod & factum eſt. Poſt quæ rediit ipſe Stephanus ad partes Italiæ, cujus factus fuerat viſitator, venitque Senas, cupiens me videre; ſed ego magis nullam percunctationem paſſus, acceſſi Pontinianum viſitationis gratia, & quibuſdam ſalutationibus factis, cœpit ipſe, ut ſolitus eſt, loqui de beata virgine Catharina, totus feſtivus ſemper vocans eam ſuam matrem, & non immerito, cum eſſet per eam novæ ſpiritu vitæ regeneratus, & lacte nutritus ſuæ ſpiritualis doctrinæ. Fuerat enim magno tempore ejuſdem virginis cancellarius & ſcriptor epiſtolarum, quas ſibi copiavit, quaſi ad omnem ſtatum, & mihi oſtendit. Ab ipſo fratre Stephano plurima audivi, quæ ipſam virginem commendant de ſpiritu prophetiæ. Et me dicente quod frater Franciſcus S. Petri de Senis viderat eam elevatam a terra, ut præhabitum eſt, cum riſu perlevi recepit, addens quod non ſemel, ſed pluries ſimiliter viderat. Et quod in Avenione per neptem papæ tunc ibidem degentem, agitata eſt dum eſſet in mentis extaſi, & non movebatur: vocata eſt, & non audiebat; compuncta eſt, & nullius punctura ad fugam converſa eſt. Adjecit pro teſtimonio ſanctitatis e multis unum, videlicet meram & ſubitaneam liberationem oculorum ſuorum. Diu enim, ut aiebat, concupierat habere ejuſdem virginis reliquias; tandem ſibi miſſus fuit reſidenti in Alemannia digitus manus ſuæ matris. Et cum diceretur ſive nuntiaretur ſibi de hoc munere tamdiu optato, reverenter ſuſcepit cum quodam inſolito gaudio, & tam acrem patiebatur oculorum gravitatem, quod nullo modo ſibi dabatur facultas ſcribendi, prout ſcribere ſolitus erat,

& ſuum exigebat generalatus officium. Suſcepto propriis in manibus in quodam ſatis decenti tabernaculo digito ſupradictæ ſanctæ virginis, mente interius exhilaratus, promit: Eia, mater mi, cujus gratia ſum reformatus, nunc indignus tua ſancta membra tangere promerui. Et hoc dicto, ab omni quam prius patiebatur oculorum infirmitate curatus eſt, ac ſi dulciſſimo liquore fuiſſet linitus, omnis abſceſſit dolor: quod percipiens flere cœpit pro devotione dicens: Hæc, mater, adjeciſti ad mei cordis concathenatam tibi vinculationem, ut bene ſis, ut meretur nomen tuum, cognita in terris.

118. Tandem in noviſſimis diebus vitæ meæ, quam ſemper fœdavi moribus contrariis, omni religione Venetias venire acceptavi.

Sequuntur alia plurima in commendationem fr. Thomæ de Senis ordinis Prædicatorum ſæpius ſupranominati, cum quo conteſtator iniit amicitias, ac teſtimonium de celebritate ſive commemoratione ſupradictæ S. Virginis quæ tunc Venetiis fiebat, ut dictum eſt. Poſtea terminat dicendo:

In quorum teſtimonium non ſolum ſupradicta, ut dictum eſt, propria manu ſcripſi, & hoc anno 1415. die 20. Martii, ſed etiam ſigilli mei impreſſione munivi.

CONTESTATIO

De ſanctitate vitæ & doctrina beatæ Catharinæ de Senis facta per venerabilem patrem D. Stephanum de Senis ordinis Cartuſienſis, de quo fit mentio ſupra.

IN nomine Domini noſtri JESU CHRISTI, & beatiſſimæ virginis MARIÆ.

Cum juxta dictum evangelicum nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt; & dignum ſit & congruum, ut illis adhibeatur honor, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter ſuffragantur, dicente Propheta: *Exultate juſti in Domino, rectos decet collaudatio.* Ea propter univerſis & ſingulis præſentes inſpecturis notum ſit & manifeſtum, quod religioſus & venerabilis P. D. Stephanus de Senis Dei gratia prior monaſterii S. Mariæ de Gratia ordinis Cartuſiæ prope Papiam ſiti, requiſitus per litteras, de quibus infra ſerioſius mentio habetur: omnibus jure, modo, via, & forma, quibus hæc melius fieri poſſunt, ipſis litteris infraſcriptis reſpondendo, ad hoc ut infraſcriptis major & plenior fides adhibeatur, infraſcripta ejus proprio ſacramento vera fuiſſe, fore, & eſſe affirmando in præſentia notariorum & teſtium infraſcriptorum dixit & proteſtatus fuit & eſt, ac dicit & proteſtatur, quod infraſcripta de vita B. virginis Catharinæ de Senis per ipſum in reſponſione facta prædictis litteris fuerunt ſinceriter, rite, & recte, & legaliter vera. Tenor quorum inferius per ſingula deſcribitur hoc modo, videlicet.

Venerando religioſo ſibique peramabili corde ſincero Fr. Thomæ Antonii de Senis ordinis Prædicatorum in conventu SS. Johannis & Pauli Venetiis immoranti, frater Stephanus de Senis prior, licet indignus, domus S. Mariæ de Gratia, Cartuſienſis ordinis prope Papiam, ſalutem in eo qui eſt omnium vera ſalus.

Litteras veſtras affectuoſe recepi, & attente perlegi, per quas me valde requiritis atque rogatis, ut juridicam informationem veſtræ caritati dirigere debeam etiam in publica forma, de geſtis, moribus, & doctrina famoſæ ſanctitatis virginis Catharinæ de Senis, cujus converſationem aliquando merui, dum ageret in humanis, ut aſſeritis; & præſertim occaſione cujuſdam querelæ factæ Venetiis in epiſcopali palatio circa celebrationem feſti ſive commemorationis ejuſdem virginis: quia multi credere recuſant veras eſſe virtutes, quæ de ipſa veridice prædicantur. Ut verum aperte fatear, facies ipſius virginis cum omni genere ſuo mihi & omni generi meo penitus ignota fuit, licet in eadem civitate Senarum oriundi fuerimus uſque ad annum 1376. vel circa, nec etiam illo tempore velut immerſus in fluctibus vitæ præſentis, ejus habere notitiam exoptabam, niſi quod æterna bonitas, quæ neminem vult perire, per hanc virginem animam meam de faucibus inferni liberare diſpoſuiſſet. Accidit igitur illo tempore ſine culpa noſtra nos incurrere quamdam guerram cum valde potentioribus nobis, in qua cum plurimi magni cives fuiſſent occupati atque fatigati, nullam omnino ſpem alicujus bonæ voluntatis vel pacis ab illis adverſariis noſtris habere potuerunt. Tunc ſancta virgo prædicta florebat quaſi per univerſam Tuſciam, & magnis operum præconiis a quamplurimis extollebatur, & opera valde miranda referebantur. Unde mihi ſuggeſtum extitit, quia ſi rogarem illam de tali negotio, ſine dubio pacem haberem, quia multa ſimilia fecerat. Quare conſilium habui cum quodam vicino noſtro viro nobili, qui longo tempore portaverat odium contra quoſdam, & poſtea pacem fecerat, ejuſque virginis converſationem habebat. Qui ſicut motivum meum audivit, illico reſpondit: Indubitatum habeas, quia nullam in iſta civitate perſonam invenies, quæ ſit aptior ipſa pro tali pace, ſubjungens: Ultra non differas, & ego te ſociabo. Viſitavimus igitur eam, quæ me recepit non ut verecunda virgo, ſicut exiſtimabam, ſed affectuoſiſſima caritate, velut ſi germanum a remotis partibus redeuntem

gratioſe recepiſſet. De quo fui mirratus, & attendens efficaciam ſanctorum verborum quibus me non tantum induxit, verum etiam compulit ad confeſſionem & ad virtuoſe vivendum, dixi: Digitus Dei eſt hic, & audita cauſa meæ viſitationis, abſolute reſpondit: Vade, fili cariſſime, confidens in Domino, quia libentiſſime laborabo donec habebis optimam pacem, & hujuſmodi pondus omnino ſuper caput iſtud habere me ſinas. Et ita poſtea rei probavit eventus, quia miraculoſe poſtmodum, ipſa mediante, pacem habuimus, etiam contra voluntatem ipſorum adverſatiorum noſtrorum. Et hoc omitto cauſa *brevitatis. Interim ego ſollicite* deſiderans hujuſmodi pacem, viſitavi pluries eam, & quotidie propter efficaciſſima verba ſua & exempla perfectiſſima, ſentiebam interiorem hominem in melius, conſcientia compellente reformari. Interim me benigne rogavit, ut aliquas epiſtolas, quas ore virgineo mirabili modo dictabat, ſcribere vellem: quod valde gratanter acceptavi, ſentiens *in me quotidie per novum fervorem* ad cœleſtia cor accendi, vilipendendo ſæculum & omnia ſua cum tanta diſplicentia vitæ priſtinæ, ut vix me tolerare valerem. Et tantam atque talem in me perſenſi mutationem, ut etiam ab extra temperari non poſſet, ita ut fere tota civitas miraretur. Et quanto plus attendebam vitam, exempla, & verba, & mores prædictæ ſacræ virginis, tanto majus augmentum in me percipiebam divini amoris atque ſæculi contemtus. Poſt modicum temporis præfata ſacratiſſima virgo mihi dixit in ſecreto: Noveris, fili dilectiſſime, quia cito implebitur majus deſiderium quod habeas. Quo percepto, fui aliqualiter ſtupefactus, quia neſciebam invenire quid in mundo vellem habere, immo potius omnia ſua recuſabam. Ideo dixi: Obſecro, cariſſima mater, quod eſt majus deſiderium quod habeam? Et ipſa: Quæras in corde tuo. Ad quam ego: Vere, mater amantiſſima, neſcio in me majus deſiderium invenire, quam eſſe jugiter juxta vos. Et illa ſubito reſpondit: Et hoc erit. Ego autem neſciebam intelligere modum qualiter commode fieri poſſet ita, propter diſſimiles conditiones & ſtatum. Ille vero, cui nihil eſt impoſſibile, per modum admirabilem ordinavit, ipſam ad Avenionem, videlicet ad dominum Gregorium XI. dirigere greſſus, & ita, licet indignus, acceptatus fui comes tam ſanctæ ſocietatis, parvipendens atque derelinquens utrumque parentem, germanos, ſororem, atque alios conſanguineos, me beatum reputans eſſe pro virginea præſentia & familiaritate. Poſt hæc vero ipſe ſummus pontifex venit ad urbem Romanam, ipſa virgine ſacratiſſima ſolummodo confortante, tamen ex divino præcepto, prout apertiſſime mihi conſtat. Denique præfatus ſummus pontifex eam deſtinavit pro factis eccleſiæ ſanctæ ad civitatem Florentiæ, quæ tunc rebellis erat eccleſiæ, ubi multa mirabilia Deus operatus eſt per eam, ut aliqualiter paret in ſua legenda. Et ibi adhuc ſecum eſſe merui. Tandem etiam fui *in* Roma ſecum, ubi poſt multos labores infatigabiliter ad honorem Dei deportatos, diem feliciſſime clauſit extremum in præſentia mea, quam & propriis manibus ad Minervam, videlicet Prædicatorum eccleſiam, detuli tumulandam, immo verius in capſa cedrina & honorabili tumulo conſervandam. Dum vero laboraret in extremis, ordinavit *cum aliquibus quid agere deberent poſt ejus* tranſitum. Poſtea faciem ad me vertens, ait digitum ſuum protendendo: Tibi autem in virtute ſanctæ obedientiæ præcipio ex parte Dei, ut vadas ad ordinem Cartuſienſem, quoniam ad illum ordinem te vocavit & elegit. Et videndo nos plorantes, ait: Filii cariſſimi, nullo modo plorare debetis, immo potius in Domino gratulari, & diem feſtivum agere, quia carcerem iſtum egredior hodie vadens ad amantiſſimum ſponſum animæ meæ. Vobis autem indubitantiſſime promitto, quod magis incomparabiliter vos adjuvabo poſtea, quam umquam adjuvare potuerim dum fui ſic incarcerata. Et ſicut ore promiſit, ſic opere perfectiſſime adimplevit, immo quotidie adimplere non ceſſat; & ut hoc aliquali pateat exemplo, proferam unum ad honorem Dei & ipſius virginis, quamvis ad verecundiam meam accedat: quia quando mihi præcepit ex obedientia Dei, ut irem ad ordinem Cartuſienſem, ego non optabam illum, vel etiam alium ordinem; ſed ex quo migravit ad æternas manſiones, in corde meo tale deſiderium juſſa perficiendi ſuccenſum extitit, ut ſi totus mundus mihi contradicere voluiſſet, ego non attendiſſem, ſicut experientia declaravit: ubi quantum & quid operata jam fuerit & etiam operetur cum filio ſuo, licet inutili, non eſt hujus temporis enarrare. Hoc autem intactum præterire non patiar, quia poſt Deum atque Beatiſſimam Virginem Mariam, ego magis me obligatum exiſtimo præfatæ ſanctæ virgini Catharinæ quam alicui creaturæ mundi. Et ſi quid boni foret in me, totum attribuo ipſi poſt Deum. Per ſupraſcripta comprehendi poteſt aliquibus annis habuiſſe me ſupra ceteros familiariſſimam converſationem ejus, litteras atque ſecreta ſua, & partem ſui libri ſcribendo, & ab ore virgineo percipiendo: quia ſupra merita mea me nimis affectuoſe caritate materna dilexit: ita ut multi filiorum ægre portarent, & quamdam æmulationem haberent. Ego tamen attente & cum diligentia magna conſiderabam verba, mores, & actus ejus in omnibus & per ſingula, & in paucis volendo multa concludere, ſuper conſcientia mea coram Deo & univerſa eccleſia mi-

litante veridice ſibi præbeo teſtimonium A iſtud, quia licet ego me peccatorem intelligam, tamen habui, elapſis jam annis ſexaginta & ultra, converſationem multorum & valde famoſorum ſervorum Dei, & numquam vidi vel etiam audivi a multis elapſis temporibus aliquem Dei ſervum, qui eſſet in omni virtute in tam perfectiſſimo atque ſupremo gradu. Quare merito reputabatur ab omnibus virtutum ſimulacrum & ſpeculum ſervorum Dei lucidiſſimum. Non habeo memoriæ umquam ab ore ſuo virgineo tanto tempore converſando ſecum verbum otioſum audiviſſe; ſed verba noſtra numquam B erant ſic inepte prolata, quin ipſa ſtatim ad aliquem ſpiritualem profectum adduceret. Semper & infatigabili corde loquebatur de Deo vel ad ipſum adducentia. Numquam dormiviſſet vel comediſſet, ſi auditores habuiſſet, ut experiebamur in ipſa quotidie. Si vero aliquando compellebatur facta ſæculi audire, vel ad ſalutem inutilia, ſubito rapiebatur in extaſim, & corpus ibi remanebat abſque ſenſu quocumque, velut in oratione ſua conſiſtens illo modo quotidie rapiebatur, ut ipſi vidimus, non dico centum vel mille vicibus, ſed valde pluries. Membra ſua C rigida remanebant inflexibilia: ita ut prius oſſa frangi potuiſſent vel a ſe disjungi quam flecti membra valuiſſent. Et pro veritate iſtius paſſus apertiſſime demonſtranda, ne forte aliquis æſtimare vellet ipſam ita ſimulatorie feciſſe, unum volo narrare geſtum in præſentia noſtra. Quando fuimus in Avenione, papa Gregorius XI. aſſignari nobis fecit unam pulcram domum cum ornatiſſima capella. Soror ipſius domini papæ tamquam devotiſſima domina, poſtquam aliquando locuta fuit cum ſupraſcripta virgine, ma- D gnam affectionem atque devotionem concepit ad eam, & inter cetera dixit in ſecreto magiſtro Raymundo confeſſori ſuo, quod valde optabat adeſſe quando ſacra virgo communicaret. Qui promiſit ei quod die Dominica futura ſibi notificaret: qua die veniente, hora tertiarum virgo ſancta capellam intravit abſque ſotularibus, ſed tantummodo cum pedulibus, & more ſuo rapta fuit in extaſim, communitare deſiderans & expectans. Quamobrem me vocavit magiſter Raymundus, & ait: Vade ad tale palatium, ubi moratur veneranda ſoror papæ, diceſque ſibi E quod Catharina communicabit iſto mane. Hæc enim domina miſſam audiebat; ſed ſicut intravi quamdam aulam valde magnam, ipſa me conſideravit, & cognovit eſſe de familia Catharinæ, ſubito perſonaliter venit ad me, & ait: Fili, quid quæris tu? Cui dixi quæ mihi fuerant injuncta. Ipſa vero feſtinavit ſubito, & venit ad domum noſtram cum honorabili ſocietate ſexus utriuſque, inter quos adduxit ſecum uxorem nepotis papæ, qui vocabatur dominus Raymundus de

Turena. Juvencula erat dedita vanitati, nihil habens de Deo. Soror autem papæ ſe geſſit valde devote; ſed illa infelix, ſicut exiſtimo, cogitavit quod virgo ſimularet: unde celebrata miſſa, oſtendit ex devotione faciem ſuam ſuperponere pedibus virginis, & eos pluribus vicibus acerrime perforavit. Ipſa vero ſtetit immobilis, quemadmodum ita ſteriſſet, etiam ſi pedes totaliter abſcidiſſet. Sed poſteaquam omnes abſceſſerant, virgo rediit ad ſenſus proprios, & valde cœpit dolere pedem, ita quod bene non poterat ambulare; & conſiderantes ſociæ ſuæ viderunt emortuum ſanguinem ex puncturis allatis, & intellexerunt aperte malitiam illius miſeræ & nequiſſimæ mulieris. De multis exemplis ad propoſitum hoc unum exiſtimo ſufficere poſſe fideli viro. Circa quem extaticum ſtatum ejus, unum valde mirabile non eſt omittendum, ſed cum debita veneratione recolendum; quia præcipue quando pro quibuſdam arduis ejus anima ferventius in oratione ſeipſam excitabat, & cum majori impetu conabatur aſcendere, gravedinem etiam corporis a terra ſublevabat: unde multoties a quibuſdam viſa fuit a terra ſuſpenſa, quorum ego unus ſum, qui cum non modica admiratione aliquoties vidi: qualiter autem ita fieri poteſt, aperte ſcribitur in libro quem ipſa virgo ſacra compoſuit, quem ego pro parte ſcripſi, dum ore virgineo dictabat illum admirabili modo. Super qua materia notandum eſt, quia divina majeſtas iſti fideliſſimæ ſponſæ ſuæ tantam auctoritatem atque familiaritatem ſecum exhibuerat, ut frequenter in oratione ſua confidentiſſime loqueretur dicendo: Ego ſic volo. Et quando tali modo ſic ſponſo ſuo loquebatur, videbatur eſſe neceſſarium, quod illico ſuum haberet effectum, ut in multis poſſemus veriſſimum exhibere teſtimonium. Sed hoc unum quod in me percepi tacere non potero. Cum de Avenione rediremus, fuimus in Janua per menſem & ultra in domo cujuſdam nobilis & probæ dominæ quæ dicebatur domina Orierta Scotta, ubi fere tota ſocietas fuit infirmata. Sed illa domina ſollicita de omnibus curam gerebat, adducendo quotidie duos medicos valentes viros, cum quibus habui laborem valde magnum, volendo ſatisfacere ſingulis infirmis, donec ab omnibus de domo quaſi mihi prædiceretur quod etiam infirmarer. Et infra paucos dies ita ſubſecutum eſt. In lectum ergo decidi, multum arctiſſima febre correptus cum exceſſivo capitis dolore & vomitu laborioſo. Cumque ſancta virgo percepiſſet, ad me perſonaliter acceſſit una cum ſociabus ſuis atque confeſſoribus, & a me petivit in quo eram ita gravatus. Ego vero lætatus ex ejus gratiſſima præſentia, ſolatioſe reſpondi: Aliqui mihi dicunt quod patior, ignoro quid. Tunc ipſa materna caritate mota manu

virginea mihi frontem tetigit, & caput aliqualiter agitans ait : Audiatis istum filium, » qui dicit : Aliqui mihi dicunt quod patior, » ignoro quid ; cum ipse patiatur acutissimam » febrem. Et subjecit : Ego non permittam te » facere prout agunt ceteri infirmi, sed in virtute sanctæ obedientiæ tibi præcipio, ut ulterius hanc ægritudinem non patiaris. Nam » omnino volo te sanum esse, ac ut alios adjuves. Et his dictis juxta morem suum cœpit loqui de Deo. Mirabile dictu, licet mirabilius in facto, ipse tunc adhuc ea loquente fui plenissime liberatus, & interrumpendo verba sua, me liberatum esse clamavi, & annis multis postea cum perfectissima sanitate perseveravi. Modo simili præfata virgo, videlicet ex præcepto potestativo venerabilem virum dominum Johannem monachum habitantem in cellis Vallis-Umbrosæ liberavit : qui, sicut mihi asseruit, hora tali laborabat in extremis in abbatia Passignani prope Senas. Præceptum autem ab ore virginis audivit, quod in abbatia dicti D. Johannis factum extitit, videlicet in persona duorum discipulorum ejusdem, præcipiens illi per eos, ut indilate veniret ad eam, & hic implevit absque mora. Super quo facto admiratione multa digno, ipse postea pulcherrimam epistolam luculento stylo dictavit ad memoriam tanti miraculi, quam epistolam in cella nostra devote conservavi. Et quamvis universa vita suprascriptæ virginis, tam secundum hominem interiorem quam exteriorem, extiterit, ut ita dixerim, inaudita & valde miraculosa : tamen aliqui servi Dei magis excellentes altius unum in ea considerabant in homine viatore valde stupendum & insolitum : quia quidquid ageret, diceret vel audiret, inseparabiliter sua mens sancta in Deo semper erat immersa, sibique actualiter unita. Et quoniam ex abundantia cordis os loquitur, numquam nisi de Deo loquebatur, vel ad Deum inducentia. Semper & ubique Deum quærebat, inveniebat & possidebat per actualem affectum & unionem. Recolo quod quando videbat in prato flores, in quibus valde complacentiam habebat, cum » sancta licentia nos invitabat dicens : Nonne » videtis quod omnia Deum honorant atque » clamant ? Isti rubei flores rubicundas Jesu » Christi plagas aperte nobis intimant. Quando videbat multitudinem formicarum, dicebat : Ita sunt egressæ de sancta mente Dei » sicut & ego, qui tantum laboravit ad creandos angelos quantum istos arborum flores. Et in effectu semper omnes & in omnibus eramus in præsentia sua consolati & tantum ædificati, quod, ut ita dixerim, absque corporali cibo stetissemus jugiter ad audiendam eam, quantumcumque fuissemus aliunde tribulati vel infirmitate gravati. Etiam suspendendi vel decapitandi, quos in carcere visitabat omnes, videbantur oblivioni tradere pro tali tempore pœnas & afflictiones undecumque venirent. In cujus aspectu mirabili modo tentationes diabolicæ videbantur omnino cessare, veluti quando sol in virtute sua lucet, tenebræ non apparent. Recolo multoties, ad eam iviſse cum proposito narrandi multa de statu meo, & postea illi dicens quod oblivioni tradideram : unde solebam ab ea petere qualiter mihi esset : quæ procul dubio melius exponebat, & in necessitatibus occurrebat, quam ego ipse sciviſſem exponere vel postulare. Et ne aliquis admiretur de tali modo loquendi, noverint universi, quod ista sacerrima virgo quasi cognoscebat animarum dispositionem, velut nos cognoscimus dispositionem facierum, prout experientia multoties apertissime demonstravit, unde non poteramus eam quoquomodo latere, sed nobis nostra secreta propalabat. Quare quandoque sibi dixi : Vere, mater, « est majus periculum esse juxta vos, quam « ambulare per mare, pro eo quod ita videtis « omnia nostra. Et ipsa mihi intulit in secreto : « Noveris, fili carissime, quod in mentibus « eorum præcipue super quos amplius invi- « gilare studeo, nulla macula sive nubes ali- « cujus defectus ita cito cadit, quin illam subito « videam Domino demonstrante. Et ad majorem expressionem hujus veritatis, apertissime mihi constat, quod propter efficacissimas exhortationes ejus, ipsa confiteri fecit etiam in præsentia mea, utriusque sexus multa millia hominum, quia nullus omnino poterat ei facere resistentiam. Unde propter tantum fructum, quem ipsa faciebat in hujusmodi, papa Gregorius XI. ei gratiose concessit habere secum jugiter tres confessores cum auctoritate valde magna. Quandoque tamen occurrebant ei peccatores aliqui a diabolo tam tenaciter alligati, quod omnino resistebant ei, dicentes : Vere, domina, « si diceretis mihi quod Romam irem vel ad « sanctum Jacobum, infallibiliter adimplerem : « super hoc autem articulo confessionis obse- « cro parcatis mihi, quia non possum. Tandem quando per alium modum ipsa prævalere non poterat, in secreto ei dicebat : « Si dixero tibi causam ob quam tu teneris « confiteri, numquid postea confiteberis ? Ille « tamquam attonitus atque præventus ita fa- « cere promittebat. Et ipsa : Dilectissime fili, « oculos hominum aliquando latere possumus, « oculos vero Dei numquam. Ideo tale pec- « catum quod in tali tempore & in tali loco « fecisti, est illud unde diabolus tibi mentem « tuam tali modo confundit, quod te confi- « teri non permittit. At ille videns ita se deprehensum, ad pedes ejus humillime se prosternebat cum abundantia lacrymarum veniam expoſcens, & indilate confitebatur. Apertissime mihi constat quod pluries & cum pluribus hoc actum est : quorum unus per totam Italiam valde famosus mihi dixit : Sa-

lus

» lus Deus & ego ſciebamus illud quod iſta
» virgo mihi dixit. Et per hunc modum ani-
mas peccatorum de manibus diaboli pru-
dentiſſime liberabat. Et iſta pro præſenti de
miraculoſa vita ſua ſecundum hominem in-
teriorem dicta ſufficiant. Secundum exterio-
rem hominem adhuc erat vita ipſius mira-
culoſa, quia ſicut habetur in legenda ſua,
multo tempore ſuſtentabatur aliquando vir-
gineum corpuſculum abſque cibo quocum-
que materiali, etiam abſtinendo a gutta aquæ,
quod impoſſibile judicarem, niſi vidiſſem
oculis meis in Roma, quandoque ſumendo
ſolummodo venetabile ſacramentum. Com-
munis tamen ejus vivendi modus, quem
multo tempore ſervavit, ut ego pluribus
annis vidi, eſt iſte: Carnes & vinum & con-
fectiones vel ova multum abhorrebat. Illæ
ſociæ ſuæ parabant ei communiter herbas
crudas, quas inſalacium vocamus, quando
poterant habere, vel aliquando ferculum
olerum cum oleo. De anguilla comedebat
ſolummodo caput & caudam. Caſeum non
comedebat, niſi quando bene putridus erat,
& hujuſmodi. Neque tamen iſta comedebat,
ſed aliquando cum pane, aliquando ſine pane
dentibus conterebat, ingerendo ſuccum, &
omnem bolum quoad groſſam materiam ex-
puendo, & aquam puram frequentiſſime bi-
bendo. Et quaſi tanto tempore differebat iſta
facere, quanto ſociæ comedendo ſtabant in
» menſam. Poſtea ſurgebat dicens: Vadamus
» ad juſtitiam iſtius miſeræ peccatricis, & cum
uno virgulto quem ad ſtomachum immitte-
bat, donec violenter per eamdem viam &
illum ſuccum & aquam potatam ad extra
revocabat. Et aliquando tantam violentiam
in actu ſuſtinebat, quod ex ore ſanguis vivus
exibat. Confunditur hinc igitur opinio quo-
rumdam incredulorum, qui falſiſſime detra-
hebant ei, dicentes: Quamvis ipſa non co-
medat aperte cum aliis, poſtea comedit in
ſecreto. Simpliciſſima veritas eſt iſta, quam
apertiſſime multi vidimus: quod dum in ſto-
macho ſuo erat aliqua ſubſtantia cujuſcum-
que ſucci vel aquæ, ſive rei alterius, etiam
adinſtar unius avellanæ, corpus ejus efficie-
batur infirmum & inutile totaliter. Aliquan-
do veniebant ad eam aliqui magiſtri tem-
pore quo debebat facere juſtitiam illam, ut
utar vocabulo ſuo, & ſic ut eis illico ſatis-
faceret, oportebat differre talem actum, ſed
ipſa ſubito ſincopizabat; & efficiebatur velut
mortua, donec illam evacuationem opere
perfeciſſet. Hoc vidimus, ut ita dicam, in-
finitis vicibus. Quod ego diligenter atten-
dens, valde confidenter aliquando dixi ſibi:
» Mater amantiſſima, conſidero quod refrige-
» rium ejus quod ſumitis ita modico tempore
» tenetis in ſtomacho, quod natura modicum
» vel nullum ſubſidium poteſt inde habere:
» præcipue quia ſtatim revocatis cum tanta
» difficultate, amaritudine atque pœna; quare

A melius appareret quod abſtineretis a tali ſum-« tione. Quæ tamquam prudentiſſima mihi « reſpondit: Dilectiſſime fili, plures habeo re-« ſpectus in iſta ſumtione mea. Unus eſt quia « rogavi Deum, ut in præſenti vita me puni-« ret pro peccato gulæ. Itaque libenter accipio « diſciplinam iſtam a Deo mihi conceſſam. « Deinde quia cogor ſatisfacere pro pluribus « qui videntur in me ſcandalizari quando non « comedebam: dicebant enim quia diabolus « me decipiebat. Itaque comedo ſicut mihi « conceditur. Alius etiam poteſt eſſe bonus « reſpectus, quia per iſtam corporalem pœ-« B nam mens aliqualiter ad corporales poten-« tias revertitur; alius, quia ſic eſt abſorpta, « corpus inſenſibile remaneret. His auditis ta-« cui, non habens ad ei replicandum. Præ-ter hæc autem habebat iſta ſacratiſſima virgo tantam ſapientiam animæ ſuæ divinitus in-fuſam, quod omnes eam audientes in ſtu-porem vertebantur. Omnem ſacram pagi-nam ita lucidiſſime declarabat & interpreta-batur, ut omnes quantumcumque docti ni-mis admirarentur, & quod etiam apparebat valde mirabile, humana ſcientia in ejus con-ſpectu ita deficiebat, quemadmodum nix vel C glacies in adſpectu ſolis ardentiſſimi lique-fieri ſolet. Plures fecit efficaciſſimos ſermo-nes & admirando ſtilo, in conſpectu prius domini Gregorii papæ XI. poſtea Urbani papæ VI. atque dominorum cardinalium, di-centium unanimiter admiratione multa ſuſ-penſi: Numquam ſic locutus eſt homo, & « abſque dubio iſta non eſt mulier quæ loqui-« tur, immo Spiritus-ſanctus, ut apertiſſime « comprobatur. Et quia materia ſe præbet, ad propoſitum, unum volo ſuccincte recitare, cui fui præſens. In Avenione cum papa Gre-D gorius XI. iſti ſanctæ virgini multam audien-tiam exhiberet, atque reverentiam haberet ei, tres magni prælati, videant ipſi quo ſpi-ritu, ſuper ipſa fuerunt ei locuti, dicentes: Pater beatiſſime, numquid iſta Catharina de « Senis eſt tantæ ſanctitatis quantæ dicitur? « Qui reſpondit: Vere nos credimus eam eſſe « ſanctam virginem. Et ipſi: Viſitabimus eam, « ſi placet veſtræ ſanctitati. Et reſpondit: Cre-« dimus quod eritis bene ædificati. Venerunt « ergo domum noſtram ſtatim poſt nonam in æſtate. Pulſantibus illis, ego cucurri ad eos: E qui dixerunt: Dic Catharinæ quod ei loqui volumus. Quo percepto, ſacra virgo deſcen-dit ad eos una cum magiſtro Johanne con-feſſore & quibuſdam aliis religioſis. Et in aperto loco fecerunt eam ſedere in medio. Exordium ipſorum a magna ſuperbia cœpit, ipſam irritando mordacibus verbis dicentes: Ex parte domini noſtri papæ venimus & au-« dire cupimus, utrum Florentini te mittant, « uti fama protulit. Et ſi verum eſt, numquid « non habent aliquem valentem virum, quem « pro tanto negotio mittere valeant ad tantum « dominum. Si vero te non miſerunt, valde «

» miramur, cum tu sis vilis femella, quia præ-
» sumis de tanta materia loqui cum domino
» nostro papa. Ipsa vero velut immobilis co-
lumna perseverabat, humiles & efficacissimas
exhibendo rationes, donec illi valde mira-
bantur. Et cum de tali materia plenissime
satisfecisset eis, ei proposuerunt valde ma-
gnas & quamplurimas quæstiones, præcipue
de istis abstractionibus ejus, & modo singu-
larissimo vivendi; & cum Apostolus dicat,
quod angelus satanæ se transfigurat in ange-
lum lucis, ad quid ipsa cognoscit utrum a
diabolo sit illusa? Et alia multa dixerunt at-
que proposuerunt, & in effectu disputatio
tracta fuit usque ad noctem. Aliquando ma-
gister Johannes pro ea respondere volebat,
& licet in sacra theologia magister, illi ta-
men erant ita valentissimi, quod in paucis
verbis confundebant eum, dicentes: Vos
» erubescere deberetis in conspectu nostro ta-
» lia proferre. Permittatis eam respondere,
» quia valde magis satisfacit nobis quam vos.
Inter illos tres erat unus archiepiscopus or-
dinis Minorum, qui pharisaïco supercilio pro-
cedens, ut apparebat, verba sacræ virginis
non videbatur acceptare. Alii duo tandem
insurrexerunt contra eum, dicentes: Quid
» ultra quæritis ab ista virgine? Sine dubio ma-
» terias istas explanavit apertius quam um-
» quam invenimus ab aliquo doctorum, &
» plura signa veriſſima luculenter expressit. Et
ita schisma fuit inter eos. Postremo recesse-
runt ædificati pariter & consolati, referentes
domino papæ, quod numquam invenerunt
animam tam humilem, nec ita illuminatam.
Die vero sequenti magister Franciscus noster
de Senis, qui tunc erat medicus papæ, dixit
» mihi: Cognoscis tu prælatos illos, qui vene-
» runt heri domum vestram? Cui respondi,
» quod non. Tunc ille: Noveris quod si scien-
» tia illorum trium poneretur in una lance, &
» in alia poneretur scientia omnium qui sunt
» in curia Romana, scientia illorum trium
» valde præponderaret. Et scio tibi dicere quod
» si non invenissent Catharinam habere soli-
» dum fundamentum, ipsa numquam feciſſet
» ita pessimum iter. Postremo quis enarrare
sufficiat intrinsecas virtutes hujus almæ vir-
ginis cum actuali experimento? Sic humilita-
tem suam profundissimam, patientiam invi-
ctissimam, ita quod numquam visa fuerit in
facie semel alterata, vel quod unum verbum
cum impatientia vel iracundia protulerit.
Quis ejus ardentissimam caritatem exprimere
posset? Quia non solummodo bona tempo-
ralia, cum erat in domo paterna, in hono-
rem Dei & consolationem proximorum, sed
semetipsam infatigabiliter exhibebat. Unde
multa miracula ostendit Deus, quandoque
multiplicando vinum in vegete, quandoque
panem in capsa, quandoque tribuebat pau-
peri tunicam suam, postea Salvator osten-
debat ei in dorso proprio gemmis ornatam,
prout actus iste figuratus est Romæ juxta se-
pulcrum ejus. Alia vice cum confessoribus
& sociabus suis ibat ad quemdam locum,
& habuit obvium pauperem, ut apparuit,
valde procacem, qui petivit eleemosynam
ab ea, quæ respondit: Vere, carissime fra-
ter, nullam habeo pecuniam. Et ille: Vos
potestis mihi dare mantellum quem habetis.
Et illa: Verum est, & illico sibi dedit. Con-
fessores vero sequentes, vix cum magno pre-
tio posuerunt ab illo paupere redimere. Quæ
cum argueretur ab eis, quia sine sui ordinis
habitu decrevit incedere, respondit: Ego
volo potius invenire sine habitu, quam absque
caritate. Qui nescierunt ei respondere, per-
fectionem ejus admirantes. Nunc vero quæ-
dam indispositione corporali suadente, simul
cum occupationibus occurrentibus, quo-
niam ex hac ampliſſima materia multi libri
confici possent, volens verbis meis incom-
positis imponere finem, exhortor in Domino
devotos homines, qui delectantur audire vir-
tutes reales, imitabiles, salubertimas, atque
exemplares istius almæ virginis, & ut ita di-
xerim inauditam familiaritatem, quam etiam
dum esset in mortali corpore jugiter habe-
bat cum Domino nostro Jesu Christo at-
que beatissima virgine Maria, similiter &
cum sanctis aliis, non dormiendo vel som-
niando, sed etiam corporaliter vigilando,
legant vitam atque legendam ipsius virginis,
editam & ordinatam a reverendissimo patre
magistro Raymundo de Capua sacræ paginæ
professore, qui longo tempore confessor ejus
extitit, & post ejus felicissimum transitum
fuit factus generalis magister sui ordinis, vi-
delicet Prædicatorum, ubi multa utilia simul
& pulcherrima reperiet. Et quamvis aliqui
fastidiosi lectores & ab omni fructu devotio-
nis alieni dicant quia valde prolixe scripsit,
hoc apertissime noverint universi, quod in
comparatione gestorum, ipse nimis abbre-
viavit vitam ipsius ibi qualicumque modo
descriptam. Et ea quæ scripsit indubitanter
existimo, quia Spiritu-sancto dictante scrip-
sit. Hoc verbum hic apposui confidenter,
quia longam conversationem immeritus ha-
bui secum, & non ignoro vitam ejus com-
mendabilem atque dotes odoriferas, vide-
licet virginitatis, nobilitatis etiam corporeæ,
scientiæque magnæ, & aliarum virtutum,
quibus a Domino Deo nostro fuerat insignitus. Hoc unum in fine tacere non potero,
quia, sicut optime novi, beatissimæ Virginis
Mariæ devotissimus extitit, ut etiam appa-
ret omnibus illum pulcherrimum atque de-
votum tractatum quem edidit super *Magni-
ficat*, attente legentibus. Et quia sicut ego
pie credo, jam transivit ad vitam, unum se-
cretum hactenus in præsenti propulsabo, ut
apud me certum habeo. Quia per annos plu-
rimos antequam cognosceret almam virgi-
nem suprascriptam vel econtra, beatissima

Virgo MARIA corporaliter apparens ipsi sanctissimæ virgini Catharinæ, promisit ei dare unum fidelissimum devotum in patrem & confessorem, qui daret ei valde majorem consolationem, quam hactenus habuerit a ceteris suis confessoribus, ut postea rei probavit eventus. Hæc pauca occurrunt nunc in testimonium vitæ S. virginis Catharinæ de Senis vestræ caritati transmittenda; ut a me cum instantia postulastis, quæ simplici stilo descripsi, & licet in multis occupatus corde simpliciore dictavi. Et quoniam in litteris vestris notavi vocabulum unum, videlicet quod veridicam informationem vestræ caritati dirigerem, hoc intactum omnino præterire non patiar. Absit ab æstimatione cujusque præcipue sapientis, absit etiam a sinceritate, serenitate atque puritate conscientiæ meæ, ut scienter & contra conscientiam aliquid a simplici veritate alienum permiscere vellem in sermonibus quibuscumque meis: quia novi quod os quod mentitur occidit animam, nec Deus indiget habere mendacia nostra, neque fienda sunt mala ut proveniant inde bona. Certissimum igitur habeatis quia meram veritatem protuli supra scripta narrando, vel veritatem asserere putavi, pro qua non solum expono juramentum juxta petitionem vestram, & paratum me offero sub quacumque forma fuerit expediens efficacissime jurare, immo quod plus est, ut ita dixerim, pro tali veritate confirmanda & ad honorem Dei & ædificationem, consolationem, & utilitatem proximorum sum paratus etiam in igne ponere manus, ut ille novit qui nihil ignorat. Cui est laus & gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

In quorum omnium fidem & testimonium has patentes litteras fieri jussit & registrari, sigillique conventus monasterii Cartusiæ prædictæ appensione muniri, & per notarios infrascriptos subscribi. Quibus omnibus & singulis suprascriptis, nos infrascripti notarii, dum sicut præmittitur agerentur, una cum testibus infrascriptis, præsentes fuissemus, & ut prædictis plena fides ubique adhibeatur, nos hic subscripsimus cum consigno tabellionatus nostri, prout inferius continetur. Datum & actum Papiæ anno nativitatis Domini 1411. indictione quarta, die 26. mensis Octobris in domo monasterii prædicti sita in porta Marencha, in parochia S. Felicis, præsentibus D. Petro de Restis, Dei gratia abbate monasterii S. Sepulcri, vulgariter vero nuncupati S. Lanfranchi. D. Laurentio de Speculo rectore S. Gabriëlis Papiæ, presbytero Antonio de Filiastris rectore S. Christinæ Papiæ, presbytero Guillelmo de S. Mauritio capellano S. Trinitatis. D. Philippino de Strata monacho monasterii nostri Cartusiæ, fratribus Johanne & Beltramo conversis præfati monasterii nostri Cartusiæ, fratre Guillelmo eremita della Plebe & quampluribus aliis testibus.

Ego Maphinus de Sclastonatis filiusque Nicollæ. } Publici notarii Papienses.

Ego Augustinus de Pozolo filiusque Simonis. }

BULLA SIXTI PAPÆ IV.

Qua sub gravissimis pœnis a summo pontifice prohibetur, ne quis audeat imagines seu figuras sanctæ Catharinæ de Senis habere, pingere, facere cum sacris stigmatibus; quod uni S. Francisco privilegium convenit.

Ex archivio fratrum Minorum Rubenensium.

SIXTUS episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Licet dum militans in terris ecclesia, triumphantem in cœlis filiali & devoto veneratur affectu, ac virtutes, laudes, præconiaque sanctorum & sanctarum Dei dignissimis attollit titulis & illustrat: devotis quoque precibus & solemni ritu sacrificia laudum offerat, & ad decus & venerationem civium supernorum nihil eis accrescat novæ perfectionis & gloriæ, nec eorum perfecta felicitas nostris operibus firmari possit, minui vel augeri; sed dumraxat misericors miseratorque Dominus per intercessionem meritaque sanctorum quos in terris celebritate congrua veneramur, imperfectum nostrum suppleri providerit, ut quod nostris meritis non valemus, eorum suffragiis assequamur: nihilominus ecclesia ipsa militans consuevit non permittere aliquem quantumcumque miraculis clarentem in terris pro sancto venerari, nisi quem Romanus pontifex, subsistentibus miraculis in vita & post mortem, prævioque desuper diligenti examine, sanctorum catalogo duxerit aggregandum, nec ilium aliis quam ecclesia ipsa ordinet insignibus, titulis aut officiis venerari. Dudum siquidem pro parte tunc generalis ministri & dilectorum filiorum capituli etiam generalis fratrum Minorum, tunc in civitate nostra Ferrarien si celebrati, nobis exposito, quod etsi S. Franciscus dicti ordinis fundator per biennium antequam diem vitæ hujus clauderet extremum, sacra stigmata Christi ejus corpori a Deo impressa portasset, illaque dicto durante biennio a multis visa & palpata fuissent, tamen non licuerat dicti ordinis professoribus ipsum glorioſum sanctum cum hujusmodi stigmatibus quibus a Domino nostro JESU CHRISTO corpus ejus decoratum fuerat, pingi facere absque sedis apostolicæ desuper concessione & licentia speciali; quodque nonnulli aliquas sanctas Dei, & præsertim S. Catharinam de Senis cum stigmatibus a Dei Filio Domino nostro JESU CHRISTO ejus corpori impressis, adinstar ejusdem sancti Francisci, nulla desuper apostolicæ sedis super hujusmodi stigmatibus approbatione, nullave licentia obtenta, pingi fecerant & faciebant in ecclesiis

& aliis locis publicis partium diverſarum, & præſertim ultra montes, & in publicis prædicationibus ad populum aſſerebant ſanctam ipſam ſtigmata hujuſmodi a Chriſto recepiſſe, & de illis clarius quam de præfati S. Franciſci ſtigmatibus apparere. Nos tunc attendentes quod felicis recordationis Pius papa ſecundus, prædeceſſor noſter, dum ſanctam ipſam Catharinam ſanctorum & ſanctarum Dei catalogo inſcripſit, ejus præclara miracula, laudes & præconia in proceſſu deſuper habito declarata referendo, ſuis litteris de hujuſmodi ſtigmatibus nullam mentionem fecerat: quodque ſi corpus ejuſdem ſanctæ talibus ſignis in ſæculo viſibiliter decoratum fuiſſet, id in proceſſu & litteris canonizationis ejus nullatenus prætermiſſum extitiſſet: univerſis quorumvis ordinum profeſſoribus & aliis perſonis utriuſque ſexus, cujuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, vel conditionis forent, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam ipſo facto contrafacientes incurrerent, & a qua ab alio quam a Romano pontifice, præterquam in mortis articulo, abſolvi non poſſent, diſtrictius inhibuimus, ne præfatam ſanctam ſtigmata hujuſmodi habuiſſe, in ſuis prædicationibus & ſermonibus ad populum aſſerere auderent; immo & de picturis hujuſmodi præfatæ ſanctæ jam factis amoverent & delerent & deleri facerent ubilibet, atque procurarent infra annum a publicatione dictarum noſtrarum litterarum: nec licere voluimus alicui eamdem ſanctam Catharinam cum hujuſmodi ſtigmatibus depingi facere, donec ſedes ipſa ſtigmata hujuſmodi approbaret, & per ſpeciale privilegium, quod cum illis depingi poſſet, concederet, prout in eiſdem litteris noſtris plenius continetur. Cum autem, ſicut poſtmodum accepimus, nonnulli litteris & mandatis noſtris prædictis nonobſtantibus, propriis inhærentes affectibus, de jam factis picturis dictæ ſanctæ ante datam dictarum litterarum, ſtigmata hujuſmodi amoveri facere non curaverunt, & ſanctam ipſam ſtigmata ipſa habuiſſe adhuc de novo pari modo publice prædicare, & aſſerere, ac illam cum ipſis ſtigmatibus depingi facere non formidant, in contemtum mandatorum hujuſmodi & ſcandalum plurimorum. Nos attendentes quod ſancti & ſanctæ Dei nonniſi veris certiſque prærogativarum, gratiarum & privilegiorum laudibus venerandi ſunt, ac etiam quod tanti myſterii & ſacramenti noſtræ redemtionis præclara & admiranda inſignia nemini attribui debent pro reverentia noſtri Salvatoris, niſi cui diſtribuenda eſſe rei evidentia & certitudo facti declaraverit: ac ſuper his opportunum volentes adhibere remedium, & his ex quibus in eccleſia Dei ſcandala poſſent veriſimiliter exoriri, pro poſſe obviare, ut tenemur; habita ſuper his cum venerabilibus fratribus noſtris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, & de illorum conſilio & aſſenſu, auctoritate apoſtolica, præſentium tenore ſtatuimus & ordinamus, quod nullius ſancti aut ſanctæ, beati vel beatæ figura aliqua cum prædictis ſtigmatibus aut quovis modo quo exiſtimari poſſit vel credi illum vel illam hujuſmodi ſtigmata habuiſſe, per aliquem depingi poſſit, nec aliquis in prædicationibus ad populum, vel alia ſcriptura aut verbo, aliquem ſanctum ſeu ſanctam, beatum aut beatam ſtigmata hujuſmodi habuiſſe aſſerere vel affirmare præſumat; præfati beati Franciſci, quem conſtat ſtigmata a Chriſto recepiſſe, tum rei teſtium, tum multorum prædeceſſorum noſtrorum approbatione, figura dumtaxat excepta: mandantes univerſis eccleſiarum prælatis, presbyteris & clericis, ac ordinum quorumcumque, tam mendicantium quam non mendicantium, profeſſoribus, in quorum eccleſiis & oratoriis ac perſonis aliis etiam ſæcularibus, in quorum domibus & locis præfatæ ſanctæ Catharinæ de Senis, aut aliquorum aliorum ſanctorum ſeu ſanctarum, beatorum vel beatarum Dei figuræ & imagines, excepta præfata figura S. Franciſci, cum ejuſmodi ſtigmatibus depictæ forent, quatenus infra menſem a die qua in cathedralibus vel aliis eccleſiis locorum eorumdem publicatæ fuerint, teneantur & debeant cum effectu curare, quod de omnibus aliis picturis hujuſmodi, exceptis picturis dicti S. Franciſci, penitus & omnino ſtigmata ipſa deleantur & amoveantur: ita tamen ut illorum forma nullatenus videatur in eis, & quod de cetero cum ejuſmodi ſtigmatibus aliquorum ſanctorum ſeu ſanctarum aliquarum, beatorum vel beatarum Dei imagines & figuræ, excepta figura præfati S. Franciſci, non pingantur: quodque in eorum eccleſiis aut plateis ſeu locis eorum juriſdictioni ſubjectis, abſque ſedis præfatæ licentia ſpeciali, nullus in prædicationibus ad populum & ſermonibus verbi Dei, diſputationibus, vel alias quomodolibet, quod aliquis alius ſanctus aut aliqua alia ſancta Dei, beatus vel beata Chriſti ſtigmata habuerit, excepto confeſſore glorioſo prædicto Franciſco, affirmare præſumat; & ſi ſecus fieri contingat, & eos hujuſmodi litteris & mandato non parere; ex nunc prout ex tunc, non ſolum eccleſias ipſas in quibus picturæ hujuſmodi cum ſtigmatibus reperirentur, ſed etiam parochialis eccleſia infra cujus parochiæ limites in privatis locis forent, quamdiu illæ inibi erunt, & triduo poſtquam deletæ fuerint, & etiam eccleſias in quibus ſeu quarum plateis permiſſum fuerit vel toleratum talia prædicari vel aſſeri contra præſentium tenorem in ſermonibus ad populum vel aliàs, ut præfertur, donec prædicantes vel aſſerentes inibi permanſerint, communi & publico eccleſiaſtico ſubjicimus interdicto, quod volumus & mandamus di-

ſtricte obſervari. Eccleſiarum vero prælatos, qui in præmiſſis culpabiles fuerint aut negligentes vel remiſſi, ab eccleſiarum ingreſſu, eo ipſo, volumus eſſe ſuſpenſos, donec mandatis noſtris hujuſmodi, quantum in eis fuerit, obtemperare procuraverint cum effectu. Inferiores denique qui in eccleſiis quas obtinent, aut in quibus beneficiati exiſtunt, præmiſſa fieri permiſerint, temporales quoque cujuſcumque ſtatus, magiſtratus, gradus, nobilitatis, excellentiæ & conditionis fuerint, qui contra præmiſſa forſan quocumque modo venire aut quicquam attentare præſumſerint, excommunicationis ſententiam incurrant, a qua nequeant abſolvi, præterquam in mortis articulo conſtituti, donec quantum in eis eſt procuraverint ut noſtris obtemperetur mandatis: Et ſi ſententiam ipſam animo, quod abſit, per ſex menſes ſuſtinuerint indurato, ex tunc decurſis menſibus eiſdem, eccleſiaſtici eccleſiis & beneficiis ipſis ſint eo ipſo privati, illaque aliis liberę conferantur; prædicantes vero & aſſerentes vel facientes contra tenorem præſentium, eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrant, & poſtquam illam per ſex menſes ſuſtinuerunt, tamquam de hæreſis crimine ſuſpecti, ab eccleſiarum prælatis & inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, prout eorum incumbit officio, ad reſpondendum ſuper his coram eis, & qualiter de fide ſentiant compellantur, & puniantur ab eiſdem, & nihilominus univerſis eccleſiarum prælatis, ac aliis in eccleſiaſtica dignitate ubilibet locorum conſtitutis perſonis per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ipſi vel duo aut unus eorum per ſe vel per alium ſeu alios illos ex prædictis, quos cenſuras & pœnas prædictas incurriſſe, & loca quæ interdicto prædicto ſuppoſita fore præmiſſorum occaſione eis conſtiterit, cenſuris & pœnis hujuſmodi ſubjacere declárent, ac faciant & mandent illis ſubjecta publicari, & eoſdem excommunicatos ab omnibus arctius evitari, donec mandatis noſtris obtemperantes, &c. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1475. 8. cal. Aug. pontificatus noſtri anno quarto.

VITA GABRIELIS PALÆOTI
S. R. E. CARDINALIS
ET BONONIENSIS ARCHIEPISCOPI PRIMI,
AUCTORE AUGUSTINO BRUNO.

Ex mſ. Vallicellitano eruit Mabillonius.

OBSERVATIO PRÆVIA.

Gabrielis Palæoti ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis & primi archiepiſcopi Bononienſis vitam ex mſ. codice Vallicellitano Romæ deſcribi curavit Mabillonius, quam ad legendum alliciunt & ſtili nitor atque elegantia, & rerum quas narrat præſtantia. Illius auctor Auguſtinus Brunus vir doctiſſimus in aula Palæoti vixerat per annos duodecim, ipſius devinctus beneficiis, & familiaritate, ne dicam confidentia, uſus: qui cum conſiliorum ejus eſſet particeps, ac præclare geſtorum teſtis oculatus, nihil non ſibi probe notum, nihil non omni veneratione dignum ſcribere potuit. Bruni vero pietatem ſimul ac eruditionem & in rebus agendis experientiam adeo ſuſpiciebat Palæotus, ut ſuas in epiſcopatu Sabinenſi vices ei commiſerit, ac decreta varia, quæ pro cleri ac populi Bononienſis recta inſtitutione viginti & octo annorum decurſu ediderat plurima, unum in corpus ab eo referri voluerit, id quod ille ſummo labore nec minori diligentia aggreſſus eſt, ſeptem in partes totum opus diſtribuendo, cui titulum præfixit Archiepiſcopale Bononienſe, *in quo quidem libro de univerſo epiſcopi officio, ac potiſſimum de praxi adminiſtran-*

di Bononienſis eccleſiæ ex Tridentina ſynodi decretis agitur. Porro de Gabriële Palæoto præter Auguſtinum Brunum tractant Carolus Sigonius, qui ejus juſſu de Bononienſibus præſulibus ſcripſit, Antonius Poſſevinus in Apparatu ſacro, Rubeus in Hiſtoria Ravennenſi, Alphonſus Ciaconius in Hiſtoria pontificum Romanorum & S. R. E. cardinalium, ac demum Ughellus in Italia ſacra, præſertim in ſerie epiſcoporum Bononienſium.

A

Illuſtriſſimo & reverendiſſimo domino domino Cæſari Baronio S. R. E. cardinali ampliſſimo ſedis apoſtolicæ bibliothecario Auguſtinus Brunus S. P. D.

Epiſtolarum cupatoria.

FRuebar otio laudabili apud Franciſcum Barbarum patriarcham Aquileiæ, virum omni laude digniſſimum, qui etſi provinciam dederat mihi negotioſam duramque, commodis tamen meis ita conſuluerat, ut ſacerdotio quoque ab ea honeſtatus, patria procul, rem meam melius gererem & publicam quam in patria. Verum in his maximis ac turbulentiſſimis Venetæ reipublicæ tempeſtatibus, una cum multis, ſed gravius quidem ego, aliarum calamitatum concurſu jactatus, in patria peregrinus, atque hoſpes pius eſſe malui, quam ibi in affluentia rerum omnium impius exiſtimari. Hic igitur ſtatim adfuit mihi Gabriëlis cardinalis Palæoti, quamquam demortui beneficentia, qua rei familiaris jacturas æquiore animo ferre potui. Et quoniam tantum habui otii, quantum jamdiu mihi non contigit, illud, ut tanti patroni nomen animo proſequerer, in recolendis ejus actionibus libentiſſime conſumſi. Æquum vero eſt, ut extet tibi, cardinalis ampliſſime, otii hujuſce mei non minus, quam negotii ratio. Nam te Gabriel, dum vixit, unum doctrinæ ac pietatis lumen clariſſimum ſuſpiciebat; atque unus tu, quæ tua fuit ſingularis benignitas! de naufragio meo colligendo, ac reficiendo cogitaſti. Scriptionem igitur hanc debitam tibi dico, quæ ſi minus exercitato ſtilo flacceſcit, ſi elegantia caret, amore incitata, eſt veritate ſimplex. Ea ego quaſi annulo pulcherrimam Gabriëlis virtutum imaginem, brevi gyro concluſi, ut illo licet rudi, ejus magna de me merita teſtimonio ſaltem recordationis obſignarem. Peto a te, cardinalium, atque eccleſiæ ſanctæ ſplendor illuſtriſſime, ut haud negligas exiguam hanc ſignificationem addictiſſimæ voluntatis & obſervantiæ præſertim meæ erga te, cujus geſta publice jam propoſita, veluti per ſimulacra, & egregie depictas tabulas, ſunt tamquam ara virtutis ad monimentum gloriæ, atque æternitatis. Romæ XIII. cal. Maii MDCVII.

B C D

VITA GABRIELIS PALÆOTI S. R. E. cardinalis, epiſcopi Sabinenſis, archiepiſcopi Bononienſis.

1. REcordatio temporis illius quo in aula Gabriëlis Palæoti cardinalis vixi, adeo jucundam fructuoſamque delectationem habet, ut duodecim annorum ſpatio, licet variis ab eo devinctus beneficiis, hanc tamen unam ob cauſam, quod apud ipſum fuerim, mecum fuiſſe, mecumque vixiſſe cum laude mihi videar. Quare ſumſi calamum ſæpius, tantique viri animum actioneſque adumbrare incœpi; tum ut gratus eſſem, piuſque in memoria beneficiorum, tum etiam ut pro virili mea delectationis illius diuturnitatem hac ratione cuſtodirem, & quodammodo ex ruminatione reguſtarem. Sed me ab incœpto ſæpe revocavit eadem ipſa Gabriëlis in me beneficentia, quæ rerum quas eram de eo narraturus, veritatem in ſuſpicionem facile adduxiſſet; ipſaque materies ab hoc propoſito ſæpius etiam avertit, cum careat varietate quadam, & magnitudine rerum, quæ longinqua itinera, amplas legationes, regum conſilia, belli paciſque tractationes, & id genus alia complectuntur; unde luculenta, & grandis oratio ſuapte natura exurgit, quæ oblectat, eorumque inprimis animos allicit, qui ſolent eſſe ſcriptionum æſtimatores ac judices potius, quam virtutum, quæ in ipſis recenſentur, imitatores. In hac ancipiti cura cedere demum pietati malui, cujus profeſſione ſaltem apud gratos pioſque viros excuſabor; cum præſertim is fuerit Gabriëlis vitæ curſus, ut ejus geſta nativæ pulchritudinis lumine illuſtrata, aſciti coloris opem minime deſiderent, atque idcirco ſcriptori cuilibet de illo quidquam mentiendi labor omnis adimatur.

Palæoti patria & parentes.

2. Neque vero antequam rem ipſam aggrediar, Bononiæ, quæ Gabriëlis patria fuit, magnificentiam atque amplitudinem, aut in ea urbe Palæoti gentis, ex qua ille fuit, nobilitatem, ejuſque majores domi, foriſque inſignes, aliaque ejuſmodi commemorabo, in quibus efferendis ſcriptores diligenter ut plurimum, verſari ſolent: ſed hiſce omnibus, quæ ſatis per ſe cognita ſunt, atque perſpecta, conſulto prætermiſſis, a Vincentio Gabriëlis paterno avo, veluti a propinquiore rivo narrationem deducam. Fuit hic ſane vir optimis artibus excultus, præcipue vero tantum juris præſtantia claruit, ut non

in Italia modo, ſed in exteris, & longinquis regionibus celebertimus ab Angliæ rege HENRICO VII. ex muneribus patriæ, quæ gerebat honorificentiſſime fuerit evocatus, fortunis locupletatus, regni negotiis adhibitus graviſſimis, ipſiſque regiis inſignibus & privilegiis, quæ ad ejus quoque poſteros regio diplomate tranſmiſſa ſunt plurimis honeſtatus. Quæ quidem omnia, licet in publico munere valde feliciter illi contigerint, tamen domeſticæ res ejus felicitatem multo majorem effecerunt. Ceterum ex duabus uxoribus ſuſcepta triginta filiorum ſobole, præter unam filiam, quæ Beroaldi majoris (hunc bibliothecam loquentem ob variam doctrinarum ſcientiam, ut rem novam, proprio atque inuſitato vocabulo appellabant) uxor fuit, aucta re familiari, liberis ingenue & liberaliter educatis, in patria demum ſenio confectus obiit, vitaque functum, ipſi liberi, quod parens teſtamento juſſerat, nova quadam & memorabili pompa ſuis humeris ad ſepulcrum detulerunt. Hi paternarum virtutum heredes, nobilitatis decus, alii litteris, alii armis, alii ſtudio religionis amplificarunt. Ex ipſis, Alexander legum ſcientia præclarus, veſtigia parentis in forenſi tractatione Romæ aliquandiu egregie perſequutus, publicæ demum rei ſtudii familiares curas ſumma cum laude conjungens, Bononiæ ex hac vita migravit, Camillo, Gabriële de quo agimus, & Aſtorre filiis relictis, quos ex Gentili Volteia uxore femina clariſſima procrearat.

Puritia. 3. Verum illa conjugis orbata ſocietate, filiorum curationem adeo forti & virili ſuſcepit animo, ut egregiam ipſorum indolem ad ubertatem diſciplinarum omnium exquiſita cultura redegerit, nullique ſumtui aut labori pepercerit umquam, ut præclare inſtituerentur, & corporis animique affectiones, ſtudia, remiſſiones, luſuſque tum Chriſtiana pietate ac religione, tum frugalitate, ac modeſtia temperarentur. Atque illud ante omnia occurrit mihi, vel in ipſis prope Gabriëlis incunabilis, admirandum. Cum enim puerorum ingenium proclive ſit ad voluptates, ſcholarum fugitans ac laborum, is autem diſciplinam omnem liberalem non ſubterfugeret modo, ſed ipſum præceptoris nomen reformidans, quaſi perfuga quoties poterat a litteraria palæſtra ad puerorum luſitantium ſigna transfugeret, factum eſt ut in colludentium turba graviſſimum vitæ diſcrimen ſubiret: amentata quippe haſta tranſverberato genu ita conſternatus eſt, ut de ejus ſalute pene omnes deſperarent. Ex quo vero periculoſo vulnere, cum mirandum in modum, vel citra claudicationem convaluiſſet, illud tamen multo fuit mirabilius, quod animi quoque tam pervicacis curatio ſtatim conſequuta eſt. Quaſi enim gravi ſomno experrectus puer, cum ſe collegiſſet ad virtutem, & doctrinæ ſtudia, tanto amore inflammatus eſt, ut omni prorſus caligine diſcuſſa, quæ vitæ auroram quodammodo retardabat, per eam quam inivit, diſciplinarum viam brevi maximas & ſupra ætatem progreſſiones fecerit.

Educatio. 4. Ei vero jam non modo excitato, ſed ſua ſponte currenti, ſtimulos quoque ſolertia gentilis admovit acerrimos, quæ ſecum ipſa reputans, præcipuas curas parentibus eò conferendas eſſe, ut filii a primis annis aſſueſcant verſari cum iis, qui & virtute & nobilitate præſtent, ſumma diligentia curavit, ut moribus ac litteris imbuerentur in collegio Ancharanio, quod olim Petrus Ancharanus, qui ex Farneſia gente jam tum perillustri fuit, ad nobilium adoleſcentium juris civilis ſtudiis operam navantium educationem Bononiæ ex ſuo fundaverat, ſuoque de cognomine Ancharanium appellarat. In quo contubernio nobiliſſimos adoleſcentes ALEXANDRUM FARNESIUM, & OCTAVIUM fratres, eorumque conſobrinum GUIDONEM, ASCANIUM SFORTIAM, ſuavitate morum atque ingenii acumine ita ſibi devinxerunt, ut perpetua inter eos poſtea fuerit officiorum viciſſitudo. Alexander vero ab avo Paulo III. ſummo pontifice ad cardinalatum evectus, ſuſceptam certo judicio erga Palæotos benevolentiam ita conſervavit, ut Gabrieli præſertim non mediocri adjumento poſtea fuerit ad virtutum præmia conſequenda. In eo collegio morum ſtudiorumque moderator Præceptores. erat Sebaſtianus Delius græce latineque eruditiſſimus, qui a Paulo III. pontifice Biſuntinenſium epiſcopus factus fuit. Sed Gabriëli poſtea non defuere præceptores alii inſignes, (inter ceteros Romulus Amaſæus in humanioribus litteris clarus) quorum aſſidua cura rethoricæ & bonarum artium confecto curriculo, philoſophiam in ipſa adoleſcentia fere univerſam tenuit, ceteriſque diſciplinis etiam theologiæ cognitionem poſtea adjunxit; atque ex hac multiplici eruditione apte ſeſe in omnes fere ſcientias effundente, dicendi ſcribendique facultatem egregiam ſibi comparavit. Totam denique operam enixo conatu in legum ſtudia contulit, audivitque Marianum Soccinum, & Auguſtinum Beroum juriſconſultos illuſtri fama celebratos.

Laurea doctorali decoratus jus Cæſareum Bononiæ interpretatur. 5. Itaque non longo intervallo annum vigeſimum quartum agens, poſt conſueta doctrinæ certamina ſolemni ritu laurea decoratus eſt, aſcituſque illico in collegium doctorum, (qui ſane honor Bononiæ præcipuus in Palæota familia ſemper continuarat) juris Cæſarei interpretandi munus publicum plures annos egregie ſuſtinuit, magna audientium approbatione, a quibus junior Alciatus honoris cauſa vocabatur. Inter alios ejus auditores, quorum dignitas & doctrina magiſtri præſtantiam oſtendit, SIGISMUNDUS ZANETTINUS Bononienſis legum profeſſor,

Ejus auditores præſtantiſſimi.

archiepiſcopus Firmanus creatus fuit, Scipio Lancellotus Romanus ex Rotæ duodecim viris ad cardinalatum promotus; Hippolitus Aldobrandinus ex ipſamet Romana Rota per omnes inſignium meritorum gradus ad pontificatum aſcendit, vocatuſque Clemens octavus, Chriſtianum orbem ſingulari pietatis & ſapientiæ exemplo gubernavit. Sed Gabriëli perpetuis in gymnaſio occupationibus implicato magnum onus addidit eccleſiaſtica diſciplina, cui ille canonicatu baſilicæ Bononienſis ornatus religioſiſſime ſe addixerat; ſuas tamen partes tam accurata temporis dimenſione agebat, ut quod in primis Deo in templo, quodque ipſi patriæ in gymnaſio debebat, utrumque abſolute omnino perſolveret: quin etiam otii cujuſque vel exigui expers atque impatiens, horaſque ſomno & relaxationi ſubtrahens, librum de Nothis & ſpuriis tunc compoſuit; quo argumenti genere præſtantiſſimi cujuſque juriſconſulti gloriam adæquaſſe exiſtimatur.

Fit canonicus Bononienſis.

Romam pergit.

6. Inter hæc domeſticis quibuſdam moleſtiis impendentibus, præter opinionem Romam primum ire cogitur. Antequam vero illic ſuum expediat negotium, adeſt ex Gallia Alexander Farnesius cardinalis apoſtolicæ ſedis legatus, qui ut vehementer Gabriëlem diligebat, incredibili eum certi verique amoris ſignificatione amplectitur: nam in publicis privatiſque rebus tractandis ex familiari adoleſcentiæ conſuetudine quæ illi cum eo fuerat, paucis quidem illum conferendum, nemine autem inferiorem eſſe judicabat. Quare cum de illo honoribus augendo, ex eo tempore aſſidue cogitaſſet, ætatiſque gravioris judicio, hujuſmodi cogitationes ejus animo in dies maturius inſediſſent, illud potiſſimum totis viribus contendit, ut Gabriël, gymnaſii curis abdicatis, ea quæ docebat jam tandem in tractatione atque uſu ponere; ille tamen de nulla re magis ſollicitus erat, quam de reditu in patriam ab aulico ambitu, atque urbanarum rerum amplitudine omnino alienus; ſed cum ſumma Farneſii auctoritas ad jubendum intercederet, parere compulſus, Vaſionenſium regioni, (quæ in ditione Avenionenſi eſt) a Farneſio cardinali legato præficitur. Neque enim alia tunc dignior ad ornandum hominem amiciſſimum ſeſe offerebat occaſio. Sed eum in itinere improviſus Gentilis matris obitus Bononiæ detinuit; quem caſum omnium acerbiſſimum pertulit Gabriël conſtanti ſane animo, dignoque tali viro, qui poſthac in epiſcopali adminiſtratione & fortitudinis & conſtantiæ exempla ſingularia præbiturus eſſet.

Vaſionenſi regioni præficitur.

Majoricenſem epiſcoparum recuſat.

Interea urgetur etiam, impenſe a Johanne Baptista Campegio Majoricenſium epiſcopo, ut eccleſiæ illi regendæ animum adjiciat. Nam epiſcopus ob infirmam valetudinem, ætatemque annis gravem, ſuas vires epiſcopali labori impares eſſe cum experiretur, neminem & moribus & doctrina Gabriële magis idoneum eſſe arbitrabatur, cui tuto eccleſiæ illius munus demandaret. Quamobrem & ſummo pontifice, & rege ipſo Catholico, cujus imperio Baleares inſulæ ſubjectæ ſunt, factis certioribus, eorumque impetrato conſenſu, nil amplius obſtare videbatur, præter Gabriëlis voluntatem, quo hæſitante atque adeo repugnante, deliberatio omnis repente inciditur ex obitu Peregrini Fabii Bononienſis, qui Romanæ Rotæ duodecim-viratum gerebat. Cumque ſenatus Bononienſis a Paulo IV. pontifice impetraſſet, ut honore illo Bononienſis juriſconſultus decoraretur, ad eum locum Gabriël ſine controverſia aſcendit, propriis innixus meritis, quæ apud pontificem locupletiſſimo teſtimonio illuſtrarat Sylveſter Aldobrandinus, & Marianus Soccinus, quos tamquam duo juriſprudentiæ lumina ſuſpiciebat Italia univerſa; hic quidem Gabriëlis ipſius doctor, ut diximus; ille vero Clementis VIII. pontificis maximi pater, qui ob filii ſub tanto præceptore progreſſus ad hujuſmodi officia incitabatur.

In Rotæ duodecim-viratum cooptatur.

7. A Paulo igitur pontifice in Urbem accitus Gabriël, cum vix trigeſimum tertium ætatis annum attingeret, in illud collegium cooptatur ſummo collegarum conſenſu, gratiſſima faventis aulæ admurmuratione, atque incredibili Bononienſium lætitia, ſtudioſis exceptis, qui ejus præſenti patrocinio, ſedulaque opera deſtituti, relicto Bononienſi gymnaſio, plerique Patavium receſſere. Ille vero multo citius quam fieri ſolet in luce hominum, in ore principum virorum eſſe cœpit, quippe qui in retinenda pietate atque integritate miram diligentiam ac ſollicitudinem adhibuit ſemper; atque idcirco tantum abeſt ut quidquam prætermitteret, quod ad onus illud recte perferendum facere videbatur, ut etiam non alia, niſi ſuorum laborum induſtria, neque alio niſi incorrupti animi præſidio, ad cetera quæ ſubſecuta ſunt majora munera obeunda aditum ſibi tutum eumdemque ampliſſimum pateſecerit. Cum enim vix fieri poſſit, ut in controverſiis judex æque utrique litigantium ſatisfaciat, fugit ille in primis aulica ſtudia, ad quæ ambitio non paucos exſtimulare ſolet; nam ad gratiam captandam nullum umquam adivit procerem, abſtinuitque prorſus ab ipſis obſequiis quæ Farneſio cardinali debere ſe profitebatur; tantoque ſtudio vel ipſam ſuſpicionem avaritiæ evitavit, ut honeſta etiam lucra quæcumque ſuſpecta haberet, dona rejiceret, nihilque penitus in gratiam faceret, cum tamen gratiſſima ſemper eſſent illis ipſis qui cauſa cadebant, judicia quæ pronuntiabat, facilis ad audiendum, timidos etiam ultra ad dicendum invitans, ad reſpondendum benignus atque expeditus. Ante vero quam ad ſententias ferendas accederet,

ret, consueverat perscrutari diligenter an controversiis amice & benevole dirimendis locus aliquis relinqueretur. Hinc facile eveniebat, ut gravissimas difficultates nullo fere negotio sedaret, atque eorum exemplo, qui ipso hortante æquabilitatem amplectebantur, frequentissimus clientum numerus excitaretur, qui eum assidue circumstabat.

A Pio IV. mittitur ad concilium Tridentinū.

8. Inter has Gabriëlis occupationes moritur Paulus IV. pontifex, & Pius IV. ei in pontificatu succedit. Is dum multa molitur, ut affectæ reipublicæ Christianæ, ac variis hæresum, quibus partim tentabatur, partim intime urebatur, morbis succurreret ac mederetur, nullum præter alia remedium efficacius fore sapientissime judicavit, quam si œcumenicum concilium a Paulo tertio inchoatum ad finem usque perduceretur. Cum igitur ad opus præclarissimum in ipso pontificatus initio se accinxisset, destinatis sex cardinalibus legatis, qui concilio præessent, inter alios præcipuos ejus administros ex duodecim viris Rotæ unum Gabriëlem selegit, qui legatis apostolicæ sedis hac in re omnium gravissima assisteret; noverat siquidem Pius multo ante hominis doctrinam, atque incorruptos mores.

Alegatis ad concilium quanti æstimaretur.

9. Proficiscitur itaque Tridentum, urgente pontificis jussu, atque in ipso itinere HERCULI GONZAGÆ cardinali amplissimo legationis illius principi cum se adjunxisset, quem antea nec de facie quidem agnoscebat, (ea vis est ac pulchritudo virtutis) tantam ab eo gratiam inivit, ut in quacumque concilii actione, nihil umquam postea Gonzaga vel animo decreverit vel reipsa perfecerit, ipso insscio, cum quo consilia omnia, & cogitationes suas conferre solitus erat. Habuit quoque magnam auctoritatem, atque existimationem apud alios cardinales legatos, qui de eo amando, atque ornando inter se quodammodo certabant, præcipue vero Simoneta, Seripandus, & Varmiensis, vitæ probitate, doctrina & prudentia præ ceteris clarissimi. Quod autem admiratione dignum est, cum vix fieri possit, ut in consultationibus ac disceptationibus maximarum rerum omnes idem sentiant, ille nihilominus integritatis ac sapientiæ summa laude studia legatorum ita promerebatur, ut licet in re ipsa interdum discordes essent, in efferenda tamen ejus virtute, summam conjunctionem atque concordiam haberent.

Ejus in concilio munia.

10. Ejus partes erant, præter alia, interdiu & noctu etiam sæpius legatos adire; antistites, qui ad eum accedebant singulis fere momentis, audire, eorumdem senatum convocare; litteras, quæ ab urbe mittebantur recitare, decreta antistitum adnotare; concilii sanctiones dictare; principum oratores legatorum nomine convenire, eorum responsa ad legatos referre; edicta tum voce tum scripto promulgare. Quibus in omnibus negotiis necessariam gravitatem affabilitate atque urbanitate sic condiebat, ut summi quique viri, eum non solum singulari observantiæ cultu, sed etiam egregia veri amoris significatione prosecuti fuerint. Inter quos extitere HUGO BONCOMPAGNUS episcopus Vestanus, NICOLAUS SFONDRATUS episcopus Cremonæ, JOHANNES-ANTONIUS FACCHINETTUS episcopus Neocastri, qui postea cardinales creati, ad pontificatum etiam assumti sunt; ANTONIUS AUGUSTINUS Hispanus episcopus Ilerdensis, HIERONYMUS TRIVISANUS Venetus episcopus Veronæ, THOMAS COVARUVIAS de Lequa Hispanus episcopus Civitatensis, HIERONYMUS RAGARRONUS Venetus episcopus Famagustanus, NICOLAUS DE PELVE' Gallus archiepiscopus Senonensis & postea cardinalis, ÆGIDIUS FUSCARARIUS vir sanctissimus episcopus Mutinæ, LUDOVICUS BECCATELLIUS Bononiensis magna integritate & sapientia præditus, archiepiscopus Ragusinus, qui cum valetudinis causa ecclesiæ illius administratione levari cuperet, in unum Gabriëlem oculos conjecerat, cui conscientiæ fide haud commotus illam tunc gubernandam traderet; sed Gabriel neque precibus neque argumentis ullis umquam in Beccatellii sententiam atque officia flecti potuit, utpote cui regendi ecclesias pondus res ipsæ, quas in concilio præ manibus habebat, formidandum ostendebant: gratissimo tamen memorique animo ejus erga se propensam voluntatem æstimans, ipso demortuo fratris filium LUDOVICUM BECCATELLIUM virum rectissimis studiis atque ingenio eleganti, liberalique præditum, inter suos intimos familiares habuit. Ceterum ejusmodi rerum mole pressus, ut non solum noctes insomnes, sed pervigiles ducere cogeretur, succisivas eo ipso horas more suo surripuit, quibus vacavit scriptionibus, atque inter alia, actorum totius concilii plenissimam ornatissimamque historiam conscripsit (a) [4]

Ragusinum archiepiscopatum recusat.

Eum Moronus cardinalis suorum consiliorum facit participem.

11. Interea Tridenti discedunt e vita Gonzaga & Seripandus cardinales, dum continenti labore connituntur, ut permagnis difficultatibus superatis, concilium præclaro exitu concludatur. In Herculis locum a pontifice suffectus est HIERONYMUS cardinalis Moronus, eorum jacturam, magna ex parte compensavit, & de Gabriëlis virtute ac meritis existimationes ac judicia non æquavit modo, sed etiam longe superavit. Nam in rerum illarum magnitudine, a quibus totius Christianæ reipublicæ salus ac dignitas pendebat, Gabriëlem, tum consiliorum omnium participem fecit, tum complurium rerum optime gestarum auctorem fuisse non semel affirmavit.

Romam reversus jussu pontificis scribit de concilii statu sacerdotum.

12. Postquam igitur exoptatus finis con-

(a) Hanc historiam præ manibus habuit Odoricus Raynaldus, eaque in conscribendis Annalibus ecclesiasticis feliciter usus est.

cilio impoſitus fuit, Romam rediit Gabriel, ſumma amicorum, propinquorum & familiarium lætitia exceptus. Nec minora cardinalium & Romanæ auiæ procerum benevolentiæ in eum documenta extiterunt. Cumque præcipua quædam concilii decreta, antequam ederentur, diligentius iterum eſſent conſideranda, ipſe quoque pontifex quantum Gabriëlis judicio & doctrinæ tribueret, hoc ei impoſito onere, aperte declaravit, ſocioſque laboris adjunxit HUGONEM BONCOMPAGNUM tunc epiſcopum Veſtanum, & FRANCISCUM ALCIATUM, quos paulo poſt etiam cardinales creavit. Reſtabat quoque, ut refellerentur opiniones quædam hæreticorum de cœlibatu ſacerdotum, deditque Pius negotium archiepiſcopo Lancianenſi, eidemque epiſcopo Veſtano, ipſique Gabriëli, cui inſuper ut omnia ſcripto mandaret imperavit; id quod ille tam accurate ac docte præſtitit, ut ex hujuſmodi ſcriptione & apud pontificem & apud doctiſſimos quoſque viros laudem acquiſiverit ſingularem.

Fit cardinalis.

13. In illa tranquillitate rerum, qua ob felicem eventum concilii Chriſtianus orbis perfrui videbatur, conſtituerat pontifex ſacrum cardinalium ſenatum augere viris egregia virtute præſtantibus, qui ejuſdem concilii negotium ſua opera provexiſſent. In ea ſententia confirmarat illum Moronus cardinalis, qui maximam auctoritatem nomenque habebat, & Romam reverſus, cum de toto illo progreſſu ſæpe pluribus longis & familiaribus colloquiis Pium feciſſet certiorem, Palæotum quoque præclare commendavit, deque eo tam multa honorifice dixit, ut Pius, qui illius merita multo ante noverat, Moroni etiam adductus teſtimonio, incitatuſque ab ipſo nepote CAROLO BOROMÆO cardinali, qui de Gabriëlis integritate optime ſentiebat, illum cardinalitia dignitate augere conſtituerit. Indicto demum ſenatu, in quo cardinales creandi erant, urbe tota ſollicita, ac tamquam importunis fluctibus ſpei metuſque agitata, Gabriel, quamvis propenſam erga ſe Pii voluntatem a Farneſio reſciviſſet, nulla animi perturbatione commotus, ipſum diem, qui ſenatum anteceſſit integrum cum Guillelmo Sirleto protonotario viro doctiſſimo, cum quo ei erat ſumma neceſſitudinis ac ſtudiorum conjunctio, in ſacræ theologiæ diſputationibus pacate conſumſit, & ſubſequenti die, quo cardinalis a pontifice declaratus fuit, ab ea cura vacuus, audiebat clientes, intento ſolum animo negotiis illis, quæ ad munus Rotæ pertinebant. Itaque una cum duobus & viginti viris præſtantiſſimis, inter quos fuit idemmet GUILLELMUS SILLETUS in cardinalium collegium cooptatur, & diaconiæ ſanctorum Nerei & Achillei titulo adſcribitur, anno a Virginis partu MDLXV. Cum, quod admiratione dignum eſt, perbrevi tempore, nempe novem annorum ſpatio, ex quo Rotæ auditor factus fuerat, nullis regum aut principum virorum promotus officiis, ad eam honoris amplitudinem pervenerit. In ea nullo faſtu elatus nulloque humanæ gloriæ, qua & afficimur & ſæpe conficimur ſenſu, ne leviter quidem impulſus, tantam moderationem ſtatim adhibuit, ut in ipſa dignitate natus & longo tempore enutritus eſſe videretur. Atque inter cetera æquanimitatis hujuſmodi documenta, quamvis liber omnino a curis eſſet judicia exercendi, quibus ante cardinalatum premebatur, non obſcuro tamen Chriſtianæ caritatis exemplo, iis omnibus tamquam clientibus patrocinabatur, qui ad eum conſilii aut auxilii petendi cauſa confluebant. Solam paupertatem, in progreſſibus adeo magnis, ei impedimento fore æſtimabant, ii potiſſimum, qui illum nihil umquam ſibi ſepoſuiſſe norant, ſed honore & laude potius quam pecuniis rem auxiſſe familiarem, cum præſertim fraternæ opes licet honeſtæ, haud ſufficerent ad beneficentiam & largitatem oſtendendam, quæ in magnis rerum incrementis deſiderari ſolet. Præſto illi tamen fuit antiquum Farneſii cardinalis præſidium, quo fultus & veteri ſuo modeſtiæ inſtituto ſatis egregie dignitatem ſuſtinuit.

In conſiſtorio magna animi conſtantia ſententiam profert aliis adverſam.

14. Eo ipſo tempore, quo vix cardinalatum inierat, contigit ut ei non leve dignitatis ab ipſa dignitate periculum eſſet, cui tamen ille ſeſe intrepidus obtulit, integritatem animi per omnia rerum diſcrimina caſuſque ſartam, ut dicitur, tectamque conſervans. Agebatur tunc de bello contra Catholicæ fidei perduelles in Gallia ſedis apoſtolicæ copiis & auxiliis proſequendo: ſed cum ærarium in publicos ſumtus, ac præcipue in eos quos concilium Tridentinum abſorbuerat, exhauſtum eſſet, ea erat Pii & cardinalium ſententia, ut ſubſidium a pontificiæ ditionis populis peteretur. Quippe rationi conſentaneum maxime videbatur, & ad ſedem apoſtolicam in primis pertinere, ſi Karolo regi Chriſtianiſſimo in tam opportuno tempore contra acerbiſſimos hoſtes ſuppetiæ ferrentur. Relata ad ſenatum re, unus Gabriel communi ſententiæ repugnavit, variis argumentis docens, honeſtam quidem & maxime neceſſariam ejuſmodi auxilii dandi cauſam videri, ſed antequam novum onus ſedis apoſtolicæ provinciis jam exhauſtis ſuperadderetur, plura eſſe perpendenda, atque eo cautius deliberandum principibus in graviſſimis rebus, quo majoribus difficultatibus reſpublica premeretur: populos quidem eccleſiaſticæ ditionis amore potius ac beneficiis, quam armis atque arcibus in officio contineri; vectigalibus vero cum populi onerantur, benevolentiam hanc de medio tolli, verendumque eſſe ne redemtores brevi temporis ſpatio pignorum loco pauperes bonis omnibus exſpoliarent; populi vero ſic one-

rati ne hoſtes propinqui ac domeſtici efficerentur, ſe non quærere, an pecuniis ærarium omnino vacuum ſit, aliter tamen de ea re a populis judicari, eorumque benevolentiam ærarii inopiæ prorſus anteponendam, neque a miſeris hominibus ea impoſitis vectigalibus extorquenda, quæ ſponte niſi premerentur exhibituri eſſent. Hoc ſe juſſum, prout ſentit, ea qua decet reverentia in medium afferre, quæ ſine nefario ſcelere prætermittere non poſſit. Silentibus cunctis atque obſtupeſcentibus, Gabriel auditus fuit, pleriſque etiam cardinalibus ſummiſſa voce extollentibus ejus animi magnitudinem ac ſenatoriam in dicenda ſententia libertatem. Nemo vero id tam acerbe tulit, quam nonnulli adminiſtri ejuſmodi vectigalium, qui pecuniarum lucris inhiantes, in Gabriëlem magna indignatione incenſi, impetrarunt ut centum aurei nummi ei ſtatim auferrentur, quos ex publico ærario ad paupertatem ſublevandam eidem cardinali creato *ſingulis menſibus pontifex numerari juſſerat.* Qua jactura, ſi ejus fortunas aſpiciamus, maxima; ſi animi robur atque integritatem, leviſſima, nequaquam permotus, nec variis minis, quæ in eum jactabantur, percuſſus; Pium pontificem adiit, eique iterum ſententiam ſuam explicavit adeo conſtanti animo, validiſque rationibus, ut pontifex re optime perſpecta, arctiore quam umquam antea *amoris vinculo eum complexus, ejus probato conſilio, nihil amplius de novis illis vectigalibus imponendis conſtituendum eſſe cenſuerit.*

In electione Pii V. ut ſe geſſerit.

15. Verum Pio, non multo poſt ad ſuperos evocato, novus Gabriëli patuit campus e republica ſe in cardinalitio munere exercendi. Nam edictis comitiis ſummo pontifici creando, & cardinalibus de more in Vaticana clauſtra congregatis, cum Palæotus tunc primum experientia comprobaturus eſſet, quam ardui negotii moles ſacro ſenatui incumberet, tutum ſibi pontificis eligendi modum præfinivit, non illum quidem a proprio judicio aut humana prudentia omnino captum, ſed a Deo, cujus cauſa agebatur, diurnis nocturniſque precationibus & voluntaria corporis afflictatione, ac jejuniis efficaciter impetratum. Inclinabat ejus animus in Farneſium aut Moronum cardinales, uſu rerum præcipue & ſapientia ſpectatiſſimos, ſed ſuffragiis deficientibus, totam operam ſtudiumque contulit in GUILLELMUM SIRLETUM & MICHAELEM GHISLERIUM Alexandrinum cardinales, qui priſcam illam ſanctorum patrum diſciplinam moribus & doctrina præ ſe ferre videbantur. Sed cum Sirleto ſuffragium unum ad pontificatum defuiſſet, Borromæi cardinalis voluntati tantum ex Gabriëlis officiis acceſſit propenſionis ac ſtudii, ut Alexandrinus demum, initis cardinalium a Pio IV. creatorum ſuffragiis, A pontifex fuerit declaratus.

Invitus creatur epiſcopus Bononienſis.

16. Is grato Pii reſumto nomine, gubernacula ſacri imperii vix attigerat, cum eniti cœpit, ut inter ceteras Tridentini concilii ſacroſanctas leges, quæcumque præſertim de recto eccleſiarum regimine, & epiſcopali reſidentia in eo decreta fuerant, religioſe obſervarentur. Atque ad id perficiendum ſtimulis aſſiduis a Borromæo cardinali potiſſimum concitabatur, qui ad Mediolanenſem eccleſiam, cui præerat recenſendam, ejuſque mores emendandos magno animi ardore aggreſſus fuerat. Cumque eo tempore e vivis B ſublato RAYNUTIO FARNESIO cardinali Pauli III. nepote, Bononia careret epiſcopo, hac arrepta occaſione Pius ei civitati, quæ & potentia & amplitudine præſtat, epiſcopum Gabriëlem deſignat. At ille ex hac pontificis deliberatione pene animo conſternatus, repugnare primum omnino & precibus contendere, nec ipſas lacrymas continens, etiam atque etiam obteſtari Pium, ne ſe in tantum *periculum & diſcrimen vocaret; maximas* enumerare difficultates epiſcopalis muneris in patria obeundi, affirmare, alios quidem C falli poſſe, dum honorificentius de ſe judicarunt, quam ipſe mereri ſe ſciret, qui experiretur etiam in exiguis rebus virium ſuarum imbecillitatem, hancque viam laborum ingredienti ſibi, tamquam exiguæ ſtaturæ homini induenda eſſe gigantum arma, quibus *ſive in via, ſive in prælio* ad interitum uſque impediretur, alia demum plura; ſed fruſtra tamen in medium adducere. Ex qua ſane pia egregiaque animi demiſſione, non minus laudis tunc ad eum pervenit, quam ex optime geſta re poſtea in illius eccleſiæ gubernatione. Victus itaque & ipſius Borro- D mæi adhortationibus erectus, pontificis imperio obtemperat, atque ab eodem Borromæo conſecratus anno ſexageſimo ſexto poſt milleſimum quingenteſimum, diſcedendi venia a Pio ſtatim impetrata, ante jejunii quadragenarii initium Bononiam properat.

Bononiam venit, ac ſuos hortatur ad præſcriptam a concilio diſciplinam ſectandam.

17. In urbem igitur ſuis pene ex ſedibus revelli ſe geſtientem, ut patri ac civi ſuo obviam occurreret, accipitur incredibili ſenatus, populi & diœceſeos univerſa frequentia, quæ ad tanti viri adventus famam eo confluxerat. Peractiſque ſacris ritibus, quibus advenientes primum antiſtites ſancta eccleſia coli mandat, qui ſane Bononiæ inſigni ap- E paratu & ſolemni magnificentiæ pompa ſervati ſunt, ille ponderis quod ſubierat gravitatem aſſidua cura perpendens, & privatim cum plurimis ex prima nobilitate agens, qui ad eum inviſendum conveniebant, & in publicis colloquiis ſacriſque ipſis concionibus (a quibus tamquam a præcipuo & proprio epiſcopi munere, ſuarum actionum ſumſerat exordium) omnes admonere hortarique ſedulo, ut ſalutarem diſciplinam e concilii Tridentini fonte hauſtam, ſponte, eaque

obedientia, quæ filios erga parentem, aut discipulos erga præceptorem decet, amplecterentur: esse quidem se dicebat Bononiæ civem, sed jam, quod ex animo dolebat cruciabaturque, cum secum virium suarum imbecillitatem reputabat, a Deo sibi impositum esse parentis & magistri onus: ita tamen ut fieret servus & minister hominum propter Christum. His veluti suæ voluntatis nuntiis præmissis, adhibita diligentissima præparatione, imploratoque cœlesti auxilio per assiduas preces, iterata sacrificia & jejunia, (ea enim ratione vires ad labores perferendos difficultatesque superandas, & pericula, quæ subsecuta sunt propulsanda reparare consuevit) sese colligens, nonnullos dies consumsit in continuo sacrorum librorum lectione, a quibus tamquam mutis, sed fidelissimis præceptoribus & doceri se & pressum episcopali onere animum sublevari asserebat.

Ludos & choreas festis diebus prohibet.

18. Verum illo se pene accingente ad pravas consuetudines vel de medio tollendas vel corrigendas, lætitiam qua patria ex ejus adventu efferebatur, subita atque insperata satietas & fastidium subsecutum est: versabatur Italia atque adeo totus Christianus orbis in magna vivendi licentia & libertate, atque inter cetera sacri dies, quos tamquam divino cultui dicatos, caste pieque transigere jubemur, per convivales ludos saltationesque celebrabantur. Hanc itaque publicam peccandi sub specioso amicitiæ per familiaritatem & faceta colloquia conservandæ nomine illecebram detestabilemque consuetudinem, quæ locis in omnibus palam, non solum impune, sed etiam tamquam laudabilis inoleverat, ante omnia sibi Bononiæ extirpandam esse existimavit Gabriel; quippe qui si remedium inveterato illi & communi malo parare potuisset, etiam si magno populi dolore id fieret, facilem sibi totius commissi gregis procurationem fore speraret. Lege itaque lata profani lusus, choreæque sacris diebus prohibentur. Enimvero id populi tam iniquo tulere animo, ut aliquot menses, tamquam exul Gabriel episcopus Bononiæ vixerit, ab omnibus vel ipsis affinibus & consanguineis delectus, ut dum per Urbem quoque incederet, aperte negligeretur ac vitaretur. Porro multo etiam majores difficultates offendit, cum paulo post, ecclesiæ Bononiensis bona recognovit, multaque in profanos usus translata, ne suæ sponsæ sacram dotem occupari sineret, recuperanda curavit. Verum Dei gloriam suique salutem gregis ante oculos sibi cum proposuisset, constantissimo animo fluctus omnes perturbationum infregit; quin ea veluti septa, quæ ad continendas errantes oves paraverat, quæque in malum pronæ hominum mentes quodammodo furentes perfringebant, tanta patientia & mansuetudine reparabat, ut illi ipsi, qui in eum furere videbantur resipiscentes, illum ad reliquas episcopi partes peragendas ut cum maxime juverint.

Ex hisce initiis veluti ex gravi somno excitati populi, ad morum normam ita se accommodarunt, ut abusus in posterum Gabriel vel penitus eradicarit, vel a radice vix pullulantes incidere facile potuerit.

Primus concilii Tridentini sanctiones in usu posuit.

19. Quia vero tamquam in agro spinis undequaque sentibusque obsito non vulgari industria, sed exquisito culturæ genere illi fuit utendum; operæ pretium esse existimavi episcopalis tum vitæ, tum administrationis quædam ejus instituta strictim proponere aspicienda, quamquam communia episcopis omnibus, atque ostendere, quibus ille mediis quibusque virtutibus corruptissimo sæculo ipsa in patria, ubi regendi ipsi cives, qui aut se a cive gubernari, aut sibi quidquam negari, aut non indulgeri, moleste laturi essent. Primus tamen concilii Tridentini sanctiones in usu posuit, & sibi creditam Christi vineam sic coluit, ut ab exiguis propagata seminibus, tam ubere fœtu, tamque miro, quam nunc videre est, proventu coaluerit.

Qualis esset ejus familia & vivendi ratio.

20. Eadem igitur Gabrieli episcopo domui & familiæ ratio fuit, quam ante episcopatum sibi præstituerat, ecclesiasticæ modestiæ exemplo potius, quam hominum numero metienda. Numquam tamen caruit eo numero familiarium, quibus tum ad existimationem, tum ad necessaria negotia opus esse judicabat. Non solum in publicis actionibus, sed etiam intra domesticos parietes decorus splendor viro in sacra republica principi congruens elucebat; cum tamen paupertate obnoxius esse censeretur, quippe quod episcopales redditus majori ex parte in pensiones pluribus suinmorum pontificum liberalitate, antequam Gabriel ecclesiam illam obtineret, assignatos dividebantur. Si quos in familiam accepturus erat, tamquam de amicis eligendis, cum ipsis transigebatur studiaque in illis quærebantur, moresque non dispares institutæ disciplinæ. Idcirco admissos semel numquam missos fecit; & cum novi subsecuti sunt, veteres numquam fastidivit. Paucis exceptis, qui sæcularibus operibus curisve in domestica re implicabantur, ceteri omnes, aut clerici, aut sacerdotes; ex quibus plures nobilitate, aut doctrina præstantes, quorum merita in eadem palæstra indicabunt, ne omnes recenseam, Guillelmus Scepræus Anglus theologus, græcæ atque hebraicæ linguæ peritissimus, qui Miscellaneorum appellatum volumen in sacra Biblia edidit; Alexander Burgius Mutili prior exculta omnium scientiarum eruditione, & græcis latinisque litteris insignis, ad episcopatum Burgi sancti sepulchri promotus; Evangelista Carbonesius, cujus in gerendis negotiis dexteritatem Gabriel valde commendare solitus fuit, canonicatu Basilicæ sancti

Petri Romæ honeſtatus; Dominicus Gualandus, qui poſtea Bononienſis & Florentinæ Rotæ auditor fuit; Alexander Beroaldus canonicatu baſilicæ Bononienſis auctus, aliique quorum opera, tum in regenda familia, tum variis in rebus maximi ponderis, maximo earum ſuoque commodo impenſe atque aſſidue utebatur. Præſcripſerat ille ſuæ domui accommodatas leges, ex quibus mirus ordo, mira concordia, atque in diſcipſina cuſtodienda incredibilis facilitas atque obedientia oriebatur. Cibus in cœnatione ab omnibus uno eodemque tempore ſtatis horis capiebatur, & animum interea, ne illi quoque ſua oblectatio deeſſet, a ſacris hiſtoriis & eccleſiaſticis doctoribus ſumta lectio recreabat. Ciborum uſus non delicatus neque ſumtuoſus, ſed tuendæ potiſſimum valetudini conveniens. Cubicula modeſte inſtructa extra delicias & auſteritatem, veſtitus decorus & mundus, nec diligenter exquiſitus, nec omnino abjectus, ceteris diſciplinæ partibus reſpondebat. Sacerdotes & clerici feſtis potiſſimum diebus in majori templo convenire, illi frequenter miſſæ ſacrum facere, hi ſingulis menſibus una cum ſæcularibus, ex ipſius manu corpus Domini ſumere: veſperi tempus quotidie datum eſt ſacris precationibus, quibus omnes in ſacello ad id extructo & parato intererant. A cœna præſente ipſo epiſcopo, hyeme præſertim per horam jucundiſſima de ſacris rebus colloquia ſerebantur. Is demum erat vivendi ac degendi modus in Gabriëlis domo, ut qui ſemel in eam admiſſi fuerunt, numquam fere poſtea diſceſſerint, ſed triginta, quadraginta & amplius annos in ea explerint, inſenuerint, diemque clauſerint extremum, inter quos adhuc ſuperſtitem honoris cauſa nominuo Ludovicum Nuceium, qui Gabriëli, cui a ſecretis fuit, mira fide atque integritate ſive in adverſis, ſive in proſperis rebus inſervivit ab eo tempore, quo ille primum Bononiæ Romam ivit.

Ex ejus domo plures prodierunt epiſcopi.

21. Porro cum multa prudentia, probitate ac doctrina præditos in primis eos eſſe oporteat, qui epiſcoporum vices gerunt, & judiciis jurique dicendo præſunt, non ſolum Gabriel ſummo ſtudio ac diligentia hujuſmodi adminiſtros conquiſivit, ſed etiam liberaliter & perhonorifice tractavit, nihil eorum munerum in ſe trahens, quæ ipſorum propria erant, nihilque de ipſorum auctoritate ac dignitate apud illos minuens, qui in eauſarum diſceptationibus, ut plerumque accidit, conqueruntur. Foro autem epiſcopali optimis regulis inſtructo, ad quas directi qui in eo verſabantur, corruptelæ ſuſpicionem omnem effugerent, deſtinatiſque piis locis, quo multatitia ſontium pecunia palam erogabatur, cujus adminiſtri nullam in partem, quæ æqua non eſſet, inclinare, nedum labi umquam poſſe videbantur. Hinc factum eſt, ut a Gabriëlis domo, veluti officina egregiorum virorum prodierint plures epiſcopi ANGELUS PERUTIUS Sarſinæ, NICOLAUS HORATIUS Catanzarii, NICOLAUS TURRICELLA ſanctæ Agathæ, MARCUS ANTONIUS SALAMONIUS Soræ, ANTONIUS BORNIUS Belcaſtri, BERLINGERIUS GYPSIUS Arimini, qui nunc in Urbe ſummi pontificis vicarii vices gerit, SEBASTIANUS MEDICES magni nominis & doctrinæ juriſconſultus, aliique quos prætereo; ex his enim facile de ceteris æſtimabitur.

In arduis negotiis doctiorum virorum conſilio utitur.

22. Etſi vero tales illi erant, ut in eorum fide ſui oneris magnam partem ille deponere potuiſſet, nihil tamen in arduis negotiis deliberari patiebatur, niſi aliorum etiam ſententiis exploratis. Quapropter tum ex clero tum ex ſæcularibus plures pro varietate & conditione rerum, de quibus agebatur, acerrimo judicio ſibi elegerat idoneos viros, ſtatoſque dies præſcripſerat, quibus in ejus colloquium & congreſſum veniebant. Ex hac communicatione mirum eſt, quot bona emanarint, non ſolum quod optimus exitus unicuique negotio contingeret, ſed etiam quia univerſa civitas, cum ab epiſcopo rationem haberi cerneret ſuorum civium, quicquid Gabriel conſtituebat tamquam prudenter excogitatum &, rejecto propriæ affectionis impulſu, decretum facilius amplectebatur. Quæ res non mediocri adjumento illi fuit, illis initiis præſertim ſuæ epiſcopalis adminiſtrationis. Idemque inſtitutum poſtea ſemper ſumma cum prudentiæ laude tenuit, licet nonnullis, vel modica tarditas quam conſultationes pariunt, in rebus agendis odioſa eſſet.

Diœceſim viſitat.

23. Hiſce fultus præſidiis, & veluti alte defoſſo alveo, quo reliquæ epiſcopales actiones pleno curſu fluerent, duram omnino, & magnis difficultatibus implicatam provinciam cœpit ſuæ eccleſiæ recognoſcendæ, & ſingulos tamquam Chriſtianæ militiæ ordines recenſendi. Obſtabant actioni illi numquam antea uſu receptæ, laxi hominum mores, atque ingenia ab odioſo correctionis & cenſuræ ipſo nomine abhorrentia, atque inter cetera afferebat impedimentum, quod nulla diligentia, induſtriaque ſuperari poſſe videbatur, eccleſiaſticæ diſciplinæ corruptela & depravatio. Unde nullus ubique locorum aut exiguus ſane in ſacris ædibus locisque cultus, & quod unum reliquum erat epiſcopis concilii Tridentini perfugium obſtruebant inveteratæ atque in malo obſtinatæ voluntates. Verum cum niſi ante omnia hoc fundamentum difficili quidem, ſed neceſſario labore jaceretur, Gabriël ſpiritale quodcumque ædificium, tamquam male materiatum & ruinoſum eſſe intelligeret; opus hoc arduum ſtrenue aggreſſus eſt, & nullo timore perculſus, nulliſque periculis territus, egregie perfecit. Sæpius enim vehementibus procellis ab impietate hominum exci-

tatis, ſacrum illud negotium non ſolum perturbatum eſt, ſed etiam pene obrutum, variis in epiſcopum ejuſque familiares diſſipatis in vulgus calumniis, ille tamen expectavit ſemper atque evitavit tranſitum tempeſtatum ea conſtantia, tantoque Chriſtianæ patientiæ & caritatis exemplo, ut portum denique tutiſſimum in ea actione tenuerit, & diœceſeos cenſuræ quotannis habendæ viam facile complanarit, modumque præfiniverit, pauciſſimis comitibus famuliſque adſcitis, quos omnes operi ſuſcepto, laboribuſque aptos judicabat; quare eccleſiaſticæ res tantum abeſt ut detrimentum paterentur nimiis fortaſſe gravatæ ſumtibus, ut potius Gabriëlis liberalitate ipſa loca, in quibus inopia laborabatur, pecuniarum largitione ubique ab eo facta non mediocriter ſublevarentur.

Conciones in ſua diœceſi ad populũ haberi curat.

24. Inter hæc Dei cultus, qui veluti denſis ante concilium tenebris obſitus deliteſcebat, elucere, Chriſtiana pietas vires paulatim ſumere, quique jam longe a recto tramite aberrarant, morum correctionem non ſubterfugere, ſed ſacra templa & res divinas frequentare, illo ſingulari inter cetera a Gabriële collapſis rebus importato adjumento, quo nihil efficacius, nempe prædicatione verbi Dei, cui muneri, quod epiſcoporum proprium dicitur, recte & fructuoſe obeundo, non ſolum ipſe epiſcopus ſe totum applicuerat, ſed magnam induſtriam operamque in eo collocarat, ut & in ipſa urbe Bononia, ipſo præſertim ſacri jejunii quadragenarii tempore, tum in diœceſi ubique fere ſacri concionatores ex variis ordinibus religioſorum virorum accurate delecti evangelium explicarent: qui ab eo edocti atque inſtructi, neque plauſum quærerent, neque oblectarent, & inani ſermone prurientes aures quodammodo ſcalperent, ſed ad virtutis amorem odiumque vitiorum populos excitarent. Hinc factum eſt, ut plurimi a teterrima pravitate morum ad Deum converterentur: hinc ſublatis diſcordiis, reſtinctis odiis, tanta excitata pietas, ut ſacræ confeſſionis & Euchariſtiæ ſalutarem uſum frequentem, diaboli fraude pene extinctum, Bononiæ exemplo, civitates etiam finitimæ recéperint.

Synodos quotannis celebrat ac clerum reformat.

25. In tantis progreſſibus florentis illius epiſcopalis regiminis, poſt perluſtratam, ut dixi, urbem, atque in ea erectam veluti fortiſſimam rectæ gubernationis arcem, diœceſim vero tamquam variis munitionum præſidiis firmatam, ut animarum ſaluti nulla non ex parte conſuleret, eaque præcipue quæ ad eccleſiaſticæ militiæ diſciplinam ſpectant curaret, congregato univerſo clero ſynodum celebravit, morum vero reformationem tanta prudentia in canonicorum, ſacerdotum & clericorum animis cœpit inſerere, ut exiguo mutatæ conditionis, eoque ſuavi ſenſu, quæcumque tum de habitu, qui eccleſiaſticos viros decet, modeſtia, tum de eorum muneribus atque officiis tunc primum decrevit, placido uſu recepta & retenta fuerint. Non enim uno eodemque tempore, ſed ſenſim & leviter corruptis moribus adhibuit medicamenta. Quapropter id illi potiſſimum curæ ſemper erat, ut ſynodi quotannis celebrarentur, neque tamen decretorum multiplicem congeriem in medium afferret, ſed pauca & illa, quibus animorum morbis, quos in ſuo grege magis periculoſos eſſe cognoſcebat, ſuccurreretur.

Exercitia litteraria inter parochos injungit.

26. Nullus illo hominum ſollicitior de parochorum præcipue integritate ac doctrina, quam exquiſita diligentia perpendebat. Atque ut majore etiam præſidio firmaret, diſtributa diœceſi in varias veluti provincias, vicarios diœceſanos earum conſtituit, atque exercitia quædam litteraria ſpeciatim eis injunxit, quæ congregationes conſcientiæ caſuum appellantur, in quibus nil aliud Gabriël ſtuduit magis, quam ut plura quæ in adminiſtratione ſacramenti pœnitentiæ vel difficultatem parere, vel progreſſus in Chriſtiana pietate augere poſſunt, a parochis & clericis diſcuterentur, ſive invicem communicarentur.

Chriſtianæ catecheſes feſtis diebus pueris faciendas inſtituit.

27. In hunc modum ad meliorem frugem redacto clero & populo, ut Domini vineæ ita cultæ etiam novarum plantarum educatione fœcunditas augeretur, ad aliud opus aggreditur totis viribus perficiendum. Jufſerat in ſynodo a parochis erudiri plebem pueroſque Chriſtiana catecheſi, vetuſque eccleſiæ inſtitutum, quod jam obſoleverat, reſtitui. Quare ipſemet, cum ſelectis ſacerdotibus, vicatim feſtis diebus ad hoc apoſtolicum munus obeundum accedebat: quo exemplo commoti parochi & alacriores facti, patres vero matreſque familias ita incitati ſunt, ut filios ſtatis horis in templa ac loca ubi catecheſim edocerentur, ſua ſponte perducerent. Hinc ſodalitia per totam diœceſim inſtituta virorum & mulierum pietate & Chriſtiana caritate præſtantium, ex quibus operarii tam multi numerabantur, ut cum in ſola urbe dividerentur pueri & puellæ in quadraginta ſcholas, ſexcenti amplius adminiſtri eſſent, qui ſanctæ illi exercitationi ſuam operam eodem tempore navabant.

Pius congregationes & publicas orationes feſtis diebus inſtituit.

28. Curavit quoque civitatis parochos novo & ſalutari exercitii genere ad prædicationem verbi Dei aſſueſcere, ſimulque occaſionem dari populis opportunam in ſacris ædibus diutius verſandi, animoſque divinis præceptis imbuendi, in ipſa baſilica, oratorii nomine indicta congregatione ſingulis fere diebus haberi ſolita, in qua excitati prius ſacrarum hiſtoriarum recitatione animi, ſermonibus piis, ſacris precationibus ac meditationibus ad recte beateque vivendum incitabantur. Quia vero non omnes præ civitatis amplitudine ejuſmodi exercitatione eo-

dem in loco eodemque tempore uti poterant, orationem quam publicam appellavit, feſtis diebus in pluribus eccleſiis ad hoc deſtinatis inſtituit. Unde tantum incrementi factum Chriſtianis progreſſibus, ut profanis deambulationibus ludiſque, aut intermiſſis, aut omnino dimiſſis, pleraque pars civium accommodata, illa occupatione detenta, placide tempus ac religioſe tranſigeret.

Seminarium clericorum & gymnaſiũ erigit.

29. Sed quo feliciorem exitum hæ Gabriëlis actiones ſortitæ ſunt, eo majore incendio caritatis æſtuabat ille, ut commodis atque utilitati ſuorum populorum inſerviret, neque ſolum præteritis malis, ſed etiam futuris remedia compararet; eamque compendiariam emendandorum abuſuum viam eſſe judicans, ut adoleſcentes clericali inſtituto aſſueſcerent, ac ſacræ militiæ quodammodo, in qua poſtea ſtrenue plura ſtipendia facerent, nomen darent; excitavit ſummo labore atque induſtria ſeminarium, quod vocant clericorum, & numero & progreſſibus inſigne, ditavit cenſibus, pluresque in eo ſuis ſumtibus adoleſcentes ſacris initiatos aluit. Quia vero non omnibus clericis in ſeminario locus eſſe poterat, gymnaſium in ſeparato ædium epiſcopalium loco clericis aliis non paucis, qui ſimul inſtituerentur, adoleſcentibus paravit, quibus muſices, grammatices, & caſuum conſcientiæ (in his enim rebus quæ eccleſiaſticæ ſunt utar propriis eorum vocabulis) eccleſiaſticæ denique diſciplinæ abſque ulla ipſorum impenſa præceptores attribuit.

Societatem Perſeverantiæ inſtituit.

30. Interea dum hæc & ejuſmodi alia Bononiæ geruntur, Pio V. optimo pontifice vita functo, GREGORIUS XIII. Bononienſis in pontificatu ſucceſſit, Gabriël vero poſtquam Romam venit, ibique cardinalitio muneri in illius pontificis electione ſatisfecit, nequaquam diutius cunctatus, Bononiam ſtatim reverſus, incœptos jam pro ſui gregis ſalute labores eo alacriore proſequutus eſt animo, quo uberiores fructus a jacta ſemente ad illud uſque tempus colligebat, quoque vehementius ad operis placide & tranquille inchoati perfectionem urgebatur a novo pontifice, qui Pii ſanctis veſtigiis inſiſtens, ſui ingenii lenitate legum ſeveritatem miro condimento temperabat. De novo igitur, eoque firmiſſimo propugnaculo corruptis moribus opponendo atque objiciendo cogitavit. Etenim cum in eam urbem quotidie confluant ex omnibus fere exterarum quoque nationum regionibus nobiliſſimi adoleſcentes, a parentibus aut propinquis miſſi, ut ſcientiam percipiant magnarum artium, ne pravis familiarium amicorumve conſiliis aut exemplis, a recta via rationeve deflectant, ſed ſincerum litterarum atque humanitatis cultum atque ſapientiæ omnis initium, timorem Domini conſervent, inſtituta ſocietate quæ Perſeverantiæ appellata eſt, rationeque inita ejus rectæ gubernationis, tantos fructus collegit, ut gymnaſiarcharum profeſſorum univerſique ſtudiorum ordinis pietas inde maxime enituerit; utpote qui ſanctis adhibitis exercitationibus, indictiſque ſibi a Gabriele legibus innocentiæ, continentiæ, & religionis, non ſolum Chriſtianam vitam profiteantur, ſed etiam diſciplina ſeveriore, quam quæ ceteros vulgo tenet, ſenſus aſtringant; eam vero ſocietatem Gregorius pontifex & probavit, & utilibus multis ad ſalutem privilegiis honeſtavit.

Eccleſiam cathedralem & domum epiſcopalem reſtaurat & ornat.

31. Neque vero in iſta rerum ſpiritualium affluentia ita neglexit temporalia, ut libera-litatem & magnificentiam egregie non coluerit. Templum Bononiæ præcipuum, epiſcoporum ſedes, antiquitatis tantum inordinata & confuſa quadam ſpecie erat viſendum, ceterum omni penitus elegantia atque ornatu deſtitutum, ac præ anguſtia loci ſituſque nulla relinquebatur facultas excogitandi, qui aut illud ipſum laxius fieret, aut in iiſdem veſtigiis novum excitaretur. Ac domus epiſcopalis templo adjuncta ad habitandum inutilis, & vetuſtate pene conſumta, aulæ & cubicula, collabentibus tectis, parietibus male firmis, neque ad normam exactis, ſibi ipſis oneri atque impedimento potius quam habitantium commoditati erant. Ille vero loci, ſitus & expenſarum difficultatibus ſuperatis, excogitato magnificentiſſime inſtaurationis modo, baſilicam illam ad aram maximam ampliſſima apſide concameravit, tribuſque hemicyclis, altaque teſtudine quam columnis ſcapi craſſitudine ac rotunditate, tum celſitudine inſignibus ſubnixam, pictura ſculpturaque ſumtuoſi operis exornavit. Martyrium (quod vocant) amplum extruxit, quod affabre depictis ſanctorum geſtis decoravit, illuſtravitque reliquiis beatorum Chriſti martyrum Vitalis & Agricolæ, quas in eodem templo minus decenti repertas loco, in altari marmoreo a ſe conſtructo ſolemni ritu, urbe illa lætitiam incredibilem præ ſe ferente, collocavit. Hoc enim ſemper in ipſius more fuit, ut actiones ſingulas alicui ad Chriſtianas virtutes publico incitamento connecteret, neque ullam vel exiguam occaſionem præterlabi ſineret, qua populi ad virtutem inflammari poſſent. Neque his contentus, eamdem baſilicam poſtea ditavit etiam eccleſiaſtica ſupellectile, culcitris auro atque argento contextis, pretioſis inſulis, cruce, candelabris, lampadibus ex argento cælatis, ornamentiſque aliis ad aſpectum præclariſſimis. Domum autem epiſcopalem, ædificatis amplis porticibus & periſtyliis, partim renovavit, partim reconcinnavit, atque ex architecturæ lege ſcalas, pavimenta, ſacellum, bibliothecam, dormitoria, cubicula, cameras, aulas, cœnationes tam æſtivas quam hyemales, cellas, horto & fonte adjectis, tam apte refecit, tamque decoro inſtruxit

apparatu, ut non adhuc perfecto ædificio etiamſi plurium eodem tempore virorum principum ſæpe floreret hoſpitio, unuſquiſque tamen & magnifice & ſine ipſorum Gabriëlis familiarium incommodo exciperetur. Vario quoque picturæ genere domus parietes diſtinxit, non illa quidem rerum inani & vacua, ſed quæ ſanctorum facta triumphaleſque laureas repræſentaret, ut eas per tormenta, perque rerum mortalium contemtus emercandi viam oſtenderent ſpectantibus, calcarque æmulandi adderent. Inter alia majore in aula imagines omnium Bononiæ epiſcoporum, quorum hiſtoriam Carolus Sigonius vir doctiſſimus Gabriëlis juſſu condiderat, ordine depictæ conſpiciebantur, & civitatis ipſius totiuſque diœceſis in tabulis accurata typographia tamquam a memoria libellus neceſſariam in ea regenda vigilantiam objiciebat. Idem fecit de villis, prædiiſque epiſcopalibus, quæ non mediocri impenſa inſtaurarat: Deo rationem, ut ſæpius dicere ſolitus erat, villicationis etiam hujuſce redditurus, ne quid peſſum iret quod ad eccleſiam pertineret, ſed omnia continuo labore modeſtaque induſtria multiplicarentur.

Catechumenorum neophytorum, & mendicantium domus ædificari procurat.

32. Quantum autem ille ſolo hoc magnificentiæ & liberalitatis exemplo incrementi fecerit divino cultui, indicant tot ſacra ædificia ſumptuoſi operis, tot pia loca, quæ ab eo tempore Bononiæ fundata atque erecta ſunt, Gabriele non ſolum auctore, ſed etiam adjutore. Ei tamquam optimo parenti acceptam referunt Bononienſes catechumenorum & neophytorum domum, atque præ ceteris illam, quæ mendicantium appellatur, patetque innumeris fere omnis ætatis & ſexus hominibus, pueris, item puelliſque inopia periclitantibus; nam præter corrogatas profuſe in eorum alimenta pecunias, tam ordinatam atque incorruptam in ea formavit diſciplinam, ut magna illa Chriſti pauperum multitudo ſuis diſtincta locis & miniſteriis exercitiiſque variis intenta, negotioſæ civitatis & reipublicæ optime conſtitutæ imaginem repræſentet. Ibi videres magiſtratus, judices, & varia officiorum genera numerares. Omnium enim fere mecanicarum artium officinæ in ea ſunt, in quibus pauperes exercentur; pueri vero a maribus, puellæ a fœminis educantur; nec præterea deſunt, qui ſumma cura & diligentia eos Chriſtianæ doctrinæ præceptis, puerilibuſque legendi & ſcribendi rudimentis imbuant: inde poſtea veluti deductis coloniis per civitatis regiones diſtribuuntur, conſtituta puellis collocandis dote, quarum honeſtatem atque indolem paupertas, quæ maximum a vulgo malum exiſtimatur, corrumpere facile potuiſſet, ex quibus multæ ſacris in cœnobiis Deo ſeſe addicunt.

33. Extant & alia ejus plurima magnificentiæ & regiæ caritatis, unde ceu a cardine nomen cardinalibus, monimenta, quibus ſingulis numquam addere deſiit ſpiritualium fructuum omni induſtria quæſitam ubertatem. Cumque ſciret indulgentiarum uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem, de iis pie ſancteque atque incorrupte acquirendis magnos conatus ſummamque ſollicitudinem adhibuit, idemque præſtitit in ſacris proceſſionibus aliiſque eccleſiaſticis ritibus, quæ omnia non ſolum ſcriptis evulgatis ad inſtruendos populos, ſed etiam ipſa præſentia atque exacta miniſtrorum cura ad optimam normam redegit. Ac ne illa, quæ forte minutiora cenſeantur, otioſe perſequi videar, jubilæi annus, qui fuit milleſimus quingenteſimus ſeptuageſimus quintus id ſatis ſuperque comprobavit, cujus memoriam Bononienſes immortalitati conſecrarunt. Neque enim is minima quæque documenta in occaſione tam ſancta prætereunda ſibi eſſe judicavit, ſed iter ipſum ordinans, incedendi modum, veſtitus rationem, ſacrarum precationum tempus diſtincte præſcripſit, atque ut ægroti infirmioreſque viribus in itinere regerentur, adminiſtros tum ſacerdotes tum ſæculares proprio ſumptu deſtinavit. Qua ſane opera (quamquam res ipſa ad Deum corda hominum convertebat trahebatque) tanta pietatis acceſſio facta eſt, ut præter ſpiritales fructus, quos paterna hac ſollicitudine ſevit ille, percepit & condidit, Romam profecta copioſiſſima ſodalitas Bononienſium, & cultus & religioſæ modeſtiæ exemplo memorabili fuerit. At vero cum jubilæum a Gregorio XIII. Bononiam ſequenti anno tranſmiſſum eſt, Gabriel ſeipſo major quid non fecit? quid intactum reliquit? quanto caritatis incendio exarſit? quanta præſidia valetudinariis, orphanotrophiis & piis omnibus locis comparata ſunt illo auctore ac duce? Ut vere jubilæi annus dici potuerit ille, quo Bononiæ non ſolum debitoribus pecuniæ condonatæ ſunt plurimæ, ſed etiam egeni magna eleemoſynarum vi ſublevati, ordinis quo per quatuor menſes tota civitas ſupplicatum proceſſit, ipſo cum magiſtratu præſente epiſcopo, & præſcribente, depictum in porticu baſilicæ majoris adhuc viſitur monimentum.

Populis ſuis indulgentias procurat.

Jubilæi tempore quid geſſerit.

34. Multa huic propoſito mihi afferenda eſſent, quæ Gabrielis hac etiam ex parte præſtantiam declarant; ſed narrationem hanc præcido, quia me rapit paterna caritas, qua Bononienſes proſequutus eſt, in longe diverſa occaſione, in ſqualore ſcilicet, luctu, ipſiſque mortis miſerrimæ veſtigiis. Docuit ille profecto, ac reipſa oſtendit, quid epiſcopus agere, quibuſque auxiliis munire ſe debeat ad res adverſas tolerandas, atque imminentia pericula amolienda. Laborabat enim Italia contagione & fœda lue, quæ pluribus in locis miſerandum in modum ſævire incœperat.

Ad peſtem a Bononia avertendam quid fecerit.

incœperat. Bononiæ vero præsertim erat metuendum ob propinquitatem locorum, quæ jam pestis invaserat, custodesque dispositi jam aditus summa cura tuebantur. Sed Gabriel de salute filiorum sollicitissimus, non sufficere eam custodiam ratus, nisi ante omnia Dei ira averteretur, & ipse civitatem custodiret, populum ad pœnitentiam excitare atque ad erratorum veniam a divina misericordia impetrandam inflammare, ad jejunia hortari quotidie, ad singula templa ipsemet accedere, supplicationes indicere, eas nudis pedibus obire, sacras imagines & sanctorum reliquias inter supplicationes procedendo deferre, easque populo venerandas exponere, seipsum vero severioribus iisque assiduis jejuniis & verberationibus affligere. Deinde imminentibus malis remedia undequaque comparat. Sodalitium instituit, quod Misericordiæ appellavit; in illud ipso hortante & enixe postulante adscribuntur illico plurimi tam mares quam feminæ nobilitate atque opibus pollentes; latebrosi pecuniarum recessus inventi; sponte communi saluti exhibentur opes incredibili eleemosynarum vi collectæ, quibus ipsemet episcopus magnum dat incrementum, earumque ministris destinatis, valetudinaria parantur in unaquaque civitatis regione, domusque assignantur, atque horrea in quæ frumentum aliaque victui humano necessaria copiose congeruntur; medici, chirurgi & pharmacopolæ deliguntur, pii illi quidem probique viri, sacerdotes item, qui ægris assistant ac sacramenta strenue administrent. De sua opera sodalitio præstanda singuli sancta æmulatione decertant. Eadem ratione diœcesis tota directa est, ut quibus in locis sodalitium instituti minime posset, adscitis sibi parochi vitæ probatioris aliquot sociis, idem pro viribus curarent. Abiit demum pestilentia, neque Bononia illam sentiit (sic placitum est Deo, qui Gabrielis vota precesque exaudivit) neque diœcesis finitimorum populorum ærumnis conflictata est, sed ille quæcumque ad arcenda hujusmodi pericula parata fuerant, eodem pietatis conatu in usus pauperum omnia convertit.

Ceases episcopales ut dispensat.

35. Sed hæc atque alia quæ superius enarravimus, quamquam magna sint & laude dignissima; illud tamen admirabilius, quod ob incredibiles sumtus ditissimus videretur, quamvis in paupertate semper vixerit: nam si cuncta metiaris, census, qui exigui potius, quam mediocres erant, ad episcopi necessaria alendæ familiæ præsidia sufficere vix posse existimabis; rectum tamen ordinem, quo ille utebatur in pecuniæ curatione ac dispensatione si animadvertas, mirari desines, dum is multis locis ædificat, liberale hospitium semper exhibet, eleemosynas profundit, neque tamen de pristino honesti ac decori instituto in sua familia, & domo quidquam detrahit. Numquam enim Gabriel pecunias tractavit, aut census ecclesiasticos a suis affinibus & consanguineis tractari permisit; sed ut eorum usus palam innotesceret, sacris legibus obtemperans, in ejusmodi curarum partem vocarat pios peritosque basilicæ Bononiensis sacerdotes, eosque episcopali œconomiæ præfecerat; locum in episcopali domo, ubi libri asservabantur, attribuerat. Eo œconomi statis horis conveniebant, ibi colonos, rerum gestores, ministrosque alios audiebant, dati & accepti rationes cognoscebant; de prædiorum locationibus ibidem, de cultura, de ædificiorum reparatione, de exactionibus, de hospitio, de eleemosynis, de quotidianis expensis, de familiæ regimine, præsente in rebus quibusdam gravioribus ipso episcopo, deliberabatur; & nulla pecuniæ summa numerabatur, nisi facta syngrapha, & ab ipso episcopo & œconomis subscripta, atque a ratiocinatore in tabulas expensi relata. Ad hunc igitur modum non solum frugalitate & modestia, aut optime cultis prolatisque agris citra avaritiæ sordes, & nimiam largitatem ecclesiæ Bononiensis census auxit; sed etiam ejusmodi occupationibus ablegatis, munera episcopi propria liber atque expeditus ita obire potuit, ut nullo umquam tempore librorum lectionem aut scriptiones prætermiserit.

Scribit de abusu in sacrarum imaginum picturis.

36. Inter alia cum magnos abusus in sacrarum imaginum picturas irrepsisse cerneret, ne concilii Tridentini sanctiones de hac re, quæ episcopis curanda mandatur, Bononiæ negligerentur, hanc tractationem scripto aggressus est. Non enim nudam vocem aut colloquia ad hoc sufficere, sed multiplici explicatione atque industriæ opus esse existimavit. Quæ vero extant hujus operis primordia, ut faciliora captu essent, edidit primum Italico sermone, in Latinum postea translata atque Ingolstadii impressa.

Preces horarias promulgat.

37. Promulgavit quoque preces horarias, summi pontificis privilegio comprobatas, ut festo die beatissimi patris Petronii Bononiæ episcopi & patroni a clero recitarentur.

In cœnobiis virginum restituit disciplinam.

38. Recensuit cœnobia sacrarum virginum, quarum disciplinam tanta circumspectione adeoque cauto studio restituendam curavit, ut quod inter cetera difficillimum existimatur, id in sua patria illum facile assecutum fuisse omnes fateantur; nempe ut virgines nobilissimæ Deo consecratæ, impositum sibi a concilio Tridentino correctionis jugum, Gabrielis opera, libenti animo susciperent; quin etiam sine tumultu illas, quæ extra urbem in amplis atque amœnis claustrorum spatiis degebant, in urbem traduxit, novisque & magnificis extructis cœnobiis inclusit.

Quid pro eligendis in plebe sua litibus præstiterit.

39. Atque omni ex parte sollicito animo cogitans de commodis gregi suo parandis, non solum iis quæ ad animi, sed etiam iis,

quæ ad externa bona pertinent; cum animadvertisset ex litibus & controversiis inter cives incredibili eorum detrimento & domos expilari & familias quamvis amplas atque honestas publica ruina collabi, trucesque atque perpetuas contrahi inimicitias, Gregorii XIII. pontificis, cui suum consilium patefecerat, auctoritate sodalitium instituit præstantissimorum omnis ordinis & conditionis hominum, quos direxit ad regulam, quam rei bene gerendæ præscripsit, ut selecti statu tempore, ex eo atque in hunc usum destinati sacerdotes, senatores, doctores, viri nobiles & cives, una litibus in ipsarum exordiis occurrerent quærerentque totis viribus remedia, quibus concordia inter partes gigneretur, neque (sic jubente summo pontifice) litigatores ante a judicibus audiri possent, quam ejusmodi concordiæ experimentum serio factum esset.

Morbum quam constanti ac pio perculerit animo.

46. Verum ille dum in has occupationes ac studia ardentius incumbit, leviter ægrotare incœpit, nihil tamen de laborandi assiduitate minuens, in atrocem diuturnamque febrem incidit, proximeque ad mortem accessit. In eo statu, licet multa corporis saluti concederet, mira tamen sapientia rectoque divinæ gratiæ gustu ad magnarum virtutum incrementa & animæ lucrum eadem traducebat; tanta enim patientia, tantoque Christianæ humilitatis exemplo morbi illius sævitiam toleravit, ut ejus actiones inde postea splendidiores & pretiosiores tamquam aurum igne probatum apparuerint. Nullam abjecti, sive ignavi unquam, aut mollis animi significationem præbuit, vel dum gravissime angebatur. Ingemiscebat quidem, sed inter gemitus assidue psalmorum sententias proferebat, ac remittente interdum febre, tunc ille constanti & forti animo præsentes solari, de rerum humanarum caduco & misero statu verba facere, atque asserere veras Christiani hominis delicias in hac mortali vita, pignusque quodammodo divini amoris esse, si per corporis ægritudines doloresque inviscereturque, illudque beati Augustini ei erat sæpissime in ore dictum: Si exceptus es a passione flagellorum, exceptus es a numero filiorum: si promissa patris bene agnovisti, non timeas flagellari, sed exheredari. Eripitur demum, sola Dei ope, a præsenti illo vitæ periculo, pluribus laboribus pro Christiana republica sustinendis reservatus, & quò diuturnior fuerat ægrotatio, eo acriore animi intentione intermissas curas resumit.

Concilio Ravennensi interest.

41. Quo tempore CHRISTOPHORUS BONCOMPAGNUS, Gregorii pontificis fratris filius, archiepiscopus Ravennas provinciale concilium habuit: eam vero ecclesiam metropolitanam inter ceteras Italiæ insignem, elegerant episcopi Bononienses, quo accederent ad concilia provincialia celebranda. Eo Gabriel se contulit, actionemque illam summa qua præstabat doctrina, sapientia & episcopalis administrationis experientia, universæ Ravennati provinciæ perutilem reddidit ac salutarem. Inde Bononiam postea reversus, acceptis litteris, rogatusque a CAROLO BORROMÆO sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali archiepiscopo Mediolani, ut præsens episcopalibus quibusdam actionibus interesset, Mediolanum proficiscitur.

Magna ejus cū S. Carolo conjunctio.

42. Magna extabat inter CAROLUM & Gabrielem sanctæ necessitudinis conjunctio, nam ad unum eumdemque finem suas vigilias referebant, optimeque pastoris Christi Domini vestigiis pro viribus insistentes, de suo grege custodiendo, tutoque itinere ad æterna pascua perducendo, omni conatu laborabant. Dispar tamen erat custodiæ, ac ductus ratio. Etenim magnus ille antistes CAROLUS sanctimoniam priscorum patrum illorum æmulatus, qui inhabitatas vastasque solitudines incolebant, in seipsum severissimus, corpus jejuniis fere quotidianis castigans, pane tantum & aqua illud plurimum reficiebat; in suo verò populo regendo alta & profunda episcopalis administrationis fundamenta Mediolani jecit, legumque antiquo rigore utendum sibi esse duxit, ut statim, si fieri potuisset, diruta penitus atque eversa inveteratorum abusuum immensa mole, spiritale ædificium, novum atque ex omni parte congruum extolleretur. At Gabriel sensim, mitibus adhibitis legibus, nec exemplo minus Christianam disciplinam reparans, eamque paulatim veteri morum relaxationi subnectens, spiritalem structuram mire extulit, ab honesta hominum consuetudine, communique victu nequaquam alienus. Qua quidem in re quis divinæ providentiæ lucem non animadvertat? Nam ad cœlestem patriam non una tantum semita per corporis scilicet voluntarias afflictationes, aut per ipsa etiam tormenta patet accessus, sed per plures vias quorumcumque conditioni hominum accommodatas; ut rebus omnibus, quæ a Deo pro usu mortalium creatæ sunt, juste & rite fruentes, illi placeant, atque in beatis sedibus locum ipsi quoque promereantur; cumque tam cito ad sempiternam gloriam Carolus esset evolaturus, nihil fuit illa vitæ asperitate magis opportunum, totique Christiano orbi, nedum Italiæ & Mediolanensi diœcesi nihil utilius; nam Gabriel longa annorum serie, quibus ecclesiæ Bononiensi præfuit, ea quæ paulatim perficiebat, ipsa præsentia potuit ipsoque usu postea non incommode stabilire.

Mediolanensi synodo & reliquiarum translationi interest.

43. Non hic ego commemorabo quantis verè lætitiæ signis Mediolani Gabriel a Carolo susceptus fuerit. Nam etsi præter institutæ brevitatis propositum, præclarissimæ illius urbis plausus honoresque amplissimos ei habitos recenserem; illud tamen quod

majus eſt atque animos hominum præcipue commovet, non eſt cur coner exprimere, quia nullo pacto poſſum; illos ſcilicet divinos utriuſque, Pauli ne dicam atque Antonii, an Ambroſii & Auguſtini? congreſſus, ſermones, ſenſus intimos, cum de rebus cœleſtibus, de reipublicæ Chriſtianæ tempeſtatibus, de ſuo epiſcoporumque ceterorum munere colloquerentur. Obnubam igitur caput hujuſmodi rerum imagini, cujus pulchritudinem delineare penitus ignoro. Illud legenti ſufficiat, ſi ante mentis oculos ſibi propoſuerit duo illa lumina epiſcopalis ordinis & eccleſiaſticæ diſciplinæ anteſignanos, dum & animo & ſermone conjuncti nil aliud ſpectant, nihil præter æternam hominum ſalutem meditantur. Inter cetera, dum Gabriel Mediolani fuit, rogatu Caroli, ſynodo quam ille habuit lætus volenſque interfuit, ſapientibus conſiliis negotium provexit, ſacris concionibus & functionibus frequentem operam navavit. Cumque id temporis plurium ſanctorum corporum reliquiæ ab uno in alium locum Carolus ſolemni ritu transferret, ut erat Gabriel harum rerum accuratiſſimus obſervator, in illud in primis incubuit, ut non ſine aliquo pio lucro Bononiam reverteretur, ſed illius theſauri particeps factus, ſuam eccleſiam novo decore illuſtraret. Quia vero ex ipſis Caroli litteris hæc omnia præclaro teſtimonio comprobantur, eas ipſas ſuis verbis, ne quid ſcribentis auctoritati detrahatur, hic annectere placuit, cum plurimum faciat ad Gabriëlis vitæ ac morum doctrinæque celebritatem Caroli cardinalis Borromæi, quem ſummus pontifex in ſanctorum numerum brevi relaturus creditur, & jam beati titulo inſignivit, ampliſſimum & omni majus exceptione teſtimonium.

S. Caroli litteræ de conceſſis Palæoto reliquiis.

» 44. Omni ſtudio inſtituta amplectimur, » quæ fidelium pietatem excitant, quæque ob » eam cauſam ſanctiſſimi patres noſtri adhi- » buerunt, & illa quidem præſertim, quæ in » noſtra hac eccleſia olim uſitata fuiſſe acce- » pimus. Id enim aliquando in more poſitum » fuit epiſcopis, qui tranſlationis celebritati præ- » ſentes adfuiſſent, aliquid ſacrarum reliquia- » rum, quæ tranſlatæ eſſent, pia liberalitate con- » cedi. Nos igitur ad hoc, quod oblata occa- » ſione ad uſum revocare ſtudemus, majorum » noſtrorum exemplo adducti, & præterea il- » luſtriſſimi reverendiſſimique in Chriſto pa- » tris & domini domini cardinalis Palæoti epi- » ſcopi Bononienſis, qui pro eo, quo tenetur » amplificandæ eccleſiaſticæ diſciplinæ deſide- » rio, ad ſolemnem S. Simpliciani aliorum- » que ſanctorum tranſlationem, quam proxi- » me celebravimus, litteris noſtris invitatus, » ampliſſima auctoritate ſua & virtutum maxi- » marum quæ in eo elucent, ſplendore illam » colluſtravit, ſingulari pietate commoti, & » ea quoque recordatione memoriaque exci- » tati, quod eccleſia Bononiæ, cui ille præeſt, mutuis præcipue caritatis officiis cum hac « noſtra Mediolanenſi, & olim tempore po- « tiſſimum ſancti patris noſtri Ambroſii, & jam « nunc maxime conjuncta eſt, in eam delibe- « rationem venimus, ut eidem religioſiſſimo « cardinali paſtorique vigilantiſſimo Bono- « niam ad epiſcopalem ſtationem ſuam re- « deunti, aliquas ſacras reliquias ſanctorum, « qui in hac noſtra Mediolanenſi eccleſia præ- « cipue coluntur, nos pie impartiremur. Ita- « que ſancti Simpliciani archiepiſcopi & con- « feſſoris digitum unum de eccleſia ejuſdem; « ſanctorum archiepiſcoporum & confeſſorum « Johannis Boni, Monæ & Galdini reliquias « ſacras de baſilica metropolitana; ſancti au- « tem Arderici epiſcopi & confeſſoris reli- « quiam de eccleſia ſancti Nazarii, & præterea « beatorum martyrum Naboris & Felicis reli- « quias de eccleſia ſancti Franciſci, & reliquiam « quoque de ſacris cineribus ſancti Euſebii ar- « chiepiſcopi & confeſſoris ex eccleſia ſancti « Laurentii, ac reliquiam item de dalma- « tica ſancti patris & patroni noſtri Ambroſii « ex baſilica Ambroſiana, ipſi illuſtriſſimo car- « dinali Palæoto epiſcopo Bononienſi pia lar- « gitate donamus, tradimus, impartimur & « concedimus. In cujus rei fidem ac teſtimo- « nium has litteras manu noſtra ſolemnique « ſigillo archiepiſcopali ſancti Ambroſii mu- « nitas atque obſignatas fieri juſſimus, earum- « que monimentum atque exemplum in can- « cellaria archiepiſcopali aſſervari mandavi- « mus. Datum Mediolani idibus Junii MDLXXXII. «

S. Ambroſius SS. Vitalis & Agricolæ corpora olim reperit.

45. Neque vero ea quæ Carolus de Mediolanenſis & Bononienſis eccleſiæ conjunctione tangit, nova aut a graviſſimis ſcriptoribus prætermiſſa videri debent, nam abunde litteris prodita eſt religioſa familiaritas ac mutua officiorum communicatio, quæ inter utramque eccleſiam interceſſit, ipſeque glorioſiſſimus pater Ambroſius cum Bononiam ſe recepiſſet, ſacras ibi ſanctorum martyrum Vitalis atque Agricolæ corporum in certo loco ad id tempus abditas, omnibuſque ignotas reliquias divino inſtinctu reperit, atque id ipſe teſtatur.

Cum S. Carolo Taurinum domini Syndonem veneraturus pergit.

46. Expeditis igitur ſactis illis Mediolani negotiis, Carolus & Gabriel pia cogitatione mutuiſque colloquiis incenſi, religioſæ peregrinationi iter ſuſcipiunt Auguſtam Taurinorum, ut in ea civitate aſſervatam Syndonem, qua Chriſti Domini noſtri corpus ſacratiſſimum ad ſepulturam involutum fuit, venerentur. Novariæ & Vercellis qua iter eſt, ſacris præſertim concionibus Chriſtianam pietatem mirifice in iis populis accenderunt, Auguſtæ Taurinorum demum eos regali magnificentia EMANUEL PHILIBERTUS Sabaudiæ dux inclytus, idemque religioſiſſimus excepit, nullamque honoris & lætitiæ ſignificationem prætermiſit, qua ſuam erga ipſos obſervantiam & animi affectionem intimam palam proferret. At ſplendoris illius appa-

ratu deliciisque ita illi utebantur, ut ex omni parte quam diligentissime præstitis quæ debebant humanitatis officiis, & duci satisfacerent, & sibi dum illius magnificentiam nec impediunt, nec aspernantur, nec tamen ideo modestiæ & summissionis suæ fines egrediuntur, jejuniaque & pias animi exercitationes inter illas ipsas delicias interdici etiam, sed noctu frequentius, ut inobservati, ac liberius usurpant. Mirum dictu, quanta frequentia Pedemontani populi, quantisque Christianæ in Deum pietatis argumentis omnibus ex locis, quo cardinalium adventus fama pervenerat; etiam nostræ veræ religionis adversarii eo confluxerint, ut in illa præsertim civitate, quæ ampla est, nullus fere hospitandi locus reliquus esset ipsis episcopis, qui præter alios principes viros, illuc convenerant. Indicta demum precatione quadraginta horarum, sanctam Syndonem cardinales adorandam publice exposuerunt, sacrumque illud spectaculum mira plurium nationum frequentia celebratum, obita solemni pompa concluserunt.

Reversus Bononiam acceptas a S. Carolo reliquias in templo primario collocat.

47. His votis persolutis, actisque duci de tanta ejus benignitate gratiis, per Padum fluvium principis illius liberalitate ad iter conficiendum magnifice & percommode paratis atque instructis navigiis, ab eo discedunt. Gabriel cum a sua ecclesia abfuisse sibi videretur diutius, quam solitus erat, venia a Carolo impetrata, per idem flumen Bononiam defertur, & præmonitis interim Bononiensibus per publicas litteras de sacris reliquiis quas secum afferebat, triumphali apparatu in urbem invectus, ipso festo die apostolorum principi sacro, in cujus honorem primarium templum Bononiæ Deo dicatum est, eas in ipsomet templo cum ingenti omnium lætitia collocavit, inter summi sacrificii solemnem actionem præclara habita concione, in qua cum de sua profectione Mediolanum, optimi parentis officio functus, populum edocuisset, nonnulla adjecit egregia illa quidem de beato cardinali CAROLO, de quo vivente, quæ modo post ejus mortem admiranda cernimus, ipse quodammodo prædixit, quæ tamen prætereo, ne quid addam ex alieno, dum quæ ille de aliis honorifice locutus est, ejus historiæ subjungam, tamquam facta ab eo non suppetant, quorum nulli leges amplissimæ offertur.

Primus Bononiensis archiepiscopus creatur.

48. Vix Bononiam redierat Gabriel, cum a GREGORIO pontifice Romam evocatur. Cum enim pontifex de patria ornanda assidue cogitaret, præter magnas dignitates quibus illam amplificarat, variaque pretiosa munera, quibus cathedralem basilicam exornarat, adhuc ejus animus magno desiderio flagrabat, insigni aliquo privilegio ipsius illustrandæ, neque id ullo umquam tempore aptius & commodius effici posse existimabat, quam eo ipso quo & ipse Christiani orbis habenas regeret, & Gabriel ecclesiæ Bononiensi præesset. Re igitur mature perpensa, sacri senatus adhibito consilio, eam ecclesiam ab episcopali quæ diœcesi, in matricem quæ provinciæ præest, quamque archiepiscopalem & metropolitanam vocant, erexit, atque ipsemet pallio quod est archiepiscopalis oneris signum, Gabrielis humeros contexit. Eæ autem fere ecclesiæ, quas apostolico diplomate in Bononiensi provincia comprehensas esse pontifex tunc declaravit, nempe Cervia, Forum-Cornelii, Mutina, Regium-Lepidi, Parma, Placentia & Crema. Tantum igitur ponderis cum accessisset episcopali curæ, eo contentiores esse cœperunt Gabrielis de illo perferendo cogitationes. Quare Bononiam reversus anno supra LXXXIII. millesimo quingentesimo, ipso die Annunciatæ Deiparæ Virginis, archiepiscopalibus functionibus initium dedit, a magistratus senatoribus ceterisque omnibus civitatis ordinibus magno honore acceptus. Sed paucis elapsis mensibus gaudium, quod Bononia tunc præ se tulerat, immensum in mœrorem luctumque convertitur, ex improviso Gregorii pontificis obitu, quem non illa civitas modo, sed universa Christiana respublica sane quam pro merito ægerrime tulit; in cujus prudentia, vigilantia & singulari studio caritatis diu conquievisse tute videbatur. Tantam jacturam accepit Gabriel dum in Cartusiano cœnobio seipsum in spiritalis vitæ (quod sæpe agere consueverat) palæstra duriore exercebat, atque in ipsa mortis meditatione versabatur, quæ sane improvisi tristisque nuntii vulnus non parum leniit. Quare ut cardinalitii muneris præcipuas partes in pontificia electione exequeretur, ad sacra comitia celebranda Romam iterum proficiscitur.

Primum provinciale concilium Bononiense ac SS. Zamæ & Faustiniani nativitatem celebrat.

49. Inde intra paucos dies Sixto quinto pontifice maximo creato, Bononiam redit celeriter, cum ab eo mandata excepisset, ut primum Bononiensis provinciæ concilium haberet. Qua de re interim litteras ad episcopos provinciæ mittit per certos nuntios, proponit edicta, & reliqua demum præscribit omnia, quæ ad illius celebris actionis felicem exitum facere posse animadverterat. Apparatus in basilica fuit profecto sumptuosissimus & magnificentissimus, atque in episcopali domo hospitium episcopis provinciæ destinatum, splendidum quidem, sed consueta Gabrielis modestia apposite temperatum. Ordine demum accuratissimo finis actioni illi impositus quindecim dierum spatio, anno post Christum natum MDLXXXVI. In eo concilio præcipue actum fuit de plurimis rebus quæ ad religionem pertinent, quibusque pene tota episcopalis muneris administratio comprehenditur. Neque in ea tam insigni actione consueta studia ille prætermisit, quibus præterea Bononiensis populi pietatem excitaret. Nam octavo die post

inchoatum concilium, celeberrima pompa apparatuque adeo illustri, ut supra exemplum ad hunc usque diem fuisse existimetur, corpora sanctorum Zamæ qui fuit primus, & Faustiniani, qui fuit secundus episcopus Bononiæ, in metropolitanam basilicam transtulit, & sub ara maxima, quam hanc ob causam affabre exornarat, in arculis cedrinis a Libano monte ad hunc usum asportatis collocavit. & ampliſſima peccatorum omnium, quicumque ea rite prius confessi fuerant venia (potestate a Sixto V. concessa) illi sacræ pompæ præsentes liberaliter est prosequutus. Eam præter ANTONIUM MARIAM SALVIATUM cardinalem tunc Bononiæ legatum, ipsum senatum, omnesque magistratus & civium ordines, sua præsentia honestarunt quoque episcopi Sarsinæ, Tiferni, Forolivii, Castri, Aversæ, Faventiæ, Massæ, Populoniæ, aliique Bononienses a Gabriële invitati ad illam cœlestis triumphi imaginem exornandam.

Sanctorum illorum vitæ compendiū.

50. Æquum est, ut quoniam prætereunda nullo modo fuit hujus celebritatis mentio, horum sanctorum merita a Carolo Sigonio, viro æque pio atque docto, jussu Gabriëlis ab obscuritate vindicata indicemus. Zama, imperante Gallieno anno Christi CCLXX. a sancto Dionysio summo pontifice ordinatus episcopus Bononiæ, ad eam civitatem missus est, non tamen admissus; sed in suburbio sedem posuit, eumque Christiani qui tum erant benigne exceperunt in eo loco, ubi postea ædes sancti Felicis condita fuit, disciplinam rectamque in Christum fidem inter ejus ignaros contemtoresque totis viribus propagavit; mortuus ibidem creditur ante annum CCC. cum confessor vocetur, quia si ad CCCI. spiritum produxisset, sine dubio in illis procellis, quas contra Christianos Diocletianus excitavit, inter primos excruciatus, sacro martyris nomine insignitus fuisset, humatusque in eodem loco est ubi consedit. Dies ejus, ut ex Romano martyrologio habemus, ab ecclesia IX. cal. Februarii celebratur. Sed sanctus Faustinianus sub Constantino magno floruit anno CCCXII. sæva temporis illius in Christianos defuncta tempestate. Idem Christianos superiore ecclesiæ naufragio dissipatos collegit, & Constantini instituto, qui Deo ædificari basilicas jusserat, multisque ipse in locis extruxerat, ædificandam basilicam præparavit, & synodo Romanæ interfuit inter CXI. episcopos, quos sanctus Julius summus pontifex ad confirmandum Nicenum concilium contra Arrium anno CCCXXXVII. advocarat, situsque est in eodem monumento marmoreo quo sanctus Zama, quod ante translationem a Gabriële celebratam ad sanctum Felicem cum hoc titulo visebatur: *Hic requiescunt corpora Zamæ primi, & Faustiniani secundi episcopi civitatis Bononiæ.* Hujus memoria agitur in eodem martyrologio 3. cal. Februarii.

Concilii sui decreta a sede apostolica confirmari curat.

51. Non longo post habitum concilium tempore, Gabriël, ut ea decreta sedis apostolicæ auctoritate confirmaret, rursus Romam contendit. Unde, ut solebat, cum peracto negotio reditum ad suam pararet ecclesiam, inopinato eventu a Sixto pontifice Romæ detinetur, cujus animo dudum opinio quædam prudentiæ plena insederat, ut quemadmodum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales consiliarii sunt pontificis summi, & apostolico collegio subrogati senatores, ita in Urbe apud ipsum pontificem eorum statio esse deberet. Gabriëlem autem ille magni faciebat, & non semel antea ejus in sententiis dicendis & consiliis dandis præstantiam palam extulerat. Repugnavit Gabriël pontificis voluntati, quantum modestiæ & obsequii ratio patiebatur, pluribus argumentis, quibus necessarium sibi ad ecclesiam curæ suæ creditam reditum ostendebat. At contra pontifex objicere aliquam temporis partem non peculiaribus ecclesiæ Bononiensis necessitatibus tribuendam, sed universæ Christianæ reipublicæ usibus quoque esse distribuendam ab eo episcopo, qui cardinalis esset, cum præsertim tot per annos illius ecclesiæ regimini sua præsentia prospexisset, ita demum velle, se ita jubere. Atque ut Gabriël arctiore vinculo ad Urbem incolendam adstringeretur, a Sixto inter sex episcopos cardinales senatus principes adlegitur, qui summo pontifici assistentes dicuntur.

Romæ retinetur invitus a Sixto V.

Præficitur episcopatui Albanensi.

52. Præficitur itaque episcopatui Albanensi, dimisso S. Laurentii, quem obtinebat, titulo. Et quoniam in titulorum mentionem incidi (utar ejusmodi vocibus, ne dum sequor verborum lucem, inducam rebus tenebras atque obscuritatem) neque illud silentio transibo, duabus aliis ante hanc postremam sancti Laurentii, titularibus ecclesiis summo earum commodo & ornamento Gabriëlem præfuisse: dimisso enim titulo sanctorum Nerei & Achillei, quem primum habuerat, titulum S. Martini in Montibus (ad exquilias id templum est) optavit: optio enim a cardinalibus fieri dicitur, cum a titulo quem obtinent, ad alium qui vacat ascendunt. Eum titulum prius obtinuerat CAROLUS cardinalis Borromæus, & elaborato laqueari templum contexerat; Gabriel vero marmorea porta locoque ubi plurima corpora sanctorum asservantur, illud exornavit. Sed dimisso quoque hoc titulo, cum ei templum & parochia sancti Laurentii in Lucina ex more atque ordine obtigisset, late patentis animarum curationis gravata pondere, assiduum vehemensque caritatis studium adhibuit in sublevandis pauperibus, ægris, virginibus, viduis, aliisque omnibus juvandis, & præsertim in verbi Dei prædicatione. Unde sacramentorum pœnitentiæ & Eucharistiæ in eam paroeciam frequentior introductus usus,

auctuſque Dei cultus Gabriëlis præſentia, qui titulum illum, cum per cardinalitii muneris occupationes licebat, feſtis præſertim diebus celebrabat, ſibique in ea adminiſtratione vicarium magno judicio ſuffecit Johannem Baptiſtam Stellam Romanum, qui a ſupplicibus libellis referendis ſummis pontificibus eſt, virum magno ingenio & litterarum ſcientia præſtantem, atque ab iiſdem apud principes in graviſſimis negotiis adhibitum.

Sixto papæ in creatione cardinalium repugnat.

53. Per idem tempus, cum amantiſſimus veritatis eſſet, atque in ſententia dicenda, non minus prudentia quam integritate excelleret, conſtanſque omnium eſſet opinio illum numquam blanditiis & aſſentationibus benevolentiam collegiſſe, ſed quæcumque ad ſedis apoſtolicæ dignitatem & catholicæ religionis incrementum pertinere judicaret, ea libere in ſenatu proferre ſolitum. Hinc factum eſt, ut rumoris neſcio quid afflarit, illum in Sixti pontificis indignationem incurriſſe, quod cardinalium creationi repugnaſſet. Quod tamen veroſimile haud videbatur iis, qui eum ob egregiam, quam cardinalitio muneri navabat operam, ſine invidia magnam laudem apud pontificem inveniſſe intelligebant, a quo etiam poſtea ſæpius & privatim & publice commendatus fuit. Improbari tamen graviter cœpit ab ipſiſmet affinibus, familiaribus & amicis, partim quod vererentur, ne quid durius ei aliquando ſuccederet; partim quod libera, quamvis prudens & ab integro animo ſurgens in ſenatu loquendi libertas (vano humanæ prudentiæ judicio) detrimenti plurimum ad pontificatus, cui omnium conſenſu deſtinabatur, rationes ei afferre poſſet.

Scribit librum de Sacri Conſiſtorii conſultationibus.

54. Quamobrem his rumoribus excitatus, tantum abeſt ut in poſterum abſtinuerit a priſtino in ſenatu loquendi more, ut cogitationem potius omnem traduxerit ad functiones ſenatorias diligentius perpendendas, ſedaturum ſe exiſtimans eo labore non ſolum ea quæ de ſe turbulenter jactabantur, ſed etiam varios atque aſſiduos animi ſui fluctus placaturum. Tam multa demum hoc propoſito collegit ac dictavit luculentæ materiæ nitore præclara, ut in librum creverint, qui nunc extat, *De ſacri conſiſtorii conſultationibus* inſcriptus.

Urbanus VII. Palæoti conſilio utitur.

55. Sixto eccleſiaſticæ libertatis & apoſtolicæ auctoritatis inconcuſſo propugnatore vita functo, paucorum intervallo dierum, URBANUS VII. pontifex maximus creatur, qui ſtatim atque pontificatum inivit, conſilio in primis atque opera Gabriëlis uti cœpit, ſed duodecim dierum ſpatio importuna morte præripitur incredibili totius urbis & bonorum omnium mœrore, an quia tamquam oſtenſus non ultra imperâvit? iubricum enim eſt ac periculoſum regendi cuncta onus, cui ſuſtinendo nos homines, niſi Deus præſens adſtiterit, non ſumus.

Publica vox ad eum creandum ſummum pontificem conſpirat.

56. Deguſtato igitur pontificatu cum exceſſiſſet Urbanus, reſpublica Chriſtiana de novi pontificis electione ſollicita, variis curarum fluctibus agitabatur; ea erat tamen in maxima opinionum varietate conſenſio, ut eſſet ex omnibus eadem, illudque de Gabriële judicium, ut nemo illo in maximis rerum fere univerſarum per totum Chriſtianum orbem exortis difficultatibus ad eas ſedandas aptior videretur. In hanc ſententiam major etiam cardinalium pars venerat, cum peractis exequiis demortui principis & conclave (eo nomine locum vocant, in quem ſeptum clauſumque atque undique munitum, ne quis eo inferre ne quidem oculos libere poſſit, cardinales de pontificis electione comitia habituri conveniunt) ingreſſi, de novo pontifice eligendo ſerio tractarunt, jamque Gabriëlis electio ad eum exitum perducta erat, ut unum tantummodo ſuffragium (reliquis omnibus illud quidem certius judicatum) defuerit ad pontificatum, obſtupeſcentibus cunctis, qui naturam & vim negotii noverant, quod humana induſtria deſtrui nequaquam poſſe videbatur. Id quod ego divinæ voluntati acceptum refero, cum ſciam inter alia quæ a Deo Gabriël ſolebat efficaciter poſtulare, id fuiſſe potiſſimum, ne majore ſalutis animarum curatione gravaretur; perhorreſcere enim ſe affirmabat, cum de ratione Deo reddenda unius aut alterius animæ cogitabat, quid vero ſi epiſcopus ſit? quid ſi epiſcoporum caput toti Chriſtiano orbi præponatur? Et quamvis geſta hominum humano quodam ſenſu complures metiantur, eoſque probe intelligam longe fore alienos ab hoc Gabriëlis propoſito, quin potius accuſaturos me imprudentiæ, utpote qui ejus animi affectiones aut imbecillitates, iſta quæ in paucis admodum elucet laude, tamquam velo obtegere videar, ſimilemque coner illum reddere ſanctiſſimis illis patribus, qui in abditis cavernis ſeſe includebant, ut propriæ tantum ſaluti abſque periculo conſulerent, ſummarum dignitatum faſtigia recuſantes. Tamen ſi æquis oculis anteactæ ejus vitæ ſemitam inſpiciamus, nil mirum videbitur, ſi iiſdem veſtigiis inſiſtens, pontificiæ majeſtatis pondus omnium graviſſimum divina tantum ope aſſiduaque precum, quas ad Deum fudit, inſtantia a ſe quodammodo propulſaſſe exiſtimetur. Quod ſi ea quæ ſubſequuta ſunt miræ fortitudinis & conſtantiæ argumenta toti Urbi cognita atque perſpecta conſideremus, ſum equidem, dum hæc ſcripto refero, tantæ virtutis parciſſimus æſtimator. Nam ſive perpendamus interregni dies, qui pontificis electionem antecedunt eo tempore quo exequiæ demortuo Urbano celebrabantur, cum tota Urbs ad Gabriëlis domum confluereret, & ubique de eo veluti de pontifice deſignato ageretur, ille aulicos ad ſe officii cauſa adven-

tantes humaniter dimittebat omnes, & lectica vectus, ut eorum frequentiam evitaret, non senatoria via, sed ponte qui Sixti dicitur (a quo ejus nominis quarto conditus fuit) trajecto ad Vaticanum quotidie ducebatur. At conclave ingressus ante omnia familiares suos allocutus est tanta animi constantia, ut nihil aliud præter singulare studium, vehementemque de publica salute sollicitudinem non solum verba, sed etiam frons, oculi, vultus testarentur. Prohibuit vero omnino insuper, ne quis nostrum sermones de eo faceret; sed sancta quædam exercitia nobis præscripsit, quibus enixe postulavit ut vacaremus, curaremusque exemplo nostro ut ceteri omnes aulici non ad tractationes inanes tanto negotio prorsus repugnantes, sed ad sacras precationes & obsecrationes inducerentur, ut is pontifex a præpotenti Deo ecclesiæ præficeretur, qui eam recte sancteque gubernaret; idque in primis efflagitaremus, ut a se, in illa præsertim quassata annis ac laboribus ætate, tantos labores, quantos eligendus pontifex non sine periculo subiturus esset, avertere dignaretur. Sed posteaquam quinquaginta dierum spatio finis pontificis electioni positus fuit, Gregorio XIV. pontifice creato, viro magnarum virtutum laude, morumque castitate præstanti, Gabriël æquissimo animo, Dei sancto timore instructus, hilari vultu, gratiis publice actis, tum iis qui de eo ad pontificatum promovendo laborarant, tum iis qui tanto onere eum levare conati erant, nemine non admirante, domum rediit, tanto virtutis robore evidenter auctus, ut in illa ætate annis gravi, corporis etiam viribus rectius valere quam antea judicaretur. Auxit enim potius ab eo tempore consuetos labores episcopalis curæ, quam vel minima quidem ex parte diminuerit, amicis adfuit sedulus, nullasque senatoris optimi functiones atque officia prætermisit, atque, ut de Catone legitur, ejus vires numquam in posterum curia desideravit. Neque hic prætereundum censeo (facit enim non parum ad Gabriëlis laudem ac dignitatem) quod in accessibus, qui ad ejus electionem in pontificem a senatu fiebant, (hic mos est certior atque antiquior semper in pontificum creatione habitus) ultimus ad eum accedentium fuit Ascanius Columna, qui, quamquam a Sixto quinto cardinalis factus esset, ille vero non satis æquo ac benevolo in Gabriëlem animo fuisse vulgo existimabatur, Ascanius tamen egregium Romanæ constantiæ ac magnanimitatis exemplum, privatas causas publicis posthabuit, atque ad Gabriëlem accessus vocis suæ perhonorifico testimonio concluſit, ut illa vere illustris optimorum, ac de republica Christiana benemerentium senatorum consensio non parvam a suo fine laudem accepisse videatur, diuque in ore populi fuerit

A Ascanii virtus ac singulare judicium.

Transfertur ad episcopatum Sabinensem.

57. In ipsis initiis pontificatus Gregorii, ad Sabinensem episcopatum, qui inter sex illos, quos superius diximus, adnumeratur, per optionem ab Albanense transiit. In ecclesiæ Albanensis administratione plura perfecit quæ sui erant muneris, consueto vigilantiæ studio, atque inter alia incredibili piæ industriæ fœnore, & diœcesim illam lustravit, & synodum longo tempore intermissam in Albano habuit. Episcopatum vero Sabinensem non in censuum incrementi, qui minores justo sunt ac perexigui, sed in spem amplioris frugis in Dei gloriam hominumque salutem colligendæ, ad mortem usque postea retinuit, cum a duodecimo ab Urbe lapide, ad radices vicinorum montium citra Tyberim, ad trigesimum usque, frequentibus oppidis & nobilibus extendatur.

Seminarium Manliani erigit.

58. In hac diœcesi occasionem nactus egregii laboris, ea quæ Bononiæ utiliter perfecerat, ad Sabinos transtulit. Ante omnia seminarium clericorum post incredibiles difficultates Manliani erexit, in eo domibus ad habitandum concinne ampliatis, præter clericos alumnos viginti & amplius nobiles adolescentes bonis moribus & litteris ad eamdem disciplinam informabantur.

Templum Sabinense & domos canonicales restaurat.

59. Nec præterea quicquam prætermisit in templis ædibusque instaurandis, atque ornandis: nam vetustissimum templum (episcopium Sabinensium appellant) cui nil aliud præter templi nomen reliquum erat, ad pristinum redegit cultum, rebusque omnibus necessariis instruxit; sanctorum reliquias & sacras imagines alio ob loci solitudinem & indignitatem delatas, ad idem templum decenti ornatu & solemni ritu transtulit; ibidem synodum habuit, & ne memoria antiquæ sedis episcopalis Sabinorum penitus laberetur, futuris temporibus prospiciens, canonicales domos instar cœnobii disposuit aptavitque, quas religiosis e Franciscana familia fratribus, quos ab austeritate vitæ & disciplinæ forma reformatos vocant, auctoritate pontificia incolendas attribuit, iisdemque templi cultum, & sacramenti pœnitentiæ administrationem præcipue commendavit. At Manliani post recognitam diœcesim universam, synodumque iterum habitam, cleri mores correxit, divinum cultum auxit; cathedralem Sabinorum basilicam, quæ ad eam civitatem translata olim fuerat, picturis pulchriorem, ipsamque episcopalem domum novis ædificationibus commodiorem fecit, atque honesta supellectile auxit ad usum sibi succedentium episcoporum dono data.

Collegii Maronitarum ei cura committitur.

60. His aliisque tum episcopalibus tum cardinalitiis curis assidue implicitus, opportunitatem habuit non ingratam (molestam tantum ob viri cui successit jacturam) de longinquis etiam nationibus benemerendi. Libanum Syriæ altum vastumque montem

inter Arabes & Phœnices, cedro potissimum arbore fœcundum atque insignem, longe lateque incolunt Maronitæ populi, tum situ regionis difficili atque aspero, tum numero non contemnendi. Habent hi suos episcopos, & metropolitanum, quem patriarcham dicunt, & quamvis apostolicæ Romanæ sedi obtemperent, addictosque se catholicæ religioni profiteantur, Turcorum tamen oppressi tyrannide, a veteri disciplina degenerarunt. Eam ob causam Gregorius XIII. pater optimus & vigilantissimus, inter cetera veluti catholicæ religionis propugnacula, collegium nationis hujus Romæ instituit, in quo pueri & adolescentes Maronitæ educantur, & sacras litteras, religiosos mores, incorruptamque religionem ediscunt. Hujus collegii curationem egregie explerat Antonius Carraffa sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis Neapolitanus, Pauli IV. pontificis gentilis, vir incorruptæ integritatis, & non vulgaris doctrinæ; quo vita functo, Maronitæ Gabriëlis operam & patrocinium summis precibus a summo pontifice impetrarunt; neque eos fefellit opinio, quam de illius sapientiæ & benignitate conceperant; vicit enim is hoc in onere, quod libenter subivit, omnium expectationem, paterni omnis officii studio, & non solum aucta mirifice disciplinæ loci illius rationibus censibusque consuluit, sed etiam postea paucis elapsis mensibus Clementis pontificis eximiæ liberalitati innixus, patriarcham ipsum & ecclesias illas pecuniis juvit, & eò sacros libros plures in Chaldæam linguam ex Latina versos, Chaldæisque characteribus Romæ typis editos, copiosamque suppellectilem ecclesiasticam Romani ritus per ipsosmet collegii alumnos transmisit, quos ad sacerdotis & parochi munus peragendum in tam remota incultaque Domini vinea idoneos operarios esse comperit; unde post annum alios adventantes in eodem collegio instituendos, liberaliter ab eo exceptos vidimus.

Alphonsus Palæotus in sede Bononiensi ei coadjutor datur.

61. Inter hæc ardenti perpetuoque flagrans desiderio Bononiensis ecclesiæ, a qua abesse ægerrime ferebat, omnem lapidem sæpius moverat, ut episcopatum Sabinensem dimittere sibi permitteretur; sed inani conatu: a Gregorio tamen XIV. pontifice hac sollicitudine levari aliqua ex parte visus est, qui Alphonsum Palæotum senem optimum versatumque in illius ecclesiæ gubernatione eidem pontifici familiarem creavit archiepiscopum Corinthi, concessitque ut Gabriëli, cui illum in archiepiscopatu Bononiæ, successorem fore declaraverat, in ejus administratione jam tum socius esset, atque opem pro virili ferret, coadjutorem cum spe successionis vulgo vocant.

Novæ congregationis Romæ erectæ præficitur.

62. Post Gregorii XIV. obitum Innocentius IX. Bononiensis, singularis sapientiæ atque integritatis vir, atque veteri necessitudine Gabriëli conjunctus, duos tantum menses in pontificatu fuit, quo perbrevi temporis spatio ostendit sane quanti Gabriëlem faceret. Eum enim vix pontifex creatus præfecit congregationi quam instituerat, ut in ea de correctione morum in Urbe necessaria multa decernerentur, unde in reliquas Christiani orbis partes, & præscriptæ leges & exempla optimæ disciplinæ diffluerent. Cardinales qui ad hoc negotium convenichant, fuere Alexander Medices archiepiscopus Florentiæ, Leo XI. in pontificatu ad quem ascendit dictus, Augustinus Valerius episcopus Veronæ, Federicus Borromæus archiepiscopus Mediolani, & Augustinus Cusanus. Atque inter alios, qui consilii causa in eam jussu pontificis advocabantur, fuere Claudius Aquaviva præpositus generalis Societatis Jesu, Antonius Possevinus ex eadem Societate, & Sylvius Antonianus, qui postea cardinalis fuit.

Bononiam reversus synodum celebrat.

63. Sed Innocentii successor Clemens VIII. pontificatum vix iniverat, cum Gabriël diu expetitam occasionem tunc sibi oblatam ratus, ut Bononiam reverti, ibique commorari posset, denuo frustra orat; impetrat tamen ut sua saltem præsentia archiepiscopum collegam in ea administratione pauorum mensium spatio animet, atque in suscepto labore, salutaribus consiliis monitisque confirmet. Quapropter Bononiam reversus, ut id facilius consequatur, synodum diœcesanam indicit, ad quam insigni pietatis ac religionis studio clerus illius diœcesis tam bene instructus accessit, ut nihil fere amplius in eo quod ad disciplinam faceret desiderari posse videretur. Firmiore quoque usus præsidio est beatissimæ Virginis & sanctorum patrocinio, ut voti sui compos fieret. Is ad dexterum latus aræ maximæ in archiepiscopali basilica sacellum pretiosis e marmoribus extruxerat, organisque musicis, egregiis picturis, magnificaque suppellectile exornatum, congruoque censu ad divinum in eo cultum assiduo retinendum locupletarat. Eo tunc inter ipsam synodum, quæ postrema fuit, Gabriël, publicis supplicationibus obitis, apparatuque maxime solemni plurimas sanctorum reliquias, quæ centum quinquaginta numerabantur, pretiosis in vasis, arculisque auro atque argento distinctis, ab veteri, ubi in episcopali domo privatim asservabantur, loco transportavit, eique populo Bononiensi perpetuo tradidit venerandas. Deinde parœciis præcipue virginumque cœnobiis accurate aditis, atque ad normam censuramque exactis, in magna annonæ difficultate, tam eas quam pauperes omnes, obæratos, ægros, & carcere detentos, non vulgari liberalitate sublevavit. Quo exemplo Bononienses inflammati adeo exarsere, ut institutis, eo auctore, novis sodalitiis piorum & nobilium virorum ac mulierum, eleemosynarum

mosynarum magna copia quotidie in singulas civitatis regiones distribueretur.

Romam reversus pontifici summis adjuvat consiliis.

64. Cum vero satis recte Bononiæ res brevi illo tempore stabilivisset, summo pontifici obtemperans Romam redit, a quo variis, gravissimis, iisdemque difficillimis negotiis implicatur, eique suam operam egregie navat, ut inextinguibile pene, ac truculentum seditionum hæreticarum incendium, quo Galliarum regna dudum perdite conflagrabant, restingueretur. Nihil enim præter Deum & Christianæ reipublicæ commodum atque amplificationem sibi ante oculos umquam statuit Gabriel, atque in tam arduo negotio præsertim, liberius quam umquam antea, quæcumque e republica fore intellexit, nulla suspicione sollicitus, non obscuris atque suspensis verbis, quorum sententia diversas in partes trahi posset, sed clare ac sapienter exposuit, ut HENRICUS BORBONIUS rex Navarræ in ecclesiæ catholicæ sinum reciperetur. Ejusmodi officiorum laborumque pene incredibilium affero testem conscium religiosumque, Antonium Possevinum e Societate Jesu (quo in ea quoque re Clemens pontifex utebatur) a Palæoto crebris litteris ad negotium urgendum, ne ulli labori parceret, neve impedimentis cederet exstimulatum.

Decreta ecclesiæ Bononiensis unum in corpus colligi curat.

65. Sed quo majori pondere premi videbatur publicarum rerum causa, eo amantius de ecclesia Bononiensi firmiore adhuc præsidio optimæ gubernationis munienda absens cogitabat. Norat is a clero & populo urbis & diœceseos Bononiæ utiliter fuisse recepta quæcumque viginti octo & amplius annorum spatio, quo eamdem ecclesiam rexerat, ejus administrationi usui accommodata constituerat: quæ si ordine distinguerentur, atque in capita digesta uno volumine tamquam promtuario includerentur, quocumque tempore sive eo absente, sive præsente, sive e vita sublato, mentis suæ sensum patefacere possent: successoribus vero archiepiscopis, iisque præsertim qui aliunde oriundi Bononiæ præficerentur, non levi commodo fore existimabat, si semitas in quibus ipse versatus fuerat, ante oculos ipsis proponeret, quibus non solum facilius dirigerentur ad sui muneris metam contingendam; sed etiam gravibus illis molestiis nova quotidie promulgandi decreta & remedia excogitandi liberarentur. Quare hujus laboris opus mandavit mihi, viribus meis sane impar, quod septem partibus distinctum fuit, & iis præmissis, quæ ad theoriam & præcepta quædam magis necessaria episcopali administrationi pertinent, colliguntur quæcumque in ejusdem praxi versantur.

66. Quamvis autem ille ejusmodi diligentia consilioque occurrerit aliqua ex parte sollicitudini, qua continue angebatur, numquam tamen permisit, ut quidquam gravius in eo regimine quoad vixit, scipso insscio & inconsulto, perficeretur, atque idcirco certis familiaribus utebatur, quos in conscribendis epistolis & negotiis pertractandis, quæ tantum ad illam ecclesiam pertinebant, diu noctuque occupabat.

Librum de Bono senectutis componit.

67. Neque tamen, quod non satis umquam admirari possum, in tam multiplici cogitationum gravissimarum & laborum cumulo, a consueto studiis litterarum incumbendi more, & horas quas illis avide dabat, ab ipso etiam somno surripiendi, ne latum quidem, ut dicitur, unguem discedebat. Nam & hac industria longævæ senectutis molestias minuere se maxime profitebatur. Quin ut id commodius assequeretur, in illa gravi & affecta ætate, librum latine composuit, de *Bono senectutis*, tanta eruditione, tamque varia rerum cognitione refertum, ut in diversis postmodum locis editus typis, & in vulgarem etiam sermonem versus fuerit.

De imaginibus libros sex.

68. Sacrarum vero imaginum tractationem eodem tempore præ manibus habebat magno conatu resumtam, quam tamen, etsi jam ad sex libros fere creverat, relinquere imperfectam coactus est, non tam ob corporis virium imbecillitatem, quam ob dolores calculi, quibus assidue fere tentari cœperat, ut sæpe in vitæ discrimen adduceretur. Et quoniam hujus compositionis adversaria, quæ mox in justum æternumque volumen referrentur, adhuc, ut permultæ aliæ ejus lucubrationes publica luce dignissimæ in tenebris, numquam inde fortassis, magno reipublicæ Christianæ ac litterariæ damno, prodituræ delitescunt, totam argumenti illius seriem, ut ex hoc Gabriëlis pietas ac judicium manifestius appareat, explicabo; quarum rerum commemoratione inflammabuntur viri doctrina, pietate atque auctoritate insignes, ad hujusmodi conatus adeo Christianæ puritati necessarios & salutares, strenue provehendos. Distinguebatur totum opus in sex libros, in primo de imaginum origine, dignitate, officio, & fine agebatur, tum de veneratione & cultu, qui sacris picturis jure debetur, ut hinc constaret, quanta sit necessitas emendandi abusus, qui ad hoc usque tempus in eas irrepserunt, & cavendi in posterum ne ullatenus contaminarentur. Secundo libro, ad exemplum indicis librorum, quo auctores aliqui & libri omnino damnantur, aliqui expurgandi mandantur, aliqui permittuntur, regulæ quædam generales explicabantur, quibus distinguebatur quænam imagines omnino essent prohibendæ, quæ correctione indigerent, & quæ demum pro rerum varietate in quibusdam locis certisque tantum personis permitti possent. Tertius ad picturas descendebat, quæ turpes & obscœnæ censentur, de quibus fuse & distincte agebatur. Quarto post relata sin-

gula myſteria, quæ divinitatis ſunt, videlicet de Imagine Dei Patris, Dei Filii, & Dei Spiritus-ſancti, & ſanctiſſimæ Trinitatis, ordine recenſebantur præcipuæ quæque de vita Chriſti Domini noſtri hiſtoriæ, quæ cum in iis pingendis, plurium imaginum fiat concurſus, debent evangelicæ veritati & hiſtoriæ eccleſiaſticæ congruere. Quinto agebatur de ratione pingendi imagines ſanctorum quæ ſigillatim ex ordine ſacrarum precum, quas græco vocabulo Litanias vocant, recenſebantur. Sexto demum libro multa promiſcue colligebantur, inſtruebanturque ii qui præſunt eccleſiis aliiſve locis, quæ picturis exornari ſolent, qua ratione hæc apte & cum dignitate effici debeant.

De morte frequentius cũ ſuis loquitur.

69. Interrupto itaque ab ægritudinis moleſtia ſcribendi conſilio, *medicorum juſſu*, placidis quibuſdam itineribus Urbi propinquis uti cœpit; ſed haud ita intento ſtudio vacabat curando corpori, ut interea ſpirituales exercitationes, ſive ſui officii partes obliviſceretur: nam eo præſertim tempore dicebat ſibi ardentius Chriſtianis operibus epiſcopo dignis inſtandum, cum animus ad cœleſtium rerum contemplationem corporis depreſſis viribus, facilius erigebatur. Tunc de morte aſſiduos fere ſermones cum familiaribus ſerere cœpit, cumque ſæpius inter loquendum, ut fit, commemoretur proſperitas multorum, qui incolumes & robuſti nonaginta & amplius annos in hac mortali vita fuerant, objiciebat ille ſummo ſpiritu plena ſanctorum patrum dicta, illudque præſertim in ore frequentiſſimum habebat divi Hieronymi, Nulla res longa mortalium eſt, omniſque felicitas ſæculi, dum tenetur, amittitur. Cum enim tribulationis tempus advenerit, omne quod præteritum eſt, nihil adjuvat ſuſtinentem. In itinere, quod poſtremum ſuſcepit benigno veris tempore per Sabbatios & Tarquinienſes agros ad Forum Claudii, qui locus nunc Tolfia appellatur, ſe contulit, ad viſendam in proximis Appenini jugis, *aluminis venam*, quod ex duro lapide mira induſtria operoſoque labore conflatur. Ibi Gregorius XIII. pontifex arcem extruxit, ædificiis, artificum copia, ſuppellectilis varietate munitiſſimam. Immenſus eſt enim, ac prope incredibilis hominum numerus, qui in opus illud incumbunt, alii in præcipiti monte diu noctuque lapides cædunt; alii plauſtris cæſos vehunt, irrigant aquis atque emolliunt alii, pars in vaſtis fornacibus emollitos coquunt, alii veluti remis in amplis vaſorum ſinibus aſſidue verſant aquam, inde alii ad loca reducunt ubi coagulatur, atque in alumen convertitur: præſunt alii domus miniſterio, alii ponderibus, alii officinis. Immenſi illius opificii Gabriel aſpectu *ita* recreatus eſſe videbatur, ut *in* magnam ſpem veniremus ejus priſtinæ valetudinis recuperandæ. Sed ille ad altiora erectus animo, non tam naturæ arcana atque induſtriæ humanæ vires, quam ſanctorum martyrum anguſtias contemplabatur, qui in Siticuloſis inſulis ad lapides cædendos a ſævis damnabantur tyrannis; eorum exemplum apte ante oculos illi proponebat reperta ibi ſolitudo, ut & ſe robuſtiorem multo redi, & ad tolerandos ægritudinis ſuæ dolores, atque adeo ad ſummos quoſque cruciatus perferendos excitari diceret. Hinc ad proximos Graviſcos profectus, atque amœna Cornuetanæ civitatis (caſtrum Inui eſſe nonnulli non levibus innixi argumentis putant) ſtatione valde oblectatus, Romam per Pirgos rediit. Centum-Cellis, qui portus eſt ac ſtatio pontificiæ claſſis, diligentiſſime quæſitos Bononienſes, qui in triremibus ultra præfiniti ad pœnam temporis ſpatium detinebantur, impetrata a Clemente pontifice facultate, liberos pecunia indumentiſque donatos Bononiam dimiſit.

Calculo & febri vehementer laborat.

70. Verum ſequenti anno poſt celebratum Chriſto reſurgenti ſacrum diem, calculi dolor, qui remiſerat, intentius crevit, ut intolerabili prope cruciatu oppreſſus decubuerit. Tres menſes eum ægrotatio, in dies ſæviens magis, tenuit. Acceſſerat ad retentos calculos gravis eaque aſſidua febris, ardor ſitis inextinguibilis, & vigilia continens. Quæ omnia adeo conſtanter perferebat, ut religioſi viri plures, qui in ſpirituali palæſtra totum vitæ tempus conſumſerant, eo quotidie accederent ad ſeipſos Chriſtiana religioſaque Gabriëlis *patientia incitandos & confirmandos*, atque in illo corpuſculo tam diris & continuis doloribus jactato, tam ſublimem & fortem animum palam admirarentur. Dum ei per corporis dolores licuit, ſacratiſſimo Chriſti corpore reficiebatur fere quotidie; dum lingua uti potuit, vel morbo maxime gravatus, horas canonicas quotidie recitavit; cum ita languit, ut verba pronuntiare non poſſet, ſacerdotes recitantes attentiſſime audivit. Inter alias precationes expoſcebat aſſidue auxilia Virginis Deiparæ & ſanctorum Gabriëlis archangeli, Petronii, Dominici, Franciſci, quos tutelares ſuos peculiari cultu venerabatur; oratione, quæ jaculatoria a ſanctis patribus appellatur, ſæpiſſime uſus, etiam ſermones, & medicamenta ad corporis curationem neceſſaria interdum negligebat.

Ejus obitus.

71. Ceterum hæc Chriſtiano viro, quicumque pie diem ſuum claudat, communia videri poſſunt; illud autem peculiare Gabriëli fuit, quod jam ad mortem accinctus, familiam ad ſe vocari juſſit, eamque dolore immenſo propinquæ jacturæ percitam, deditamque jam lacrymis penitus, ac lamentis, ſolari conatus eſt, nemine non admirante, quod voce plenus & ſuavis diſcedentem ſpiritum revocaſſe, atque ad plures dies perducturus videretur. Huc mihi afferenda eſſent eadem Gabriëlis verba, ut poſtremæ

hujus actionis exemplari egregio compendium dictis facerem, sed illo potissimum tempore, ingenti animi mei molestia, consistendum mihi fuit in Sabinensi diœcesi, (ibi Gabriëlis vices gerebam) ne, quod verebantur nonnulli, ejus animum, alioquin semper infractum, mea præsentia perturbarem hoc uno prætextu, ut ipsi aiebant, quod is de Sabinorum ecclesiastica gubernatione maxime sollicitus, me inde absente, aliquid mali contingere posse suspicaretur. Ego vero, ne quid umquam, licet haud ignarus hominum voluntatis, mihi adscribi posset, quod meæ erga tantum patronum observantiæ repugnaret, continui me, atque absentiam tuleravi, dolorem, cui imperare non potui, lacrymis temperavi. Post hæc jam moribundus nec ideo cessat a consueta vigilantia, quam tanto studio episcopalibus curis omnibus semper adjunxit, neque suæ erga domesticos & familiares benevolentiæ finem facit; nam illico dictavit epistolam ad ALPHONSUM PALÆOTUM archiepiscopum collegam suum, cui paternos affectus totos effundens, Bononiensem ecclesiam suamque familiam efficacissimis verbis commendavit, eademque hora cum salutarem expiationem atque indulgentiam a summo pontifice ritu Catholico postulatam obtinuisset, vita celeriter ad exitum properante, ut expeditiore etiam mente mortem expectaret, signatas testamenti tabulas præfecto domus dedit, atque ut aperirentur statim atque decessisset, rogavit FEDERICUM BORROMÆUM archiepiscopum Mediolani, & GUIDONEM PEPULUM sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, qui præsentes aderant. Denique inter manus piorum sacerdotum, qui ejus quotidianæ vitæ administri erant, cum omnes corporis partes præ dolore obstupescerent, integra mente, placidissime animam creatori reddidit, anno ætatis suæ septuagesimo quinto, & salutis humanæ MDXCVII. XI. cal. Augusti. Urbe tota, statim atque ejus mors vulgata est, non dubiis mœstitiæ signis ad cadaver visendum effusa, cum alii parente optimo, alii strenuo in ecclesia Dei duce, alii sancto principe, alii doctissimo antistite, omnes demum integerrimo ac sapientissimo senatore Christianam rempublicam destitutam complorarent. Depositum per aliquot dies defuncti corpus in æde sacra sancti Johannis Evangelistæ Romæ jacuit. Postea Bononiam fuit asportatum, atque in templi metropolitani inferiori parte, quam vocant Confessionem, in ipso sacello, quod ejus rogatu Gregorius XIII. pontifex maximus ad animas quæ in purgatorio igne cruciantur, ab eo supplicio liberandas peculiari privilegio insigniverat, humatum sepulcro humili, lapide tantum, qui a pavimento non eminet, quod ita fieri & inscriptionem talem lapidi insculpi ipsemet Gabriel jusserat: *Hic jacet corpus Gabriëlis Pa-*

Et sepultus.

læoti sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & archiepiscopi Bononiensis primi, cujus anima requiescat in pace. Funus quidem satis amplum factum est Bononiæ, incredibili omnium ordinum doloris amorisque significatione, sed multo ampliſſimum perennitate laudum & memoria virtutum ejus celebratum. Testamentum prolatum, apertum & præsentibus iisdem cardinalibus Borromæo, & Pepulo recitatum est. Heredem ex asse instituit ecclesiam Bononiensem, bibliothecam, quæ ingenti selectorum librorum numero celebris erat, in palatio archiepiscopali decenti loco expositam ad publicum cleri usum voluit custodiri. Plura legavit ædibus sacris piisque locis Bononiæ & Romæ, ut divinis sacrificiis & precationibus juvaretur. Reliqua legata varie dedit, in quibus amicorum & familiarium exquisitissimam rationem habuit.

Præclaræ ejus dotes & virtutes compendiose referuntur.

72. Statura fuit formosa, non magno corpore, sed in quo partes omnes cum lepore consentiebant. Faciei inerat dignitas venustati conjuncta; nasus extrema parte ad aduncitatem paulatim & parum vergebat, oculos habuit cæruleos, visu ita præstitit, ut, duobus ante obitum annis tantum, specillis, interdum, & raro quidem uti cœperit, semperque mira cum facilitate legerit; auditus ei solers; odoratus acer; dentes tamen amisit in virilitate, pituita redundante, ob nimios studiorum labores; lingua non iccirco hæsitans, sed soluta; vocis sonus gravis & permanens; manibus ad extremos usque senii dies, pedibusque valuit; robustiores longa deambulatione onustus annis lassabat. Dictavit scripsitque plurima, pauca tamen scripta edidit, eorumque jam mentionem fecimus, quæ non nisi pro bono publico exire permisit; scribendi genere floruit eleganti ac temperato, crebris sententiis variaque eruditione jucundo. In ejus scriptis inter cetera, laudatur judicii acumen, ordo, ac dicendi claritas; ab ecclesiasticis dictionibus nequaquam abhorruit, sed iis tamquam pretiosis lapillis scripta & sermones ipsos episcopis conspergendos esse dicebat. In epistolis brevitatem amavit & prudentiam; in earum inscriptionibus titulisque eorum ad quos scribebantur, consuetudini temporum semper adhæsit, quam tamen ea in re improbare solitus erat, quod antistitum dignitati consentaneum esse affirmaret, ut latino potius quam vulgari sermone inter eos litterarum officia exercerentur. Græca lectione adeo delectatus est, ut inter deambulandum, dumque curru etiam ac lectica veheretur, sive ipse legens, sive legentem audiens, aliquam temporis partem illi quotidie fere tribuerit. Tractabat negotia horis omnibus, cum postulabat occasio a prandio & a cœna, quæ cum varia essent ac plurima, ad multam noctem sæpissime producebantur, cum tamen ipse summo mane ante lucem evigilaret, ac de lecto

surgeret; si a negotiis aut ecclesiasticis functionibus interdum vacandum erat, rus & solitudinem adibat: quam quæsiit & in primis optavit in cœnobiis apud religiosos viros, nulla eorum impensa, sed potius non mediocri commodo. Ibi numquam fuit absque litteraria exercitatione; atque relaxationis tempore, negotia ipsa episcopalesque occupationes distinguebat, ut cum ad urbem revertebatur, facilius illi consilium esset post opportunam commentationem. Solebat etiam aliqua interdum peregrinatione, non ea tamen longinqua, fatigatas corporis vires reficere, animumque recreare memoria sanctorum patrum Benedicti, Francisci, Romualdi, aliorumque, ad quorum insigniora quædam templa & cœnobia, sive Montis-Cassinatis, sive Sublacensis recessus, sive Montis-Alvernii, sive Eremi Camaldulensium libenter proficiscebatur: quin Camaldulensem solitudinem ita amabat, ut eo in loco domum extruxerit eremitarum usui. Asseclas semper habuit itinerum atque animi relaxationum viros nobiles, multis litteris, iisque non vulgaribus, sed intensioribus ac reconditis præditos, & non minus pietate morumque elegantia, quam doctrina præstantes. Inter eos fuere Lucius Magius, vir in quo pietas, doctrina & morum elegantia inter se ita certabant, ut nescires cui palmam dares: Federicus Pendasius philosophiæ in Bononiensi gymnasio professor magni nominis, Ulixes Aldrovandus philosophus insignis, aut potius omnium scientiarum thesaurus; Carolus Sigonius historicus celeberrimus; Antonius Gigas integritate, ingenii suavitate, bonarumque litterarum usu, supra quam dici possit Gabrielli carus; Marinus Benvenutus, in quo admiratione digna non minus erat ætas longæva & corporis firmitas, quam medicinæ ac theologiæ scientia, atque animi tranquillitas & nota probitas: Percurrerat enim Gabriel etiam ipsius medicæ facultatis initia, & cum ipsis aliisque varias disceptationes in medium afferebat, non solum de natura animantium, de cœlo, de stellis, sed etiam de arboribus, de plantis, quarum adeo fuit diligens investigator, ut magnam in ea re operam consumsisse judicaretur, earumque nomina ex improviso græce & latine exponeret, utilitatesque enumeraret. In familiari consuetudine nemo illo suavior, nemo jucundior, vel in ipsa senectute; illud vero non levi argumento est, quam absolutis numeris compositus esset ejus animus, quod pomeridianis horis, æstivo tempore, vespertinis hyemali, ante somnum familiares suos musici concentus otio laudabili sese oblectantes, intentus tamen ipse negotiis, quibus horas illas assignarat, non mediocri cum voluptate audiebat. Temperatissimus in omni ætate fuit, victus ei tenuis atque ac simplex. Illam vero temperantiæ partem, qua voluptates oppugnantur, tanto studio & severitate custodivit, ut a mulierum colloquiis, quamlibet affinium & propinquarum, ab incunte ætate semper abstinuerit: cumque episcopus fuit, paterna caritate id expostulante, quæ vidais, aliisque feminis & virginibus episcopi ope indigentibus debetur, in ipso templo præsentibus saltem duobus sacerdotibus eas audire consueverit, illud frequenter in hanc sententiam adducens, quod Gregorius magnus de Augustino scribit, qui neque cum sorore voluit habitare. Quare nulla umquam corruptorum morum contagia ad ejus pectus pervenerunt, quæ ei vel minimam quidem labem asperserint, constansque fuit opinio servatæ ab eo virginitatis, id quod non solum omnes, ipso vivente, asserebant viri religiosi, annis graves & vitæ integritate præclari, in ejus intima familiaritate diutissime versati, sed dissecto cadavere post ejus obitum, ut ad sepulturam curaretur, ipsi medici testati sunt non obscuris probationibus, dum lapidosi morbi causæ, unde tanti viri factura fuit, ex urinariis, quos vocant, meatibus explorarentur. Hoc idem indicabat ingenuus quidam & sanctus pudor, quem a teneris annis ad extremam usque senectutem retinuit, neque id quidem mirum videbatur iis, qui ipsius religionem ac pietatem in Deum singularem intime contrectarant, unde virtutum omnium origo est atque incrementum.

Ejus peregrinationes.

Itinerum socii.

Mulierum colloquia etiam affinia devitabat.

Servata ab eo virginitas.

73. A primis annis obtemperare assuetus monitis spiritalis patris, eo numquam postea caruit. Postquam sacerdos fuit, toto vitæ suæ tempore, quotidie fere, nisi maximis occupationibus detineretur, aut morbo oppimeretur, missæ sacrum fecit: antequam sacerdos esset, pœnitentiæ atque Eucharistiæ sacramentum frequentabat, precibus ad Deum peculiares ac proprias horas etiam a somno ereptas tribuens; & quamvis magno curarum pondere premeretur assidue, habebat se tamen in potestate intenta mentis acie omnia a Deo incipiens, in ipso uno omnia terminans, ut commodatus dici posset, non datus rebus quæ tractabat, ad spirituales delicias quamprimum reversurus, quibus e contrario sic utebatur, ut publica negotia omni cura & assiduitate amplecteretur. In unaquaque vel minima re summa Dei beneficia recolebat, ad cujus contemplationem floris etiam aut herbæ aspectu rapiebatur; traducebatque opportune sermonem, deambulationis præsertim & relaxationis tempore, ad Dei laudem prædicandam. Nullum umquam negotium, nisi prius implorata Dei ope, est aggressus, neque in ejusmodi pietatis officiis studiisque tantum sibi umquam tribuit, ut confessarii sui consilium ante omnia non exquireret. Cum Romæ fuit, in animæ suæ custodia & regimine ductorem habuit Philippum Nerium congregationis

Ejus pietas.

Animæ rectorem habuit S. Philippum Nerium.

Oratorii inſtitutorem, cujus virtutem ſpectamque ſanctimoniam ita admirabatur, ut eumdem quoque in libro *De bono ſenectutis* præclara laude extulerit, & ſummi pontificis ſententiam, qui eum beatum appellari voluit, declaravitque, ipſe prævenit. Incredibilem exercuit ſemper erga Chriſti pauperes liberalitatem, cum etiam plures haberet in eos ſuæ pecuniæ diſtributores adminiſtroſque; qui non ſolum oblatos ſublevarent, ſed quærerent atque indagarent. Libellos ſupplices, qui ei ab inopibus porrigebantur, & libenter accipiebat, & neminem triſtem ab ſe diſcedere patiebatur. Ad eos ægrotoſque viſendos tum ad valetudinaria, tum ad ipſas domos ipſemet accedebat ſæpiſſime, neque ardentius quidquam expetere videbatur, quam ut Chriſto Domino in pauperibus id obſequium præſtare poſſet. Vix firmus a graviſſima valetudine ad pauperem periculoſe ægrotantem ſe contulit, qui ejus opem imploraverat, pluresque alios ægrotos eo ipſo die viſit juvitque, cumque domum reverſus non ſine aliquo febris indicio urgeretur ad quietem ab ipſis medicis, & benevole admoneretur, ut in poſterum hujuſmodi laboribus abſtineret, liberum ſe ab omni languore eſſe dixit, ea ſententia uſus: Tunc equidem me a Deo amari conſiderem, ſi ob Chriſti pauperes aliquid paterer, & ex meis aliorum mala ac dolores melius intelligerem; hi ſunt qui me paternam quæ epiſcopos decet curam docent, cur eos corporis mei incolumitati non anteponam? In domeſtica ejus ſuppellectile aſſervabantur varia indumentorum genera, quæ pauperibus in dies diſtribuebantur. Cumque annonæ caritas ob maximas rei frumentariæ difficultates, ubique fere in Italia invaluiſſet, ille & Bononiæ & Romæ non mediocrem pauperum numerum ſua impenſa aluit. Hinc factum eſt, ut in extrema ſenectute aliquanto diligentior in ſumtuum cura videretur, cum coactus conditione temporum, quibus largiſſime fuerat pauperibus ſuccurrendum, exhauſtum fere penitus epiſcopale ærarium, non multos poſt menſes decedens, non tamen obæratus reliquerit. Ædificationibus valde oblectabatur, in quas ad archiepiſcoporum uſus, quorum ipſe tunc pro tempore locum tenebat, aut ad templorum publicarumque ædium inſtaurationem, magnam auri vim non minore judicio impendit; parum in hoc de affinium aut conſanguineorum commodis ſollicitus, quibus nihil umquam ex archiepiſcopatus fructibus impertiebatur, non quod illos non amaret, ut optime de ſe ac publico meritos, ſed quod pauperum atque archiepiſcopalis curæ neceſſitatibus quidquid colligebat abſorbebatur. Hoſpitibus excipiendis ejus domus epiſcopalis Bononiæ ſemper patuit, quamvis ille inde abeſſet, epiſcopis præſertim, qui a Gallia, aut Hiſpania, aut Germania, aut Polonia & remotiſſimis terrarum oris Romam adventabant, principibus item viris, cardinalibus, & illac tranſeunti cuilibet apoſtolicæ ſedis adminiſtro. Moſcovitarum legatis ab Antonio Poſſevino ad Gregorium XIII. deductis bis hoſpitium liberale dedit, quo etiam inter alios viros principes regali excepit magnificentia duces inclytos Octavium Farnesium Parmæ & Placentiæ, & Franciscum Mariam Feltrium de Ruere Urbini, qui ab Octavio Farneſio in ipſa baſilica Bononiæ aureo vellere Catholici regis inſignitus eo tempore fuit. Anglos præcipue patria ob catholicam religionem profugos hoſpitatus eſt, quibus etiam pecunias profuſe largiebatur, ex quibus fuere illuſtri genere orti Guillelmus Alanus a Sixto quinto poſtea in cardinalium collegium, Gabriële etiam promovente adſcitus; Audoenus Ludovicus archidiaconus Cameracenſis, ab eodem epiſcopus Caſſanenſis factus; Franciscus Inglefeldt intimus conſiliarius Scotorum reginæ; Ricardus Nortonus equeſtri dignitate, opibus atque auctoritate conſpicuus, qui dum vicecomes Eboracenſis fidem catholicam regio imperio oppugnatam totis viribus defenderet, liberis, fortunis, ac dignitate ſpoliatus, Romam cum Helisabeth filia ſexagenaria ipſe octogenarius confugerat. Perpetua in eo fuit erga omnes, qui ſtudiorum cauſa Bononiæ commorabantur, exteros præſertim animi propenſio, erga quos non ſolum dum publice in eo gymnaſio juriſprudentiam profitebatur, omnia humanitatis officia adhibuit, ſed eoſdem etiam cardinalis atque epiſcopus factus beneficiis cumulare non prætermiſit, ut illis poſtea ſive ad patriam reverſis, ſive ad varios honorum gradus evectis, ſive Romanæ aulæ addictis, nihil fuerit antiquius quam de tanto patrono benemereri. Quin & iis, quos ingenio præſtantes agnoſcebat, occaſiones præbere ſolitus erat, multiplici variaque materia ingenium exercendi. Amici hic mei Gregorii Montagnanæ *veluti honorifici ac proprii* exempli mentionem faciam, qui cum Bononiæ legum ſtudiis adoleſcens navaret operam, centum & amplius theoremata juris civilis ſtrenue defendit. Ejus vero publicæ diſputationi cum Gabriel triduo interfuiſſet, juvenis ingenio plurimum delectatus, eum arrepta occaſione extimulavit, ut ſcripto quoque Juſtinianum imperatorem optimum qui leges magna ſapientia compilavit conditque, a vulgatis quibuſdam calumniis defenderet; id quod ille egregie perfecit, eamque laudem ex ea re ſibi apud Gabriëlem comparavit, ut ab eo poſtea Romæ gravibus in rebus adhibitus fuerit, qui ejus honeſtiſſimos in aula Romana labores ſemper poſtea promovit. Neque vero ſeveritas illa, quæ neceſſario adjungitur epiſcopalibus curis, illum umquam triſtem, aut durum in

In pauperes quam pius.

In hoſpites.

Erga ſtudentes Bononiæ.

Ejus manſuetudo.

humano convictu reddidit, nam sermoni pleno suavitatis & gratiæ, multa semper pro ingenio captuque amicorum admiscebat, quæ festivam ambiguitatem parerent, jucundæque disceptationis occasionem darent. A scommatibus asperisque facetiis & dicacitate omnino abhorruit, etiam in ipsa adolescentia. Etsi vero senes ut plurimum moroси esse solent, ipse ætatemannis plenam affabilitatis dulcedine ita condiebat, ut mirifice omnium animos quibus conversabatur sibi devinciret.

Qualis in mensa fuerit.

74. Dum Bononiæ fuit, diebus fere singulis publice prandere consuevit, & in frugali mensa, a qua longe aberant sordidæ arsimoniæ artes, convivas adhibebat viros ingenuos, & varietate scientiarum ornatos, cum quibus post ab aliquo ex suis familiaribus sacerdote sacræ alicujus historiæ ex libro particulam recitatam, qui mos illi ad epulas perpetuo fuit, eruditissimis colloquiis fruebatur. Qua ex re illum insuper fructum percipiebat, ut convivæ ad conservandam inter se benevolentiam illa capti dulcedine, allicerentur; eam quoque ob causam sæpe una cum domesticis familiaribus suis prandebat: in cœnatione ad id, ut diximus, extructus, in qua victus & disciplinæ ratio singularis a cœnobitica non dissimilis adhibebatur: eaque delectati sunt episcopi, plures cardinales, cæterique viri principes, qui apud eum hospitabantur. Ibi remotis epulis & gratiis Deo actis, Gabriel, seu alius e convivis documentum aliquod Christianæ disciplinæ a sacro evangelio quod illius diei proprium erat, exceptum proponebat, quod cum pro cujusque ingenio ac doctrina examinaretur, eveniebat ut ea sermonum varietate avidis etiam animis non vulgares cibi apponerentur. Amavit veritatem, ac rebus omnibus præposuit, adulationi infensissimus, Nulla in eo honoris sui aut meriti amplificatio, procul omnis garrulitas, ac de seipso sermo loquacitasque. In consultationibus publicis privatisque nihil umquam defendit, nihil umquam cuiquam pollicitus est, quod non probe teneret, aç sciret juste, ac sine cujuspiam injuria se re præstaturum; gravibus sententiis opiniones suas tueri, præter rationes, solitus fuit; sententias vero non sibi ipsi fingere, sed ab auctoribus Latinis Græcisque, sacris ut plurimum, nihil immutatis verbis, recitatas aut translatas in medium adducere, ipsosquemet citare auctores.

Res humanas fortiter toleravit.

75. Res humanas tanta fortitudine toleravit, ut quovis eventu, sive prospero, sive adverso expugnari aut vinci numquam potuerit, nec in ipsorum fratrum obitu, quos unice diligebat: mansuetudine & benignitate, quæ inter ceteras virtutes ejus propriæ esse videbantur, tamquam tutissimo navigio iracundiæ, doloris, cupiditatum, ceterarumque perturbationum procellas secundissimo cursu devitavit. Numquam ego eum iratum vidi, nisi ob eas causas, quæ ad divinæ legis, pietatis, aut caritatis neglectum vel modice pertinerent. Famulum qui librum ab eo manuscriptum in itinere in caupona reliquerat, Architæ Zarentini dictum Christiane usurpans, ita excepit: jam te, inquit, dimitterem nisi iratus essem. Nullius umquam monita sprevit; sed ex omnibus iisque etiam qui imperiti essent, non mediocrem fructum sapientiæ percipere se palam profitebatur. Eos qui acrius quam par erat objectis respondererent placide demulcebat, paratumque se aiebat ab omnibus corripi, ab omnibus emendari. Summa cura amicitias non modo conciliavit, sed etiam quam diligentissime semper coluit, ægroque animo tulit amicorum negligentiam in officiis quæ debentur præstandis. Laborandum esse dicebat æque de veteribus amicitiis conservandis ac de novis exquirendis. Amicos & sodales habuit, elegantia morum, probitate & nobilitate claros ab ipsa adolescentia, studiorum & naturæ similitudine conjunctissimos; quo in numero fuere MARCUS ANTONIUS BOBBA, GUIDO FERRERIUS, BENEDICTUS LOMELLINUS, JOANNES BAPTISTA CASTANEUS, virtutum merito cardinales postea creati, quorum postremus summum quoque pontificatum attigit, URBANUS VII. appellatus, JOANNES BAPTISTA RUBEUS, PAULUS ÆMILIUS VERALLIUS, qui ex Rotæ Romanæ duodecim viris fuere, præfuitque Verallius archiepiscopatui Caputaquensi; URBANUS VIGERIUS, ODOARDUS GUALANDUS, quorum ille Senogalliensium, hic Cæsenatum ecclesiam rexit, AUGUSTINUS TRIVISANUS, AUGUSTINUS VALERIUS, ambo patritii Veneti, pietate & doctrina clarissimi, (hic episcopus Veronensis, & postea cardinalis fuit) HERCULES FORTITIUS VICENTINUS, FRANCISCUS BURSATUS MANTUANUS, jurisconsulti præstantissimi. At religiosos viros amavit, observavitque supra quam dici potest, quos litteris & pietate insignes esse agnoscebat, atque inter eos Stephanum Cataneum Bononiensem, congregationis Cassinensis abbatem, Franciscum Panigarolam ordinis Franciscani, qui Minorum observantium dicitur, episcopum Astensem. Auctoritate plurimum quoque apud illum valuere Jacobus *Lainez* & Claudius Aquaviva Societatis JESU generales præpositi, ejusdemque Societatis patres FRANCISCUS TOLETUS, & ROBERTUS BELLARMINUS, summis meritis ad cardinalatum promoti; Benedictus Palminus, Antonius Possevinus, Franciscus Palmius, Joannes-Baptista Perusæus, qui sane magnorum progressuum in episcopali onere adjutores illi extiterunt; Ludovicum Beiam Peleestrelum Lusitanum Augustiniani ordinis, & Franciscum Odoardum Hispanum Cartusiani, Theologos insignes apud se etiam domi, permittente summo pontifice, diu retinuit, atque in ipsis cœnobiis honorifice aluit. Dice-

Nullius monita sprevit.

Amici ejus præcipui.

Viros sanctos & religiosos colit.

bat vitæ sanctitatem, quæ in solitudine perficitur, florentem in eo qui populos recturus sit, tutissimum esse navigium, quo ad æternæ salutis portum homines deducantur, hunc-que animi sui sensum, præsente me, longa oratione declaravit. Promoto inter alios ad cardinalatum Cæsare Baronio, cujus operosissimos atque eruditissimos labores annalium ecclesiasticorum, tamquam propugnacula catholicæ religionis ex omni parte ad expugnandum etiam munitissima, assidue laudabat, lætitia exultare videbatur, eumdemque ampliſſima illa dignitate ornari se repugnantem, suis apud PHILIPPUM congregationis illius parentem officiis ad cardinalatum compelli quodammodo curavit. Multo vero antea Ludovicum Granatensem Dominicani ordinis virum doctrina, eloquentia, & vitæ sanctimonia celebrem, summis pontificibus commendarat sæpissime, ut inter sacri senatus patres cooptaretur. Nec desiit postquam idem e vivis sublatus est, ejus imaginem typis editam evulgare, ut Italia videret lineamento picturæ, quem tantum scriptis, ubique religionis Christianæ semina dispergentem agnoscebat. Eadem studia contulit in Martinum ab Apzilcueta pontificii juris doctorem eximium, aliosque omnes, quos doctrinæ & virtutum sola fama norat, Osorios, Stapletonos, Genebrardos, Lypsios optimarum artium vindices, quos omni studiorum genere vel in longinquis regionibus necessitudinis vinculo devinxit, & sibi adjunxit; ipsumque Lypsium Bononiam alliciens, omnem, ut dicitur, lapidem movit, ut Bononiense gymnasium sua quoque doctrina illustrarer. In deliciis habuit Tullium Crispoldum, Achillem Bocchium, Sylvium Antonianum Romanum, virum integerrimum, e cujus pectore perennem omnis doctrinæ fontem effluere dicebat. Is a Clemente VIII. cardinalis creatus fuit ex cubiculi præfecto, non absque ipsius Gabriëlis officiis, Julium Cæsarem Stellam Romanum Joannis Baptistæ, cujus mentionem fecimus, fratrem, quem Gabriel in otio negotioque maximi semper fecit, ejusque ingenium admirans, musarum domicilium optimum appellabat.

Viris doctis providere cogitabat.

76. Nolui mihi temperare in horum Gabriëlis amicorum mentione, ut si eos ille amavit suspexitque, non id fuisse instinctu quodam affectionis animi, aut casu aliquo, sed summo judicio, ut omnia, id eum feciſſe cognoscamus. Quod si ad eorum aliorumque ejus conditionis virorum merita ejus animo suffeciſſent vires, quammulti dignitatibus ampliſſimis perfungerentur, qui in tenebris delitescentes oblivione posteritatis extincti judicantur! Ejus consilium erat, atque de ea re cum Clemente pontifice paulo ante obitum egerat, ut ex proventibus censibusque pontificii ærarii quota saltem pars seponeretur, singulis annis attributa accipiendis hospitio, & honorifice tractandis doctis viris paupertati obnoxiis, qui Romam se conferunt, donec ecclesiasticis sacerdotiis, aut pensionibus juvarentur.

77. Jam vero liceat mihi hac clausula scriptioni meæ finem imponere, nam ab iis quæ postremo narrata sunt quoddam veluti compendium vitæ Gabrielis facimus, cui certa stabilisque virtutum omnium possessio permansit, quia virtutibus præcellentes viros, *ipsa virtutis res* ad amicitiam attraxit; sed omnes prius, ad quorum manus hæc pervenerint, rogatos velim, ne mihi culpæ adscribant, tamquam ignaro historiæ legum aut contemtori, quod cum ea sequi soleat rerum fastigia & gestorum, in magnorum commemoratione versetur, ego nihilominus minutiora quædam (si in Gabriëlis mores atque actiones nomen id cadit) enucleate sigillatimque pertractaverim. Facile mihi ignoturum spero quisquis ille erit, qui curam hanc meam legerit, si historiam non vulgaris alicujus, quamquam viri principis, sed doctrina, dignitate, sanctimonia, religione, probitate præstantissimi, si denique ut omnia uno verbo comprehendam, Gabrielis Palæoti vitam enarrare me consideraverit, cujus nutus incessusque ne dum facta & dicta imitanda proponi, ac pro exemplo non solum nobis, qui eum vidimus, sed insequenti etiam posteritati esse possunt. Ego quidem sic censeo, fieri non posse quin virtutum amantes professoresque, quos ille semper coluit, ac largius quam pro fortuna semper opibus ac præmiis exornavit, summa amoris consensione, ejus quamquam demortui singulas vitæ partes perpetuis observantiæ studiis prosequantur.

DE BEATO ANGELO DE MASSATIO MARTYRE, MONACHO CAMALDULENSI.

Ex ſchedis Mabillonii.

An. 1458. EX antiquiſſima traditione ſeniorum terræ Maſſatii in Marca Anconitana in territorio civitatis Eſii accepimus, beatum ANGELUM fuiſſe ex familia Urbanorum honeſta & civili, nec multis ab hinc annis deceſſit e vita quædam mulier ejuſdem familiæ ultima. Beatus igitur Angelus induit Camaldulenſem habitum in monaſterio ſanctæ Mariæ poſito extra Maſſatium, itinere unius milliarii (hodie vocatur Abbatia ſancti Angeli.) Fuit vir doctiſſimus, prædicator inſignis atque honoris Dei zelantiſſimus.

Emicuit ejus virtus eo tempore, quo peſtifera hæreſis Barbotanorum, qui Itala lingua vocantur *i Fraticelli overo i Barbozati*, graſſabatur in Italia. B. Angelus cupiens eam extinguere, cœpit ſuis ardentiſſimis prædicationibus hæreticos perſequi, ac rationibus & ſcriptura divina confutare. Tandem anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo octavo egreſſus e ſuo monaſterio, & repertos in quodam nemore vicino aliquos hæreticos ejuſdem ſectæ, qui die feſto ligna cædebant, & ex conſueto illos redarguens atque errores ſuos illis exprobrans, eiſdem armis, quibus arbores cædebant, impie occiſus fuit. In ejus martyrio hoc miraculum narratur, & in pariete poſt altare majus, ubi ejus corpus honorifice poſitum eſt, depictum viſitur. Neſcientes monachi ubi eſſet B. Angelus, quia non revertebatur ad monaſterium, canis, qui ſolitus erat Angelum ſequi, dum extra monaſterium pergebat, regrediens, & quaſi gemens ac latrans videbatur monachis innuere, ut eum ſequerentur; qui ab eodem cane ducti, ad locum ubi ſanctiſſimum corpus ſuo ſanguine totum conſperſum jacebat, perveniunt, & cauſam ſuæ mortis agnoſcentes, atque ante iſtum fratrem gemitibus magnis deplorantes, toto populo illuc accerſito, ac omni clero celebri pompa vocato, ad ſuum monaſterium detulerunt, & in ara magna, ubi nunc etiam eſt, depoſuerunt, ubi Deus ad ejuſdem ſancti preces, multas gratias fidelibus conceſſit. De B. Angelo mentionem faciunt hiſtoriæ Camaldulenſes libro tertio, cap. trigeſimo, his verbis.

De beato Angelo Maſſatii martyre.

Anno 1458. illuſtravit felici tranſitu ſuo templum ſanctæ Mariæ de Serra extra Maſſatium B. Angelus ibi monachus: qui cum Barbotaniæ ſectæ extirpandæ quaſi auctor vehementi ſua prædicatione fuiſſet, a quibuſdam ſceleratis propterea occiſus fuit. Ad cujus tumulum Deus optimus maximus miracula multa oſtendere dignatus eſt in ipſa eccleſia, quæ nunc ex ejus nomine S. Angeli dicitur. Cujus rei gratia eo inter ſanctos ordinis relato, carmen iſtud in ſepulcro ad notiſſimam aram fuit ſculptum imperiti artis metricæ auctoris.

Virgo ſacra filio, patrique corona donata
In cœlis aſſiſtens, ſit tibi cura noſtri.
Gemma monachorum arca jacet Angelus iſta.

In eadem eccleſia etiam antiquiſſima extat pictura in pariete, & ſupra caput beati leguntur hæc verba: *Beatus Angelus de Maſſatio.* Et ſub pedibus: *Anno Domini* MCCCCLVIII. *die primo menſis Maii.*

Teſtimonium ſanctitatis & martyrii B. Angeli abſque ulla exceptione dignum eſt B. Jacobus a Marchia Minorum obſervantium, qui floruit illis diebus, & qui fuit coætaneus B. Angeli. Ipſe enim conſcripſit librum per manum ſui ſecretarii, ſed ab eodem propria manu ſignatum, ſeu ſubſcriptum, in quo in forma dialogi diſputat Catholicus cum hæretico. Liber autem iſte reperitur in archivio conventus Eremitæ ejuſdem terræ Maſſatii, quod a me Hieronymo Zanardo abbate Camaldulenſi lectum fuit cap. 8. pag. 22. Catholicus enim exprobrat vitia & iniquitates hæreticorum ſectæ Barbotanæ his verbis Italico ſermone.

Ecco la carita della voſtra chieſa. Queſte ſono l'opere della voſtra pietade. Queſti ſono li miracoli della voſtra ſantitade. Criſto in cruce colli ſuoi ſanti chiama perdona, perdona, e voi co li Giudei chiamate mora, mora, vecide, vecide. Si como faceſti del beato Angelo del ordine de Camaldoli, lo quale perſequitava la voſtra maledetta ſetta. La cui morte como digno ſacrifitio offerto a Dio per diffenſione della immaculata fede di Criſto, lo ha juſtamente acceprato, e demoſtrato con evidenti ſegni de molti miracoli eſſer a lo ſommamente grato.

BIBLIOTHEQUE ROYALE

INDEX
RERUM ET VERBORUM
HUJUS VOLUMINIS

A.

Acon epiſcopus Autiſſiodorenſis, 691. c.
Abbas eccleſiæ Meduntenſis rex, 269. b.
Abbatis S. Victoris inſtallatio a quo facienda, 275. c.
Abbatis eligendi ſine regis conſenſu facultas datur canonicis ſancti Victoris, 219. a. c.
Abbo epiſcopus Autiſſiodorenſis, 733. c.
Abbo abbas Floriacenſis, 821.
Abbo miles S. Stephani, 697. d.
Abendoniarum epiſcopi Guarinus *Dumbar*, 325. d. Guillelmus *Stewart*, 325. e.
Ablenus archidiaconus Autiſſiodorenſis, 686. b.
Abrincatenſis epiſcopus Herbertus, 105. c.
Abſia monaſterium, 594. d.
Achardi abbatis S. Victoris epiſtola ad Arnulfum epiſcopum Lexovienſem, 231. b. ad Henricum regem Angliæ, 230. d.
Achardus epiſcopus Abrincenſis ex abbate S. Victoris, 232. a. d.
Achilles Bocchius, 1437. c.
Aclevertus decanus Autiſſiodorenſis, 735. a.
Acon civitas inexpugnabilis a Sarracenis expugnata, 77. d. Recuperatur, 61. c.
Aconenſis epiſcopus Jacobus de Vitriaco, 329. c.
Adam abbas a Kenlos, 322. b.
Adam *de Teras* abbas a Kenlos, 322. c.
Adæ canonici S. Victoris epitaphium, 220. c. 222. a. Ejus opera 221. b.
Adamitarum hæreſis, 84. b.
Adeardis mater S. Geraldi de Salis, 989. a. Fit monialis, 995. c.
Adelboldus *epiſcopus Trajectenſis*, 33. a.
Adelelmus nobilis miles & humilis, 717. a.
Ademarus epiſcopus Morinenſis, 619. a.
Ademarus epiſcopus Petragoricenſis, 120. d. 1094. b.
Ademarus de Friaco prior VIII. Grandimontis, 121. b. 128. b.
Ademarus Lavercl. prior Grandimontenſis, 131. c.
Ademarus de Verna prior Grandimontis, 121. c.
Ademarus vicecomes Lemovicanus, 1096. d.
Adeodatus ſancti Auguſtini filius, 21. c.
Adhebaldus ſacerdos & magiſter eccleſiæ *Autiſſiodorenſis*, 723. d.
Adila religioſa femina, 698. b.
Ado filius Autharii a S. Columbano benedictus, 26. d. 27. a.
Adoynus ſacerdos & decanus Autiſſiodorenſis, 689. d.
Adrianus papa IV. 1004. d. 1185. a. 1090. b.
Adrianus papa V. 369. d.
Adricus presbyter, 669. c.
Ædelbertus archiepiſcopus I. Magdeburgenſis, 673. a.
Ædificia magna in religioſis improbantur, 253. c.
Ædith regina, 669. c.
Æduenſis S. Martini abbas Hugo, 805.
Ægidius Fuſcatarius epiſcopus Mutinæ, 1394. b.
Ægidius abbas Viconienſis, 302. b. Prædones ad Chriſtum convertit, 303. b. Pace inter nobiles procurata, adverſus infideles transfretat, 303. d. Eos cum ſuis aggreſſus cedere cogit, 304. c. A Romano pontifice grate ſuſcipitur, 305. a.
Ægidius de Ouina abbas S. Bertini, 614. c. Cedit dignitati, 615. c.
Ægidius de Walcuria prior Oigniaci, 330. b.
Ægidius de Liſciviis vir doctus, 367. c.
Ægyptios juſte ſpoliaverunt Iſraëlitæ, 1157. b.
Æia mulier bona, 709. a.
Ælſhun epiſcopus Londonienſis, 832. b.
Agano decanus Autiſſiodorenſis, 694. d.
S. Agathæ epiſcopus Nicolaus Turicella, 1402. a.
S. Agathæ monaſterium Tuſculanum, 953. a.
Agenenſes epiſcopi Bertrandus, 119. a. 120. d. 455. c. 1091. c. 1094. b. Guillelmus, 501. c.
S. Agnetis vita a S. Ambroſio emendata, 776. c.
Agnes de Monte-Politiano femina ſanctiſſima, 384. a.
Agnes comitiſſa de Grueria, 318. d.
Agnetina Suppa prioriſſa de Pœnitentia S. Dominici, 1294. a.
S. Agricolæ reliquiæ, 1406. d.
Aiga nobilis femina, 26. c.
Aimericus epiſcopus Pariſienſis, 274. e.
Aimericus magiſter ordinis Prædicatorum, 341. c. 343. d. 376. a. 412. b.
Aimericus *Palmuz* canonicus Dauratenſis, 465. e.
Aimo de Aiis rerum Templi citra mare adminiſter, 226. d.
Aimo filius Thomæ comitis Sabaudiæ, 314. a.
Aimonius monachus S. Germani ſcribit acta tranſlationis S. Savini, 805.
Alamannus de *Ponz* vir illuſtris, 284. d.
Alanus doctor univerſalis, 52. a.
Alanus Brito vir pius, 392. d.
Alardus *Trubert* abbas S. Bertini, 622. d. e.
Albanenſes epiſcopi S. Bonaventura, 71. e. Bonifacius, 544. e. Palæotus, 1418. c.
S. Albericus abbas Ciſtercii, 47. d.
S. Albertus patriarcha Jeroſolymitanus Carmelitarum inſtitutor, 59. c. Scribit regulam, 355. d.
Albertus-Magnus, 551. c. 553. b. Ejus vitæ compendium, 358. e. &c. ſeqq. Scribit contra hæreticos, 359. c. Guillelmum de S. Amore confundit, 357. c. Fit epiſcopus Ratiſponenſis, 69. b. 360. b. Dignitati renuntiat, 360. b. Ejus ſcripta, 360. c. & ſeqq. Obitus, 361. c. 369. c. Epitaphium, 362. a. Gloriæ revelatio, 362. c. & ſeq. Tranſlatio, 392. b.
Albertus magiſter ordinis Prædicatorum, 341. b. 371. d. 411. b.
S. Albertus de Tarpano Carmelita 60. c.
Albertus de Brixia vir doctus & ſanctus, 381. b.
S. Albertus eremita, 55. a.
Albertus dux Auſtriæ, 1278. c. S. Catharinæ Senenſis canonizationem proſequitur, 1282. b. Petit ejus caput, 1252. d. 1283. c. Ejus obitus, 1284. a.
Albienſes epiſcopi Bernardus de Caſtaneto, 509. b. 511. b. Bernardus de Combreto, 485. d. 500. a. b. Guillelmus Petri, 494. b.
Alboinus abbas S. Hilarii in diœceſi Carcaſſonenſi, 440. b. c. 442. b.
Alciacenſes abbates Alardus *Trubert*, 622. a. Johannes *Glachon*, 622. b. Johannes de *Lannoy*, 628. c.
Aldemarius monachus ſanctiſſimus Caſinenſis, 794. b.
Aldulfus epiſcopus Autiſſiodorenſis, 729. c.
Alelmus *Briſtel* abbas S. Bertini, 616. c. 617. b. d. 619. a.
Alemanni e Sancto-Audomaro expulſi, 629. c.
Alenconii comitiſſæ Johannæ felix obitus, 1219. a. & ſeq.
Alexander II. papa, 88. a.
Alexander III. papa, 88. c. 118. d. 170. d. 295. c. 1037. c. 1090. c. Ejus epiſtola ad S. Germani & S. Victoris &c. abbates, 233. c. Ad Bruſium S. Victoris abbatem, 241. d. Ad canonicos S. Victoris, 232. c. 254. c. Ad Robertum priorem ſancti Victoris, 264. b. Ad canonicos S. Satyri, 238. a. Ad Ludovicum VII. regem de reformando S. Victoris monaſterio, 249. a.
Alexander papa IV. 340. c. 408. c. Ejus privilegium pro Pruliano monaſterio, 445. b. Ei confirmat eccleſiam Fani-Jovis, 450. c. Revocat bullam Innocentii IV. contra Mendicantes, 357. d. e. Ejus obitus, 363. b.
Alexander papa V. 83. b. 208. c. Ejus creatio, 388. b.
Alexander VI. papa, 393. d. 394. a. 631. b.
Alexander Medices cardinalis archiepiſcopus Florentinus, 1414. a.
Alexander Farneſius cardinalis & apoſtolicæ ſedis legatus, 1390. b. c. 1391. c.
Alexander cardinalis S. Laurentii in Lucina, 252. b. 253. a. 254. d.
Alexander & Theod. cardinales Victorinos canonicos hortantur ad regulæ obſervantiam, 263. a.
Alexander Burgius Burgi S. Sepulcri epiſcopus, 1400. c.
Alexander epiſcopus Moravienſis, 322. c.
Alexander Palæotus legum ſcientia præclarus, 1389. c.

Alexander Beroaldus canonicus Bononienſis vir doctus, 1401. a.
Alexander *de Halez*, 75. b.
Alexander de Villa-Dei ordinis Minorum, 74. c.
Alexander rex Scotorum, 320. d.
Alexander Gordonius comes, 324. c.
Alexius Servita vir ſanctus, 579. a.
Alexius canonicus S. Victoris, 233. b.
Alexius diaconus eccleſiæ Rom. factus canonicus S. Victoris, 241. d.
Alferus presbyter, 670. c.
Alfonſus Palæotus coadjutor Bononienſis, 1423. d. 1429. b.
Alfonſus rex Caſtellæ, 398. a.
Aligernus abbas Caſinenſis, 938. b. 946. b.
Allodium monaſterium, 904. d.
Altercatio inter Prædicatores & Minores de Sanguine Chriſti in cruce, 391. c.
Altiripenſis monaſterii fundatio, 311. b. Factæ eidem donationes, 313. c. Privilegia conceſſa, 314. b. Ejus ſitus, 316. d. Reliquiæ, 317. b. & ſeq. Sepulturæ, 317. c.
Altimontenſis abbas Clarembaldus, 1715. a.
Alvernia monaſterium Grandimontenſium, 1072. d.
Alverniæ dux Johannes, 1132. d.
Alviſus epiſcopus Attrebatenſis, 289. a.
Amalphitanus epiſcopus Petrus, 972. c. 975. d. 976. b.
Amandus de Dononio vir illuſtris, 289. b.
Amantius Columbi *fundator conventus Burdigal. fratrum Prædicatorum*, 472. b.
Ambaziacus prioratus S. Auguſtini Lemovic. 1067. c.
Ambaldus cardinalis, 566. d.
S. Ambroſius, 21. c. Sabbato non jejunabat, 941. b. Vitam S. Agnetis emendavit, 776. c. Reliquias SS. Vitalis & Agricolæ detegit, 1414. d. Ejus dalmatica 1414. b.
Ambroſius epiſcopus Sanctonenſis, 757.
Amedæus comes Gebennenſis, 312. d.
Amedæus comes Sabaudiæ, 188. c. 316. c. Filium a Deo impetrat precibus prioris Cartuſiæ, 189. b.
Amedæus filius Amedæi comitis Sabaudiæ, 189. c.
Amelius archiepiſcopus Narbonenſis Pruliano reſtituit eccleſiam S. Martini de Limoſo, 440. d.
Amuco presbyter, 670. b.
Anaſtaſius archiepiſcopus Senonenſis, 686. c.
Ancherus cardinalis, 310. c.
Andegavenſis dux a S. Catharina Senenſi animo immutatus, 1337. b.
Andreas cardinalis, 1269. c.
Andreas epiſcopus Moravienſis, 321. d.
Andreas abbas a Kenlos, 320. a. c.
Andreas Servita vir ſanctus, 583. b.
Andreas rex Hungariæ, 351. a.
Andreas miles, 696. b.
Andreas *miles Jeroſolymis ſepultus*, 710. b.
Andreas Naddini de Bellantibus nobilis civis Senenſis, converſus per S. Catharinam Senenſem, 1267. a. 1321. c.
Angelelmus epiſcopus Autiſſiodorenſis, 711. a.
Angelus de Maſſatio monachus Camalduenſis martyr 1439. a. & ſeq.
S. Angelus Carmelita martyr, 60. b.
Angelus Corrario patriarcha CP. 1283. a. Poſtea papa Gregorius XII. 1278. b.
Angelus Peruſius epiſcopus Satſinæ, 1402. a.
Angeli de Senis ord. Minor. conteſtatio de S. Catharina Senenſi, 1366. d. Fuit provincialis, 1368. b.
Angli per fraudem Scotiæ regnum occupant, 327. b.
Angliæ reges Beodricus, 816. b. Edelredus, 825. d. e. Eduardus, 825. c. Guillelmus, 35. c. Henricus I. 1198. a. Henricus III. 129. a. Henricus VII. 1389. a. Henricus VIII. 325. e.
Anglicus Grimoaldi de Griſaco cardinalis Mimatenſis, 194. c.
Anibaldus cardinalis, 336. b. 366. d.
Anicienſis epiſcopus Guido Fulcherii, 237. c. 488. c.
Animarum cura quam ſit periculoſa, 988. a. & ſeq.
Anna comitiſſa, 30. a.
Annualia prædendarum poſſident canonici regulares S. Victoris in eccleſia Pariſienſi, 225. c. In Stampenſi 226. a. In abbatiis regalibus, 228. d.
Annus ab Annuntiatione Domini inceptus, 464. a.
Anſegiſus archiepiſcopus, 692. b.
Anſelmus epiſcopus Tricaſſinenſis, 738. b.
Anſellus juvenis miles S. Stephani, 697. a.
Anſellus levita canonicus inſignis & in divinis ſcripturis magiſter egregius, 700. d.
S. Anſelmi patria & prima ſtudia, 99. d. Adit Lanfrancum, ibid. e. Fit monachus Becci, 100. a. Ejuſdem loci prior, 100. b. Et abbas, 100. d. Ejus virtutes, 100. e. Angliæ regem adit pro eccleſiæ ſuæ negotiis, 101. c. Fit archiepiſcopus Cantuarienſis, 101. e. Ejus miracula, 983. d. Leproſum mundat, 985. c. Romam tendit & a pontifice benigne excipitur, 986. a. Ibi ſecundus eſt a papa, 986. b. Diſcipulum ſuum ad epiſcopatum Belvacenſem petitum recuſat dare, 988. d. Ejus ſententia de curæ animarum periculo, 988. a. & ſeq.
Anſelmus abbas a Kenlos, 319. c.
Antaradenſis epiſcopus Guillelmus, 355. c.
S. Antelmus fit prior Portarum, 170. c. Et Cartuſiæ, 168. c. Sub eo florent Cartuſienſes, 169, c. Ejus pater & fratres facti *Cartuſiani*, *ibid. Fit epiſcopus Bellicenſis*, 171. a. In epiſcopatu ut ſe geſſerit, 171. b. & ſeq.
S. Anthelmus epiſcopus Bellicenſis, 38. d. De eo, 130. b. 199. d. Ejus obitus, 173. c. Et miracula 174.
Anthelmi monachi epitaphium, 818. c.
Antiochenus epiſcopus Stephanus, 338. c.
Antiochus dux ethnicorum miſere perit, 877. d. & ſeq.
Antiphoneti imago Chriſti, 880. c.
S. Antoninus archiepiſcopus Florentinus, 390. c.
S. Antonius vir angelicæ perfectionis, 17. b. & ſeq.
S. Antonius de Padua, 72. b.
Antonius Cartaſa cardinalis, 1423. b.
Antonius Maria Salviatus cardinalis & legatus Bononienſis, 1417. b.
Antonius Auguſtinus epiſcopus Ilerdinus, 1394. c.
Antonius Bornius epiſcopus Belcaſtri, 1462. a.
Antonius Piſamanus epiſcopus Feltrenſis, 393. a.
Antonius *Berghes* abbas S. Bertini & S. Trudonis 631. b.
Antonius de *Clidac* prior provincialis ordinis Prædicatorum, 436. c.
Antonius Servita vir ſanctus, 584. b.
Antonius Superantius prior de Pœnitentia *S. Dominici*, 1293. c.
Antonius de Brixia magnus concionator, 393. c.
Antonius David magiſter Angeli Corrarii, 1278. b.
Antonius Gigas vir doctus & pius, 1431. c.
Antonius Poſſevinus, 1424. b. 1425. b. 1434. a. 1436. c.
Apamienſis epiſcopus Rainaudus, 1094.
S. Apollinaris epiſcopi Valentini vita, 777. Nobile genus, 779. c. Stephanum Sigiſmundi regis miniſtrum excommunicat propter inceſtum, 779. d. e. Fontem divinitus impetrat, 780. b. Sigiſmundum regem ægrotum ſanat, 780. d. Qui ab eo de illatis injuriis veniam petit, 780. e. De morte divinitus admonitus conſacerdotes viſitat, 781. c. Agitatas Rhodani undas ſedat, 781. e. Energumenum per ſacerdotem ſuum a dæmone liberat, 782. b.
S. Apollinaris Arelate honorifice receptus, 782. d. Maſſiliam accedens amiſſos recuperat ſolidos, 782. c. Surdum & mutum ſanat, 783. b. Paragorio eum percutienti indulget, 783. c. Orans cœleſti lumine irradiatur, 784. a. Obit, 784. d.
S. Apollinaris abbas Caſinenſis, 762. c.
Apuliæ rex Ladiſlaus, 1283. b.
Aquæ *frigidæ judicium*, 1030. c.
Aquenſis archiepiſcopus Roſtagnus, 538. b. d.
Aquilciæ patriarcha Franciſcus Barbarus, 1387. a.
Aquinenſis epiſcopus Robertus de Licio, 73. a.
Aquitaniam invadunt Gothi, 763. e.
Aragonum rex Petrus, 365. a.
Archiepiſcopale Bononienſe, 1386. c.
Archiepiſcopus Senonenſis apud S. Victorem quomodo recipiendus, 277. b.
Arculamia ſenatrix S. Apollinaris propinqua, 282. c.
S. Arderici reliquiæ, 1414. b.
Ardozonus de Padua faciæ theologiæ magiſter & prior provincialis ordinis Prædicatorum, 1307. d.
Ardoini epitaphium, 822. a.
Arduinus monachus Cartuſiæ vir ſanctus, 164. a.
Arechis rex Longobardorum, 753. c. Conſtruit Beneventanam S. Sophiæ baſilicam, 754. a.
Arelatenſis epiſcopus Cæſarius, 782. d.
Arimini epiſcopus Berlingerius Gyphus, 1402. a.
Armannus abbas Magni-loci, 1200. c.
Arnaldus prior Pruliani, 455. d.
Arnaldus vicecomes, 733. d.
Arnaudus dominus Rupis-excifæ, 1110. c.
Arnoldus de Villa-nova doctor medicus tractatum edit pro defenſione Cartuſienſium, qui etiam infirmi carnes non comedunt, 202. a.
Arnulfus epiſcopus, 673. c.
Arnulfus epiſcopus Lexovienſis, 231. b.
Arnulfus abbas Vicoienſis, 293. b.
Aroaſia monaſterium canonicorum regularium, 288. c.
Aroildis Deo devota, 695. d.
S. Arſenius, 843. b.
Arturus abbas Deirenſis, 323. c.
Arveriæ Cartuſia, 163. c.
Aſcanius Columna cardinalis, 142. c.
Aſcanius Sforcia, 1390. c.
Aſtenſis epiſcopus Franciſcus Panigarola, 1436. d.
Aſtor Palæotus, 1389. c.
Atheldagus archiepiſcopus, 671. d.
Athenis prædicans S. Nicon a civibus honoratur, 855. c.
Ato archipresbyter Autiſſiodorenſis, vir ſanctus factus monachus, 724. c.
Ato miles, 715. b.
Ato-Raimundus pater S. Bertrandi epiſcopi, 1021. c.
Atto ſacerdos ſuccentor Autiſſiodorenſis, vir ſanctus, 689. d.
Attrebatenſes epiſcopi Alviſus, 289. a. Godeſcalcus, 291. a. Robertus, 287. a.
Avara uxor Pandulfi principis Capuæ, 942. b.
Avara *principiſſa* Capuæ comitem quemdam ex invidia jubet interfici, 942. b. Eidem pœnitentiam reſpuenti S. Nilus prædicit filii ejus mortem, 942. c.
S. Audoenus, 27. a. b. Eccleſias Fontanellæ conſecrat, 798. a.
Audoenus Ludovicus epiſcopus Caſſanenſis, 1434. b.
Audoenus *puer nobilis*, 1075. b.
S. Audomari caſtellum ab Anglis captum & a civibus recuperatum, 619. c.
S. Audomari civitas a Gallis primum fruſtra obſeſſa & poſtea capta, 630. c. d.
Augenſis abbatia ſub congregatione Aroaſienſi, 259. a.
Augenſis abbas Rogerus, 237. b. 259. a.
Auguſtinenſium ordo, 63. b.
S. Auguſtinus & ejus regula, 21. a. Ejus canonici vivebant ſine proprio, 22. b. Tria hominum genera congregavit, 22. d.
S. Auguſtinus Anglorum apoſtolus, 28. c.
Auguſtinus Valerius cardinalis epiſcopus Veronæ, 1424. a.
Auguſtinus S. Benedicti diſcipulus, 792. b.
Auguſtinus Brunos Gabrielis Palæoti cardinalis familiaris ac vitæ ſcriptor, 1386. c. 1388. a.

Auguſtinus Cuſanus, 1424. a.
Auguſtinus de Piſis ordinis Prædicatorum, 1287. d.
Auguſtinus Triviſanus patricius Venetus, 1436. c.
Auguſtinus Valerius patricius Venetus, 1436. c.
Auguſtinus Berous inſigais juriſconſultus, 1390. c.
Auguſtodunenſes epiſcopi Johannes *Rolin* cardinalis, 279. e. Norgaudus, 702. a. Walterius, 722. e.
Avitus epiſcopus Viennenſis, 777. Vir apoſtolicus, 779. d. e.
S. Aviti monaſterium canonicorum regularium, 991. a.
Aura-Ventoſa monaſterium Grandimontenſium, 1111. d. e.
Auræ-Petræ monaſterium, 841. d.
Autelianenſes duces Carolus, 611. d. 612. a. c. Ludovicus, 604. a. 607. b. & ſeq.
Auſtriæ dux Albertus, 1278. c. 1282. b. 1284. a. Proſequitur canonizationem S. Catharinæ Senenſis, 1310. c.
Authurius vir nobilis S. Columbanum excipit, 26. c.
Autiſſiodorenſes epiſcopi Aaron, 691. c. Abbo, 733. c. Aldulfus, 729. e. Angelicimus, 721. a. Archemboldus, 718. d. Eeuo, 692. d. 694. d. Chriſtianus, 731. a. Eribaldus, 700. e. Eribertus, 717. d. Galdricus, 700. b. Gauſridus, 700. b. 721. a. 733. a. Geranus, 687. e. 713. d. 735. e. Heribaldus, 697. e. Hereſridus, 718. d. 726. e. Hugo, 225. d. e. 693. d. Hugo vir ſanctus, 715. d. 725. a. 728. c. Humbaldus, 702. c. 703. b. 721. a. Joannes, 638. c. Maurinus, 715. a Remigius, 698. a. Richardus, 699. a. 704. d. Robertus, 691. b. Waldrici ordinatio, 697. a. W. 686. c. Warimbertus, 698. a. Wigbaldus, 704. a.
Autiſſiodorenſes decani Adelvertus, 735. a. Adoynus, 689. d. Ayglulfus, 701. c. Gauſridus, 687. c. Giſlebertus, 690. d. Goſcelinus, 732. a. e. Hugo, 701. d. Ingelboldus, 720. b. Rotfredus, 693. b. Salomon, 715. c. Vitalis, 733. b. Walaharius, 695. c.
Autiſſiodorenſes præpoſiti Ermenfridus, 715. a. Erembertus, 733. d. Stephanus, 773. d. Waldricus, 693. b.
Auxitanus archiepiſcopus Willelmus, 1021. a. 1024. e. 1026. e. 1037. d.
Auxitanus epiſcopus decem epiſcopatuum metropolitanus, 1025. a.
Aya S. Mariæ ancilla, 696. a.
Ayglulfus ſacerdos & decanus Autiſſiodorenſis, 701. c.
Aymarus de Bello-viſu, 180. c.
Aymarus dominus Intermontium Carthuſienſes vexat, 781. e.
Aymericus epiſcopus Lemovicenſis, 505. c.
Aymo prior Carthuſiæ, 181. b. 208. d.
Azo presbyter & præpoſitus, 674. b.
Azo monachus pius Caſinenſis, 795. b.

B.

Badegoz presbyter, 670. e.
Badilo comes Æduenſis reſtaurat ſancti Martini *monaſterium*, 805.
Baidulus clericus Palatinus abbas Majoriſmonaſterii reſtaurat eccleſiam S. Savini, 805. 808. d.
Balduinus archiepiſcopus Trevirenſis, 377. e. Duo fundat monaſteria Carthuſienſium, 197. c.
Balduinus abbas S. Edmundi, 821. 823. c.
Balduinus rex Jeroſolymitanus, 35. d.
Balduinus comes Flandriæ adhæret Johanni regi Angliæ, 296. c.
Balduinus comes Hannonienſis, 291. a. 292. a. c.
Balma ſeu ſpelunca S. Mariæ Magdalenæ, 533. b.
Baltaſar Coſſa cardinalis ſit papa Johannes XXIII. 388. c.
S. Barbatus, 752. c.
Barbotanorum hæreſis, 1439. b.
Barduzius de Canigianis ſcripſit de S. Catharina Senenſi, 1289. e.
Barnabas magiſter ordinis Prædicatorum, 341. e. 383. c. 393. b. 413. d. 415. c.
Baronius doctrinæ ac pietatis lumen, 1387. c. Invitus ſit cardinalis, 1439. b. Ei dicata vita Palæoti card. 1387. a.
S. Bartholomæi junioris Cryptæ-ferratæ vita, 957. 968. b. Puer in monaſterio traditus ut ſe gerebat, 958. c. S. Nili ſit diſcipulus, 959. b. 969. c. Et tertius ejus ſucceſſor. 959. e. 970. b. Cantus in honorem B. Virginis & ſanctorum componit, 960. b. Sub eo augetur monachorum numerus, & templum erigit in honorem B. Mariæ, 960. c. Benedicto IX. papæ injungit, ut propter delictum cedat dignitati, 961. c. Gaietæ princeps captus eo intercedente libertate donatur, 961. e. & ſeq. Famis tempore frumentum ſibi divinitus miſſum accipit, 964. b. & ſeq. Ejus obitus, 967. b.
B. Bartholomæus abbas Cryptæ-ferratæ auctor vitæ S. Nili, 888.
Bartholomæus archiepiſcopus Turonenſis, 119. e. 1092. c.
Bartholomæus epiſcopus Bayonenſis, 433. e.
Bartholomæus epiſcopus Caturcenſis, 471. c. d.
Bartholomæus epiſcopus Corſulanus, 555. e.
Bartholomæus Comatius magiſter generalis ordinis Prædicatorum, 392. c.
Bartholomæus Texerii magiſter ord. Prædicatorum, 343. a. 389. c.
Bartholomæus decanus Pariſienſis confirmat donationes ab epiſcopis Pariſienſibus S. Victori conceſſas, 223. b. Poſtea creatur epiſcopus Catalaunenſis, 223. e.
Bartholomæus de Ferraria inquiſitor ordinis Prædicatorum, 1241. b. Petit fieri inquiſitionem de memoria per eum facta B. Catharinæ Senenſis nondum canonizatæ, 1241. c. Epiſtola vicarii epiſcopi Caſtellani ad eum, 1242. e. Fit prior conventus SS. Johannis & Pauli Venetiis, 1243. c. Ejus conteſtatio de ſanctitate S. Catharinæ Senenſis, 1244. b. & ſeq.
Bartholomæus Montucci confeſſor S. Catharinæ Senenſis, 1257. a. 1288. c.
Bartholomæus de Ravenna Cartuſianus, 1274. b. *Vir pius*, 1280. d. 1286. c. 1288. b. Ejus conteſtatio de S. Catharina Senenſi, 1304. d. Ei ſcribit Thomas de Senis de S. Catharina Senenſi, 1303. b.
Bartholomæus Dominici confeſſor ſanctæ Catharinæ Senenſis, 1257. b. 1282. d. 1283. c. 1308. c. Ejus conteſtatio de ea, 1309. b. *Additiones* ad ſuas conteſtationes de ſancta Catharina de Senis, 1342. c.
Bartholomæus de Piſis Summæ Piſanæ auctor, 381. d.
Bartholomæus Servita vir ſanctus & miraculis coruſcans, 576. a. 581. d.
Bartholomæus Pictor vir pius, 589. b.
Baſilius prior Carthuſiæ, 37. c. 175. b. Vir magnæ ſanctitatis, 170. b.
Baſilius imperator filius Romani minoris, 869. a.
Baſilius dux, 997. c.
Baſilius Apocaucus prætor, 873. d. Bulgarorum metu & morbo S. Niconis precibus liberatus, 867. c.
Bayona igne conſumta, 469. c.
Bayonenſis epiſcopus Bartholomæus de Ripâria, 432. e.
Beatrix regina Siciliæ, 531. a.
Beatrix filia comitis Sabaudiæ, fundatrix conventus Siſtaricenſis ordinis Prædicat. 530. b.
Beccenſis monaſterii origo, 95. a. & ſeq. Scholæ, 97. d. & ſeq. Floret ſub S. Anſelmo, 101. b. c. Omnibus abundat, 98. a. Ejus poſſeſſiones in Anglia tuetur, 104. c. Abbates Anſelmus, 99. d. Boſo, 103. c. Gauſridus de Hiſpania, 109. c. Guillelmus, 102. d. Guillelmus de Beuſſe-villa, 106. c. Herluinus, 102. Letardus, 105. a. Petrus, 106. b. Rogerius, 105. c. Teobaldus, 104. b. Thomas, 106. 108. b. Eorum geſtâ metrice conſcripta, 93. Beccenſes monachi ex Anglia expulſi, 110. c.
Bedæ depoſitio, 651. a. Calendarium, 635. 650. a. Martyrologium, 635. 637. a.
Begardi combuſti Pariſiis, 801 d.
Bela rex Hungariæ, 545. c.
Belcaſtri epiſcopus Antonius Bornius, 1402. a.
Bellicenſis epiſcopus S. Anſelmus, 38. d. 171. a. & ſeq.
Belli-loci abbas Robertus *Reyde*, 325. d.
Bellum immane inter Philippum Valeſium regem Francorum, & Eduardum regem Angliæ, 616. e.
Benedicens Deum benedicitur, 1156. c.
Benedictini monachi in eccleſia Cantuarienſi, 56. e.
Benedictini ordinis ſancti canonizati quinquaginta quinque millia & quingenti, 25. c.
Benedictus abbas Caſinenſis, 418. e. Ejus regula, 23. e. d. Dominicis & feſtis jejunabat, 941. c. Ejus tranſlatio, 673. d. In Germania celebrata, 643. e. De eo rithmus, 24. d.
S. Benedicto Anianenſi traditur regendum S. Savini monaſterium, 805.
Benedictus papa, 673. c.
Benedictus V. papa, 86. b.
Benedictus VIII. papa, 87. b. e.
Benedictus IX. papa, 87. c. d. Ei ob commiſſum delictum S. Bartholomæus injungit ut cedat dignitati, 961. c. d.
Benedictus papa XI. 66. a. 335. e. 336. c. 371. c. 411. b. 534. c. 543. d. Ejus modeſtia. 373. b. Miracula, 314. a. & ſeq.
Benedictus papa XII. 384. c. e. 414. c. 416. a. Reformat ordinem S. Benedicti & Ciſtercienſem, 51. c. Conſanguineos fugiebat, 51. d.
Benedictus XIII. papa, 83. b.
Benedictus Comelinus cardinalis, 1436. c.
Benedictus Sardorum epiſcopus, 794. a.
Benedictus Servita vir ſanctus & miraculis coruſcans, 577. c. & ſeq.
Beneficiorum eccleſ. malus uſus, 51. d. e.
Beneficiorum reſervationes ortum habent ſub Clemente VI. 616. e.
Beneventanus archiepiſcopus Milo, 113. b. 123. d. 125. a. 1045. a. 1052. a. 1062. c. e.
Beneventanus princeps Sichardus filius Siconis, 574. e.
Beneventum monaſterium, 1100. c. e.
Beodricus rex Anglorum orientalium, 826. b.
Berlingerius Gypſius epiſcopus Arimini, 1402. a.
Berengarius doctus vir, epiſcopus Compoſtellanus, 69. c. ex magiſtro ord. Prædicatorum, 376. b.
Berengarius archiepiſcopus Narbonenſis dat Pruliano eccleſiam S. Martini de Limoſo, 438. c. 439. b.
Berengarius magiſter ordinis Prædicatorum, 341. d.
Berengarius de Landora prior provincialis ordinis Prædicatorum, 430. Deinde magiſter, 412. d.
Berengarius de Maloduno prior provincialis ord. Prædicat. 431. b.
Berengarius Otarii prior provincialis ord. Prædic. 425. d.
Bernamundus amicus S. Anſelmi, 175. a.
S. Bernardinus prædicator inſignis, 73. c. & ſeq. Ejus obitus, 74. b. Epiſcopatus tres oblatos contemnit, 73. a.
S. Bernardus abbas Claræ-Vallis, 36. d. 47. c. 48. a. 168. d. 225. d. Centum & ſexaginta monaſteriorum pater, 48. c. Quadringentos ſub ſe monachos habuit in Clara-Valle, 37. a. Carthuſienſes viſitat & laudat, 37. a. Cellulam habuit in Monte-Dei, 169. c. Regulam ſcripſit Templariorum, 52. d. e. Ad inſtantiam Bernardi prioris Portarum ſcripſit in Cantica, 168. d. Verborum ejus efficacia, ibid. c. Spiræ prædicat, 169. b. Pro eccleſia ter Romam profectus eſt, 48. e. Schiſma extinxit, 88. e. Ejus obitus, 50. a. Ejus elogium, 999. b. Stola, 317. b.
Bernardi cardinalis epiſtola ad Garinum ab-

batem S. Victoris, 261. a.
Bernardus nepos Bernardi cardinalis, 261. c.
Bernardus de Caſtaneto epiſcopus Albienſis, 509. b. In eum inſurgunt hæretici, 511. b. & ſeq. 512. b. & ſeq.
Bernardus de Combreto epiſcopus Albienſis, 485. d. 500. a. b.
Bernardus Raymundi electus Carcaſſonenſis, 439. c. e.
Bernardus Claromontanus epiſcopus ſcribit pro doctrina S. Thomæ, 370. e.
Bernardus de Savena epiſcopus Lemovicenſis, 463. d. e.
Bernardus Guidonis quo anno ingreſſus eſt ordinem Prædicatorum, 418. a. Fuit lector Albienſis, 509. c. Et prior, 510. b. Et etiam Caſtrenſis, 500. d. Atque Carcaſſonenſis, 455. a. 478. a. Et Lemovicenſis, 468. d. Fit epiſcopus Lodevenſis, 70. a. 113. Ejus opera, 568. a. Libellus de magiſtris ord. Prædicatorum, 397. a. Epiſtola de incorruptione Bernardi de Caucio, 481. d.
Bernardus abbas S. Anaſtaſii poſtea papa Eugenius III. 49. c.
Bernardus prior Cartuſiæ, 179.
Bernardus prior Portarum, 168. d. 170. c.
Bernardus prior Grandim. 1166. e.
Bernardus de *Grandalmar* prior Grandimontis, 122. d. 135. c.
Bernardus *Riſſe* pſeudoprior Grandimontis, 133. c.
Bernardus magiſter ord. Prædicatorum, 341. c. 371. d.
Bernardus de Juzico magiſter ord. Prædicatorum, 411. c.
Bernardus Geraldi prior Toloſanus fratrum Prædicatorum, 461. c. Et prior provincialis, 134. b. 424. c. 425. b. 426. a. 439. b.
Bernardus de Trilia vir doctus, 371. b. Provincialis ord. Prædicatorum, 426. b. 520. c.
Bernardus de Caucio malleus hæreticorum vir ſanctus, 481. b. Bernardi Guidonis epiſtola de ejus incorruptione, 481. d.
Bernardus de Monte Politiano confeſſor Henrici VII. imperatoris, purgatur a crimine intoxicationis ejuſdem imperatoris, 376. d. & ſeqq.
Bernardus de Bociacis prior Albienſis vir ſanctus, 509. a.
Bernardi de Caſtris S. Vincentii chronicon, 372. a.
Bernardus de Rupeforti pro fide Chriſti occiſus, 338. d. 355. a.
Bernardus Bocardi diſcipulus Hugonis de Lacerta, 1162. a.
Bernardus prior Plumbi redarguitur de officii pro defunctis omiſſione, 1004. c.
Bernardus Bembus vir egregius, 1240. a.
Bernardus Delicioſi ordinis Minorum inquiſitionis perſecutor, 479. a. 514. a. Et regis proditor, 499. c. 514. c.
Bernardus comes Armeniaci, 434. a.
Bernardus comes de Laureto, 364. c.
Bernardus orator Venetus, 72. c.
Berno abbas Cluniacenſis monachus S. Savini, 805. Cluniaci conditor, 30. a.
Bernowini epiſcopi verſus ad crucem, 820. a.
Beroaldus vir doctus, 1389. b.
Berta mater Caroli-Magni, 816. c.
S. Bertini abbates Ægidius de Onina, 614. c. 615. c. Alardus *Trubert*, 622. d. c. Adelmus, 616. c. 617. b. 619. a. Anthonius *de Berghes*, 631. b. 632. b. Euſtaſius *Gonier*, 613. c. Fridericus *Marolette*, 632. b. Gerardus *de Hemericourt*, 632. b. Jacobus, 620. a. Jacobus *Duval*, 631. b. Ingelbertus *d'Eſpaigne*, 632. b. Johannes *le Bhegre*, 621. d. Johannes de Ipra, 617. a. 619. a. & ſeq. Johannes *de Lannoy*, 628. c. Johannes *de Medon*, 625. Johannes *Tribouat*, 622. c. 623. d. Vedaſtus *Grenette*, 632. b. Willelmus Fiſlatrius, 626. d.
S. Bertoldus primus prior Carmelitarum, 59. c. 60. b.
Bertholdus dux & rector Burgundiæ ducis Zeringiæ & civitatis Friburgenſis fundator, 314. c. 315. b. c.
Bertrandus epiſcopus Auxitanus, 1024. c. 1027. c. e.
Bertrandus Aginnenſis epiſcopus, 119. a. 120. d. Avunculus papæ. 455. c. 1091. c. 1094. b.
S. Bertrandi epiſcopi Convenarum vita, 1021. Ejus genus illuſtre, 1021. b. In armis ut ſe geſſerit, ibid. d. Mundi gloriam deſpicit, 1022. c. In ſolo Deo gloriatur, 1023. a. Quam cautus eſſet in verbis, 1023. c. Quam humilis, quam caſtus, 1024. a. Fit epiſcopus Convenarum, 1024. d. Canonicos regulares in ſua eccleſia inſtituit, 1025. c. Ejus pius obitus, 1025. d. Et virtutes, 1026. b. & ſeqq. Miraculis coruſcat, 1027. b. & ſeqq.
Bertrandus de Gariga S. Dominici diſcipulus, 457. b. Inſtitutus ab eo proviocialis, 418. c.
Bertrandus de Monte-acuto abbas Moiſiacenſis, 462. b.
Bertrandus de Claromonte prior provincialis ord. Prædic. 429. c.
Bertrandus Nigri prior provincialis ordinis Prædic. 432. d.
Bertrandus de Garvia vir ſanctus, 333. d.
Bertrandus comes de Novo-caſtro, 313. d. e.
Bertrandus vicecomes Brunguelli, 484. c.
Betto epiſcopus Autiſſiodorenſis, 692. d. Ejus ordinatio, 694. d.
Biana ſeu Viana fundatrix parthenonis Pontis viridis, 526. e.
Bibio monaſterium, 994. d. 995. a.
S. Bibianus epiſcopus Sanctonenſis poſt Ambroſium collocandus, 757. Ejus vita, ibid. Ejus genus illuſtre 761. b. Baptizatur & Chriſtianis legibus inſtituitur, 761. d. Fit comes Sanctonenſis, 762. Sacris ordinibus initiatur, 762. a. Deſignatur epiſcopus Sanctonenſis, 762. c. Electus epiſcopus fugit, ſed deregitur, ibid. d. Ordinatur epiſcopus, 763. b. Captivos cives liberaturus Toloſam proficiſcitur, 764. b. & ſeqq. A rege invitatur & cum honore excipitur, 765. b. Regi hæretico poculum offerre recuſat, 766. c.
S. Bibianus regis iram per merita S. Saturnini mitigat, 765. c. Ab eo captivorum impetrat libertatem, 766. b. Barbaros ac Saxones ſua vincit & repellit oratione, 766. c. Coruſcat miraculis, 767. b. Ex omni regione fit ad eum concurſus, 770. a. & ſeq. Sanguinem ejus pulveri mixtum colligit mercator & per reliquiis veneratur, 771. b. Hujus ſanguinis præſentiam formidant dæmones, 771. d. Ei viventi conſtruitur eccleſia, 773. a. Cathedralem ipſe conſtruit ac dedicari curat, 773. d. Obit, 774. a.
Biblia lecta ad veſpertinam ſynaxim, 865. e.
Biſuntinus archiepiſcopus Sebaſtianus Delius, 1390. c.
Biterrenſis epiſcopus Richardus nepotis, 514. d.
Bituricenſes archiepiſcopi S. Guillelmus, 51. a. 128. d. Henricus, 120. c. 1094. b. d. Philippus 464. d. 471. a. c. Stephanus, 252. b.
Blancha regina Aragonum fundatrix parthenonis Cæſar auguſtani ord. Prædicatorum, 541. b.
Bobardus cardinalis S. Angeli, 1092. d.
Bobienſe cœnobium, 27. c.
Boëtius, 364. e.
Bohemiæ rex Johannes, 377. e.
Bolbona monaſterium ordinis Ciſtercienſis, 452. c.
Bolbonenſis abbas Jacobus de Furno, 51. c.
Bonavallis monaſterium Grandimontenſium, 1078. d.
S. Bonaventura alias dictus Euſtachius, 71. d. Ordinis Minorum generalis, cardinalis & epiſcopus Albanenſis intoxicatus, 71. e.
Bonaventura Servita vir ſanctus, 583. d.
Bonifacius I. papa, 85. a.
Bonifacius papa VIII. 78. d. 136. a. 336. d. 340. e. 370. b. 371. b. 409. d. 534. c. 543. e. Sanctorum albo inſcribit S. Ludovicum, 542. b. Nicolaum de Triviſio creat cardinalem, 410. c.
Bonifacius papa IX. 83. a. 387. b. 1251. d. 1282. c. 1294. c. 1310. c. Ejus obitus, 1283. c.
Bonifacius epiſcopus Albanenſis fundat monaſterium in Alba monialium ordinis Prædicat. 544. c.
Bonifacius prior Cartuſiæ, 208. a. Renuntiat prioratui, 208. c.
Bonimius ſacerdos, 808. a. 810. a.
Bonitus abbas Caſinenſis, 792. a.
Bonitus presbyter, S. Savino devotus, 807. c. 810. a.
Bononienſis & Mediolanenſis eccleſiæ conjunctio, 1414. a.
Bononienſis coadjutor Alfonſus Palæotus, 1423. d.
Bononienſes epiſcopi Raynutius Farneſius cardinalis, 1398. b. S. Fauſtinianus 1417. c. S. Zama, ibid.
Bononienſis eccleſiæ decreta unum in corpus redigit Palæotus, 1425. c.
Boni ſoli nuſquam niſi in cœlo, & mali ſoli nuſquam niſi in inferno, 53. d.
Boni-paſſus Cartuſia a Johanne XXII. fundata, 39. c. 204. a.
Bonus filius Servita vir ſanctus & doctus, 575. d. e.
Borbonii dux Johannes, 1032. d.
Bornetum monaſterium, 994. d.
Boſcavii abbas Guillelmus, 1013. a. Johannes de Calentio, 1005. c.
Boſnenſis epiſcopus Johannes Tenconicus, 354. d. 407. c.
Boſnevenſis epiſcopus Johannes, 339. e.
Boſo epiſcopus Convenarum, 526. c.
Boſo abbas Becci, 103. c.
Boſo prior Cartuſiæ, 180. b.
Boſo *de Reſes* vir illuſtris, 1070.
Bribrech dux Cumanorum ad fidem Chriſti converſus, 351. a.
Brigida abbatiſſa, 678. c.
S. Brigida Sueciæ ordinem religioſum inſtituit, 81. c. 82. c. Ejus regula, 617. c. A Bonifacio IX. canonizatur, 1294. c.
Briſtolienſis abbas Richardus, 243. c.
Brivatenſis præpoſitus Heracleus, 1200. e.
Bruchi dux Cumanorum ad fidem converſus, 351. a.
Brunelli ſententia de ordinibus religioſis, 1.
Bruno archiepiſcopus, 670. c.
Bruno Colonienſis archiepiſc. 33. a.
S. Bruno Cartuſienſium inſtitutor, 31. c. 123. c. Doctor famoſus ſcholas regit Remenſes, 153. a. Ejus receſſus quæ fuerit cauſa, 149. 152. & ſeq. Ordinem Cartuſienſem inſtituit, 26. a. c. d. 37. c. Ab Urbano II. accerſitur, 156. b. Electus archiepiſcopus Regenſis ceſſit dignitati, 157. a. In Calabriæ eremum receſſit, 157. b. Ejus obitus, 159. b. Sepultura, 37. c.
Bulla canonizationis S. Stephani Grandimontenſis, 1092. a.
Bulla Paſchalis I. pro S. Victore, 219. d.
Burchardus reus necis Caroli Boni comitis Flandriæ punitur, 1138. b.
Burdigalenſes archiepiſcopi Elias 119. a. c. 120. d. 1091. c. 1092. c. 1094. b. Gaufridus, 1175. c. Giraldus de Mala-morte, 472. b. d. Electus archiepiſc. Hugo de Mala-morte, 466. c. Petrus 472. d. 473. b. Simon, 1008. c.
Burgenſis epiſcopus Paſchaſius, 395. a.
Burgi S. Sepulcri epiſcopus Alexander Burgius, 1400. c.
Burgundiæ reges Gundebaudus, 777. Sigiſmundus 777. 779. d. e.
Burgundiæ duces Carolus, 627. a. 628. a. 630. b. Johannes, 622. c. e. 623. c. Philippus, 622. e. 623. c. Philippus Audax, 619. e.
Burgundiæ marchio Henricus, 725. d.
Burgundiæ comes Stephanus, 1205. a.
Buſcavium monaſterium, 996. c.

C.

CAbilonenſis epiſcopus Stephanus, 729. c.
Cadalous antipapa, 88. a.
Cadomenſis primus abbas Lanfrancus, 98. b.
Caluinum monaſterium, 994. d. 999. c.
Cæleſtinus papa II. 226. a. b.
Cæleſtino III. papæ gratulatur Guarinus abbas S. Victoris de ejus promotione, 265. a. & ſeqq.
Cæleſtinus V. papa, 336. d. 371. c.
Cæleſtinorum ordo. 78. c.
Cæleſtinorum domum fundat Gregorius XI. 214. b. Item Carolus rex Francorum, 214. b.
Cæleſtinorum Sueſſionenſium fundationis hiſtoria, 593. b. & ſeq. Monaſterium conſtruitur, 597. c. Eorum libellus ſupplex adverſus heredes Enguerranni *de Couci*, 605. a.
Cæſarius epiſcopus Arelatenſis, 782. d.
Cæſenatum epiſcopus Odoardus Galandus, 1436. c.
Calabriæ eremitæ, 113. b.
Calabriæ religioſi eremitæ, 1052. e.
Calabriæ ab Agarenis deſtructionem prædicat S. Nilus, 937. c.
Calendarium Anglicanum, 635. 652.
Calendarium Stabulenſe, 635. 668. d.
Calendarium Verdinenſe, 635. 679. a.
Caleſii abbatia unita Cartuſiæ, 120. c.
Calixtus II. papa, 88. d. 1015. b. 1203. a.
Calixtus papa III. 891. a. Feſtum Transfigurationis renovat, 92. c.
Calo epiſcopus Pictavenſis, 1004. d.
Calo-Johannes imperator CP. fundat monaſterium in honorem S. Victoris martyris, 271. c.
Calommatarum erga S. Niconem religio, 875. c.
Cameracenſis epiſcopus Stephanus, 835. c. d.
Camillus Palæotus, 1389. c.
Camiſca S. Nili olim magiſter, 919. d.
Cancellarius Ludovici VI. Stephanus, 219. c.
Candida mater S. Stephani Grandimontenſis, 113. a. 125. a 1050. c.
Canonici ſæculares, 8. b. & ſeq.
Canonici regulares, 34. c.
Canonici Nigri a carnibus abſtinentes, 7. a. Veſte alba interius amicti, 7. c.
Canonicis regulatibus carnes edere extra monaſterium illicitum, 238.
Canonizationis S. Stephani Grandimontenſis bulla, 1092. a.
Cantuarienſes archiepiſcopi Elphegus, 33. a. Odo, ibid. Robertus, 333. b. c. 368. a. 369. c. 625. S. Thomas, 55. c. 106. b.
Capellos de filtro incipiunt portare Grandimontenſes, 134. c.
Capitulum generale ducentorum fratrum Grandimontenſium, 1108. c.
Capitulum 1. generale ordinis Prædicatorum, 350. a.
Caput-Aquenſis epiſcopus Paulus Æmilius Verallius, 1436. c.
Cardinalatum reſpuit prior Cartuſiæ. 200. a.
Caritas eſt canticum novum, 1156. c.
Carmelitarum ordo quando incœpit, 59. c.
Carmelitarum regula ab Innocentio IV. mitigata, 355. c.
Carmelitarum monaſterium a Saracenis deſtructum, 78. a.
Carcaſſona privata conſulatu, 480. b.
Carcaſſonenſes epiſcopi Bernardus Raimundi, 439. c. c. 440. b. Clarinus 443. b. 475. c. Guillelmus 444. c. 452. b. Guillelmus Radulfi, 475. c. 476. b.
Carnotenſes epiſcopi Fulbertus, 33. a. Gaufridus, 996. c. Ivo, 35. b. 219. c.
Carnes extra monaſterium comedere canonicis regularibus illicitum, 238. c.
Carnes mutatæ in piſces pro Cartuſienſibus, 202. c.
Carnium eſus Grandimontenſibus conceſſus, 138. d.
Caroli-loci monaſterium, 150. d.
Carolus Borromæus cardinalis, 1395. c. 1397. c. 1398. a. d. Magna ejus cum Palæoto conjunctio, 1412. b. Vitæ ejus auſteritas, 1412. b. Sacrarum reliquiarum tranſlationem celebrat, 1413. b. Ejus literæ de conceſſis Palæoto reliquiis, 1413. d. Taurinum Chriſti Domini Sindonem veneraturus pergit, 1414. d. e. Fuit cardinalis S. Martini in Montibus, 1418. c.
Carolus Magnus imp. 689. e. S. Savini monaſterium auguſtius reſtauratum attribuit monachis, 805. Verſus de eo, 811. a. & ſeq. 814. b. 819. a.
Carolus imperator, 724. e.
Carolus IV. imperator, 378. a. & ſeqq.
Carolus V. rex Francorum, 617. c. 619. c.
Carolus IX. rex Francorum, 1396. d.
Carolus I. rex Siciliæ, 530. c.
Carolus II. rex Siciliæ dat Neapoli monaſterium ordinis S. Benedicti monialibus ordinis Prædicatorum, 543. c. Dat etiam Prædicatoribus locum S. Maximini in diœceſi Aquenſi, 532. e. Maſſilia transfert Aquas Sextias ſorores ordinis Prædicatorum, 537. a. Quarum eſt fundator, 540. c.
Carolo Andegav. datur regnum Siciliæ, 179. c.
Carolus dux Autelianenſis, 611. d. Fit captivus & in Angliam ducitur, 612. a.
Carolus dux Burgundiæ, 627. a. 628. a.
Caroli-Boni comitis Flandriæ de nece rithmus, 1133. c. In eccleſia occiditur, 1135. c. Cum duobus filiis, 1136. a. Interfectores ut puniti, 1136. d. Ejus necem ulciſcitur rex Franciæ, ibid.
Carolus comes *de Charolois*, 628. a.
Carolus Sigonius, 1387. 1431. c. Scribit hiſtoriam epiſcoporum Bononienſium, 1407. b. 1417. c.
Cartuſienſis ordinis brevis hiſtoria, 147. a. Ejus initium, 36. a. & ſeq. 155. a. A ſummis pontificibus approbatur & multis privilegiis decoratur, 37. b. & ſeq.
Cartuſiani primo bini & bini in cellis habitabant, 155. c. Profitentur vitam ſolitariam, 6. c. Raro miſſam dicunt, 6. d. e. Ter ſingulis hebdomadis jejunant in pane & aqua, 6. d. Cilicio carnem domant, ibid. Leproſis carnem miniſtrant, 6. e. A litibus abſtinent. 7. a.
Cartuſienſium cœna, 215. c. Vigiliæ, ibid. Abſtinentiæ, 216. b. Minutiones, 216. c. Conſolationes, 211. b. Tentationes, 211. d. Exercitia, 158. c. In bono perſeverantia, 169. a. Laudes, 36. d.
Cartuſienſes nivium mole obruti, 164. a. De Cartuſienſibus varia miracula, 209. c. & ſeq.
Cartuſienſis ordinis ſancti quindecim, 38. c.
Cartuſienſes ad extinctionem ſchiſmatis ſub Alexandro III. quid contulerint, 170. d. e. Tempore ſchiſmatis adhærent ſuo diœceſano, 207. a. Celebrant Romæ capitulum generale, 207. b. Stantes a parte Urbani eligunt ſibi novum generalem, 207. d.
Cartuſianos conſulit S. Dominicus, 209. d. Semper habent laudatores & vituperatores, 202. a. Viri ſunt angelici, 168. a. Decem domos monialium habent, 204. b.
Cartuſienſis monachi Vallis-Dei dialogus, 11. Ejus vita, ibid.
Cartuſia conflagrat, 181. d. 204. c. & ſeq. Ad cujus reparationem papa & cardinales, reges & principes contribuunt, 205. a. b.
Carus-locus cella Cluniaci, 1199. a.
Caſæ-Dei abbates Jordanus 1200. d. Seguinus, 157. c. d.
Caſinenſis epiſcopus Severus, 791. d.
Caſinenſes abbates Aligernus, 938. b. 946. b. Apollinaris, 792. d. Bonitus, 792. a. Girardus, 786. 794. b. Manſo, 945. c. 946. d. Oderiſius, 792. b. Sciorectus, 791. e. Wibaldus, 789. d.
Caſinenſi in monaſterio ut exceptus S. Nilus, 938. b.
Caſſanenſis epiſcopus Audoenus Ludovicus, 1434. b.
Caſtanearia monaſterium Grandimontenſium, 1112. d.
Caſtanetum monaſterium Grandimontenſium, 1085. e.
Caſtellanus epiſcopus Franciſcus Bembus, 1240. a. c. 1242. b. 1245. a. 1365.
Caſtellaria Ciſtercienſium monaſterium, 994. d. 1000. c. Nova in eo eccleſia conſtruitur, 1008. c.
Caſtellatienſis abbas Thomas, 1006. b. 1008. b. 1011. a. e.
Caſtrenſis abbas S. Vincentii Guillelmus de Biterris, 486. d. 489. d. 491. c.
Caſtrum-Nantonis abbatia canonicorum regularium, 232. c. d.
Caſtarina filia S. Brigittæ, 82. c.
S. Catharina Senenſis, 82. c. 83. d. 208. e. 342. e. 385. e. 386. b. Ejus memoria publica antequam alpo ſanctorum inſcriberetur, 1239. b. 1254. b. Querelæ de hac memoria depoſitæ apud epiſcopum Caſtellanum, 1240. a. & ſeq. De ea petitur inquiſitio & approbatio, 1240. c. Conteſtatio Bartholomæi de Ferraria de ejus ſanctitate, 1244. b. & ſeq. Erga crucem quam fuerit affecta, 1247. b. & ſeq. Ejus temperantia, 1248. b. Prudentia, ibid. c. Juſtitia & fortitudo, ibid. d. Scientia & ſapientia, ibid. e. Virtutes ejus heroïcæ, 1249. b. & ſeq. Dormiebat veſtita ſuper nudos aſſeres, 1312. d. Vitæ ejus auſteritas, 1258. a. 1313. a. & ſeq. Humilitas, 1313. d. Ejus in infirmos caritas, 1314. c. Calumniis atrociſſimis impetitur, 1315. b. Calumniatricem infirmam ſummo ſtudio curat, 1316. a. Saniem ejus ebibit, ibid. c. Ejus eleemoſynæ, 1317. b. 1319. c. 1380. a. Conſcientiæ puritas, 1320. d. & ſeq. Ex amoris violentia moritur & reſurgit, 1332. b. 1356. c. Chriſto patienti fit conformis, 1334. a. 1356. d. & ſeq. Deſiderat martyrium, 1335. d. Zelus ejus pro infidelium converſione. 1267. d. Quam fuerit in verbis circumſpecta, 1269. d. In adverſis hilaris, 1270. a. In proſperis triſtis, 1270. c. Ejus fervor & devotio erga Euchariſtiam, 1271. c. 1345. e. Confeſſiones, 1346. d. Extaſes, 1320. c. 1327. a. 1373. b. & ſeq. 1374. b. In oratione a terra elevatur, 1327. e. Ejus ſanctitatem explorant tres prælati, 1378. d. & ſeq. Ejus facundia, 1328. a. & ſeq. Ad Gregorium XI. vadit Avenionem, 1371. c. A quo mittitur ad Florentinos, 1372. a. Cum eis ut ſe geſſerit, 1335. c.
S. Catharina Senenſis plures ſermones habuit in conſpectu Gregorii XI. & Urbani VI. 1378. c. Quid pro eccleſia & ſummis pontificibus præſtiterit, 1297. d. & ſeq. Secundo venit Florentiam pro ſummo pontifice, 1298. d. Ibi de vita periclitatur, 1298. c. Ab Urbano VI. mittitur ad Johannam reginam papæ rebellem, 1299. b. In ſuo tranſitu Chriſto ſit ſimilis, 1300. e. Ejus reliquiæ, 1301. c. Quantum pro republica laboraverit, 1296. c. Urbanum VI. impedit ne a Romanis occidatur, 1297. c.
S. Catharinæ Senenſis quædam miracula, 1305. b. & ſeq. Multorum infirmitates curat, 1358. a. Ejus præſentia libidinis motus in aliis comprimit, 1314. a. & ſeq. Dæmones ab obſeſſis ejicit, 1339. b. Infirmum ſanitati reſtituit, 1340. c. Quinquaginta dies ſine cibo pertranſit, 1343. d. & ſeq. Ejus prece vinum in vegete creſcit, 1318. a. Panem multiplicat in gratiam pauperum, 1318. e. Spiritu prophetico donatur, 1320. c. Summo pontifici votum de repetenda Urbe manifeſtat, 1335. b. Corporis ſui futuram tranſlationem prædicit, 1325. d. Et Raymundi generalis electionem, 1326. b. 1360. d. e. Aliorum interiorem videt diſpoſitionem, 1376. b. Inſignis peccatoris converſionem obtinet, 1321. Etiam inveterati, 1337. e. Lazarinum ordinis

Minorum virum ſuperbum convertit, 1348. a. Et plures alios religioſos, 1351. c. Et multos convertit peccatores, 1376. c. & ſeq.

S. Catharinæ Senenſis vivendi ratio, 1377. b. Ei varias bullas & privilegia concedit Gregorius papa XI. 1273. d. 1329. c. Ejus ſcripta, 1274. c. Reliquiæ, 1276. a.

S. Catharinæ quæ fuerit mens inter exhibitos honores, 1353. b. Primum documentum ipſi a Domino datum, 1354. a. Redarguitur quod reverentias ſibi exhiberi patiatur, 1354. c. Erga redarguentem quam bene affecta, 1355. b. & ſeq. Ultima ejus ægritudo, 1359. a. Ejus obitus, 1361. c. Tumulatur in tumulo cedrino, 1372. b. Revelatio felicis ejus ſtatus, 1362. a. De ejus ſanctitate conteſtatio Angeli Salvetti ord. Minorum, 1366. d. Ejus digitus miſſus Stephano de Machonibus, 1368. c.

S. Catharinæ Senenſis brachium furto ſublatum, 1276. d. Ei devotus Albertus dux Auſtriæ, 1278. c. Divinitus diſcit ſcribere, 1279. a. c. Acta quædam pro ejus canonizatione, 1282. b. Ejus caput petit dux Auſtriæ, 1282. d. 1310. c. Ejus canonizationem poſtulat, 1282. b. Item Ladiſlaus rex Apuliæ, 1293. b. Ejus legenda miſſa ad reges & principes, 1286. d. Ejus elogia, 1287. a. Reconciliat Florentinos papæ, 1287. c. Qui de ea ſcripſerunt, 1290. d. Ad regem Franciæ ſcripſit de ſchiſmate, 1291. a. De ejus imagine, ibid. De ea conteſtatio Bartholomæi Dominici de Senis ejus confeſſoris, 1309. b. Bartholomæi de Ravenna Carruſiani, 1304. d. Ejus mantellum, 1305. c. Dæmonis de ea teſtimonium, 1306. b. Ejus epiſtolæ, 1250. e. Conteſtatio Thomæ Antonii de Senis de ſanctitate & doctrina ejus, 1254. b. & ſeq. Depicta fuit cum diademate radioſo, 1254. d. Ejus corpus Romæ in conventu Minervæ requieſcit, caput Senis, 1255. c. Qui fuerunt ejus confeſſores, 1257. a. & ſeq.

S. Catharina Senenſis canonizatur, 394. b. A Pio II. 1383. a. Ne pingatur cum ſacris ſtigmatibus bulla Sixti IV. 1382. b.

Catharina de *Baillouet* domina de *Leuze* & de *Condé*, 1236. c.

Catalaunenſes epiſcopi Guido, 233. a. Fridericus electus, 66. c. Gerardus, 120. d. Bartholomæus, 471. c. d.

Caturcenſes epiſcopi Gerardus 1094. b. Guillelmus de Cardalhaco, 470. c. c. Pontius, 470. c.

Caturcinus prior Grandimontis, 121. c.

Caulitarum origo, 213. a. & ſeq.

Celſiniacum monaſterium, 1189. d. c. 1196. c. 1200: c. d.

Ceraſienſis abbas Johannes de Boleya, 106. c.

Chaſtenetum cella Grandimontenſium, 1168. d.

Choreas diebus feſtis prohibet Gabriël Paræorus, 1399. c.

Chriſtianus epiſcopus Autiſſiodorenſis, 731. a.

Chriſtianorum eſt mori in cinere & cilicio, 1195. c. 1111. a. 1115. a. 1117. c.

Chriſtianos perſequentes imperatores miſere perierunt, 749. a. & ſeq.

Chriſtophorus antipapa, 89. c.

Chriſtophorus Boncompagnus archiepiſcopus Ravennenſis concilium celebrat, 1411. c.

Chriſtophorus de Florentia generalis Carruſienſium, 1276. a.

Chriſtophorus Ghani vir ſanctus, 1264. a. 1285. b. 1366. c. Scripſit de S. Catharina Senenſi, 1264.

Cibus primorum Beccenſium qualis, 96. a.

Cimiteriorum immunitas, 1029. a.

Cinthius filius præfecti Romæ Gregorium VII. captum incarcerat, 30. b.

Ciſtercienſis ordinis origo, 47. d.

Ciſtercienſes per monachos albos deſignati, 4. b. Raras habent feſtivitates, 4. c. Femoralibus non utuntur, 4. d. Viſitantes domum Viconienſem picturas ab aula auferunt, 301. d.

Ciſtercienſes abbates S. Albericus, 47. d. S. Robertus, 47. d. S. Stephanus, 48.

Civitatenſis epiſcopus Thomas Covarruvias, 1394. b.

Clarembaldus abbas Altimontenſis, 1215. a.

Clara-Vallis monaſterium ordinis Ciſterc. 48. b. 497. c. 999. a.

Claræ-Vallis abbas S. Bernardus, 225. d.

Clarinus epiſcopus Carcaſſonenſis, 443. b. 475. c

Claromontenſis epiſcopus Bernardus, 370. c.

Clarus prior Cartuſiæ, 184. a. 190. c.

Clarus papæ pœnitentiarius ordinem Prædicatorum intrat, 349. d.

Claudius Aquaviva præpoſitus generalis Societatis Jeſu, 1424. b. 1436. d.

Claudius diaconus, 782. a. 784. a.

Clemens II. papa 87. d.

Clemens papa III. 61. d. 126. c. Confirmat regulam Grandimontenſium, dños priores inter ſe contendentes deſtituit, 1090. c. S. Stephanum refert in ſanctorum numerum, 118. c. Ejus bulla de ejus canonizatione, 119. b.

Clemens IV. 363. c. 366. c. 423. c. 488. c. 500. c.

Clemens papa V. 130. c. 135. c. 337. a. 375. d. 463. c. 480. b. 526. a. Apud Pruilianum divertit. 455. a. b. Venit Lemovicas, 468. c. Venit Grandimontem, 122. c. Gravat monaſterium, 136. d. Illud reformat, 138. Templariorum ordinem extinguit, 138. b. Ejus obitus, 139. c.

Clemens VI. papa, 337. c. 342. a. b. 384. c. 385. b. 391. d. 414. b. 415. d.

Clemens papa VII. 206. b. c. 386. d. 619. d. Dat Cæleſtinis Sueſſionenſibus Veſenolium abbatiam, 600. c.

Clemens papa VIII. 1391. a. 1392. b. 1424. b. 1425. c. 1428. b. 1438.

Clemens VIII. antipapa, 83. b.

Clemens omnis ſapientiæ luce coruſcans, 731. b.

Cluniacenſis ordinis origo, 29. c.

Cluniacenſium cibus familiaris & communis ova & fabæ, 3. c. Pinguedinem etiam feria ſexta comedebant, 3. d. Pellicias portabant, 3. d. Silentii violationem verberibus puniebant, 3. c. Carcere violentam manuum injectionem, 3. c. Officia & dignitates gratis diſtribuunt, 4. a. Per eos magna ex parte reformatur ordo S. Benedicti, 32. c. Cluniacum de propagine filiorum ſuorum orbem replevit, 1188. a.

Cluniaci abbates Berno, 30. Hugo, 30. b. 1189. a. Hugo II. 1190. b. S. Maiolus, 1189. a. Odilo, 33. b. 686. a. 1189. a. Odo, 30. 1189. a. Petrus, 164. c. 1187. a. Pontius, 1190. b. Rodulfus, 1187. Stephanus, 1187. a.

Cluniacenſis eccleſia ab Innocentio conſecrata, 1195. a.

Coctonetes eunuchus monaſterium Conſtantinopoli conſtruere, & ibi fieri monachus cupit, 934. a. & ſeq.

Codiciacum Ludovico duci Aurelianenſi venditum, 604. a.

Columba ad reſervandam Euchariſtiam, 688. c.

Columba virgo ſanctiſſima, 394. a.

S. Columbanus, 26. b. 27. d.

Colonienſes archiepiſcopi Bruno, 33. a. Fridericus, 1015. c. Gero, 673. b. Philippus, 118. d. Siffridus, 361. c. Waltamus, 197. d.

Commemoratio publica quorumdam ſanctorum nondum canonizatorum, 1256. b. c.

Communio ſub utraque ſpecie, 1272. b.

Compoſtellanus epiſcopus Berengarius, 69. 341. d. 376. b. 443. a.

Conceptio B. Mariæ immaculata in concilio Baſileenſi definita, 73. c.

Concilium an ſupra papam, 90. c. d.

Conciliorum generalium neceſſitas, 63. a.

Concilium Baſileenſe, 73. c. 90. a. c. 624. e. Ejus ſigillum commiſſum monachis S. Bertini, 624. e.

Concilium Bononienſe, 1416. d. 1418. a.

Concilium Carnotenſe, 116. b. 1068. c.

Concilium Claromontenſe, 31. b. 159. d.

Concilium Conſtantienſe, 62. c. 89. c. 388. c.

Concilium Ferrarienſe, 381. a.

Concilium Lateranenſe ſub Innocentio III. 121. 400. b. 401. c. 456. b. 846. d.

Concilium Lateranenſe IV. 128. c.

Concilium Lugdunenſe ſub Innocentio IV. 122. a. 131. c.

Concilium Lugdunenſe ſub Gregorio X. 77. c. 133. a. 369. b.

Concilium Monſpelienſe, 398. c.

Concilium Piſanum, 208. b. 388. b.

Concilium Ravennenſe, 1411. c.

Concilium Romanum ſub Julio, 1417. c.

Concilium Tridentinum continuat Pius IV. Ad illud mittit ſex cardinales, 1593. a. b.

Concilium Turonenſe, 31. b.

Concilium Viennenſe, 138. d. 375. d.

Concordantiæ ſuper biblia in conventu Pariſienſi editæ, 552. c.

Condrada Deo ſacrata. 697. a.

Confeſſionem peccatorum ſuis commendat Petrus Venerabilis, 1191. a. 1195. b. c. 1197. b.

Confeſſio Viatico præmiſſa, 107. b. c. Facta pluribus ſacerdotibus, 1222. a.

Confraternitates vitari volebat S. Stephanus Grandimontenſis, 1125. d.

Conradus epiſcopus Portuenſis & cardinalis, 441. c.

Conradus *d'Aſe* magiſter ord. Prædicatorum, 345. b.

Conradus imperator prosus, 33. d.

Conradus filius Friderici imperatoris captus decapitatur, 179. c.

Conradus comes, 696. a.

Conſpiratio in regem detecta Carcaſſonæ, 479. c.

Conſtantia ſoror Ludovici VII. 236. a.

Conſtantia filia comitis Fuxi, 499. c.

Conſtantienſis abbas S. Salvatoris Hugo, 105. c.

Conſtantinopolis a Turcis capta, 91. c.

Conſtantinopolitanus patriarcha S. Petrus Thomæ, 61. a.

Conſtantinus epiſcopus Urbeveranus ſcribit vitam S. Dominici, 405. a.

Conſtantinus magnus imperator, 17. c.

Conſtantinus qui dictus eſt Conſtans, 751. a. Quintodecimum civitatem diruit, 752. b. Roma direpta a ſuis occiditur, 753. c.

Conteſtatio Angeli Salvetti de Senis de ſanctitate S. Catharinæ de Senis, 1266. d.

Converſorum Grandimontenſium diſſidium, 1087. d. Inſolentia, 127. a. b. 128. c. 266. c. d. Sub clericorum correctione rediguntur, 121. c.

Convenarum epiſcopus comes civitatis, 1025. b.

Convenarum epiſcopi S. Bertrandus, 1021. Boſo 526. c.

Corbolienſis S. Exuperii præbenda conceſſa S. Victori, 222. c.

S. Cornelius papa, 84. c.

Corona monaſterium in quo jacet Giraldus de Mala-morte archiepiſcopus Burdigalenſis, 472. d.

Corpus Chriſti medias inter flammas conſervatum, 469. c.

Corſulanus epiſcopus Bartholomæus, 555. c.

Cortonenſis epiſcopus Marianus, 567.

Coſmas cardinalis Bononienſis, poſtea Innocentius VII. 1283. a.

Cremonenſis epiſcopus Nicolaus Sfondratus, 393. a.

Creſcentius conſul capite truncatur, 86. c.

Cretam inſulam a Saracenismo ad rectam fidem convertit S. Nicon, 852. b.

Cruciferorum ordo, 76. c.

Cruciflagellatores, 81. c.

Crucifixus pro ſigillo magiſtri Prædicatorum, 380. a.

Crux translata Grandimontem, 118. d.
S. Crucis Burdigalensis abbas Remundus *Delgot*, 455. c.
Cumani per fratres Prædicatores ad fidem conversi, 351. a.
Cuiros monasterium, 320.
S. Cunegundis, 670. b.
Cuprum monasterium ord. Cistercien sis, 322. c.
S. Cyrillus Carmelita, 60. c.

D.

Dado filius Authatii a S. Columbano benedictus, 26. d. 27. a. b.
Dagobertus rex, 26. c. Wandregesilum comitem palatii facit, 795. a. S. Dionysii ecclesiam decoravit, 816. d.
Daimbertus archiepiscopus Senonensis, 219. b.
Dalon monasterium, 994. d.
Daniel abbas Viconiensis ab abbate Præmonstratensi depositus, 293. b.
Daniel de Curte-Trajani, 289. c.
Daniela virgo pia, 386. a.
Damalam convertit S. Nicon, 854. e.
David abbas a Cupro, 323. c.
David levita & præpositus Autissiodorensis, 699. c.
David rex Scotorum fundator monasterii a Kenlos, 319. b. c.
Deauratæ monasterium in diœcesi Caturcensi, 471. c. d.
Decius occupato imperio reipublicæ statum reparare meditatur, 743. b.
Decius præses, 741. a.
Dedicatio turris S. Vincentii, 681. c.
Deir monasterium in Scotia, 321. a.
Deirenses abbates Ardorus, 321. a. Atturus, 321. c. Richardus, 321. a. Robertus, 321. a. Robertus Bovis, 322. a. Stephanus, 321. a. Valerantius, 321. b.
Desiderius abbas Casinensis, 795. b.
Didæ epitaphium, 822. a.
Didacus episcopus Oximensis, 332. a. 346. b. 347. d. 358. c. 399. a. 437. a. 456. b.
Diensis episcopus S. Stephanus, 38. d. 176. c.
Dignensis episcopus Hugo, 538. b.
Dinus vir venerabilis, 1251. b.
S. Dionysii depositio, 649. d.
S. Dionysii abbates Fardulfus, 816. c. Fulradus, 816. a.
Dionysius papa, 1437. c.
Dioscorus schismaticus, 85. c.
Disciplinarum fructus, 55. d.
Dissinus frater Petri Venerabilis, 1200. c.
Divitiæ causa relaxationis monasteriorum, 31. c.
Doa monasterium canonicorum regulatium transit ad Præmonstratenses, 237. c.
Doctoris Parisiensis infelix exitus causa secessus S. Brunonis, 152. b. & seq.
Doda sacerdos occisus in bello, 720. a.
Dodo miles S. Stephani, 697. b.
Domina cella Cluniaci, 1189. c.
S. Dominicus ordinis Prædicatorum institutor, 60. a. c. 70. c. 447. b. 1330. d. & seq. Institutus prædicator ad extirpandas hæreses, 446. a. Plus quam centum millia hæreticorum convertit, 349. a. Ad majorem accedit Cartusiam, 209. d. Instituit ordinem Prædicatorum, 331. a. 400. c. & seq. Ad concilium Lateranense proficiscitur, 333. a. Regulam S. Augustini eligit, 333. b. & seq. 343. b. Prulianum monasterium instituit, 346. c. 437. a. Quod ipse regit, 452. c. Parisios venit, & monasterium instituit, 549. b. Duas domos ordinis sui instituit in Hispania, 402. b. Lemovicis unam, 402. c. Ordinem suum promulgat *in Hungaria*, 403. d. Romæ S. Sixti virginum monasterium instituit, 346. d. Ejus sanctitas, 1294. c. Ter quotidie disciplinam accipiebat, 1313. b. Celebrat primum capitulum generale, *in quo renuntiat reditibus*, 403. a. 448. c.
S. Dominicus ordinem militiæ Christi instituit ex viris laïcis, 348. d. e. Ejus primi discipuli, 457. b.
S. *Dominicus* in lecto & tunica fratris Monetæ obit, 339. b. Ejus obitus, 403. c. Sepultura, 350. b. Translatio, 352. c. Et canonizatio, 339. b. 404. b. Ejus gesta a quibus conscripta, 404. d. & seq. Secunda translatio, 340. d. 409. a.
Dominicus martyr ex ord. Prædicatorum, 338. b.
Dominicus S. Dominici comes *individuus*, vir sanctus, 334. a. 457. c.
Dominicus Scrutari ordinis Prædicatorum, prior conventus Venetensis, 1364. e.
Dominicus Grimanus cardinalis, 393. a.
Dominicus de Esculo vicarius episcopi Castellani, 1241. b. 1243. b. 1245. a. 1363. a.
Dominicus Servita vir sanctus, 586. e.
Dominicus Gualardus Rotæ auditor, 1401. a.
Dominicus de Flandria, vir doctus, 392. d.
Domnolus Judæus medicus, 925. b. 928. b.
Domus monachorum monasterium ordinis Cartusiensis, 197. e.
S. Donati episcopi vita, 773. a.
Donatus de Florentia S. Catharinæ devotus, 1329. e.
Dorienſium urbes *lustrat S. Nicon*, 858. c.
Dungali epitaphium, 817. d.
Durandus episcopus Lemovicensis, 464. d.
Durandus senior, 382. c.
Durandus de S. Portiano, 382. c.
Durbonis Cartusia, 163. c.

E.

Ealfuinus abbas Ramesiensis, 829. c.
Ebrardus miles S. Stephani, 717. a.
Eboracensis archiep. Oswaldus, 33. a.
Ebredunensis archiepiscopus Raymundus de Medullione, 536. b.
Ebroicenses episcopi Guillelmus *de Eloques*, 58. d. Philippus de Molendinis, 275. d.
S. Ebrulfi abbas Robertus *le Tellier*, 106. c.
Ecclesiam monasterii S. Nili mulieres non intrabant, 918. a.
Echebettus seu Egibertus Scholasticus Coloniensis, postea episcopus Monasteriensis, 1019. d.
Edelredus rex Angliæ a *Sueyn* rege Danico *fugatus in Normanniam*, 825. e.
S. Edmundus quo anno martyrium subiit, & ubi sepultus, 823. d. e. Ejus miraculâ, 824. a. & seq. Potentiâ & miraculis æquiparatur Mercurio martyri, 827. d. Ejus corpus ad varia loca delatum, 829. d. Liber ejus miraculorum, 821.
S. Edmundi abbas Balduinus, 821. 823. c.
Eduardus rex Anglorum, 321. c.
Eduardus VI. rex Angliæ, 603. a.
Egelwinus monachus piissimus, 816. d. 827. b. e. 829. c. & seq.
Eggihardus presbyter & philosophus, 675. d.
Eldaldus archiepiscopus Senonensis, 722. c.
Elia uxor Roberti ducis femina piissima, 700. c.
Elias archiepiscopus Burdegalensis, 119. a. e. 120. d. 1091. c. 1092. c. 1094. b.
Elias episcopus Xantonensis, 320. d. 1094. b.
Elias de Mala-morte decanus Lemovicensis, 503. c.
Elias Aldemari prior Grandimontis intrusus, 141. c. 146 e.
Elias Arnaldi prior Grandimontis, 121. c.
Elias magister ordinis Prædicatorum, 385. d. 386. e. 417. a.
Elias Raymundi magister ordinis Prædicatorum, 342. d.
Elias de Ferreriis prior provincialis ordinis Prædicatorum, 431. e.
Elias Navarra ordinis Prædicatorum, prior Lemovicensis, vir sanctus, 466. e.
Elias Patricii Carcassonensis regulus *veri regis* proditor, 479. a. e.
Elisiarius prior Cartusiæ, 193. b. 210. b. Ex priore Boni-Passus, 193. c. Nepos cardinalis Mimatensis, 194. e.
Elizabeth monialis soror germana *reginæ* Siciliæ, filia regis Hungariæ, 544. a.
Elizabeth Deo sacrata, 719. d.
Elizabeth de Leone, 1294. a.
Elizeus archidiaconus Autissiodorensis, 735. d.
Elphegus archiep. Cantuariensis, 53. a.
Elionor uxor Eduardi regis Angliæ, 531. a.
Emericus primus abbas Castellarien sis, 1004. c.
Emma comitissa restaurat Oyense monasterium, 794. 802. d.
Emmanuel imperator CP. 118. c. Crucem mittit Grandimontem, 126. c.
Emmanuel Philibertus dux Sabaudiæ, 1414. e.
Emmena Deo sacrata, 690. c.
Endé abbas, 670. c.
Engolismensis episcopus Hugo, 1185. c.
Enguerannus comes Suessionensis & dominus Codiciaci fundator Cælestinorum Suessionensium, 594. b. 609. b. Ejus litteræ de hac fundatione, 594. c. Novos *reditus addit fundationi*, 597. c. Pergit in Hungariam adversus infideles, 598. c. Codicillo confirmat primam fundationem, 599. a. & seq. A barbaris capitur & redimitur, 601. b. Altero codicillo addit aliquid ad primam fundationem, 601. d. Moritur & sepelitur in ecclesia deNongento, 602. b. c. Ejus nata & uxor obeunt, 602. d.
Entresis monasterium Grandimontensium, 1116. a. 1179. d.
S. Eparchii abbatia, 474. e.
Epidaurum navigans S. Nicon insidias patitur *a nautis*, 854. a.
Epiphaniæ diebus aqua sanctificatur, 868. b.
Epitaphium Anthelmi monachi, 818. c.
Epitaphium Ardoini & Didæ, 822. a.
Epitaphium Dungali, 817. d.
Epitaphium Evalis, 820. c.
Epitaphium Fardulfi abbatis S. Dionysii, 816. c.
Epitaphium Fulradi abbatis *S. Dionysii*, 816. a.
Epitaphium Hebratii, 820. b.
Epitaphium Motharii sacerdotis, 817. b. c.
Epitaphium Pipini regis Italiæ, 816. e.
Epistola episcopi Castellani ad Ferrariensem de facienda inquisitione de memoria S. Catharinæ Senensis nondum canonizatæ, 1242. a.
Epistola universitatis Parisiensis ad capitulum generale Prædicatorum de obitu S. Thomæ, 564. c.
Erchinoaldi, palatii præfectus sub Clodoveo II. 797. b. e.
Erembertus præpositus Autissiodorensis, 692. b. 733. d.
Eremitæ S. Augustini, 22. c.
Eribaldus episcopus Autissiodorensis, 700. c.
Eribaldus levita & archiclavis interemtus, 720. a.
Etibertus episcopus Autissiodorensis, 717. d.
Ermenfredus præpositus Autissiod. 715. a.
Ermengardis abbatissa, 734. c.
Erscndis vidua Deo sacrata, 699. e.
Ervisius abbas S. Victoris, 234. a. 235. b. 236. a. 264. c. Ab eo petit G. Herefordensis episcopus, qui præsit ecclesiæ Wigornien si, 240. c. Ejus epistola ad O. cardinalem, 240. c. Depositus ecclesiæ. thesaurum retinere conatur, 254. a. b. Locum ad quem ad tempus *missus fuerat* sibi retinere laborat, 252. d. Ejus cessionem approbat Alexander III. papa, 254. c. 255. b.
Ervisius quondam abbas S. Victoris, 260. d.
Eschivardus miles, 1103. c.
Evalis epitaphium, 820. c.
Evangelista Carbonensius canonicus S. Petri, 1400. c.
Eubœam applicat S. Nicon & prædicat, 855. e.
Eucharistia conficitur verbis divinis, 1097. a.
Eucharistia servata in columba suspensa, 688. c.
Eugenius II. papa, 85. d.
Eugenius III. papa, 314. c. Veniens in Gal-

lias antiquum viſitat monaſterium, 49. d.
Ejus elogium, epitaphium & miracula, 1139.
Eugenius papa IV. 89. c. 90. a. b. 91. d. 389. d. Ejus depoſitio, 624. c.
Eulalius ſchiſmaticus, 85. a.
Eupraxius regius judex Italiæ & Calabriæ, 922. b. 926. c. Fit monachus, 928. b. Obit, 928. d.
S. Euſebii epiſcopi Mediolanenſis reliquiæ, 810. b.
S. Euſebii abbates Gaufridus, 698. a. Gilbertus, 702. c. Gualdricus, 712. b. Johannes, 698.
Euſicius ſeu Eutericius abbas, 313. d.
Euſtachius de *Lens* canonicus Præmonſtratenſis, 301. c.
Euſtachius frater Petri Venerabilis, 1200. c.
Euſtaſius *Gonier* abbas S. Bertini, 613. c.
S. Evurtii abbates Robertus, 242. c. Rogerius, 242. c. Stephanus, 237. c.
Excluſa monaſterium Grandimontenſium, 1106. c.
Excommunicationis timor, 259. a.
Excubiarum Cartuſia, 163. c.
Expeditio in Turcas tempore Pii II. papæ, 627. c.
Extrema-unctio ante viaticum apud Cartuſianos miniſtrata, 46. c.

F.

FAbianus papa, 24. d.
Famaguſtanus epiſcopus Hieronymus Ragarronius, 1394. b.
Fames magna, 294. a.
S. Fantinus probat humiliationibus Stephanum S. Nili diſcipulum, 911. b. V. Phantinus.
Fardulfi abbatis S. Dionyſii epitaphium, 816. c.
Farneſius cardinalis, 1396. c. 1397. d. Vid. Alexander.
S. Fauſtiniani epiſcopi Bononienſis vitæ compendium, 1417. d. Et tranſlatio, ibid. a.
Federicus Metius epiſcopus Thermularum, 888.
Federicus Pendaſius, vir doctus, 1431. c.
Felix IV. papa, 23. d.
Felix V. antipapa, 89. c. 91. c. & ſeq. 624. c.
Felix de Maſſa, vir probus, 1351. d. e.
Feltrenſis epiſcopus Antonius Piſamanus, 393. a.
Feminæ eccleſiam S. Nili non intrabant, 918. a.
Fetreolus conſanguineus S. Apollinaris, 782. d.
Ferricus de Gentiliaco, 246. d.
Feſtis diebus ludos & choreas prohibet Gabriel Palæotus, 1399. c.
Feſtum SS. Sacramenti inſtituitur, 365. c.
Filia Dei parthenon ordinis Ciſterc. 317. a.
Firmanus epiſcopus Sigiſmundus Zanettinus, 1390. c.
Flagellatores, 81. a.
Flandriæ comites Carolus Bonus, 1133. c. & ſeq. Guido, 615. c. Johannes, 621. c. Ludovicus, 619. c. Philippus, 256. a.
S. Flaviani martyris caput, 291. a.
Florentia mulier nobilis, domina Rupiſcuſæ, 1110. c.
Florentini archiepiſcopi Alexander Medices, 1424. a. S. Antoninus, 390. c.
Florentini in papam rebellant, 386. c. Eos interdicto ſupponit Martinus papa, 589. c. Reconciliat papæ S. Catharina Senenſis, 1287. c.
Florentinæ baſilicæ B. Mariæ conſecratæ, 590. b. & ſeq.
Floriacenſis obbas Abbo, 821.
Fontes baptiſmales, 815. c.
Fons-croſæ monaſterium Grandimontenſium, 1081. c.
Fontis-Ebraldi monaſterium, 990. c. 994. c.
Fontis-Ebraldi moniales condentur, 997. b.
Fontis-Johannis abbas Gelduinus, 258. a.
Fontanelleuſe monaſterium conſtruit ſanctus Wandregeſilus, 797. b. In quo quatuor condit eccleſias, 797. d. A S. Audoeno conſecratas, 798. a. Ibi trecentos congregat monachos, 798. c.
Formoſus papa, 85. c. 86. a.
Forojulienſis epiſcopus Jacobus, 536. a.
S. Fortunatæ vita vitiata emendatur, 776. d.
Franchus monachus, 967. c.
S. Franciſcus, 68. c. Ordinis Minorum inſtitutor, 70. c. Stigmata Crucifixi ei divinitus impreſſa, 71. c. Biennio ante mortem, 1382. d.
Franciſcus de Savona generalis Minorum, ac deinde cardinalis, ac demum papa *Sixtus IV.* 72. c.
Franciſcus Alciatus cardinalis, 1395. a.
Franciſcus Toletus cardinalis, 1436. c.
Franciſcus Barbarus patriarcha Aquileiæ, vir doctus, 1387. a.
Franciſcus Panigarola epiſcopus Aſtenſis, 1436. d.
Franciſcus Bembus epiſcopus Caſtellanus, 1240. a. c. 1242. b. 1245. a. 1365. b.
Franciſcus Odoardus Carmſianus, theologus inſignis, 1436. c.
Franciſcus Servita vir ſanctus, 580. c.
Franciſcus I. rex Francorum, 325. c.
Franciſcus Buſatus Mantuanus juriſconſultus, 1436. d.
Franciſcus *Boglefeldt* intimus conſiliarius reginæ Scotorum, 1434. b.
Franciſcus de Malevolis vir nobilis a S. Catharina Senenſi converſus, fit monachus Montis-Oliveti, 1265. b.
Franciſcus Maria Feltrius de *Ruere*, 1434. a.
Franciſcus Mayronis vir doctus, 391. d.
Franciſcus de Neritano vir doctus, 393. a.
Franciſcus Petri vir pius, 1367. c.
Franciſcus de Retuſa vir doctus, 388. d.
Franciſcus nobilis Senenſis a S. Catharina converſus, 1337. c. & ſeq.
Franciſcus de Senis medicus domini papæ, 1379. c.
Franci S. Audomarum fruſtra obſident, 630. c. Poſtea tamen capiunt & etiam Morinum, 630. d.
Francorum rex curæ ſtirpes, 1165. b.
Francorum reges Carolus IX. 1396. d. Henricus, 714. d. Johannes, 617. a. d. Ludovicus VII. 106. b. Ludovicus X. 739. c. Philippus, 713. c. Philippus II. 1215. c. Philippus IV. 139. c. 541. c. 542. b.
Franciæ regina Maria, 1233. b.
Frangipanorum antiqua origo, 364. c.
Fratricelli hæretici, 214. c. & ſeq.
Fridericus archiep. Colonienſis, 1495. c.
Fridericus Bottomæus archiepiſcopus Mediolanenſis, 1424. b. Cardinalis, 1429.
Fridericus epiſcopus Leodienſis, 1015. b.
Fridericus electus ac confirmatus Catalaunenſis ſit canonicus regularis Vallis Scholarium, 66. c.
Fridericus *Marolle* adminiſtrator S. Bertini, 632. b.
Fridericus I. imperator, 89. a. 295. c. 296. a. Crucc ſignatur, 61. d.
Fridericus III. imp. 630. b.
Fridericus de *Vriburg* vir doctus, 368. b.
Frithericus presbyter, 670. d.
Feitherun ſanctimonialis, 670. c.
Frodo archipresbyter litteris bene eruditus, 702. d.
Frotmundus miles, 687. a.
Frotmundus miles S. Stephani, poſtea monachus S. Benedicti, 706. c.
Frumaldus archidiaconus Atrebatenſis, 291. c.
Fulbertus epiſcopus Carnotenſis, 33. a.
Fulcherius Grimoaldi prior Grandimontis, 122. c. 132. c.
Fulco Pariſienſis indicit preces publicas ad S. Sebaſtianum diſſipandæ peſtis graſſantis cauſa, 273. c.
Fulco epiſcopus Toloſanus, 339. a. 346. d. 398. c. 437. b. 456. c. Intereſt concilio Lateranenſi, 333. a. 400. b. Ejus conceſſio facta S. Dominico & ſociis ejus, 446. a. & c. 447. c. Is dat S. Dominico eccleſiam S. Romani, 400. c. Et Fanijovis, 447. c. Quam poſtea concedit monialibus Pruliani, 449. b. Ejus obitus, 459. c.
Fulco pater S. Geraldi de Salis, 989. a. Fit monachus, 995. c.
Fulco frater Giraldi de Salis, 995. b. Vir ſanctus, 996. c.
Fulradi abbatis S. Dionyſii epitaphium, 816. a.
Fundatio Cæleſtinorum Sueſſionenſium, 594. c.
Fundatio conventus Prædicat. Aginnenſis, 481. a.
Fundatio conventus Albienſis, 508. d.
Fundatio conventus Altovillaris, 508. c.
Fundatio conventus S. Amiliani, 531. c.
Fundatio conventus Appamienſis, 507. a.
Fundatio parthenonis Aquenſis ordinis Prædicatorum, 536. c.
Fundatio conventus Bayonenſis, 469. b.
Fundatio conventus Bitterrenſis, 531. b.
Fundatio conventus Bragetiacenſis, 505. b.
Fundatio conventus Brivenſis, 501. c.
Fundatio conventus Burdigalenſis, 472. a.
Fundatio conventus de Buxo, 536. b.
Fundatio conventus Carcaſſonenſis, 475. a.
Fundatio conventus Caſtrenſis, 485. c.
Fundatio conventus Caturcenſis, 470. c.
Fundatio conventus Cauquiliberi, 531. c.
Fundatio conventus Condomenſis, 501. b.
Fundatio conventus de Draguignano, 535. c.
Fundatio conventus S. Emiliani, 506. c. 534. c.
Fundatio conventus Figiacenſis, 485. a.
Fundatio conventus S. Gaudentii, 518. a.
Fundatio conventus de Genolhaco, 534. c.
Fundatio conventus S. Juniani, 518. c.
Fundatio conventus Lectoratenſis, 517. a.
Fundatio conventus Lemovicenſis, 463. d.
Fundatio conventus S. Maximini, 532. c.
Fundatio conventus Montis-Albani, 484. a.
Fundatio conventus Montis-Peſſulani, 529. c.
Fundatio conventus Moſſanenſis, 507. c.
Fundatio conventus Narbonenſis, 529. c.
Fundatio conventus Ottheſienſis, 484. a.
Fundatio parthenonis S. Pardulfi, 527. d.
Fundationis conventus Pariſienſis ordinis Prædicatorum hiſtoria, 549.
Fundatio conventus Petragoricenſis, 474. a.
Fundatio conventus Podii-Cerdani, 532. c.
Fundatio parthenonis Pontis-vitidis, 526. c.
Fundatio Pruliani monaſterii, 437. a.
Fundatio parthenonis Pruliani Montis-Peſſulani, 539. a. 540. c.
Fundatio conventus Rivenſis, 508. a.
Fundatio conventus Siſtaricenſis, 530. b.
Fundatio conventus Toloſani, 456. a.

G.

GAbrielis Palæoti cardinalis Bononienſis primi archiepiſcopi vita, 1386. c. Ejus patria & parentes, 1388. c. Puerilia, 1389. d. Educatio, 1390. a. Præceptores, 1390. c. Laurea doctorali ornatus jus Cæſarenm Bononiæ interpretatur, 1390. c. Alciatus junior honoris cauſa dictus, ibid. Ejus auditores præſtantiſſimi, 1391. a. Fit canonicus Bononienſis, 1391. a. Librum de nothis & ſpuriis componit, 1391. b. Romam pergit, 1391. b. Vafronenſi regioni præficitur, 1391. d. Majoricenſem epiſcopatum recuſat, 1391. c.
Gabriel Palæotus in Rotæ Romanæ duodecimviratum coöptatur, 1392. c. A Pio IV. papa mittitur ad concilium Tridentinum, 1393. a. Ibi quanti a legatis æſtimaretur, 1393. c. Ejus in concilio munia, 1393. c. Ejus actorum hiſtoriam conſcribit, 1394. d. Ragufinum archiepiſcopatum recuſat, 1394. b. Eum Morouus cardinalis concilii Tridentini præſes conſiliorum ſuorum participem efficit, 1394. c. Romam reverſus ſcribit de cœlibatu ſacerdotum, 1394. c. Fit cardinalis, 1395. c. In conſiſtorio magna animi conſtantia ſententiam profert aliis adverſam, 1396. c. In electione Pii V. papæ ut ſe geſſerit, 1397. d. Invitus creatur epiſcopus Bononienſis, 1398. a. A ſancto Carolo

Carolo Borromæo conſecratur, 1398. c. Bononiam venit, ac ſuos hortatur ad præſcriptam a concilio Tridentino diſciplinam ſectandam, 1398. d. & ſeq. Ludos & choreas feſtis diebus prohibet, 1399. c. Eccleſiæ ſuæ bona diſſipata recuperat, 1399. c. Primus concilii Tridentini ſanctiones poſuit in uſu, 1400. a. Qualis eſſet ejus familia & vivendi ratio, 1400. c. Ex ea plures prodiere epiſcopi, 1402. a. In arduis negotiis doctorum virorum conſilio utitur. 1402. b. Dioeceſim viſitat, 1402. d. Conciones in ſua dioeceſi ad populum haberi curat, 1403. b. Synodos quotannis celebrat & clerum reformat, 1403. c. Exercitia litteraria inter parochos injungit, 1404. b. Chriſtianas catecheſes feſtis diebus faciendas pueris inſtituit, 1404. c. Et etiam pias congregationes & orationes publicas, ibid. c. Seminarium clericorum & gymnaſium erigit, 1405. b. Societatem Perſeverantiæ inſtituit, ibid. c. Eccleſiam cathedralem & domum epiſcopalem inſtaurat & ornat, 1406. b. & ſeq. Catechumenorum, neophytorum & mendicantium domos ædificat, 1407. c. Indulgentias populis ſuis procurat, 1408. a. Jubilæi tempore quid geſſerit, 1408. b. Et ad peſtem a Bononia avertendam, ibid. c. Cenſus epiſcopales ut diſpenſat, 1409. c. Scribit de abuſu in ſacris imaginibus pingendis, 1410. c.

Gabriël Palæotus preces notarias promulgat, 1410. d. In cœnobiis virginum diſciplinam reſtaurat, 1410. d. Litibus plebis ſuæ componendis laborat, 1411. a. & ſeq. Morbum quam conſtanti animo pertulerit, 1411. c. & ſeq. Concilio Ravennenſi intereſt, 1411. c. Magna ejus cum ſancto Carolo conjunctio, 1412. b. Synodo Mediolanenſi intereſt ac reliquiarum tranſlationi, 1413. b. & ſeq. Reliquias a S. Carolo accipit Bononiam tranſferendas, 1413. d. & ſeq. Taurinum cum S. Carolo pergit, ſyndonem Domini veneraturus, 1414. c. Reverſus Bononiam acceptas a S. Carolo reliquias in primario templo collocat, 1415. c. d. Fit primus archiepiſcopus Bononienſis, 1415. c. Concilium provinciale celebrat, 1416. d. SS. Zamæ & Fauſtiniani tranſlationem, 1417. a. Concilii decreta a ſede apoſtolica confirmari curat, 1418. a. Romæ invitus a Sixto papa retinetur, 1418. b. Albanenſi epiſcopatui præficitur, 1418. c. Sixto V. papæ in creatione cardinalium repugnat, 1418. b. Scribit librum de ſacri conſiſtorii conſiliationibus, 1419. d. Ejus conſilio utitur Urbanus VII. 1419. c. Publica vox ad Palæotum creandum ſummum pontificem, 1420. a. & ſeq. Transfertur ad ſedem Sabinenſem, 1422. a. Seminarium Manliani erigit, 1422. b. Templum Sabinenſe & domos canonicorum reſtaurat, ibid. c. Collegii Maronitarum cura ei committitur, 1423. a. Quam bene eam geſſerit, ibid. 1423. c. Novæ congregationi Romæ erectæ præficitur, 1423. c.

Gabriël Palæotus Romam reverſus pontificem ſuis adjuvat conſiliis, 1425. a. Decreta Bononienſis eccleſiæ unum in corpus redigit, 1425. c. Librum componit de Bono ſenectutis, 1426. b. De imaginibus libros VI. 1426. c. De morte cum ſuis frequenter loquitur, 1427. b. Bononienſes viros ad triremes damnatos pecunia redimit, 1428. b. Calculo ac febri vehementer laborat, 1428. b. Ejus obitus, 1428. c. Sepultura, 1429. c. Epitaphium, 1430. a. Teſtamentum, 1430. a. Præclaræ ejus virtutes, 1430. c. Ejus peregrinationes ac itinerum ſocii, 1431. b. Mulierum colloquia etiam affinium devitabat, 1431. a. Servata ab eo virginitas, 1432. b. Ejus pietas, 1432. c. Animæ ductorem habuit S. Philippum Nerium, 1432. c. In pauperes quam pius, 1433. a. & ſeq. In hoſpites, 1433. c. Erga ſtudentes Bononiæ, 1434. c. Ejus manſuetudo, 1435. a. Qualis fuerit in menſa, 1435. b. Res humanas fortiter toleravit, 1435. c. Nullius monita ſprevit, 1436. a. Amici ejus præcipui, ibid. c.

Gabriel Palæotus viris doctis providere cogitabat, 1438. a.

Gabriel Servita vir ſanctus, 584. d.

Gabriel ordinis Minorum vir doctus, 1351. d.

Gabriel de Barchina vir doctus, 1391. d.

Gabriel Picolominеus, 1264. c.

Gaietæ princeps captivus intercedente beato Bartholomæo libertate donatur, 961. c. & ſeq.

Gaillarda uxor Pontii domini de Bainagia, 1077. b.

Galdricus epiſcopus Autiſſiodorenſis, 700. b

S. Galdini reliquiæ, 1414. b.

Galerannus comes Mellenti, 225. a.

Galo epiſcopus Pariſienſis, 219. c. 223. c.

Galterius confeſſor regis Angliæ cardinalis, 536. c. 373. b.

Galterius abbas Viconienſis, 292. b.

Galterius de Querceto abbas Viconienſis piiſſimus, 300. d.

Gandavenſis civitas uſurarum voragine corrupta, 305. b.

Garaldus abbas Viconienſis, 290. d. 292. b.

Garnerius epiſcopus Trecenſis, 271. e.

Garinus *Dumbar* epiſcopus Abendoniarum, 325. d.

Garinus epiſcopus Sagonenſis, 480. c.

Garino abbati S. Victoris de ſua promotione gratulantur Alexander & Theodericus cardinales, 253. b. Ejus electionem confirmat Alexander III. papa, 254. c. 255. b. Ejus epiſtola ad Johannem cardinalem Neapolitanum, 255. c. Ad Alexandrum III. 256. c. Gratulatur Cæleſtino papæ III. de ejus promotione, commendatque illi eccleſiam ſuam, 265. a. & ſeq. Philippum regem orat ut finem imponat diſſidio Grandimontenſium, 266. b. & ſeq. Scriptæ ad eum epiſtolæ, Alexandri papæ, 265. b. Alexandri & Theoderici cardinalium, 253. b. Bernardi cardinalis, 261. a. Gelduini abbatis Fontis-Johannis, 258. a. Hugonis Petri Leonis, 260. c. Johannis Neapolitani cardinalis, 261. Johannis comitis Augi, 258. c. P. cardinalis, 259. c.

Garinus magiſter ordinis Prædicat. 342. b. 385. a.

Garinus de Giaco magiſter generalis ordinis Prædicatorum, 415. a.

Garſias de Aura proviſide Chriſti occiſus, 338. d. 355. a.

Gaufridus epiſcopus Autiſſiodorenſis, 700. b. Ejus ordinatio, 733. a.

Gaufridus epiſcopus Carnotenſis, 996. c.

Gaufridus de Hiſpania abbas Beccenſis, 109. c.

Gaufridus archidiaconus abbas S. Euſebii, 698. a.

Gaufridus de *Harenc* abbas Gemmeticenſis, 106. d.

Gaufridus decanus Autiſſiodorenſis, 687. c.

Gaufridus decanus S. Petri Autiſſiodorenſis, 692. b.

Gaufridus comes Cabilonenſis factus monachus, 714. b.

Gaufridus Carnuſianus, vir egregiæ facundiæ, 170. c.

Gaufridus miles, 725. d.

Gauzelmus epiſcopus Lingonenſis, 704. c.

Gauzo decanus Autiſſiod. 716. a.

Gebennenſis comes Amedeus, 312. d.

Gebizo monachus pius Caſinenſis, 794. b.

Gelaſius papa II. 1015. b.

Gemmeticenſes abbates Gaufridus de *Harenc* abbas, 106. d. Robertus, 635.

S. Geneſius martyr Arelatenſis, 781. c. c.

S. Genovefæ canonicos hortatur Ludovicus VII. ad vitam religioſe ducendam, 239. a. & ſeq.

S. Genovefæ abbas Odo, 226. a. 233. d. e.

Gentilis mater Palæoti cardinalis, 1389. c. 1390. a. Obit, 1391. d.

Genulfus canonicus Senonenſis, fundator cujuſdam monaſterii ordinis Grandim. 1080. b.

Georgius vir nobilis, S. Nili diſcipulus, 913. d. Quanta ejus virtus, 916. a. Mira ejus obedientia, 917. b. Obitus, 918. b.

Geppe abbas, 678. d.

Geraldus de Mala-morte archiepiſcopus Burdigalenſis, 472. b. d.

Geraldus abbas Obazinæ, 502. b.

Geraldus de Cardailhaco abbas Obazinæ, 503. c. 505. d.

Geraldus de Malo-monte gubernator vicecomitatus Lemovicenſis, 527. d. e.

S. Geraldi de Salis vita, 989. Ejus patria & parentes, 989. a. Litterarum ſtudiis erudiendus traditur, 989. c. Mundum deſerere cogitat, 989. d. Accedit ad Robertum de Arbriſello, 990. b. Canonicorum regularium habitum eo hortante ſuſcipit, 990. d. In monaſterio ut ſe geſſerit, 991. b. Fit diaconus, 991. e. Iterum accedit ad Robertum de Arbriſello, & in eremum ſe recipit, ibid. e. Mira ejus auſteritas, 992. b. Qualis ejus veſtitus, 992. e. Divinis ſemper erat intentus, 993. b. Prædicationi dat operam, 993. d. Vices ſuas ei committit Petrus epiſcopus Pictavenſis, 994. a. Monaſteria varia conſtruit, 994. d. Apud Fontem-Ebraldi prædicatoris exercet officium, 996. e. Ejus elogium, 997. c. & ſeq. Impudicam mulierem convertit, 998. b. Caſtellarias fundat, 1000. d. Ibidem infirmatur, 1001. e. Diſcipulos hortatur ad regulæ obſervantiam, 1202. b. Ejus obitus, 1001. e. Sepultura, 1003. b. Corpus ejus tranſfertur in novam eccleſiam, 1004. b. Ad ejus feſtum concurrunt ſingulis annis vicini abbates, 1005. c. Abbati abſolvi a regimine petenti obtinet a Deo mortem, 1005. c. Ejus tranſlatio, 1006. d.

Geraldus prior Cartuſiæ, 177. c. 179. d.

Geraldus de S. Valerico ord. Prædicat. prior Lemovicenſis, 467. a.

Geraldus de Francheto prior Lemovicenſis & provinciatis, 465. d. & ſeq.

Geraldus presbyter genere & dignitate conſpicuus, 1114. c.

Geraldus clericus vir pius, 1113. b.

Gerannus epiſcopus Autiſſiodorenſis, 713. d. 739. e. Ejus ordinatio, 687. c.

Gerardinus Servita vir ſanctus, 578. b.

Gerardus de Daumaro, ſeu de S. Audomaro, generalis ordinis Prædicatorum, cardinalis, 337. c. 342. a. 384. c. 414. b. c. 416. a.

Gerardus epiſcopus Cameracenſis, 33. b.

Gerardus epiſcopus Caturcenſis, 120. d. 1094. d.

Gerardus epiſcopus Lemovicenſis, 1079. e.

Gerardus de *Hamericourt* abbas S. Bertini, 632. b.

Gerardus abbas Caſinenſis, 794. b.

Gerardus abbas Sigebergenſis, 118. d.

Gerardus de Cirvia abbas Viconienſis, 305. c. Homicidæ fratris ſui parcit, 306. c.

Gerardus frater Aimerici epiſcopi Pariſienſis, 275. d.

Gerardus Iterii prior VII. Grandimontis, 119. a. Eligitur, 1091. b. Vitam S. Stephani ſcribit, 128. c. 1043. 1049. c. 1050. d. Alia ejus opuſcula, 121. a.

Gerardus de Francheto ordinis Præd. provincialis Provinciæ, 423. a. Scribit vitam S. Dominici, 405. a.

Gerardus comes, 679. d.

Gerardus comes Viennenſis, ſocer Humberti comitis Sabaudiæ, 174. b.

Gerardus de Mida baccalaureus, 368. b.

Gerberga comitiſſa, uxor Henrici ducis, 734. d.

Gerdagus epiſcopus, 678. b.

S. Gereonis monaſterium, 1015. d.

S. Germani Autiſſiodorenſis tranſlatio, 686. d.

S. Germani Autiſſiodorenſis abbates Hacardus, 713. d. Hildricus, 687. c.

S. Germani a Pratis abbas Hugo, 236. a.

Gero archiepiſcopus Colonienſis, 673. b.

Gila femina Deo ſacrata, 687. c.
Gilduini abbatis S. Victoris epiſtola ad epiſcopum Belvacenſem, 227. c. Ejus litteræ de eccleſia S. Petri de Monte-Letherico, 229. c. Directa ei Paſchalis II. bulla, 219. d.
Gilduini abbatis Fontis-Johannis epiſtola ad Garinum abbatem S. Victoris, 258. b.
Gimo miles S. Stephani, 718. c.
Girbertus abbas S. Euſebii, 702. c.
Girardus epiſcopus Sagienſis, 105. e.
Girardus abbas Altæ-ripæ, 315. a.
Girardus abbas Caſinenſis, 786.
Girardus de Bononia doctus Carmelita, 60. c.
Giſilherius archiepiſcopus, 669. c.
Giſla filia Cuonradi regis, 674. a.
Giſlarius archidiaconus Autiſſiod. 696. b.
Giſlebertus epiſcopus, 686. b.
Giſlebertus epiſcopus Londonienſis, vir doctus, 716. a.
Giſlebertus decanus Autiſſiodorenſis, poſtea monachus, 690. d.
Godefridus Bullonius, 35. b.
Godefridus Attrebatenſium comes, 288. c.
Godeſcalcus epiſcopus Atrebatenſis, 291. a.
Godila diaconus, 670. a.
S. Godonis abbatis Oyenſis vita, 794. Genus ejus illuſtre, 795. a. Fuit S. Wandregeſili nepos, ibid. Vitam monaſticam amplectitur, 795. c. Pro ejus perfecta converſione orat S. Wandregeſilus, 796. a. & ſeq. Fontanellam ſe recipit, 797. b. Romam pergit reliquias a ſummo pontifice petiturus, 797. c. Mittitur a ſancto Wandregeſilo ad fundandum novum monaſterium, 798. c. Ad Oyam deſertum locum ſe recipit, 799. a. Ubi cellas ædificat, locum ſibi cedentibus incolis, 799. c. & ſeq. Quam dure ibi vixerit, 800. a. Miracula patrat, 800. d. & ſeq. Obit, 801. c.
S. Godonis elevatio, 803. b. Et miracula, ibid. c. & ſeq.
Goffridus archiepiſcopus Burdigalenſis, 1175. c.
Goffridus epiſcopus Autiſſiodorenſis, vir ſanctus, 721. a. 726. b.
Goffridus de Fontibus impugnat doctrinam S. Thomæ, 370. d.
Gordianus pater S. Mercurii, 745. a.
Gordus quid, 223. c.
Goſcelinus decanus Autiſſiodorenſis, 732. a. e.
Gotelendis Deo ſacrata, 689. c.
Gothi Aquitaniam invadunt, 763. c.
Gozfridus decanus Senonenſis, 734. d.
Græci uniuntur eccleſiæ Latinæ, 179. c.
Grandeus de Aſculo vir doctus, 381. d.
Grandimontenſis ordo, 33. c. & ſeq.
Grandimontenſes monachi, 213. c.
Grandimontenſis ordinis exemtio, 126. c. Privilegia, 127. c. 128. b. d. 131. c. d.
Grandimontenſium capitulum, in quo quinginti religioſi, 1091. c.
Grandimontenſes bini extra monaſterium incedunt, 118. b. Carnem & ſagimen etiam ægri non comedunt, 118. b. Eorum vita aſpera, 5. b. Ex nihilo ſemper ſufficienter habent, 5. b. Signis non utuntur ad loquendum, 5. c. Vitam ducunt angelicam, 5. d. Converſorum rebellio, 6. a. & ſeq. 118. c. 1087. d. & ſeq. Compeſci rogat Garinus abbas S. Victoris, 266. b. & ſeq.
Grandimontenſium reformatio, 130. a. b. d. 138. c. d.
Grandimontem gravat Clemens V. 136. d.
Grandimontenſes capellos de filtro & fotulares ad pedis cavillam portare iucipiunt, 134. Carnis abſtinentiam relaxant, ibid. c. 138. d.
Grandimontenſes Mureto transferunt ſe ad Grandimontem, 1070. a. b.
Grandimontenſes priores Ademarus La Vernha, 121. c. 131. c. Ademarus de Friaco, 120. b. 121. b. 128. b. Bernardus de *Grandalmar*, 122. d. 135. c. Caturcinus, 121. c. 128. c. Elias Arnaldi, 121. c. 130. x. Fulcherius Grimoaldi, 122. c. 132. c. Gerardus Itherii, 117. c. 128. a. Guido Archerii, 122. b. 132. d. Guido Fulcherii, 122. c. 135. c. Guillelmus *Dongres*, 122. a. 131. c. Guillelmus de Prato Morelli, 123. a. 137. d. Guillelmus de Trainhaco, 118. c. 126. c. Johannes de Aquila, 121. d. 130. d. Jordanus de Rapiſtagno, 123. a. 139. b. Iterius Meruli, 122. a. 131. c. Petrus Bernardi, 117. c. 126. d. Petrus de S. Chriſtophoro, 117. a. 126. c. Petrus de Conſaco, 122. c. 133. a. 317. a. Petrus Lemovicanus, 117. a. 125. c. 126. a. S. Stephanus, 123. d. & ſeq. 1113. a. Stephanus de Liciaco, 117. b. 126. c.
Grandimontenſes priores duos ſibi invicem contrarios deſtituit Clemens papa III. 1090. d.
Grandimontenſium priorum hiſtoria duplex, 113.
Grandimontenſis abbas Petrus, 1132. c.
Grandis-Silva monaſterium, 459. c. 994. d. 1060. b.
Grandiſſonius domum Carthuſianis fundat, 181. c.
Gratianopolitani epiſcopi S. Hugo, 36. c. 154. b. 1203. c. Ejus vita, 163. c. Hugo II. 168. b. Johannes, 1211. c.
Gratianopolitanam eccleſiam protegit Margarita Burgunda, 1206. b.
Gratianus abbas, 730. a.
Gratiani Parleonis epiſtola ad Robertum abbatem S. Victoris, 267. b.
S. Gregorii ordinatio, 654. a. Ejus elogium, 28. b. & ſeq. Fuit Spiritus-ſancti digniſſimum organum; ſcripſit vitam ſancti Benedicti, 24. b. c. Regulam ejus profeſſus, 24. c. 28. d.
S. Gregorius papa dialogos conſcripſit, 564. c. Et geſta S. Felicitatis, 776. c.
Gregorius VI. papa, 87. c. d.
Gregorius papa VII. 30. d. 88. b. 156. a.
Gregorius IX. papa, 69. d. 339. b. 352. b. 353. c. 473. a. 1294. c. 1298. d. Ejus epiſtola ad abbatem & conventum ſancti Victoris, 272. a. Munus inquiſitionis committit fratribus Prædicat. 338. c. Ejus reſcriptum pro Pruliano, 443. c. Cui concedit eccleſiam de Fano-Jovis, 450. c. S. Dominicum ſanctorum albo inſcribit, 404. c.
Gregorius papa X. 180. a. 336. b. 367. c.
Gregorius papa XI. 386. b. 434. c. 619. d. 1267. c. 1268. b. 1271. c. 1273. d. 1278. b. 1287. c. 1337. c. 1371. c. Cæleſtinorum cœnobium fundat, 214. b. Ad Florentinos mittit S. Catharinam Senenſem, 1335. c. Eam quomodo Avenione excipit, 1373. c. Ejus ſoror erga S. Catharinam devota, 1373. c. Ejus votum de repetenda Urbe manifeſtat, 1325. b. c. Varias bullas & privilegia ei concedit, 1329. c. Sepeliri in majori Carthuſia optabat, 205. a.
Gregorius papa XII. 83. a. 388. a. 1251. d. 1283. 1284. b.
Gregorius XIII. papa, 1405. c. 1427. d. 1429. c. 1434. a. Bononienſem eccleſiam in archiepiſcopalem erigit, 1415. c. Collegium Maronitarum Romæ inſtituit, 1423. a. Obit, 1416. c.
Gregorii papæ XIV. creatio, 1421. c. Obitus, 1423. c.
Gregorius cardinalis legatus apoſtolicæ ſedis, 116. b.
Gregorius cardinalis, 1062. a. 1068. c. 1152. d.
Gregorius Paphlago abbas monaſterii ſancti Niconis, 876. d.
Gregorius theologus, 898. c.
Gregorius Montagnana vir doctus, 1434. d.
Gregorius dux Tuſculani, 953. b. 954. c. 955. d.
Gregorius Malcinus protoſpatharius, 931. d.
Gregorius prætor S. Niconi injurius paralyſi corripitur, veniam petens ſanatur, 866. a & ſeq.
Grimoaldus frater Giraldi de Salis, 995. b. Fit abbas Allodienſis, deinde epiſcopus *Pictavenſis*, 996. a. 1203. c. Ejus exequiæ, 996. b.
Gualdricus abbas S. Euſebii, 712. b.
Gualterius vicecomes, 716. c.
Guibertus miles, 721. a.
Guido Ferrerius cardinalis, 1436. c.
Guido Populus cardinalis, 1429. c.
Guido Fulcherii epiſcopus Anicienſis, 488. c. 489. b. Deinde Narbonenſis, 500. b.
Guido epiſcopus Belvacenſis, 228. c.
Guido epiſcopus Catalaunenſis, 233. a.
Guido epiſcopus Lanſanenſis, 311. c. 312. d.
Guido de Clanſello archidiaconus, deinde epiſcopus Lemovicenſis, 463. c.
Guido de Perpiniano ex generali Carmelitarum epiſcopus Majoricarum, deinde Duenſis, 60. d.
Guido abbas, 724. a.
Guido Archerii prior Grandimontis, 122. b. 132. d.
Guido Fulcherii prior Grandimontis, 122. c. 135. c.
Guido de Miliaco monachus pius Grandimontenſis, 1085. c. Diſcipulus Hugonis de Lacerta, 1162. a. 1176. c. 1177. d. e.
Guido Flamocheti magiſter ordinis Prædicatorum, 343. a. 390. d.
Guido de Langimella martyr, 351. c.
Guido ordinis Prædicatorum martyr, 338. c.
Guido de Caſtro-novo ordinis Prædicatorum, 1222. a.
Guido canonicus & archiclavis Autiſſiod. 702. c.
Guido archidiaconus Ediſſæ, 697. c.
Guido presbyter vir religioſus, 1075. b.
Guido Buticularius, 240. a.
Guido comes Flandriæ a Philippo rege incarceratus, 613. c.
Guido vicecomes Lemovicenſis, 527. d.
Guido *de Levis* vir nobilis, 453. d.
Guido Sforcia, 1390. b.
Guigo epiſcopus Gratianopolitanus, 1203. c.
Guigo V. prior Cartuſiæ, 36. d. 37. c. 154. c. 161. c. 163. b. Auctor epiſtolæ ad fratres de Monte-Dei, 36. c. Alia ejus opuſcula, 163. c. Epiſtolas S. Hieronymi emendavit, 163. d. Ejus obitus, 164. c. Sub eo plures fundatæ Cartuſiæ, 163. c.
Guigo Delphinus comes Albonis, 1201.
Guigo Delphinus, 1203. a. In prælio vulneratus obit, & Gratianopoli ſepelitur, 1203. c.
Guigomoræ abbas, 244. c. d.
Guillelmitarum ordo, 54. c. & ſeq.
Guillelmus Alanus cardinalis, 1484. b.
Guillelmus Anglicanus cardinalis, 373. b.
Guillelmus Arnſati cardinalis, 455. c.
Guillelmus *Sudre* cardinalis epiſcopus Oſtienſis, 337. d. 432. e.
Guillelmus Petri cardinalis, 375. c. 470. b. Ex priore provinciali ord. Prædic. 428. c. 429. c. Fit cardinalis, 429. d.
Guillelmus Sirletus cardinalis, 1395. c. 1397. e. Ejus tranſlatio vitæ S. Nili, 888.
Guillelmus S. Sabinæ cardinalis, archiepiſcopus Remenſis, 119. c. 1092.
S. *Guillelmus archiepiſcopus* Bituricenſis, 50. c. 257. c. Ejus tibialia, 317. b. Canonizatio in concilio Lateranenſi poſtulata, 128. d.
Guillelmus archiepiſcopus Narbonenſis ratas habet confirmationes factas monaſterio Pruliani de eccleſia S. Martini de Limoſo, 444. c.
Guillelmus *Stewart* epiſcopus Abendoniarum, 325. c.
Guillelmus epiſcopus Aginnenſis, deinde patriarcha Jeroſolymitanus, 501. c.
Guillelmus Petri *de Berenes* epiſcopus Albienſis, 494. b.
Guillelmus epiſcopus Antaradenſis, 355. c.
Guillelmus epiſcopus Carcaſſonenſis, 444. c. 452. b.
Guillelmus de Campellis doctor Pariſienſis fit canonicus regularis S. Victoris, deinde epiſcopus Catalaunenſis, 217.
Guillelmus de Cardaliaco epiſcopus Caturcenſis, 470. c. e.
Guillelmus *Eloques* epiſcopus Ebroicenſis, 58. d.

Guillelmus epiſcopus Lingonenſis, 66. b.
Guillelmus Dulcini ex provinciali ordinis Prædicatorum epiſcopus Lucanus, 431. c.
Guillelmus *Sudre* epiſcopus Maſſilienſis, 432. c.
Guillelmus epiſcopus Pariſienſis, 65. b.
Guillelmus epiſcopus Pictavenſis, 120. d. 997. c. 1000. d. 1094. b.
Guillelmus II. epiſcopus Pictavenſis, dictus Adelenius, 1005. a.
Guillelmus epiſcopus Virdunenſis, 625. b. c.
Guillelmus abbas Beccenſis, 102. d. Ejus patria, mores & litteræ, 102. c. Ejus obitus, 105. c.
Guillelmus de Biterris abbas S. Vincentii Caſtrenſis, 486. d. 489. d. 491. c. 495. c.
Guillelmus abbas Boſcavii, 1023. a.
Guillelmus Pellicerii primus abbas Grandimontis, 146. b. 148. c.
Guillelmus *Blayr* abbas a Kenlos, 322. c.
Guillelmus *Calvet* abbas a Kenlos, 324. c.
Guillelmus *Galbreth* abbas a Kenlos, 324. a.
Guillelmus abbas S. Theofredi, 155. c.
Guillelmus de Gordonio prior eccleſiæ Caduceenſis, 470. d. 1077. b.
Guillelmus de *Villaseto* magiſter Hoſpitalis Jeroſolymitani, 538. c.
Guillelmus prior Cartuſiæ, 179. c. Ejus obitus, 207. c.
Guillelmus de Trainbaco VI. prior Grandimontis, 118. c. 1080. a.
Guillelmus *Dougres* prior Grandimontis, 122. a. 131. c.
Guillelmus de Prato Motelli prior Grandimontis, 123. a. 137. d.
Guillelmus de Rocuna prior Cari-loci, 1199. b.
Guillelmus Arnaldi pro fide occiſus, 338. d. 355. a.
Guillelmus Clareti S. Dominici diſcipulus, 439. a. c. 440. b.
Guillelmus de Abbatia prior provincialis ord. Prædicat. 436. b.
Guillelmus de Anhanis prior provincialis ord. Prædicat. 430. c. e.
Guillelmus de *Syſſac* provincialis prior ord. Prædicat. 419. e.
Guillelmus Bernardi prior Albienſis, vir ſanctus & doctus, 509. e.
Guillelmus Brabantinus ord. Prædicatorum, vir doctus, 366. c.
Guillelmus *Meſſept* ſcribit pro defenſione S. Thomæ, 370. c.
Guillelmus, *Figace* monachus pius Clarævallis, 1013. c.
S. Guillelmus eremita, 53. c.
Guillelmus de Anglia eremita S. Auguſtini, 1274. c. 1329. c.
Guillelmus Dandina, dictus de S. Savino, ſcriptor vitæ Hugonis de Lacerta, 1185. d.
Guillelmus Petardi, ejus ſcripta, 358. a.
Guillelmus *canonicus* Gratianopolitanus, vitæ Margaritæ Burgundæ ſcriptor, 1101.
Guillelmus de Altono *Anglus*, vir doctus, 369. a.
Guillelmus Scepræus Anglus, vir doctus, Miſcellaneorum in ſacra biblia auctor, 1400. c.
Guillelmus de Silva-lacus præco S. Catharinæ Senenſis, 1299. d.
Guillelmus de S. Amore, 340. b. 408. e. Scribit contra Mendicantes, 356. e. Ejus liber condemnatur, 357. c. e.
Guillelmus *Edeline* theologiæ profeſſor, vir nefandus, 57. c. Nefanda ejus facinora, 58. a. & ſeq. Errata ejurat, 58. e. Ad carcerem damnatur, 59. b.
Guillelmus rex Scotiæ, 320. c.
Guillelmus dux Cluniaci fundator, 30. a.
Guillelmus de Glana ex comitibus Viennæ, fundator monaſterii Altæ-ripæ, 311. b. 315. c. 318. c.
Guillelmus dux Normanniæ factus rex Anglorum, 35. d. 195. c. Lanfrancum inſtituit abbatem Cadomenſem, 98. b. Deinde archiepiſcopum Cantuarienſem, 98. d.
Guillelmus comes Northilandiæ, 322. b.
Guillelmus filius Stephani comitis Burgundiæ, 1203. a.
Guillelmus de Randone vir nobilis, fundator conventus Prædicatorum de Genolhaco, 534. c. e.
Guillelmus Columbi miles, 473. b.
Guiſus abbas S. Lupi, 980. c.
Gundebaudus rex Burgundiæ, 777.
Gundrada puella nobilis, 811. d.
Guntarius epiſcopus, 677. c.
Gutardus canonicus Autiſſiodorenſis, & præpoſitus S. Mariæ, 687. c.
Guvilencus miles, 700. d.

H.

Habitus fratrum Prædicatorum, 402. a.
Hacardus abbas S. Germani Autiſſiod. 713. d.
Haiæ monaſterium *virginum*, 1201. b.
Haimo Cattuſienſis, vir in ſæculo potens, 173. b.
Haracho presbyter, 670. b.
Harmannus comes Palatinus Burgundiæ, 315. e.
Harmannus junior comes de *Kyburg*, 315. c. e. 316. a.
Haymericus Antiochenus patriarcha, 59. e.
Hebrarii epitaphium, 810. b.
Heldradus miles S. Stephani, 705. c.
S. *Helena*, 77. a.
Helena de Hungaria monialis ſanctiſſima, 384. b.
Henricus archiepiſcopus Bituricenſis, 120. c. 1094. b. d.
Henricus *Chiene* epiſcopus Abendonenſis, 322. a.
Henricus epiſcopus Bajocenſis, 105. a.
Henricus epiſcopus Moraviæ, 323. a.
Henricus abbas B. Martini de Campellis & aliarum regalium abbatiarum, frater regis, 227. c. e. 229. a. Ejus diploma pro S. Victore, 222. c.
Henricus *de Condeſcure* abbas S. Bertini, 615. d.
Henricus electus abbas Viconienſis dignitatem fugit, 287. b. 290. b.
Henricus Poleti ex Pariſienſi canonico factus prior Cartuſiæ, 186. d.
Henricus Kalkar, 158. d. Prior Cartuſiæ Colonienſis, 196. d.
Henricus de Arimino, vir doctus, 381. d.
Henricus de Erfordia vir doctus, 385. c.
Henricus de Gandavo doctor ſolemnis, 370. c.
S. Henricus imperator, 33. d.
Henricus II. *imperator*, 87. d.
Henricus III. imperator, 88. c. Obiit Leodii, 115. a.
Henricus IV. imperator excommunicatus, 1015. b.
Henrici VII. imperatoris obitus, 376. c.
Henricus I. rex Anglorum, 1198. a.
Henricus II. rex Angliæ, 118. c. 119. c. 230. d. 1094. a. 1193. b. Magnificam Grandimontenſibus eccleſiam conſtruit, 118. a.
Henricus III. Anglorum rex Grandimontenſibus concedit juſtitiam altam & baſſam. 129. a.
Henricus VII. Angliæ rex, 1389. a.
Henricus VIII. rex Anglorum, 325. c.
Henricus rex Francorum, 714. d.
Henricus Borbonius rex Navarræ, 1425. b.
Henricus dux, 734. d.
Henricus dux Lemburgenſis, 291. b.
Henricus dux Normanniæ, 105. d.
Henricus marchio Burgundiæ, 725. d.
Henricus comes, 677. c.
Henricus comes Trecenſis Palatinus, 1215. c.
Henricus dominus *de Bar*, 603. a.
Heracleus præpoſitus Brivatenſis, 1200. c.
Herbertus Abrincatenſis epiſcopus, 105. c.
Herbertus epiſcopus Lexovienſis, 95. d.
Herbertus prior Boni-paſſus, 182. c.
Hercules Gonzaga cardinalis apoſtolicæ ſedis ad concilium Tridentinum legatus, 1393. c. Præſes ejuſdem concilii, 1394. d.
Hercules Fortitius Vicentinus juriſconſultus, 1436. d.
Herdingus abbas, 571. e.
Herefordenſis epiſcopi G. epiſtola ad Erviſum abbatem S. Victoris, 240. b.
Heribertus epiſcopus & poſtea monachus, 687. d.
Heriboldi epiſcopi Autiſſiodorenſis ordinatio, 697. e.
Herefridus epiſcopus Autiſſiodorenſis, 718. d. 726. e.
Herigerus abbas Lobienſis, 33. b.
Heriveus epiſcopus Nivernenſis, 715. b.
S. Herluinus primus abbas Becci, 95. c. Ejus juſſu Cantuarienſem archiepiſcopatum ſuſcipit S. Lanfrancus, 98. c. Senex Anſelmum ſibi ſucceſſorem eligit, 99. c. Ejus obitus, 100. b. 110. c.
Herimannus præpoſitus S. Gereonis, 1019. b.
Hermannus de Petra Cattuſianus, vir doctus, 38. e.
Hermannus de Minda vir doctus, 368. d.
Hermengardis comitiſſa, 704. a.
Herveus magiſter ordinis Prædicatorum, 341. c. 382. a. b. 413. b. 415. d.
Hetharicus, 684. c.
Hieroſol. patriarcha Petrus de Caſa, 60. e.
Hieroſolymitanus *epiſcopus Quiriacus*, 76. e.
S. Hieronymi epiſtolæ a Guigone priore Cartuſiæ emendatæ, 163. d.
Hieronymus generalis Minorum, deinde cardinalis, ac tandem papa Nicolaus IV. 72. c.
Hieronymus Moronus cardinalis, concilii Tridentini præſes, 1394. d. 1395. c. 1397. d.
Hieronymus Ragarronus epiſcopus Famaguſtanus, 1394. b.
Hieronymus Triviſanus epiſcopus Veronæ, 1394. b.
Hieronymus Savonarola, vir piiſſimus & doctus, 394. b.
Hieronymus de Seniis eremita S. Auguſtini, 1279. c.
Hieronymus de Praga hæreticus, 84. a.
S. Hilarion, 17. c.
S. Hilarius malleus hæreticorum, 990. c.
S. Hilarii abbas Alboïnus, 440. b. c. 442. b.
Hildebrandus prior Cluniacenſis, 30. d.
Hilderadus presbyter, 669. c.
Hildigrinus epiſcopus, 685. c.
Hildricus abbas S. Germani Autiſſiodorenſis, 687. c.
Hilletricus epiſcopus, 677. a.
Hilliwardus epiſcopus, 677. c.
Hippolytus Aldobrandinus factus papa Clemens VIII. 1391. a.
Hiva abbatiſſa, 672. d.
Honorius III. papa, 76. e. 333. b. 346. d. Confirmat ordinem Vallis-Scholarium, 67. a. Et ordinem Prædicatorum, 68. d. Et Minorum, 71. a. 458. c. Fr. Prædicatoribus eccleſiam Fani-Jovis, 450. c.
Honorius papa IV. 122. d. 134. a. 370. d.
Hoſpitalarii milites, 3. c.
Hucbertus abbas S. Savini, 806. a.
Hugo Boncompagnus epiſcopus Veſtanus, 1394. a. Et cardinalis, 1395. a.
Hugo de Bullione cardinalis, 370. c.
Hugonis Petri-Leonis cardinalis epiſtola ad Garinum abbatem S. Victoris, 260. c.
Hugonis cardinalis epiſtola ad Guidonem epiſcopum Catalaunenſem, 233. a.
Hugo cardinalis ord. Prædicatorum, 69. d.
Hugo de Caro cardinalis, 336. a. 354. 445. d. Ejus ſcripta, 355. c.
Hugo de S. Theoderico cardinalis, 355. c. Ejus obitus & epitaphium, 366. b.
Hugo archiepiſcopus Rotomagenſis, 258. c. Vir ſummæ religionis & induſtriæ, 105. c.
Hugo Viennenſis archiepiſcopus, 169. d. 1203. c.
Hugo de Mala-morte prior Lemovicenſium Prædicator. electus archiepiſcopus Burdigalenſis, 466. c. 473. e.
Hugo epiſcopus Autiſſiodorenſis, 225. d. e. Vir ſanctus, 715. d. 725. a. Decus pon-

ficum, 728. c. Ejus ordinatio, 693. d.
Hugo episcopus Diguensis, 538. b.
Hugo episcopus Engolismensis, 1185. c.
S. Hugo episcopus Gratianopolitanus, 36. c. 169. d. 1203. c. S. Brunonis in scholis socius, 154. b. Eum excipit & socios, ibid. d. Ejus humilitas, 155. c. Vita, 163. c.
Hugo II. episcopus Gratianopolitanus, postea Viennensis archiepiscopus, 168. b.
S. Hugo episcopus Lincolniensis, 37. c. & seq. 175. d. 199. c. 201. d. 204. a.
Hugo episcopus Nivernensis, 703. c.
Hugo episcopus Placentiæ, 267 c.
Hugo de Mascharo episcopus Tolosanus, 462. c.
Hugo abbas, 704. a.
Hugo abbas Æduensis S. Martini, 805.
Hugo abbas Altæ-ripæ, 316. c.
S. Hugo abbas Cluniacensis, 30. c. & seq. 1189. a. c. 1190. b.
Hugo II. abbas Cluniaci, 1190. b.
Hugo abbas S. Salvatoris Constantiensis, 105. c.
Hugo abbas S. Germani a Pratis, patrinus Philippi Augusti, 236. a.
Hugo capellanus domini papæ, 234. c.
Hugo decanus Autissiodor. 701. d.
Hugo præpositus S. Stephani, 714. e.
Hugo magister ord. Prædicatorum, 341. e. 383. e. 384. c.
Hugo de *Vaissemant* magister ord. Prædic. 414. a. 416. a.
Hugo de *Martiano* prior provincialis ord. Prædicat. 431. c.
Hugo de Verduno prior provincialis ord. Prædic. 455. d.
Hugo prior claustralis Cluniaci, 1196. c.
Hugo Cartusiæ prior, 167. c. 176. d.
Hugo de S. Victore, 55. a.
Hugo de S. Germano canonicus regularis S. Victoris, 256. a. 257. a.
Hugo S. Stephani Muretensis discipulus, 1085. c. & seq.
Hugonis de Lacerta vita, 1143. a. & seq. Ejus parentes, 1144. b. Infantia, ibid. c. Factus miles quam esset misericors, ibid. Ejus abstinentia, 1145. b. Cujusdam pauperis desiderat vestes, 1145. c. Alterius ædiculam, ibid. d. Immo animalium, ibid. e. In militia ut se gereret, 1146. b. Jerosolymam tendit, 1146. c. Divitis cujusdam sibi conciliat amicitiam, 1146. c. Cum quo revertitur in patriam, 1147. b. & seq. Pijs operibus vacat, 1147. c. Anno ætatis suæ 40. accedit ad S. Stephanum & ab eo repellitur, 1148. b. & seq. Iterum repellitur, sancti Stephani ad eum verba, 1148. c. Tandem ab eo admittitur, 1149. d. & seq. Susceptus in ordine ut se gerit, 1151. b. S. Stephano sit carus, 1151. c. e. Et adjutor, 1152. a. Ipsum adhibet in colloquio cum cardinalibus, 1152. d. Prophetico spiritu declarat familiarem S. Stephani amicum traditum fuisse ab hospite latronibus, 1153. b. Mortuus mundo litem dirimere recusat, 1154. d. Ejus consilium ceteris præfert S. Stephanus, 1155. a. S. Stephani sententias colligit, 1155. b. 1179. c. Ei quæstiones solvendas proponit, 1155. d. & seq.
Hugo de Lacerta. Tribus diebus totidemque noctibus *in ejus sinu requieſcit S. Stephanus* ante obitum, 1158. a. Post S. Stephani obitum mittitur ad Planiam, ubi præclaræ ejus virtutes elucent, 1160. c. Fratrum conscientias divinitus detegit, 1161. d. Miraculis coruscat, ibid. e. Contractum curat, 1162. c. 1163. e. Strumosum puerum sanat, 1164. c. Item puerum fistula laborantem, 1165. d. Varias curat infirmitates, 1167. d. & seq. Seipsum ab infirmitate sanat, 1175. c. Cælesti recreatur visione, 1177. a. & seq. Ejus obitus, 1178. c. 1179. c. 1181. c. d. Ante obitum a fratribus convenitur, ibid. c. Ad quos exhortatorium habet sermonem, 1180. a. Obitum prædicit, 1180. e. Ejus sepultura, 1182. c. Coruscat miraculis, 1183. c. Transfertur ad Grandimontem, 1184. b. Gundo de Campania discipulus Hugonis de Lacerta, 1180. c.
Hugo de Lacerta quo anno mortuus & qua ætate, 1185. a.
Hugo de Monte familiaris Hugonis de Lacerta, 1162. b.
Hugo de Prato vir doctus, 381. c.
Hugo cancellarius Ludovici VII. 240. b.
Hugo & Gaufridus primi fundatores ordinis Templariorum, 52. c.
Hugo comes, 708. d. 717. c.
Hugo de Mala-morte vir nobilis, 502. a.
Hugo miles nobilissimus, 700. b.
Hugolinus cardinalis, 339. b. 350. b. S. Dominici exequias celebrat, 403. c.
Hugua de Castris femina devota, 504. c.
Humbaldi episcopi Autissiodorensis ordinatio, 702. c. 703. b. 721. a. 726. b.
Humbertus magister ordinis Prædicatorum, 70. a. 340. b. 350. d. 470. c. Cedit magistratui, 363. b. Ejus opera, ibid. c. Scribit vitam S. Dominici, 405. b.
Humbertus Delphinus Viennensis, 186. c. Fit religiosus ordinis fratrum Prædicatorum, 189. c.
Humbertus comes Sabaudiæ, 171. c. d. 174. b.
Humilitas virtutum fundamentum, 75. d.
Hunnecus decanus S. Mammetis, 729. b.
Husenuardus presbyter, 670. a.
Hussitæ Prædicatorum conventus evertunt in Bohemia, 381. a.

I.

Jacintus cardinalis, 1021. a.
Jacobus de Voragine archiepiscopus Januensis, 405. d. Auctor legendæ aureæ, 70. b.
Jacobus Ydruntinus archiepiscopus, 538. b.
Jacobus de Vitriaco episcopus Aconensis & cardinalis. 327. d. 329. c.
Jacobus episcopus Forojulienſis, 536. a.
Jacobus episcopus Morinensis, 613. c.
Jacobus de Furno abbas Borbonensis, deinde papa Benedictus XII. 51. c.
Jacobus abbas Balmerevothensis, 324. d.
Jacobus abbas S. Bertini, 620. a.
Jacobus *Duval* abbas S. Bertini, 631. b.
Jacobus *Scotellare* pseudo-abbas S. Bertini, 620. b.
Jacobus *Gultury* abbas a Kenlos, 323. a. 324. a.
Jacobus *Lainez* generalis S. J. 1436. d.
Jacobus de Viviaco prior Cartusiæ, 183. c. 185. d. 186. a. & seq.
Jacobus prior S. Bertini, 629. b.
Jacobus doctor in theologia, canonicus in Monte S. Martini, 302. a.
Jacobus *Spenger* vir pius, 392. d.
Jacobus de Susato vir doctus, 388. c. Ejus chronicon, 378. c. 380. c.
Jacobus de Venetiis, vir sanctus, 381. c.
Jacobus de Viterbio eremita Augustinianus impugnat doctrinam S. Thomæ, 370. d.
Jacobus rex Scotiæ, 323. a.
Jacobus V. rex Scotorum, 325. d. e. 326. d. 327. a.
Jacobus rex Majoricarum, 531. e. 532. c.
Jacobus de Militibus de Monte-Politiano, vir nobilis & pius, 1251. b. 1288. c. Rithmum componit in laudem S. Catharinæ Senensis, *ibid.*
Jancelinus prior Cartusiæ, 177. a.
Jannotius de Vibertis, 1287. c.
Januensis archiepiscopus Jacobus de Voragine, 70. b. 368. c. 405. d.
Idruntinus archiepiscopus Jacobus, 538. b.
Jejunium sabbati, 541. a. b.
Jejunium in vigilia Corporis Christi apud Cartusienses, 190. a.
Jerosolymitanam terram præ ceteris elegit Christus, 1157. c.
Jerosolymitani patriarchæ S. Albertus, 59. c. 355. d. Guillelmus, 501. c.
Jerusalem reges Balduinus, 35. d. Godefridus, 35. c.
Jerosolyma a Saracenis capta, 61. c.
Ilerdensis episcopus Antonius Augustinus, 1394. a.
Ilgerius Autissiod. præpositus & monachus vir sanctus, 703. a.
Imperatores Christianos persequentes misere pereunt, 749. a. & seq.
Indulgentiæ concessæ visitantibus ecclesiam S. Victoris, & ad reparanda ædificia conferentibus, 279. c.
Infirmi ante exitum osculum præbent fratribus, 164. b.
Ingelbaldus decanus Autissiodorensis, 720. a.
Ingelbertus *d'Espagne* abbas S. Bertini, 632. b.
Ingelboldus miles, 736. d.
Ingeluinus miles, 697. c.
Inquisitionis officium seditione & persecutione turbatum, 477. c. 478. c. 479. a.
Inquisitores fidei ex ordine Prædicatorum, 70. d.
Inundatio ingens in Frigia, 77. a.
Innocentius II. papa, 88. c. 118. a. 163. c. 314. b. Papa ab omnibus agnoscitur, 1193. b. Cluniacum venit, 1192. c. Ecclesiam consecrat, 1193. a.
Innocentius III. papa, 63. b. 68. c. 71. a. 76. c. 196. c. 314. c. 333. a. 380. a. Scribit S. Dominico, 334. d.
Innocentius papa IV. 35. b. c. 77. a. 314. d. 336. a. 355. b. Confirmat regulam & privilegia Grandimontensium, 122. a. Ejus bulla contra Mendicantes, 357. a.
Innocentius V. papa, 68. c. 335. c. 369. c.
Innocentius papa VI. 187. d. 188. d. 200. d. 337. d. 385. c. Fundat Cartusiam Vallis-Benedictionis prope Avenionem, 39. c. In qua & sepultus jacet, 204. b.
Innocentius papa VII. 83. a. 349. b. 387. c. 1283. a.
Innocentius VIII. papa, 392. d.
Innocentius IX. papa, 1423. c.
Inthronisatio abbatis gratis est facienda, 248. c. d.
Joachim abbas Florinensis in Calabria, 512. c. 335. b. 347. c.
Joachinus Servita vir sanctus, 579. c.
Johanna regina papæ rebellis, 1299. b.
Johannæ comitissæ Alenconii & Blesensis felix obitus, 1219. a. & seq. Confitetur peccata cum magna contritione. 1219. b. & seq. Viaticum recipit, 1220. a. & seq. Codicillum condit, 1220. c. De proxima morte monetur a medico, 1221. a. Eligit sepulturam apud Minores, 1221. d. Confessionem generalem ad plures facit, parata etiam coram universis peccata declarare, 1222. a b. Prioti Carmelitarum iterum confitetur, 1222. d. Eleemosynam facit ad generale & provinciale capitulum Carmelitarum, 1223. c. Domesticos bonis afficit, 1224. b. Abeis veniam petit, 1224. c. Requiem respuit, 1225. c. Pia ejus ad Crucem oratio, 1225. d. & seq. Crucem ligneam pro aurea petit, 1228. b. Ejus humilitas, 1229. c & seq. Et ad suos exhortatio, 1230. c. Extremam petit unctionem, 1230. d. e. Quam pie recipit, 1231. a. & seq. Petit sibi legi Passionem Domini, 1233. b. Reginæ pia dat monita, 1233. b. c. Crucem petit, 1234. a. Et ut fiat animæ suæ commendatio, 1234. c. Obit, 1236. c.
Johanna *de Bethune* comitissa *de Liney*, 603. b.
Johanna filia domini Mirapicis, uxor Philippi Montis-fortis, 498. c.
Johanna virgo piissima tertii ordinis Servitarum, 587. c.
S. Johannis Baptistæ conceptio, 646. c. 651. c. 656. c. 676. b.
S. Johannis-Baptistæ capitis inventio, 639. c. 653. d.
S. Johannis Damasceni versus iambici de apostolis, 908. a.
S. Johannis Boni reliquiæ, 1414. b.
Johannes papa XXI. 369. d.
Johannes papa XXII. 86. b. 89. a. 124. a. 214. c. 413. a. Se & doctrinam suam subjicit correctioni ecclesiæ, 384. a. Confirmat statuta Cartusiensium, 202. c. Cartusiam Boni-pastus fundat, 39. c. 204. a. Monasterium Grandimontense erigit in abbatiam,

abbatiam, 146. b. Ordinem novorum militum inſtituit, 80. c. Ejus encomium, 745. c.
Johannes XXIII. papa, 83. b. 208. c. 388. c.
Johannis XVII. antipapæ infelix exitus, 86. c.
Johannes-Baptiſta Caſtaneus cardinalis, poſtea Urbanus VII. papa, 1436. c.
Johannes cardinalis bibliothecarius S. R. E. 220. a.
Johannes de Caſa-nova cardinalis, 337. c.
Johannes Dominici cardinalis, 337. c.
Johannes Dominicus de Florentia cardinalis, 388. a.
Johannes de Molendino cardinalis, 337. c.
Anxea magiſter ordinis Prædicatorum, 385. a.
Johannes de Novo-caſtello cardinalis, 337. c.
Johannes *Rolin* cardinalis & epiſcopus Auguſtodunenſis, 279. c.
Johannes de Turre-cremata cardinalis, 70. b. 337. c. 389. c.
Johannes cardinalis S. Marci, 119. b. 120. a. 1091. c. 1092. d.
Johannes cardinalis Neapolitanus, 255. c. 257. a. 261. c. Olim canonicus S. Victoris, 261. c. 262. c. Monaſterium conſtruit canonicorum regularium, 262. b.
Johannes de Vicecomitibus archiepiſcopus Mediolanenſis, 384. c.
Johannes epiſcopus Autiſſiodorenſis, 688. c.
Johannes *Fabri* epiſcopus Dimitrienſis, 64. b.
Johannes epiſcopus Gratianopolitanus, 1211. c.
Johannes-Baptiſta Campegius epiſcopus Majoricarum, 1391. c.
Johannes Antonius Facchinettus epiſcopus Neocaſtri, 1394. a.
Johannes de Carcaſſona nepos Clarini epiſc. Carcaſſonenſis, 475. c.
Johannes *Glachon* abbas Alciacenſis, 622. b.
Johannes *le Blegre* abbas S. Bertini, 621. d.
Johannes Iperius abbas S. Bertini, 617. b. c.
Tres lites obtinet *adverſus* epiſcopum Morinenſem, 619. a. & ſeq. Ejus obitus, 619. c. Continuatum chronicon, 613. c.
Johannes *de Gribeual* abbas S. Bertini, 623. d.
Johannes *de Lannoy* abbas S. Bertini, 628. c.
Johannes *de Meden* abbas S. Bertini, 625. b.
Johannes de Calentio primus abbas Boſcavii, 1005. c.
Johannes de Bouleya abbas Ceraſienſis, 106. c.
Johannes abbas a Cupro, 325. b.
Johannes Levita abbas S. Euſebii, 698. b.
Johannes *Ellem* abbas a Kenlos, 323. d.
Johannes *Fletere* abbas a Kenlos, 323. b.
Johannes *Fogouir* abbas a Melros, 323. a.
S. Johannes abbas Reomenſis, vir apoſtolicus & doctor egregius, 689. c.
Johannes abbas Viconienſis, 293. b.
Johannes de Malbodio abbas Viconienſis, 309. b.
Johannes de Pontibus abbas Viconienſis, 311. a.
Johannes Teutonicus abbas S. Victoris, 271. c.
Johannes Levita humilis abbas, 699. d.
Johannes *Soreth* generalis & reformator Carmelitarum, 61. b.
S. Johannes de Capiſtrano S. Bernardini *diſcipulus*, 92. c.
Johannes prior Villæ-novæ, papæ legatus, 200. d.
Johannes de Molendinis magiſter ordinis Prædicatorum, poſtea cardinalis, 342. b.
Johannes de Vercellis magiſter ord. Prædicatorum, 340. c. 367. d. 408. e. Patriarchatum Jeroſolymitanum ſibi oblatum recuſat, 409. a. Electus in papam, 364. d.
Johannes Dignati prior *provincialis ordinis* Prædicatorum, 435. b.
Johannes de Merula prior provincialis ord. Prædicat. 435. a.
Johannes *Vaiſent* prior provincialis ordinis Prædicat. 435. d.
Johannes de Navarra S. Dominici diſcipulus, 457. c. Ab eo miſſus Bononiam, 401. c.
Johannes decanus S. Quintini, 401. c. Fundat conventum Pariſienſem Prædicatorum S. Jacobi, 549. c.
Johannes a Janua ordinis Prædicatorum, 70. a.
Johannes prior Allionis, vir ſanctus & doctus, 196. c.
Johannes prior Cartuſiæ, 163. a.
Johannes Birelli prior Cartuſiæ, 184. c. 187. a.
Johannes de *Friſemont* prior Cartuſiæ, 209. a.
Johannes prior Vallis-Jocoſæ Cartuſianus, 1274. b.
Johannes de Aquila prior Grandimontis, 121. c.
Johannis Vallis-Dei Cartuſiani monachi vita, 40. c. Pietas erga Euchariſtiam, 42. a. Auſteritas, 42. b. Vilitas in veſtitu, 42. c. Devotio erga ſanctos, 43. a. b. Libros ſcribit & corrigit, 43. c. d. Ejus tentationes, 44. b. Qualis fuerit in ſæculo, 44. c. & ſeq. Felix ejus tranſitus, 46. b. & ſeq.
Johannes monachus de Cellis Vallis-umbroſæ, 1274. b. Scripſit de S. Catharina Senenſi, 1289. d. Ægrotans a S. Catharina Senenſi ſanatur, 1375. b.
Johannes Cornerius ſeu Tornerius ſanctiſſimus monachus, 184. c.
Johannes Fantinus celebris monachus, 891. c. 897. d.
Johannes Servita vir ſanctus, 576. d.
Johannes canonicus & cantor eximius, 732. c.
Johannes Andreas doctor, amicus Cartuſienſium, de ſuo eis procurat domum juxta Bononiam, 202. b.
Johannes ſacræ theologiæ magiſter, ordinis Eremitarum S. Auguſtini, 1257. c.
Johannes Eremita S. Auguſtini, vir doctus, 1351. d. e.
Johannes Bentius Florentinus, 593. a.
Johannes de Bachone Carmelita, vir doctus, 60. d.
Johannes Bartholomæus doctor, 73. a.
Johannes Capreoli, vir doctus, 388. d.
Johannes Colonus vir ſanctus, 921. b.
Johannes Electi profeſſor V. J. officialis Pariſienſis, 275. d.
Johannis Ferretii vita abbreviata, 326. a. & ſeq.
Johannes de S. Geminiano, 381. c.
Johannes Chriſtophorus de Minda, vir doctus, 368. d.
Johannes de Monte-nigro diſputat contra Græcos in concilio, 390. a.
Johannes Morandus doctor Pariſienſis, 326. b.
Johannes de Motha, 107. a. Ejus elogium, *ibid.* Orator ad regem Franciæ, 109. a.
Johannes de Niveſſa doctor egregius, 329. a.
Johannes Pariſienſis magiſter in theologia, ejus opera, 368. c.
Johannes Piſanus vir ſanctus, 1363. a.
Johannes-Baptiſta Rubeus ex Rotæ Romanæ *duodecim viris*, 1436. c.
Johannes Scotus immaculatam B. M. conceptionem tuetur, 73. b.
Johannes-Baptiſta Stella Romanus, a ſupplicibus libellis ſummis pontificibus referendis, 1419. a.
Johannes Scholaſticus Siciliæ, 963. a. & ſeq.
Johannes de Uriburgo vir doctus, 368. c.
Johannes confeſſor S. Catharinæ Senenſis, 1378. c.
Johannes Gutolebrachia *medicus*, vir doctus, 1352. b.
Johannes pictor egregius, 591. e. & ſeq.
Johannes de Rupe-ſciſſa ordinis Minorum, falſus propheta, 81. d. 82. a.
Johannes *Wicleff* hæreſiarcha, 84. a.
Johannes *Hus* hæreſiarcha, 84. a.
Johannes Trimiſces Nicephorum imperatorem occidit, 840. b.
S. Johannis Jeroſolymitani ordo, 54. a.
Johannes rex Bohemiæ, 377. c.
Johannes rex Francorum cum Philippo nato in pugna Pictavienſi captus, 617. a. In Anglia moritur, 617. d.
Johannes dux Borbonii & Arverniæ in Angliæ carcere detentus, 1132. d.
Johannes dux Burgundiæ, 622. c. e.
Johannis comitis Augi epiſtola ad Gatinum abbatem S. Victoris, 258. c.
Johannes *comes* Burgundiæ, dominus de *Salins*, 314. a.
Johannes comes Flandriæ, 621. c.
Johannes de Monte-forti comes Squillaci & Montis-caveoſi, 499. a.
Johannes Gordonius *comitis* Alexandri filius, 324. c.
Johannes de Fontanis miles, 600. c.
Johannes de Pinquonio vicedominus Ambianenſis, 479. a. Delegatus a rege ad inquirendum contra inquiſitores, 511. c. Miſere obit, 514. d.
Johannes Malacenus vir nobilis, 868. c. Majores apud imperatorem honores obtinet, 869. d.
Johannes *de Roye* miles, 600. c.
Johannes *Contarau* fundator conventus fratrum Prædicatorum in villa S. Juniani, 521. a. & ſeq.
Jonæ canonici epiſtola ad Erviſium abbatem S. Victoris, 245. c.
Jordanus abbas Caſæ-Dei, 1200. d.
Jordanus dé Rapiſtagno prior Grandimontis, 123. a. 139. c.
Jordanus magiſter ordinis Prædicatorum, 339. c. 349. c. 351. d. 352. a. c. 354. d. e. 405. e. 407. c. 437. c. 551. b. 552. b. Vitam S. Dominici ſcribit, 404. d.
Jordanus doctor irrefragabilis ordinis *Prædicatorum*, 69. e.
Jordanus monachus S. Fidis, 1200. c.
Josbertus miles, 700. c.
Joſcelinus de Soloco miles, 1104. a.
S. Joſeph feſtum quam antiquum, 635. 636.
Joſtenus epiſcopus *Sueſſionenſis*, 225. c.
Iſaac Caroli Boni comitis Flandriæ interfector ut punitus, 1137. d.
Iſabellis a Lotharingia domina Codiciaci & comitiſſa Sueſſionenſis, 594. d. 598. c. 599. c. Piis viri ſui votis obſtat, 603. b. 605. a. & ſeq.
Iſabellis nata Engueranni de Codiciaco, 602. e.
Iſabellis nata Eduardi regis Angliæ, uxor prima Engueranni de Codiciaco, 603. a. Obit, 602. e.
Iſicius epiſcopus Viennenſis, 777.
Iſraëlitæ juſte ſpoliaverunt *Ægyptios*, 1157. b.
Iterius Meruli prior Grandimontis, 122. a. 131. b.
Iterius monachus doctor eximius, 708. c.
Iterius de Monte-Valerii vir nobilis, 1117. a. & ſeq.
Jubilæi indulgentia, 336. a.
Judæi Sparta pulſi, 860. b. 862. a.
Judicium aquæ frigidæ, 1030. c.
Juliana virgo pia tertii ordinis Servitarum, 587. b.
Julianus apoſtata, 77. a.
Julianus ordinis Prædicatorum prior Burdigalenſis, vir ſanctus, 473. c.
Julius papa ſynodum Romæ celebrat, 1417. c.
Julius Cæſar Stella vir doctus, 1437. d.
Juſtinianus imperator, 23. d.
S. Juſti pueri martyris tranſlatio, 833. a.
Ivo epiſcopus Carnotenſis, 35. b. 219. c. olim abbas ſancti *Quintini Belvacenſis*, 228. c.

K.

KAtiſſa virgo & martyr, 291. c.
Kenlos monaſterii hiſtoria, 319.
Kenlos abbates Adam, 322. b. Adam *de Teras*, 322. c. Andreas, 320. a. Anſelmus, 319. c. Guillelmus, 324. c. Guillelmus *Blayr*, 332. c. Guillelmus *Calros*, 324. c. Guillelmus *Galbreth*, 324. a.

Henricus, 321. b. Jacobus *Gultury*, 323. d. Johannes *Ellem*, 323. d. Johannes *Flutere*, 323. b. Radulfus, 320. d. Raynerius, 320. c. Richardus, 321. b. Richardus II. 321. c. Richardus III. 322. b. Robertus *Reyd*, 324. c. 325. b. Simon, 321. c. Thomas, 321. c. Thomas *Cryſtalli*, 324. d.

L.

Lacedæmonis regio terræ motu conſuſſa, 881. c.
Lacedæmoniorum legatione evocatur ſanctus Nicon, 859. c.
Ladiſlaus rex Apuliæ petit S. Catharinæ Senenſis canonizationem, 1283. b.
Lambertus Levita doctor eximius, 719. d.
Lancina germana dominorum de Fulgineo, 1271. c. 1289. a.
Landricus epiſcopus Lauſanenſis, 313. b. c.
Landuinus II. prior Cartuſiæ, 154. d. 157. a. 162. b.
S. Lanfranci elogium, 96. c. Fit monachus Becci, 96. d. Et mox prior, 97. b. Ibidem ſcholas inſtituit, 97. d. Fit abbas Cadomenſis, 98. b. Deinde archiepiſcopus Cantuariæ, 98. b. Beccenſem eccleſiam conſecrat, 100. b.
Latinus cardinalis, 336. c. 369. c. 543. d. 566. d.
Lavenna monaſterium virginum, 1193. c.
Laurentii abbatis Waſtinenſis epiſtola ad Erviſum abbatem S. Victoris, 242. a.
Laurentius S. Dominici diſcipulus, 457. c.
Laurentius ſchiſmaticus, 85. b.
Lauſanenſes epiſcopi Guido, 311. c. 312. d. Landricus, 313. b. c.
Lazarini ordinis Minorum viri docti converſio per S. Catharinam Senenſem, 1348. a. & ſeq. 1367. a.
Leſtanus vicecomes, 824. c.
Lemovicenſes epiſcopi Aymericus, 505. c. Bernardus de Savena, 463. d. c. Durandus, 464. d. Geraldus, 1079. c. Guido de Clauſello, 463. c. Scibrandus, 119. a. 120. d. 1091. c. 1092. d. 1094. b.
Lemovicis conventum inſtituit S. Dominicus, 402. c.
Lemovicanus vicecomes Ademarus, 1096. d.
Leo papa XI. 1424. a.
Leo pſeudopapa, 85. b.
Leo VIII. antipapa, 86. b.
Leo Marſicanus monachus Caſinenſis & S. R. E. cardinalis, 979.
Leodienſis epiſcopus Fridericus, 1015. b.
Leon Domeſticus, 922. c. 926. a.
Leonardus de Florentia magiſter ordinis Prædicatorum, 388. c.
Leonardus de Manſuetis magiſter ordinis Prædicatorum, 343. b.
Leonardus Staci magiſter ordinis Prædicatorum, 343. a.
Leonardus de Monte-Politiano ordinis Minorum, 1274. b.
Leonardus Piſani famoſus prædicator, 1279. c.
Leonardus de Utino vir doctus, 390. a.
Leontius monachus, 967. b. c.
Leotardus decanus Senonum, 687. a.
Leotericus archiepiſcopus Senonenſis, 709. d.
Leotericus vicecomes, vexillarius eccleſiæ Autiſſiodorenſis, 697. c.
Letardus abbas Becci, vir ſummæ religionis, 105. a.
Leubaredus archidiaconus, 784. a.
Lexovienſis epiſcopus Herbertus, 95. d.
Liberius papa, 84. c. 85. a.
Liberius præfectus Galliarum, 782. d.
Libri olim in bibliotheca catenis illigati, 1255. c.
Ligni pulſu convocati fideles ad eccleſiam, 875. c.
Lincolnienſis epiſcopus S. Hugo, 37. c. & ſeq. 175. d.
Lingonenſes epiſcopi Gauzelmus, 704. c. Guillelmus, 66. b.
Liruthardus præpoſitus Malmundarienſis, 833. a.
Littha de Luca virgo ſanctiſſima, 1256. c.
Lobienſis abbas Herigerus, 33. b.
Lodevenſes epiſcopi Bernardus Guidonis, 70. a. 113. Raymundus de Rocozello, 486. b.
Londonienſes epiſcopi Alfhun, 832. b. Giſlebertus vir doctus, 716. a. Robertus, 635.
Longus-pons abbatia ordinis Ciſtercienſis, 229. c.
Longus-pons cella ordinis Cluniacenſis, 229. d. e.
Lotharius II. imperator, 1193. b.
Lotharius III. imperator Caſinenſi monaſterio præficit Wibaldum abbatem Stabulenſem, 790. a.
Lotharius rex, 26. c.
Lucanus epiſcopus Guillelmus Dulcini, 431. c.
Lucas S. Fantini frater fit rector monaſterii ejus, 909. c.
Lucas novitius monaſterii S. Niconis ab eo ſanatus, 880. a. & ſeq.
Lucas ordinis Humiliatorum, 1274. b.
Lucia de Lauritano, 1294. a.
Lucius papa III. 118. c. 127. b. c. 1090. c.
Lucius monachus Caſinenſis ſanctiſſimus, 792. c.
Lucius Magius vir pius & doctus, 1431. c.
Ludolphus prior Cartuſiæ Argentinenſis, 38. c.
Ludovicus Alemanda epiſcopus Arelatenſis, vir ſanctæ vitæ, 91. a. b.
Ludovicus Beccatellus archiepiſcopus Raguſinus, 1394. b.
S. Ludovicus regis Siciliæ filius, archiepiſcopus Toloſanus, 72. a.
Ludovicus Granatenſis, vir eximius, 1437. b.
Ludovicus monachus Cartuſienſis pius, 210. c.
Ludovicus imperator, 709. a.
Ludovicus IV. imperator, 89. a.
Ludovicus rex filius Caroli, 720. b.
Ludovicus rex Franciæ, 714. a.
Ludovicus rex, 698. d.
Ludovicus VI. rex Francorum, fundator monaſterii S. Victoris Pariſienſis, 228. d. Illud dotat, 217. a. Jubet aliquos ex ſuis filiis ſepeliri ad S. Victorem, 222. d.
Ludovicus VII. rex, 229. a. 705. c. 1004. d. 1185. b. Transfretat ad ſepulcrum ſancti Thomæ Cantuarienſis archiepiſcopi, 106. b. Ejus epiſtola ad Henricum fratrem ſuum, &c. 227. c. Ad canonicos S. Genovefæ, 239. a. Ad canonicos S. Victoris, 232. a. Ad Erviſum abbatem S. Victoris, 236. b. Ejus diploma pro S. Victore, 239. d. Monetur ab Alexandro papa de reformando ſancti Victoris monaſterio, 249. a.
S. Ludovicus rex Francorum, 363. a. 408. c. 423. c. Libenter audiebat S. Thomam Aquinatem, 553. c. Fundat conventum Carcaſſonenſem Prædicatorum, 475. a. d. 476. d. 477. b. Ejus pius obitus, 1217. c. & ſeq. Et miracula, 1218. d. Vitæ compendium. Ipſi ſacrata eccleſia Piſiacenſis, 541. c. & ſeq. Officium ejus ab Arnaldo de Prato ord. Prædic. compoſitum, 463. b.
Ludovicus X. rex Francorum, 139. c.
Ludovicus rex Siciliæ, 365. a.
Ludovicus dux Aurelianenſis emit Codiciacum & comitatum Sueſſionenſem, 604. a. & ſeq. Secundus eſt fundator Cæleſtinorum Sueſſionenſium, 607. b. Perficit monaſterii ædificia, 607. d. & ſeq. Conventum introducit, 608. c. Addit ad fundationem reditus pro ſex religioſis, 609. a. & ſeq. Novum ejus donum, 610. d. Et privilegium, 610. e. Ejus cædes, 611. b.
Ludovicus *de Nevers* comes Flandrenſis, 616. d. In pugna Creſſiaci occiſus, 617. a.
Ludovicus *de Male* comes Flandriæ, 617. c. 618. a. 619. c.
Ludovicus de Luxemburgo, comes S. Pauli, 603. b.
Ludovicus de Sabaudia, dominus Vaudi, 316. c.
Ludovicus de Valle-Oloſ. ordinis Prædicat. 366. c.
Ludovicus Nuceius, 1401. d.
Ludos diebus feſtis prohibet Gabriel Palæotus. 1399. c.
Lugdunenſis archiepiſcopus Petrus de Tarentaſia, 336. b. 399. c.
Luidulfus archiepiſcopus, 671. a.
Luidulfus epiſcopus, 674. b.
S. Lupi abbas Guiſius, 980. c.
Luxovienſe monaſterium, 27. d.

M.

Macarius [S.] 17. c. Quinquaginta millium monachorum pater, 19. c.
S. Machutis martyris corpus, 122. b. Grandimontem tranſlatum, 132. d.
Macra Augia parthenon ordinis Ciſtercienſis, 317. a.
Madelinus abbas S. Sophiæ de Benevento, 980. b.
Magdeburgenſes archiepiſcopi Ædelbertus, 673. a. Tagenus, 669. d. 677. a.
Maginfridus miles S. Stephani, 696. a.
Magiſtrus Italiæ & Calabriæ princeps, 930. c.
Magni-loci abbas Armannus, 1209. c.
S. Maiolus abbas Cluniaci, 1189. c. Reparator monaſticæ diſciplinæ, 32. d. Ejus oratorium, 1200. a.
Majorævi Cartuſia, 163. c.
Majoricarum epiſcopus Johannes-Baptiſta Campegius, 1391. c.
Majoricarum rex Jacobus, 531. c. 532. c.
Majoris-monaſterii abbas Baidulus, 805. 808. d.
Malcolmus rex Scotiæ, 320. c.
Malmundarium monaſterium, 836. d.
Mames ſeu Manees Hiſpanus, frater carmelii S. Dominici, 333. c. 487. c.
Manfredus rex Siciliæ interfectus, 179. c.
Manfredus vir doctus & pius, 390. b.
Manichæi ſabbato jejunant & vetus teſtamentum damnant, 941. d.
Manliani ſeminarium erigit Palæotus, 1422. b.
Manſo abbas Caſinenſis intruſus, 945. c. 946. d.
Mantellatæ ſorores, 1312. a.
Mantellum S. Catharinæ Senenſis, 1305. c.
S. Marcellus magiſter S. Bibiani, 761. c. A rege petit S. Bibianum ordinari epiſcopum, 763. b.
Marcolinus vir eximiæ ſanctitatis, 387. c.
Marcus-Antonius Bobba cardinalis, 1436. b.
Marcus-Antonius Solonius epiſcopus Soræ, 1402. a.
Margarita regis Angliæ ſoror, 627. a.
Margarita uxor S. Ludovici regis Franciæ, 530. c.
Margarita virgo electa, filia regis Hungariæ, 384. c. 545. b.
Margaritæ Burgundæ, Guigonis delphini & Albonis comitis conjugis vita, 1201. Genus ejus illuſtre, 1203. a. Copulatur Guigoni delphino, ibid. Primo ſterilis, deinde fœcunda, 1203. b. c. Mortuo viro ſuffragia procurat, 1203. d. Delphinenſem comitatum quam ſtrenue adminiſtrat, 1204. b. Prædarè ejus animi dotes, 1204. c. d. Caſtitas, 1205. b. & ſeq. Divinis quam intenta, 1205. c. Eccleſias protegit, 1206. b. Monaſterium virginum fundat, 1206. c. Filias ſuas in matrimonium collocat, 1207. c. Et etiam filium ſuum, cui etiam ſalutaria dat monita, 1207. d. e. Illius obitus, 1208. a. Exequias & ſuffragia ei procurat, 1208. c. d. In morbum gravem incidit, 1209. c. Filiæ ejus in eam ſollicitudo, ibid. e. Eccleſiæ ſacramentis ſe munit, 1210. b. Accerſitis monialibus monaſticam abeis veſtem recipit, 1210. d. e. Carnes & ſtrata mollia recuſat, 1210. e. Ejus obitus, 1211. b. Exequiæ, ibid. d. e. Epitaphium, 1213. a.
Margarita filia Ludovici comitis Flandriæ, uxor Philippi Audacis ducis Burgundiæ, 619. c.
Margarita vicecomitiſſa Lemovicenſis, fun-

datrix parthenonis S. Patduſi, 527. d. 539. c.
Margarita virgo pia, 386. a.
B. Mariæ conſecratæ baſilicæ Florentinæ, 590. b. & ſeq.
B. Mariæ officium ab Urbano II. inſtitutum, 159. d.
S. Mariæ miſſa ſolemnis celebranda diebus ſabbati apud S. Victorem, 277. c. & ſeq.
Maria de Nivella virgo ſanctiſſima, 329. b.
Maria regina Franciæ, 1233. b.
Maria filia Caroli ducis Burgundiæ nupta Maximiliano, 630. b.
Maria filia Enguerranni de Codiciaco, uxor Henrici *de Bar*, 603. a. Patris ſui fundationem approbat, 603. c. Ludovico Aurelianenſi duci vendit Codiciacum, &c. 604. a.
Marianus epiſcopus, 592. b.
Marianus epiſcopus Cortonenſis, 567.
Marianus Soccinus juriſconſultus inſignis, 1390. c. 1392. b.
Marienverde monaſterium Præmonſtratenſium, 198. a.
Marina de Contarenis de Pœnitentia S. Dominici, 1294. a.
Marinus Benvenutus vir doctus, 1431. c.
Maronitarum collegium Romanum, 1422. c.
Martialis Auriberti magiſter ord. Prædicat. 343. b. 390. d. 391. b. 392. a.
Martinus IV. papa, 369. c.
Martinus papa Florentiam interdicit, 589. c.
Martinus prior Cartuſiæ, 178. d.
Martinus Aprilcueta juris pontificii doctor, 1437. c.
S. Martini Laudunenſis abbates Walterius, 286. c. Fit epiſcopus, 290. c. Watinus, 290. c.
S. Martini de Limoſo eccleſia data Pruliano, 438. c. 439. c.
Martyres ex ordine Prædicatorum, 338. a. & ſeq. 351. b. c.
Martyrologium Autiſſiodorenſe, 685.
Martyrologium Bedæ, 635. 637. a.
Martyrologium Corbeienſe, 633.
Martyrologium Gallicanum, 635. 658. b.
Martyrologium Gellonenſe, 633.
Maſſiliæ epiſcopus Guillelmus *Sudre*, 337. d. 432. c.
Mathildis imperatrix, 110. d.
Mathildis comitiſſa, 678. b.
Mathildis comitiſſa Landrici conjux, 734. c.
Mathurinorum ordo, 62. c.
Matthæus Urſini cardinalis, 337. b. 386. c.
Matthæus primus abbas ordinis Prædicatorum, 333. c. 401. d. 403. c. 457. b. 549. c.
Matthæus de Venetiis Camaldulenſis, 1287. b.
Matthæus Cenni vir pius a S. Catharina Senenſi ſanatus, 1341. a.
Matthæus de Monmorentiaco, 225. a.
Matthæus camerarius, 240. b.
Matthæus miles de Munellis, 224. d.
Maureola mater S. Bibiani epiſcopi Sanctonenſis, 761. c.
Mauriennenſis epiſcopus Willelmus, 171. d.
Maurinus epiſcopus Autiſſiodorenſis, 715. a.
Mauritius epiſcopus Pariſienſis, 236. a. 246. d. 247. c. Ejus epiſtola ad Willelmum archiepiſcopum Senonenſem, 253. c.
Mauritius pater Petri Venerabilis, 1189. c.
S. Maurus, 23. c.
Maximilianus imperator, 629. c. 630. a. Francos vincit prope Morinum, 630. b.
Medericus abbas Æduenſis, 33. b.
Mediolanenſis & Bononienſis eccleſiæ conjunctio, 1414. a. c.
Mediolanenſis archiepiſcopus Fridericus Borromæus, 1424. b. 1429. c.
Meldenſis epiſcopus, 249. c. 250. c. 251. c.
Melienti comites Galerannus, 225. a. Robertus, 103. a.
Melotes pellis caprina, 20. a.
Mendacium vitandum, 299. b. & ſeq.
Mendicantium ordinum commendatio, 76. a. Privilegiis ſuis non debent abuti, 76. b. Contra eos bulla Innocentii IV. 357. a. Revocatur ab Alexandro IV. 377. d.
Meduntenſis eccleſiæ abbas rex, 269. b.
S. Mennæ eremitæ acta tranſlationis, 979. a.
Mercator magiſter prædonum, 1113. a.
Mercurius martyr, 827. d. Ejus paſſio, 743. b. & ſeq. Conſtituitur dux exercitus Decii, 745. a. Eum hortatur angelus ad præliandum pro Chriſto, 745. c. Pia patris ſui monita mente revolvit, 745. c. A Decio accerſitur, 746. c. Apud eum accuſatur quod ſit Chriſtianus, 747. b. Conjectus in carcerem ab angelo confortatur, 747. c. d. Tormentis applicatur, 747. c. Divinitus curatur ejus vulnera, 748. c. Novis tormentis cruciatur, 749. c. Mortis ſententia in eum pronuntiatur, 750. b. & ſeq. Ejus corpus in exercitu delatum, 751. b.
S. Mercurii monaſteria, 891. d. 897. d. 911. c.
S. Mercurio ædificata eccleſia apud Quintodecimum, 753. b. Ejus corpus ibidem latet per multos annos, 753. c. Transfertur in Beneventanam S. Sophiæ baſilicam, 754. b.
S. Michaëlis de Cluſa monaſterium fundatum a proavo Petri Venerabilis, 1200. d.
Michaël Ghiſlerius cardinalis ſit papa Pius V. 1397. c.
Michaël abbas Pratellenſis, 105. c.
Michaël generalis miniſter Minorum, hæreticus, 80. c.
Michaël de Andegavis Carmelita, vir doctus, 61. a.
Michaël S. Dominici diſcipulus, 457. c.
Michaël Chærſphactes vir illuſtris miſere perit, 878. b. & ſeq.
Miledeburgenſis abbas Ægidius, 302. b.
Milo epiſcopus Beneventi, 113. b. 123. d. 125. a. 1045. 1052. a. 1062. c. c. Antea decanus Pariſienſis, & poſtea archiepiſcopus Beneventi, 1054. c.
Milo Criſpinus cantor Beccenſis, 93. 95. b.
Mimatenſis epiſcopus Anglicus Grimoaldus de Griſaco, 194. c.
Minorum ordinis origo, 70. c.
Miracula in Cartuſia fieri prohibita, 178. a.
Miracula facere prohibetur S. Stephanus, Grandimontenſis, 117. d. 1071. c.
Miſſæ frequens celebratio commendatur, 187. c.
Miſſa in privata domo celebrata, 1272. b.
Moiſiacenſis abbas Bertrandus de Monteacuto, 462. b.
S. Monæ reliquiæ, 1414. b.
Monachus quid & quod opus ejus, 939. c. Eſt angelus aut dæmon, ibid. c.
Monachi ſoli non debent iter facere, 934. c.
Monachorum Ægyptiorum elogium, 18. a. & ſeq.
Monachi in eccleſia Cantuarienſi, 55. c.
Monaſtica profeſſio baptiſmus, 927. c.
Monaſterienſis epiſcopus Egebertus, 1020. d.
Monaſteriorum multiplicatio nociva, 1180. d.
In monaſterio falſus frater quaſi ſatan in paradiſo, 5. a.
Monaſteriorum reformatio, 93. a.
Monaſteria moniallium ordinis Prædicatorum, 540.
Monaſterium Abſia, 99. d. S. Agathæ Tuſculanum, 953. a. Allodium, 994. d. S. Anaſtaſiæ, 922. b. 928. c. S. Anaſtaſii Romæ, 49. c. S. Andreæ ad radicem montis Syraptis, 162. c. S. Auguſtini Lemovicenſis, 117. b. S. Aviti canonic. regul. 991. a. Aureæ-Petræ, 841. d. Beneventum, 1000. c. c. Bibio, 994. d. 995. a. Bornetum, 995. d. Buſcavium, 996. c. Caduinum, 994. d. 999. c. Caroli-loci, 50. d. Cari-loci, 1199. a. Caſæ-Dei, 1100. d. Gaſtellani, 914. d. Caſtellariæ, 994. d. 1000. c. Caſtellii, 906. a. Caſtri-Nantonis, 232. c. Celſiniacum, 1189. c. Clara-Vallis, 48. b. 49. d. 999. a. Conchenſe S. Fidis, 11, 99. d. De Corona, 472. d. *Dalon*, 994. d. Doa, 237. c. Domina, 1189. c. Filia-Dei, 317. a. Fontis-Johannis, 257. c.
Monaſterium S. Gereonis, 1015. d. Grandis-Silvæ, 459. c. 994. d. 1000. b. De Haiis, 1201. b.
Monaſterium S. Johannis de Cola, 474. b. Inſula Gorgonæ, 1304. a. 1305. b. Lavenna, 1193. c. S. Laurentii Gratianop. 155. c. Luxovienſe, 27. d. Malmundarium, 836. d. Magni-loci, 1200. d. S. Mariæ de Gratia prope Papiam ordinis Cartuſienſis, 1369. c. 1404. c. d. Beatæ Mariæ de Macra Augia, 317. a. *Marienverde* ordinis Præmonſtratenſis, 198. a. Marciniaci, 1190. b. 1200. d. S. Martini a Campis præbendam habet in eccleſia Pariſienſi beatæ Mariæ, 225. a. c. S. Michaëlis de Cluſa, 1200. *Monichauſen*, 137. c. Montis-Dei Cartuſia. 169. c
Monaſterium S. Nazarii, 892. c. 895. b
Nicolai in portu Spattano, 819. c. Oyenſe, 799. c. 802. b. & ſeq. S. Pancratii, 1198. c. S. Quintini prope Bellovacum, 228. a. c. Radolienſe, 27. a. 1194. a. Scalæ-Dei, 1027. d. Serperis, 952. c. Solemniacum, 1103. c. S. Sophiæ Beneventi, 756. c. Tutillenſe in Navarra 132. d. Turris, 159. b. Tutio, 994. d. Vallis-Lucion, 938. c. 946. c. Vizeliacum, 1189. c. 1198. c.
Monaſterium Urbevetanum Benedictinarum tranſit ad moniales S. Dominici, 543. d.
Moneta famoſiſſimus theologus ordinis Prædicatorum, 347. d.
Monetæ in tunica & lecto obit S. Dominicus, 339. b.
S. Monica S. Auguſtini mater, 21. c.
Montis-Letherici eccleſia data Longi-pontis monachis, 229. d.
Montis Senarum ſitus, 573. a.
Moravienſes epiſcopi Alexander, 322. c. Andreas, 321. d. Henricus, 323. a.
Morinenſes epiſcopi Ademarus, 619. a. Jacobus, 613. c. Raimundus, 616. c. 617. c.
Mori in cinere & cilicio moris eſt Chriſtianorum, 1105. c. 1111. a. 1115. a. 1117. c.
Mori decet monachum in oratorio, 954. c.
Mortuorum lotio, 967. d.
Motharii ſacerdotis epitaphium, 817. b. c.
Motus terræ ingens, 919. a. b.
S. Mummoleni caput, 626. c.
Munio magiſter ord. Prædicatorum, epiſcopus Palentinus, 340. c. 370. a. 409. b.
Mutinæ epiſcopus Ægidius Fuſcararius, 1394. b.

N.

NAboris & Felicis [SS.] reliquiæ, 1414. b.
Nannes Vanni a S. Catharina Senenſi converſus ad Chriſtum, 1265. b.
Nannetenſis epiſcopus Simon, 342. d. 417. a.
Nantildis regina, 816. d.
Narbonenſes archiepiſcopi A. 439. c. 440. b. Berengarius, 438. c 439. b. 441. d. 442. a. Guido Fulcodii, 506. b. Petrus Amelius, 339. a. c. 443. b. 444. a.
Navarræ reges Henricus Borbonius, 1425. b. Ludovicus, 139. c. Theobaldus, 122. b. 1217. c.
Neocaſtri epiſcopus Johannes Antonius Facchinettus, 1394. a.
Nevius Landocci S. Catharinæ Senenſi devotus, 1264. c. Ab ea ſanatus, 1358. c. De ea ſcribit, 1278. c.
Nili duo celebertimi inter monachos, 888. Nili junioris vita, 889. Patria, 889. d. Pueritia, 890. c. Incidit in laqueum diaboli, & ex puella filiam gignit, 891. a. b. In monaſterium ſe recipit, 891. c. Præſidis edictum ne recipiatur in monachum, 892. a. A Saracenis capitur, 892. c. Præclarum Nili ad eos reſponſum, 843. a. Ab illis ſervatur illæſus, 893. b. Saraceni in eum pietas, 893. c. A ſuſcipienda vita monaſtica dæmon eum avertere conatur, 894. a. In monaſterio admiſſus ut ſe geſſerit, 894. d. Dignitates averſatur, 894. e. Mira ejus abſtinentia, 895. b. c. Scribendis libris diem agit, ibid. 901. e. Amico perſuadet vitam monaſticam, 895. e. Apoſtolicam & propheticam imitatur,

895. b. Prædicit regulo crudeli proximum interitum, 897. b. Revertitur ad Mercurii monaſterium, 897. d. S. Nili obedientia, 898. b. Humilitas, 898. c. A SS. apoſtolis Petro & Paulo docetur, 899. c. In ſpeiunca habitat, 900. c. Ab infidelibus & tyrannis honoratur, 900. c. 913. a. Plures dies abſtinet a cibo, 901. c. 902. d. Laboti & contemplationi vacat, 901. e. Qualis ejus cibus, 902. b. Noctem pene inſomnem in recitandis pſalmis tranſigit, 903. b. Veſtis ejus ſaccus e caprarum velleribus contextus, 903. c. Tentationibus ut reſiſtat, 904. a. & ſeq. Romam orationis cauſa pergit, 904. c. Socium ægre admittit, ac vitæ ſeverioris impatientem abire perſuadet, 905. c. & ſeq. A dæmone exterius vexatur, 906. b. A Phantino viſitatus ægrotans ducitur ad monaſterium, 906. d. In antrum reverſus a dæmone vexatur, 907. c. Inflictum illi vulnus divinitus ſanatur, 908. b. Lucam S. Phantini fratrem conſtituit monaſterii rectorem, 909. c. Stephanum diſcipulum verbis duris & increpationibus probat, 910. e. Georgius vir nobilis Nili fit diſcipulus, 913. d. Injuſte damnatum ſua prudentia a cruce liberat, 915. d.

S. Nili plures fiunt diſcipuli, 916. b. Sibi detrahentes manſuetudine mitigat, 916. c. Fratres extra monaſterium comedentes divinitus agnoſcit, 917. d. Item quod mulier eo abſente ingreſſa ſit eccleſiam, 918. a. Cum aſpide magis quam cum femina converſari eligebat, ibid. Camiſciam ſuum olim magiſtrum monet ut divitiis dimiſſis agat pœnitentiam, 919. d. Dicipulorum probat obedientiam in exſciſione vineæ, 921. b. & ſeq. Præparatos ad menſam piſces dat pauperi, 922. a. Virginum monaſterium inſtituit, 922. d. Viſitatus a metropolita & aliis divinum eis incutit timorem, 922. c. Propoſitas de ſcripturis difficultates ſolvit, 923. c. Oblatam medicinam recuſat, 925. b. Et loqui de Deo cum Judæo, 925. d. Irridentibus veſtem monaſticam prædicit futuram ultionem, 926. a. Recuſat fieri procurator bonorum Baſilici, 928. c. Polieucti ducis filium a dæmone liberat, 929. b. & ſeq. Ruſſanis tumultuantibus veniam impetrat, 930. c. In itinere diaboli fraude vulnere accepto ab angelis ſanatur, 932. c. Oblatas ſibi pecunias recuſat, 932. c. 937. c. Et monaſterium quod ſibi Cocconetes eunuchus conſtruere cupiebat, 934. a. & ſeq. Solus in itinere, nec fratres ejus ſoli ambulabant, 934. c. Archiepiſcopatum Roſſanenſem recuſat, 935. b. Tres ex ejus diſcipulis a Saracenis detenti ejus intuitu cum muneribus dimittuntur, 936. c. Humanam gloriam fugit, 938. a. b. In Caſinenſi monaſterio ſummo cum honore excipitur, 938. b. Ad monaſterium Vallis-Lucion deducitur, 938. c. In Caſinenſi vigilias celebrat more Græcorum, 939. b. Varias ſolvit monachorum quæſtiones, 940. b. & ſeq. Avaræ principiſſæ pœnitentiam reſpuenti prædicit filii interitum, 942. c. Nepotem proprium delinquentem etiam morientem videre non vult, 944. b. Furem captum libertate donat & equo quem furatus fuerat, 945. a. & ſeq.

S. Nilus abbati Caſinenſi quæ futura erant prædicit, 946. c. Relicta Valle-Lucion tranſit ad locum minus commodum, 946. c. 947. d. Vixit annis centum quinque minus, 948. a. Feminarum congreſſum & optimatum vitat, 948. d. e. Oblata ſibi a rege reſpuit, 951. c Neſciri ſtudet, 952. c. Romam profectus apud Tuſculanum ſedem figit, 952. c. Ejus obitus, 953. d. Exequiæ, 955. b. Hymnus ad B. Nilum, 956. b.

Nicephorus Phocas imperator, 840. a. 852. b.

S. Nicolai tranſlatio Barium, 1051. b. c.

S. Nicolai monaſterium in portu Spartano, 879.

S. Nicolaus de Tolentino, 63. c.

Nicolaus papa III. 369. d. 409. a.

Nicolaus papa IV. 72. c. 340. c. 370. b. c. 371. c.

Nicolaus papa V. 91. d. e. 391. a. 626. b. d.

Nicolaus de Farinula confeſſor regis Franciæ, cardinalis, 337. a. 375. d.

Nicolaus de Neapoli cardinalis, 337. d. 386. d.

Nicolaus de Prato cardinalis & epiſcopus Spoletanus, 336. e. Deinde Hoſtienſis, 373. b. 377. b. 455. c.

Nicolaus Roſelli cardinalis, 337. c.

Nicolaus de Saturnino cardinalis, 337. c.

Nicolaus de Tarviſio cardinalis. 336. d. Ex magiſtro ordinis Prædicatorum factus papa Benedictus XI. 341. a. 371. c. 411. a.

Nicolaus *de Pebvé* archiepiſcopus Senonenſis, 1394.

Nicolaus Tutricella epiſcopus S. Agathæ, 1402. a.

Nicolaus Sfondratus epiſcopus Cremonenſis, 1394. a.

Nicolaus abbas Viconienſis, 310. a. Recuſat cardinalatum, 310. c.

Nicolaus prior Viconienſis, 295. c. 297. c.

Nicolaus de Apulea ſive de Nuncenna ord. Prædicatorum, 1257. d.

Nicolaus Aretinus Servita, vir doctus & ſanctus, 586. c.

Nicolaus *de Goram* vir doctus, 371. b.

Nicolaus de Guidetonibus vir ditiſſimus, & S. Catharinæ Senenſi devotus, 1281. b.

Nicolaus de Engelsberto eques, 318. d.

Nicolaus *Falde* nobilis de Peruſio capite damnatur, 1266. c.

Nicolaus de Lyra, 74. d.

Nicolaus de Monte Mauritii ordinis Prædicatorum, prior Lemovicenſis, vir ſanctus & doctus, 468. b.

Nicolaus Philippi S. Catharinæ Senenſi devotus, 1281. c.

Nicolaus de Prato vir nobilis S. Catharinæ Senenſi devotus, 1287. c.

Nicolaus protoſpatharius, 923. c. 926. a.

Nicolaus *de Trevet*, 382. c.

S. Niconis Metanoitæ vita, 838. Patria & parentes, 840. a. Qualis fuerit puer, 840. b. Patriam & omnes relinquit poſſeſſiones, 840. c. Fit monachus in monaſterio Aureæ-Petræ, 841. d. In quo humilibus officiis biennii ſpatio exercetur, 842. c. Cibus ejus quam parcus, 842. c. Vigiliæ, 843. b. Et virtutes, 843. c. Veſtium vilitas, 843. c. In cellula aliorum more exercetur, 844. a. Lacrymarum ejus cauſæ, 844. c. Angelicam vitam ducit, 845. d. e. Perquiritur a patre carnali, 845. c. Quanta per Niconem Deus ſit operaturus agnoſcit per viſum ejus præpoſitus, 846. b. Abbatis ad eum abeuntem oratio, 846. d. Diſcedit e monaſterio, 847. c. Parthenium flumen miraculo trajicit, 848. b. Patrem fruſtra tranſmittere conantem ex altera ripa ſalutat, 849. b. & ſeq. Per deſerta pœnitentiam prædicat, 850. b. & ſeq. A latronibus & dæmonibus vexatur, 850. d. Cretam inſulam ad rectam fidem convertit, 852. b. & ſeq. Ejus prædicandi modus, 852. d. e. Cretenſium erga eum veneratio, 853. b. Photina martyr ei apparet, 853. d. Ejus templum reſtaurat, 854. a. Epidaurum navigans inſidias patitur a nautis, 854. b. & ſeq. Athenas petens vaticinatur & navigium ſervat, 854. e. Athenis prædicans a civibus honoratur, 855. c. d. Eubœam applicat & prædicat, 855. e. Miracula patrat, 856. b. & ſeq. Thebis concionatur, 857. b. Item Corinthi, 857. c. Argos petens Enorienſes agricolas docet, 857. e. Futura prædicit, 858. a. Suſpenſus in aëre ambulat, 858. c. Dorienſium urbes luſtrat, 858. e. Ægrotans majorem habitum ſuſcipit, 859. b. Fontem ictu virgæ elicit, 859. c. Lacedæmoniorum legatione evocatur, 859. c. Spartæ ſedem figit & peſtem ac Judæos ab urbe pellit, 860. b. 862. c. Templum conſtruit, 861. a. 864. e.

S. Nicon a Johanne Arato male tractatur, 862. a. Qui malignitatis ſuæ pœnas dat, 863. a. Iugens ſaxum leve reddit, 863. c. Vinum acidum in melius mutat, 863. c. Columnam templi fractam precibus reſarcit, 865. c. d. Gregorius prætor Niconi injurius paralyſi corripitur, 866. Veniam petens ſanatur, 866. e. Baſilium Apocaucum prætorem morbo & timore Bulgarorum liberat, 867. c. & ſeq. Ejus baculus noctu radiat, 868. a. Malacenus a calumnia apud imperatorem ejus precibus liberatur, 869. a. & ſeq. Niconis imago divinitus expreſſa in tabula, 870. a. & ſeq. Obitum ſuum ante prænoſcit, 871. a. Suos ante mortem hortatur, 871. b. & ſeq. Obit, 872. c. & ſeq. Sepelitur ab epiſcopo, 873. a. Unguentum proſluit e feretro, 873. b. Miracula poſt ejus mortem, 873. c. Calommatarum erga eum religio, 875. c.

Nivernenſes epiſcopi Heriveus, 715. b. Hugo, 703. c.

Nivernenſis comes factus converſus apud Cartuſianos, 39. a.

Nivelo epiſcopus Sueſſionenſis, 1215. c. 1216. c.

Nivelon miles, 701. d.

S. Norbertus inſtitutor Præmonſtratenſium, 53. b. 283. c. Magnus prædicator, 1015. c. 1017. c.

Norgandus epiſcopus Æduenſis, 702. a.

Norgandus miles S. Stephani, 716. b.

Normanniæ duces Guillelmus, 35. d. Henricus, 105. d.

Novatus hæreticus, 84. c.

Novitius Cartuſianus de ordinis aſperitate tentatus, 150. b. c.

Novitius ordinem deſerere volens, a dæmone corripitur, 1195. d.

Nurembergenſe monaſterium Cartuſienſium, 198. b.

O.

OBaſinæ abbas Geraldus, 502. b. 503. c.

Obertus miles, 706. a. d.

Octavianus cardinalis SS. Sergii & Bacchi, 120. a. 1092. d.

Octavianus antipapa, 170. c.

Octavius Farneſius, 1390. b. 1434. a.

Oderiſius abbas Caſinenſis, 792. b.

Odilo abbas Cluniacenſis, 33. b. 686. a. 1189. a.

Odo monachus Cluniacenſis factus papa Urbanus II. 31. a.

Odonis cardinalis epiſtola ad Erviſium abbatem S. Victoris, 245. d.

Odo Cantuarienſis archiepiſcopus, 33. a.

Odonis epiſcopi Pariſienſis privilegium pro S. Victore, 268. a.

S. Odo abbas, 1269. b.

S. Odo abbas Cluniacenſis, 30. a. 1189. a.

Odo abbas S. Genovefæ, 233. d. e. 236. a.

Odo prior S. Martini a Campis, 225. c. 226. c.

Odo S. Dionyſii monachus, 711. c.

Odo præceptor S. Stephani, 716. c.

Odo miles dat Crevenum canonicis Autiſſiodori, 695. b.

Odoardus Gualandus epiſcopus Cæſenatum, 1436. c.

Officium B. Mariæ in concilio Claromontenſi impoſitum clericis, 31. b.

Officium B. Mariæ recipiunt Cartuſiani, 159. d.

Oigniacenſis monaſterii fundatio, 527. c.

Olckia quid, 224. c.

Oliverius Brito vir doctus, 371. b.

Oratio quomodo fieri debeat, 1155. d.

Orationes devotæ S. Thomæ Aquinatis, 562. d. & ſeq.

Orbacenſis abbas Willelmus, 1215. c.

Orcadenſis epiſcopus Robertus *Reyd*, 326. d.

Ordines gratis conferendi, 276. c.

Ordinatio facerdotis ante annum 25. illicita, 1323. c.

Ordines varii ſub regula S. Benedicti, 25. b.

Ordo Cæleſtinorum, 78. c. Ejus regula, 79. b.
Ordo S. Johannis Jeroſolymitani, 54. a. Hujus ordinis tria ſunt profeſſorum genera, 54. b.
Ordo novorum militum in Portugallia, 80. c.
Ordinis Minorum origo, 70. c.
Ordo de Pœnitentia S. Dominici, 349. a.
Ordinis Prædicatorum origo, 67. c. Dilatatur, 349. c. Ejus elogium, 519. c. Reformatur, 387. a.
Ordo Salvatoris ſive S. Brigidæ, 82. c.
Ordo Servorum B. Mariæ, 373. d.
Ordo Teutonicorum, 62. b.
Ordinis Vallis-Scholarium origo, 64. c.
Orietta Scota nobilis matrona Januenſis, 1358. d. 1374. d.
Oſculum fratribus exhibitum ante exitum ab infirmo, 164. b.
Oſtienſes epiſcopi Guillelmus Sudre, 337. d. Hugo de Bilonio cardinalis, 336. c. Nicolaus de Prato, 455. c. Nicolaus de Tarviſio, 336. d. Petrus de Tarentaſia, 336. b.
Oſwaldus archiepiſcopus Ebortacenſis, 33. a.
Otto I. imperator pius, 33. c. 86. b. 671. c.
Otto II. imperator, 33. c. 678. b.
Otto III. imperator, 33. c. 669. c.
Otto IV. imperator, 63. b. 296. c.
Otto dux, 677. c.
Otto Burgundiæ marchio, 692. c.
Oxomenſis epiſcopus Didacus, 346. b. 397. d. 398. c. 399. a. 437. a.
Oyenſis abbatia conſtruitur, 799. c. & ſeq. A Normannis deſtruitur, 802. b. Reſtauratur ab Emma comitiſſa, ibid. d. 794.

P.

PAchomius, [S.] 19. d. Ejus regula, 19. c.
Pœnitentia pro homicidio ab epiſcopo injuncta, 943. a.
Paganus vir doctus, 382. d.
Palæotus cardinalis, Vid. Gabriel Palæotus.
Palentinus epiſcopus Munio, 340. c. 370. a. 409. c.
S. Pancratii cella Cluniacenſium in Anglia, 1198.
Pandulfus princeps Capuanus, 938. b. 942. b. 945. c.
S. Pantaleonis abbas Radulfus, 1015. a.
Paphnutius S. Antonii diſcipulus, 17. c.
Pariſienſes epiſcopi Aimericus, 274. c. Fulco, 273. c. Galo, 219. c. 223. c. Guillelmus, 636. Mauritius, 256. a. 246. d. 247. c. Odo, 268 a. Petrus, 267. c. Stephanus, 383. c. Theobaldus, 225. c. c. 229. c.
Parochia non reputatur ubi non ſunt decem Parochiani, 447. b.
Parthenius conſanguineus S. Apollinaris, epiſc. Gabalitan. 782. d.
Paſchalis II. papa, 88. c. 163. b. 1015. b.
Paſchaſius epiſcopus Burgenſis, 343. a.
Paulinus S. Benedicti diſcipulus, 792. a.
Paulitæ monachi in Hungaria orti, 214. b.
S. Pauli tranſlatio, 659. c. 689. b.
S. Paulus primus eremita, 17. c.
S. Paulus Simplex, 17. c.
Paulus papa II. 392. a.
Paulus III. papa, 1390. a.
Paulus papa IV. 1392. a. 1423. b. Ejus obitus, 1393. a.
Paulus Emilius Verallius epiſcopus Caputaquenſis, 1436. c.
Paulus de Monella epiſcopus Chii, 394. a.
Paulus diaconus Caſinenſis, 792. b.
Paulus præpoſitus monaſterii S. Nili, 953. c.
Paulus ordinem Prædicatorum dilatat in Hungaria, 350. c.
Pauli Florentini dialogus de origine ordinis Servitarum, 567.
Paulus Servita, ſcriptor vitæ Joachini Servitæ, 580. a.
Paulus de Roma ord. Prædicatorum, papæ pœnitentiarius, 1281. a.
Paulus Pauli de Senis, rector majoris hoſpitalis de Scala, 1284. d.
Paulus de Soncino vir doctus, 392. c.
Pauperes de Lugduno, 80. c. Eorum hæreſis quando inceperit, 56. c.
Paupertas a viris religioſis exquirenda, 572. c.
Pax Atrebatenſis, 624. c.
Pelagius papa, 24. c.
Percevallus de Dureval miles, 600. c.
Peregrinus Fabius Bononienſis, Rotæ Romanæ duodecimvir, 1392. a.
Peregrinus Servita vir ſanctus, 580. c.
Perjurium punitur, 1029. d.
Perſecutiones ſunt juſtorum, 1089. c. & ſeq.
Peſtis ingens, 803. d. Per orbem, 385. b. Senis, 1265. c. Meritis S. Sebaſtiani diſſipata, 273. c.
Petragoricenſes epiſcopi Ademarus, 129. d. 1094. b. Petrus de S. Aſterio, 467. d. c.
S. Petrus martyr ord. Prædicatorum, 69. c. 338. a. 356. b. 373. d. 592. c. Inſtituit Mediolani monaſterium de Vinea in quo jacet, 545. a. Sanctorum albo inſcribitur, 356. c. Ejus tranſlatio, 384. c.
S. Petrus Cæleſtinus, 78. d.
S. Petri Tarentaſienſis cilicium, 317. b.
Petrus de Tarentaſia archiepiſcopus Lugdunenſis & cardinalis, poſtea Innocentius V. papa, 69. a. 336. b. 367. d.
Petrus de Corbario antipapa, 89. a.
Petrus cardinalis Hiſpaniæ, fundator parthenonis S. Præxedis prope Avenionem ord. Prædicat. 541. a.
Petrus Leonis cardinalis, 116. b.
Petrus de Leo cardinalis, 1062. a. 1068. c. Antipapa, 88. c.
Petrus Vaſculus archiepiſcopus Burdigalenſis, 472. d. 473. b.
Petrus de Candia archiepiſcopus Mediolanenſis, 388. b.
Petrus Amelii archiepiſcopus Narbonenſis, 339. a. 399. c. 443. b. Confirmat Pruliano eccleſiam S. Martini de Limoſo, 444. a.
Petrus de Corbolio archiepiſcopus Senonenſis, 271. d.
Petrus epiſcopus Amalphitanus, 972. c. 975. d. 976. b.
Petrus Anicienſis epiſcopus reformat monaſterium de Doa, 237. c. & ſeq.
Petri epiſcopi Pariſienſis diploma pro ſancto Victore, 267. c. Litteræ de miſſa ſolemni B. Mariæ ſabbatis celebranda, 277. d.
Petrus de S. Aſterio epiſcopus Petragoricenſis fundat conventum Prædicatorum, 467. d. 474. b. Fit religioſus, ibid. d.
Petrus epiſcopus Pictavenſis, 934. a. 1002. a.
S. Petrus Thomæ Carmelita, epiſcopus Pictavenſis & patriarcha CP. 81. a.
Petrus epiſcopus Regenſis, 538. b.
Petrus de Alamannone epiſcopus Siſtaricenſis, 533. c. 537. c. 538. d.
Petrus de Caſa ex generali Carmelitarum epiſcopus Vaſionenſis, deinde patriarcha Jeroſolymitanus, 60. c.
Petrus Vencienſis epiſcopus, 538. b.
Petrus ab Affry abbas Altæ-ripæ, 314. d.
Petrus abbas Beccenſis, 106. b.
Petrus Venerabilis Cluniacenſis abbas, 164. c. Ejus vita, 1187. a. Parentes, 1189. c. Litteris inſtruitur in Celſinienſi cœnobio, 1189. d. In Viziliacenſi cœnobio litteras docet, ſitque cuſtos ordinis, ibid. e. Prior de Domina, 1189. e. Eligitur abbas Cluniaci, 1190. c. Ejus præclaræ dotes, ibid. d. Qualis erga fratres ſuos extiterit, 1190. e. Ei confiteri ambiunt, 1191. a. Ejus in pauperes miſericordia, 1191. b. Leroſorum domos facit, ibid. Nudum propria veſte induit, ibid. c. 1197. e. Sacræ lectioni deditus erat, 1192. a. Circa exteriora ſollicitus eccleſiam ædificavit, 1192. b. Zelus ejus pro ordine, 1192. c. Regibus & principibus carus, 1192. d. Innocentium II. Cluniacum deducit, 1192. e. Ubi eccleſiam conſecrat, 1193. a. Papam ad regis curiam deducit, ibid. Ejus ſcripta, 1193. c. Virginum monaſterium condit, 1193. e. Miraculis coruſcat, 1194. a. & ſeq. Cellas viſitat, 1194. a. Henricum I. Anglorum regem a tormentis liberat, 1198. a. Diſcipulum a febre quartana liberat, 1198. d. In Hiſpanii s moratur, 1199. d. Singulis annis ad Carluſianos pergit, 1200. e. Obit in die natalis Domini, ut optaverat, 1200. c.
Petrus abbas Grandimontenſis, 1132. c.
Petrus de Reſtis abbas S. Sepulcri vulgo S. Lanfranchi, 1381. e.
Petri Ducis abbatis S. Victoris electio, 274. e. De eo, 276. b. 277. d.
Petrus Fulcodii pater Clementis IV. papæ factus Carluſianus, 177. b.
Petrus Rochini magiſter ord. Prædicatorum, 343. a. 390. d.
Petrus de Palma magiſter ord. Prædicatorum, 342. a. 385. a. 414. d.
Petrus Adeberti prior provincialis ordinis Prædicat. 434. e.
Petrus de Brocatio prior provincialis ord. Prædic. 536. b.
Petrus Guidonis prior provincialis ordinis Prædicatorum, 432. b.
Petrus de Maticalmo prior provincialis ord. Prædic. 433. a.
Petrus de Mommaſio prior provinc. ord. Prædicatorum, 455. b.
Petrus de Mulceone prior provincialis ord. Prædicatorum, 536. b. 427. a.
Petrus de Valenca prior provincialis ord. Prædicat. 424. c. e.
Petrus Ancharanius fundator collegii Ancharanti Bononienſis, 1390. b.
Petrus Bernardi V. prior Grandimontis, 118. c. 126. d. 1079. d.
Petrus de S. Chriſtophoro III. prior Grandimontis, 118. a. 126. c.
Petrus de Cauſaco prior Grandimontis, 122. c. 133. a.
Petrus Celani vir ſanctus, 333. d. Domos ſuas offert Toloſæ S. Dominico, 400. a. Fit prior conventus Lemovicenſis, 456. d. 457. b. Miſſus a S. Dominico ad recipiendum conventum, 402. c. 463. d. Poſt S. Dominicum primus ordinis Prædicatorum, 464. e.
Petrus Franciſcus prior Cartuſiæ, 162. d.
Petrus Guidonis prior Carcaſſonenſis, nepos Bernardi epiſcopi Lodevenſis, 480. c.
Petrus Lemovicanus ſecundus prior ordinis Grandimontenſis, 117. b. 125. c. 126. a. 1069. b. 1071. c. 1072. a. 1093. a. 1160. c. 1161. c. 1184. c.
Petri camerarii papæ epiſtola ad Garinum abbatem S. Victoris, 262. d.
Petrus Albiz vir doctus & gravis, 1352. c. e.
Petrus de Clugio ord. Prædicat. 1269. b.
Petri diaconi Caſinenſis prologus in vitam S. Placidi, 785. a. Ejus genus illuſtre & opera, 786. Prologus ejus in librum de locis ſanctis, 789. d. De vita & ortu juſtorum Caſinenſis cœnobii, 791. c.
Petri Divenſis libellus de geſtis abbatum Beccenſium, 93.
Petrus Faverii magnæ religionis monachus, 182. d.
Petrus Petragoricus canonicus regularis S. Victoris, 256. a. 257. a.
Petrus Servita vir ſanctus, 586. a.
Petrus rex Aragonum, 365. a.
Petrus Mediceus, 567. Templum Annunciatæ mirifice exornavit, 571. e. 574. a. 591. b. & ſeq.
Petrus de Bergomo vir doctus, 392. d.
Petrus Ferrandi vitam S. Dominici ſcribit, 404. e.
Petrus de Glana, 318. a. b.
Petrus Jeremiæ vir doctus, 390. b.
Petrus de Lihiis miles, 600. e.
Petrus de Mala-morte vir nobilis, 506. a.
Petrus dominus de Montſalvant, 313. b.
Phantinus inſignis monachus, 897. d. Viſitat S. Nilum ægrotantem, & ad monaſterium ducit, 906. d. Prædicit monaſterii ſui everſionem, 907. d. Nilum hortatur ad lectionem S. Damaſceni, 908. b. Qui ab eo pœnitentiam petit, 908. b.
Philagathus archiepiſcopus, 949. a. & ſeq.
Philippa ſoror comitis Fuxenſis, & uxor Arnaldi de Hiſpania, 526. b.

Philippa filia Enguerranni de Codiciaco, uxor ducis Iſlandiæ, 603. a. d. 604. b. c.
S. Philippus Nerius, 1432. c. 1437. a.
Philippus archiepiſcopus Bituricenſis, 471. c. e. Benedicit cimiterium fratrum Prædicatorum Lemovicenſium ſede vacante, 464. d.
Philippus archiepiſcopus Colonienſis, 118. d.
Philippus de Molendinis epiſcopus Ebroicenſis, 275. d.
Philippus abbas, 491. b. 992. d.
Philippus abbas eccleſiarum regalium, frater Ludovici VII. regis, 228. c.
Philippi inter Servitas viri inſignis elogium, 574. c. & ſeq. 592. b.
Philippus imperator a Decio occiſus, 743. b. 744. b.
Philippus I. rex Franciæ, 218. a. 713. e.
Philippus II. rex Francorum, 118. c. 127. d. 459. b. 446. d. 457. e. 458. b. c. 1215. c. Ejus nativitas, baptiſmus & patrini, 233. d. & ſeq. Eum rogat Guarinus abbas S. Victoris, ut finem imponat diſſidio Grandimontenſium, 266. a. & ſeq.
Philippus IV. rex Francorum, 139. e. 454. a. 480. e. 518. b. Flandros vincit, 613. c. d. 615. b. Fundat patthenonem Poiſſiacenſem in honorem S. Ludovici, 541. e. Ejus litteræ de fundatione illius parthenonis, 542. b.
Philippus Strabo rex Francorum, 615. e.
Philippus Valeſius rex Francorum Flamingos vincit & comitem reſtituit, 616. a.
Philippus Audax dux Burgundiæ ducit Margaritam comitis Flandriæ filiam, 619. e.
Philippus dux Burgundiæ patris ſui mortem ulciſcitur, 623. e.
Philippus dux Burgundiæ Guillelmum Virdunenſem epiſcopum abbatem S. Bertini inſtitui curat, 625. c. e.
Philippus dux Sueviæ, 296. c.
Philippus comes Flandriæ, 296. a. 625. b.
Philippus de Monte-forti, dominus terræ Albigeſii, &c. 481. c. 487. d. 495. e. 496. e. Petit ab Alexandro IV. papa corpus ſancti Vincentii pro fratribus Prædicatoribus, 488. a. Ejus obitus, 497. a. 498. b.
S. Photina martyr apparet S. Niconi, jubetque ſibi templum inſtaurari, 853. d.
Pictavenſes epiſcopi Calo, 1004. d. Grimoaldus, 996. a. 1003. e. Guillelmus, 997. c. 1000. d. 1094. b. Guillelmus II. Adelenius dictus, 1003. a. Petrus, 994. a. 1002. a. S. Petrus Thomæ, 61. a.
Picturæ ex monaſterio Vicouienſi ablatæ, 301. d.
Pipini regis Italiæ epitaphium, 816. e.
Pifliacenſis monaſterii fundatio in honorem S. Ludovici, 541. e. In eo debent eſſe moniales centum, 542. e.
Pius papa II. 343. b. 391. a. 627. c. Catharinam Senenſem ſanctorum albo inſcribit, 1383. a.
Pius IV. papa, 1395. b. Concilium Tridentinum continuat, & ad illud mittit Gabrielem Palæorum, 1393. a.
Pius V. papa, 1405. c. Epiſcoporum reſidentiæ procurandæ plurimum laborat, 1398. a.
Placentiæ epiſcopus Hugo, 267. c.
S. Placidi vita a Petro diacono deſcripta, 785.
Plania monaſterium Grandimontenſe, 1079. a.
Plania cella Grandimontenſium, 1169. c. 1178. c.
Podium Giberti monaſterium Grandimontenſium, 1075. e.
S. Polycarpi abbas R. 442. c.
Polyeuctus dux militiæ, 929. a.
Pontiniani monaſterium Cartuſienſis ordinis, 1304. c.
Pontius ſacriſta, deinde epiſcopus Caturcenſis, 470. c.
Pontius abbas Cluniaci ſponte dimittit abbatiam tenitente papa, 1190. b.
Pontius frater Petri Venerabilis, abbas Vizelaci, 1190. e.
Pontius Hiſpanus ord. Prædicatorum, pro fide peremtus, 338. d.
Pontius inquiſitor martyr, 356. a.
Pontius de S. Ægidio prior provincialis ord. Prædic. 423. d. 492. c. 502. c.
Pontius de Sparra prior proviacialis ord. Prædicat. 422. a.
Pontius decretorum doctor, vir ſanctus, 189. d.
Pontius dominus de Baianagio, 1077. b.
Portarum Cartuſia, 163. c. 170. c.
Porta Matriæ monaſterium Cartuſienſium, 198. b.
Portuenſis epiſcopus Conradus, 441. e.
Poſtumius abbas S. Antonii ſucceſſor, 19. c.
Prædicatorum ordinis origo, 67. c. Eum inſtituit S. Dominicus, 346. a. & ſeq. Confirmatur, 401. b. 458. c. Ejus ſcopus, 345. a. Paupertas, 465. b. Renuntiat reditibus & poſſeſſionibus, 350. a. 403. a.
Prædicatorum fratrum brevis hiſtoria, 331. Cur dicti fratres Prædicatores, 334. c. 347. a. Habitus illorum, 334. c. 347. d. Eorum ordinem plures prælati ſunt ingreſſi, 335. c. Summi pontifices inde aſſumti, 335. c. Cardinales, 336. a. Ordinis magiſtri, 338. e.
Prædicatorum ordo in octo provincias diſtributus, 350. b. 403. b. Deinde in duodecim, 352. b. Poſtea in viginti, 389. a.
Prædicatores Bononiæ inſtituti, 401. c. Conſtantinopoli, 501. c. Et in Pera, ibid. Pariſiis in domo S. Jacobi, 401. d. Ibi primo cimiterium non habebant, 402. c. Quando ſcholas Pariſiis habere cœperunt, 339. c. 551. d. Magiſtri qui ſententias legerunt in univerſitate Pariſienſi, 565. e. Conventus Pariſienſis virorum illuſtrium omnium primus 552. d. Prædicatores ſuas conſtitutiones Pariſiis edunt, 552. c. Fr Prædicatores apud multos infideles verbum Dei annuntiaverunt, 345. Cumanos ad fidem convertunt, 353. a. Plures habent martyres, 551. b. c. Toloſa ab hæreticis fuerunt ejecti, 480. d. Albiæ perſecutionem paſſi ab eis, 512. c. Eorum conventus everſunt Huſſitæ in Bohemia, 381. a.
Prædicatores cur manu ſiniſtra ſeipſos communicant, 379. c. & ſeq. Purgantur a crimine porrecti cum hoſtia veneni Henrico VII. imperatori, 376. d. & ſeq.
Magiſtri ord. Prædicat. Aimericus, 338. e. 341. c. 343. d. 376. a. 412. b. 429 c. 430. b. 543. a. Barnabas de Neapoli, 393. b. 341. c. 383. c. 413. d. 415 c. 432. a. Bartholomæus Comacius, 392. c. Bartholomæus Texerii, 343. a. 389. c. 435. c. Berengarius, 341. d. 376. b. 412. 430. d. Bernardus, 341. c. 371. c. 411. c. 428 c. 462. d. e. Conradus *de Aſt*, 343. b. 391. b. S. Dominicus, 338. e. 397. c. Elias Raymundi, 342. e. 385. d. 386. c. 417. a. 434. d. Erveus, 341. e. 382. a. 413. b. 415. d. 431. c. Garinus, 342. b. 385. a. 415. a. 416. c. Geraldus de Daumaro, 342. a. 384. c. 424. b. 416. c. Guido Flamochicti, 343. a. 390. d. Hugo, 341. e. 383. c. 384. c. 414. a. 416. a. 432. b. Humbertus, 340. b. 354. d. 363. b. 405. b. 407. c. & ſeq. 493. a. 531. a. Joachim Turrianus, 393. b. Johannes de *Molendinis*, 342. b. 385. a. 415. c. 416. c. 432. c. 433. a. Johannes Teutonicus, 339. c. 354. d. 405. a. 407. c. 468. a. 552. a. Johannes de Vercellis, 340. c. 363. d. 408. c. 424. d. 527. b. Jordanus, 339. c. 351. d. 352. a. 353. a. b. 403. b. 404. d. 405. c. 437. c. 551. b. 552. b. Leonardus de Manſuetis, 343. b. 392. a. Leonardus Statii, 343. a. 388. c. Martialis Auribelli, 343. b. 390. d. 391. b. 392. a. 436. b. Munio, 340. c. 370. a. 409. b. Nicolaus de Terviſo, 341. a. 371. c. 410. a. 542. c. Petrus de Palma, 342. a. 385. a. 414. d. 416. b. Petrus Rochini, 343. a. 390. d. Raimundus, 339. d. 353. c. Raymundus de Capua, 342. c. 385. c. 386. c. 387. a. Raimundus de Pennaforti, 406. d. Salvus Caſſeta, 343. c. 392. b. Simon, 342. c. 385. b. 416. d. Stephanus, 340. c. 371. a. 409. d. 427. b. 528. d. Thomas de Firmo, 328. c. 342. c. 387. b. 1282. b. Vincentius Bandellus, 392. c. 394. d. Merlinus vir doctus, 393. d.
Præmonſtratenſis ordo, 53. b.
Præmonſtratenſium laus, 7. c. Carnibus in conventu non veſcuntur, ibid. e. Sed pinguedo eis conceſſa, 8. a.
Prælatio quam periculoſa, 129. d. 130. c. & ſeq.
Pragmatica Sanctio, 109. a. d.
Pratellenſes abbates Michaël, 505. e. Vincentius *le Lieur*, 106. d.
Presbyteratus ordo anno ætatis 30. collatus, 762. b.
Proceſſio poſt completorium in honorem B. Virginis in ordine Prædicatorum, 551. b.
Proclus S. Nili diſcipulus, vir ſanctus, 918. d. e.
Procopius ruſticus a S. Nicone ſanatus, 880. e. & ſeq.
Proditio in regem detecta in Limoſi villa, 479. c.
Proprietarius in morte ut ſepeliendus, 1196. b. & ſeq.
Provinciales priores ordinis Prædicatorum in Saxonia, 343. c & ſeq.
Provinciæ comes Raimundus Berengarii, 530. e.
Prulianum virginum monaſterium inſtituit S. Dominicus, 346. d. 389. b. Monaſterii fundatio, 437. a. Obſervantia ſancta, 438. a. b. Ipſi confirmat Romanus cardinalis donationem eccleſiæ S. Martini de Limoſo, 443. a. Monaſterium regit S. Dominicus, 452. c. Arnaldus Segueri, 453. b. Bernardus de Furnis, 453. c Guillelmus Clareti prior Pruliani tranſit ad Ciſtercienſes, 452. e. Petrus Regis, 453. b. Raimundus Catalani, 453. a.
Pſalterium litteris aureis ſcriptum, 1206. a.
Ptolomæus conſul Romanus, 787. d.
Pugna *d'Azincourt*, 622. c.
Pugna Cutracenſis, 615. e.

Q.

Quarta monaſterium Grandimontenſium, 1081. d.
S. Quintini de Monte abbas Johannes de *Medon*, 626. c.
S. Quintini monaſterium prope *Bellovacum*, 228. a.
Quintodecimum civitas unde nomen accepit, 751. c. Dicitur, 752. b.
S. Quiriacus patriarcha Hieroſolymitanus, 76. e.

R.

Rado filius Antharii a S. Columbano benedictus, 26. d. 27. a.
Radolienſe monaſterium, 27. a.
Radulfus archiepiſcopus Remenſis, 219. b.
Radulfus archiepiſcopus Rotomagenſis, 108. c.
Radulfus abbas a Kenlos, 320. d.
Radulfus abbas S. Satyri, 238. c.
Radulfus abbas Viconienſis, 294. c. Ejus *virtutes*, 246. d. & ſeq.
Raduſi papæ pœnitentiarii epiſtola ad Menandum canonicum S. Victoris, 269. d.
Radulfus conſtabularius, 340. b.
Raguſinus archiepiſcopus S. Catharinæ Senenſi devotus, 1289. c.
Raguſinus archiepiſcopus Ludovicus Beccatellus, 1394. b.
Raimundus de Medullione archiepiſcopus Ebredunenſis, 536. b. 556. b.
Raimundus de Titio epiſcopus Baſatenſis, 435. d.
Raimundus de Rocozello epiſcopus Lodevenſis, 486. b.
Raimundus epiſcopus *Morinenſis*, 616. c. 617. c.
Raimundus epiſcopus Toloſanus, 444. c.

452. a. 459. c. 507. b. Monialibus Prulianis confirmat eccleſiam Fani-Jovis, 449. c. Ejus obitus, 460. a.
Raimundus *Delgat* nepos papæ & abbas S. Crucis Burdigalenſis, 455. c.
Raimundus inſtitutor ordinis S. Johannis Jeroſolymitani, 54. a.
S. Raimundus de Penna-forti magiſter generalis ord. Prædicat. 353. c. 406. d. Factus pœnitentiarius & papæ confeſſor, 383. c. Ejus juſſu corpus decretalium compilavit, 69. d. 354. a. Alia ejus ſcripta, 354. b. c.
Raimundus de Vineis a Capua, generalis ordinis Prædicatorum, confeſſor S. Catharinæ Senenſis & vitæ ſcriptor, 342. c. 385. c. 386. c. 387. a. 1230. d. 1257. b. 1279 c. 1286. c. 1300. a. 1309. c. 1353. b. 1355. d. & ſeq. 1358. c. 1373. d. 1380. c. Ejus elogium, ibid. d. e. Ejus electionem prædicit S. Catharina Senenſis, 1326. b. 1360. c. Argento includit brachium S. Catharinæ Senenſis, 1276. c. Obit, 1361. c.
Raimundus de Convenis provincialis ord. Prædicatorum, 419. d.
Raimundus de Duroſorti prior provincialis ord. Prædicat. 432. c.
Raimundus de Falgario prior provincialis ordinis Prædicatorum, 420. b.
Raimundus Hunaudi prior provincialis ord. Prædicatorum, olim monachus Eiecteniſis, 427. d.
Raimundus comes Toloſanus, 460. d.
Raimundus Berengarii comes Provinciæ, 530. c.
Raimundus de Plantadio miles, ſanatus ad tumulum S. Stephani Grandimontenſis, 1070. d. e.
Rainaldus epiſcopus Apamienſis, 1094. b.
Rainaldus Caſinaenſis diaconus, 792. d.
Rainaldus filius Stephani comitis Burgundiæ, 1203.
Rainaldus comes interfectus, 706. c.
Rainaldus filius Willelmi comitis interfectus, 714. c.
Rainardus miles, 710. b.
Rainerius abbas a Keulos. 320. c.
Rainerius Piſanus vir doctus, 581. d.
Raingardis mater Petri Venerabilis, 1189. c. Fit monialis, 1209. d.
Rainulfus comes Beneventanus, 980. b.
Rainutius Farneſius cardinalis Bononienſis, 1398. b.
Randeſius monachus pius Caſinenſis, 794. b.
Ratiſponenſis epiſcopus Albertus-Magnus, 69. b. 360. b.
Ravennenſis archiepiſcopus Chriſtophorus Boncompagnus, 1411. c.
Reformatio monaſteriorum neceſſaria, 62. d. 93. a.
Reformatio Grandimontenſium, 130. a. b. d. 134. c. d.
Reformatio ordinis Prædicatorum, 387. a. 389. c. 390 b. c. 396. b. 434. c.
Reformatio monaſterii S. Victoris, 249. c. 250. d. & ſeq. 251. d.
Regenſis epiſcopus Petrus, 538. b.
Reginaldus decanus Aurelianenſis, 335. a. 347. c. Ordinem Prædicatorum intrat, 402. a. c.
Reginaldus S. Dominici diſcipulus, 1331. b.
Reginaldus poſt S. Dominicum vita & doctrina ſecundus, 549. c. 551. c.
Reginaldus ordinis Prædicatorum, ſepultus in eccleſia B. Mariæ de Campis, 349. c.
Reliquiæ apud Grandimontem tranſlatæ, 127. a.
Reliquiæ ſeu corpora ſanctorum in exercitu delata. 751. b.
Regula fratrum & ſororum de Pœnitentia B. Dominici, 370. b.
Reinwardus presbyter, 670. c.
Remenſes archiepiſcopi Guillelmus, 119. c. 1092. c. 1215. c. Radulfus, 219. b. Reolus, 1215. c.
Remigius epiſcopus *Autiſſiodorenſis*, 698. a.
Remigius monachus egregius doctor, 702. a.
S. Remigii abbatiola, 700. c.
Remundus de Turena papæ Gregorii XI. nepos, 1373. c. V. Raimundus.
Remundus Baudelii monachus Candelii, favens hæreticis laqueo ſe ſuſpendit, 514. a.
S. Reoli Remenſis archiepiſcopi tranſlatio, 1215. c.
S. Reparatæ virginis & martyris acta, 739.
Reſervationes beneficiorum ortum habent ſub Clemente VI. 616. c.
Reſidentia epiſcoporum, 1398. a.
Revelationes veræ ſunt prophetiæ; falſæ, illuſiones, 81. d.
Rhodi magnus prior, 54. c.
Richardus epiſcopus Autiſſiodorenſis, 704. d. Ejus ordinatio, 699. a.
Richardus epiſcopus Biterrenſis lepra affectus obit, 514. d.
Richardus abbas, 672. a.
Richardi abbatis Briſtolienſis epiſtola ad Ervifium abbatem S. Victoris, 243. c.
Richardus *Marſchetell* abbas Gultrenſis, 323. c.
Richardus abbas a Kenlos, 321. b.
Richardus III. abbas a Keulos, 322. b.
Richardus prior S. Victoris, 234. d. 235. b. 236. d. 237. a.
Richardus Nepotis archidiaconus Lexovienſis a rege deputatus ad inquirendum adverſus inquiſitores, 511. e.
Richardus comes, 699. d. 719. a.
Richardus Nortonus vicecomes Eboracenſis vir catholicus, 1434. b.
Richardus *Chapel* vir doctus, 369. b.
Ricoverus Servita vir ſanctus, 578. e.
Rictiovarus, 834. a.
Riſterius prior *Cartuſiæ*, 179. b.
Robardus S. Angeli cardinalis, 120. a.
Robertus de Gebennis, poſtea Clemens papa VII. dictus, 83. a.
Robertus archiepiſcopus Cantuarienſis & cardinalis, 336. c. 367. c. 369. c.
Robertus Bellarminus cardinalis, 1436. e.
Robertus de Licio epiſcopus Aquinenſis, 75. a.
Robertus epiſcopus Atrebatenſis, 287. a.
Robertus epiſcopus Autiſſiodorenſis, 691. b.
Robertus Clementis epiſcopus Hipponenſis, 64. c.
Robertus epiſcopus Roſſenſis, 321. c.
Robertus epiſcopus Wapincenſis, 530. c. d.
Robertus *Reyd* abbas a Kenlos, epiſcopus Orcadenſis, 324. c. 325. b. 326. d.
S. Robertus primus abbas Ciſtercii, 47. d.
Robertus *le Tellier* abbas S. Ebrulfi, 106. c.
Robertus abbas S. Evurtii, 242. c.
Robertus abbas S. Victoris, 267. b.
Robertus de Arbriſello, ejus elogium, 990. b. 991. c. 994. c. 1002. a.
Robertus præpoſitus Autiſſiodorenſis, 723. a.
Robertus de Torigneo prior clauſtralis Beccenſis, 105. d.
Robertus de Hiſpania prior B. Mariæ de Prato, 110. d.
Robertus prior S. Victoris, 264. b.
Robertus rex in bello occiſus, 708. c.
Robertus rex Franciæ, 712. b.
Robertus Brevis rex Scotorum, 322. a.
Robertus Arteſii comes, 613. d. 615. a.
Robertus *de Bar* comes *d'Aumale*, 603. a. 605. b. 609. b.
Robertus comes Beneventanus, 980. b.
Robertus de Meſſento erga Beccum munificus, 103. a.
Robertus filius *Guidonis* comitis Flandrenſis, 615. c.
Robertus Auguſtini vir magnificus, 321. b.
Robertus *Orford* ſcribit pro defenſione S. Thomæ, 370. c.
Robertus *Olchot* Anglus, vir doctus, 381. c.
Robertus religioſus vir & ſanctus, 383. d.
Robertus miles, 692. a.
Rodulfus abbas S. Pantaleonis, 1015. a. Expulſus de cœnobio S. Trudonis, ibid. b. c.
Rodulfus diſcipulus & ſcriptor vitæ Petri Venerabilis abbatis Cluniacenſis, 1187.
Rodulfus rex, 687. c.
Rodulfus rex Romanorum. 180. a.
Rodulfus comes de Grueria, 313. a.
Roffenſis epiſcopus Roberrus, 321. c.
Rogerus abbas Augenſis, 237. b. 259. a.
Rogerius *de Bailleul* abbas Beccenſis, 105. c. e.
Rogerius abbas S. Evurtii, 242. c.
Rogerius dux Calabriæ monaſterium S. Stephani de Buſco conſtruit, 160. b. A S. Brunone divinitus præmonetur de præparatis ſibi inſidiis, 160. c. Proditores efficit ſervos monaſterii ſancti Brunonis, 161. c.
Rolandus Cremonenſis, magiſter ord. Prædicatorum, 349. c.
Romanus cardinalis confirmat Peruliano donationem eccleſiæ S. Martini de Limoſo, 443. a.
S. Romani eccleſia Toloſana data S. Dominico, 457. b. Eam deſerunt fratres Prædicatores, 459. a.
Romeus prior provincialis ord. Prædicat. erga B. Mariam devotus, 420. d.
Romualdus princeps Beneventanus, 752. c.
Romulus Amaſæus vir doctus, 1390. d.
Roſarium B. Mariæ, 392. d.
Roſſanenſem archiepiſcopatum recuſat S. Nilus, 935. b.
Roſtagnus archiepiſcopus Aquenſis, 538. b.
Rotfredus decanus Autiſſiodorenſis, 693. b.
Rotgangi epiſcopi obitus, 639. d.
Rotomagenſes archiepiſcopi S. Audoenus, 798. a. Hugo, 105. c. 258. c. Radulfus, 108. c.
Rotrodus archiepiſcopus Rothomagenſis, 105. a.
Ruolium monaſterium, 1194. a.
Ruſſanum urbs Calabriæ a Saracenis protectione B. Mariæ intacta, 890. a.
Ruſſani tumultuantes per S. Nilum veniam impetrant, 930. c. & ſeq.

S.

Sabbati jejunium, 941. a. b.
Sabaudiæ comites Amedæus, 185. c. Humbertus, 171. d. 174. b. Thomas, 344. a.
Sabaudiæ dux Emmanuel Philibertus, 1414. c.
Sabinenſis epiſcopus Gabriel Palæotus, 1422. a.
Sagienſis epiſcopus Girardus, 505. c.
Sagienſis eccleſiæ preſſura per duos contendentes de epiſcopatu, 14. 83. c. In ea olim canonici regulares, 15.
Sagonenſis epiſcopus Garinus, 480. c.
Salomon an damnatus, 924. a.
Salomon decanus Autiſſiodorenſis, 713. c.
Salve regina ut poſt completorium cantaretur unde ortum habuit, 549. d. & ſeq.
Salvus Caſſeta magiſter ord. Prædicatorum, 343. c.
Sancia uxor Richardi regis Teutoniæ, 531. a.
Sancia Petri *de Aquilar* baroniſſa, 541. c.
Sancius de Ficola prior provincialis ordinis Prædicat. 433. b.
Sancius Parra de Oltia, 1042. d.
Sanctonenſes epiſcopi Ambroſius, 757. Bibianus, 757. & ſeq. V. Xantonenſes.
Saracenorum incurſus in Calabriam, 912. a. & ſeq. Quam deſtruunt, 937. c.
Sarſinæ epiſcopus Angelus Peruſius, 1402. a.
S. Satyri abbas Radulfus, 238. c.
Saturninus comes, 744. c.
S. Savini martyris acta tranſlationis, 805. 807. a.
S. Savini eccleſia a Wandalis deſtructa, 807. b.
S. Savini monaſterium a canonicis tranſit ad monachos, 805. 809. b.
S. Savini abbates Benedictus, 805. Dado, 805. Hucbertus, 806. a.
Saxones barbatos itrumpentes in Sanctonas oratione ſua repellit ſanctus Bibianus, 766. c.
Scala-Dei monaſterium ordinis Ciſtercienſis, 1027. d.

Schiſmata in ſede Romana quot fuerint, 84. c.
Schiſma in eccleſia, 386. d. Sub Alexandro III. 295. c. Poſt mortem Gregorii XI. 206. a. & ſeq.
Schiſma perplexum valde, 83. b.
Scholæ Beccenſes, 98. d. e. & ſeq.
Scipio Lancellotus cardinalis, 1391. a.
Scotiæ regnum per fraudem occupant Angli, 327. b.
Scotiæ reges Alexander, 320. d. David, 319. b. Guillelmus, 320. c. Jacobus, 323. a. Malcolmus, 320. b.
S. Sebaſtiano fuſæ preces ad diſſipandam peſtem, 275. c. & ſeq.
Sebaſtianus Delius vir doctus, archiepiſcopus Biſuntinus, 1390. c.
Sebaſtianus Medices magnus juriſconſultus, 1402. c.
Securianus de Savona vir pius, 1287. c.
Seibrandus epiſcopus Lemovicenſis, 119. a. c. 120. d. 1091. c. 1092. d. 1094. b.
Selerus Barda imperatori reconciliatur, 867. b.
Simpringham ordo in Anglia, 10. b.
Senioredtus abbas Caſinenſis, 791. c.
Senonenſes archiepiſcopi Anaſtaſius, 686. c. Daimbertus, 219. b. Eldaldus, 722. c. Leotericus, 709. d. Nicolaus *Pelvé*, 1394. b. Petrus de Corbolio, 271. d. Seguinus, 725. c. Walterius, 730. a. Willelmus, 249. c. 250. c. 251. c. 252. b. 253. c.
Senonenſis decanus Gotfridus, 734. d.
Sepeliendi mos Grandimontenſium, 1183. b.
S. Sepulcri in Italia abbas Petrus de Reſtis, 1381. c.
Seguinus abbas Caſæ Dei, 157. c. d.
Sergius papa, 85. c. 86. a.
Sergius monachus pius Caſinenſis, 794. b.
Seripandus cardinalis, 1393. d. Obit Tridenti, 1394. d.
Serta monaſterium Grandim. 1078. d.
S. Servani monaſterium, 320. d.
S. Servatii reliquiæ, 197. c.
Servitarum ordo, 592. a. A ſeptem viris originem ducit, 570. c. Qui relicta Florentia a B. Virgine moniti ſecedunt ad montem Senarum, 572. b. & ſeq. A qua etiam formam habitus acceperunt, 573. b. Et regulam S. Auguſtini, 573. c.
Servitarum cur nullus ſanctorum albo inſcriptus, 581. c.
S. Severinus Colonienſis archiepiſcopus, 197. c.
Severus epiſcopus Caſinenſis, 791. d.
Seuvinus archiepiſcopus Senonenſis, 725. c.
Sicardus princeps Beneventanus, 974. c.
Siciliæ regnum Carolo fratri regis Franciæ dat Urbanus IV. 179. c.
Siciliæ reges Carolus II. 532. c. 535. c. 537. a. 538. a. b. Ludovicus, 365. a.
Siffridus archiepiſcopus Colonienſis, 361. c.
Sigebergenſis abbas Girardus, 118. d.
Sigiſmundus imperator, 388. a.
Sigiſmundus rex Burgundiæ, 777. 779. d. e.
Sigiſmundus Zanettinus Bononiæ legum profeſſor, 1390. c. Epiſcopus Firmanus, 1391. a.
Silvæ-benedictæ Cattuſia, 163. c.
S. Silveſter, 17. c.
S. Silveſtri vitæ nemo facile credit propter auctoris incertitudinem, 941. b.
Silveſter antipapa, 87. c.
Silveſter Aldobrandinus Romanæ Rotæ duodecimvir, 1392. b.
Silvius Antonianus cardinalis, 1424. b. 1437. c.
Simon archiepiſcopus Burdigalenſis, 1008. c.
Simon abbas a Kenlos, 321. b.
Simon magiſter ord. Prædicatorum, epiſcopus Nannetenſis, 342. c. 385. b. 416. d.
Simon Capiſtri vicarius generalis epiſcopi Ebroicenſis, 59. b.
Simon comes Toloſanus, 457. c. 458. b. c. c.
Simon comes Montis-fortis, 339. a. 399. c. 437. d. 446. d. 465. a. 473. b. 493. c.
Simon Montis-fortis miles, 498. d.
Simon de Motha civis Rothomagenſis, 107. a.
Simoneta cardinalis, 1393. d.
S. Simplicii tranſlatio, 1413. c.
Sipontinus archiepiſcopus Matthæus Urſini, 337. c.
Siricius papa, 21. a.
Sirmondi tranſlatio vitæ S. Niconis, 838.
Siſinnius papa, 85. c.
Siſinnius antipapa, 85. d.
Siſtaricenſis epiſcopus Petrus de Alamannone, 533. c. 537. c. 538. d.
Sixtus papa IV. 71. c. 72. d. 592. a. b. 628. c. Ejus bulla ne S. Catharina Senenſis cum ſacris ſtigmatibus pingatur, 1382. b.
Sixtus papa V. 1416. d. 1418. c. Cardinales creat, 1419. b. Ejus obitus, 1419. c.
S. Sixti Romæ monaſterium inſtimit S. Dominicus, 346. d.
Solemniacum monaſterium, 1103. c. 1104. a.
Solemniacum venit Clemens V. 469. a.
S. Sophiæ monaſterium Beneventanum, 756. c.
S. Sophiæ de Benevento abbas Madelinus, 980. b.
Soræ epiſcopus Marcus-Antonius Salonius, 1402. a.
Spartæ epiſcopus Theopemptus, 861. a.
Spartâ peſtem & Judæos pellit S. Nicon, 860. b.
Spinæ de corona Domini, 110. c.
Spoletanus epiſcopus Nicolaus de Prato, 336. c.
Stellæ abbas Johannes, 293. b.
S. Stephani lapis ſanguine tinctus, 317. b.
Stephanus metropolita, 928. b.
Stephanus archiepiſcopus Bituricenſis, 252. b.
Stephanus epiſcopus Antiochenus martyr, 338. c.
Stephanus epiſcopus Cabilonenſis, 729. c.
Stephanus epiſcopus Cameracenſis, 835. c. d.
S. Stephanus epiſcopus Dienſis, 38. d. Ex priore Potrarum, 176. c.
Stephanus epiſcopus Meldenſis, 249. c. 250. c. 251. c.
Stephanus I. epiſcopus Pariſ. jubet promulgari excommunicationem in interfectores Thomæ prioris S. Victoris, 220 b.
Stephanus epiſcopus Pariſienſis revocat condemnationem quorumdam articulorum S. Thomæ, 383. c.
Stephanus Cataneus abbas, 1436. d.
S. Stephanus abbas Ciſtercienſis, 48. a.
Stephanus abbas Vicoienſis, 292. b.
S. Stephanus inſtitutor ordinis Grandimontenſis, 33. c. 34. c. 113. a. 1185. b.
S. Stephani Grandimontenſis vita a pluribus auctoribus deſcripta, 1043. Paupertatis fuit amator, 1048. c. Ejus patria & parentes, 1050. c. Ad S. Nicolaum duodennis a patre ducitur. 1051. b. Infirmus remanet Beneventi, 1051. d. Ejus curam ſuſcipit Milo archiepiſcopus, 1052. a. d. & ſeq. Eremitarum Calabriæ vitam imitari deſiderat, 1053. d. Parentes viſitat, 1053. c. Ad Milonem revertitur, eumque mortuum reperiens Romæ commoratur apud quemdam cardinalem, 1054. a. Facultatem a pontifice impetrat ordinem inſtituendi, 1054. c. Reverſus in patriam parentibus valedicit, 1055. b. Solitudinibus variis peragratis Mureti ſedem figit, 1055. d. Profeſſionis ejus formula & annulus, 1056. b. Ejus cibus, 1056. c.
S. Stephanus Grandimontenſis lorica ferrea induebatur, 1057. b. Ejus indumenta, 1057. c. Lectus, ibid. d. Perſeverantia in divinis officiis, 1057. e. Genuflexiones, 1058. a. Biduo aut triduo ab omni edulio abſtinet, ibid. b. Diſcipulos congregat, 1058. d. Ejus erga eos prudentia, 1059. a. Humilitas, 1059. a. Doctrina, ibid. c. Cogitationes diſcipulorum ſuorum novit, 1059. e. Vis orationum ejus in quodam milite quem convertit, 1060. b. Captivum liberat, 1061. a. & b. A duobus cardinalibus viſitatur, 1062. b. Quicum admirantur, 1064. a. S. Johanni Baptiſtæ comparatur, 1064. b. & ſeq. Moyſi, 123. d. Ad mortem ſe præparat, 1066. b. Suos hortatur ad paupertatem, 1066. d. e. Triduo ante mortem requieſcit in ſinu Hugonis de Lacerta, 1158. a. Ejus obitus & epitaphium, 1067. b. 1160. b. d. Ejus mors manifeſtata, 106. d. 1087. d. e. 1068. b. Ejus miracula, 1070. c. & ſeq. Miracula facere prohibetur, 117. d. 1071. c. 1082. d. 1093. b. Miracula facere jubetur, 1074. c. 1075. c. 1093. b. Ejus tranſlatio, 1079. d. Oblata ſibi ex furto recuſat, 1080. e. Ejus revelatio, 1087. d. 1094. a. & ſeq. Canonizatio, 1091. c. Bulla canonizationis, 119. b. 1092. a. & ſeq. Erga pauperes magis quam erga divites miracula exercet, 1100. c. Vivens fugiebat munera, 1101. b. Ejus dicta & facta juſſu Stephani de Liciaco priori conſcripta, 1118. b. Ejus virtutes, 1118. c. & ſeq. 1119. a. & ſeq. Ejus caritas, manſuetudo & longanimitas, 1114. b. & ſeq. Quæ conſilia daret peccatoribus, 1121. a. Quæ militibus, ibid. c. Ne faciant de rapina eleemoſynas, ibid. e. Monita ad clericos & ſapientes viros, 1122. a. Ad religioſos, 1122. b. Ad meretrices & hiſtriones, 1122. d. e. Confraternitates vitabat, 1123. b. c. Ejus eleemoſynæ, 1123. d. e. Erga pauperes ut ſe gereret, 1124. a. & ſeq. Erga ægrotos, 1125. b. & ſeq. Vere fuit martyr, 1125. c. Ejus elogium, 1126. d. & ſeq. Verſus de ejus virtutibus, 1130. d. Ejus ſententias collegit Hugo de Lacerta, 1155. b. Regula a Clemente III. confirmata, 118. c. Corpus e Mureto tranſlatum ad Grandimontem, 118. c. 126. a. Brachium ejus datum eccleſiæ collegiatæ de Thierno, 1132. c. Vitæ ſynopſis, 125. a.
S. Stephani Grandimontenſis vitæ compendium, 1143. a. Paucos adhuc ſtatres receperat cum ad eum acceſſit Hugo de Lacerta, 1148. a. Angelorum vitam ipſe & diſcipuli ejus ducunt, 1148. c. Ejus verba ad Hugonem de Lacerta, 1148. e. Qui ipſi quæſtiones ſolvendas propoſuit, 1155. d. & ſeq.
Stephanus S. Nili diſcipulus, 909. e. Verbis duris & increpationibus ab eo probatur, 910. c. Eum humiliat S. Fantinus, 911. b. Ad Theodoram virginem mittitur, 911. d. Sportulam abſque patris mandato factam jubetur in ignem projicere, 913. b. Et pſalterium alteri dare, ibid. e.
Stephani diſcipuli S. Nili obitus & elogium, 951. c. & ſeq.
Stephanus de Maconibus, 1358. c. A ſancta Catharina Senenſi converſus, & ei deinde devotus, 1264. e. Eam viſitat, 1370. c. Quæ ei pacem cum adverſariis procurat, & eam ad meliorem frugem convertit, 1371. b. S. Catharinæ epiſtolas ſcribit, 1371. b. 1372. c. Cum ea ad Gregorium XI. Avenionem tendit, 1371. c. Eam comitatur in aliis ejus itineribus & legationibus, 1372. a. Etiam ad tumulum, ibid. b. Ea jubente ingreditur ordinem Cartuſienſem, 1372. b. c. Ægrotans ab ea ſanatur, 1375. a. Fit ordinis Cartuſienſis generalis, 1277. c. 1280. c. 1282. b. c. 1283. c. 1288. a. In obedientia Urbani VI. 208. c. Propter eccleſiæ unionem renuntiat generalatui ord. Cartuſienſium, 1368. b. Et fit viſitator in Italia, ibid. c. Ei ſcribit Thomas de Senis ordinis Prædicatorum de S. Catharina Senenſi, 1303. Ejus conteſtatio de vita & ſanctitate S. Catharinæ Senenſis, 1369. d.
Stephanus Biſuntinus magiſter ord. Prædicatorum, 340. c. 371. a.
Stephanus *de Alvernhatz* prior provincialis Fr. Prædic. 422. d.
Stephanus de Cumba prior provincialis ord. Prædicat. 434. a.
Stephanus de Salanhaco ord. Prædic. prior Lemovicenſis, vir ſanctus, 466. d. 467. d.
Stephanus præpoſitus Autiſſiodorenſis, 417. b. Vir doctus, 733. d.

Stephanus de Liciaco IV. prior Grandimontis, 118. b. 126. c. 1085. b. 1185. c. & ſeq. Vir magnæ auſteritatis & probitatis, 1074. b. 1075. a. b. 1076. c. Mori deſiderat, 1077. a. S. Stephanum orat ne miracula faciat, 1082. d.
Stephanus Cartuſienſis Vallis omnium ſanctorum, 1277. b.
Stephanus novitius ordinem deſerere volens a dæmone corripitur, 1195. d.
Stephanus ex miniſtro publico monachus, 882. a.
Stephanus ex officio regis Sigiſmundi, 779. d.
Stephanus comes Burgundiæ, 1203. a.
Stephanus vicecomes Thiecni, 113. a. 1050. c.
Stephanus cancellarius Ludovici VI. 219. c.
Stephani Anicienſis epiſtola in paſſionem S. Placidi, 788. b.
S. Stephani de Baſco monaſterium in Calabria a S. Brunone conſtructum, 159. c. 160. d. Tranſit ad Ciſtercienſes, 161. d. e.
Stavis ſubdiaconus vir litteratus, 698. c.
Subdiaconi tenentur recitare horas canonicas, 270. a.
Suæva rex Danicus Angliæ regnum invadere tentat, 825. c. Ederedum regem fugat, 825. d. Occiditur, 825. e.
Sueſſionenſes epiſcopi Goſſeaus, 225. e. Nivelo, 1215. c. 1216. c.
Sueſſionenſis comes Enguerannus dominus Codiciaci, 594. c.
Sueſſionenſem comitatum emit Ludovicus dux Aurelianenſis, 604. b.
Syammachus papa, 85. a. b.

T.

TAgeni archiepiſcopi tertii Magdebutgenſis ordinatio, 669. d. 677. a.
Taleraudus epiſcopus Petragoricenſis cardinalis, 187. c.
Tartari Hungariam & Poloniam invadunt, 77. b. Regnum CP. 77. c. Eorum nuntii in concilio Lugdunenſi baptizati, 280. a.
Taſſilo ſeu Dacilo dux infidelis, 813. c.
Templariorum ordo, 52. c. Scripſit eorum regulam S. Bernardus, 52. d. Equum non trottantem habere debebant, 3. b. Veſte alba utebantur, 3. b. Eorum excidium, 138. b.
Terardus miles, 687. c.
Teutonicorum ordo, 62. b.
Thadeus de Urbe-vetere ordinis Prædicat. 1274. b.
Thebæorum legio inclyta pro Chriſto moritur. 1013. c. Ex quidem diverſis in locis, 1015. Pars in *Arnaburg*, 673. c. Pars Coloniæ, 724. c.
Theobaldus epiſcopus Pariſienſis ex monacho S. Martini a Campis, 225. c. 229. e.
Theobaldus abbas Becci, 104. a. Fit archiepiſcopus Cantuarienſis, & motus Angliæ compeſcit, 104. c.
Theobaldus rex Navarræ, 122. b. 1217. a. Corpus S. Macharii tranſfert ad Grandemontem, 132. d.
Theobaldus comes, 707. c.
Theobaldus comes dapifer Ludovici VII. 246. a.
Theodericus cardinalis S. Vitalis, 252. b. 253. a. 254. d.
Theodericus præpoſitus B. Mariæ de Gradibus Coloniæ, 1017. c.
Theodericus de Appoldia ſcribit vitam S. Dominici, 405. d.
S. Theodorici prope Remos abbas Willelmus Filiatrius, 626. d.
Theodericus rex, 85. a. b.
Theodericus rex Gothorum dictus ab antiquis Theodoms, 757. 763. c.
Theodora ſanctiſſima virgo, 911. d.
Theodora mater S. Thomæ Aquinatis, 365. a.
Theodorus abbas Lateranenſis, 792. a.
Theodoſius imperator, 21. a.
S. Theofredi abbas Guillelmus, 155. c.
Theopemtus epiſcopus Spartæ, 861. a.
Theophilactus metropolita Calabriæ, 922. c.
Thiatgrimus epiſcopus, 680. b.
Thiatmarus epiſcopus, 668. d.
Thiedricus decanus, 670. c.
Thiedricus comes, 670. c.
Thierni vicecomes Stephanus, 103. a.
Thiernenſi eccleſiæ collegiatæ datur brachium S. Stephani Grandimont. 1133. a.
Thiezuca ſanctimonialis, 671. c.
Thomas cardinalis, 337. b.
Thomas Anglicus cardinalis, 375. e.
Thomas Donatus patriarcha Venetus, 393. d.
S. Thomas archiepiſcopus Cantuarienſis, 55. c. 56. a. 106. b. 1042. c.
Thomas Covarruvias epiſcopus Civitatenſis, 1394. b.
Thomas abbas Beccenſis, 107. a. 108. b.
Thomas abbas Caſtellariæ novum templum conſtruit, 1006. b. Et tranſfert corpus B. Giraudi, 1006. 1008. b.
Thomas abbas a Kenlos, 321. c.
Thomas II. abbas a Kenlos, 324. a.
Thomas Cryſtalli abbas a Kenlos, 324. d.
Thomæ prioris S. Victoris interfectores excommunicati, 220. b.
S. Thomas de Aquino, 69. b. Ejus vitæ ſynopſis, 364. d. 552. c. & ſeq. Recuſat epiſcopatum, 365. d. Feſtum Corporis Chriſti inſtitui procuravit, 365. c. Raptus eſt in ſpiritu in menſa S. Ludovici comedens, 557. b. Qui eum libenter audiebat, 553. c. 557. b. Tribus ſcriptoribus ſimul de diverſis materiis dictabat. 554. a. Magiſterii munus divinitus monitus ſuſcepit, 554. c. Quanta fuerit ejus doctrina, 554. d. e. Ejus ſcripta, 555. d. & ſeq. De ejus Summa, 556. a. De ejus *Summa contra gentiles*, 557. a. & ſeq. De ſcriptis ejus de SS. Sacramento, 558. a. *De ſcriptis ejus in ſacra biblia*, 558. c. De variis ejus aliis ſcriptis, 560. c. In diffinitionibus quæſtionibus ad orationem recurrit, 556. d. 558. b. 559. a. 563. e. Ejus primum opus ſuper evangelia, 553. c. Obitus, 369. b. Sanctorum albo inſcribitur, 382. c. Oſſa ejus petit univerſitas Pariſienſis, 565. b. Corpus ejus tranſfertur Toloſam, 342. c. 385. d. 417. b. Ejus doctrina impugnata & defenſa, 370. a. Illius articuli damnati revocantur, 383. c. Opera ejus in Græcum tranſlata, 509. c.
Thomas S. Dominici diſcipulus, 457. c.
Thomas capellanus Petri Venerabilis, 1197. d.
Thomas Brixienſis vir pius & doctus, 392. c.
Thomas de Firmo magiſter ord. Prædicat. 342. c. 387. b. 1282. b.
Thomas Antonii de Senis ord. Prædicatorum, 387. c. 1241. b. 1242. c. & ſeq. 1366. c. 1370. a. Ejus conteſtatio de ſanctitate & doctrina S. Catharinæ de Senis, 1254. b. Ejus epiſtola ad Stephanum de Maconibus & Bartholomæum de Ravenna Cartuſianos, 1303. b.
Thomas de Fonte confeſſor S. Catharinæ Senenſis, 1257. a. 1279. c. 1280. b. 1289. c. 1312. c. 1345. a.
Thomas Petra protonotarius apoſtolicus, 1283. a. 1285. b. 1286. b. 1288. c. 1361. e.
Thomas Servita vir ſanctus, 584. a.
Thomas de Suetonio vir doctus, 369. a.
Thomas comes Sabaudiæ, 314. a.
Thomas marchio Saluciarum, quatuor filias Chriſto deſponſat in monaſterio de Renalla, 544. d.
Thunenſis epiſcopi epiſtola de obitu S. Ludovici, 1217. c.
Tirolius dominus Caſtellariæ, 1001. d.
Toloſanus archiepiſcopus S. Ludovicus, 72. a.
Toloſæ epiſcopi Fulco, 333. a. 339. a. 346. d. 399. c. 400. b. e. 437. b. 446. a. c. 447. c. 448. c. 449. b. c. 451. a. d. 457. e. 458. c. 459. e. Hugo de Maſchato, 462. c. Raimundus de Falgario, 420. b. Remundus, 444. c. 449. c. 452. a. Remundus de Miromonte, 459. c. 460. a. 507. b.
Tornacenſis epiſcopus Guillelmus Fillatrius, 626. d.
Trajectenſis epiſcopus Adelboldus, 33. a.
Transfigurationis feſtum inſtituitur, 628. d. A Calixto III. renovatur, 592. e.
Trecenſes epiſcopi Anſeiſus, 738. b. Garnerius, 271. c. Walo, 693. d.
Trecenſis comes Henricus, 1215. c.
Trevirenſis archiepiſcopus Balduinus, 197. c. 377. c.
S. Trinitatis officium, 115. d.
S. Trinitatis ordo, 62. c.
S. Trophimenis virginis & martyris inventio, tranſlatio & miracula, 971. a. & ſeq. Ejus epitaphium, 972. a.
S. Trudonis abbas Antonius *Berghes*, 631. b.
Tullenſis epiſcopus Guillelmus Fillatrius, 626. d.
Tullius Criſpoldus, 1437. c.
Turca duo imperia, quatuor regna, provincias viginti aufert Chriſtianitati, 72. e. Expugnat CP. 91. e. Chriſtianos in Hungaria vincit, 92. d.
Turkillus Danus, 829. c.
Turonenſis archiepiſcopus Bartholomæus, 119. c. 1192.
Turris monaſterium in Calabria a ſancto Brunone conſtructum, 159. b. c.
Tutio monaſterium, 994. d.
Tuſculanum S. Agathæ monaſterium, 953. a.

V.

VAiſſeras monaſterium Grandimontenſium, 1078. a.
Valdenſium hæreticorum origo, 56. c.
Valentinianus abbas Lateranenſis, 792. a.
Valentinenſium comitiſſa ſoror Gregorii papæ XI. S. Catharinæ Senenſis perforat pedes, 1327. b.
Valentini epiſcopi Apollinaris vita, 777.
Valentinus *Camers* vir doctus, 393. a.
S. Valerius epiſcopus Hipponenſis, 21. d.
Vallis-benedictionis Cartuſia prope Avenionem ab Innocentio VI. fundata, 39. c.
Vallis-Lucion monaſterium a Caſinenſi dependens, 938. e. 946. c.
Vallis-Scholarium origo, 64. c. Confirmatur ab Honorio III. 67. a.
Vallis-Scholarium conſtitutiones, 67. b.
Vanna virgo ſanctiſſima, 385. c.
Vapincenſis epiſcopus Robertus, 530. c. d.
Varmienſis cardinalis, 1393. d.
Vaſatenſis epiſcopus Raymundus de Tilio, 435. d.
Vaſionenſis epiſcopus Petrus de Caſa, 60. c.
Vaſionenſi regioni præficitur Gabriël Palæotus, 1391. d.
Ubaldus Servita vir ſanctus, 582. b.
S. Udalricus monachus Cluniacenſis, 30. c.
Vedaſtus *de Grenette* abbas S. Bertini, 632. b.
Venetus patriarcha Thomas Donatus, 393. d.
Venturinus de Bergomo inſignis prædicator, 384. d.
Vercellinus de Vercellis vir doctus, 391. c.
Veronæ epiſcopi Auguſtinus Valerius, 1424. a. Hieronymus Triviſanus, 1394. b.
Veronica, 198. c.
Veſtanus epiſcopus Hugo Boncompagnus, 1394. a. 1395. a.
Veſtis militaris, 1016. a. & ſeq.
Viana fundatrix conventus Condomenſis ord. Prædic. 501. b.
Viana fundatrix parthenonis Pontis-viridis, 539. d.
Viconienſis monaſterii hiſtoria, 281. Loci deſcriptio, 283. a. 285. c. Primus ejus incola Wido, 283. c. Ante Præmonſtrati loci habitator, 283. e. Ad eum abdicatis ſæculi vanitatibus multi confluunt, 284. e. Sibi ſuiſque ſcribendo ſtipem acquirit, 285. a. Truncienſem abbatem adit, 286. d. Abbati S. Martini Laudunenſis ſe ſuoſque ſubjicit, 286. c. Henricus vir nobilis in abbatem electus benedicendus aufugit,

287. b. Viconienſium vita quam auſtera & pauper, 287. d. e. Eccleſiam lapideam conſtruunt, 288. d. Divites fieri timebant, 289. d. Æs alienum ab abbatibus contractum ſolvit Stephanus abbas, 292. c. & ſeq. Apud eos viſitatoris officium exercentes Ciſtercienſes picturas ab aula auferunt, 301. d. Nova conſtruitur eccleſia, 307. c.
Viconienſes abbates Arnulfus, 293. d. Daniel, 293. b. Galterius, 292. b. Galterius de Querceto, 300. d. Geraldus, 290. d. 292. b. Gerardus de Ciſvia, 305. Godefridus, 293. c. e. Johannes, 293. b. Johannes de Malbodio, 309. b. Johannes de Pontibus, 311. a. Nicolaus, 310. a. Radulfus, 299. d. 294. c. Stephanus, 291. b. 293. e. Warinus primus abbas Viconienſis, 287. c. 290. c. 292. a. Willelmus de Wercinio, 307. b.
Victor III. papa, 156. a.
S. Victoris Pariſienſis antiqua monumenta, 217.
S. Victoris monaſterium diu floruit religione & ſcientia, 251. d. Ejus religio laudatur, 243. c. Obſervantia, 268. a. In obedientiis iiſdem veſtibus, cibis & lectis uti debent, quibus in monaſterio utuntur, 272. b.
Victorinos canonicos ad regulæ obſervantiam hortantur Alexander & Theod. cardinales, 263. a. & ſeq. Iis pluſes præbendæ conceſſæ in diverſis eccleſiis, 223. c. Reformantur, 249. c. 251. d. 254. d.
S. Victoris viri illuſtres, 217.
S. Victoris abbates Achardus, 230. d. 231. b. 232. a. d. Erviſius, 234. a. 235. b. 236. a. b. 260. d. Gilduinus, 227. c. 229. c. 231. c. Gotrinus, 253. a. Johannes Teutonicus, 271. e. Petrus Ducis, 274. e. 276. b. 277. d. Robertus. 267. b.
S. Victoris martyris pars capitis qua ratione ad canonicos Pariſienſes ſancti Victoris tranſierit, 271. a. & ſeq.
S. Victoris miraculum, 272. d. & ſeq.
Victoria comitiſſa, 699. d.
Viennenſes archiepiſcopi Avitus, 777. 779. d. e. Hugo, 168. b. 1203. c. Iſicius, 777.
Viennenſis comes Gerardus, 174. b.
Vigilius papa, 789. c.
S. Vincentii inventionis hiſtoria, 493. b. & ſeq.
S. Vincentii corpus pro fratribus Prædicatoribus ab Alexandro IV. papa petit Philippus de Monte-forti, 488. a.
S. Vincentii caput apud Claram-vallem, 497. c.
S. Vincentius Ferrerius, 74. c. 387. c. & ſeq. Ejus canonizatio, 396. e. 391. a.
Vincentius Bellovacenſis omnem ſcibilem ſcientiam ſtudioſis utilem collegit, 70. a. Opera ejus, 363. a.
Vincentius *le Lieur* abbas Pratellenſis, 106. d.
Vincentius Bandellus magiſter generalis ord. Prædicat. 392. e. 394. d.
Vincentius Palæotus vir præſtantiſſimus, 1388. e.
Virdunenſis epiſcopus Guillelmus, 625. b. c.
Virginibus ſacris conſortium presbyteri non convenit, 942. d.
Viſcenolium abbatia data Cæleſtinis Sueſſionenſibus, 605. e.
Vitalianus papa, 797. c.
SS. Vitalis & Agricolæ reliquiæ, 1406. d. Eorum reliquias detegit S. Ambroſius, 1414. d.
Vitalis Alexandri tertii notarius, 1021. a. 1037. d.
Vitalis decanus Antiſſiodorenſis, 733. b.
Vizeliacum monaſterium, 1189. c.
Uldricus comes de Novo-caſtro, 313. c.
Uldricus dominus de *Arconciel*, 313. b.
Ulixes Aldrovandus vir doctus, 1431. c.
Ulricus vir doctus Alberti-Magni diſcipulus, 70. a.
Ulricus Teutonicus bacalaureus, 368. b.
Urbanus papa II. 31. a. 88. b. 214. a. S. Brunonis olim diſcipulus, 156. b. Romam eum accerſit, ibid.
Urbanus papa III. 119. d.
Urbanus IV. papa, 336. b. 359. e. 360. b. 363. b. 365. c. 366. d. Regnum Siciliæ Carolo fratri regi Franciæ dat, 179. c. Eo jubente S. Thomas ſcribit in evangelia, 553. c. 558. c. Et officium S. Sacramenti, 558. a.
Urbanus V. papa, 82. c. 189. d. 337. d. 385. c. 417. b. 433. a. c. 617. c. 618. a. b. Eccleſiam S. Crucis in Jeruſalem dat Carthuſienſibus, 260. a. b. Quædam ſtatuta condit pro eis, quæ reſpuunt, 200. b.
Urbanus papa VI. 83. a. 206. a. c. 386. c. 619. d. 1268. b. 1274. a. d. 1285. a. 1287. c. 1337. b. 1378. c. Ne a Romanis occidatur impedit S. Catharina Senenſis, 1297. c. d. E carcere liberatur, 1364. b. Ei reconciliati Florentini, 1259. b.
Urbanus VII. papa, 1419. c. 1436. c.
Urbanus Vigerus epiſcopus Senogallienſis, 1436. c.
Urbevetanus epiſcopus Conſtantinus, 405. a.
Urſi-campus monaſterium ord. Ciſtercienſis, 234. c.
Urſinus miles ſpoliat terras S. Victoris, 242. c.
Vadimirus corepiſcopus, 734. b.
Wala epiſcopus, 694. b.
Walacienſis abbas Ægidius, 302. b.
Walabarius decanus Antiſſiodorenſis, 695. c.
Waldrici epiſcopi ordinatio, 697. a.
Waldricus miles de Warziaco, 686. c.
Waldricus Antiſſiodorenſis præpoſitus, 693. b.
Walo epiſcopus Trecenſis, 693. d.
Walonis ſeu Walradi monachi Altimontenſis elogium ſeu vitæ abbreviata, 1214. b. & ſeq.
Walo decanus S. Petri, 705. d.
Walo canonicus poſtea monachus, 706. b.
Walramus archiepiſcopus Colonienſis Cartuſiam fundat, 197. d.
Walterius archiepiſcopus Senonenſis, 730.
Walterius epiſcopus Æduenſis, 722. c.
Walterius epiſcopus Aurelianenſis, 692. a.
Walterius abbas S. Martini Landunenſis, 286. e. Fit epiſcopus, 290. d.
Walterius levita & canonicus & præpoſitus S. Mariæ. 702. c.
Waldbardus epiſcopus, 674. c.
Walto epiſcopus, 675. c.
S. Wandregeſilus orat pro nepotis ſui Godonis perfecta converſione, 796. a.
Warimbertus epiſcopus Antiſſiodorenſis, 698. a.
Warinus abbas Viconienſis, 287. c. Fit abbas S. Martini Laudun. 290. c.
Waſtinenſis abbas Laurentius, 242. a.
Welfo abbas, 730. a.
Wibaldus abbas Caſinenſis & Stabulenſis, 789. d. A Lothario imperatore inſtitutus abbas Caſinenſis, 790. a. Ejus elogium, 790. b. c.
Wibertus antipapa, 182. b. c.
Widikindus comes, 678. c.
Widonis primi Viconienſis loci incolæ obitus, 289. c.
Wighaldus epiſcopus Antiſſiodorenſis, 704. a.
Wigornienſi eccleſiæ paſtor petitur ab Erviſo abbate S. Victoris, 240. c.
Wibbertus epiſcopus, 670. d.
Willelmitæ monachi, 214. a.
Willelmus archiepiſcopus, 670. b.
Willelmus archiepiſcopus Auxitanus, 1021. a. 1024. c. 1026. c. 1037. d.
Willelmus archiepiſcopus Remenſis, 1215. c.
Willelmus archiepiſcopus Senonenſis, 249. c. 250. c. 251. c. 252. b. 253. c.
Willelmus Mauriennenſis epiſcopus, 171. d.
Willelmus Virdunenſis epiſcopus factus abbas S. Bertini, deinde Tullenſis, ac demum Tornacenſis epiſcopus, 626. d.
Willelmus abbas Orbacenſis, 1215. c.
Willelmus de Wercino abbas Viconienſis, 302. a. 307. b. Intereſt concilio Engolmenſi, ibid. Novam conſtruit eccleſiam, 307. c.
Willelmus prior Carthuſiæ, 146. c.
Willelmus prior Urſi-campi, 234. d.
Willelmus Clareti S. Dominici ſocius, 334. b.
Willelmus comes, 707. b.
Willelmus Nivernenſis comes Cartuſianus, 717. a.
Wlfardus epiſcopus, 676. a.
Uxorem propter Deum an poſſit homo dimittere, 925. a.

X.

Xantonenſis epiſcopus Elias, 120. d. 1094. b.

Z.

Zacharias monachus inſignis, 891. c.
S. Zamæ tranſlatio, 1417. Vitæ ejus compendium, 1417. c.
Zoſymus monachus, 878. c.
Zoſymus vir pius, 868. c.

BIBLIOTHEQUE ROYALE

ERRATA EMENDANDA.

Pagina 17. *linea* 6. Thoretica, *lege* Theoretica. *pag.* 64. *l.* 23. theoriæ, *l.* theologiæ. *pag.* 85. *l.* 20. eorum, *l.* epiſcoporum. *pag.* 101. *l.* 2. neumate, *l.* pneumate. *pag.* 104. *l.* 2. neumatis, *l.* pneumatis. *pag.* 150. *l.* 26. derivatam, *l.* derivatum. *pag.* 151. *l.* 26. qui ad, *l.* quod ad. *pag.* 156. *l.* 59. correptum, *l.* conceptum. *pag.* 196. *l.* 17. juxa, *l.* juſta. *pag.* 221. *l.* 19. meritorie, *l.* memoriæ. *pag.* 241. *l.* 30. per hoc, *l.* per hos. *pag.* 244. *l.* 4. Victori, *l.* Victoris. *pag.* 247. *l.* 32. vivat, *l.* vivas. *pag.* 248. *l.* 49. oratione, *l.* occaſione. *pag.* 299. *l.* 42. ſinè, *l.* ſit. *pag.* 305. *l.* 31. fore, *l.* fere. *pag.* 309. *l.* 9. conventus, *l.* conventui. *ibid.* 647. tamen, *l.* tantum in parte. *pag.* 333. *l.* 32. albus, *l.* abbas. *pag.* 338. *l.* 17. in harum, *l.* in horum. *pag.* 340. *l.* 24. papa IV. *l.* Alexandro papa IV. *pag.* 343. *l.* 26. Salutis, *l.* Salvus. *pag.* 352. *l.* 29. ſuperadditi, *l.* ſuperadditæ. *pag.* 336. *l.* 39. lectore, *l.* lictore. *pag.* 360. *l.* 15. alia, *l.* illa. *pag.* 385. *l.* 24. Ligonenſis, *l.* Lingonenſis. *pag.* 417. *l.* 47. alitus, *l.* aliquis. *pag.* 452. *l.* 25. quia, *l.* qua. *pag.* 475. *l.* 4. MCCXV. *l.* MXXXV. *pag.* 48. *l.* 42. inſtingant, *l.* inſtigant. *pag.* 553. *l.* 1. ſua, *l.* ſuæ. *pag.* 560. *l.* 43. Parnomitarum, *l.* Panormitanum. *pag.* 565. *l.* 34. rigendis, *l.* exigendis. *pag.* 573. *l. ult.* irrpſiſſe, *l.* irrepſiſſe. *pag.* 610. *l.* 25. *mois l'autrui, &c. l.* autrui en toutes. Donné à Paris ou mois d'Avril. *pag.* 611. *l.* 29. MCCCVII. *l.* MCCCCVII. *pag.* 695. *l.* 39. VIII. *l.* viri. *pag.* 744. *l.* 1. eum, *l.* eam. *pag.* 803. *l.* 52. præſervandum, *l.* præſentandum. *pag.* 817. *l.* 19. ab ore, *l.* ab orbe. *pag.* 839. *l.* 6. pivinitatis, *l.* divinitatis. *pag.* 846. *l.* 4. Deum illo, *l.* Deo illum. *pag.* 851. *l.* 10. nullum, *l.* nullam. *pag.* 867. *l.* 10. ipſi &, *l.* ipſi de. *pag.* 869. *l.* 37. honorem, *l.* honorum. *Ibid. l* 47. abigens, *l.* ambigens. *pag.* 871. *l.* 1. proficiſcetur, *l.* proficiſceretur. *pag.* 881. *l.* 58. dilata, *l.* deleta. *pag.* 883. *l.* 38. capiendam, *l.* capiendum. *pag.* 885. *l.* 22. educebatur, *l.* educabatur. *pag.* 889. *l.* 51. deſiit, *l.* deſit. *pag.* 891. *l.* 13. illorum, *l.* illarum. *pag.* 903. *l.* 11. ſectabantur, *l.* ſectabatur. *pag.* 935. *l.* 48. detexit, *l.* deflexit. *pag.* 946. *l.* 47. oculis, *l.* oculi. *pag.* 950. *l.* 5. conceſſitis, *l.* conceſſiſtis. *pag.* 994. *l.* 4. non deſipiebant, *dele* non. *pag.* 998. *l.* 5. opprimabatur, *l.* opprimebatur. *pag.* 1007. *l.* 41. permittitur, *l.* præmittitur. *pag.* 1015. *l.* 5. animati.... experti, *l.* animatæ.... expertæ. *pag.* 1023. *l.* 37. trasgreſſus, *l.* tranſgreſſus. *pag.* 1024. *l.* 57. præcedente, *l.* procedente. *pag.* 1035. *l.* 1. incontinentia, *l.* incontinentiæ. *pag.* 1042. *l.* 9. minis, *l.* nimis. *pag.* 1072. *l.* 18. modicos, *l.* medicos. *Ibid. l.* 28. ſanctitatis, *l.* ſanitatis *pag.* 1073. *l.* 24. illo, *l.* illa. *pag.* 1076. *l.* 56. conditentur, *l.* cooderent. *pag.* 1105. *l.* 2. Ob meritis, *l.* meritis. *pag.* 1150. *l.* 10. ſignamus, *l.* ſignificamus. *pag.* 1156. *l.* 46. præveniat, *l.* proveniat. *pag.* 1184. *l.* 61. quam, *l.* quoniam. *pag.* 1201. *l.* 25. eccleſiam, *l.* hiſtoriam. *pag.* 1210. *l.* 22. commorantes, *l.* commorantæ. *pag.* 1239. *l.* 6. prioti, *l.* priore. *pag.* 1253. *l.* 42. alios, *l.* alias. *pag.* 1390. *l.* 9. gentilis, *l.* Gentilis. *pag.* 1399. *l.* 16. continuo, *l.* continua.